BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXIII
G
60
NAPOLI

60

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARIA
IN CAP.
OMNIS VTRIVSQVE SEXVS, &c.
VBI
VARIA DISPVTANTVR, ET ENVCLEANTVR.

Opus Philoſophis, Theologis, Iuriſperitis, ac omnibus in Foro verſantibus apprimè neceſſarium, & vtile.

AVTHORE
D. LEONARDO DVARDO ORD. CLER. REG. TH. AC V.I.D.

CVM ADDITIONIBVS
P.D. LEONARDI DVARDI CLER. REG. S.T.P. NEPOTIS.

Cum duplici Indice, Quæſtionum ſcilicet, ac Materiarum copioſiſſimo.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI



Vera effigies Vener. P.D. Leonardi Duardi C.R. eximiæ Virtu: tis, ac doctrinæ Viri, qui pijſsimè obijt Neap: die 29 Martij An. 1643 Ætatis ſuæ 77

Ad pium Rogatum Oratij a Luca Baronis Caſtripagani.

NEAP. Apud Caſtaldum M.DC.LXVII. Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

REVERENDISIMO PATRI

D. ANDREÆ CANCELLERIO

IN REGALI CARTVSIA DIVI MARTINI PRIORI,

Et in Prouincia Regni Neap. Viſitatori Vigilantiſsimo.

LEONARDVS DVARDVS S.

HÆ poſthumæ mei Patrui lucubrationes (Reuerendiſs. Pater) vt lucem aſpicerent, luculentiſſimo tuo dicatę nomini, mihi non vno nomine perſuaſi. Nam & ſi me plurimùm allexit excellens tua rei literariæ peritia, atq; ſatis exculta cuiuſuis generis eruditio, nec impar eximia tui ex Seraphica prole conſanguinei Ludouici doctrina, per quadragenos annos in ſacro Theologiæ Lyceo ad admirationem oſtenſa; vndè meritò Doctor Iubilatus edocens audit; tribus tamen fateri ſtrictiùs me deuinctum omninò compellor. Et primùm omnigena tua virtus, ſicuti iampridem meum deuinxerat animum, atq; ſuo ipſius iure mancipauerat famulitio; ſic in obſequij monumentum huiuſce operis nuncupationem ſibi non diſpari ratione vindicabat. deuinxit me illa, fateor, virtus; ſed cur non deuinciret, quæ tecum iam indè ab ipſamet immatura ætate maturuit, tibiq; Ordinis præfecturas, quàm citiſſimè maturauit? nunquam Tibi à Regimine licitum feriari, ſemper præeſſe oportuit, ex quo ſemel renunciatus moderator. Virtute duce, & Virtutis luce ſuffultus, qua Prioratus, qua Viſitationis munere Venerabilem Cartuſianam mirum quantùm illuſtraueris ſodalitatem. Sed neq; tantæ virtutis lux intra domeſtica clauſtra arctari potuit, quin foras ſe ſe effunderet, erumperetq; in facinora publico plauſu commendanda; cum enim oportuiſſet nobiles Dynaſtas iſtius Regni Proreges, Antiſtites, Eccleſiæ purpuratos, ac cuiuſcumq; Ordinis viros tecum familiariter agere; ità omnium ſtudia, ſingulis faciens ſatis, tibi conciliaſti, vt vno omnium ore multiplex tua Virtus apertis tibijs commendaretur. Abſoluta Religionis obſeruantia, oris modeſtia, morum ſuauitas, in rebus arduis conſilium, in negotijs magni ponderis expediendis dexteritas, aliæq; ab alijs tuę certatim collaudantur virtutes. Sed quid mirum? cultrix cunctarum Caritas, ſicuti in te illas in quendam veluti manipulum conglutinat; ſic ſincera dilectione omnium occupat animos, atq; omnium deſtinat ora tuis præconijs extollendis. Excolit ipſa in te ſummoperè pietatem, quæ quanta ſit in pauperiem, ex aſſiduis eleemoſynis, quæ verecundis impertiuntur, deducerem; niſi duxiſſem inuoluendum eſſe ſilentio, quod modeſtiſſimo abs te ſilentio curatur inuoluendum: vnde exercitum cuiuſuis generis egenorum, iſtuc quotidie manipulatim confluentium fas erit colligere, quibus hilari animo ſubuenitur, nec ſecus, ac ſtipendiarijs militibus, Regno Dei capeſsendo centuriatis, diurna merces perſoluitur. Miſſum nunc facio Martinianum Cœnobium, abs te immanibus impenſis inſtauratum, partim verò extructum. Celeberrimum prætereo fanum, ad omnem pietatem, atque elegantiam munificentiſſime excultum, pretioſiſſima ditatum ſupellectile, & cum pauciſſimis comparandum. Ipſa ſatis ſuperq; loquuntur, & poſteritati æquè piam tui animi magnitudinem, ac ingenuam largitatem deprædicant. Altiora contendit calamus. Caritate tuæ ſummæ pietatis motrice, ac promotrice, prope Parthenopeæ arcis molem fortiſſimam, ac peruetuſtam, nouam ſpiritalis fortitudinis arcem re ipſa, ac nomine fortis Cælo conterminam excitaſti. Hic in præſidium Regis Regum tot ſtrenui milites, quot Cœnobitæ: hic omnis armatura fortium: hic feruidæ orationes, afflictationes aſſiduæ, ſacræ inediæ, cunctaq; pœnitentiæ operum munimina: hic tua gubernante Prudentia, ac vigilantia ad ſacras excubias impenſiùs incumbente, terni hoſtis obſidiones, & machinamenta profligantur, hæc Ciuitas protegitur, Cælum expugnatur. Atq; huc, vt opinor, deſtinauerat confugium ſuo operi ſuperſtes Auctor, cum

tibi aliquando in noſtra Eligiana Domo hoſpitij iure commoranti, confectum volumen oſtendit. Sed quò nam quæſo huic operi, de Pœnitentia feriò agenti tutius, quam in huiuſmodi arcem profugium? Vbi ad pœnitentiam valida quot munimina, tot exemplaria, tot duces; vbi fideles veſtræ orationis, & afflictationis aſſiduitate ad ritè pœnitendum experrecti, diuinitùs declinandis piaculis roborantur. Sic pius Auctor fauſtis planè auſpicijs ſuo potietur voto, quod quidem tanti operis labore prætenſum aliud non fuiſſe certum eſt, quam vt eliminatis ab intellectu difficultatum tenebris, meridiano quodam, flammatoq; doctrinæ lumine, fidelium voluntates ad pœnitentiam incenſiùs inflammarentur. Quare non minùs omnigena tua virtus ſibi opus, quàm idem opus omnigenam tuam virtutem ſibi meritò depoſcebat: illa quidem ad mei ſpecimen authoramenti; hoc adiuuamen aſſequendo fini validum, nedùm ad tutamentum. Præterea mihi viſus quidam è Cælo acceſſiſſe nutus, vt Orbis tuo nomine inſeriptum librum intueretur. Enim verò paucis ab hinc menſibus in veſtro Martiniano Templo ad aram proximè facturus, Beatiſſimum Nicolaum Albergati, patronum ex meis præſtantiſſimum oratum habui, vt virum ſibi pietate coniunctum, ſuique immitatorem oſtenderet, cui librum conſecrarem: illicò propitius adfuit: nam extemplò poſt Sacrum ipſe adfuiſti, cuius præclara virtutum merita me antea non latebant. Opus igitur tibi ſiſtitur, ſic namq; tua multiplex exigebat virtus, ſic ipſum exquirebat opus, ſic numen annuiſſe mihi viſum. Tribus hiſce motus, ceu triplicato deuinctus funiculo tibi volumen, tota cordis hilaritate offero, atq; dico, nec ingratum fore ſpero donarium humanitati tuæ, quod profectò gratiſſimum reddet communis vtriuſq; noſtrum Religio erga Beatiſſimum Nicolaum veſtri Ordinis obſeruantia, tiara, purpuràq; fulgentiſſimum Eccleſiæ ſidus. Vale igitur, Reuerendiſſime Pater: valeat in Cœlis Beatiſſimi Nicolai præpotens apud Deum patrocinium: valeat in terris mea humilis, ſupplexque deprecatio, vt tanti præſulis, cuius pietatis, caritatiſque veſtigia tangis, attingas, & faſtigia tum in Terris, tum in Cœlis. Iterum Vale.

AD

Digitized by Google

AD BENEVOLVM, ET SAPIENTEM LECTOREM.

AVCTORIS NEPOS LEONARDVS DVARDVS C. R.

CEleberrimum inter omnes Sacros Canones eſt Cap. Omnis Vtriuſq; Sexus de Pœnitentia, & Remiſſione, *in quo explicantur præcepta Confeſſionis annuæ, & Sanctiſſimæ Eucharistiæ Remiſſionum, ſeu Indulgentiarum, anniq; Iubilæi copioſus tractatus traditur. De Purgatorio, De Bonitate, ac Scientia Confeſſarij, & de ijs, quæ neceſſaria ſunt ad eundem conſtituendum, diſcretum, cautum, & in omnibus eruditum, ac optimum præſtorum Sacramentorum Miniſtrum, ſufficienter agitur. Quod meus Patruus, vt omnibus prodeſſet, elaboratis Commentarijs illuſtrauit; eodemq; tempore, quo luci committere exoptabat, mira pietate clauſit vltimum diem, vt æternum aſpiceret. Tunc ipſe Sacræ Theologiæ adeptioni nauabam; vndè hæc ipſa haud valui typis committere. Expleto ſtudiorũ curriculo, nunquam mihi feriari licitum: Quamobrem, vt præſtò eſſem, meo eruditiſſimo germano Thomæ Duardo V. I. D. & omni doctrinarum genere exculto ſummaria conficienda commiſi; Interim ego additionibus locupletare volumen ſatagebam: Cum Nouitiorum curam in Paulina Domo obedientiâ ſuſcipere, oportuit; & nè meæ ſocordiæ verteretur vitium operæpretium quoq; fuit quaquam; non ità etiã, illas perficere, & præcipuas ſigno † ſignare. Præterea opiniones in ſtatera appendere, vt Decretis nuper emanatis ab Alex. VII. P. M. adamuſſim reſponderent.*

Quantum tibi futuri ſint grati hi duo poſthumi Tomi, amice Lector, ex plauſu coniicio aliorum Operum, De Societatibus, De Cambijs, De Cenſibus, & in Bullam Cœnæ: quæ & ſi peculiares materias pertractãt, nihilominus pluries in diuerſis Orbis partibus fuerunt typis excuſſa. Eò magis his delectaberis in Cap. Omnis, *Cùm omnia tibi fercula miniſtrentur; etenim de vtroq; ſexu, de omni ætate, & de omnibus ſtatibus perlucidè, & exactè erit tractatus, incipiẽdo à ſupremis culminibus Pontificum, & Regum, vſq; ad infimum gradum, vt omnes caſus, qui occurrere poſſunt infimis, ſupremis, & medijs, clarè quomodo te gerere debeas, tibi proponãtur, vt magis tutus, & inoffẽſo pede in tanto negotio incedere queas.*

Demùm tibi propono Auctoris vitam, integritate, ac omni doctrinarum genere Philoſophiæ, Sacræ Theologiæ, tùm Scholaſticæ, tùm Moralis, Sacrorum Canonum, & Iuriſprudentiæ Doctoris Laureati, exultam, ex noſtris Hiſtorijs cum ſolita proteſtatione ab eximio, ac integerrimo Viro P. D. Ioſepho Silos compoſitis, excerptam, quam antea etiam cõſcripſerant P. D. Franciſcus Boluitus, & P. D. Hieronymus Caracciolus, vt tanquam in ſpeculo aſpicias tanti Viri Pietatem, Religionem, Fidem, omniumq; Virtutũ exemplar. Et vt hoc Opus tanquam perfectum habeatur à tribus noſtris Reuerendiſſimis Patribus Generalibus fuit Reuiſoribus commiſſum, nempè à Reuerendiſſ. P. D. Stephano Medices, eximus Theologis P. D. Thoma Cece, & P. D. Hieronymo Caraſa, nunc motu proprio Philippi IV. Hiſpaniarum incliti Regis, & Hiſpanorum plauſu ad Tiaram Cotrunenſem aſſumpto. A Reuerendiſſ. P. D. Bonifacio Alliardo ob præclara merita ad Infulam Adriæ Sereniſſ. Senatus Veneti præconio, euecto, qui reuiſionem commiſit duobus Theologis, & eximijs Concionatoribus P. D. Ruperto Manna, & P. D. Carolo Sagariga, qui præclaro Encomio hoc Opus commendarunt; Sic demùm annuente Reuerendiſſ. P. D. Ioſepho Maria Marauiglia alumno dilectiſſimo ipſius P. Medices. Nempè ex duobus Mediolanenſibus, ſicuti ab vno exordium ſumpſit, ità ab altero complementum accipit. Vtinam ſicuti à Medices, tanquam pharmacum contra virus peccatorum ipſum Volumen de pœnitentia fuit commendatum, ita, Numine fauſto, vti poſthumum abſq; patre, à Reuerendiſſ. Patre Marauiglia ſit admirationis partus.

Habuit, & habet multa propitia ſydera hoc Opus, nempè eo tempore, quo Aſcanius Philamarinus fuit Purpura, & Neapolitana Infula decoratus, noſtra Eligiana Domus *fuit tanto hoſpite digna. Inuiſit tunc ille percarum* Dei *ſeruum supremò ægrotantem, & penè mortuum, quem bonus ſenex ſic affatus; quamprimùm in propria ſede te adibo, vt debitum obſequium perſoluam, quod contigit; & tantum ſuperſtes fuit, quantùm præſenti operi abſoluendo ſufficit.*

Nos lucem aſpicit cum Eminentiſſ. Cardinalis Inicus Caracciolus, meus, Authoris, ac Religionis noſtræ vnicè amator, atq; Patronus, Purpura, ac Neapolitanis Infulis inauguratus, luciduſſimum velut Orientem ſe conſpiciendum tradit.

Lumine

Lumine fulgentiſsimo alterius ſyderis gaudet, nempè ſummo Pœnitentiario Eminentiſs. Nicolao Albergati Ludouiſio itidem mei, ac Religionis beneuolentiſsimo, qui Beatiſs. ſui conſanguinei Nicolai Albergati, & præcipui mei Tutelaris, aſſequutus eſt Tiaram Bononienſem, Purpuram, ſupremum illud munus, Catholicæ fidei zelum, nomen, omnigenam virtutem, ac potiſſimùm beneficentiam, ac liberalitatem in pauperes. Libenter hic prætermitto nonnulla Elogia in Auctoris laudem compoſita, quæ quidem ipſe ſuperſtes humilitèr recuſauit; tantummodò ponuntur, quæ à gentibus materni generis, in quibus pietas potius erga affinem, quàm laus elucet; vti ſunt ea eruditiſſimorum germanorum, Ianuarij, & Vincentij à Luca V.I.D. filiorum Oratij à Luca Baronis Caſtripagani, qui etiam eius Iconem pictam, & ſtatuam; & mox in ære ſuis ſumptibus conficiendam curauit: Nec non celeberrimi V.I.D. Laurentij Craſſi in Hiſt. Reg. Neap. M.S. & eximij Academici Flauij Ventrilia V.I.D. qui plurimùm in ſuis epiſtolis, & præcipuè, quæ data opera ad Thomam Duardum V.I.D. dedit optimum Senem commendauit; hic tantùm pono Anagramma purum in Authoris obitu ab ipſo compoſitum.

In obitu R. P. D. Leonardi Duardi Senioris:

Pater Domnus Leonardus Duardus Manicalciatenſis Iuriſconſultus Clericus Regularis.

Anagramma Purum.

Vir ſuis dulcis, Vir ad mira natus;
Rarus Splendor, ac Legum Sol,
Nunc in Coelis eſt decoratus.

Flauius Ventrilius.

AD

AD VENER. P. D. LEONARDVM DVARDVM CL. REG.

Epigramma

IANVARII A LVCA V.I.D. ET CASTRI PAGANI BARONIS.

ADduntur tibi Iura Pater Venerande, ſupremus
Clameris dignus, Tempora noſtra ſinunt,
Sacratus Chorus en claudit tua munera, forſan
Sæcula noſtra darent, quæ petienda forent.
Sic erat in Fatis, quod laus nunc ſiſteret omnis
Arctata in Sacris, quæ tibi digna locis.

AD EVNDEM DEI SERVVM

Epigramma

VINCENTII A LVCA V.I.D. CASTRI PAGANI, AC S. ANGELI RADIGINOSI DOMINI.

LAus Tibi, digne Pater, prima eſt, celeberrime, Vitæ
Iura Secunda quidem, Tertia ſcire Deum.
Sermonem Angelicum memoranda Scientia tractat
Vltima quæ laus eſt, quæ petit Aſtra, Polum.

Digitized by Google

APPROBATIONES.

O*Pus poſthumum, cui titulus* Commentaria in cap. Omnis Vtriuſq; Sexus, &c. ſiue de Statibus Vitæ Humanæ *à R.D. Leonardo Duardo Clerico Regulari Theologo, & V.I.D. compoſitum, cum additionibus P.D. Leonardi Duardi C.R. Nepotis, iuſſu A.R.P. Generalis percurrimus. Et nedùm nihil in eo, quod bonis moribus, ſanaq; doctrinæ aduerſetur inuenimus; verùm etiam ob ſolidiſſimam doctrinam, maximamq; morum conducibilitatem, vtpote à doctiſſimo, probatiſſimoq; viro, quiq; alijs, iamdudum vulgatis operibus, ſatis amplum de ſe ediderit ſpecimen, compilatum; digniſſimum quod lumen aſpiciat, immò lumen effundat, iudicamus. Neap. Domi noſtræ S. Pauli die 4. Ianuarij, anno 1666.*

D. Vincentius Capycius C. R. D. Benedictus Capycius C. R.

D. IOSEPH MARIA MARAVIGLIA CONGREG. CLER. REGVLARIVM PRAEPOSITVS GENERALIS.

H*Oc Opus poſthumum, cui inſcriptio* Commentaria in Cap. Omnis Vtriuſq; Sexus, &c. *à P.D. Leonardo Duardo Congreg. noſtræ Theol. ac I.V.D. compoſitum, & à Patribus, quibus id commiſimus, recognitum, & approbatum, vt typis mandetur, quoad Nos ſpectat, facultatem concedimus. In quorum fidem, &c. Datum Romæ die 17. Aprilis 1666.*

D. *Ioſeph* Maria Marauiglia Præpoſitus Generalis Cler. Reg.

Loc. † Sig. *D. Nicolaus de Lino Secr.*

E*Laborati, ac doctiſſimi Viri Leonardi* Duardi *Opus inſcriptum* Cōmentaria in cap. Omnis Vtriuſque ſexus Volumen. *Cum ſanis, ac optimis doctrinis, iuxtà noſtræ fidei, bonorumq; morum præſcriptum confertum reperierim Typis committi poſſe Eminentiſs. annuente arbitror die 1. Septemb. 1664.*

Can. D. Matthęus Renzi S.T.D. & Conſ. S.Off.

I*N Congreg. habita coram Eminentiſs. Dño Cardinali Philamarino Archiep. Neap ſub die 16. Septembris 1664. fuit dictum, quod ſtante relatione ſupradicti Reuiſoris, Imprimatur*

P. Carbinatus Vic. Gen. Neap. *Can. D. Mattheus Renzi S.T.D & S.Off. Conſ.*

ECCELLENTISS. SIG.

D*. Leonardo Duardo de Cherici Regolari eſpone à V.E. come deſidera ſtampare vn Libro, con Titolo* Summa ſummarum de Statibus Vitæ Humanæ, ſiue Commentaria in Cap. Omnis Vtriuſq; Sexus de pœnitentia, & Remiſſione in duo Volumina, & tres §§. diſtincta, Authore D. Leonardo Duardo Ord. Cler. Reg. Presbytero Theologo, ac V.I.D. cum additionibus D. Leonardi Duardi Cl. Reg. Nepotis. *Per tanto ſupplica V.E. ordinare à chi ſi debbia commettere per riuederlo, & l'hauerà à gratia, vt Deus.*

Reu. P. M. F. Paulus Sylos videat, & in ſcriptis referat.

De Soto Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 30. Octob. 1654. *Barrilis.*

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. DOMINE.

I*Vſſu E.V. legi Operam A.R.P.D. Leonardi Duardi Cl. Reg. quorum titulus eſt* Summa ſummarum de Statibus Vitæ humanæ, ſiue Commentaria in Cap. Omnis Vtriuſq; Sexus de pœnitentia, & remiſſione in duo volumina, & tres §§. diſtincta cum additionibus, &c. *eaq; vtpotè valdè elaborata, abſq; vllo huius Regni incommodo, & ſuorum iurium præiudicio, prælo mandari poſſunt. Datum Baruli die 7. Menſis Ianuarij 1655.*

Fr. Paulus Sylos à Bitunto Ord. Min. Conu. Magiſter, ac in Prouincia Diui Nicolai Perpetuus Diffinitor, &c.

Viſa ſupradicta relatione Imprimatur, & in publicatione obſeruetur Regia Pragmatica.

De Soto Reg. Burgos Reg. Martinez Reg.

Prouiſum per S. E. Neap. die 15. Ianuarij 1655.

Barrilis.

LEONARDI DVARDI
CLER. REGVL. VITA,

EX HISTORIIS CL. REG. CHRISTI ANN. 1643.

AVCTORE

R.P.D. IOSEPHO SILOS CLER. REG.

HAud mitior eodem hoc anno 1643. Neapoli in Sanctorum Apoſtolorum domo mors fuit: ereptis duobus, quà morum diſciplina, qua ſcientiarum adiumentis grauiſſimis, perindè, ac doctiſſimis viris, quorum alter die 29. Martij fuit.

Leonardus *Duardus* à morum laude, à pietate, & diſciplinæ vſu ſpectatus, & qui ſtudiorum præſertim fama, ac luce ſcriptiſque literarum monumentis præclara Doctorum hominum iudicia promeritus, nomen ſibi fecit, non ſanè mediocre. Serò Veneris inuenctæ Crucis Natus is eſt Manicalceati quod eſt in Abellinenſi Diœceſi oppidum; in ea Neap. Regni Prouincia, quam Principatum Vltra vocant, non longè Caprilia, vbi Paulus Pontifex Quartus, vnus ex noſtris Conditoribus cunas fertur habuiſſe. Editus autem in lucem eſt, dum rem Romanam Pius Quintus adminiſtraret; diuino nempè Conſilio, vt quo tēpore Optimus *Pontifex* perutiles conderet de Cenſibus, & Cābijs leges; is naſceretur, qui eaſdē ſubinde, quā doctiſſimè leges iuſtis Cōmētarijs explicaret. Genus illi non obſcurum. Enimuerò militem, quendam nobilem, *Duardum* nomine, cognomento Ducem, vt improbi *Anglorum* Regis iram effugeret, ex Anglia ferunt in Italiam traieciſſe, ductaque Florentiæ nobili coniuge; Stipendia ſub *Auguto* item Anglo, ſupremo Equitum *Ductore* meruiſſe. *Et* quòd Sanctiſſimorum Angliæ Regum Oduardi, & Eduardi ope furialem Regis impetum euaſiſſe, ſibi perſuaſum habuit, ad grati animi argumentū omiſſo *Ducis* cognomento, hærere familiæ ſuæ Duardi appellationē voluit: tùm filium Oduardum, nepotem Eduardum, vocari iuſſit: qui deindè ſub Carolo Tertio *Andegauenſi* caſtra exemplo Patris ſequuti Neapolitano in Regno ſubſtitere. Ab hac gente Duarda; Patre Alphonſo, vtroque iure conſultiſſimo, natus eſt Leonardus noſter Duardus, matre Iuſtina à *Luca*, pijſſima fœmina. Illud verò nō diſſimulandū: nam laborante à difficillimo partu matre, ità lucem aſpexit puer, vt conclamatus videri poſſet, puerpera ipſa *Semimortua*. *Aderat* Antonia Puteola, Iuſtinæ mater religioſiſſima, quæ cōceptis tùm quidem ad Diuū Hieronymū, cuius in eo conclaui effigiem viderat, precibus, & vitam exanimi partui, & incolumitatem ſuæ filiæ mirè impetrauit: planè, vt penè bis natus puer vtiliſſimum ſe fore mortalibus oſtenderit. Vel ab ipſa deinde infantia quandam domeſticis grauitatem morum, ac modeſtiam ad probauit: obſequio in parentes, ac cætera indole ſpectatus adeò, vt diſceſſurus aliquando è domo Pater, publico cuidam muneri procurando, audiuit *Placido* (hoc ſiquidem nomine primum appellatus, qui poſtea Leonardus) rem domeſticam, quamquam è pueritia vix enatauerat, commendare conſtituit. Is verò, ità rem geſſit, vt reuerſus deindè Pater compoſitam ad Cœnobij cuiuſdam formam domum repererit: nam reliquos minores natu filios, commutatis ad *Placidi* exemplar moribus, procul nugis, & qui id ætatis oblectant, luſibus, vacate pietati gratula-

tulatus vehementer eſt . Hinc, quod ingenio etiam preclarus adoleſcens efflorеſceret, non mediocri quidem incremento ſuæ domui fore illum, putauit Pater, ſi quę maximè fortunas augent legum ſtudia capeſſeret. Igitur Neapolim amandatus, ea quidem animi contentione gymnaſia frequentabat, vt primas nihilominus expoliendis moribus, ac religioni daret. Adire templa; Sodalitijs adeſſe; vſurpare ſępiùs ſacra, religioſis viris aſſueſcere: coniunxitq; inſigni cum vitæ innocentia, cultuque pietatis iuris vtriuſq; eruditionem; ac laurea deindè publicè, & cum laude ingenij eſt cohoneſtatus. Sentit illicò morum, ac ſtudiorum fructum Patria. Enimuerò qui perorare cauſas cœpit, in more habuit, vt ab opulentis quidem parcè, ac citra omnem auaritię labem aliquid lucri decerperet labor; à pauperum verò, ac viduarum patrocinio nihil ſibi prorſus accedere emolumenti vellet; inemptis omninò curis, aç ſtudijs. Admoueri hac literarũ, atq; integritatis fama, publicis magiſtratibus, ac munijs cõtigit: quę ſanè vſq; adeò nõ eius animũ cepere, vt cũ cerneret intuta omnia, ac plena aleę, receptui canere, ac religioſo ſe ſe inſtituto mãcipare cogitauerit. Nihil hoc Patri acerbius, qui ludi ſpes ſuas, & concepta ab egregia filij eruditione domeſtica cõmoda, nimium, quantũ ęgrè ferret. Illigare proinde alio, atq; alio nexu filiũ, ne ſeculi fugã adornaret ſtuduit. Locorum rectionibus implicito connubium etiam honeſtiſſimum, atque ab oppidorum ditione abundè lautum, ob oculos poſuit; ac tum quidem ille Sacramẽtum regis coactus euulgare, teneri ſe inquit caſtimonię voto, ne aures ad nuptias, animumque appelleret. Verùm, quòd negata vehementius cupimus contendere vires, ac neruos Pater, vt impetrato Pontificis nutu, eo Placidus vinculo ſolueretur: quod ille non tulit; ac monitus nocte diuina quadam voce, vt conſilium maturaret, Patre inconſulto, dilapſus domo, minoribus initiari ordinibus voluit ab Abellinenſi Epiſcopo, cui comperta viri indoles, ac legum facultas: adeò, vt eius etiam vti opera in adminiſtrando Vicarij nomine Epiſcopali munere voluerit: quas ille curas cum aliquandiù cum laude temperaſſet, quòd acritèr vellicaret pectus concepta ſemel Regularis Inſtituti mens, Neapolim contendit: neque diù deliberandum illi fuit, cui potiſſimum è Religioſis Ordinibus nomen daret: nam, qui Apoſtolica quadam viuendi ratione; cultuque ſacrorum, ac literis etiam florere Theatinam Congregationem nouerat, admitti in noſtra Sanctorum Apoſtolorum domo petijt; exceptuſque ſingulari Patrum approbatione, miſſus Capuã eſt, vt tyrocinium in ea domo poneret; Id quod parentibus accidit moleſtiſſimum, amiſſo, qui ſenium, ac domum ſuſtentaret: præſertim, quòd paulò ante Octauius, ſecundo loco genitus, eius item adhortamentis *Diui* Guglielmi Congregationi, cui à Monte Virgineo nomen, ſe ſe dederat appellatus Alexander, ac ſolennia iam nuncupauerat vota: vir poſtea à ſcientiarum præſidijs, à ſacra eloquentia, à geſtis in ordine magiſtratibus laudatiſſimus. Verùm quæ erat Placido vis pectoris, parentum lachrymas, ac ſanguinis, naturęque iura facilè ſuperauit.

In tyrocinio mirum, quæ ſtatim dederit in omni virtutum genere documenta: vt qui erat cœtera ea tyronum pube natu grandior, illis etiam morum laude præiuerit. Idque tum quidem accidit: Nam cum ad meliores Capuæ abijſſet Leonardus Onuphrius ex noſtris vitæ innocentia, humilitatis vſu, precũ ſtudio, ac cœtera virtute iuuenis lõge ornatiſſimus, id Patribus viſum, vt Placidus qui elato tunc Leonardo perſimilis videri poterat, Leonardus, & ipſe appellaretur: quo quidem id ſtatim percrebuit inter noſtrates Leonardum illum in altero hoc Leonardo reuixiſſe, morum nempè ſanctimonia, atque exercitatione virtutum. Porrò, qui votare diſciplinam, ac ardua videbatur, tentari morbo; ac præſertim ſtomacho cœpit; eoque adducta res eſt, vt addubitarent, an ſufficerent inſtituto vires. Peracerbũ hoc viro flagrantiſſimo: ac precibus agendum ratus, inſigni quadã animi fiducia ad Crucifixi Redemptoris effigiem ingenua prouolutus, ab eo prolixiùs petijt, vt incolumitatem, quoad ſolennia conciperet vota, reſtitueret: ea deinde corporis incommoda ſi poſtliminiò rediſſent, aut cumulari etiam voluiſſet; fore, vt ferret, quàm conſtantiſſimè. Impetrauitq; ſupra votum: nam, & tum quidem conualuit; & vſus ſubindè eſt ad ſummam vſque ſenectutem valetudine penè athletica:

ita

vt, & aſſiduam ſtudijs operam nauauerit, & nihil vnquam de vota ordinis diſcipli-na communique abſtinentia remiſerit.

Suſcepris ritè votis die Diuo Thomæ Aquinati Sacra, quem poſtea principe coluit ſtudio; ediſcere, quę Angelicus hic Doctor docuit, ac Theologica addere iuri pruden-tiæ in animum induxit ſuum: nam, qui trigeſimum ætatis annum, non dum exceſſerat, emetiri vegeto ad huc ſpiritu id curriculi poterat; abſoluitq; Sacræ Philoſophiæ ſpa-tium eo quidem ſucceſſu ac fructu, vt mutuò ſe ſe deinde iuuerint, ornauerintq; præ-ſtantiſſimæ facultates. A quibus eſſe in omnium oculis, ac non mediocri in honore apud viros principes cœpit. *Et* Mutinæ quidem, quo ſtatim allegatus, Alexander Car-dinalis Eſtenſis, noſtri Ordinis ſtudioſiſſimus, atq; inclyti nominis Princpes, Theologi ſui nomine honeſtatum, expiandæ etiam conſcientiæ admouit: tùm Iſabella, Sabaudiæ Ducis Soror, ac *D*ux Mutinenſium ſui etiam ſpiritus, ac Rectorem morum delegit: quo quidem auſpice, eos in perfectionis curſu progreſſus habuit lectiſſima Heroina, vt pompam omnem, & quicquid principum ſęminarum cultui, ac ſcenę deſeruit, contem-ptu mundi incredibili ablegauerit. Qua etiam laude incenſa Eleonora, Eſtenſis, *Du-cis* Soror, Venuſię Princeps, *D*uardo item *A*uctore, peroſa vitæ illecebras, vna cum præcipuis alijs eius Aulæ fœminis regulari diſciplinæ inter ſanctimoniales nomen dedit: cum interim reliquam Mutinenſem Vrbem confeſſionibus audiendis, reſtin-guendis ſimultatibus, cōponendis controuerſijs, atq; omni officiorum genere Leonar-dus demereret. Tantum autem Principum ſtudium id effecit, vt domicilium commu-taret. Enimuerò cum reſciuiſſet, Alexandrum Cardinalem vſque adeò in ſuæ do-mus cōmoda, honoremq; animarum, vt ſibi Infulas, Ioanni Vincentio fratri, qui egre-giā item pōtificio ac cæſareo iuri operam dederat honeſtiſſimā in Neapolitanis ſub-ſellijs togam impetrare à Catholico Rege cogitaret; rem non æquis auribus accepit: vtq; germani fratris cōſcientiæ periculis, ſuiq, conſuleret animi tranquillitati, eximiam Optimi Principis voluntatem eludendam abſceſſu duxit. Ea propter, prætextu ador-nato, id euicit à Patre Gener. vt Genuā immigraret. Perſpecta hic ſtatim viri virtus, ac eruditio, illumq; Horatius Cardinalis Spinula, *A*rchiepiſcopus *G*enuenſis, peracri vir iudicio, grauiſſimis rerum momentis ſtatim adhibuit, ac difficillimam præſertim eius Eccleſiæ cauſam, quæ, vt eſt controuerſiarum fatum, agitata diù non adeò ſecun-do Marte fuerat; ita Leonardus complexus ſuis ſtudijs eſt, vt finem illi, parta victoria, impoſuerit: iuſſitq; Cardinalis, vt quæ ille cauſæ firmamēta lucubrauerat, typis ad lucu-lentius trophœum excuderentur. Eius etiam iuſſu *P*ij *P*ontificis Quinti Conſtitutio-nem de Cambijs publicè explicauit: quæ poſtea Commentaria, ſpiſſum ſanè opus, in lucem edidit. Procurandum prætereà percelebre D. Sebaſtiani Gynæceum; Cui à Pa-pia nomen, ſuſcepit inſigni cum diſciplinæ, ac monialium fructu: quo quidem fructu in alijs etiam eiuſdem Vrbis monaſterijs egregiè deſudauit. Eò item impulit charitas, vt illorum tueri cauſas aggrederetur, qui in Cuſtodijs detine-rentur: valuitque adeò in eo patrocinij genere, vt aſſerta quàm plurimorum liberta-te, Diuus Leonardus audiuerit, cui id proprium, vt captiuorum compedes diſſoluat. *M*ediolani deindè ſuam adprobauit inſigniter operam ac ſtudia Federico Cardinali Borromeo, qui illum diutiùs licet reluctantem, inter principis templi Pœnitentia-rios adoptauit, ac nullo ad eximiæ doctrinæ teſtificationem examine. *A*derat, & in alijs Mediolanenſis eius Infulæ curis Cardinali, cui egregium illud opus in Bullam Cœnę *D*omini dedicauit. Moratus hic diù, alijs ſubindè Ciſalpinæ ſe ſe Galliæ Vrbi-bus impertijt. *N*am Bononiæ, Placentiæ, Mantuæ, Taurini, omnium ſibi *S*tudia adiun-xit; earumque Vrbium Antiſtites fructuoſiſſimis vigilijs ſuis inuit; ac pleriſque etiam religioſis familijs Moralem Theologiam, ſacroſque Canones explicauit. Neapolim hinc reuerſum, qui Capuanam Eccleſiam regebat Aloyſius Cardinalis Caetanus, eò illum euocauit, vt quà morum exemplis; quà doctrinis ſuos erudiret: iuſſuſque quæ-ſtiones de moribus è Superiore loco profiteri communis, cum eruditionis, atque Ec-cleſiaſticorum compendio. Quanti illum faceret Cardinalis Caetanus, conicctari hinc

Digitized by Google

facilè potuit,quòd impetrata à Pontifice neſcio,qua Epiſcopali Sede,ea illum augere cogitauit;qui tamen illicò agnouit,facilius factu fuiſſe,vt Pōtifex concederet,quam, vt annueret Leonardus, ab iſtiuſmodi honorū gradibus, atq,appellationibus alieniſſimus. Eadem deindè apud ſuccedentes Capuanos Archiepiſcopos in exiſtimatione fuit,nēpè Hieronymū Conſtantiū,& Camillū Meltiū purpuratum, apud quos auctoritate, conſilio,doctrina plurimum valuit. Et Meltio quidem nil triſtius accidit, quam elati Leonardi nūtius,ſicuti,datis cuidam ex noſtris literis,deſiderij plenitiſſimis,inſigni cum ſcientiarum,ac virtutum elogio ſignificauit.

Iam, qui exteris egregiam adeò operam nauabat, non mediocri etiam commodo, docendo, regendoque noſtris fuit. Tyrocinium non ſemel adminiſtrauit ſedulitate, ſtudioque incredibili:& cui illibati omninò mores,vis iudicij,ac ſingularis pietas inerat,formare ſurgētem tytonum indolem,atque ad omnem diſciplinam erudire, optimè nouerat.Cum refractario interdum adoleſcentum ingenio res illi fuit:in quo quidem,ita ardore quodam, Zeloque inflammari videbatur,vt perficeret opus ſuauitas, comitas, charitas; attemperata mirum in modum rigoribus facilitate. Hinc ad alios Ordinis gradus promouit. Nam, & Conſultorem, quæ præcipua inter noſtrates eſt præfectura, triennium egit; & Neapolitanæ Prouinciæ bis Viſitator, id grauiſſimi muneris quadriennium adminiſtrauit, & domibus etiam nonnumquā præfuit. Quas inter domeſticas,atque exteras curas,atque in ſumma ſemper ſtudiorum contentione profundè conſenuit vir egregius; vt moneret proprioris fati defectum iam viribus corpus. *A*c primò quidem viſus penè depoſitus Capuæ, vbi à graui morbo perindè decubuit, vt procuratus ſupremis ſacris,nil proprius fuerit, quàm vt expiraret. Quo tempore cum Aſcanius Cardinalis Philamarinus,*A*rchiepiſcopus Neapolitanus Capua pertranſiret,noſtrarum hoſpes;vbi ſupremò ægrotare *D*uardum inaudiuit,inuiſere, ac morienti bene præcari ſingulari quadam beneuolentia, ac pietate voluit: cui Leonardus,collectis tantiſper viribus,ac voce intermortua gratias habuit: neq: tum; quidem beneficium agnoſcere pronuntiauit, ſed fore, vt Neapoli etiam coram perſolueret. *D*elirum à morbo putauit Philamarinus, quando agere iam animam cerneret.verū non ità poſt multò ità conualuit,vt conferre ſe Neapolim,& conſalutare Archiepiſcopū Cardinalē nō ſine eius admiratione potuerit. Poſt hanc altera mox inſequuta eſt,atq;vltima mortis aggreſſio in SS. Apoſtolorū domo exuturus mortalitatē vbi religionis habitū induerat.Etenim dum hic typos ſuos bonus Senex proſequitur, ſentit adeſſe in foribus lethū.Excuſo nāq;volumine de Cābijs,cum,& aliud de Societatibus,quod duobus conſtabat libris, prælo ſubdidiſſet,iamque ex ijs libris alter eſſet ad calcem penè perductus, bene ſperare illum iuſſit typographus: prædiuinare namque ſe, ait, fore, vt integram eam ſcriptionem, & quicquid lucubrationum promptū haberet typis, ipſemet euulgaret:ſed tu,inquit Leonardus,egregiè falleris: Siquidem cum primas alterius huiuſce voluminis paginas corrigendas attuleris functum me vita reperies:quod accidit: enimuerò tentatus leui mox febricula, cum reſtitutus medicorum iudicio ſaluti videri poſſet, affirmauit ipſe contra, breui ſe moriturum: neque ſua illum fefellit ſententia; fatiſcentibus namq;viribus, ac ſupremis admotum,vera ceciniſſe vatem,agnouere.Ritè inūctus,incredibile dictu eſt,qua religione,ac ſpiritu ſuæ occurrit morti:plena intimæ charitatis verba proferre.hymnos à ſe compoſitos feſtiuè recitare:arreptoque ſuffixi *R*edemptoris ſigno,inter cōplexus, oſcula, lachrymas,piaſque cū eo alloquutiones animam,quàm religioſiſſimè efflauit: idque tum admirandum,quòd frigeſcente de more exanimi corpore calorem quendam non ſanè mediocrem vaporare cor videretur;durauitque ad ſequentem diem; vt Sacerdotale ipſum indumentum caleſceret. Index nempè! diuini amoris, qui viri pectus occupauerat,poſthumus ille calor fuit. *F*uere,& alia,quæ tūquidē cadauer honeſtarunt: nā cui ſubfuſcus viuenti erat vultus; mortuo neſcio quis venuſtauit obortus candor, & quædam etiam purpura, ac gemina veluti roſa: tùm mira membris facilitas inerat,vt pleriq;eius ſe manu cruce ſignauerint alliciebat, & ſpiranti veluti in

ore

ore pietas ad tumulum mortalium concurſus, atque impreſſa pio pignori certatim oſcula. Fuit, qui ſerui Dei effigiem exprimendam ſibi curauit: id quod non ſine eximio pictoris beneficio accidit. Indormierat is culpis ſuis: vt quiduis aliud cogitaret quàm coopertam flagitijs cōſcientiam expiare putabat nempè, grauiora ſua crimina, quàm, vt veniam impetrarent. Igitur nocte dum quieſcit ſpectandum ſe ſe illi dedit Leonardus, quem delineauerat, ore quidem tranquilliſſimo, ceu potitus iam Cœlo: & cur, ait, rem animæ ità negligis? I ad *D*iuæ Catharinæ: (templum hoc à formella vocant, quod ille frequentare, antequam religioni nomen daret, ſolitus erat) Eſt hic qui peccata audiet, delebitque: quod maturè pictor exequutus, Leonardo, cuius poſteà memoriæ addictiſſimus, bonæ mentis frugem, mutatoſque mores acceptos retulit.

*D*elibanda nunc paucis eius ſigillatim virtus, vt pænè de vultu agnoſcas. Vir fuit Leonardus vitæ integerrimus, vt exemplar æqualibus eſſet, dum in ſeculo ageret, incorrupti moris: geſtus, verba plena pudoris: ſemel immiſſam labe factandæ pudicitiæ mulierem voce, fronte, minis terruit, fugauitque. Vt puritati litaret connubium, opulentum id quidem, ſpreuit; vouitq; antequam ſolennia vota nuncuparet, caſtimoniam. In Ordine verò vſque adeò illibatus, vt dixerit aliquando ad Dei gloriam, nunquam ſe lethalis culpæ conſcium. *M*orum integritati comes, aut affinis eſt animi tranquillitas, quæ in Leonardo eximia, vt vultu etiā eluceret. *N*ihil vnquam illi adeò moleſtum, vt intimum pertubaret pectus; niſi, quòd à *Zelo* aliquando commoueri, atq; inardeſcere videretur: ac tum quidem breuem quandam fulgurationem illam dixiſſes; ità ſtatim priſtina redibat fronti ſerenitas. Accidit ſemel, cum Conſultorem Romæ ageret, vt Pater Generalis neſcio quid moliretur, quod libare non nihil inſtituta Leonardo videbatur. Monuit is permodeſtè: ſed cum hærere ſuæ illum ſententiæ cerneret, eò tandē efferbuit, vt concepto intimè quodam igne, arderent oculi, ac vultus: adeò, vt digreſſum conuenerint illum Collegæ, vt commotum vehementius animum componerent: quem tamen, mutato ſtatim oris habitu, perindè ſui compotem, pacatumq; reperere, veluti nihil acciderit ſubiti motus; miratique magnopere ſunt, tantam, tàm citò procellam ſubſediſſe: quod niſi optimę indoli nunquam acciderit, quæ ferè antequam incendatur reſtinguitur. Acer hic in eo Zelus communem potiſſimum ſpectabat legum obſeruantiam, quam exigere, dum præerat, & obire ipſe ad vnguem, conabatur ſeruantiſſimus nempè regularis diſciplinæ ad extremum vſque ſenium fuit. Aderat aſſiduus choro, interdiù noctuq; vel cum maximè implicitus ſtudijs, ac typis erat. Noſtra ieiunia in morbis ipſis tolerabat: non adeò implicari ſe vnquā negotijs permittebat, quin cōmuni ſtatis horis orationi intereſſet: ſi quid vilioris operis domi peragendū accurrere inter primos *L*eonardus eò libētiùs, ꝙ modeſtiam, ſuiq; delectionem exercere ijs actibus videretur: addictus namq; huic virtuti nimio quidem opere erat, vt aſpectu ipſo diceres, humilitati primas dare. In magna mortalium exiſtimatione nihil in eo faſtus, ac ſupercilij. Religionis gradus, quòd propriùs ſeruituti accedant, haud grauatè ſubibat: cæterum quicquid eſſet paulò ſplendidius, honoreſque exteros quo pectore auerſaretur, tētatus bis *I*nfulis, commonſtrauit. Tegere præterea ornamenta virtutum: laudari cōſcripta à ſe doctrinarū monumenta, haud pronis auribus accipere; eoque adduci nunquam potuit, vt quæ concinnauerāt viri docti, encomia, in ſuorū operum veſtibulo de more legerentur: delibare nempè percaram illi modeſtiam, videbantur carmina, & plauſus. Religioſæ item humilitatis ſpecimen paupertas erat, quam veluti ampliſſimum noſtri Ordinis patrimonium intimè adamauit. Modica cellulæ ſuppellex: vna, aut altera carthacea in pariete *D*iuorum effigies, ad quas preces conciperet: ea illi veſtis carior, quæ vetuſtior: ſacrarū precum codex, quoad annos circiter quinquaginta vſus eſt, vſq; adeò detritus, vt ſarciendum identidem illi eſſet, & quas tempus, ac ſenium adroſerant literas, adſcriberet ſua manu. *A*ſſuetus huic virtuti, vel à ſeculo, diuitiarum contemptu. Nam, & domeſtica commoda nihil penſi habuit: & quicquid lucri à geſtis magiſtratibus, aut à cauſarum patrocinio exiſteret, munifica erogabat manu pauperibus, tantum abeſt, vt auarè ſtatueret pretium arti ſuæ, aut emptus ipſe pecunia, iuſtitiam venderet.

Nun-

Digitized by Google

Nunq uam ſine *A*fflictatione corporis paupertatis ſtudium: nam quæ durior eſt ex ſe virtus, gaudere duris ſolita eſt. Nihil tam à Leonardo alienum, quàm habere ſe molliùs, atque indulgentiùs. Somnus illi perparcus; ſolitus, vt pietati, ac ſtudijs vacaret, preces noſtras antelucanas, vt anteuertere. *A*bſtinentiam in communi menſa, vt tegeret, mandere ac veſci dexteritate quadam ſimulabat. Si quando diſcumbere apud viros proceres contigiſſet, ſciuerat in eo epularum apparatu parſimoniæ litare, vno, aut altero contentus ferculo: planè, vt famem aſperaret copia, ac pompa. Quod geſtabat aſſiduò cilicium integebat extimè ſimplici tela; ceu linea, quædam eſſet faſcia, non affictando corpori ſetæ: nempè, vt in morbis oculos falleret valetudinarij: quod quidem tormenti genus adpreſſum nudis membris repertum, poſtquam è viuis exceſſit. Hinc affectuum in eo frænum, ac domita naturæ indoles, ſtudiumq; in conſanguineos quod qui vicerit, næ ille ſeipſum haud inſtrenuè triumphauit. *A*brupiſſe Leonardus cum ipſis omninò commercium videri poterat, quando vicenos annos vel eò ampliùs ab ijs inuiſendis, alloquendiſq; abſtinuit. Semel pro domorum noſtrarum inſpectione ad Salentinos iter intendens; ſi tantiſper, hoc eſt, quingentis non ampliùs paſſibus deflexiſſet viam, conſalutare eos poterat, ſed noluit ſupra carnem, & ſanguinem fortis. Vir quidam princeps monuit aliquando illum, in quadam nepotis mulcta longè ſe mitiùs egiſſe, ipſius nempè cauſa. Tunc ille vehementer incenſus, ac ſellam ſurgens: at mihi, inquit id maximè in votis, vt cum mei peccant, promeritis puniantur; in quorum cauſa ne verbulum ſanè impenderem; vt ſuus ſit æquitati locus. *A*derat verò ijs, cum res animæ poſceret; curabatq; conſanguineorum mores, ac pietatem impenſiùs. Neptis, cui Iuſtinæ nomen, conſilium ineundæ religionis omni ope iuuit: cumque germani fratres, qui illam connubio deſtinauerant, obſtinatiùs obluctarentur, quadã ipſe indignatione in ea erupit verba: Cœlum vincet, non vos. Quod accidit: ſiquidem non ità poſt multò deſijt viuere Iuſtina: floruitque Cœlo longè pulchriùs Virgo.

Neque diſſimulanda viri charitas, qua nulli non mortalium generi vectigales fecerat vigilias ac labores ſuos In audiendis confeſſionibus, formandis moribus, dirimendis controuerſijs, mutuiſq; diſſidentium odijs ſedandis multus fuit. Quod autem generoſior, ac ſanctior charitas, quæ in hoſtes impenditur, illud in Leonardo oppidò laudandum. Graſſatorum manus, facto impetu, fratris domum, cui nomen Cæſar, inuaſere: miſcere per ſummam immanitatem omnia: quicquid inibi ſuppellectilis, quicquid erat facti, ſignatique argenti, expilarunt, contrucidato miſerandum in modum Cæſare ipſo, ac nepote adoleſcentulo. Inuehi in atrox facinus Magiſtratus: & quando dilabi homines ſceleſtiſſimos, facilè fuit; animaduertere in conſanguineos, eorumq; domos, ac fundos, excindere, atque exilio mulctare decreuit. Ad hæc Leonardus eorum partes ſuſcipere, prenſare, orare: effecitque, vt ſententiam *I*udices mutarent: tùm fratrem alterum monuit, vt *D*eo iudici negotium permitteret. At non diſtulit ſupplicium diuina Nemeſis: nam dum ſoluti metu, vino indulgent viri improbi, à lictoribus ex inopinato intercepti, meritam dedere pœnam, diſcerpti ad vnum omnes.

Recenſenda poſtremo loco religio, quę virtutum princeps: Dei, Diuorumque cultu nihil Leonardo religioſius. In auguſtiſſimam Dei Matrem præcipuò quodam ſtudio ferebatur Id illi pergratũ, peti à ſe aliquid eius nomine: nihil ſiquidem illo tunc promptius, atq; alacrius. E Diuorum cenſu quos intimè colebat; in eorum laudem hymnos compoſuerat cũ latinè, tũ *I*talico rithmo longè pijſſimos; canebatq; identidem viri affectus amoreſq; Sanctior muſa. Principe item ſtudio auguſtum Euchariſtiæ Sacramentũ venerabatur. Quoties tranſire per arã Euchariſticã contingebat, vel in profundo ipſo ſenio affixis humi genib⁹ adorabat; hęrebatq; ità aliquãdo terræ, vt niſi magno conatu ſurgere vix poſſet. Teſtandæ huic in S. Euchariſtiam pietati illud ſanè notatu dignũ, quod Franciſci *P*eriti, *A*rchipresbyteri Manicalceaſẽſis, viri inſigniter probi, narratione ac fide accepimus. Enimuerò cum ex medicorũ conſilio inter Euchariſticas ferias Patriã adijſſet Leonardus, vt morbi reliquijs profligandis Cęlum mutaret, adfuit Eccleſiæ, cum diuinũ Chriſti Corpus publicæ religioni exponeretur; eaq; is animi deuotione,

ne, ac ſtudio ora in tantum Sacramentum defixit, vt quem modo appellaui, Archipres-
byter, liquidiſſimam quandam lucem, ac veluti fulgur emicare ab eius aſpectu vide-
rit: planè, vt irradiato mirè vultu, non hominem, ſed angelum repræſentaret. Hæc il-
le, obſignata ſua manu ſyngrapha, perſanctè affirmauit.

Orationi, quæ præcipuum religionis munus, nunquam viſus prætermiſiſſe: vel cum
iter ageret, ſciuerat ſe ſe colligere, vt mente vacaret Deo. Eiuſmodi verò diuinorum
commentationes vna cum reliquis Patribus obire, hoc illi iucundiſſimum: Capua
Neapolim ſi fortè aliquando adueniret, quo tempore id communis orationis perſol-
uerent vna ſimul Patres, aderat ipſe continuò penulatus, ac puluerulentus augebatq;
orantium numerum. Quominus diuina precum penſa, Marianum nempè officium, ac
ſertum, Diuorum laudes, ac mortuorũ ſuffragia de more recitaret, nõ amicorũ officia
nõ aſſiduæ illũ curæ impediebant: expedire ſe ſe anxiùs videbatur, vt in tẽpore perſol-
ueret, atq; interdũ congeminaret. Quæ verò eius orationi vis inerat, impetratis bene-
ficijs dicere, ac docuere nõ pauci. Vnũ hic referã. Exercebat neſcio quis implacabiles
cum altero inimicitias. Auerſari pugnaciſſimè concordiam: adhortamenta, minæ fru-
ſtra erant. Adhibitus Duardus, vt expugnando pectori ſua etiam machina vteretur.
Verùm cũ actũ ageret; cũ Deo, inquit, agẽda res eſt; ac digreſſus, orationi ſe dedit. Nec
mora: pulſatus intimè vir pertinaciſſimus, dedit manus; ſe quidem, inquit, impetu quo-
dam, certè actum Numine, inimico, ex animo parcere: accitumque Leonardum, cu-
ius id precibus ipſemet tribuebat, monuit, vt rem conficeret, offeretq; petenti pacem.

Hac potiſſimum precum vi defunctorum cauſas apud Deũ perorabat: nec ſatis illi
commiſerari luſtrales eas flammas, niſi gemitu etiam, atque aſſidua oratione eripere
ſupplicijs pios Manes contendiſſet. Patri cum primis hac ope adfuit. Mediolani age-
bat Leonardus, cum Alphonſum (hoc Patri nomen) ſupremum obire diem contigit:
& qui nouerat, filium in mortuorũ ſuffragia proniorem, ſtatim in eius ſe ſe conſpectũ
dedit, dum quieſceret: monitq; funeris, & cruciatuum: nam quamuis inquit, expiatus,
procuratuſq; ſupremis ſacris exceſſiſſet è viuis, luẽda, nihilominus in Purgatorio igne
non pauca, ac diù, erant: iuuaret proinde parentem filius aſſidua prece ſacriſq; piacula-
ribus. Cum verò commendare ſe Leonardo per ſomnum pergeret, de cotidianis etiã
labeculis illum monere ſolitus erat, vt emendaret, atque irrogandas olim pę-
nas euitaret. Non ſegniùs ille tantæ Patris neceſſitati conſulere: nulli piorum operum
pręſidio parcere, vrgere Diuorum opem, hærere aris; ac tandem poſt annos circiter
decem viſus illi Pater gloria circumfuſus, qui gratias ageret, quòd acerrimis defun-
ctus ſupplicijs, alta tandem meruiſſet filij ſuffragijs, & contentione precum.

A quibus illud etiam Leonardo contigit, illuſtrari videlicet mentem, vt arcana, ac
futura peculiari Dei munere, ac luce proſpiceret. Nonnulla eiuſmodi exempla attigi-
mus: denarranda adhuc duo. Iuſtinam, Horatij à Luca Caſtri pagani Domini coniugẽ,
ſollicitam vehementer habebat edendus propè diem partus: quam Leonardus bono
eſſe animo iuſſit: vocaret Andreæ nomine puerũ, futurũ nẽpè a moribus angelum, in-
gentiq; parentibus ſolatio. Ergo enixa eſt virilis Sexus ſobolẽ mater; appellatuſq; An-
dreas, vaticinio vitæ innocentia reſpondit. Alterum domeſticum fuit: Duobus omni-
nò filijs ſupra viginti auctus Leonardi frater eſt: ex ijs vnum ſolummodo, cum in cu-
nis adhuc eſſet, prædixit, fore, vt Theatinum inſtitutum capeſſeret: id, quod quatuor-
decim poſt annis accidit, audiuitque in Ordine Leonardus, vt meminiſſet expri-
mere Patruum moribus, quem nomine repræſentaret. Illud autem haud minùs admi-
randum. Nam quæ verſatilis, ac mollior eſt puerorum indoles, dum blanditias domus,
ac nutricis pręſertim affectus, atq, in diſceſſu lachrymas animo euoluit, Leonardus vſq;
adeò affici viſus eſt, vt tædio primũ diſciplinæ correptus, mox inſtitutũ abijcere cõſti-
tuerit. Igitur Simulare morbũ, doloreſq; intimos: adeò, vt procuratus arte vultus, ac
languor medicos ipſos fefellerit; qui attritis pueri viribus nihil perindè infeſtum,
pronuntiarunt, ac Religionis incommoda. Moleſtiſſima hæc bono Seni denuntiatio, &
cui familiares preces erant, & ab ijs fiducia, non ſe deſtituit. Oratitum nepotem, qui le-
cto

ɫo extorquendæ fidei attinebatur, conuenit. Et age, inquit, ne me ludas; vel medicorum iudicia luſiſti. Simulas hæc tu, ac decipis; at reuera domus commoda, atq; illæ præcipuè nutricis blanditiæ, ac lachrymæ à noſtra te diſciplina reuocant. Quid? Dei amorem poſt nutricis affectum habes? Hęc, aliaque, quę nulli mortalium aperuerat, vt agnouiſſe *Patruum*, aduertit puer, obortis confeſtim lachrymis, fateri ingenuè, quod erat, conceptæq; perperam mentis pœnituit. Tùm Leonardus, implorato *Sanctæ* Trinitatis nomine, ter luſtrali aqua nepotem reſperſit; qui mutari tunc intimè ſenſit, abacto mærore animi, affuſa menti luce, perſanato penitùs pectore, quod domeſticæ illæ nugæ vitiauerant, atq; obfirmato in *Dei* obſequio, quòd iam abiecerat propoſito.

Deſcribere reliquam eius virtutem parcimus: abundè hęc ſanè, quæ diximus; niſi quod indefeſſus viri labor calamum tantiſper moratur. Planè, qui nihil de communi obſeruantia decerperet, externis etiam curis implicitus, tantum lucubraſſe operum, credi, vix poſſet, niſi lucubraſſet; præſertim, quòd ſine amanuenſi ſua ipſe manu ſcriberet. Temporis nempè comparcus, nullum ſibi dilabi momentum ſine linea ſinebat. Nullæ otioſo feriæ: inſiſtere, vrgere ſuam ſpartam. Vtramque Philoſophiam, naturalem nempè, ac ſacram proprio marte compoſuit: extantque hæc ſcripta digna luce. Leguntur autographa trecenta in grauiſſimarum rerum controuerſijs conſilia, varias de cenſuris, de *Vſuris*, alijſque Sacrorum Canonum materijs diſſertationes conſcripſit. Edidit verò in lucem iuſtum in Bullam Cœnæ *Domini* volumen: alterum in Pij Quinti Extrauagantem de Cambijs. In eiuſdem Pontificis conſtitutionem de Cenſibus tomos duos. De Societatibus tomum vnum. In capit. Omnis Vtriuſque Sexus de Pœnit. & Remiſſ. tomos duos. Quæ quidem vigiliæ an rem literariam adauxerint, eaſque probauerint viri docti, reperiri ſæpiùs typi, ac paſſim laudes teſtantur. Sed hęc hactenus, de Leonardo Duardo, & vitæ innocentia, & doctrinarum adiumentis inter noſtrates ſpectatiſſimo.

Digitized by Google

INDEX
IN §. I. ET II.
DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM
HVIVS PRIMI TOMI.
IN CAP. OMNIS VTRIVSQVE SEXVS.
De Pœnitentia, & Remiſſione, & de Sanctiſſima Euchariſtia.

D I S P. I.

IBI *Omnis, &c.* De præcepto confeſſionis annuæ, & de perſonis, quæ præcepto ligantur.

S E C. I.

An præceptum confitendi ſemel in anno per Concilium Lateran. Fidelibus conſtitutum, ita ſit Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum.

S E C. II.

An ſub præcepto confeſſionis annuæ ita comprehendantur omnes, vt comprehendatur etiam Romanus Pontifex.

S E C. III.

Ibi, *Vtriuſque ſexus*. An Hermaphroditi tantũ comprehẽdantur ſub diſpoſitione noſtri canonis.

S E C. IV.

An præceptum annuæ confeſſionis ſi fieret maſculis extenderetur ad fœminas.

S E C. V.

Ibi, *fidelis, &c.* An ſub præcepto noſtri canonis, & ſic confeſſionis annuæ comprehendantur cathecumini.

S E C. VI.

An hæretici, & Apoſtatæ à fide ligentur præcepto confeſſionis annuæ, in noſtro canone contento.

S E C. VII.

Ibi, *Poſtquam ad annos diſcretionis, &c.* In quo nam ętatis anno incipit obligare fideles pręceptum confeſſionis annuæ; Quæ nam dicatur ætas diſcreta, & quot ſint eiuſdem gradus.

S E C. VIII.

An quis poſſit eſſe capax præcepti confeſſionis annuæ, cùm tamen in aliqua materia ſpeciali ſit omninò rationis expers.

S E C. IX.

De cauſis excuſantibus fideles a præcepto confeſſionis annuæ.

D I S P. II.

Ibi, *Omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter, &c.* De qualitate confeſſionis annuæ, eiuſdemq; conditionibus requiſitis ad ſatisfaciendum præcepto noſtri can.

S E C. I.

An adimpleatur præceptum confeſſionis annuæ per confeſſionem inualidam.

S E C. II.

An præceptum confeſſionis annuæ impleatur per confeſſionem validam, ſed informem.

S E C. III.

An detur confeſſio valida, & informis.

S E C. IV.

In quibus caſibus detur confeſſio valida, & informis.

S E C. V.

An ſuppoſito dari Sacramentum validùm, & informe, ſublata fictione, redeat effectus gratiæ, & qualiter auferatur ipſa fictio, & de ipſius effectibus.

S E C. VI.

An confeſſio valida, & informis dari poſſit de peccatis venialibus.

S E C. VII.

Quot, & quas conditiones exigat confeſſio ad adimplendum præceptum confitendi ſemel ſaltem in anno.

D I S P. III.

Ibi, *Omnia ſua, &c.* De integritate confeſſionis ſacramentalis, tùm ſecundum ſe cõſiderata, tùm etiam Ad implẽdum præceptum noſtri canonis.

S E C. I.

An confeſſio Sacramentalis debeat eſſe integra omnium peccatorum, in pœnitentis conſciẽtia exiſtentium.

S E C. II.

An peccatorũ ſpecies pertineant ad integritatẽ confeſſionis ſacramentalis.

S E C. III.

An peccatorum circumſtantiæ pertineant ad integritatem confeſſionis.

S. E C. IV.

An ad integritatem confeſſionis pertineat diſtincta peccatorum numeri explicatio.

S E C. V.

De numerica peccatorum vnitate, ac diſtinctione.

S E C. VI.

An per interruptionem actus interni durante continuatione actus externi, multiplicetur peccatum externum.

S E C. VII.

An è contra per interruptionem actus externi cum continuatione actus interni multiplicetur peccatum externum.

S E C. VIII.

Ibi, *Sua*, An ad integritatem cōfeſſionis pertineāt nō ſolùm peccata propria pœnitentis, ſed etiam aliquando aliena, nempè eiuſdem complicis.

S E C. IX.

An liceat Confeſſario vti notitia confeſſionis de licentia pœnitentis ad corrigendū cōplicem, vel in bonum aliorum.

S E C. X.

An quādo crimen perſonę circa quam pęnitēs commiſit peccatum, fuit publicum in vno loco, poſſit licitè in alio illud in confeſſione explicare manifeſtando perſonam.

S E C. XI.

An aliquādo Confeſſarius vti poſſit notitia cōfeſſionis citra licentiam expreſsā pœnitentis ad bonum, & emendationem complicis, vel ad impediendum aliquod damnum in bonū ipſius complicis.

D I S P. IV.

Ibi, *Solus*, De modo faciēdi cōfesſionem ſacramentalem ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ.

S E C. I.

An cōfesſio debeat fieri ſecretò ad ſatisfaciēdū præcepto cōfesſionis annuæ in noſtro canone contento.

S E C. II.

An præcepto ſtatui poſſit, vt ſacramentalis cōfeſſio publicè fiat.

S E C. III.

An ſacramentalis confesſio proprio tantum ore ſit facienda: vel etiam alieno fieri poſſit; nempè per interpretem, aut nuncium: & an valida ſit ſi nutu, ſcriptura, vel epiſtola fiat.

S E C. IV.

An teneatur quis per Interpretē, vel p ſcripturam confiteri, cùm aliter confiteri nō poſſit.

D I S P. V.

Ibi, *ſemel ſaltem in anno*, De tempore, quo ſit adimplendum præceptum confesſionis noſtri canonis.

S E C. I.

An præceptum confesſionis annuæ oblicet in aliqua determinata parte anni, & qualiter annus ſit computandus.

S E C. II.

An qui non impleuit præceptum Eccleſiaſticū confesſionis intra annum, teneatur ſtatim cōfiteri in ſequenti anno.

S E C. III.

An qui diſtulit confesſionem vſque ad diem Paſchatis dicatur ſatisfeciſſe præcepto confesſionis annuæ per ſe.

S E C. IV.

An qui in præsēti āno cōfitetur initio Quadrageſimæ, & in ſequenti in fine ſatisfaciat præcepto ānualis confesſionis, in noſtro canone contento.

S E C. V.

An qui confesſionem præſentis anni diſtulit in principium anni ſequentis, poſſit vna, & eadem præcepto vtriuſque anni ſatisfacere.

S E C. VI.

An qui in confesſione præſentis anni omittat aliqua peccata per obliuionem, aut ex alia iuſta cauſa, teneatur illa confiteri cùm primū poſſit: vel poſſit differre in ſequētē annū.

S E C. VII.

An aliquo caſu teneatur fideles anticipare cōfesſionem antequam annus compleatur.

D I S P. VI.

Ibi, *fideliter confiteatur*. De fidelitate cōfesſionis annuæ, quatenus mendacium permixtum non habet.

S E C. I.

An mendacium in ſacramentali confesſione prolatum, inualidam eam reddat.

S E C. II.

An accedens ad Confeſſarium, cui dicat velle omnium ſuorum peccatorum generaliter confeſſionem facere: & inter confitendum ab eo interrogatus, an hoc, uel illud peccatū mortale alias fuerit confeſſus, affirmatiuè mentiendo reſpondeat, confeſſionem inualidam faciat.

S E C. III.

An pœnitens faciat contra fidelitatem cōfeſſionis, ac mortaliter peccet, confitendo uenialia peccata ordinario Confeſſario, & mortalia alteri.

D I S P. VII.

De fidelitate confesſionis annuæ, quatenus ex cordis dolore prouenit, atque ideò de contritione, & attritione.

S E C. I.

De diuiſione contritionis.

S E C. II.

De Definitione quid nominis contritionis, tàm perfectæ, quam imperfectæ, ante, & poſt legem Euangelicam conſideratæ.

S E C. III.

De Definitione eſſentiali perfectæ contritionis

ſecun-

ſecundum ſe, & ante legem Euangelicam conſideratæ.

S E C. IV.

De Definitione eſſentiali contritionis perfectæ, vt pars eſt Sacramenti pœnitentiæ, & poſt legem Euangelicam conſideratæ.

S E C. V.

De Definitione eſſentiali contritionis imperfectæ atque ideò attritionis.

S E C. VI.

De quantitate contritionis, tàm perfectæ, quã imperfectæ.

S E C. VII.

An de ratione contritionis ſit, vt deteſtatio cadat in omnia peccata diſtinctè recogitata, ſiue contritio perfecta ſit, ſiuè imperfecta, & ſic attritio.

S E C. VIII.

An ad contritionem exigatur formalis peccatorum deteſtatio, vel ſatis ſit virtualis.

S E C. IX.

An ad contritionem, tàm perfectam, quàm imperfectam, & ſic ad attritionem exigatur propoſitum formale non peccandi in futurum, vel ſufficiat virtuale.

S E C. X.

De neceſſitate contritionis, tàm perfectæ, quã imperfectæ, & ſic attritionis.

S E C. XI.

Contritio perfecta, & imperfecta, ſic attritio in quibus inter ſe conueniant, & in quibus differant.

D I S P. VIII.

Ibi, *Proprio Sacerdoti*. De Miniſtro confeſſionis annuæ vi noſtri canonis præcepto.

S E C. I.

An aliquo caſu non ſolùm Sacerdoti, ſed etiam Diacono, Subdiacono, vel Laico confeſſio fieri poſſit ad implendum præceptum noſtri canonis.

S E C. II.

Sacerdos proprius quis nam dicatur, cui facienda ſit confeſſio ad implendum præceptum noſtri canonis.

S E C. III.

An proprio Sacerdoti vnuſquiſque teneatur confiteri, ità vt nullus cenſeatur exemptus.

S E C. IV.

An aliqui ſint, qui proprium Sacerdotem non habeant, ab eiuſdem ordinaria iuriſdictione in pœnitentiali foro exempti, & Confeſſariũ eligere ſibi valeant.

S E C. V.

An dentur caſus, in quibus alijs fidelibus præter enumeratos in præcedenti ſec. licitum ſit de iure, aut conſuetudine aliqua Confeſſarium ſibi eligere citra proprij Sacerdotis licentiam.

S E C. VI.

Confeſſarij electi à quibus caſibus, & cenſuris abſoluere poſſint ipſos eligentes.

S E C. VII.

An proprius Sacerdos poſſit ſuam iuriſdictionem, quam habet in pœnitentiali foro in ſuos ſubditos, alteri delegare.

S E C. VIII.

An per proprium Sacerdotem delegatio in pœnitentiali foro fieri poſſit, non ſolùm expreſsè; ſed etiam tacitè præſumptiuè, titulo putatiuo, conſuetudine, & per ratihabitionem.

S E C. IX.

An Delegatus ad audiendas confeſſiones vltra Delagatam ſibi iuriſdictionem, exigat etiam approbationem ab Ordinario, vt confeſſiones audire valeat.

S E C. X.

An Sacerdos approbatus ad audiendas confeſſiones poſſit repugnantibus Parochis, audire fidelium confeſſiones in Quadrageſima.

S E C. XI.

An proprius Sacerdos, qui approbandi Confeſſarios facultatem habet ad audiendas ſuarum ouium confeſſiones, poſſit ſibi abſolutionem reſeruare ab aliquibus caſibus, & cenſuris.

S E C. XII.

Quæ nam peccata reſeruari valeat.

S E C. XIII.

An peccatorum reſeruatio facta citra iuſtam cauſam licita ſit, & valida.

S E C. XIV.

An reſeruatio alicuius caſus etiam in articulo mortis validè fieri valeat.

S E C. XV.

Qualiter Prælatus gerere ſe debeat circa abſolutionem à caſibus reſeruatis.

S E C. XVI.

Quiſnam per ſe, ac directè facultatem habeat abſoluendi à reſeruatis.

D I S P. IX.

Ibi, *Et iniuctam ſibi pœnitentiam, &c.* De ſacramentali ſatisfactione, atque ideò de ſatisfactione ex opere operato quoad forum internum.

S E C. I.

Quid ſit ſacramentalis ſatisfactio.

S E C. II.

An mulcta à Sacerdote iniuncta, & opera, quibus redimitur debitum pœnæ poſt remiſſam culpam, ad hoc vt ſint ſatisfactoria debeant fieri ab homine exiſtente in gratia.

S E C. III.

Quæ nam opera imponi poſſint à Confeſſario pœnitenti in ſatisfactionem pœnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam.

S E C. IV.

An Confeſſarius teneatur condignam ſatisfactionem imponere pœnitenti, & quam menſuram ſeruare debeat.

S E C. V.

An pœnitens teneatur ſatisfactionem ſibi impoſitam acceptare, & acceptatam implere.

S E C. VI.

An ſatisfactio à Confeſſario impoſita poſſit per alium impleri.

S E C. VII.

Qui nam poſſint ſatisfactionem impoſitam interpretari, tollere, mutare, vel ſuper eam diſpenſare.

D I S P. X.

De ſatisfactione ex opere operato extra Sacramentum pœnitentiæ, & ſic de Indulgentijs, ſeù remisſionibus.

S E C. I.

De definitione indulgentiæ.

S E C. II.

An indulgentia ſit res odioſa, vel fauorabilis, atque ideò, an ſtrictè, vel amplè ſit interpretanda.

S E C. III.

De multiplici diuiſione Indulgentiæ, & qualiter differat à Iubilæo.

S E C. IV.

Quo iure ſint indulgentiæ, & qui concedendi illas facultatem habeant.

S E C. V.

An poteſtas, quam habet Eccleſia concedendi indulgentias, ſit ordinaria, vel delegata.

S E C. VI.

An Rom. Pontifex, & alij Prælati exiſtentes in peccato mortali facultatem habeant concedendi indulgentias.

S E C. VII.

An Rom. Pontifex, & alij Prælati habentes poteſtatem concedendi indulgentias, poſſint illas ſibi ipſis concedere.

S E C. VIII.

An Roman. Pontifex, & alij Prælati poſſint concedere indulgentias citra omnem legitimam cauſam.

S E C. IX.

An ſuppoſita cauſa pia, ac proportionata exigatur etiam ad concedendas indulgentias, vt imponatur opus aliquod cui ſint quærendæ.

S E C. X.

An opus ad indulgentiam poſtulatum debeat eſſe honeſtum in indiuiduo

S E C. XI.

An opus ad indulgentiam expoſtulatum debeat eſſe externum; vel ſufficiat, ſi ſit internum.

S E C. XII.

An opus expoſtulatum ad obtinendam indulgentiam debeat adimpleri cum intentione lucrandi illam.

S E C. XIII.

An opus iniunctum ad acquirendam indulgentiam ſcitam ab eo, cui quærenda eſt, faciendum ſit intentione principali, vel æquè principali ad illam aſſequendam.

S E C. XIV.

An qui per aliquam impotentiam phyſicam, vel moralem non poteſt confeſſionem facere à Iubilæo præſcriptam, ſed contritus alia opera adimpleat, aſſequatur illud.

S E C. XV.

An ſi ad indulgentiam aſſequendam poſtuletur communio, & expreſsè non poſtuletur confeſſio, confeſſio ipſa prærequiratur.

S E C. XVI.

An quando indulgentia conceditur contritis, & confeſſis actualis confeſſio præmittenda ſit ad eam aſſequendam.

S E C. XVII.

An ſi ex forma indulgentiæ expoſtuletur confeſſio, & quis nõ habeat, niſi venialia, teneatur confeſſionem præmittere ad indulgentiam aſſequendam.

S E C. XVIII.

An ſi vi indulgentiæ expreſsè expoſtulentur confeſſio, ac communio ſimul, vt conditiones neceſſariæ ad eam aſſequendam, volens lucrari indulgentiam, teneatur præmittere non ſolum communionem, ſed etiam confeſſionem, etiam ſi venialia tantum habeat.

S E C. XIX.

An opus vi indulgentiæ expoſtulatum ſi non impleatur totum ſed eius aliqua pars prætermittatur, aſſequatur indulgentiam.

S E C. XX.

An opus ad indulgentiam aſſequendam poſtulatum, ſit omninò adimplendum ab eo, cui quærenda ſit indulgentia: vel poſſit per alium adimpleri.

S E C. XXI.

An ſi indulgentia expoſceret eleemoſynam ad eam aſſequẽdam; & quis eleemoſynam præciperet dari à ſeruo, qui tamen ſibi retinuit eademque non fuerit elargitus, indulgentiã lucrabitur.

S E C. XXII.

An quando ex vi indulgentiæ, ſeù Iubilæi expoſtulatur ſimpliciter, ac indeterminatè eleemoſyna, hæc facienda ſit iuxta facultates eius, cui indulgentia quærenda eſt.

S E C. XXIII.

An ſi vi indulgentiæ, ſeù Iubilæi expreſsè expoſtuletur, vt eleemoſyna elergiatur iuxta facultates cuiuſq, eleemoſyna ipſa, ſi iuxta facultates non elargiatur indulgentia obtinebitur.

S E C. XXIV.

An pauperes, qui ad aſſequendam indulgentiã non poſſunt elargiri eleemoſynam vi indulgentiæ

Digitized by Google

gentiæ expoſtulatam, egeant commutatione in aliud opus pium.

SEC. XXV.

An ſi vi indulgentiæ expoſtuletur eleemoſyna, & monachus, qui vellet eam aſſequi non poſſet eleemoſynam à ſuo Prælato conſequi, poſſit propria auctoritate de bonis monaſterij illam tribuere.

SEC. XXVI.

An ſi indulgentia expoſtulet eleemoſynam ad eam aſſequendam, ſatis ſit elargiri eleemoſynam ex voto, vel ex præcepto naturali debitam.

SEC. XXVII.

An ſi indulgentia expoſtulet eleemoſynam, ad eam aſſequendam ſatis ſit, ſi exoluat eleemoſynam ſpiritualem, nempè remittendo iniuriam inimico, &c.

SEC. XXVIII.

An opus ad indulgentiam aſſequendam debeat adimpleri determinato tempore iuxta formam conceſſionis.

SEC. XIX.

An qui ſcienter, ac ex malitia prætermittit opera præſcripta in Iubilæo, poſſit vltima die illud lucrari, & dicta opera à Confeſſario commutari.

SEC. XXX.

An pueri ex defectu ætatis ſanctiſſimam Euchariſtiam percipere non valentes, aſſequãtur indulgentiam eam præcipientem cõmunicando ſpiritualiter.

SEC. XXXI.

An Confeſſarius ex rationabili cauſa poſſit differre pœnitenti abſolutionem, & ſacram communionẽ vltra tempus in Bulla ſtatutũ per aliquas hebdomadas; ita vt ipſe pœnitẽs poſtea indulgentiam aſſequatur.

SEC. XXXII.

An pœnitens, cui ex iuxta cauſa fuerit dilata abſolutio poſt tempus à Iubilæi Bulla definitum, ſi incidat in nouos caſus reſeruatos, & noua vota emittat, poſſit Confeſſarius illos abſoluere, & hæc commutare.

SEC. XXXIII.

An indulgentia conceſſa viſitantibus talem Eccleſiam, ſi Eccleſia ruat, viſitantes illius ſolum, indulgentiam aſſequantur.

SEC. XXXIV.

An ſi concedatur indulgentia ſimpliciter, & abſolutè viſitantibus talem Eccleſiam, ipſam quis aſſequatur toties, quoties, viſitabit.

SEC. XXXV.

An vno, & eodem opere poſſint fideles aſſequi plures indulgentias, diuerſis vijs conceſſas.

SEC. XXXVI.

An aliquis poſſit adimplere opus poſtulatum pro alio, ad lucrandam illi indulgentiam, ita vt ipſe operans eam lucretur non ſibi, ſed alteri, cui illam ſua voluntate applicet.

SEC. XXXVII.

An vnus poſſit donare alteri indulgentiam committendo illi opus ad indulgentiam neceſſarium.

SEC. XXXVIII.

An in caſu quo ex forma indulgentiæ ſatis ſit opus per alium adimpleri, debeat operans in gratia eſſe dum operatur opus.

SEC. XXXIX.

De eo, cui quærenda eſt indulgentia, quas cõditiones exigat.

SEC. XXXX.

An is, qui aſſequuturus eſt indulgentiam, ſi tempore illius applicationis non reperiatur in gratia, recedẽte fictione poſt tempus indulgentiæ elapſum, indulgentiam ipſam aſſequatur.

SEC. XXXXI.

An ſtatus gratiæ requiratur ad alios fauores, qui cum indulgentia aliquando conceduntur.

SEC. XXXXII.

De effectu Indulgentiarum.

SEC. XXXXIV.

An ſi qs ſumat indulgentiã partialem liberetur aliquando ab onere implendi pœnitentiam iniunctam à Confeſſario.

SEC. XXXXV.

An quis poſſit lucrari indulgentiã præſtando opera expoſtulata, quæ ex alio capite facere tenetur.

SEC. XXXXVI.

An ſi in Bulla indulgentiæ concedatur, vt in articulo mortis poſſit à Confeſſario impendi indulgentia plenaria, valeat applicari etiã à non Sacerdote.

SEC. XXXXVII.

De indulgentijs pro defunctorum animabus in Purgatorio detentis.

SEC. XXXXVIII.

An Baptiſmalis Character exigatur in Defuncto, cui quærenda eſt indulgetia.

SEC. XXXXIX.

An indulgentiæ certò, ac infallibiliter proſint Defunctis.

SEC. L.

An ad indulgentiam lucrandam ſatis ſit opinio probabilis ſe habens quod in hoc, vel illo caſu lucretur.

SEC. LI.

De ijs, quæ ſpecialiter pertinent ad indulgentiam Iubilæi, ſeu ad inſtar anni Iubilæi, & primò an ſuſcipiens eiuſmodi indulgentiam prima hebdomada, poſſit illam iterum lucrari in ſecunda hebdomada.

SEC. LII.

An opera in Iubilęo pręſcripta ad lucrandum illum poſſint incipi in una Ciuitate, ſeu terra

Digitized by Google

ra, & compleri in alia intra tempus in Bulla Iubilæi præſcriptum.

SEC. LIII.

An ſi in Bulla Iubilæi habeatur, vt qui non ſuſceperit illum in prima hebdomada, poſsit aſſequi in ſecunda: & quis impleuerit opera expoſtulata infra duas hebdomadas Iubilæũ lucrabitur.

SEC. LIV.

An qui omiſit ex malitia opera præſcripta in Iubilæo poſſit vltima die illud lucrari, & dicta opera à Confeſſario commutari.

SEC. LV.

A quonam Epiſcopo debet eſſe approbatus Cõfeſſarius exui Iubilæi eligibilis.

SEC. LVI.

An vi Iubilæi ſit eligibilis in Confeſſarium Parochus non ſolùm intra eandem Diœceſim, ſed extra, & vbique terrarum.

SEC. LVII.

An per Iubilæum ſit eligibilis in Confeſſarium Parochus, qui renũciauit beneficio, aut illo fuit priuatus.

SEC. LVIII.

An vi Iubilæi ſit vbique eligibilis in Cõfeſſariũ approbatus tantùm limitatè ad certam perſonarum qualitatem, aut ad paruum oppidum.

SEC. LIX.

An detur caſus, in quo per Iubilæum ſit eligibilis Sacerdos non approbatus ab Epiſcopo; ſed a Parocho.

SEC. LX.

An religioſi tempore Iubilæi poſſint ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Epiſcopo, ſed à Prælato tantùm Regularium.

SEC. LXI.

An vi Iubilæi ſit eligibilis in Cõfeſſarium Prælatus Regularis non approbatus ab Ordinario loci.

SEC. LXII.

An Religioſus ab Epiſcopo approbatus ſit eligibilis vi Iubilæi; etiam ſi a ſuo Prelato per ſententiam priuatus ſit, ne confeſſiones ſæcularium audiat.

SEC. LXIII.

An Moniales tempore Iubilæi poſſint ſibi eligere ab Ordinario approbatos, etiam ſi in ſpecie nõ ſint ad earundẽ confeſſiones ab Ordinario deputati.

SEC. LXIV.

An quando in Iubilæo conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris Papæ reſeruatis, poſsit Confeſſarius a caſibus Bullæ Cœnæ Domini abſoluere.

SEC. LXV.

An ſi per Iubilæum concedatur in ſpecie facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris in Bulla Cænæ contentis, non autem in indiuiduo, poſsit quis vi talis facultatis abſolui à caſibus, & cenſuris in Bulla Cænæ reſeruatis.

SEC. LXVI.

An ſi per Iubilæum concedatur facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris Bullæ Cænæ in ſpecie, & indiuiduo ſimul, poſsit quis vi talis facultatis abſolui ab omnibus caſibus, & cenſuris ipſius Bullæ.

SEC. LXVII.

An ſi per Iubilæum concedatur in ſpecie facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cẽſuris Bullæ Cænæ, exceptæ vno in indiuiduo, v.g. hęreſis alij caſus cenſeantur, ac ſi expreſſi eſſent in indiuiduo.

SEC. LXVIII.

An quando in Iubilæo conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus Bullæ Cænæ, excepta hæreſi, adhuc ſit abſoluẽdus hæreticus occultus pœnitens, & emendatus.

SEC. LXIX.

An qui tempore Iubilæi abſolutus fuit à reſeruatis, & obtinuit commutationem votorum, aut in eiſdem diſpenſationem, ſi culpa ſua voluntariè poſtea non lucretur Iubilæum, peccet mortaliter.

SEC. LXX.

An per Iubilæum data facultate abſoluendi à cenſuris reſeruatis, aut per aliam Bullam, liceat ea vti extra Sacramentũ pœnitentiæ:

SEC. LXXI.

De poteſtate commutandi vota, ac ſuper eis diſpenſandi vi Iubilęi: & primò, an Confeſſarius virtute Iubilęi vel alterius bullæ poſsit commutare vota, aut ſuper eiſdem diſpenſare extra confeſsionem.

SEC. LXXII.

An vi Iubilæi, aut alterius priuilegij habens facultatem diſpenſandi ſuper vota, poſsit ea commutare, ſeù redimere, ac irritare.

SEC. LXXIII.

An facultas vi Iubilæi, aut alterius priuilegij conceſſa diſpenſandi, ac commutandi vota, extendatur ad iuramenta promiſſoria Deo facta, vel ad vota iurata, & ad iuramenta pia abſolutè facta.

SEC. LXXIV.

An conceſſa per Iubilæum facultate commutãdi vota, exceptis votis caſtitatis, & religionis, poſſit Confeſſarius commutare iuramenta pia Religionis, & perpetuæ caſtitatis.

SEC. LXXV.

An ſi vouens poſt emiſſum alternatiuum votũ ingrediendi Religionem, vel ſoluendi mille, proponat Religionem ingredi poſsit poſtea pecuniarum votum eligere, illudque Confeſſarius, vi Iubilæi commutare.

SEC. LXXVI.

An votum Religionis, & caſtitatis reſeruatum a S. P. commutatum in aliud non reſeruatũ, vi Iubi-

Digitized by Google

vi Iubilæi, aut per Epiſcopum posſit iterum commutari·

S E C. *LX*X*V*I I.

An Confeſſarius vi Iubilæi poſſit commutare votũ perpetuæ caſtitatis, aut Religionis metu leui extortum.

S E C. *LX*X*V*I I I.

An Confeſſarius vi Iubilæi, aut alterius priuilegij poſſit partem voti alternatiui non reſeruatam commutare, quando materia non reſeruata facta eſt impoſſibilis.

S E C. *L*X X I X.

An Confeſſarius virtute Iubilæi reſeruantis diſpenſationem, & commutationem voti Religionis, poſſit commutare votum Religionis Melitenſis, aut ſuper eodem diſpenſare.

S E C. *L* X X *X*.

An vi Iubilæi reſeruãtis diſpenſationem, & cõmutationem voti Religionis, poſſit Confeſſarius commutare votum Religionis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ.

S E C. *LX* X *X*I.

An vi Iubilæi reſeruantis votum Religionis, poſſit Confeſſarius commutare votum perſeuerandi in Religione, aut in eo diſpenſare.

S E C. *L*X X X I I.

An Confeſſarius vi Iubilæi dantis facultatem commutandi omnia vota, & in eis diſpenſandi, exceptis votis Religionis, & caſtitatis, poſſit commutare votum Religionis, vt ex cauſa non impleatur tempore præſcripto.

S E C. *LX* X X I I I.

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis vota Religionis, & caſtitatis poſſit commutare votum vouendi caſtitatem, ſeù Religionem.

S E C. *LX* X X I *V*.

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis uota Religionis, & caſtitatis, poſſit eiuſmodi uota commutare, emiſſa a perſona alterius poteſtati ſubiecta, nempè à coniugata, ſeruo, & filio, citra licentiam uiri, Domini, uel Patris

S E C. *L*X X *X V*.

An ui Iubilæi excipiẽtis uota Religionis, & caſtitatis poſſit Confeſſarius commutare votũ pœnale Religionis, ſeù caſtitatis, & in eo ipſo diſpenſare.

S E C. *L X*X X *V*I.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota caſtitatis, ac Religionis, poſſit commutare uotum non nubendi, ac in eo diſpenſare.

S E *C.* *L*X X X *V*I I.

An Cõfeſſarius posſit ui Iubilæi excipientis uota caſtitatis, ſeù Religionis, commutare uotum caſtitatis emiſſum pro tempore limitato, & in eodem diſpenſare·

S E C. *L*X X X *V*I I I.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota caſtitatis, ſeù Religionis, posſit commutare uotum coniugum non petendi debitum.

S E C. *L*X *X X I X*.

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis uotum caſtitatis, posſit commutare uotũ nõ fornicãdi, non tenendæ certæ mulieris, non comittendi actum mollitiei, aut abſtinendi ab alio actu uenereo.

S E C. X C.

An Confeſſarius ui Iubilæi, excipientis uotum caſtitatis, posſit commutare uotum aſſumendi ordines ſacros, & in eo diſpenſare.

S E C. *X C I.*

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota caſtitatis, poſſit commutare uotum illius, qui uouit caſtitatem, uel ordinem ſacrum, & in eo diſpenſare.

S E C. *X C I I.*

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uotum caſtitatis posſit commutare uotum caſtitatis coniugalis, & in eo diſpenſare.

S E C. *XC*I I I.

An Confeſſarius uirtute Iubilæi excipientis uotum caſtitatis, posſit commutare votum caſtitatis vxoris, aut viri tempore matrimonij conſumati emiſſum.

S E C. X C *I V*.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota caſtitatis, & Religionis, posſit commutare uotum caſtitatis ſeù Religionis emiſſum cũ expſſa ꝑteſtatione, ne uouens ad illius executionẽ teneatur, niſi ſub onere culpæ uenialis.

S E C. X C *V*.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uotum caſtitatis posſit commutare uotum caſtitatis emiſſnm cum licentia alterius coniugis.

S E C. X C *V I.*

An Confeſſarius ui Iuailæi, excipientis uotum peregrinationis ad ſanctum Sepulcrum, posſit cõmutare qualitatem adiunctam tali uoto.

S E C. X C *V I I.*

An ſi ui Iubilæi concedatur facultas commutãdi omnia, & quęcunque uota, exceptis uotis caſtitatis, ac Religionis, posſit Confeſſarius commutare uotum uirginitatis.

S E C. *X C V I I I.*

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis vota Religionis, & caſtitatis, posſit commutare votũ eius qui vouit dare mille tali loco pio, reſeruans illud, vt non posſit commutari, nec in eo diſpenſari niſi à *S*. Pontifice, ſicut ſi vouiſſet caſtitatem, aut Religionem.

S E C. X C *I X*.

An Cõnfeſſarius vi Iubilæi posſit commutare uotum factum de non petenda commutatione, nec ſuper idem commutare.

S. E. C. C.

An Cõfeſſarius vi Iubilęi excipiẽtis votũ caſtitatis posſit adſtrictũ voto caſtitatis, qui ad nuptia trãſiit, per diſpeſnationem, aut cõmutationem hãbilitare ad petendum debitum.

SE-

SEC. CI.
An qui obtinuit commutationem alicuius uoti per Iubilæum,poſſit redire ad uotũ prius, omiſſo eo, in quo facta eſt commutatio.
SEC. CII.
An ſi quis tẽpore Iubilæi nolit petere commutationem votorum, poſſit poſtea, eo tranſacto illam petere.
SEC. CIII.
An qui Iubilæi tempore votorum cõmutationem fuit conſecutus, & aliquorum oblitus, eo elapſo, poſſit dictorum votorum commutationem, aut diſpenſationem petere, non obſtante, quod lucratus non ſit Iubilæum.
SEC. CIV.
An Confeſſarius virtute Iubilæi habens facultatem diſpenſandi,& commutandi vota omnia, poſſit commutare, ac diſpenſare ſuper votis Religionis, caſtitatis, & peregrinationis in Hieruſalem,ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobum Galitiæ, ſi eiuſmodi vota ſpecialiter non excipiantur.
SEC. CV.
An Confeſſarius vi Iubilæi concedentis facultatem commutandi vota,& in eis diſpenſandi, poſſit commutare iuramenta illicita, aut metu iniuſtè extorta.
SEC. CVI.
An Confeſſarius virtute Iubilæi poſſit com mutare vota in fauorem tertij facta.
SEC. CVII.
An Cõfeſſarius,qui virtute Iubilæi habet facultatẽ cõmutãdi vota,poſſit in illis diſpenſare.
SEC. CVIII.
An Confeſſarius vi Iubilæi facultatem habens commutandi vota, poſſit ea commutare citra omnem cauſam.
SEC. CIX.
An vi Iubilæi poſſit Confeſſarius commutare votum in minus bonum.
SEC. CX.
An Confeſſarius peccet, ſi citra rationabilem cauſam nolit vi Iubilæi vota pœnitenti cõmutare, aut in illis diſpenſare.
SEC. CXI.
An Confeſſarius vi Iubilæi commutans aliquod votum citra debitam æqualitatis inueſtigationem, peccet mortaliter.
SEC. CXII.
An Cõfeſſarius Iubilæi priuilegio, aut alterius Bullæ indigeat, vt valeat votum commutare in bonum æquale, vel id poſſit ſola ipſius ordinaria iuriſdictione.
SEC. CXIII.
De Eccleſiis viſitandis, & oratione facienda ad aſſequendum Iubilæum.
DISP. XI.
De Purgatorio.
SEC. I.
An Purgatorium ſit propinquius Inferno Puerorum Lymbo.
SEC. II.
An pœna ſenſus Purgatorij ſit ab igne, vel ab aliquo alio.
SEC. III.
An Purgatorij pœnæ paulatim per remiſſionẽ minuantur, vel ſemper eædem intenſiuè durent, donec animæ ſufficienter purgatæ in Gloriam deferantur.
SEC. IV.
Quomodo corporalis, & elemantaris ignis pœna afficiat animas in Purgatorio,ac in Inferno detentas.
DISP XII.
De forma Sacramenti pœnitentiæ.
SEC. I.
Quænam ſit forma Sacramenti pœnitentiæ.
SEC. II
Mutatio formæ Sacramenti pœnitentię,an & quando inualidet Sacramentum.
SEC. III.
An verba illa, *A peccatis tuis, &c.* In impendenda Sacramenti pœnitentiæ forma ſint neceſſariò proferenda
SEC. IV.
An forma Sacramenti impendi debeat à Cõfeſſario ſtatim poſt auditam confeſſionem pœnitentis: vel etiam poſt aliquod temporis interuallum.
SEC. V.
An Sacerdos dum formam abſolutionis impẽdit,effectiuè cõcurrat ad abſolutionẽ culpæ.
SEC. VI.
An Sacerdos formam abſolutionis impendens effectiuè concurrat ad abſolutionem pœnæ.
SEC. VII.
An forma abſolutionis extendatur ad peccata oblita, ita vt pœnitens ab illis cenſeatur abſolutus.
SEC. VIII.
An ſi quis dicat abſoluo te à peccatis, de quibus es confeſſus,& contritus,abſolutio extendatur ad oblita,& attrita tantùm.
SEC. IX.
An forma abſolutionis impendi poſſit ſub conditione.

DISPVTATIONVM, ET SECTIONVM IN §§. II.

De Sanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramento.

D I S P. I.

S*Vſcipiens,&c.* De præcepto ſanctiſsimę Euchariſtiæ ſumendæ ad minus in Paſcha: & de perſonis, quæ illo alligantur.

S E C. I.

An præceptũ ſanctiſsimæ Euchariſtiæ ſumendę ad minus in Paſcha ita ſit Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum.

S E C. II.

An præceptum communionis in Paſcha in noſtro canone contentũ obliget fideles omnes.

D I S P. II.

Ibi, *Suſcipiens reuerenter,&c.* De diſpoſitione, qua ſuſcipiendum eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

S E C. I.

An, & quando non ieiunus ſuſcipiens ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum dicatur irreuerenter illud ſuſcipere; atque ideò pręceptum non impleat.

S E C. II.

An, & quando ad reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti requiratur aliqua diſpoſitio, & munditia corporalis ex parte ſuſcipientis, & qualis eſſe debeat.

S E C. III.

An ſit contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti quotidie communicare laicos.

S E C. IV.

An ſit contra reuerentiam Sacramenti ſanctiſſimæ Euchariſtiæ plurics in die communicare.

S E C. V.

An ſit contra reuerentiam Sacramenti ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communicare manè ante lucem, vel poſt meridiem citra neceſſitatem aliquam.

S E C. VI.

An ſit contra reuerentiam Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti communicare extra Sacrificium Miſſæ ſub utraque ſpecie.

S E C. VII.

An habens conſcientiam peccati mortalis, & accedens ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum attritione tantùm, vel etiã cum contritione, non præuia confeſsione dicatur facere contra reuerentiam tanti Sacramenti.

S E C. VIII.

An quando quis habet conſcientiam peccati mortalis, & vrgeat neceſsitas communicandi, nec habet copiam Confeſſarij, debeat neceſſariò conteri ad dignè communicandum, vel ſatis ſit attritio.

S E C. IX.

An conſcientiam habens lethalis culpæ, & cõmunicans inculpabiliter non præuia confeſſione teneatur confiteri quam primum poſſit.

S E C. X.

An ad reuerentiam ſanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti pertineat differre communionẽ per aliquot tempus ab eo, qui lethalem culpam contraxit etiam ſi contritus ſit, & confeſſus.

S E C. XI.

An accedere ad ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum cum cõſcientia peccati venialis, ſit contra reuerentiam tãti Sacramenti.

S E C. XII.

An communicare in ſpecie panis confecti ex farina triticia, & aqua roſacea ſit contra reuerentiam Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti, & an ita communicans ſatisfaciat præcepto communionis in Paſcha.

S E C. XIII.

An communicans in fermentato faciat contra reuerentiam ſanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramenti, & ſatisfaciat præcepto communicandi in Paſcha.

S E C. XIV.

An ſit contra reuerentiam ſanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramenti celebrare, conſecrare, & communicare in alia ſpecie vini, quam ex vite.

S E C. XV.

An ſit contra reuerentiam ſanctiſsimæ Euchariſtiæ conſecrare, & communicare in ſpeciebus vini aqua non permixti.

S E C. XVI.

An communicare in magna, vel minima quantitate ſpecierum panis, aut vini ſit contra reuerentiam ſanctiſsimæ Euchariſtiæ Sacramenti.

S E C. XVII.

An communicando in hoſtia, conſecrata in vna tantùm parte, & non in altera, faciat contra reuerentiam ſanctiſsimæ Euchariſtię Sacramenti.

S E C. XVIII.

An communicare in ſpecie conſecrata in alia forma, quàm in illa, qua modo vtitur Eccleſia, ſit contra reuerentiam ſanctiſsimæ Eu-

chariſtiæ; & per talem communionem impleatur præceptum communionis in Paſcha.

S E C. XIX.

De effectibus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ reuerēter ac dignè ſumptæ, & primo de effectu gratiæ.

S E C. XX.

De effectu vnionis, quæ fit ex Chriſto Domino cum dignè, ac reuerenter communicante, & de nonnullis alijs effectibus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti.

D I S P. III.

Ibi, *Ad minus in Paſcha*. De tēpore quo implēdum ſit præceptum ſuſcipiendi ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum.

S E C. I.

An pluries cōmunicans infra annum, teneatur communicare in Paſcha.

S E C. II.

Quid nomine Paſchatis in noſtro canone intelligatur.

S E C. III.

An nō cōmunicans in Paſchate, ſeù in Paſchali tēpore teneatur cōmunicare poſt Paſcha.

S E C. IV.

An præuidens, non poſſe communicare tempore Paſchali, teneatur anticipare communionem.

S E C. V.

An qui indignè, & in peccato mortali ſcienter communicat, adimpleat præceptum noſtri canonis.

S E C. VI.

An Rom. Pontifex preceptum communicandi in Paſcha poſſit tollere, aut ſuper illud diſpenſare.

D I S P. IV.

Ibi, *Niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio, &c.* De Miniſtro cōſecrationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti.

S E C. I.

An Miniſter conſecrationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ debeat eſſe Sacerdos, qui non ſolū habeat poteſtatem ordinis, ſed etiam iuriſdictionis.

S E C. II.

An vnus tātùm Sacerdos, vel plures ſimul poſſint vnam, & eandem hoſtiam conſecrare.

S E C. III.

Quænam ſint verba, a Sacerdote proferenda, ad conficiendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, & qui nam ſit eorum effectus.

S E C. IV.

An verba conſecrationis ſint cauſa phyſica præſentiæ Corporis Chriſti in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramēto, vel ſint cauſa tantùm moralis.

S E C. V.

An verba conſecrationis in ſacramento Euchariſtiæ proferantur a Sacerdote recitatiuè tantùm, vel effectiuè.

S E C. VI.

An ſubſtantia panis, & vini poſt conſecrationem annihiletur.

S E C. VII.

An poſt conſecrationem maneat aliqua pars ſubſtantiæ panis, vel vini ſub ſpeciebus cōſecratis.

S E C. VIII.

Quid ſit preſentia corporis, & ſanguinis Chriſti Domini in hoc Sacramento ſub ſpeciebus panis, ſeù vini: & in quo prædicamento ponatur.

S E C. IX.

An præſentia corporis Chriſti in Sacramento includit aliquam verā vnionem ipſius corporis ad ſpecies ſacramentales.

S E C. X.

Qualiter moueantur Corpus, & ſanguis Chriſti in hoc Sacramento.

S E C. XI.

An corpus Chriſti prout ſupernaturali modo exiſtit in Sacramento Euchariſtiæ videri poſſit ab homine, aut ab Angelo cognoſci.

S E C. XII.

An ſi in hoſtia conſecrata appareat Caro, Sanguis, Puer Ieſus, aut Chriſtus in ea magnitudine, qua eſt in Cælis, ibi ſit verè corpus Chriſti.

D I S P. V.

De Miniſtro diſpenſationis, ſeù collationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti.

S E C. I.

An ſolus Sacerdos iure Diuino poteſtatem habeat diſpenſandi, ac conferendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum fidelibus.

S E C. II.

An in extrema neceſſitate Clerici, & Laici poſſint per ſe ſumere ſanctiſſimam Euchariſtiam, & alijs diſpenſare: vel ſaltem Diaconi, etiam proprio Epiſcopo reluctante, ſeù Sacerdote.

S E C. III.

An Sacerdos extra ſacrificium Miſſæ volens communicare ſe ipſum licitè poſſit.

S E C. IV.

An Sacerdotes Heretici, Schiſmatici, interdicti ſuſpenſi, degradati, ac exiſtentes in peccato mortali licitè poſſint Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare.

S E C. V.

An à Sacerdotibus hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, ſuſpenſis, interdictis, degradatis, aut publicis peccatoribus, licitum ſit ſanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipere in caſu ſaltem neceſſitatis.

SE-

S E. C. VI.

An Sacerdos ad conferendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum non ſolùm debeat habere poteſtatem ordinis; ſed etiam iuriſdictionis.

S E C. VII.

An Parochi tempore peſtis teneantur ſubditis ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare.

S E C. VIII.

Ibi, *De proprij Sacerdotis conſilio, &c.* An quis teneatur ſeruare conſilium proprij Sacerdotis conſulentis, vt à ſanctiſſima communione ad tempus abſtineat.

S E C. IX.

An ſi quis differrat communicare in Paſcha ex conſilio proprij Confeſſarij excuſetur à pœnis in noſtro canone contentis.

S E C. X.

An proprius Sacerdos non ſolùm conſulere, ſed etiam præcipere alicui ex ipſius ouibus poſſit, vt communionem in Paſcha in aliud tempus differat.

S E C. XI.

An denegari poſſit ſacra communio de crimine ſuſpecto.

D I S P. VI.

Ibi, *alioquin, & viuens ab ingreſſu, &c.* De pœna tranſgredientium præcepta noſtri cap.

S E C. I.

An violantes præceptum confesſionis annuæ, aut communionis in Paſcha, cenſuram aliquam contrahant.

S E C. II.

An cenſura interdicti perſonalis in noſtro canone lata contra violantes præceptum annuæ confesſionis, aut communionis in Paſcha ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ.

S E C. III.

An cenſura interdicti lata in noſtro canone obliget ſub lethali culpa ad obſeruantiam præcepti ante Iudicis ſententiam.

D I S P. V L T I M A.

Ibi, *Hoc ſalutare ſtatutum frequenter, &c.* De publicatione præcepti noſtri canonis de annua confesſione, & communione in Paſcha.

S E C. I.

Quibus nam perſonis præcipiatur publicatio præcepti noſtri canonis de confitendo ſemel in anno, & de communicando in Paſcha.

S E C. II.

Ibi, *Frequenter in Eccleſiis publicetur.* Quando frequẽter dicitur in Eccleſiis publicari præceptum noſtri canonis.

S E C. III.

An Epiſcopi, & alij Curati, ſi præceptum confesſionis annuæ, aut communionis in Paſcha non publicent, lethalem culpam contrahant.

F I N I S.

Cap.

Cap. omnis vtriuſque ſexus, de pœnit. & remiſſionib.

§. I. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltē ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere.*

§. II. *Suſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Saramentum: niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum, alioquin, & viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Vndè hoc ſalutare ſtatutum frequēter in Eccleſia publicetur, ne quis ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, vel ligare.*

§. III. *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, vt more periti medici ſuper infundat vinū, & oleum vulneribus ſauciati, diligēter inquirēs, & peccatoris circūſtātias, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere cōſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſaluandum ægrotum. Caueat autē omninò ne verbo, aut ſigno, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: Sed ſi prudētiori cōſilio indiguerit, illud abſque vlla expreſſione perſonæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio ſibi detectum præſumpſerit reuelare, nō ſolum ſacerdotali officio deponendum decernimus; verum etiam ad agēdam perpetuam pœnitentiam in arctum monaſteriū detrudēdū.*

AVCTORIS PROEMIVM AD LECTOREM.

Commētaria ad *tex. in c. omnis vtriuſque ſexus de pœnit. & remiſs.* per me tunc iuuenem ſummo ſtudio, maximiſque vigilijs, Deo fauente, non mediocriter elaborata, & ſupra omnes alias meas lucubrationes, in lucem huc vſq; editas ſæpe ſæpius in cathedris enucleata, cùm in varijs cartulas diſperſa reperirentur, nunc, Dei gratia, ſenex, ſeptuageſimum ſeptimum annū agens, meorū ſuperiorū iuſſu eadem in vnum colligere, & ad cōmunē Chriſti fideliū vtilitatem edolare, ac ad vltimas curas reuocare cōpulſus, partium diſcretione ante omnia vti, operę pretium me facturū arbitror. Vaſtiſſima eſt citra omnē controuerſiam capitis huius materia, atque adeò vtilis, ac practicabilis, vt id nō immeritò famoſum, & allegabile valdè Panormitanus appellet. Et cùm in eo non ſit alius ſtatuendi ſcopus, quàm peccatoris animam à peccatorum nexibus per pœnitentiam ſoluere, ſolutamq; cæleſti pabulo præſeruare, quid agēdum, quidue fugiendum edocere, eam profectò moralis Theologiæ partē continere dignoſcitur, quæ eiuſdem facultatis ferè baſis eſt, ac fundamentum. Vt igitur (candidiſſime Lector) quæ intellexeris faciliùs poſſis memoria retinere; & ne confuſæ tractationes tuum conturbent animum, caput ipſum in duas partes principales diſſecandum mihi cenſui. Et quidem prior pars ſacramentalis cōfeſſionis ſemel ſaltem in anno, ac ſumptionis Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ad minus in Paſcha præceptum continet, pœnam irremiſſibilem contraueniētibus ſtatuēs: poſterior vero bonitatem & ſcientiam vtriuſque Sacramenti Miniſtrum edocet; qui ſi Sacramentale ſigillum violando improbus cōprehendatur, grauiſſimè plectitur. Has demum partes in tres §§. diuidētes, eiſdemque per ſuas diſputationes explicantes, rem ipſam totam facilè, ac ordinatè, prout à Deo Optimo Maximo datum nobis fuerit, abſoluemus.

Digitized by Google

COMMENTARIORVM
LEONARDI DVARDI CLER. REGVLAR.
IN §. I. CAP. OMNIS VTRIVSQVE SEXVS
De Pœnit. & Remiſs. Tom. I. in duos §§. diſtinctus.

In quorum altero de Præcepto Sacramentalis confeſſionis annuæ tractatur, & de omnibus Sacramenti Pœnitentiæ partibus, ſub eodem comprehenſis: ac latiſſimè traditur remiſſionum, ſeù indulgentiarum tractatus. In altero verò præceptum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ in Paſcha, qualitèr ſit adimplendum explicatur.

HAEc prima pars noſtri capitis ſubdiuiditur in duos §§. quorum altero confeſſionis annuæ: altero verò Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti præcipitur vſus. Nos igitur, vt ordinatè procedamus, de priori; & deindè de poſteriori ſuo loco, Deo duce, diſcutientes, ſingulorũ formalia verba referemus.

§. 1. *Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & iniunctam pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere.*

Diuiditur §. iſte in tres partes, in prima parte de perſonis agitur, quæ præcepto confeſſionis annuæ alligantur: in ſecunda verò de conditionibus, quas ipſa annua confeſſio exigit, & de Miniſtro, cui ſit facienda: & in vltima demum tractatur de tertia parte Sacramenti pœnitentia; atque ideò de ſatisfactione: ſecunda ibi, omnia ſua tertia, ibi, & iniunctam pœnitentiam.

Eſt autem ad euidentiam eiuſdem §. adnot. quòd & ſi confeſſionis annuę dumtaxat in eo expreſſa mentio habeatur; integrum tamen pœnitentiæ Sacramentum præcipitur. Etenim Lateranenſe Concilium dum Chriſti fideles omnia ſua peccata confiteri voluit, & iniunctam pœnitentiam adimplere, ad eam adimplendam ex communi Sapientum placito compelli non poſſent, niſi per veram, & integram Sacramenti perceptionem, materiam, & formam continentis. Et re vera materia ipſa tùm remota, tùm proxima vna cum forma, & ſic integri Sacramenti præceptum, ex ſupra relati, §. verbis ſufficienter colligitur. Siquidem peccata omnia dum confiteri ſtatuit, materiam circa quam, atque ideò remotam Sacramenti huius, quam peccata eſſe omnes conueniunt, manifeſtè deſignat: & cum ipſa Sacramentali confeſſione contritionem quoque, tanquam ipſam informantem, & eiuſdem principium per dictionem illam, *fideliter*, non obſcurè demonſtrat; eò maximè, quoniam peccata non vt probanda, ſed reprobanda, deteſtanda, & amplius non committenda, clauibus ſubijci præcipiuntur; quæ omnia ad contritionis eſſentiam pertinere, nemo eſt, qui contendat. Eſt denique dum iniunctam pœnitentiam per fideles proprijs viribus expoſtulat, non ſolùm confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem, quæ partes materiales ſunt Sacramenti pœnitentiæ expoſcere cenſetur; verùm etiam & formam, & ſic integrũ pœnitentiæ Sacramentum exigere. His breuiter prælibatis, deuenio ad *tex.* explicationem.

Ibi, *Omnis, &c.* De præcepto confeſſionis annuæ, & de perſonis, quæ præcepto ligantur.

DISP. I.

SVMMARIVM.

1 *Parum eſt id noſſe, ſi perſonæ quarum cauſa conſtitutum eſt ignorantur.*

2 *Homo rerum omnium eſt creatura digniſſima, & à dignioribus incipitur.*

3 *Omne ius, aut ad perſonas pertinet, aut ad res, aut actiones.*

SAcrum Lateranenſe Concilium de confeſſionis annuæ præcepto conſtitutionem editurum, à perſonarum conditionibus, quibus fiat, non immeritò ſumit exordium, inquiens, *omnis, &c.* Etenim ſi perſonæ, quarum cauſa conſtitu-
1 tum eſt ignorentur, ait *tex. in §. fin. in inſtit. de*
2 *iure nat. gent. & ciuili*. Et cùm homo rerum omnium ſit creatura digniſſima, *l. iuſtiſſime, ff. de edil. edic.* vt à dignioribus incipiat, *iuxta tex. in §. aliam, in inſtit. de bon. poſſ.* non iniuria perſonas, earumdemq; cõditiones primum explicat, quibus annua confeſſio præcipitur: & deindè de confeſſionis huiuſmodi conditionibus agit. Sic
3 etiam quia omne ius, aut ad perſonas, aut ad res, aut ad actiones pertinet, *vt in l. 1. ff. de ſtatu hom.* de perſonis in iure tractatus præmittitur: & deindè de rebus, & demum de actionibus agitur. Nos ergò, vt noſtri capitis ordinem quoad fieri poteſt, proſequamur, diſputationem hanc per quamplurimas ſectiones diſſecantes, in primis, & ante omnia ſequentem difficultatem duximus diſcutiendam, cùm præcipua ſit, & ea explicata, reliqua, quæ in ipſa diſputatione agentur, facilius percipiantur.

An præceptum confitendi ſemel in anno per Concilium Lateran. Fidelibus conſtitutum, ita ſit Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſionem ſacramentalem iure humano ex generali conſuetudine Eccleſiæ fuiſſe introductam, qui impiè doceant.*

2 *Confeſſionem ſacramentalem fuiſſe iure diuino inſtitutam, eſt de fide.*

3 *Confeſſio ſacramentalis per ſe ſumpta, ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico, eſt de iure diuino à Chriſto Domino inſtituta, & eſt de fide contra nonnullos hæreticos.*

4 Chriſtus conſtituit Sacerdotes, Iudices cum poteſtate remittendi peccata.

5 Iudicium non datur in incognitum, & ideò pœnitens tenetur manifeſtare omnia ſua peccata, Sacerdoti, ſicut infirmus vulnera Medico.

6 Eccleſia non habuit facultatem inſtituendi Sacramenta, nec poteſt mutare, vel variare materiam, & formam alicuius Sacramenti.

7 Sacramentum pœnitentiæ non erat inſtitutum, quando Chriſtus dimiſit peccata abſque obligatione confitendi.

8 Zozomenus refert Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum abrogaſſe confeſſionem, cui in hac ruit Chryſoſtomus eiuſdem ſucceſſor.

9 Zozomenum, & Chryſoſtomum loquutos fuiſſe de confeſſione publica, quæ non eſt ſacramentalis explicatur.

10 Pœnitentia publica differt à ſecreta, & auriculari.

11 Pœnitentia publica fuit introducta à conditoribus Sacrorum canonum poſt exortam hereſim Montani, & Nouati.

12 Confeſſio Sacramentalis abſolutè ſumpta ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico eſt iure diuino inſtituta, & præcepta.

13 Confeſſione ſacramentali, vel ipſius confeſſionis Sacramenti voto culpa mortalis remittitur, & homo reſtituitur in gratiam Dei.

14 Dubius in fide eſt infidelis.

15 Hæreticus dicitur, qui habet errorem in intellectu, fidei catholicæ contrariũ cum pertinacia.

16 Confeſſio ſacramentalis abſolutè ſumpta, fuit iure diuino inſtituta, & præcepta in lege Euangelij poſt Chriſti Domini Reſurrectionem, & nõ in lege naturæ, aut ſcripta.

17 Circumciſio in lege naturæ fuit remedium ad remiſſionem peccati originalis; & pro adultis in lege ſcripta non fuit Sacramentum aliquod conferens gratiam ex opere operato.

18 Confeſſio ſacramentalis non fuit inſtituta à Deo, quando poſt peccatum dixit Adæ vbi es, nec quando Ioſue præcepit Achor crimen ſuum confiteri; nec ex verbis ad Moyſen nu. cap. 5. loquere, &c. nec ex verbis Leuit. cap. 5. & quod ſit declaratum.

19 Confeſſio ſacramentalis ſi fuiſſet inſtituta ante Reſurrectionem, fuiſſet inſtituta in cœna, vel ante cœnam.

20 Poteſtas in Corpus Chriſti miſticum, non datur ante poteſtatem in Corpus Chriſti verum.

21 Confeſſio ſacramentalis fuit à Chriſto inſtituta poſt Reſurrectionem in illis verbis Accipite Spiritum ſanctum.

22 Chriſtus per illa verba Accipite Spiritum ſanctum, tribuit Apoſtolis, & etiam Petro iuriſdictionem delegatam, ad ſucceſſores non tranſituram. Ordinariam vero ad ſucceſſores Pontifices, à quibus in alios transfunditur, tranſituram, dedit ſoli Petro.

23 Confeſſio ſacramentalis non dicitur abſolutè Medicum neceſſariũ ad ſalutem, ſicut Baptiſmus, ſed tantum ſuppoſita lethali culpa poſt Baptiſmum commiſſa.

24 Peccatum mortale poſt Baptiſmum commiſſum eſt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ.

25 Beatiſſimam Virginem fuiſſe Ioanni Apoſtolo confeſſam eſt falſum.

26 Infantes non obligantur ad ſacramentalem confeſſionem.

27 Infideles licet peccatores ſint, non tenentur confiteri ante Baptiſmum.

28 Præceptum Euchariſtiæ obligat hominem, etiam ſi nullius peccati conſcientiam habeat.

29 Præceptum Diuinum regulariter etiam Infideles alligat.

30 Dubius lethalem culpã commiſiſſe, ſi ad vtramque partem ſit indifferens obligatur ad confeſſionem.

31 Sciens ſe percuſſiſſe hominem, ſed dubitat, an percuſſerit clericum, ſi ad vtramq; partem ſit indifferens adhibita diligentia non debet ſe excommunicatum reputare; & idem in alijs cenſuris.

32 Excommunicatum ſe ſciens, & dubitet an ſit abſolutus, ſe in excommunicatione eſſe tenere debet.

33 Dubius in irregularitatem incidiſſe, ſi debeat irregularem, aut non reputare, remiſſiuè.

34 Præceptum confeſſionis abſolutè conſiderata, licet ſit diuinum ſuppoſita lathali culpa poſt Baptiſmum; nõ tamen obligat ſtatim poſt commiſſam mortalem culpam; ſed maximè in articulo, ſeu periculo mortis.

35 Fideles diuino præcepto non obligantur, vt peccata commiſſa memoria retineant.

36 Memoria hominis labilis eſt.

37 Præceptum Diuinum ſacramentalis confeſſionis eſt affirmatiuum; & licet non obligat ſemper ad ſemper, obligat tamen tempore neceſſitatis, ſicut alia præcepta affirmatiua.

38 Tempus neceſſitatis dicitur articulus mortis.

39 Præceptum diuinum confeſſionis directè, propriè, & de per ſe ex vi eiuſdem præcepti intrinſeca obligat in articulo mortis.

40 Articulus mortis, & Periculum mortis inter ſe differunt.

41 Medici ad curandum ægrotos vocari non vltra tertium diem eos viſitent, niſi eiſdem in ſcriptis conſtet de eorum confeſſione, & quid in praxi.

42 Præceptum diuinum confeſſionis in extrema neceſſitate eſſe ad annum determinatum eſt falsũ.

43 Præceptum diuinum cõfeſſionis alligat poſt commiſſam lathalem culpam in multis caſibus, etiam extra mortis articulum.

44 Confeſſio ſacramentalis fuit a Deo inſtituta ad curandos ſpirituales morbos, & ad præſeruandum ab eis.

45 Populi quidem dixerunt Carolo V. quod ſi tolleretur confeſſio, tolleretur peccandi verecundia, & innumera homines committerent ſcelera.

46 Tempus confitendi, ſi per impoſſibile ab Eccleſia non fuiſſet determinatum extra mortis articulum tenerentur fideles conſcientiam peccati mortalis habentes confiteri quarto, vel quinto quoque anno.

47 Periculum carendi confeſſario quem nunc quis habet, tempore neceſſario, iure diuino obligat anticipare confeſſionem peccatorum mortaliũ extra mortis articulum; & multò magis in mortis articulo.

48 Fideles ſi præuideant toto anno confiteri non poſſe, obligantur confeſſionem anticipare in quacumq; parte anni, & idem in audiendo Sacrum Die feſto in horis.

49 Fideles tenentur anticipare præceptum communionis periculo carendi præfixo tempore.

50 Præceptum diuinum confeſſionis peccatorum morta-

Digitized by Google

mortalium, magis vrget in periculo carendi confeſſario, & in mortis articulo, quam ſemel in anno.

51 *Fidelis bellum profecturus, per infideliũ terras iter habiturus, longam nauigationem facturus, ſi probabiliter timeat ſe non habiturum copiã confeſſarij tempore debito tenetur anticipare confeſſionem.*

52 *Sacerdotes omnes in ſacramentali iudicio in mortis articulo ſunt legitimi Iudices.*

53 *Sacerdotes hæretici licet, ſecundum aliquorum opinionem, in extrema neceſſitate in ſacramentali Iudicio ſint legitimi Iudices, tamen ſunt euitandi quo ad fieri poteſt; & quod quid ſit de hoc declaratum.*

54 *Exiſtens in terris infidelium, & grauibus negotijs detineatur, & lethalem culpam contraxerit, ſi probabiliter credat non habiturum copiam confeſſarij ſaltim in articulo mortis, tenetur recedere pro adimplendo præcepto confeſſionis.*

55 *Præcepta poſitiua etiam diuina non obligant cum tanto diſpendio.*

56 *Præceptum diuinum cõfeſſionis in articulo mortis eſt poſitiuum.*

57 *Exiſtens in terris infidelium, ſi ab eis non recedat pro adimplendo præcepto diuino confeſſionis, non ratione proprij commodi, ſed quia ſe exponit periculo moriendi citra confeſſionem, & non adimplendi præceptum, vel propter periculum deuaſtationis Reipublicæ excuſatur, ſed ſatis eſt enim conteri.*

58 *Habens peccata reſeruata, ſi nunc poteſt confiteri habenti iuriſdictionem in illa, & probabiliter timeat non habiturum amplius tempore determinato talem facultatem habentem tenetur confeſſionem anticipare.*

In articulo mortis non datur caſuum reſeruatio.

59 *Sumens Euchariſtiam, ſi conſcientiam lethalis culpæ habeat, tenetur confeſſionem præmittere; quod ſi fecit, ſemel peccaret.*

60 *Opinio aſſerentium, quem non obligari ad ſacramentalem confeſſionem, etiam eo tempore, quo vult Euchariſtiam ſumere, niſi ſemel in anno, eſt falſa.*

61 *Confeſſio ſacramentalis non eſt neceſſariò præmittenda in alijs Sacramẽtis, ſicut in Euchariſtia, ſed tantum ex debito honeſtatis; tamen ſuſcipiens, & adminiſtrans tenetur conteri.*

62 *Confeſſus pluries intra annum, iure diuino tenetur ad confeſſionem accedere ad ſuperandã ſpecialem aliquam tentationẽ peccati, in quod frequenter incidere ſolet, & probabiliter credat ſe effugere non poſſe, ac etiam quãdo ſtimulus propriæ conſcientiæ accuſat.*

63 *Præceptum diuinum confeſſionis obligat intra annum ad pluries confitendum eum, qui vouit intra annum pluries confiteri, vel id in pœnitentiam acceptauit.*

64 *Pontifex non poteſt confeſſionem ſacramentalem tollere, nec diſpenſare, ne quis peccatum mortale habens ſaltim in articulo mortis confiteatur.*

65 *Inferior non poteſt tollere, nec diſpenſare in lege ſuperioris.*

66 *Pontifex tenetur legem diuinam adimplere, & vſque ad ſanguinem defendere.*

67 *Pontifex poteſt diſpenſare in Iure diuino diſpoſitis quoad præcepta moralia affirmatiua tantũ.*

68 *Diſpẽſatio abſque rationabili cauſa, eſt potius diſſipatio, & diſpenſatus non eſt tutus in conſcientia.*

69 *Pontifex non poteſt diſpenſare, ne quis confiteatur quotannis.*

70 *Confeſſio ſacramentalis ſi à Deo fuiſſet tantum inſtituta, & non præcepta, potuiſſet ab Eccleſia præcipi.*

71 *Eccleſia circa vſum Sacramentorum poteſt ea ſtatuere, quæ fidelium ſaluti congruunt.*

72 *Eccleſia non habet poteſtatem in actus purè internos.*

73 *Inferior ſubdit voluntati ſuperioris in actibus externis tantum.*

74 *Eccleſia ſi non habet iuriſdictionem directè ſuper actus purè internos, habet tamen indirectè.*

75. *Eccleſia poteſt plura præcepta ad ſalutem neceſſaria facere.*

76 *Præceptum confeſſionis ſemel in anno non eſt de conſilio, ſed verè præceptum Concilij Lateranenſis obligans de per ſe ad confeſſionem ſemel in anno, & communionem in Paſcha.*

77 *Præceptum confeſſionis ſemel in anno eſt ita Eccleſiaſticum, vt ſit etiam diuinum.*

78 *Præceptum annuæ confeſſionis dicitur Eccleſiaſticum quoad determinationem tẽporis tantũ.*

79 *Pontifex non poteſt abrogare legem confeſſionis annuæ omninò quoad omnes.*

80 *Eccleſia, ſi per impoſſibile, non determinaſſet tempus habendi confeſſionem in vita extra articulum mortis. Iure diuino fideles mortalem culpam contrahentes, tenerentur ad confeſſionem accedere quarto, vel quinto quoque anno.*

81 *Eccleſia fuit obligata præceptum annuæ confeſſionis inducere; cui licet Papa ex ſufficienti cauſa diſpenſare poſſit; id tamen nunquam honeſtè fieri poteſt.*

82 *Pontifex circumſtantiam annualem confeſſionis poteſt in temporis duratione variare prout magis viderit chriſtianæ Reipublicæ expedire; non tamen poteſt diſpenſare cum aliqua Prouincia, vel Eremita, vt nunquam, vel rarò confiteatur, & ſi diſpẽſat, peccat, licet valida ſit diſpẽſatio.*

1 IN hac re *Grat. de pœnit. d. 1. per totam,* propoſita quæſtione, an læthalem culpam poſt Baptiſmum contrahens teneatur eam ad eiuſdem remiſſionem obtinendam confiteri: vel poſſit citra confeſſionem actu, vel propoſito per ſolam contritionem ſaluari; tandem in *cap. quamuis, §. quibus auctoritatibus, ead. diſt.* inquiens, vtramque opinionem fautores habere ſapientes, ac Religioſos viros, cui potius ſit adhærendum, Lectoris iudicio reſeruauit. *Gloſa vero in ſum. de pœnit. diſt. 5. & Panor. in explic. noſtri cap. nu.* 18. controuerſiam ipſam definientes, expreſſè negant, confeſſionem ſacramentalem iure Diuino fuiſſe inſtitutam, aut præceptam, ſed iure tantùm humano ex generali Eccleſiæ traditione fatentur introductam: & propterea non peccare Græcos, ea non vtentes, ſed ſoli Deo in ſecreto confitentes: quoniam apud eos nõ emanauit huiuſmodi conſtitutio. Imò non deſunt, qui velint, neceſſitatem confitendi ex ſolo noſtro cap. atque ideò in Concilio Lateranenſi ſub Innoc. III. dumtaxat, emanaſſe. Vndè præceptum confitendi ſemel in anno

purè Eccleſiaſticum, non autem ſimul Diuinum eſſe contendunt. Hanc eandem opinionem videtur tenete *Theodor. Cantur. Archiep.* relatus à *Grat. in cap. fin. de pœnit. diſt.* 1. dum videtur velle, confeſſionem ab Apoſtolo Iacobo fuiſſe inſtitutam. Luther. quoque, & quamplurimi alij hæretici impietatem huiuſmodi docent, fundati ex eo, quòd Chriſtus Dominus peccata dimiſerit circa obligationem confitendi.

His tamen non obſtantibus in contrarium eſt vera, de fide, ac catholica ſententia, quam tenent
2 *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. Gabr. ibidem, q. 1. art. 1. not. 2. & art. 2. in coroll. poſt 2. concl. Palud. q. 2. art. 4. nn. 5. in fin. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 5. q. 1. Ioan. Medin. C. de confeſ. q. de confeſſione ſemel in anno agenda, Petr. Sot. de inſt. Sacerd. lec. 5. de confeſ. Domin. Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 1. concl. 4. Can. in relect. de pœnit. par. 5. §. ita licet, fol. 155. & §. quarto caſu fol. 164. Greg. de Valent. 3. par. diſp. 7. q. 9. pnn. 1. Suar. 3. p. tom. 4. diſp. 17. ſec. 2. & diſp. 35. ſec. 1. Vaſq. ibidem, q. 90. art. 1. dub. 3. & 4. Coninch. diſp. 5. de neceſſit. confeſ. dub. 1. nu. 3. & dub. 2. nu. 17. Conar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 1. ſub nu. 6. de ſent. excom. lib. 6. Nauarr. de pœnit. d. 5. in princ.* latè *Bellar. toto lib. 3. de pœnit. Fagund. de precep. Eccleſiaſt. precep. 2. lib. 1. cap. 1. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. de Sacr. pœnit. cap. 5.* & alij quamplurimi ab eiſdem relati. Pro cuius rei explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

Confeſſio ſacramentalis per ſe ſumpta, ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico, eſt de iure Diuino à Chriſto Domino inſtituta. Hæc concluſio eſt
3 de fide contra *Gloſ. & Panorm.* ſupra relatos, & alios, & contra nonnullos hæreticos, præcipuè *Vuiclef. Luther.* & eorum ſequaces. Vndè iure Diuino tenentur omnes fideles Sacerdoti confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quę poſt Baptiſmum commiſerunt, quantum morali adhibita diligentia facere poſſunt: nec valent citra confeſſionem in actu, vel propoſito per ſolam contritionem ſaluari. Probatur hæc concluſio, quoniam id conſtat non ſolùm definitum fuiſſe aduerſus hæreticos, *in Conc. Conſtanſienſ. & in Conc. Florentino ſub Eugen. IV.* ſed etiam nouiſſimè *in Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* ita ſe habente: *Vndè cùm à ſanctiſſimis, & antiquiſſimis Patribus magno, vnanimiq; conſenſu ſecreta confeſſio ſacramentalis, qua ab initio Eccleſia Sancta vſa eſt, & modò etiam vtitur, fuerit ſemper comendata; manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam à Diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque a Patribus in Conc. Lateranen. congregatis initium habuiſſe, docere non verentur, &c.* Idem ſtatuit ipſumet *Concil. can. 6. ead. ſeſſ.* per hæc verba: *Si quis negauerit, confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe iure Diuino: aut dixerit, modum ſecreta confeſſionis ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſeruauit, & obſeruat, alienum eſſe ab inſtitutione, & mandato Chriſti, & inuentum eſſe humanum, anathema ſit.* Hæc eadem catholica veritas per idem *Conc. Trid. cap. 1.* probatur ex ipſa Sacramenti pœnitentiæ inſtitutione, & clauium poteſtate, Apoſtolis à Chriſto tradita: *Ioan. cap. 20.* ita dicente: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Etenim dum
4 Chriſtus Dominus remittendi peccata Sacerdotibus poteſtatem eo loco tradidit, eoſdemq; Iudices ad remittenda peccata conſtituit, lumine quodam naturali conſequitur, non poſſe iudiciũ huiuſmodi per eos exerceri citra pręuiam omniũ peccatorum cognitionem, ac manifeſtationem: aliàs procul dubio ignorarent, quæ peccata debeant remittere, quæuè retinere: & iudicium daretur in incognitum contra ea, quæ habentur,
5 *in tex. in l. illicitas, §. veritas, ff. de offic. Præſid.* Hęc autem peccatorum cognitio, ac manifeſtatio non aliter haberi commodè, ac completè poteſt, quàm per pœnitentis confeſſionem: ergò ſacramentalis confeſſio tunc à Deo fuit inſtituta, cùm remittendi peccata poteſtas Apoſtolis tradita fuit, atque ideò in ipſa Sacramenti inſtitutione. Confirmatur eadem concluſio, ex eo quòd Chriſtus Ieſus non modò conſtituit Apoſtolos, & Sacerdotes conſcientiarum Iudices, verùm etiam animarum Medicos. At Medicus non poteſt curare vulnera, quæ ſibi non aperiuntur: ergò nec Sacerdos peccata, niſi præuia ſacramentali confeſſione. Præterea probatur hæc ipſa concluſio non modò ex perpetua Patrum, & Conciliorum traditione, ex qua ſacramentalem confeſſionem neceſſariò ortum à Chriſto habuiſſe latè probat, *Bellar. lib. 3. de pœnit. à cap. 6. vſque ad 11. Suar. Laym. Fagund.* & alij ſupra relati Doctores, verũ etiam ex eiuſdem ſacramentalis vſu non ſolùm per mille ducentos annos à Chriſti natiuitate, vt per eundem *Ballar. ibi*; ſed etiam ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt aliqui colligunt ex illo *Ioan. cap. 1. Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra. Et Act. cap.* 19. in illis verbis: *veniebant confitentes, &c. Iacobi quoque, cap. 5. Confitemini alterutrum peccata veſtra, &c.* Nec dici poteſt huiuſmodi verbis Apoſtolum voluiſſe inſtituere
6 confeſſionem ſacramentalem, cùm inſtituendi Sacramenta facultatem non habuerint Apoſtoli; atque ideò Eccleſia; nam ſi Eccleſia non poteſt materiam, & formam alicuius Sacramenti mutare, vel variare, multò minus poteſt Sacramentum aliquod nouum inſtituere: ergò dicendum eſt Iacobum Apoſtolum cõfeſſionem ſacramentalem conſuluiſſe tanquam à Chriſto inſtitutam, & qui ſolùm potuit Sacramenta inſtituere, & de facto inſtituit, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 7. can. 1.* quod definiens omnia Sacramenta nouæ legis à Chriſto profluiſſe, ita ſtatuit: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura, vel pauciora, quàm ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè, & propriè Sacramentum, anathema ſit.* Imò ex illo Iacobi loco rectè colligitur hanc confeſſionem debere fieri non Deo, vt hæretici contendunt; ſed hominibus Sacerdotibus, qui poteſtatem habent ſoluendi, & ligandi, vt rectè declarat, *Fagund. de 2. Eccl. præcep. lib. 1. cap. 1. ſub nu. 2.* qui etiam *ſub nu. 1.* declarando verba illa *Ioan. cap. 1. Si confiteamur peccata noſtra, &c.* Hanc confeſſionis conditionem neceſſariò

requi-

requiri, vt Deus ex fidelitate, & iuſtitia peccata remittat: & Deum alicubi remiſſionem peccatorum promiſiſſe ijs, qui illa confitentur, aliàs ad id non poſſet ex fidelitate, aut iuſtitia obligari. Teſtimonia demum Patrum vide apud *Fagund. loco citato*, & fuſius apud *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 5. cap. 5. & Bellar. vbi ſupra.* Et re vera negari non poteſt ſacramentalem confeſſionem à Deo fuiſſe inſtitutam; aliàs nunquam fideles, præcipuè Reges, & Principes, tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſtici ea vſi fuiſſent, & legem confeſſionis, quam difficillimam eſſe nemo eſt qui neget, recepiſſent.

Nec obſtat, quòd Chriſtus peccata dimiſerit abſque obligatione confitendi: id enim mirum
7 non videatur, quoniam tunc temporis pœnitentiæ Sacramentum non fuerat inſtitutum: illud autem indicauerat per Baptiſmum Ioannis, quod non erat citra confeſſionem aliquam, vt ait *Chryſoſtom. Matt. cap. 3.* & per curationem leproſorum, dum ait *Luc. cap. 17. Ite, oſtendite vos Sacerdotibus, & factum eſt dum irent, mundati ſunt.* Et denique per Lazari reſurrectionem, & ſolutionem, *Ioan. cap. 11. Soluite eum, & ſinite abire.*

Scio *Zozomen. in hiſtoria tripartita lib. 9. cap. 35.* referre Nectarium Epiſcopum Conſtan-
8 tinopol. abrogaſſe confeſſionem in Eccleſia Conſtantinopolitana. Cui abrogationi *Chryſoſtomus* eiuſdem ſucceſſori inhærens, & alludens, ita inquit *tom. 5. ſerm. de pœnit. Nunc autem, neque neceſſarium eſt, præſentibus teſtibus confiteri, cogitatione fiat delictorum exquiſitio, abſque teſte ſit hoc iudicium, ſolus Deus confitentem videat; Deus, qui non exprobat peccata tua, ſed ſoluit peccata per confeſſionẽ, numquid ſic grauaris, & retrocedis?* Idem *Chryſoſtomus tom. 2. homil. 4. de Lazaro*, de confeſſione tractans, ita ſimiliter ait: *Caue homini dixeris, ne tibi exprobet, ſed Domino, qui tui curam gerit, & qui humanus eſt, & Medicus, oſtende vulnera tua.* Et paulò infra: *Non cogo te in medium prodire Theatri, & multos adhibere teſtes, mihi ſolum dic peccatum tuum vt ſanem vulcus, teque dolore liberabo.* Et deniq; *tom. 1. homil. 2. in pſal.* 50. in illa verba: *Quoniã iniquitatem meam ego cognoſco, &c.* Ita dicit: *Peccata autem tua dicito, vt deleas illa, ſi confunderit alicui dicere, quæ peccaſti, dic quotidiè in anima tua, non dico vt cõfitearis conſeruo tuo, vt exprobet, dic Deo, qui curat ea.*

Sed re vera ſi prædicta, quæ noſtræ concluſioni aduerſari videntur, rectè perpendantur;
9 ſicut ea, quæ per eundem Chryſoſtomum habentur, *homil. 31. in epiſt. ad Hebræos*, clarè colligitur ex eis Zozomenum, & Chryſoſtomum loquutos fuiſſe de abrogatione confeſſionis publicæ, quæ vel in publico coram teſtibus fiebat, vel coram Diacono, qui exprobare poterant; quæ confeſſio non erat Sacramentalis. Vndè non ob id negant confeſſionem Sacramentalem faciendam eſſe Sacerdoti, cùm nonnullas homilias egerit *Chryſoſtomus de pœnitentia tractantes, & lib. 2. de Sacerdotio*, ita inquit: *Multa quidem arte opus eſt, vt qui laborant Chriſtiani vltrò ſibi perſuadeant, Sacerdotum curationi ſeſe ſubmittere oportere.* Et lib. 3. *Etenim qui terram incolunt, atque in ea verſantur, ijs commiſſum eſt, vt ea, quæ in Cælis ſunt, diſpenſent: ijs datum eſt, vt poteſtatem habeãt, quam Deus Optimus Maximus, neque Angelis, neque Arcangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad illos dictum eſt; Quæcunque alligaueris in Terra, erunt alligata in Cælo, &c.* Et denique *homil. 20. in Gen.* de auriculari, ac ſecreta, & ſacramentali confeſſione tractans, ſic ait: *Ad confeſſionem feſtinandum eſſe, & Medico ſoli, qui curet, & non exprobet oſtendendum vlcus.* Atque ideò apertè docet, neceſſarium eſſe ad ſalutem peccata ſua confiteri non ſolùm Deo, ſed etiam Sacerdoti: ſiquidem antiqui Patres pro eodem accipiebant, aliquem confiteri Deo, ac confiteri ſecretò Sacerdoti, vt rectè dicit, *Coninc. loco ſupra citato, dub. 1. nu. 11. & 15. verſ. Vndè quando*: Et *Fagund. d. cap. 1. ſub nu. 5.* Concluditur igitur *Chryſoſtomum*, & alios ſupra relatos loqui de abrogatione confeſſionis publicæ, non autem auricularis, & ſecretæ.

Differt autem confeſſio, ac pœnitentia publica à ſecreta, & auriculari in multis, de quibus latè
10 *Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 7. per totum*, vbi nõnullos canones pœnitentiales affert, publicam pœnitentiam ſtatuẽtes, ex quibus clarè dignoſcitur eam non eſſe ſacramentalem, ſicut eſt confeſſio auricularis, & pœnitentia, quæ in ipſa imponitur; ſed tantùm ceremonialem quandam orationem ab Eccleſia adinuentam, quæ conferebatur pœnitentibus pro criminibus publicis, grauioribus, & cum Eccleſiæ ſcandalo adiunctis, vt colligitur ex *Conc. Arelaten. 2. can. 17. Carthag. 3. can. 32. & ex D. Auguſt. lib. 3. de Baptiſ. cap. 16. & lib. 5. cap. 23.* Nec fuit introducta ab ipſa
11 Eccleſia ad remittenda per ſe primò peccata; ſed quia poſt exortam Montani, & Nouati hæreſim, quod: *Lapſis à Deo venia petenda, & non ab Eccleſia Sacerdotibus venia ſperanda ſit.* Ne catholici nimis faciles viderẽtur in lapſis recipiendis, conſtituerunt Patres, ſeù ſacrorum canonum conditores, vt à fide qui defecerint, aut in alijs criminibus publicè fuerint comprehenſi, non antea ad publicæ orationis communionem, & multò minus ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum reliquis fidelibus admitterentur, quàm præmiſſa publica criminum confeſſione, publicam in Eccleſia pœnitentiá peragiſſent: interim verò in pœnitentium locum tranſmiſſi. Hæc autem publica pœnitentia, ſicut & publica criminum confeſſio pro locorum varietate mutata fuit, & in quibuſdam locis omninò ſublata, vt legitur de Nectario, quem ſupra retulimus, & cui Chryſoſtomus eius ſucceſſor inhæſit. Et in occidente præſertim Romæ licèt diù pœnitentium ordo permanſerit; poſtea tamen pœnitus exoleuit, vt teſtatur *Zozomen. lib. 7. cap. 16.* Imò vt legitur apud *Baron. anno Domini 56. nu. 35. Leo 1. Epiſt.* 80. ad vniuerſos Campaneæ Epiſcopos ſcripſit, ne fideles deinceps cogerent ad publicam pœnitentiam peragendam, cùm per eam publicè eorum peccata confitebantur.

SECVNDA CONCLVSIO.

Confeſſio ſacramentalis abſolutè ſumpta, ſecluſo præcepto Eccleſiaſtico, non ſolùm
12 iure Diuino eſt inſtituta; ſed etiam præcepta. Hæc concluſio adeò eſt de fide, vt contraria hodie non ſolùm ſit falſa, & erronea, verum etiam omninò hæretica. Probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* in illis verbis: *Manifeſtè refellitur*

inanis

inanis eorum calumnia, qui eam à Diuino mandato alienam, &c. Confirmatur ex eodem *Conc. can.6. ead. ſeſſ.* vbi anathematis vinculo ligatur negans confeſſionem ſacramentalem ad ſalutem neceſſariam eſſe iure Diuino. *Et ſeſſ. 6. cap. 14.* decernitur, quòd culpa mortalis hodie non remittitur, niſi Sacramento, vel Sacramenti voto;
13 atque ideò per confeſſionem, vel in ordine ad
ipſam reſtituitur homo in gratiam Dei. Ergò neceſſariò ſequitur, cõfeſſionem ipſam à Deo fuiſſe præceptam: ſi quidem confeſſio non poteſt dici medium neceſſarium ex ſui natura; nam per contritionem ante legem Euangelicam abſque vllo ordine ad confeſſionem peccata dimittebantur: ergò hæc medij neceſſitas oritur ex libera Dei voluntate, & ſic ex Diuino præcepto. Vndè non ideò hoc medium præceptum eſt, quia neceſſarium; ſed è conuerſo ideò hoc medium cõfeſſionis neceſſarium eſt, quia præceptum. Et quamuis contraria propoſitio explicitè non ſit contra aliquem articulum fidei; implicitè tamen continet aliquid fidei contrarium: nam ſi ſacramentalis confeſſio non eſſet à Deo inſtituta, & præcepta, ſequeretur, claues Eccleſiæ non eſſe neceſſarias ad ſalutem. Idem dicendum eſt de dubitante de
14 ſacramentali confeſſione, an ſit de iure Diuino,
vel humano; quoniam dubius in fide infidelis eſt, *cap. 1. de hæretic.* & nos latè declarauimus in noſtris Commentar. *ad Bull. cœn. lib. 2. can. 1. q. 23. per totam*, & in terminis noſtris *D. Thom. in 4. d. 17.* in explicatione litteræ, quem refert, & ſequitur *Sil. in ſum. in ver. confeſſio 2. quæſt. 1.* Non tamen *Gloſ. Panor. Grat. & Theod.* Hæretici dici poſſunt, cùm eorum tempore talis controuerſia de fide non fuerit ab Eccleſia definita: ſiquidem hæreticus propriè dici non poteſt, niſi,
15 qui errorem habet in intellectu fidei catholicæ
contrarium cum pertinacia: id eſt quod ſciens aliquam propoſitionem eſſe ab Eccleſia catholica definitam, eam neget, vt nos diffusè probauimus in dictis noſtris commentar. *lib. 2. can. 1. quæſt. 24. & 25.*

TERTIA CONCLVSIO.

Confeſſio ſacramentalis abſolutè ſumpta, licèt ſit de iure Diuino inſtituta, & præ-
16 cepta, illa tamen in lege naturæ, aut lege
ſcripta inſtituta non fuerat, nec præcepta, ſed tantum in lege Euangelij poſt Chriſti Domini Reſurrectionem. Hæc concluſio habet duas partes. Prima eſt, quod confeſſio ſacramentalis non fuit inſtituta, nec præcepta in lege naturæ, aut ſcripta, Secunda verò eſt, quòd confeſſio ſacramentalis fuit inſtituta, & præcepta in lege Euangelica poſt Domini Reſurrectionem. Probatur concluſio quoad primam partem, quoniam in lege naturæ nullum aliud fuit Sacramentum ad remiſſionem peccati, præter quàm remedium circumciſionis, quæ dicebatur ſignum fœderis ad expia-
17 tionem peccati originalis, vt patet ex *Gen.*
cap. 17. Et in lege ſcripta pro Adultis non erat Sacramentum aliquod conferens gratiam ex opere operato, quale eſt Sacramentum pœnitentiæ, & ſic confeſſio, quæ ipſius eſt pars materialis. Quò circa falluntur exiſtimantes confeſſionem ſacra-
18 mentalem fuiſſe inſtitutam in Paradiſo Terreſtri
à Deo, quando poſt peccatum vocauit Adam, & dixit ei: *Vbi es:* Quaſi his verbis exegerit ab Adamo ſui peccati confeſſionem, vt ipſo confitente culpam, daretur forma alijs in poſterum confitendi. Vel fuiſſe inſtitutam in lege veteri quando Ioſue præcipit Achor crimen ſuum confiteri, & lapidatus eſt. *Et num. cap. 5.* dum ait Dominus ad Moyſen: *Loquere ad filios Iſrael, vir ſiuè mulier cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ ſolent hominibus accidere, & per negligentiam tranſgreſſi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum ſuum, &c.* Et denique *Leuit. cap. 5.* vbi multa præcipiuntur ſacrificia ad expiationem peccati, quæ eorum confeſſionem indicabant. Etenim Deus exigebat ab Adamo ſui criminis confeſſionem; ſicut Ioſue ab Achor, non vt ſacramentalem confeſſionem inſtituerent, ſed vt traderent Iudicibus formam condemnandi Reos; vt neminem ſcilicet, niſi conuictum, vel in iudicio confeſſum condemnarent. Quo verò ad illa loca *Num. & Leuit.* dicimus, quòd licèt in lege ſcripta cæperit aliquo modo confeſſio; illa tamen non erat ſacramentalis, ſpecialis, ac diſtincta, qualis eſt confeſſio in lege noua inſtituta, ac præcepta; ſed tantùm generalis, ceremonialis, & indiſtincta, dum pro diuerſis peccatis diuerſa offerebantur ſacrificia, quæ indicabant offerentium peccata: quæ quidem confeſſio fiebat de peccatis publicis, nõ ad conferendam internam peccatorum remiſſionem, ſed tantum ad tollendas quaſdam irregularitates illius legis, iuxta illud Apoſtoli ad Hebræos *cap. 9. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, &c.* Vndè ad emundationem ſpiritus in lege ſcripta, ſicut in lege naturæ neceſſaria fuit ad remiſſionem lætalis culpæ confeſſio interior, atque ideò contritio: & in lege noua facienda eſt ſpecialis, ac diſtincta, & exterior omnium, ac ſingulorum peccatorum mortalium confeſſio contritionem, & ſatisfactionem inducens, vt benè declarat *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 2. ad 1. & 2. Sot. d. 18. q. 1. art. 2. ad 2. Medin. tract. 2. de confeſ. & Nauar. de pœnit. d. 5. in princ.*

Secunda pars eiuſdem concluſionis patet, quia ſi in lege Euangelica confeſſio ſacramentalis ante
19 Chriſti Domini Reſurrectionem inſtituta, ac
præcepta fuiſſet, proculdubio in cœna, vel ante cœnam fuiſſet; ſed neutrum dici poteſt; ergò ſacramentalis confeſſio fuit à Chriſto Ieſu poſt eius Reſurrectionem inſtituta, ac præcepta. Minor patet, quia non poteſt dici primum, quia poteſtas in corpus Chriſti myſticum non datur ante pote-
20 ſtatem in corpus Chriſti verum; hæc autem data
fuit tantùm in cœna. Non ſecundum: nam quamuis Chriſtus in cœna Apoſtolos inſtruxerit de ſtatu futuræ Eccleſiæ, & conſequenter de hoc Sacramento poſtea inſtituendo: non tamen ita inſtituit, vt gratiæ ſignificationem, & efficaciam haberet, quoniam poteſtas remittendi peccata tributa non dum fuerat. Etenim poteſtatem hanc *Matt. cap. 16. & cap. 18.* promiſerat dumtaxat, & non dum dederat, vt conſtat ex illis verbis: *Tibi dabo claues, &c.* Vndè concludendum eſt fuiſſe inſtitutam ſacramentalem confeſſionem poſt Reſurrectionem Chriſti *Ioan. cap. 20.* dum
21 ait: *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Quod quidem *Conc. Trid. ſeſſ. 14.*

ſeſſ. 14. de ſacram. pœnit. cap. 1. apertè quoque
definiuit, vt ſupra oſtendimus, *concl. 1.* dum ait:
*Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc
præcipuè inſtituit cùm è mortuis excitatus inſuf-
flauit in Diſcipulos dicens, Accipite Spiritum
ſanctum, quorum remiſeritis peccata, &c.* Vbi
obiter eſt adnot. quòd iuriſdictio, ac poteſtas eo
22 loco tributa Apoſtolis non fuit ordinaria, ſed de-
legata, in ſucceſſores non tranſitura, ſed deſitura
cum ipſis Apoſtolis; quam poteſtatem dedit etiā
Apoſtolo Petro: ordinariam verò ſoli Petro tri-
buit, *Ioan. cap. 21.* dum ter ei dixit: *Paſce oues
meas.* Quibus verbis conſtituit eum Principem,
& Regem Apoſtolorum, & totius Reipublicæ
Chriſtianæ cum omni poteſtate, non tantùm or-
dinis, ſed etiam iuriſdictionis temporalis, & ſpi-
ritualis, directiuæ, & coerciuæ, externæ, & in-
ternæ in foro ſacramentali: quæ quidem poteſtas
non fuit extincta cum perſona Principis Apoſto-
lorum; ſed perpetuò remanſit in Eccleſia, & in
ſucceſſoribus Pōtificibus, à quibus in alios tranſ-
funditur, vt contra *Sot. in 4. d. 22. q. 2. art. 1.*
dicentem Epiſcopos omnes recipere immediatè
à Chriſto iuriſdictionem tanquam ſuccedentes
in locum Apoſtolorum, latè declarauimus in
Commentar. in Bull. cœnæ, lib. 2. can. 1. q. 3. & 4.

QVARTA CONCLVSIO.

CONfeſſio ſacramentalis licèt ſit iure Diuino
inſtituta, & præcepta, atque adeò medium
23 neceſſarium ad ſalutem; nihilominus non
dicitur medium neceſſarium abſolutè, ita vt citra
confeſſionem ſaluari nemo valeat, ſicut Baptiſ-
mus; ſed tantùm ex ſuppoſitione, ideſt ſuppoſita
læthali culpa, poſt Baptiſmum commiſſa. Proba-
tur: quia peccatum mortale, quod poſt Baptiſ-
mum committitur dumtaxat, eſt materia neceſ-
24 ſaria Sacramenti pœnitentiæ. Vndè ſi peccatum
mortale poſt Baptiſmum quis non commiſerit,
nullo iure, nec Diuino, nec humano, in vita, nec
in mortis articulo, ſeù periculo ad ſacramenta-
lem confeſſionē tenetur, vt habetur ex *D. Thom.
in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtion. 3. ad 3.* quem ſe-
quuntur communiter ſcribentes, & nos infra la-
tius, Deo duce, dicemus. Quocircà falſum eſt
illud, quod dicitur de Beatiſſima Virgine, quòd
Apoſtolo Ioanni confiteretur, vt videtur velle
25 *Alber. Magn. ſuper, miſſus eſt, cap. 69. & 70.
& D. Thom. 3. par. q. 37. art. 4.* Non enim con-
fiteri poterat, quæ nunquam, nec venialiter qui-
dem peccauit, vt rectè poſt alios probat, *Fagund.
de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 1. cap. 2. ſub n. 10.*
Hac eadem ratione ad ſacramentalem confeſſio-
26 nem non obligantur Infantes, quippè qui ratio-
nis vſu cùm incapaces exiſtant, peccare non poſ-
ſunt. Infideles quoque ante Baptiſmum, quamuis
27 peccatores ſint; non tamen tenentur confiteri:
quoniam peccata commiſſa ante Baptiſmum ſu-
ſceptum non ſunt materia Sacramenti pœniten-
tiæ, etiam poſt ipſum Baptiſmum ſuſceptum,
cùm per Baptiſmum remiſſa ſint,

Nec obſtat ſi dicatur, quòd Euchariſtiæ Diui-
num præceptum obligat etiam Infideles: nam
28 non militat eadem ratio de Euchariſtia, & ſacra-
mentali confeſſione: quoniam Euchariſtiæ præ-
ceptum obligat hominem, etiam ſi nullius pec-
cati cōſcientiam habeat, atque ideò recepto Bap-
tiſmo Infidelis tenetur Euchariſtiam ſumere, etiā
ſi amplius non peccet: At confeſſio non obligat
abſolutè, ſed ſuppoſita materia peccati poſt Bap-
tiſmum, vt ſupra diximus; & propterea Infidelis
cùm ante Baptiſmum materiam habere non poſ-
ſit, ad confeſſionem obligari non poterit; quam-
29 uis regulariter Diuinum præceptum etiam Infi-
deles alliget, vt benè declarat *Sot. in 4. d. 18. q. 1.
art. 2. Fagund. d. cap. 2. nu. 6. & Suar.* poſt alios
3. par. tom. 4. diſput. 35. ſec. 2. nu. 2. vbi etiam circa
finem addit, quòd ſi quis dubitet læthalem cul-
pam commiſiſſe, & ad minus indifferens ſit ad
vtramq; partem, cùm peccatum illud ſit materia
30 neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, ad illius con-
feſſionem merito obligatur, vt patet ex ijs, quæ
habentur ex *D. Thom. in 4. d. 21. q. 2. art. 2. ad 3.
Nauar. in Man. cap. 9. num. 14. Sanch. lib. 1.
moral. cap. 10. nu. 66. & 67.* Et hanc ſententiam
communem eſſe teſtatur, *Laym. in ſua ſum.
Theolog. lib. 1. tract. 1. cap. 5. ſub nu. 37. verſ. Id
verò.* Licèt contrarium doceat, *Coninch. tom. 2.
de Sacram. diſput. 7. dub. 8. concl. 2.* dum vult,
adhoc vt quis teneatur confiteri peccatum mor-
tale, exigi vt ſaltem probabiliter iudicare poſſit
ſe peccaſſe: quod probat tum ratione; quia in
dubio delictum præſumi non debet; tum etiam
ex *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi ad ſeruandam
confeſſionis integritatem, à pœnitentibus expo-
ſtular tantùm, omnia peccata exprimi, quorum
poſt diligentem ſui confeſſionem conſcientiam
habent. Non tamen recedendum eſt à communi
ſententia, maximè ſi pœnitens reperiatur conſti-
tutus in articulo, vel in periculo mortis ex natu-
rali charitatis lege. Idem dicendum arbitror de
eo, qui recordatur ſe peccatum mortale commi-
ſiſſe, dubitet verò, an confeſſus ſit: nam is ex
communi Doctorum ſententia tenetur peccatum
confiteri, vt habetur ex *Nauar. d. cap. 9. nu. 14.
Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 9. num. 7. & Laym.
loco citato, nu. 37.*

Eſt tamen verum, quod aliter dicendum eſt de
eo, qui ſcit ſe percuſſiſſe hominem, ſed dubitat,
31 an percuſſerit clericum, itaut ſit indifferens ad
vtramq; partem: nam ſi facta diligentia, non poſ-
ſit veritatem deprehendere, non debet ſe excom-
municatum reputare: ſiquidem pœna in dubio
non eſt præſumenda, & ille eſt in immunitatis,
poſſeſſione. Idem dicendum eſt de alijs cenſuris.
Vndè ſi quis temerè, ac mala fide ſacrum ordinē
ſuſceperit, dubitans an legitimam ętatem habeat,
ſi veritatem deprehendere nequeat, non debet
cenſeri ſuſpenſionis cenſuram contraxiſſe. Debet
tamen, ſi neceſſitas nulla cogat, ab ordinis exer-
citio ſe abſtinere vſque dum certus ſit de legiti-
ma ætate. Cæterum ſi quis certus ſit de ipſius ex-
communicatione; dubitet autem an ſit abſolutus,
32 eo caſu ſe non abſolutum, ſed in excommunica-
tione permanere tenere debet, vt per *Abbat. in
cap. propoſuit nu. 4. de cler. excomm. Sanch. lib.
1. Moral. cap. 10. nu. 57. & Laym. loco citato,
ſub nu. 38.* vbi etiam *vſque ad nu. 40.* latè tractat,
33 an & quando is, qui dubitat in irregularitatem
incidiſſe, debeat ſe irregularem, aut non irregu-
larem reputare, & quatuor ſententias recenſet, ac
demum ſuam opinionem in medium affert.

QVINTA CONCLVSIO.

PRæceptum confeſſionis abſolutè conſideratæ
licèt ſit Diuinum, ſuppoſita læthali culpa
poſt

34 poſt Baptiſmum commiſſa; non tamen obligat
ſtatim poſt commiſſam mortalem culpam; ſed
maximè in articulo, ſeù periculo mortis. Hæc
concluſio habet duas partes. Prima pars eſt, quòd
præceptum Diuinum confeſſionis ſacramentalis
non obligat ſtatim poſt commiſſam læthalem
culpam: Secunda pars eſt, quòd maximè obligat
in articulo, ſeù periculo mortis. Patet concluſio
quoad primam partem ex *D. Thom. in ſuo ſup-
plemento, q. 6. art. 5. Palud. in 4. d. 17. q. 2. art. 5.*
& ex alijs, quos refert, & ſequitur *Laym. in ſua
ſum. Theol. lib. 5. tract. 5. cap. 5. num. 4.* Imò hu-
iuſmodi præceptum, nec ad conterendum quidē
obligat, ſtatim mortali culpa contracta, vt ſuo
loco dicemus ex communi Doctorum ſententia,
& latè *Coninch. de præcept. pœnit. diſp. 3. nu. 24.*
Etenim cùm hæc confeſſionis, & contritionis
ipſam informantis obligatio ſit grauis, & dura,
non eſt circa fundamentum aliquod inducenda,
vt contra *Guliel. Pariſ. de ſacram. pœnit. Angel.
in ver. confeſſio 1.* & alios rectè probat *Suar. 3. p.
tom. 4. diſp. 35. ſec. 3. num. 2. Coninch. de neceſ.
confeſ. diſp. 5. dub. 2. nu. 32. & alij:* Quod quidē
verum eſt, etiam ſi ex dilatione oriretur pericu-
lum obliuionis peccati, vt contra *Sot. in 4. d. 18.
q. 1. art. 5. Medin. C. de pœnit. tract. 2. q. 14. §. 2.
ſub fin. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 1.
nu. 6. de ſent. excom. in 6.* docent *Suar. & Coninc.
locis citatis,* & latè *Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 90. art.
1. dub. 4. ſub nu. 22. cum plur. ſeq. & Laym. vbi
ſupra.* Etenim Diuino præcepto non obligantur
35 fideles ad curandum vt peccata commiſſa me-
moriæ retineant: aliàs obligarentur poſt pecca-
tum commiſſum ſtatim illud ſcribere, & adno-
tare, ne memoria labatur, cùm memoria homi-
36 nis labilis ſit, *l. peregrè, ff. de acquir. poſſeſ.* Sed
præceptum prædictum ad nihil aliud obligat,
niſi imminente confeſſionis tempore, illa peccata
confiteantur, quorum memoriam habemus, aut
tunc habere poſſumus, diligenti præuio exami-
ne, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* Confirmatur
quia aliàs ſequeretur, non poſſe tunc fidelem
citra culpam per annum integrum ſacramenta-
lem confeſſionem regulariter, ac moraliter lo-
quendo, differre, cùm vix detur aliquis, qui ſe-
mel tantùm in anno ad confeſſionem accedens,
omnium peccatorum memoriam habeat. Et è
conuerſo, ſi quis peccata ſcriberet, ne obliuioni
traderet, poſſet confeſſionem differre vſque ad
mortē, contra ea, quæ infra, Deo duce, dicemus.

Probatur modò concluſio quoad ſecundam
partem; ſiquidem præceptum Diuinum confeſ-
37 ſionis ſacramentalis cùm ſit affirmatiuum, licèt
non obliget ſemper ad ſemper; obligat tamen
neceſſitatis tempore, ſicut alia præcepta affirma-
38 tiua; tempus autem neceſſitatis maximè dicitur
articulus mortis: ergò præceptum Diuinum con-
feſſionis directè propriè, & per ſe, & ex vi eiuſ-
39 dem præcepti intrinſeca obligat in articulo mor-
tis, ita ex communi Theologorum ſententia *in 4.
d. 17.* docet *Couar. in d. cap. Alma mater, p. 1.
§. 1. ſub nu. 6. concl. 3. de ſent. excomm. in 6.* vbi
ad hoc allegat *tex. in cap. cùm infirmitas, infra
eod. tit. noſtro, Suar. 3. par. in D. Thom. tom. 4.
diſp. 35. ſec. 2. & 3. Vaſq. & Coninc. locis citatis,*
cum alijs, quos allegant, *Fagund. de 2. præcep.
Eccl. lib. 1. cap. 1. nu. 6.* Vbi quamplurimos alios
alios Doctores pro hac ipſa ſententia recenſet, &
Laym. loco ſupra relato. Idem dicendum eſt dē
periculo mortis, vt habetur ex *Nauar. in Man.
cap. 2. nu. 9. & cap. 27. nu. 68. Couar. ibidem,* &
ex alijs cùm militet eadem ratio, *arg. text. in l.
illud, ff. ad leg. Aquil.* Quod verum eſſe volunt
ſi antea præceptum illud non fuerit adimpletum,
iuxta ea, quæ habentur ex *Riccar. in 4. d. 17. q. 6.
art. 3. Duran. q. 10. Sot. d. 18. q. 1. art. 5. Victor.
nu. 133.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur, *Fa-
gund. loco cit. nu. 7.* & latius *Laym. vbi ſupra
nu. 5.* Differt autem mortis articulus à mortis pe-
40 riculo in hoc, quòd mortis articulus appellatur
cùm mors iam eſt in fieri per cauſam naturalem,
aut violentam. Periculum verò mortis dicitur
vndè mors frequenter ſolet accidere, vt in bello,
nauigatione maris vehementer turbati; in graui
morbo: Mulier in partu cenſetur quoque eſſe in
periculo mortis, maximè ſi ſit difficilis partus:
item ſenio valdè confectus: iter quoque peractu-
rus per hoſtes, prædones, & alia loca periculoſa,
vt poſt *Palud. & Maior. Couar. loco cit.* & nos
latius explicauimus in noſtris *Commentar. ad
Bull. cœn. lib. 3. §. 2. q. 2. à nu. 1. ad 15.*

Occaſione prædicti præcepti, & ad obuiandū
periculo moriendi abſque ſacramentali confeſ-
41 ſione fuit conſtitutum per *tex. in d. cap. cùm in-
firmitas, & per Bull. Pij V.* quæ incipit: *Super
gregem.* Illud conſuetudine abrogatum confir-
mantem, vt Medici non vltra tertiam diem ægro-
tos, ad quos curandos vocantur viſitent, niſi de
eorum confeſſione ſibi conſtet per fidem con-
feſſarij in ſcriptis redactam. Quam quidem Bul-
lam *Nauar. in ſum. cap. 25.* & alij, quos refert,
& ſequitur *Suar. d. diſp. 35. ſec. 3. num. 4. Vaſq.
3. par. tom. 4. q. 90. art. 3. dub. 2. ſub nu. 21. & ſeq.
Nugn. in addit. ad d. 3. par. D. Thom. tom. 2.
q. 6. art. 5. difficult. 2. Scort. in Bull. Pontific.
epit. 89. Theor. 215. Veg. in ſum. tom. 2. cap. 35.
caſ. 3.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana de
Sacram. pœnit. reſolut. 93.* volunt contra *Syl. in
ver. Medicus, q. 3.* Et alios obligare in graui tan-
tum morbo, vel quando prudenter iudicatur à
Medico in principio periculum morale eſſe, ne
grauе fiat. Item addunt, Medicos huic obligatio-
ni ſatisfacere ſi moneant infirmos eiuſmodi per
ſe, vel per eorum familiares, ſi ſint viri timorati,
ad confitendum, vt habetur ex *Suar. & Veg. locis
citatis,* cum alijs, quos allegat *Homob. de ſtatib.
par. 2. cap. 5.* Nec tenentur eos recuſantes deſe-
rere: quia id eſſet contra charitatem, ſi probabile
mortis periculum immineret, ipſos deſerendo:
ſecus autem ſi huiuſmodi periculū abeſſet; quo-
niam tunc obligantur deſerere: Et ita dicunt ſer-
uari in practica, & communiter intelligi dictam
Bullam: & in deſuetudinem abijt per Medicos
exigi confeſſionis fidem in ſcriptis; atque ideò
iuxtà ſupradictam practicam, ac conſuetudinem
intelligendum eſt iuramentum, quod præſtatur
ab ipſis Medicis doctoratus tempore. Imò quan-
do certò creditur, monitionem nihil profuturam
ob infirmi pertinaciam, nec Medicus tenetur eū
admonere, nec eum deſerere, vt probat *Diana
loco cit. ex Sanch. in ſum. tom. 1. lib. 3. cap. 16.
num. 10. 11. & 16. Barb. & ex alijs.* Quod puto
verum ſi probabile mortis periculū immineret;
aliàs ſecùs iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus.

Ex quibus patet, falſam eſſe opinionem illo-
rum, qui dicunt præceptum Diuinum confeſſio-

nis

42 nis in extrema neceſſitate eſſe vi noſtri canonis
ad annum determinatum: nam ſi id verum eſſet,
ſequeretur confeſſum in anno non teneri ad con-
feſſionem in extrema neceſſitate, atque ideò in
articulo, vel in periculo mortis intra illum annũ,
etiam ſi iterum mortalem culpam contrahat, vt
rectè docet *Vaſq. d.q.90.art.1.dub.4.nu.28.*

Adde, quòd præceptum Dininum confeſſionis
non ſolùm in articulo, vel in periculo mortis alli-
43 gat; verum etiam extra huiuſmodi periculum in
multis caſibus, vt habetur ex *Sot. in 4. d.18.q.1.
art.5. Couar. in cap. Alma mater, p. 1. §. 1. ſub
nu.6. de ſent. excom. in 6.* & alijs apud *Suar. d.
diſp.35.ſec.3.nu.6.* Etenim confeſſio ſacramen-
44 talis non eſt tantùm à Deo inſtituta ad facilius
curandos ſpirituales morbos; ſed etiam ad præ-
ſeruandum ab eis, & ad fidelium vitam rectè in-
ſtituendam, vt benè declarat *Coninch. de neceſſit.
confeſ. diſp.5.dub.2.num.17. Vaſq. d.q.90.art.1.
dub. 4. & Molf. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7.
cap.9.nu.35. & 36.* vbi poſt alios refert quoſdam
45 Populos Carolo V. Imper. dixiſſe, quòd ſi con-
feſſio tolleretur, tolleretur peccandi verecũdia, &
innumera homines committerent ſcelera. Vndè
probabiliter aliqui volũt, quod ſi per impoſſibile
tempus cõfitendi extra mortis articulũ nõ fuiſſet
46 ab Eccleſia determinatũ, iure Diuino fideles ha-
bentes conſcientiã peccati mortalis, quarto, vel
quinto quoq; anno ad confeſſionẽ accedere obli-
garentur: nã præceptũ, quod aliquãdo, & nõ de-
terminat tempus, cenſetur definitũ arbitrio boni
viri. At ita arbitrati sũt, *Enriq. lib. 1. de pœnit. c.3.
§.4. cum Soc. Ledeſ.* & alijs ab eo allegatis: ergo
ſi tempus prædictum ab Eccleſia non fuiſſet de-
terminatum, præceptum Diuinum confeſſionis
obligaret quarto, vel quinto quoq; anno. Quam-
uis aliqui Recentiores velint tempus obligatio-
nis in vita determinandum eſſe ab Eccleſia; quo-
niam Eccleſiæ data eſt poteſtas iudicium ferendi
de peccatis: ergò ad ipſam pariter ſpectat defi-
nire tempus talis iudicij. Quòd ſi per impoſſibile
tale tempus non determinaſſet, nec determinaret.
*Licèt talis caſus non poſſit contingere, cùm error
eſſet intolerabilis, in animarum maximum detri-
mentum, quod Deus non permitteret:* Tunc nul-
lum poſſet deſignari tempus vſque ad articulum
mortis: quia nullus daretur alius modus faciendi
talem determinationem: quæ quidem ſententia
quamplurimis videtur probabilior.

Sed quicquid ſit de hac re, illud certum eſt iure
47 Diuino quem teneri ad confeſſionem peccato-
rum mortalium ratione periculi carendi confeſ-
ſario, quem nunc habet, tempore neceſſario non
habiturum, vt habetur ex *Palud. Io. Maior.* &
alijs communiter *in 4. ſent. d.17. D. Anton. 3.p.
tit.14.cap 19.§.3. Angel. in ver. Confeſſio 1.q.31.
Syl. eo. ver. q.2. Couar. in cap. Alma mater, p.1.
§. 1. ſub nu.7. concl.5. & alij.* Siquidem præcep-
tum confeſſionis de iure Diuino obligat omnes
Chriſti fideles, abſtrahendo à præcepto Eccle-
ſiaſtico, non ſolùm quarto, vel quinto anno, vt
diximus, ſed multo magis in articulo, ſeù peri-
culo mortis: ſed vbi quis ingreditur probabile
periculum moriendi ſine confeſſione exponeret
ſe periculo moriendi priuſquàm impleret tale
præceptum; ergò tenetur anticipare confeſſio-
nem. Et eò magis, quia talis ſtatus æquiualet pe-
riculo mortis, vt poſt alios inquit *Suar.* ſupra
48 relata *diſp.35. ſec.3. nu.3.* Confirmatur, quia ex
vi præcepti Eccleſiaſtici, de quo in noſtro can.
& infra latiùs Deo duce, dicemus, fideles obli-
gantur confeſſionem anticipare in quacunque
parte anni, ſi præuideant fore, vt poſt occaſionem
illam non poſſint in toto anno confiteri, vt ha-
betur ex *Gabr. in 4. d. 17. quæſt. 2. art.3. dub.1.
Durand. q.10.num.6. Petr. Soc. de confeſ. lect. 5.
Syl.* & alijs, quos refert, & ſequitur *Suar. d. com.
4. diſp.36. ſec. 5. nu.2.* Quoniam hoc præceptum
non limitatur ad finem anni, ſed obligat ad con-
fitendum ſemel in anno peccata commiſſa, & non
confeſſa. Sic etiam ſi quis certò ſciat fore, vt non
audiat ſacrum poſt horam ſextam die feſto, tene-
tur anticipare illud, & audire prius, vt ex *Fagũd.*
49 *Laym.* & alijs inquit *Diana de Sacram. pœnit.
reſol. 69.* vbi id ampliat idem dicendum eſſe de
præcepto communionis; quamuis *Ioan. de la
Cruz in Direct. conſc. par. 2. de ſacram. pœnit.
q.3. dub. ant 3. q. 2.* Oppoſitam ſententiam putet
probabilem, non ſolum in præcepto confeſſio-
nis, ſed etiam in præcepto communionis, ex
Azor. relato ab eodem *Diana* ibi, *de præcep.
commun.* Quòd ſi hæc vera ſunt in ſupradictis ca-
ſibus, multo magis locum ſibi vendicant in ad-
50 implendo præcepto purè Diuino confeſſionis, vt
iure Diuino quis teneatur ad confeſſionem pec-
catorum mortalium ratione periculi carendi
confeſſario, quem nunc habet, non habiturus
quarto, vel quinto anno, vel in articulo, ſeù peri-
culo mortis, cùm præceptũ Diuinum in illis caſi-
bus magis vrgeat, quàm præceptũ confeſſionis
ſemel in anno, & audiendi ſacrum in die feſto.

Ex hoc infertur, quòd ſi quis ad bellum pro-
51 fecturus, aut longam nauigationem facturus, vel
per Terras Infidelium iter habiturus, probabi-
liter timeat, ſe non habiturum copiam confeſſarij
tempore debito, ac neceſſario vt ſupra, procul-
dubio tenetur confeſſionem anticipare. Idem di-
cendum eſt de eo, qui ſciret in loco Infidelium,
ad quem ſe velit conferre non eſſe, niſi Sacerdo-
tem hæreticum, vel ſchiſmaticum, & probabili-
ter timeat non habiturum copiam confeſſarij ca-
tholici tempore, quo iure Diuino tenetur ad ſa-
cramentalem confeſſionem accedere; quoniam
is tenetur cõfeſſionem anticipare. Etenim quam-
uis in mortis articulo omnes Sacerdotes etiam
52 hæretici ſint legitimi Iudices in Sacramentali
iudicio; nihilominus ſunt deuitandi quoad fieri
poteſt, cùm hæretici de iure ſint eiuſmodi facul-
53 tate priuati, & eam non habeant, niſi in extrema
neceſſitate, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14.
de caſu. reſer. cap. 7.* in illis verbis, *Atque ideò
omnes Sacerdotes, &c.* Et habetur ex *Suar. 3. p.
com.4. diſp. 26. ſec.4. nu. 5.* & ex alijs. Imò non
deſunt, qui velint, hæreticos hac facultate eſſe
omninò priuatos, etiam in articulo mortis, vt eſt
*Sot. in 4.d.18.q.4.art.4. & Nauar. in Man. cap.
26. nu. 26.* Quorum opinio mihi videtur proba-
bilior; quia *Concil. loco citato*, videtur loqui tan-
tùm de Sacerdotibus non habentibus iuriſdictio-
nem ex defectu reſeruationis caſuum: quaprop-
ter in rigore non videtur comprehendere hære-
ticos. Sed eſtò quòd Concil. de omnibus Sacer-
dotibus etiam hæreticis loquatur; id tamen limi-
tant communiter ſcribentes vbi non adeſt peri-
culum ſubuerſionis pœnitentis: & dummodò
pœnitens confitendo hæretico non videatur con-

Google

ſentire illius ſectæ, nec periculum adſit, quòd hæreticus abutetur Sacramento.

Illud autem hoc loco nolui eſſe Silentio præ-
54 tereundum, quod quidam arbitrantur, nempe, quòd qui in Infidelium terris exiſtens læthalem contraxerit, & grauibus negotijs detinetur, eum non teneri inde recedere pro adimplendo præcepto Diuino confeſſionis: & multò minus diceret ad id obligari pro adimplendo præcepto confeſſionis annuæ; ſed ſatis eſt eum conteri, cùm copiam non habeat Confeſſarij. Sed re vera hæc ſententia nobis non probatur, vbi probabiliter iſte talis crederet, ſe deceſſurum citra ſacramentalem confeſſionem; ſiquidem vnuſquiſque tenetur facere quod in ſe eſt, ne moriatur abſque confeſſione, & bonum animæ omnibus alijs negotijs temporalibus eſt præferendum; eò magis, quia difficile quis poteſt habere contritionem perfectam ex ſe ſufficientem ad iuſtificationem ſine confeſſione. Imò iſte talis ſi ſponte vult commorari in loco vbi certus eſt, ſe non habiturum copiam confeſſarij, cui læthalem culpam, quam contraxit, ſaltem confiteatur in articulo mortis, non videtur poſſe conteri, cùm non habeat propoſitum cõfitendi: quod hodie poſt legem Euangelicam contritio neceſſariò debet includere, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de contrit. cap. 4.* Vndè dictam opinionem puto veram quando quis in Infidelium terris exiſtens, & peccati mortalis conſcientiam habens, veriſimiliter crederet ſe non impleturum præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis: vel Diuinum in quarto, vel quinto quoque anno, iuxta ea, quæ ſupra diximus: tunc enim ſi grauibus negotijs impeditur, puto non teneri recedere cum magno detrimento in perſona propria, vel ſuorum, aut in bonis: quia
55 præcepta poſitiua, etiam Diuina non obligant cum tanto diſpendio, vt latè adnotauimus in *Commentar. Bull. cæn. lib. 1. cap. 2. q. 2. concl. 3. nu. 19. cum plurib. ſeq.* Secus autem ſi probabiliter crederet, ſe vnquam amplius habiturum confeſſarij copiam, & deceſſurum, non ſuſcepto pœnitentiæ Sacramento, ſi temporalibus negotijs non coactè, ſed ſponte vacare velit.

Et quamuis præceptum Diuinum confeſſionis
56 in articulo mortis ſit etiam poſitiuum; nihilominus magis vrget, quàm extra dictum articulum: & propterea ſi per vim ab extrinſeco, nempe captiuitate, vel carceribus non impediatur; vel recedens non exponeret ſe manifeſto mortis periculo, vel Reip. deuaſtationis diſcrimini; ſed nolit recedere ad mercaturas exercendas, diuitias cumulandas, ad honores acquirendos, ac dignitates, & alia huiuſmodi, puto non excuſari: & eò magis, quia lex poſitiua Diuina, & Eccleſiaſtica, quòd non obligent cum iactura vitæ corporalis, honoris, famæ, omnium bonorum temporalium, vel maioris partis, ad earum obſeruantiam, fundantur in præſumptione ex ſuaui earum prouidentia, vt loco citato declarauimus: & propterea non eſt præſumendum, legem poſitiuam, ſiue Diuina ſit, ſiue humana velle deobligare aliquem ab ipſius obſeruantia cum eiuſdem animæ periculo ad euitandum diſpendium in proprijs,
57 perſona, & rebus temporalibus, cùm animæ bonum cæteris omnibus ſit præferendum. Excuſatur tamen iſte talis, ſi metu mortis non recedat, non quia lex poſitiua cum tanto diſpendio non obliget; ſed quoniam tentans recedere adhuc exponeretur citra cõfeſſionem moriendi periculo, atque ideò non adimplendi præceptum Diuinum confeſſionis in articulo, ſeù periculo mortis. Periculum denique deuaſtationis Reip. pariter eum excuſaret: quia propter ſalutem ſpiritualem, & temporalem totius Reip. non recedens, & bonum commune particulari bono præferens per virtutem charitatis rectè dicitur diſponi ad veram, ac perfectam contritionem, quæ ad iuſtificationem ſufficiat.

Quæ diximus de eo, qui de iure Diuino confeſſionem anticipare tenetur ratione periculi ca-
58 rendi confeſſario, quem nunc habet non habiturus tempore neceſſario, extendimus etiam habere locum in eo, qui habens peccata reſeruata, & hic, & nunc poſſit confiteri habenti iuriſdictionem in illa, & probabilitèr timeat, ſe infuturum non habiturum amplius in illo anno, vel quarto, aut quinto quoque anno, copiam confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à reſeruatis, iuxta ſupradictam ſententiam, vbi tempus non eſſet determinatum ab Eccleſia; cùm in articulo mortis non detur caſuum reſeruatio, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de caſ. reſer. cap. 7.* Tunc is tenetur confeſſionem anticipare, cùm militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

Per accidens quoque in multis alijs caſibus alligat præceptum Diuinum confeſſionis, etiam
59 extra articulum mortis, atque ideo in vita; nempe propter dignam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti ſuſceptionem: qui enim conſcientiam habet peccati mortalis, & vult Euchariſtiam ſumere, de iure Diuino tenetur ſacramentalem cõfeſſionem præmittere, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* Non tamen contraueniens duplicem culpam dicitur contrahere: alteram ſcilicet omiſſionis, ex carentia confeſſionis, & alteram commiſſionis propter indignam Euchariſtiæ ſuſceptionem; ſed vnum peccatum committit, cùm obligatio pertineat ad indignam Sacramenti perceptionem: ſicut vnam culpam contrahit poſt cibum communicans, quamuis ſpeciali Eccleſiæ præcepto teneamur ieiuni accedere ad huiuſmodi Sacramentum: quoniam tale præceptum non eſt per ſe, & abſolutè, ſed propter dignam talis Sacramenti ſumptionem, vt poſt alios docet *Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 35. ſec. 3.* & latè *Fagund. de pracept. Eccleſ. pracep. 2. lib. 1. cap. 1. nu. 8. & 9.*

Ex quibus patet falſam; imò hodie hæreticam
60 eſſe ſententiam, *Caiet. in 3. par. D. Thom. q. 80. art. 4. in ſum. ver. communio, & ad 1. Corin. h. cap. 11. Riccard. in 4. ſent. d. 17. art. 3. q. 6. & Palud. ibidem q. 2.* Dicentiũ non obligari quem ad confeſſionem ſacramentalem, niſi ſemel in anno, etiam eo tempore, quo ſumere vult Euchariſtiæ Sacramentum. Et eodem modo dicendum eſt de opinione *Panor. in cap. de homine, de celebr. Miſſar.* Exiſtimantis non eſſe peccatum mortale ſine confeſſione ad Euchariſtiam accedere, ſi homo ſit aliàs contritus: eſt enim hæc ſententia nõ ſolùm contra commune Theologorum placitum, dequibus latè *Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 1. ſub nu. 7.* Sed etiam expreſsè contra determinationem, *Conc. Trid. d. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11.* ita ſe habentem: *Si quis dixerit ſolam fidem eſſe ſufficientem preparationem ad ſumendum ſanctiſſima Euchariſtiæ Sacramen-*

cramen-

cramentum, anathema ſit. Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem, & condemnationem ſumatur, ſtatuit, atque declarat ipſe ſancta Synodus illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat quantumq; etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeù etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommu-
61 *nicatus exiſtat*. Non tamen ad ſuſcipienda alia Sacramenta neceſſariò eſt præmittenda ſacramentalis confeſſio à conſtituto in læthali culpa; quia in alijs Sacramentis militat diuerſa ratio, vt benè declarat *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4. concl. 6. Coninch. de neceſſit. confeſ. diſp. 5. dub. 2. nn. 30.* & latè *Fagund. loco cit. ſub nu. 10. cum plur. ſeq.* vbi contraria affert, & optimè ſoluit. Tenetur tamen conteri ſuſcipiens, vel adminiſtrans ea; quamuis *Molfeſ.* poſt alios, *par. 1. ſua ſum.* velit etiam his caſibus eſſe præmittendam confeſſionem ſi poſſit: aliàs ſatis erit contritio. Quod quidem *D. Antonin. 3. par. ſuæ ſum. tit. 14. cap. 19. §. 3.* inquit, verum eſſe ex debito honeſtatis tantùm; ita quòd non confeſſus, attamen contritus non peccaret mortaliter ſuſcipiendo, vel adminiſtrando Sacramenta, excepta Sacramenti Euchariſtiæ ſuſceptione, quæ omninò præexigit confeſſiooem in homine habente conſcientiam peccati mortalis, vt ſupra diximus.

Per accidens quoque ad ſacramentalem confeſſionem iure Diuino quis tenetur accedere,
62 etiam ſi pluries infra annum confeſſus fuerit, quando probabiliter credit, ſe aliter effugere non poſſe peccatum aliquod, in quod frequenter incidere ſolet, vt rectè declarat *Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 35. ſec. 3.* vbi addit, hanc obligationem non oriri ex præcepto confeſſionis, ſed ex eodem præcepto, quo tenetur homo ad euitandum tale peccatum, ſeù ex præcepto illius virtutis, contra quam eſt tentatio. Idem docet *Coninch. loco cit. nn. 31. & Fagund. d. cap. nu. 15. & ſeq.* qui id limitant, vt prædictum præceptum non obliget ratione periculi peccandi generaliter; atque ideò id verum eſſe, vbi quis differendo confeſſionem exponeret ſe periculo committendi ſpecialem aliquam culpam: ſecus autem ſi exponeret ſe diſcrimini contrahendi læthalem culpam in genere. An autem per accidens quoq; & non ex vi propria, & directè præceptum Diuinum confeſſionis obliget etiam extra articulum mortis, quando propriæ conſcientiæ ſtimulus accuſat, præceptum Diuioum confeſſionis obligare, optimè declarat idem *Fagund.* loco ſupra relato, *nu. 17.*

Per accidens denique obligat præceptum Diuinum confeſſionis quando quis voto ad confi-
63 tendum tali tempore, nempe quater, vel quinquies in anno, vel in menſe ſe deuinxerit, vel in Sacramento pœnitentiæ ſacramentalem confeſſionem tali tempore faciendam, in pœnitentiam acceptauerit: nam his caſibus iure Diuino per accidens tenetur quoque extra mortis articulum iuxta votum, aut pœnitentiæ formam ad ſacramentalem confeſſionem accedere: Non tamen præceptum Diuioum Confeſſionis obligat per accidens, vbi quis facturus eſt opus aliquod inſigne, & arduum: vel receperit inſigne beneficium: nam primo caſu obligat ad ſummū oratio, ratione cuius non eſt neceſſaria confeſſio: ſecundo verò caſu, cùm gratiæ agantur tantùm ex gratitudine, neceſſario eam non præexigunt. Vndè id quod dicit *Sot. d. art. 4.* intelligendum eſt quoad benè eſſe, non autem neceſſariò.

Secundò principaliter infertur ex noſtra concluſione, quòd ſacramentalis confeſſio cùm ſit de
64 de iure Diuino inſtituta, ac præcepta, non poteſt per Rom. Pontificem tolli, nec cum alio ab eo diſpenſari, ne confiteantur ſaltem in articulo, vel in periculo mortis, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis; quoniam Papa non poteſt diſpenſare ſupra ius Diuinum quoad articulos fidei, & Sacramenta, & multo minus Sacramentorum neceſſitatem tollere, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtion. 5. Riccar. ibidem art. 2. q. 7. Duran. q. 9. nn. 7. & 9. Palud. q. 2. art. 6. nn. 26. & Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 5.* & latè *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. c. 3. nn. 8. & 9.* Quod adeò verum eſt, vt contrariū aſſerere ſit hæreſis, vt notat *Caiet. in D. Thom. lib. 3. contra Gentil. cap. 72. in ver. Aduertendum*. Nec obſtat ſi dicatur, quòd Papa poteſt diſpenſare in iure Diuino, ſicut diſpenſat in voto, in matrimonio rato, &c. quoniam reſpondetur, quòd quando S. Pontifex diſpenſat in iure Diuino, illa diſpenſatio non dicitur formaliter relaxatio, ſed potius declaratio quædam, ac moderatio Diuini iuris, cùm Papa non ſit ſupra legem Diuinam: eo quod Inferior non
65 poteſt diſpenſare in lege Superioris, ſicut & eam non valet tollere, vt per Doctores communiter locis ſuprecitatis.

Imò Papa tenetur legem Diuinam adimplere,
66 ac defendere vſque ad ſanguinem, & animam, *cap. ſicut quidam*, 25. q. 1. & legem condens contra Diuinam legem, errare potius dicitur, quàm legem condere, vt habetur ex *Panor. in cap. qualiter, & quando il 2. nu. 2. de accuſat. & in cap. litteras nu. 4. de reſtit. ſpoliat.* Poteſt etiam ſecundo reſponderi ad præfatum obiectū,
67 quòd Rom. Pontifex poteſt diſpenſare in iure Diuino in omnibus diſpoſitis per legem Diuinam quoad præcepta moralia affirmatiua, vt docet *Panor. in cap. licet nn. 4. de fer.* at præceptum ſacramentalis confeſſionis non eſt morale, ſicut nec præceptum Baptiſmi, nimirum igitur ſi Papa diſpenſare non poſſit, vt quis valeat ſine Baptiſmo, & confeſſione ſaluari, vt habetur ex *Felin. in cap. quæ in Eccleſiarum nu. 24. de conſtit.* & nos latè de hac re egimus in noſtris *Commentar. ad Bull. cœn. lib. 1. cap. 4. q. 7. nu. 33. & 34. cum plur. ſeq.* Præterea dici poteſt, quòd diſpenſatio exigit iuſtam, ac ratio-
68 nabilem cauſam: aliàs citra rationabilem cauſam diſpenſatus à Rom. Pontifice in ijs, quæ diſpoſita ſunt per legem Diuinam, aut naturalem non eſt tutus in conſcientia: nam huiuſmodi diſſipatio potius dicitur, quàm diſpenſatio, vt ex *Felin. Suar.* & alijs adnotauimus *loc citato nu. 25.* Sed ſupra ſacramentalem confeſſionem nulla poteſt dari iuſta, legitima, ac expediens diſpenſandi cauſa; ergò in ea nulla cadit diſpenſatio, ita *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. q. 5.* cum alijs ſupra relatis. Confirmatur, quia ex defectu iuſtæ cauſæ contra *Sot.* probat *Vbſq. 3. par. tom. 4. q. 90. art. 1. dub. 5. nn. 11. & 12.*

69 Non poſſe S. Pontificem cum aliquo diſpenſare, ne confiteatur quotannis: quoniam vel ille habet tantùm peccata venialia, & non tenetur ad confeſſionem annuam, atque ideò non indiget diſpenſatione: aut habet mortalia, & non poteſt adeſſe legitima diſpenſandi cauſa; quibus adde, quæ infra dicemus, *concl.8. in fin.*

SEXTA CONCLVSIO.

CONfeſſio ſacramentalis ſi à Deo præcepta non fuiſſet, ſed tantùm inſtituta, potuiſſet
70 eam Eccleſia præcipere. Hæc concluſio eſt contra *Sot. in 4.d.18.q.1. art. 1. Nauar. de pœnit. diſt.5. in prin. nu.18.* & alios, exiſtimantes, quòd ſi confeſſionis præceptum Diuinum non eſſet, Eccleſia vi noſtri canonis præcipere non valuiſſet confeſſionem annuam. Probatur hæc concluſio ex *Conc. Trid. ſeſſ.21.cap.2.* vbi definitur, Eccleſiam circa Sacramentorum vſum
71 poſſe ea ſtatuere, quæ fidelium ſaluti congruunt: at vſus ſacramentalis confeſſionis eſt valdè congruus ſaluti, & gubernationi fidelium, tùm ad delendas culpas, tùm ad præſeruandum ab eis, tùm denique ad vitam rectè inſtituendam, vt ſupra diximus: ergò ſuppoſita ſacramentalis confeſſionis Diuina inſtitutione, quamuis non fuiſſet præcepta, potuiſſet nihilominus ab Eccleſia præcipi eiuſdem vſus: atque adeò ſi fingamus Chriſtum Dominum ſacramẽtalem confeſſionem facientibus non neceſſitatem, ſed vtilitatem dumtaxat præbuiſſe, proculdubiò præcipi ab Eccleſia potuiſſet. Ita *Adrian.q.2. de confeſ. Medin. C. de confeſ. q.2.Viguer.in ſum. cap.16.§.4.ver.14. Suar. 3. par. tom.4. diſp.35. ſec.1. num.18. Coninch. diſp.5. de neceſ. confeſ. dub.3.nu.41. & Vaſq. 3. par. tom.4.q.90. art.1. dub.4. à nu.44. vſque in finem dubij.*

Nec ex hoc deduceretur Eccleſiam poteſtatem exercere ſuper actus purè internos cùm
72 confeſſio fiat peccatorum etiam mentalium, & ſic actuum purè internorum, in quos Eccleſia poteſtatem non habet: nam ob id non poteſt pœnam ſtatuere pro peccatis purè internis, vt poſt alios probat *Vaſq. loco cit. nu.19.* ad quod etiam facit *tex.in cap. tua nos, de ſimon.* in illis verbis: *Nobis datum eſt de manifeſtis tantum indicare.* Etenim conformitas, quam debet ha-
73 bere Inferior cum Superiore ad ſubdendum ei ipſius voluntatem, attenditur in actibus exterioribus dumtaxat; non autem in actibus purè internis; quoniam in actibus purè mentalibus, cùm non attendatur Hierarchia, ſeu Monarchia Inferiorum, & Superiorum, in ijs non cenſetur Inferior diſſonare Superiori. Præterea Eccleſia eſt ſenſibilis, & ideò ſicut directè poteſtatem non habet, niſi in homines ſenſibiles, & in animas non niſi corporibus vnitas, ita quoque directam poteſtatem non habet in actus purè internos, vt benè declarat etiam *Sanch. lib.2. in Decal. cap. 8. nu. 2. Farin.* poſt alios *de hæreſ. q.192. num. 7.* & nos latè *in Commentar. Bull. cœn. lib.2.can.1. q.24. ſub nu.3. 10. 26. & ſeq.* Non inquam, ex ſupradicta concluſione deduceretur, Eccleſiam exercere poteſtatem in actus internos; quoniam Eccleſia præcipiendo confeſſionem, non cenſeretur præcipere actum internum, ſed externum, nempè receptionem, & vſum talis Sacramenti à Chriſto inſtituti, conſiſtentis in actibus externis; atque ideò materia præcepti non eſt actus internus, ſed externus, ideſt receptio Sacramenti, quæ externa eſt. Et quamuis requirat etiam internam aliquam motionem, nempè contritionem; illa tamen quatenus eſt ad externam confeſſionem neceſſaria præcipi poteſt: ſiquidem Eccleſia licèt non habeat iuriſdictionem ſuper actus purè internos
74 indirectè; nihilominus habet ſuper eos iuriſdictionem indirectè, quatenus actus interiores ſunt principia actuum externorum, ſeù quatenus informant actus externos, & ab eis procedunt, vt benè docet *Suar. 3. par. tom.5. diſp.4. ſec.3. à num. 10. ad 18.* & alij, quos retulimus *d.q.24. Comment. Bull. cœn. nu.28.*

Nec etiam ex dicta concluſione deduci poteſt, vt aliqui falsò opinantur Eccleſiam inſti-
75 tuere noua Sacramenta præcipiendo ſacramentalem confeſſionem; quoniam dum ſupponimus ſacramentalem confeſſionem à Deo inſtitutam, etſi non præceptam, Eccleſia præcipiendo confeſſionem non diceretur Sacramentum aliquod inſtituere; ſed Sacramentum à Deo inſtitutum quoad eius vſum præcipere: ſicut poſſet dare præceptũ de confirmatione, & extrema vnctione, vt ſupra probauimus ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.* Neque abſurdum eſt, quòd ob id Eccleſia faceret ſacramentalem confeſſionem remedium neceſſarium ad ſalutem, quod Chriſtus non fecit in ratione medij, ſed tantùm in ratione præcepti, cùm Eccleſia poſſit multa quoque præcepta ferre neceſſaria ad ſalutem eodem modo, vt habetur ex *Suar. 3.par. tom.4. ſec. 1. nu.18.* & ex alijs ſupra relatis.

SEPTIMA CONCLVSIO.

COnfeſſio ſacramentalis in anno, de qua in noſtro *cap.* non eſt de conſilio; ſed verè
76 fuit per Lateran. Concilium præcepta, atq; ideò datum præceptum per ſe obligans ad confeſſionem ſemel in anno æquè principaliter, ac præceptum communionis in Paſcha. Probatur primò hæc concluſio; quia inter alia Eccleſiæ præcepta connumeratur ſacramentalis confeſſio ſemel ſaltem in anno, vt habetur ex *Nouar. in Man. cap.21. nu.1. Caniſ. in ſuo Catechiſ. tit. de præcep. Eccl. Azor. p.1. Inſt. Moral. lib.7. per totũ. Suar. tom.1. de Relig. lib.1. de Diuino cultu cap.9. Melf. par.1. ſua ſum. tract.1. cap.4. nu.10. Fagũd. de præcep: Eccl. præcep.2. l.c.3.n.2.* & alij: ergò confeſſio ſemel in anno non eſt tantùm de conſilio, vt aliqui falsò opinantur, ſed eſt per ſe præcepta abſque vllo ordine ad communionem. Confirmatur; nam qui excuſatur à communione, non excuſaretur à confeſſione, vt habetur ex communi *Theol. ſententia in 4. d. 17.* vbi *Palud.* præſertim, & *Gabr.* & alij apud *Suar. 3. par. tom.4. diſp.36. ſec.1. nu. 4.* & denique patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.14. cap.5. & can. 8.*

OCTAVA CONCLVSIO.

PRæceptum confeſſionis ſemel in anno, non eſt merè Eccleſiaſticum; ſed ita eſt Eccle-
77 ſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum. Hæc concluſio eſt contra *Coninch. diſp. 5. de neceſſit. confeſ. dub.4. nu.48.* & alios. Probatur ipſa concluſio ex *Conc. Trid. ſeſſ.14. cap.5.* dum ait Eccleſiam per Concil. Lateran. non ſtatuiſſe confeſſionem, quæ erat iure Diuino neceſſaria; ſed tantùm, vt præceptum confeſſionis ſemel in anno impleretur. Vndè meritò ait *Palud. in 4.d.*

Digitized by Google

17. *q.* 2. *art.*4. *nu.*15. *in fin.* quòd Concil. Lateran. per noſtrum canonem noluit nouum onus imponere; ſed periculum dilationis amputare. Etenim intentio Chriſti, qui Sacramentum pœnitentiæ inſtituit, proculdubio fuit, vt habentes conſcientiam lætalis culpæ, non ſolum in mortis articulo, ſeu periculo; ſed etiam ſæpius illo vterentur: quoniam non tantùm fuit inſtitutum ad peccatorum veniam facilius obtinendam, verùm etiam ob plurimas vtilitates, quas ſecum affert, vt ſupra diximus. Tempus autem, quo præceptum Diuinum extra neceſſitatem obliget, Eccleſiæ Deus reliquit determinandum. Quò circa *Victor. de confeſ. nu.*32. conſequenter inquit, peccatores tunc teneri iure Diuino confiteri, quando Eccleſia hoc præcipit: quia cùm Chriſtus nullum certum tempus per ſe præſcripſerit cenſetur illud præſcripſiſſe, quod Eccleſia ſtatuit. Eodem modo ait etiam, nos iure Diuino teneri diebus feſtis, & Dominicis audire Sacrum, in Paſcha communicare, &c. Quæ quidē opinio modificanda eſt quoad præceptum Diuinum confeſſionis alio vitæ tempore, extra mortis articulum, ſeu periculum: nam ſupra diximus falſam eſſe ſententiam eorum, qui putant, præceptum Diuinum confeſſionis in extrema neceſſitate, eſſe vi noſtri cap. ad annū determinatum; ſiquidem tunc ſequeretur, quòd in anno ſemel confeſſus non teneretur ad confeſſionem in articulo, seù in periculo mortis, etiam ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, quod eſt manifeſtè falſum. Vndè præceptum huiuſmodi quamuis eius tempus determinatum fuerit ab Eccleſia, vt quotannis ſcilicet adimpleretur, de iure Diuino obligat non ſolùm ſemel in anno, ſed multo magis in articulo, ſeù periculo mortis, ac in extrema neceſſitate. Et ſic
78 præceptum annuæ confeſſionis dicitur Eccleſiaſticum quoad determinationem temporis dumtaxat: nam tota ſubſtātia huius actus eſt de iure Diuino, atque ideò ſolùm mandat Eccleſia, vt tali tempore fiat, vt rectè docet *Sot. in* 4. *d.* 18. *q.*1. *art.*1. *Suar.* 3. *par. tom.*4. *diſp.* 36. *ſec.*1. *nu.*5. quam opinionem communem eſſe, vt certiſſimam teſtatur *Vaſq. ibidem q.*90. *dub.*4. *nu.*7. 23. & 26. vbi etiam apertè colligit ex *Conc. Trid. loco citato*, non fuiſſe ſtatutam neceſſitatem confeſſionis ab Eccleſia, ſed iam fuiſſe neceſſariam iure Diuino: & propterea id tantùm ſtatuiſſe Eccleſiam, vt præceptum ſcilicet Diuinum confeſſionis, quod extra extremam neceſſitatem obligabat vagè, ſeruetur quotannis; atque ideo ab Eccleſia fuit reductum ad annum: & meritò huiuſmodi præceptum appellat *Sot.* modificationem legis Diuinæ; quia tota ſubſtantia præcepti eſt iuris Diuini: circumſtantia tantùm annualis, eſt Eccleſiaſtica.

Ex hac concluſione infertur primò, quòd Rom. Pontifex non poteſt abrogare legem con-
79 feſſionis annuæ omninò quoad omnes; quia, vt ſupra diximus, præceptum Diuinum confeſſionis non ſolùm obligat in periculo mortis, ac in extrema neceſſitate; verùm etiam in vita, & extra mortis articulum, ac extremam neceſſitatem: & Eccleſia erat obligata huiuſmodi præceptum inducere, cùm tempus adimplendi in vita cōfeſſionis præceptum, Eccleſiæ Chriſtus reliquerit determinandum. Vndè cum præceptum ipſum ſecundum eiuſdem ſubſtantiam ſit Diuinum, meritò videtur à Rom. Pontifice abrogari omninò non poſſe: quoniam ius Diuinum Pontifex abrogare non poteſt. Et ſi per impoſſibile Eccleſia omninò tolleret præceptum Eccleſiaſticum determinans tempus, ita vt in futurum nolit amplius tempus confeſſionis habendæ in
80 vita, extra neceſſitatem extremam, determinare, tunc iure Diuino fideles habentes culpas mortales, quarto, vel quinto anno ad confeſſionem accedere tenerentur, vt ſupra iuxta probabilem nonnullorum ſententiam adnotauimus. Et hanc ſententiam tenet *Vaſq.* 3. *par. tom.*4. *q.*90. *art.*1. *à nu.*4. *ad* 10. qui id ampliat *dub.*5. *nu.*11. & 12. contra *Sot.* vt Rom. Pontifex nec diſpenſare qui-
81 dem valeat cum aliquo ne confiteatur quotannis: nam vel iſte talis habet tantum venialia, & non teneretur ad confeſſionem annuam, atque ideò diſpenſatione non indiget: aut habet peccata mortalia, & tamen non poteſt adeſſe legitima diſpenſandi cauſa. Imò *Coninch. de neceſſit. confeſ. diſp.*5. *dub.*4. *nu.*48. qui vult præceptum confeſſionis annuæ, eſſe purè Eccleſiaſticū, & propterea tenet, poſſe Romanum Pontificem illud omninò abrogare, & ſuper eo diſpenſate; nihilominus ait, vix poſſe concurrere ſufficientem cauſam, quæ ipſum à culpa excuſaret, cùm Eccleſia fuerit obligata tale præceptum inducere. Et *Suar.* 3. *par. tom.*4. *diſp.*36. *ſec.*1. *nu.*5. & 6. licèt eandem poteſtatem Rom. Pontifici tribuat, id tamen ait, nunquam honeſtè fieri poſſe.

Secundò infertur, quòd cùm circumſtantia illa annualis ſit Eccleſiaſtica, atque ideò deter-
82 minatio illa temporis facta ſit ab Eccleſia; Rom. Pontifex poterit in temporis duratione variare prout viderit magis expedire Chriſtianæ Reip. & propterea poſſet prorogare præceptum confeſſionis annuæ ad biennium, & vltra, vel reſtringere ad ſex, aut quatuor menſes: ſiquidem pro hac parte præceptum pendet à voluntate legiſlatoris, vt benè docet *Vaſq. loco citato*, & latè poſt alios *Fagund. de præcept. Eccleſ. præcept.* 2. *lib.*1. *cap.*3. *nu.*6. & 7. qui etiam *nu.*8. poſt *Suar. tom.*4. *par.*3. *diſp.* 36. *ſec.* 1. tenet, non poſſe Romanum Pontificem in hoc præcepto diſpenſare cum Eremita viuente extra humanum conſortium, vel cum tota aliqua Prouincia, vt nunquam confiteatur per totam vitam, vel vt raro confiteatur in vita, ſed ſi diſpenſet, peccat, licèt valida ſit diſpenſatio, vt probat idem *Fagund. loco citato, num.* 9. Eſt tamen verum, quod *Couar. in cap. Alma mater, par.*1. §.1. *ſub nu.*7. *verſ. Hac denique adduximus, in fine, de ſent. excomm. lib.*6. ait, quòd licèt Eccleſia longius, aut breuius tempus confeſſioni ſacramentali definire potuiſſet, ſicut & poſſe ſupra concluſimus; nihilominus id niſi ex cauſa iuſtiſſima tantùm, & grauiſſima fieri poteſt propter vim admiſtam Diuinæ legis. An autem Rom. Pontifex præcepto noſtri canonis, & ſic annuæ confeſſionis alligetur ſequenti quæſtione, Deō Duce, videbimus.

An ſub præcepto confeſſionis annuæ ita compræhendantur omnes, vt compræhendatur etiam Romanus Pontifex.

SEC. II.

SVMMARIVM:

1 *Dictio omnis eſt vniuerſalis, & omnes ligat.*

2 *Le-*

Digitized by Google

2 *Reges, Imperatores, & alij primates tenentur confiteri ſaltem ſemel in anno, & ad communionem in Paſcha, alias poſſunt excommunicari.*

3 *Opinio aſſerentium Pontificem tranſgredientem hunc canonem peccare mortaliter refertur.*

4 *Princeps condens legem materiam generalem habentem, obligatur ad illam ſeruandam directiuè, quia non tenetur ad pœnas in ea contentas.*

5 *Opinio aſſerentium Pontificem non obligari ad annuam confeſſionem ſub lethali culpa, ſed tantum de congruitate morali refertur.*

6 *Princeps de congruo tenetur viuere ſecundum leges per ſe latas, cum ſit eis ſolutus.*

7 *Opinio aſſerentium Pontificem teneri ad annuā confeſſionem, ſi eſt ea de Iure Diuino; ſi vero humano non teneri, ſuppoſita lethali culpa; refertur.*

8 *Pontifex non eſt alicui ſubditus; ſed eſt omnium ſuperior.*

9 *Pontifex habet maiorem poteſtatem Iacobo Apoſtolo.*

10 *Par in parem non habet imperium.*

11 *Pontifex non poteſt venire contra generalem Eccleſiæ traditionem eius vniuerſum ſtatum concernentem.*

12 *Opinio putantium Papam teneri ad annuam confeſſionem, cum ſit præceptum conſilij generalis, quod putant eſſe ſupra Papam; & aliorum contrarium ſentientium refertur.*

13 *Pontifex peccata mortalia habens, tenetur confiteri, ſicut alij fideles.*

14 *Pontifex iuri Diuino ſubicitur; quemadmodum omnes alij.*

15 *Validitas confeſſionis exigit poteſtatem Iuriſdictionis confeſſarij in confitentem.*

16 *Pontifex licet ſit Dei Vicarius generalis ſponte ſubmittens ſe alicui Sacerdoti in actu confeſſionis efficitur minor, & Sacerdos maior.*

17 *Pontifex non poteſt compellere Sacerdotem ad reuelandum peccatum in ſacramentali confeſſione ſibi detectum.*

18 *Pontifex tenetur ſumere Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.*

19 *Confeſſio non eſt abſolutè neceſſaria, ſed ſuppoſita lethali culpa.*

20 *Pontifex non tenetur ſtatim quod lethalem culpam commiſit ad ſacramentalem confeſſionem accedere.*

21 *Pontifex habens conſcientiam peccati mortalis tenetur confiteri in articulo, & periculo mortis.*

22 *Pontifex ex vi præcepti Diuini in multis caſibus tenetur ad confeſſionem accedere extra mortis periculum.*

23 *Pontifex in articulo mortis tenetur ſanctiſſima Euchariſtia Sacramentum ſumere.*

24 *Pontifex tunc obligatur ad confeſſionem in articulo mortis, & alijs caſibus, ſi conſcientiam habet peccati mortalis.*

25 *Ad impoſſibile nemo tenetur.*

26 *Pontifex tenetur adimplere præceptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno.*

27 *Pontifex tenetur adimplere præceptum ſacramentalis annuæ confeſſionis etiam ſi huiuſmodi præceptum eſſet purè Eccleſiaſticum.*

28 *Fideles per confeſſionem facilius obtinent remiſſionem peccatorum.*

29 *Legislator, citra culpam, legem quam ipſe tulit tranſgredi non poteſt, niſi ex rationabili cauſa, vel eius ſtatui obſeruantia repugnat.*

30 *Pontifex ligatur præcepto annuæ confeſſionis, ſiue concilium ſit ſupra eum, ſiue non, prout re vera non eſt.*

31 *Pontifex ligaretur præcepto annuæ confeſſionis, etiam ſi eſſet iure humano*, quod eſt falſum *introducta.*

32 *Pontifex ſi probabiliter timeat ſe non habiturum copiam confeſſarij in toto anno, ſi hic & nunc præceptum non adimpleat tenetur anticipare confeſſionem.*

33 *Diuerſa ratio militat in præcepto communionis, quam confeſſionis.*

34 *Pontifex citra rationabilem cauſam nō ſeruans præceptum annuæ confeſſionis & communionis in Paſcha, peccat mortaliter.*

35 *Pontifex non habens conſcientiam peccati mortalis non tenetur ad præceptum annuæ confeſſionis.*

36 *Pontifex ex rationabili cauſa excuſatur à præcepto annuæ confeſſionis, nam ſicut cum ſingulari perſona diſpenſat, ita & cum ſe ipſo.*

37 *Pontifex non ſubiectur pœnis in canone contentis, ſi eiuſdem can. diſpoſitioni contrauenias.*

38 *Principes directiuè, non coactiuè, ita vt eorum pœnis ſubiaceant, tenentur ad obſeruandas eorum leges. Nec Dei Vicarius ſuperiorem habet excepta hæreſis cauſa.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. certum eſſe in iure, dictionem hanc *Omnis* vniuerſalem eſſe, neminem excludentem, vt *in cap. ſi Romanorum*, 19. *d. l. sextoribus*, & *l. Iuliano, ff. de legat.* 3. & propterea *text.* noſter
2 ligat omnes fideles, tàm maſculos, quàm fœminas, tàm ſæculares, quàm Eccleſiaſticos, tàm nobiles, quàm ignobiles, ita vt ſecluſo aliquo priuilegio Reges quoque, Imperatores, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ac etiam S. R. E. Cardinales non confitentes ſemel ſaltem in anno, & non communicantes ad minus in Paſcha, ſubijciantur pœnis in hoc canone contentis: ſiuè publici peccatores ſint, ſiuè occulti, vt latè probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 3. ſub nu. 20. verſ. Hinc patet*, vbi etiam probat Imperatores, & Reges poſſe excommunicari ab Epiſcopis; eſt tamen verum quòd quamuis meretrices; & alij publici peccatores incurrant ſupradictas pœnas, tàm in noſtro canone contentas, quàm ſynodales; nihilominus non ſolent publicari, & denunciari, vt teſtatur *Fagund. ibidem cap. 4. nu. 11.* Et ſi pœnæ prædictæ poſſent conuenire vniuerſitatibus, ad huc ad eas extenderentur per dictionem illam, *Omnis*. In noſtro canone contentam: nam dictio, *Omnis*. Vniuerſos, & ſingulos ſignificat, atque adeò etiam Vniuerſitates, vt poſt alios nos diximus in noſtris *Comment. ad Bull. cœn. lib. 2. can. 5. q. 6. ſub nu. 7.* licèt ex *Mandoſ.* contrarium de rigore dicendum eſſe cenſuimus *can. 2. eiuſdem Bull. q. vlt. nu. 3. & 4.* Imo ſub illa dictione, *omnis*. Includuntur etiam Religioſi, qui ſi ſæpe in quadrageſima celebrent, ſatis eſt ſi vnam ex confeſſionibus pro hac obligatione applicent, ex intentione generali, vel particulari, vt habetur ex *Fagund.* poſt alios *d. cap. 3. ſub nu. 10.* Vndè his ſic ſtantibus, ſola dubitatio reſtat de Romano Pontifice, an ipſe quoq; ſicut

ſicut & omnes Fideles rationis vſum habentes,
teneantur ad confitendum ſemel ſaltem in anno.
In hac re quatuor extant opiniones. Nam pri-
3 ma eſt *Io. Andrea in cap. ſignificaſti, nu. 4. de*
foro compet. Dec. in cap. ſanè ad fin. de offic.
deleg. Conar. in cap. Alma Mater, 1. p. relect.
§. 1. nu. 5. & ſub num. 7. verſ. Hac denique de
ſent. excom. in 6. & aliorum dicentium, Roma-
num Pontificem canonem hunc tranſgredietem
peccare mortaliter. Et hoc ideò quoniam vi dire-
ctiua tenetur ad illius obſeruantiam: ſiquidem in
materia de legibus tenentur Principes ſeruare
leges à ſe conditas vi directiua, non autem coer-
ciua, vt habetur ex *D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 2. ad*
3. Victor. in relect. 3. nu. 21. Sot. lib. 1. de iuſt. &
iur. q. 6. art. 7. Hanc eandem opinionem nouiſ-
ſimè ſequitur *Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 2.*
lib. 1. cap. 3. ſub num. 18. qui rationem aſſignans
eam eſſe ait, quòd naturalis ratio poſtulat, vt ca-
put conformetur toti corpori ſuo. Etenim quem-
admodum alij Principes ſæculares ſub hac con-
ditione ab initio iuriſdictionem videntur à po-
pulo, & poteſtatem condendi leges accepiſſe, vt
ad illas quoad vim directiuam tenerentur; ita
Rom. Pontifex ſub eadem cõditione iuriſdictio-
nem, ac poteſtatem condendi leges à Deo accipit.
Confirmatur hæc eadem ſententia ex eo, quòd
lex confeſſionis annuæ, de qua in noſtro canone,
4 eſt generalis; at quando Princeps legem aliquam
generalem, & quæ materiam habet generalem,
omnes comprehendentem, condit, ad illam ſer-
uandam quoad vim directiuam obligatur, licèt
non teneatur ad pœnas in ea contentas; atque
adeò eidẽ nõ ſubijciatur quoad vim coerciuam:
ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, vt Rom.
Pontifex quoad vim directiuam ſubijciatur diſ-
poſitioni noſtri canonis annuam confeſſionem
præcipientis, & ſic peccat mortaliter, niſi illi ſa-
tisfaciat; eo quod materiam habet generalem,
quæ omnibus, etiam Rom. Pontifici conuenit:
Secus autem quoad vim coerciuam, atque ideò
non tenetur ſubire pœnas in ipſo canone conten-
tas; & ſic non incurrit priuationem Eccleſiaſticæ
Sepulturæ, Eccleſiæ ingreſſus, aut aliam pœnam,
vt latè poſt alios *Fagund. loco citato.*
Secunda ſententia eſt *Ant. de Butr. in explic.*
5 *noſtri canonis, num. 18. Riccar. in 4. d. 17. art. 2.*
q. 4. & Scot. ibidem q. 1. art. 1. Dicentium, non
obligari Rom. Pontificem ad obſeruantiam no-
ſtri canonis, atque ideò ad confeſſionem annuam
ſub læthali culpa, ſed tantum de congruitate
quadam morali; & ſic Papa huic præcepto con-
trauenien s non peccat mortaliter, ſed venialiter
tantùm: ſiquidem Princeps licèt de congruitate
6 debeat viuere ſecundum leges à ſe latas, vt in
l. digna vox, C. de legib. eſt tamen ſolutus legi-
bus, *l. Princeps, ff. eod. tit.*
Tertia ſententia eſt *Panorm. in explic. huius*
can. nu. 19. dicentis, quòd confeſſio ſi eſt de iure
7 Diuino, Papa proculdubio tenetur confiteri, atq;
ideò obligatur iure Diuino ad confitendum, ſi
conſcientiam habet peccati mortalis; non tamen
ligatur verbis eiuſdem canonis, vt teneatur con-
fiteri tempore in eo determinato, vel petere li-
8 centiam, cùm ipſe non ſit alicui ſubditus, ſed
omnibus ſuperior, vt in *cap. cuncta per mundum,*
9. q. 3. cap. nemo iudicabit, 9. q. 5. & cap. inferior
21. d. Si verò confeſſio eſt de iure humano, tunc
Papa ex hac cauſa non obligaretur ad confiten-
dum, nec infra annum, nec poſtea; eſtò quod de-
tur per Apoſtolum Iacobum præcipi, *cap. 5.* di-
centem, *Confitemini alterutrum peccata veſtra.*
Quoniam maiorem poteſtatem habet Romanus
9 Pontifex, quàm ipſe Apoſtolus, cùm non fuerit
Papa: & dato quod fuiſſet, par in parem non ha-
10 bet Imperium, *cap. innotuit, de elect.* Eſt tamen
verum, inquit idem *Panorm.* Papam teneri ad
confitendum ex alio capite, nempè ex eo, quòd
huiuſmodi confeſſio eſt ſaltem inducta ex gene-
rali Eccleſiæ traditione, & vniuerſum eius ſtatum
11 concernit, contra quem Rom. Pontifex non po-
teſt venire, cùm ab omnibus Pontificibus, & la-
tinis fidelibus noſtri canonis diſpoſitio commu-
niter fuerit recepta. Quo circa videtur conclude-
re, quòd ſiuè confeſſio ſit de iure Diuino, ſiuè de
iure poſitiuo, Papa tenetur confiteri; verùm non
ligatur diſpoſitione noſtri canonis, ita vt teneatur
confiteri tempore in eo determinato, vel petere
licentiam ab alio. Et fortè id voluiſſe ait *Io. Andr.*
loco citato, dicentem quòd mens huius conſtitu-
tionis illum alligat, quaſi non ipſa conſtitutio.
Quarta ſententia fuit *Nauar. de pœnit. d. 5. in*
prin. nu. 32. qui ait, quòd ſi Rom. Pontifex alli-
12 garetur noſtri canonis præcepto; Concilium eſſet
ſupra Papam, cùm præceptum huiuſmodi ſit
Concilij generalis. Vndè iuxta ſententiam eorum
qui docent, Concilium eſſe ſupra Papam, Rom.
Pontifex alligaretur præcepto cõfeſſionis annuæ.
Secundum verò ſententiam eorum, qui putant,
Concilium non eſſe ſupra Papam, Rom. Ponti-
fex tali præcepto non ſubijcitur. Hæ ſunt opinio-
nes, quæ in hac difficultate reperiuntur, reſtat
modo, vt quid nobis dicendum ſit, videamus. Sit
igitur pro huius rei determinatione.

PRIMA CONCLVSIO.

ROmanus Pontifex ſi conſcientiam habeat
peccati mortalis, tenetur ad ſacramentalem
13 confeſſionem accedere, ſicut omnes alij
fideles. Probatur, quia ſacramentalis confeſſio
eſt de iure Diuino, vt in præcedenti quæſt. latè
probauimus; at Papa iuri Diuino ſubijcitur,
14 quemadmodum omnes alij, cùm non ſit ſupra
ius Diuinum: ergò ad eam tenetur.
Ampliatur primò hæc concluſio, vt adeò vera
ſit, vt contrarium aſſerere ſit hæreſis, vt colligi-
15 tur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 14. cap. 5.*
Nec obſtat ſi dicatur, quòd confeſſio, vt ſit valida
exigitur, vt Confeſſarius poteſtatem habeat iuriſ-
dictionis ſuper confitentem, quam nemo vendi-
care ſibi poteſt ſuper Rom. Pontificem, cùm ſoli
Omnipotenti Deo ſubijciatur, & omnibus ſit ſu-
perior, vt in *cap. aliorũ, & cap. cuncta per mun-*
dum, 9. q. 3. & cap. ſi Papa, 40. d. quoniam re-
ſpondetur, quòd licèt nemo coactiuam iuriſdi-
ctionem habeat ſuper Papam; poteſt tamen ali-
quis habere ſuper ipſum iuriſdictionem ſacra-
mentalem, ſuppoſita eiuſdẽ Pontificis ſpontanea
voluntate, ac ſubmiſſione, qua alicui Sacerdoti
ſe ſubmittat, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 17.*
q. 3. art. 1. & Medin. C. de confeſ. q. 27. ſiquidem
ad hoc vnuſquiſque Sacerdos catholicus eſt Dei
Vicarius ſpecialis, *cap. abſit, 11. q. 3.* Et Papa
licèt ſit Dei Vicarius Generalis; in illo tamen
actu nõn tenet locum Papæ, ſed priuatæ perſonæ;
16 atque ideò efficitur minor, & Sacerdos maior, vt
habetur ex *Hoſtien. in ſum. eod. tit. noſtro, nu. 15.*

Papa

Digitized by Google

Papa enim quamuis omnia poſſit, nihilominus
non habet poteſtatem peccandi, *cap. 1. 40. d.* Vndè
Panorm. in explic. noſtri can. ſub nu. 19. meritò
17 inquit, Papam non poſſe compellere Sacerdo-
tem ad reuelandum peccatum in ſacramentali
confeſſione ſibi detectum.

Secundò ampliatur, vt Rom. Pontifex non ſo-
lùm teneatur ad ſacramentalem confeſſionem;
18 ſed etiam ad ſumptionem Sanctiſſimi Euchari-
ſtiæ Sacramenti, vt latè, Deo duce, ſuo loco di-
cemus. Etenim conſtat Sacramentum huiuſmodi
non ſolùm à Deo fuiſſe inſtitutum; ſed etiam
præceptum, iuxta illud *Ioan. cap. 6. Niſi mandu-
caueritis carnem filij hominis, & biberitis eius
ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Sic ampliata limitatur ipſa concluſio, vt vera
ſit, ſuppoſito, quòd Rom. Pontifex conſcientiam
19 habeat peccati mortalis: quoniam confeſſio non
eſt neceſſaria abſolutè; ſed ſuppoſita lęthali culpa,
vt ſupra declarauimus, ſec. præcedenti.

Secundò limitatur, vt Papa non ſtatim quòd
commiſerit læthalem culpam teneatur ad ſacra-
20 mentalem confeſſionem accedere: quia præcep-
tum Diuinum confeſſionis ad id non obligat, vt
in præcedenti ſec. ſupra oſtendimus.

SECVNDA CONCLVSIO.

ROmanus Pontifex ſi conſcientiam habeat
peccati mortalis, tenetur confiteri in arti-
21 culo, ſeù in periculo mortis. Hæc concluſio
patet, quia Romanus Pontifex ex præcepto Di-
uino ad id compellitur, ſicut in tali caſu omnes
alij fideles tenentur. Etenim præceptum Diuinū
confeſſionis eſt affirmatiuum; ergò licèt non
obliget ſemper ad ſemper, obligat tamen tem-
pore neceſſitatis: at nulla maior neceſſitas huius
Sacramenti conſiderari poteſt, quàm in mortis
articulo, vt latè ſupra explicauimus ſec. præ-
cedenti.

Ampliatur primò hæc concluſio, vt Romanus
Pontifex vi præcepti Diuini non ſolùm teneatur
22 ad confeſſionem accedere in articulo, aut in pe-
riculo mortis; ſed etiam in multis caſibus extra
mortis periculum, & extremam neceſſitatem,
nempè ratione periculi carendi confeſſario, ad
dignam Sanctiſſimi Sacramenti ſumptionem, ad
ſuperandam tentationem, & in alijs caſibus à no-
bis ſupra relatis, quæſt. præcedenti.

Secundò ampliatur, vt Romanus Pontifex in
articulo, ſeù periculo mortis non ſolùm teneatur
23 ad confitendum; ſed etiam ad ſumendum San-
ctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Probatur
quia tali tempore iure Diuino fideles omnes te-
nentur ad communicandum; ergò etiam tenetur
Romanus Pontifex, qui iuri Diuino ſubijcitur
ſicut cæteri fidelés omnes, vt latius ſuo loco,
infra, Deo duce, dicemus. Eſt tamen verum,
quòd licet qui recuſaret in mortis articulo Sacra-
mentum percipere lęthalem culpam cōtraheret;
nihilominus ſi conſtitutus in tali periculo, paulò
ante quam conſtitueretur communicauerit, vt
quia in ſanitate ſolitus erat frequenter ad Sacra-
mentum ipſum accedere, & puram exiſtimaret
habere conſcientiam, ſi non ſumpto viatico per
negligentiam decederet, culpæ mortalis reus dici
non poſſet, vt rectè docet *Sot. in 4. d. 12. q. 1. art.
11. col. 7. verſ. Secundo adijcimus.*

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt ita
demum Romanus Pontifex obligetur præcepto
24 Diuino confeſſionis in articulo mortis, & in alijs
caſibus ſupra relatis, quando conſcientiam ha-
beat peccati mortalis iuxta ea, quæ ſupra adno-
tauimus.

Secundò limitatur ſupradicta cōcluſio, vt vera
ſit quando Romanus Pontifex poteſt confiteri, &
25 Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, vt ſupra:
ſecus autem ſi nō poſſit; quoniam ad impoſſibile
nemo tenetur, *l. impoſſibilium, ff. de reg. iur.*
Confirmatur, quia nec alij fideles Diuino præ-
cepto ad confeſſionem tenentur, ſi non poſſint:
ergò nec S. Pontifex, cùm militet eadem ratio.
Eſt tamen verum quòd ſi verbis non poſſit expri-
mere peccata, ſed valeat ſignis, percutiendo pe-
ctus, eleuando oculos in Cœlum, vel interroga-
tus à Confeſſario, ſi ſe pœniteat peccatorum ſuo-
rum, & velit abſolui, poſſit Confeſſarij manum
ſtringere, vel quodcunque aliud ſignum contri-
tionis oſtendere, ad id obligatur: quia illa ſigna,
& nutus ſunt ſufficiens materia Sacramenti pœ-
nitentiæ, & ſuper huiuſmodi actus poteſt impēdi
ſacramentalis abſolutio, vt in *cap. is, qui pœniten-
tiam, 26. q. 6. D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 2. Syl.
in ſum. rer. confeſſor. 3. q. 3.* & alij, quos refert, &
ſequitur *Suar, 3. par. tom. 4. diſp. 23. ſec. 1. nu. 5.
cum ſeq.* vbi contraria ſoluit, *Vaſq. ibidem, q. 91.
art. 2. dub. 1. num. 3. & ſeq. Coninch. diſp. 7. de
integr. confeſ. n. 99. & Reginal. lib. 8. ſua praxis,
nu. 27.* Imò ſi copiam confeſſarij non habeat, eo-
dem præcepto Diuino tenetur conteri, vt ſuo loco
infra dicemus, de contritione tractantes. Etenim
Lex Diuina naturalis præcipit, vt homo nihil
omittat, quod ſuæ ſaluti ſit neceſſarium.

TERTIA CONCLVSIO.

ROmanus Pontifex non ſolùm obligatur ad
confeſſionem accedere in articulo, ſeù pe-
26 riculo mortis, & in alijs caſibus ſupra re-
latis; verùm etiam tenetur ad confitendum ſaltē
ſemel in anno, & ſic adimplere præceptum annuę
confeſſionis, de quo in noſtro canone. Hæc con-
cluſio eſt *Ioan. Andr. Couar.* & aliorum, quos
ſupra retulimus pro prima ſententia, quibus etiā
adde *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 5. Graff. par. 1. Deciſ.
cap. 8. nu. 32. in fin.* vbi pro hac eadem ſententia
refert *Felin. in cap. 1. num. 31. de conſtit.* & latè
Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 90. art. 1. dub. 1, nu. 14. Pro-
batur, quia vt ſupra probauimus, quæſt. præce-
denti, præceptum annuæ confeſſionis non eſt
purè Eccleſiaſticum, ſed eſt etiam Diuinum; ergò
alligat Romanum Pontificem, quem ſupra dixi-
mus ſubijci Diuino præcepto ſicut omnes alij
ſubduntur. Ob id ait *Scot. in 4. d. 17. q. 1. art. 1.*
Præceptum confeſſionis non eſſe merum Eccle-
ſiaſticum, quia aliàs non obligaret Papam, quia
præcepta Eccleſiaſtica ipſum non obligant, *Gloſ.
in cap. confidimus, 25. q. 1.*

Ampliatur hæc concluſio, vt Romanus Pon-
tifex teneatur hoc præcepto, etiam ſi confeſſio
27 ſacramentalis à Deo non fuiſſet præcepta; ſed
tantùm inſtituta: atque ideò præceptum huiuſ-
modi eſſet purè Eccleſiaſticum. Siquidem hoc
præceptum eſſet Reip. Chriſtianæ valdè vtile,
cùm ſuppoſita confeſſionis diuina inſtitutione,
28 per eam fideles facilius obtinerent, vt ad præſens
obtinent remiſſionem peccatorum: nam ſæpe
difficile eſt habere contritionem, & facile attri-
tionem, quæ ſatis eſt, mediante ſacramentali con-
feſſione ad remittendam culpam: item frequen-
tatio

Digitized by Google

tatio confeſſionis non ſolùm eſt medicina peccatorum purgatiua quantumuis fuerint eradicata, & præſeruans ab eis; ſed etiam multum prodeſt: ad conſeruandam ſocietatem vitæ, & ad vitam rectè inſtituendam. Vndè eam ſi præceptum confeſſionis annuæ eſſet purè Eccleſiaſticum, ob ſupra relatas vtilitates iuſtiſſimum foret: ergò ad illius obſeruantiam teneretur ipſe Pontifex: quia ſecundum rectam rationem, atque ideò de iure naturali quilibet legiſlator tàm Ciuilis, quàm Eccleſiaſticus tenetur ſeruare legē ſuam iuſtam: nam ex dictamine rationis conſtat, vt quod quiſq; iuris in alium ſtatuerit, ipſe quoque eodem iure vtatur; vndè *Vlp. in l. 1. ff. quod quiſq; iur.* ſic ait. *Quis enim aſpernabitur idem ius ſibi dici, quod ipſe alij dixerit.* Hoc ipſum habetur in *cap. iuſtū, d. 9. & cap. liceat Papa*, 12. q. 1. latè *Salas de legib. diſp. 4. ſec. 2. Suar. lib. 3. de legib. cap. 35. Reginal. lib. 13. ſua prax. nu. 268. & ſeq. Lorca diſp. 25. de legib. nu. 3.* & hanc opinionem certam eſſe apud omnes teſtatur *Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 90. art. 1. dub. 1. ſub nu.* 14. Ita vt Legiſlator citra
29 culpam violare non poſſit legem, quam ipſe tulit, niſi ex rationabili cauſa; & eodem modo, quo cum alijs diſpenſat. Et hoc ideò quia debet conſonare cum toto corpore, quod in Legiſlatore ciuili præcipuè id locum ſibi vendicat ex vi legis poſitiuæ: ſiquidem aliqui volunt ſub hac conditione Principem ſæcularem à Populo, & Papam à Deo hanc poteſtatem recepiſſe, vt ſupra diximus ex *Fagund.* poſt alios in relatione primæ ſententiæ. Imò id prouenit ex virtute, & efficacia eiuſdem legis, ſiue ciuilis ſit, ſiue Eccleſiaſtica, vt ipſe Legiſlator rationabiliter viuat, & pareat legi, quam ipſe tulit; niſi legis obſeruantia repugnaret ſtatui, & conditioni Legiſlatoris; qualis eſt lex de non aſportandis armis, de non ferendis veſtibus ſericis, aureo, & lapidibus prætioſis contextis, & aliæ ſimiles, quoniam licèt harum legū obſeruantia conueniat ſubditis; non tamen conuenit Principi propter eius excellentiam, & ſupremam poteſtatem, vt rectè declarat *Fagund. loco citato, & Molf. par. 1. ſua ſum. tract. 9. cap. 8. nu. 25. & 26.*

Secundò ampliatur, vt Rom. Pontifex ligetur præcepto confeſſionis annuæ, ſiue Concilium
30 eſſet ſupra Papam, ſiue non *Pro vt re vera non eſt, & qui contrariam ſententiam hodie defenderet, temerarius ſaltem proculdubio eſſet cenſendus, vt habetur ex Azor. lib. 4. Inſt. moral. cap. 13. q. 1. par. 2. latè Alter. in explic. Bull. cœn. can. 2. cap. 1. quos nos retulimus in explic. eiuſdem canonis lib. 2. q. 1. nu. 6. & 7.* Etenim ſi Concilium eſſet ſupra Papam, certum eſt Romanum Pontificem obligari præcepto confeſſionis annuæ, cùm præceptum huiuſmodi fuerit latum in Conc. Lateran. ſub Inn. III. Si verò eſſet ſupra Concilium, vt verè eſt, cùm id habeat vim condendi leges approbatione Rom. Pontificis, ipſe Pontifex cenſetur præceptum ipſum edidiſſe: & propterea, vt Legiſlator tenetur ad obſeruantiam propriæ legis, cùm ſit iuſta, & non repugnet eius ſtatui, vt paulò ſupra oſtendimus. Vndè non immeritò *Vaſq. loco citato*; reprehendit *Nauar.* ſupra relatum dicentem, quòd ſi Romanus Pontifex obligatur hoc præcepto, Concilium eſſet ſupra Papam, cùm præceptum huiuſmodi ſit Concilij generalis: ſiquidem S. P. alligatur hoc præcepto; licèt Concilium non ſit ſupra Papam.

Tertiò ampliatur eadem concluſio, vt Romanus Pontifex obligetur præcepto confeſſionis
31 annuæ, etiam ſi vera eſſet opinio, *Gloſ. & Panor.* dicentium, confeſſionem ſacramentalem iure tantùm humano fuiſſe inductam; quam opinionem omninò falſam, & contra fidem eſſe ſupra probauimus, quæſt. præcedenti. Etenim præceptum huiuſmodi adhuc valdè vtile eſſet Chriſtianæ Reip. per ea, quæ ſupra diximus, & propterea rationabilis: ergò ad illius obſeruantiam obligaretur Papa, cùm eius ſtatui non repugnet.

Quartò ampliatur, vt Romanus Pontifex adeò
32 ligetur præcepto noſtri canonis, vt ſi probabiliter timeat, ſe non habiturum copiam Confeſſarij in toto anno ſi hic, & nunc dictum præceptum non impleat, teneatur anticipare confeſſionem. Siquidem præceptum huiuſmodi ſupra probauimus eſſe non ſolùm Eccleſiaſticum, ſed etiam Diuinū, & hoc caſu tenentur anticipare confeſſionem alij fideles in quacunque parte anni, ſi præuideant fore, vt poſt occaſionem illam non poſſint in toto anno illo confiteri, vt ſupra probauimus, quæſt. præcedenti, *nu.* 34. Non tamen idem dicendum eſt de communione, cùm militet diuerſa ratio:
33 nam præceptum confeſſionis non limitatur ad finem anni ſicut præceptum communionis, vt rectè docet *Suar. 3. par. tom. 3. diſp. 70. ſec. 2. col. 7. verſ. Tertium dubium*, & nos latius ſuo loco, Deo duce dicemus.

Quintò ampliatur, vt Romanus Pontifex non ſolùm teneatur præcepto annuæ confeſſionis;
34 verùm etiam præcepto communionis in Paſcqua, ita vt citra cauſam rationabilem ſi dictum præceptum non ſeruat lęthaliter peccat. Probatur, quia præceptum communionis in Paſcha non eſt purè Eccleſiaſticum, ſed ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum, ſicut præceptum annuæ confeſſionis. Etenim Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non ſolum à Chriſto fuit inſtitutum, ſed etiam eius ſumptio præcepta, vt habetur *Ioan. cap. 6. Niſi manducaueritis, &c.* Tempus autem illud ſumēdi fuit à Chriſto Eccleſiæ commiſſum, vt deputet, ſicut circa confeſſionem: & propterea vno, & eodem canone fuit ab Eccleſia præfinitum tempus confitendi, ac communicandi, vt benè declarat *Sot. In 4. d. 12. q. 1. art. 11. col. 7. verſ. Secundò adijcimus*, & nos latius Deo duce, infra dicemus de præcepto communionis agentes. Vndè præceptum communionis in Paſcha ſecundū eius ſubſtantiam eſt Diuinum ſicut præceptum confeſſionis ſemel in anno; determinatio verò temporis eſt de iure poſitiuo, cui determinationi ſtare tenetur Romanus Pontifex, quia talis determinatio quamuis facta fuerit ab Eccleſia, nihilominus perinde eſt, ac ſi facta ſit à Deo tanquā ab eo commiſſa Eccleſiæ: ſiquidem qui per alium facit, per ſe ipſum facere moraliter cenſetur, *l. 1. §. deieciſſe. ff. de vi, & vi arm. l. hoc iure, §. deiecit, ff. de reg. iur. cap. qui per alium, ro. tit. in 6.* Pro hac eadem ampliatione faciunt ea, quæ ſupra adnotauimus, *ampliat.* 1.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio primò vt ita demum Romanus Pontifex alligetur præ-
35 cepto confeſſionis annuę, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, ſicut ſupra diximus de præcepto confeſſionis purè Diuino, & infra latius, Deo duce, dicemus. Etenim materia remota Sacramēti

Digitized by Google

pœnitentiæ ſunt tantùm peccata mortalia, non autem venialia.

Secundò limitatur, vt Romanus Pontifex ex iuſta, ac rationabili cauſa excuſetur à præcepto
36 confeſſionis annuæ, ſicut etiam à communione in Paſcha. Nam eo caſu ſicut poteſt diſpenſare in tempore cum aliqua ſingulari perſona, ſi iuſta cauſa ſubſiſtat, ita etiam poterit ſe ipſo, vt benè declarat *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 5.*

Tertiò limitatur ſupradicta concluſio, vt licèt Romanus Pontifex ſubijciatur præcepto confeſ-
37 ſionis annuæ, & communionis in Paſcha, ita vt teneatur confiteri ſemel ſaltem in anno, & communicare ad minus in Paſcha, tantum intelligendum eſt quoad vim directiuam, nō autem quoad vim coactiuam, nempe quoad culpam, vt ſcilicet peccet contrauenïendo, non autem ſubijciatur pœnis in noſtro canone contentis, vt habetur ex *Couar. in cap. Alma Mater, par. 1. §. 1. ſub nu. 7. in verſ. Hac denique adduximus, & Vaſq. 3. p. tom. 4. art. 1. dub. 1. nu. 14.* Nam alij Principes vi
38 tantum directiua obligantur ad obſeruandas eorum leges, non autem coactiua, vt ſcilicet ad earum obſeruantiam cogi poſſint ſub pœnis in eis contentis, vt poſt alios latè declarat *Salas de legib. diſp. 14. ſec.* cum alijs Doctoribus ſupra relatis: ergò multo magis id eſt dicendum de Dei Vicario, qui nullum habet ſuperiorem in Terris, ſed omnibus eſt ſuperior, *cap. cuncta per mundum, 9. q. 3.* & prima ſedes, excepta hæreſis cauſa. *Quod abſit*, à nemine iudicari, ac puniri poteſt, *cap. nemo iudicabit, 9. q. 5.* Ad contraria verò patet ſolutio ex dictis.

Ibi, *Vtriuſque ſexus*. An Hermaphroditi tantum comprehendantur ſub diſpoſitione noſtri canonis.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Hermaphroditos ſolū comprehendere verba illa,* Vtriuſq; Sexus, *cum illi verumque Sexum habeant, qui aſſerant.*

2 *Verba* Omnis vtriuſque Sexus, *comprehendunt omnes fideles maſculos, & fœminas, eſto quod alterum ſexum habeant.*

3 *Hermaphroditus cum ſit ſimul maſculus, & fœmina an comprehēdatur ſub diſpoſitione huius canonis.*

4 *Hermaphroditi ſunt in duplici differentia.*

5 *Hermaphroditi in quibus alter ſexus prænalet, ſi prænalet maſculinus, dicuntur ſimpliciter maſculi, & ſecundum quid fœmina, & ſic è contra.*

6 *Hermaphroditi æqualis ſexus, dicuntur æqualiter maſculi, & æqualiter fœmina.*

7 *Hermaphroditi in quibus alter ſexus tantum prænalet, coguntur prænalentem tantum ſexum proſequi.*

8 *Hermaphroditi æqualem ſexum habētes poſſunt eligere ſexum quo vti velint.*

9 *Hermaphroditi in altero ſexu tantum prænalentes, non tenentur iurare de non inſeruiendo alteri ſexui; pro vt iurant æqualem habentes, altero, præter electum in poſterum non vſuros.*

10 *Hermaphroditi in quibus alter ſexus tantum prænalet non poſſunt contrahere matrimonium niſi ſecundum ſexum prænalentem; illi verò in quibus vterq; eſt æqualis poſſunt contrahere ſecundum ſexum quo vti velint.*

11 *Hermaphroditi in quibus alter ſexus prænalet ſi, matrimonio iuxta ſexum prænalentem contracto, efficiantur vidui, & matrimonium iuxta alterum ſexum contrahant, peccāt mortaliter, & matrimonium eſt inualidum. Cum illis verò æqualis ſexus eſt validum.*

12 *Hermaphroditi in quibus alter ſexus prænalet comprehenduntur ſub diſpoſitione huius canonis, de illis verò in quibus eſt æqualis controuertitur.*

13 *Hermaphroditus eſt ſpecies diſtinta à tantum maſculo, & à ſola fœmina.*

14 *Mulſum quod conſtituitur ex vino, & melle, non eſt formaliter, nec vinum, nec mel.*

15 *Conficiens mulſum ex alieno vino, & melle, & ex alienis medicamentis emplaſtrum, corū efficitur dominus, & tenetur ad pretium & intereſſe tantum dominis.*

16 *Statutum prohibens extrahi frumentum, non cenſetur prohibere ordeum.*

17 *Farina propriè non dicitur bladum.*

18 *Miſta non comprehenduntur ſub ſimplicibus, limitatur in fauorabilibus, nu. 26.*

19 *Legatum factum vxori eorum, quæ eius cauſa parata ſunt non veniunt, quæ communi vſui parata ſunt.*

20 *Statutum diſponens quod pro rebus proprij vſus non ſoluatur gabella, non habet locum in rebus, quæ aſportantur proprij, & alterius vſus cauſa.*

21 *Princeps ſi ex mercibus ſtipendia ſibi debita habere non poteſt, iuſtè exigit gabellam pro rebus ad propria viſa vſum.*

22 *Hermaphroditi non comprehenduntur ſub diſpoſitione Iurium diſponentium de maſculis, vt poſſint promoueri ad ordines; & de maſculis, & fœminis, vt poſſint ingredi religionem.*

23 *Hermaphroditi indiſtinctè obligantur ad confeſſionem annuam.*

24 *Conſtitutio pœnalis licet reſtringenda, ſi per illā vitatur periculum animarum eſt largo modo interpetranda.*

25 *Miſtum inſeparabile cōſtituit ſpeciē diſtintam, ſecus ſi eſt ſeparabile.*

26 *Hermaphroditus non poteſt dici propriè perſona miſta ex maſculo, & fœmina, nam in eo diſtinti apparent ſexus.*

27 *Hermaphroditus eſt capax Sacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ. Ordinis verò, & profeſſionis eſt omnino incapax; nec prænalens in virili ordinatus miniſtrat; licet ordinis caracterem ſuſcipiat.*

28 *Hermaphroditi tenentur ad præceptum communionis in Paſcha.*

29 *Hermaphroditi obligantur ad præceptum confeſſionis, & communionis in articulo mortis, & alijs caſibus, quibus Chriſti fideles obligantur.*

30 *Hermaphroditi excuſantur à præcepto annuæ confeſſionis, & communionis in Paſcha, in omnibus caſibus in quibus alij fideles.*

AD euidentiam eorum, quæ dicenda erunt, eſt adnot. quòd licèt iſte canon ſi verba
1 illa: *Vtriuſque ſexus*, Attendere velimus, pro vt iacent eum, dumtaxat videatur obligare ad confitendum ſemel ſaltem in anno, & ad communi-

Digitized by Google

municandum ad minus in Paſcha, qui vtrumque
ſexum ſimul habeat, atque ideò tantum Herma-
phroditos, cùm hi ſoli ſint vtriuſq; ſexus, & non
alios fideles, qui tantùm maſculi ſunt, vel fœmi-
næ, vt Caluinus relatus à *Bellar. lib. 3. de pœnit.
cap.16.* Satis impudenter, ac ridiculè aſſerit; Do-
ctores tamen communiter exiſtimant, diſpoſitio-
nem huius canonis non eſſe intelligendam con-
iunctiuè, ſed alternatiuè, ita vt dum ait *textus,*
2 *Omnis vtriuſq; ſexus, &c.* Per illa verba Conci-
lium intelligat omnes fideles, ſiue tantùm ma-
ſculi ſint, ſiue fœminæ dumtaxat, atque ideò eſtò
quod alterum ſexum habeant, & non vtrumque.
Vndè *Io. Andr. in explic. huius canon. nu. 1. in
fin.* Ad corroborationem eorum, quæ dicta ſunt,
refert, quòd alia littera legit, *Omnis cuiuſque
ſexus,* & non *Omnis vtriuſque ſexus.* Et re vera ſi
Hermaphroditos ſolùm diſpoſitio noſtri canonis
comprehenderet, irrationabilis eſſet, cùm non
poſſit aſſignari recta ratio, cur potius Herma-
phroditi debeant confiteri ſemel ſaltem in anno,
& communicare ad minus in Paſcha, & non alij
fideles, qui alterum ſexum habentes, maſculi
tantũ ſunt, vel tantùm fęminæ. Ne igitur irratio-
nabilem cenſeamus canonẽ noſtrũ, cõcludamus,
illa verba, *Omnis vtriuſq; ſexus.* Intelligenda eſſe
alternatiuè, non autem coniunctiuè; ideſt, omnis,
ſiue maſculus ſit, ſiue fęmina. Imò ſecundũ rectã
grammaticam rectè legi, *Vtriuſq; ſexus.* Probat,
Bellar. loco citato, ex Diuo Hieronymo vertente
illud *Iudic. c.16.* ibi, *Circiter triamillia vtriuſq;
ſexus ſpectantium ludentem Samſon, &c.*

Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non
egeant, ſola igitur difficultas eſt inter Doctores.
3 An ſupradicta expoſitione ſic ſtãte, Hermaphro-
ditus comprehendatur ſub diſpoſitione noſtri
canonis; cum non ſit tantùm maſculus, & tan-
tùm fęmina, ſed ſimul eſt maſculus, & fęmina.
Vtilis re vera eſt iſta quæſtio ad deciſionem non-
nullorum caſuum deſeruiens: & propterea ad
eius explicationem quatuor faciemus. Primò
titulum quæſtionis declarabimus: Secundò con-
traria adducemus: Tertiò rem ipſam determina-
bimus: & quartò contraria ſoluemus.

Circa tituli explicationem eſt adnot. quòd
licèt Hermaphroditi omnes vtrumque ſexum
4 habeant; ſunt tamen in duplici differentia. Etenim
quidam ſunt, in quibus alter tantùm ſexus præ-
ualet: Alij verò in quibus neuter, ſed vterque
dicitur æqualis. Differunt autem huiuſmodi Her-
maphroditi inter ſe in multis. Primò, quoniam
illi, in quibus alter tantùm ſexus præualet, dicun-
5 tur ſimpliciter maſculi, vel fęminæ iuxta ſexũ in
eis præualentem: & propterea ſi præualeat ſexus
virilis, dicuntur ſimpliciter maſculi, & ſecundũ
quid fęminæ. Si verò fęmineus appellantur ſim-
pliciter fęminæ, & ſecũdum quid maſculi, vt in *l.
quæritur, ff. de ſtat. hom.* At illi, in quibus neuter
6 ſexus præualet, ſed vterque eſt æqualis, dicuntur
æqualiter maſculi, & æqualiter fęminæ; cùm nõ
poſſit aſſignari ratio, cur huius, & non alterius
ſexus cenſeantur, vt habetur ex *Henr. lib. 4. de
irregul. cap.8.n.6. Maiol. eod. tract. lib.3. cap. 25.
nu.16. Nauar. lib. 1. Conſil. in prima editione,
ſub tit. de ætat. & qualit. conſ.3.n.3.* & alij, quos
refert *Sanch. lib.7. de matrim. diſp.106. nu.1.* vbi
nu. 2. ad probandum quiſnam ſexus præualeat,
inquit, ſtandum eſſe iudicio Medicorum, & Ma-
tronarum peritarum: & *nu.9.* addit, quòd quan-
do, conſultis Medicis, & Matronis, res in æqui-
librio remanet, tunc iudicandum eſſe, ſexum eſſe
æqualem, & neutrum præualentem. Secundò
7 differunt, nam priores Hermaphroditi nõ poſſunt
eligere ſexum, quo vti malint; ſed præualentem
tantùm ſexum coguntur proſequi; ita vt ſi virilis
in eis præualeat, virili teneantur inſeruire: ſi fę-
mineus, fęmineo. At poſteriores Hermaphoditi
8 poſſunt eligere ſexum, quo vti velint, atque adeò
ſi virilem eligant, virili: ſi verò fęmineum, fę-
mineo inſeruiant, vt habetur ex *Hoſtien. in ſum.
de teſtib. §. Quis poteſt eſſe teſtis, n.2.* Tertiò Her-
maphroditi alterum tantum ſexum præualentem
habentes, præualente dumtaxat debent vti, &
non tenentur pręſtare iuramentum de non inſer-
uiendo alteri ſexui. At Hermaphroditi, in qui-
bus neuter præualet, ſed vterque ſit æqualis, facta
electione ſexus, quo vti velint, debent iuramento
conſtringi, ſe in poſterum nõ vſuros altero ſexu,
præter electum, *arg. tex. in cap. presbyteros, 16.
q. 1. & Sanch. loco citato, nu. 1. in fin.* Quartò
differunt, quia primi Hermaphroditi non poſſunt
10 matrimonium contrahere, niſi ſecundum ſexum
in eis præualentem, ita vt ſi præualeat virilis,
vxorem dumtaxat ducere valeant, non autem
nubere viro, vt habetur per *Gloſ. in cap. ſi teſtes,
in ver. Ad teſtimonium, 4 q 3. Angel. in ſum. ver.
Hermaphroditus, nu. vlt. Syl. eod. ver. in fin.* &
alij. Sed Hermaphroditi ſecundi generis poſſunt
contrahere matrimonium ſecundum ſexum, quẽ
eligunt, & quo vti volunt: & propterea ſi eligant
inſeruire virili, poſſunt vxorem ducere: ſi verò
fęmineo, poſſunt nubere viro, vt per DD. ſupra
relatos, præſertim *Sanch. loco citato, n.6.* vbi *n.7.*
addit etiam ex *Maiol.* quòd Parochus non debet
intereſſe tali matrimonio, donec Hermaphrodi-
tus coram Iudice Eccleſiaſtico declaret, quo
ſexu vti velit. Quintò differunt, quoniam Her-
11 maphroditi, in quibus alter ſexus tantùm præ-
ualet, matrimonio contracto iuxta ſexum præ-
ualentem, & vidui effecti ſi matrimonio copu-
lentur iuxta alterum ſexum, peccant mortaliter,
& matrimonium eſt inualidum: vt cùm quis ſe-
cundum virilem ſexum in eo præualentem vxo-
rem duxerit, & deindè viduus effectus nubat
viro iuxta alterum ſexum minus præualentem.
At Hermaphroditi neutrum ſexum præualentem
habentes, ſi ſemel, electo ſexu, & ſecundum
illum matrimonio inito, vidui efficiantur, & ma-
trimonio copulentur iuxta alterum ſexum, ma-
trimonium erit validum, cùm iure naturæ non
irritetur: eo quòd huiuſmodi Hermaphroditi
æquè maſculi ſunt, ac fęminæ, nec eorum electio,
id quod natura indidit auferre valuit; nec ius Di-
uinum, aut Pontificium reperitur, quo tale ma-
trimonium irritum fiat, vt rectè docet *Sanch.*
vbi ſupra, *nu.8.* vbi etiam putat, ita contrahentes
peccare mortaliter, cùm velint delictum com-
mittere in re grauiſſima; eſtò quòd non iuraue-
rint, ſe altero ſexu non vſuros præter electum.
Quod quidem mihi videtur dubium, cùm ita
contrahentes, præuio iuramento, aut aliqua alia
rationabili promiſſione, non faciant nec contra
ius Diuinum, nec humanum: & propterea non
video quomodo poſſint peccare mortaliter, cùm
omne peccatum ſit contra legem aliquam.

Cùm igitur Hermaphroditi ſint in duplici

Digitized by Google

differentia; alij ſcilicet, in quibus alter ſexus
12 prævalet, & alij neutrum ſexum prævalentem
habentes, ſed vtrumq; æqualem, noſtra quæſtio
non eſt de Hermaphroditis primi generis; nam
eos concedimus comprehendi ſub diſpoſitione
noſtri canonis, cum dicatur ſimpliciter maſculi,
vel fœminæ ſecundum ſexum in eis prævalentem,
vt in *d. l. quæritur, ff. de ſtat. homin.* atque adeo
quoad ipſos approbamus opinionem *Anchar. in
explic. noſtri can.* & aliorum: ſed controverſia
noſtra eſt de Hermaphroditis ſecundi generis, in
quibus neuter ſexus prævalet, & vterq; eſt æqua-
lis; de his, inquam, quærimus an comprehen-
dantur ſub præcepto confeſſionis annuæ in noſtro
canone contento; ita vt teneantur confiteri ſemel
ſaltem in anno, ſicut alij fideles ad confitẽdum
obligantur.

In hac difficultate videtur prima facie nega-
tivè reſpondendum eſſe. Probatur hæc ſententia
13 primo, quia Hermaphroditus eſt ſpecies quæ-
dam diſtincta à tantum maſculo, & à ſola fœ-
mina: ergo non comprehenditur ſub diſpoſitio-
ne noſtri canonis; atque ideò non tenetur ad
confitendum ſemel ſaltem in anno. Antecedens
patet, quoniam Hermaphroditus eſt perſona
mixta ex maſculo, & fœmina: ergo eſt ſpecies
diſtincta à tantum maſculo, & a ſola fœmina.
Etenim mixtum eſt ſpecies diſtincta à ſuis ſim-
plicibus. Hinc mulſum, quod conſtituitur ex
vino, & melle, non eſt formaliter, nec vinum,
14 nec mel; ſed ſpecies diſtincta à vino, & melle.
Et emplaſtrum compoſitum ex varijs medica-
mentis non eſt formaliter, nec vnum, nec alte-
rum ex illis, ſed ſpecies omninò diſtincta à me-
dicamentis ipſis. Vndè ſi Titius v. g. ex alienis
vino, & melle faciat mulſum, aut ex alienis me-
15 dicamentis emplaſtrum, tàm mulſi, quàm em-
plaſtri efficitur dominus, nec tenetur ad aliud,
quam ad pretium vini, & mellis, ac medica-
mentorum vna cum intereſſe eorum Dominis,
vt eſt *text. in l. adeo, §. cum quis, ff. de acquir.
rer. domin.* vbi hanc eſſe rationem aiunt Nerva,
& Proculus, quia quod factum eſt, antea nullius
fuerat; quaſi dicat, licet mel, & vinum, & me-
dicamenta aliena fuerint; tamen mulſum, &
emplaſtrum ex dictis rebus, & medicamentis
reſultantia, cum antea nullius fuerint, efficiun-
tur ipſius Titij ipſa mixta conficientis, & ea
primo occupantis. Si igitur Hermaphroditus eſt
perſona mixta ex maſculo, & fœmina, atque
ideo ſpecies diſtincta ab homine tantum ma-
ſculo, & à ſola fœmina; ergo non comprehendi-
tur ſub diſpoſitione noſtri canonis, qui loquitur,
vt diximus de tantùm maſculis, è de ſolis fœmi-
nis, & propterea non tenetur ad confitendum
ſemel ſaltem in anno; quia ſtatutum loquens de
vna ſpecie, non extenditur ad aliam. Vnde ſta-
tutum prohibens extrahi frumentum à Civitate,
16 non cenſetur prohibere extrahi ordeum, quo-
niam ordeum eſt diverſa ſpecies à frumento. Imò
Bart. in l. Cæſar, n. 13. ff. de public. vectigal. ait,
quòd ſtante ſtatuto, vt qui aſportaverit bladum
extra Civitatem puniatur in centum, ſi quis
aſportaverit, farinam, dicta pœna non mulcta-
tur; quia farina propriè non eſt bladum; licèt
17 bladi nomine veniat frumentum, ordeum, &
cætera huiuſmodi, quæ terra ſeruntur, vt per
Gloſ. in l. triticum, ff. de verb. oblig. Quam do-
[illegible] puto tamen veram quoad pœnam ordi-
nariam; ſecus autem quoad pœnam extraordi-
nariam. Nam licèt farina ſit diverſa ſpecies à
blado, & ſic à frumento, &c. nihilominus iſte
talis extrahendo farinam dicitur facere contra
mentem legis, & ideò verè cenſetur facere con-
tra legem, vt in *l. non dubium, cap. de legib.* Vndè
licèt non puniatur contraveniens eadem pœna,
punitur tamen eadem lege, *arg. text. in l. ſi quis
non dicam rapere*, & ibi *Doctor. C. de Epiſc. &
Cler.* Et id maximè verum eſt, ſi ſtatutum redda-
tur inutile, per *text. in cap. ſi Civitas, de ſent.
excommun.*

Confirmatur, quoniam mixta non compre-
henduntur ſub ſimplicibus; ergò Hermaphroditi,
18 de quibus agitur, non comprehenduntur ſub
diſpoſitione noſtri canonis conſequentia patet
ex dictis. Antecedens probatur primò ex *l. lega-
tum, ff. de leg. 3.* vbi ſub legato veſtium panni ad
vſum vxoris non veniunt veſtes paratæ ad promi-
19 ſcuum vſum viri, & vxoris: & legatis vxori ijs,
quæ vſus eius cauſa parata ſunt, illi ſervi ad eam
non pertinent, qui non proprij ipſius, ſed com-
munis vſus cauſa parati ſunt, *l. legatis, ff. de
legat. 2.* Et denique ſtatutum diſponens, quòd
20 non ſoluatur gabella de rebus, quæ deferuntur
proprij vſus cauſa, non habet locum in ijs, quæ
aſportantur proprij vſus cauſa, & alterius, vt per
Alber. de Roſ. in 1. par. ſtatut. q. 9. Dixi ſtatutum
diſponens, quoniam licèt idem ſtatuatur de iure
communi, vt pro huiuſmodi rebus non debeatur
gabella, vt in *l. vniverſa, C. de vectigal.* Nihi-
21 lominus quando Princeps habere non poteſt ex
mercibus debita ſibi ſtipendia, gabella iuſte ſol-
uitur pro rebus ad propriæ vitæ vſum invectis,
vt in hac civitate ſervatur, & in multis alijs:
quam quidem conſuetudinem ex dicta cauſa
inductam, rationabilem eſſe nos probavimus in
noſtris *Comment. ad Bull. cœn. lib. 2. can. 5.
quæſt. 5. nu. 6.*

Deniq; probatur eadem ſententia ex eo quod
ſtatuta diſponentia de maſculis, vt promoveri poſ-
22 ſint ad ordines Eccleſiaſticos: & de maſculis,
& fœminis, quòd Religionem ingredi poſſint,
& in ea profeſſionem emittere, non comprehen-
dunt Hermaphroditos, de quibus agitur: nam
hi ſunt ordinis Eccleſiaſtici omninò incapaces:
& ſi in aliqua Religione profeſſionẽ emittant,
profeſſio eſt nullius momenti, vt latè probat
Henr. lib. 14. de Irregul. cap. 8. nu. 6. & alij, quos
refert, & ſequitur *Sanch. lib. 7. de matr. diſp.
106. nu. 3.* Ergò prædicti Hermaphroditi non
comprehenduntur ſub diſpoſitione noſtri cano-
nis, diſponentis de maſculis tantùm, & de ſolis
fœminis: & tanto minus; quia diſpoſitio dicti
canonis eſt pœnalis, & ſic odioſa, *arg. tex. in
cap. odia de regul. iur. in 6.*

His tamen non obſtantibus, contrariam ſen-
tentiam arbitror eſſe omninò veram, quam
23 tenet *Io. Andr. in explic. noſtri can. n. 2. Ant.
de Butr. ibidem, nu. 19.* & alij exiſtimantes,
Hermaphroditos indiſtinctè comprehendi ſub
diſpoſitione dicti canonis: & propterea obli-
gantur, ſicut alij fideles ad confitendum ſemel
ſaltem in anno. Probatur primò, quia huiuſ-
modi præceptum non eſt purè Eccleſiaſticum,
vt ſupra oſtendimus Sec. 1. ſed etiam Divinum,
quatenus ſuæ Eccleſiæ Deus commiſit tempus
defi-

definiendum, quo adimpleri debeat præceptum
Diuinum de confitendo, vt latè habetur etiam
ex *Bellar. de pœnit. lib. 3. cap. 13.* At præcepto
Diuinò Hermaphroditos alligari non eſt ambi-
gendum: poſtquam illo præcepto omnes fideles
baptizati tenentur; ergò alligantur quoq; præ-
cepto noſtri canonis, quo definitur tempus ad-
implendi Diuinum præceptum. Secundò dato,
& non conceſſo, quòd præceptum, de quo agi-
tur, ſit purè Eccleſiaſticum, cùm tendat in ſa-
lutem animarum, licèt ex vno capite ſit odiosũ,
cùm pœnas imponat contrauenientibus; ex
altero tamen capite eſt fauorabile, cùm tendat
24 in ſalutem animarum. Vndè quamuis conſti-
tutio pœnalis debeat reſtringi, vt in *cap. odia,*
& ibi *Doct. de reg. iur. in 6.* nihilominus quando
per illam vitatur animarum periculum, debet
extendi, & largo modo interpretari, ac ſi fauo-
rabilis eſſet, vt habetur ex *Panor. in cap. ex te-
nore, nu. 6. qui fil. ſin. legit.* Ergò Hermaphro-
diti omnes comprehenduntur ſub diſpoſitione
huius canonis, cùm editus ſit in fauorem ani-
marum; & ſi pœnam ſtatuat contrauenientibus.
Denique id apertè probatur ex verbis illis no-
ſtri canonis, *Vtriuſq; ſexus*, nam verba illa ſe-
cundum rectam, & elegantem grammaticam
comprehendit non ſolùm maſculos tantùm, &
ſolas fęminas; ſed etiam maſculos, & fęminas
ſimul, & ſic Hermaphroditos.

Ad contraria facilè reſpondetur.

AD primum negatur antecedens, & ad eius
probationem reſpondemus, quòd mixtũ
25 eſt duplex: nam quodam mixtum dicitur
reſultans ex pluribus ſimplicibus adeò inter ſe
commixtis, vt ſeparari nullo modo poſſint, vt
eſt mulſum, ſeu emplaſtrum: quodam verò
conſtans ex pluribus ſimplicibus, quæ ſeparari
poſſunt, vt ſi frumentum miſceatur cum ordeo,
fabis, &c. Primum mixtum conſtituit ſpeciem
diſtinctam: ſecundum verò mixtum non item:
Hermaphroditus autem reducitur ad mixtum
ſecũdi generis; imò nec ipſum totaliter attingit,
cùm in eo appareant ſexus omninò ſeparati.

Ad confirmationem poteſt negari primò con-
ſequentia; quoniam Hermaphroditus non po-
26 teſt dici perſona mixta propriè ex maſculo, &
fęmina cum in eo diſtincti appareant ſexus. Se-
cundò poteſt negari antecedẽs: nam licèt mixta
regulariter non comprehendantur ſub ſimplici-
bus, vt in iuribus ſupra relatis, id tamen limi-
tatur locum non habere in fauorabilibus, vt per
Bart. in l. 2. ff. de verb. oblig. Hinc ait idẽ *Bart.*
ibi fuiſſe diſputatum Bononiæ caſum, in quo
Papa conceſſit legato, vt poſſit legitimare ſpu-
rios: item inceſtuoſos: modò quidam erat ſimul
ſpurius, & inceſtuoſus, fuit dubitatum, an poſſit
eum legitimare? & teſtatur fuiſſe concluſum
affirmatiuè; quia talis caſus erat fauorabilis. Et
licèt hoc præceptum ex vna parte ſit pœnale, ex
alio tamen capite dicitur fauorabile, cùm tendat
in ſalutem animarum, vt ſupra diximus, eo quòd
per frequentationem confeſſionis ſacramentalis
plures vtilitates fideles conſecuntur. Nec obſtant
iura in contrarium adducta, quoniam in illis ca-
ſibus mixta non comprehenduntur ſub ſimplici-
bus, quia agitur de præiudicio tertij, nempe hæ-
redis, ſeù Principis ſtatuentis: & propterea ſaltẽ
reſpectu eorum ſunt odioſa.

Ad vltimum negatur conſequentia, quia Her-
maphoditus eſt capax Sacramentorum pœni-
27 tentiæ, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſiue conſide-
retur vt maſculus, ſiue conſideretur vt fęmina;
nimirum ſi comprehenduntur ſub diſpoſitione
noſtri canonis. At Ordinis, & profeſſionis eſt
omninò incapax, ſi in eo vterque ſexus eſt æqua-
lis, quia cùm æqualiter ſit maſculus, & fęmina,
quamuis pro ea parte, qua vir eſt, poſſit videri
capax Ordinis; quia tamen eſt incapax pro ea
parte, qua eſt fœmina, abſolutè dicitur incapax,
cùm non plura, ſed vnum dicatur indiuiduum.
Idem dicendum eſt de Hermaphrodito alterum
tantùm ſexum præualentem habente; nam is non
poteſt ad ordines promoueri propter monſtruo-
ſitatem, nec ordinatus miniſtrare, vt in *cap. illi-
teris, 39. d.* Eſt tamen verum, quòd ſi ordinetur,
ſuſcipit ordinis caracterem, ſi magis præualeat in
virili ſexu; ſecus autem ſi in fęmineo vt habetur
ex *Syl. in ſum. ver. Hermaphroditus*. Eſt quoq;
incapax profeſſionis, quia ſi profiteatur in viro-
rum monaſterio non tenet profeſſio, quoniam
æquè eſt fœmina, ac vir: ſi autem in monaſterio
monialium, non tenet; quia æquè eſt vir. Ita
Sanch. loco ſupra citato.

Vndè his reiectis firma remanet concluſio,
quòd Hermaphroditi omnes ligantur præcepto
confeſſionis annuæ, ſiue vnum tantum ſexum
habeant præualentem, ſiue neutrum.

Ampliatur hæc ipſa concluſio, vt Hermaphro-
diti non ſolùm teneantur præcepto confeſſionis
28 annuæ; ſed etiam præcepto communionis in
Paſcha, cùm huiuſmodi præceptum quoque ſit
tàm Eccleſiaſticum, quàm Diuinum, & omnia
argumenta, quæ ſupra adduximus ad probandũ
eos obligari ad confitendum ſemel ſaltem in
anno, concludunt pariter eos teneri ad commu-
nicandum in Paſcha.

Secundò ampliatur, vt Hermaphroditi multo
magis teneantur præcepto Diuino confeſſionis,
29 & communionis in articulo, ſeù periculo mor-
tis, & in alijs caſibus, quibus alij Chriſti fideles
obligantur, de quibus ſupra egimus Sec. 1. & 2.
Nam huiuſmodi præceptis alligantur omnes
Chriſtiani rationis vſum habentes.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt
Hermaphroditi excuſentur ab obligatione præ-
30 cepti annuæ confeſſionis tum Diuini, tum
Eccleſiaſtici in omnibus caſibus, in quibus alij
fideles excuſantur, de quibus egimus ſupra
Sec. 1, & infra ſuo loco latius, Deo duce dice-
mus. Idem dicendum eſt de præcepto com-
munionis.

An præceptum annuæ confeſſionis ſi fieret maſcu-
lis extenderetur ad fœminas.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Exhæredatio facta filijs nõ extenditur ad filias.*
2 *Inueſtitura feudi facta pro ſe, & filijs, ac datio
in emphyteuſim non extenditur ad filias limi-
tatur. nu. 10.*
3 *Dictio Sui in pœnalibus non comprehendit fœ-
minas.*
4 *Statutum diſponens quod pro delicto patris pu-
niantur ipſe, & ſui non comprehendit fœminas.*
5 *Præceptum annuæ confeſſionis, ac communionis*

Digitized by Google

in Paſcha ſi fieret per verba quicumq; fideles *an extenderetur ad fœminas.*

9 *Verbum* quicumq; vel quis, *intelligitur homo, & maſculinum, & fœmininum denotat.*

7 *Maſculinum à lege, vel canone prolatum regulariter ſemper concipit fœmininum ampliatur, nu.12. & ſequen. limitatur, nu.18. & ſeq.*

8 *Canone diſponente* Quicumq; fidelis *comprehenderentur, & maſculi, & fœminæ.*

9 *Maſculinum ſi profertur à lege ſemper concipit fœmininum; ab homine verò, in fauorabilibus, & non in odioſis concipit, nu.14.*

10 *Lex diſponens per verba maſculini generis, comprehendit fœmininum ſi res conuenit vtrique ſexui, nu.18.*

11 *Odium eſt irrationabile.*

12 *Fœminæ comprehenduntur ſub diſpoſitione can. ſi quis ſuadente, 17.q.4.*

15 *Statutum Eccleſiaſticum prolatum per genus maſculinũ, ſiue ſit de re fauorabili, ſiue odioſa, cõprehendit fœmininũ; ſeculare verò odioſũ nõ.*

16 *Priuilegium legitimandi ſpurios comprehendit ſpurias.*

21 *Fœmininum non concipit maſculinum.*

23 *Clemen. ne in agro de ſtat. monac. extenditur etiam ad moniales nigras eiuſdem ordinis.*

24 *Diſpoſitio Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de regular. loquens de monialibus, non extenditur ad monacos, qui de nigris non ſunt.*

AD tituli explicationem ponamus caſum, quòd noſter canon in præcipiendo confeſſionem annuam, & ſanctiſſimam communionem in Paſcha non contineat verba illa, *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, &c.* quæ comprehendunt tàm maſculos, quàm fœminas, ſed Concilium fuerit vſũ verbis ſignificantibus maſculos tantùm, & non fœminas, ſic ſtatuens. *Quicunque fidelis, vel omnis Chriſtianus, &c.* An diſpoſitio ipſa extenderetur etiam ad fœminas, ita vt non ſolùm maſculi, ſed etiam fœminæ cõprehenderentur ſub præcepto noſtri canonis.

In hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe; atque ideò ſi præceptum confeſ-
1 ſionis annuæ, & communionis in Paſcha dirigatur ad maſculos, non extenditur ad fęminas. Probatur hæc ſententia primò ex *text. in l. 1. §. quare ff. de ventr. in poſſeſ. mitt.* vbi exhæredatio facta de filijs non extenditur ad filias: ergò ſi præceptum cõfeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha fiat maſculis, nõ extẽditur ad fęminas, cùm in vtroq; caſu eadem militet ratio, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Secũdò probatur ex *tex. in cap. 1. de ſucceſ. feud.* vbi inueſtitura feudi facta pro ſe,
2 & filijs, nõ extenditur ad filias, ſic etiam datio in emphyteuſim pro ſe, & filijs non extenditur ad filias, vt habetur ex *Iaſ. in l. ſi quis id quod, ſub nu. 11. & 13. ff. de iuriſ. omn. indic. Fulgoſ. conſ. 220. Anchar. conſ. 123.* & ex alijs: ergò idẽ dicendum eſt in caſu noſtro, vt præceptum confeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha ſi fiat maſculis non extendatur ad fęminas. Tertiò probatur ex *tex. in l. quiſquis, §. ad filias, C. ad leg. Iul. Maieſt.* vbi ſi pro crimine læſæ Maieſtatis quis factus ſit rebellis ipſe, & ſui, ſub illa
3 dictione, *Sui* non veniunt fœminæ. Sic etiam,
4 ſi pro delicto patris lege, aut ſtatuto caueatur, vt puniantur ſui deſcendentes, non comprehenduntur filiæ. Et denique ait *Bald. in l. quicunq; C. de ſeru. fugit.* quòd ſi ex forma ſtatuti filij Bannitorum non poſſint habitare in Ciuitate, non continentur fœminæ: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, vt ſi præceptum confeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha fiat maſculis
5 non extendatur ad fęminas; atque adeò ſi canon ipſe per hæc verba diſponeret, *Quicunq; fidelis, &c.* maſculos tantùm obligaret ad confitendum ſemel ſaltem in anno, & ad communicandum in Paſcha, non autem fęminas.

His tamen nõ obſtantibus puto quòd in contrarium ſit veritas. Probatur, quia ſub iſtis ver-
6 bis, *Quicunque, vel quiſquis,* ſemper intelligitur homo, vt ait *Bald. in l. Gallus, ſub. nu. 9. in fin. ff. de lib. & poſth.* iſtud autem nomen, homo, & maſculum, ac fœminam denotat. Confirmatur, quia maſculinum à lege, vel canone prolatum
7 ſemper concipit fœmininum. Hinc eſt, quòd excommunicatio lata contra quemcunque percutientem Clericum, aut Monachum, non ſolùm alligat maſculum percutientem Clericum, vel Monachum, ſed etiam fęminam Clericum percutientem, vt *cap. ſi quis ſuadente diabolo,* vbi *Archid. & alij, 17. q. 4.* Sic etiam ſub edicto lato contra quoſcunque corrumpentes album Prætoris comprehenduntur non ſolùm maſculi, ſed etiam fœminæ, vt in *l. ſi quis id quod, ff. de iuriſd. omn. iudic.* Sed diſponente canone, *Quicunque fidelis, &c.* Hæc diſpoſitio eſſet à lege
8 Eccleſiaſtica; ergò, &c. Denique diſpoſitio huiuſmodi eſſet fauorabilis, cùm tenderet in ſalutem animarum: ergò eſſet extendenda, licèt ſit pœnalis, iuxta ea, quæ habentur ex *Panor. in cap. ex tenore, nu. 6. qui fil. ſint legit.*

Ad contraria reſpondetur.

AD primum ex *text. in d. l. 1. §. quare,* diſtinguendo dicimus, quòd maſculinum, aut
9 profertur à lege, aut ab homine: quando maſculinum profertur à lege, ſemper concipit fœmininum, vt ſupra diximus: ſi verò proferatur ab homine, maximè à teſtatore, & tunc aut concernit fauorem alicuius, vel concernit odiũ. Si primum maſculinum adhuc concipit fœmininũ, vnde ſi Teſtator filijs tutorẽ in teſtamento dederit, cenſetur etiam filiabus tutorem dediſſe *l. ſi ita ſcriptum, ff. de legat. 2.* Et qui duos mulos legauit, non habens, niſi duas mulas cenſetur mulas ipſas legaſſe, *l. qui duos, ff. de leg. 3.* Quòd ſi ſecundum, atque ideò odium concernat, maſculinum non concipit fœmininum, nimirum igitur ſi exhæredatio facta à patre, in *d. l. 1. §. quare,* non extenditur ad filias.

Ad ſecundum ex *tex. in cap. 1. de ſucceſ. feud.* dicitur, quod aut lex diſponens per verba ma-
10 ſculini generis, ſtatuit ſuper re, ſeù materia, quæ conuenit vtrique ſexui: aut in rẽ, quæ vtrique ſexui non conuenit. Primo caſu maſculinum ſemper concipit fœmininum, vt in iuribus ſupra relatis. Secundo verò caſu maſculinũ non concipit fœmininum: & ita procedit contrarium in *d. cap. 1. de ſucc. feud.* quia de iure feudorum fœminæ non ſuccedunt feudis, niſi de eis fiat ſpecialis mentio, vt in *d. cap. 1.* vel niſi ſit conſuetudo in aliquo loco concedendi feudũ tàm maſculis, quàm fœminis, vt habetur ex *Panor.* & alijs ad ipſum additis, *in cap. ſignificauit de reſcript.* Sic etiam diſpoſitio facta de

Abba-

Abbatibus, vt poſſint conferre ordines minores,
non extenditur ad Abbatiſſas, quia hæc diſpo-
ſitio non conuenit vtrique ſexui. Quo verò ad
emphyteuſim reſpódetur, quòd licèt regulariter
maſculinum concipiat fœmininum; id tamen
limitatur in contractibus ſtricti iuris, vt eſt em-
phyteuſis: quia in contractibus huiuſmodi verba
ſunt ſtrictè interpretanda, vt in *l. veteribus, ff. de*
pact. & l. quicquid aſtringendæ, ff. de verb. oblig.
niſi in aliquo loco conſuetum ſit, emphyteuſim
concedi, tam pro maſculis, quàm pro fœminis:
nam tunc datio in emphyteuſim pro ſe, & filijs
cenſetur facta etiã pro filiabus, vt per *Euerard.*
& alios, quos allegat, *in loc. com. iur. loco, Ab*
vſitat. & ſolit. & latè *Iaſ. in d. l. ſi quis id quod,*
ff. de iuriſd. omn. indic. vbi de hac re latè per-
tractat, & rem ipſam multipliciter limitat.
Ad tertiũ ex *l. quiſquis, §. ad filias,* & ad alios
caſus in dicto argumento relatos reſpondetur,
11 quòd ideò ibi maſculinum non concipit fœmi-
ninum; quoniam ibidem verbum illud profertur
in materia odioſa, & odium eſt irrationabile,
vt rectè declarat ibi, *Iaſon nu. 16.* & infra quoq;
dicemus.
Vndè his reiectis, firma remanet concluſio,
quòd ſi præceptum confeſſionis annuæ, & com-
munionis in Paſcha fiat maſculis, extenditur
etiam ad fœminas.
Ex dictis itaque colligitur hæc regula, quòd
maſculinum prolatum à lege, vel canone regu-
12 lariter concipit fœmininum. Vndè diſpoſitio
facta de monachis, vt non poſſint Religionem
ingredi ante 18. annum in inſulis, vbi dura eſt
monachorum congregatio, vt in *cap. quia in*
inſulis, de Regular. extenditur etiam ad monia-
les. Et diſpoſitio facta de mendicantibus, vt non
poſſint tranſire ad alias Religiones ſine licentia,
extenditur quoque ad moniales mendicantes, vt
per Addentes ad *Panor. in d. cap. ſignificauit,*
de reſcript.
Ampliatur primò hæc regula, ſiue tractetur
de materia fauorabili, ſiue odioſa, vt in *d. cap. ſi*
13 *quis ſuadente diabolo,* 17. q. 4. vbi non ſolùm
percutiens clericum, aut monachum, eſt ipſo
facto excommunicatus, ſiue maſculus ſit, ſiue
fœmina; ſed etiam percutiens monialem, vt per
Doctor. ibi, & tamen *tex.* in vtroq; caſu loqui-
tur in genere maſculino.
Secundò ampliatur in teſtamentis, quando
14 agitur de re fauorabili, vt in *d. l. ſi ita ſcriptum,*
ff. de leg. 2. & l. qui duos, ff. de legat. 3.
Tertiò ampliatur hoc idem verum eſſe in ſta-
tutis, vt per *Iaſ. in d. l. ſi quis id quod, ff. de iuriſd.*
15 *omn. iudic.* Vndè ſi ſtatuto caueatur, vt nullus
incedat de nocte ſine lumine, hoc ſtatutum non
ſolùm maſculos, ſed etiam fœminas contraue-
nientes alligat, vt per *Bart. in l. iura, in fin. ff. de*
legib. Et ſtatutum puniens violentias cum armis,
comprehendit etiam fœminas, *Bald. in l. ſi con-*
ſtante, §. fin. ff. ſolut. matr. Eſt tamen verum,
quòd *Archid. in d. cap. ſi quis ſuadente,* licèt
putet id ſimpliciter verum in ſtatutis Eccleſia-
ſticis, ſiue in eis tractetur de odio, ſiue de re fa-
uorabili; id tamen limitat in ſtatutis ſæcularium
odioſis, vbi hanc eſſe rationem ait, quia ſtatuta
ſæcularium ſæpè fiunt ſine matura cõſideratione,
& iniqua ſunt, vt in *cap. non minus de immun.*
Eccleſ. Hinc eſt, quòd ſi ſtatuto ſæcularium ca-
ueatur, vt mater non ſuccedat filio, non prohibe-
tur ſuccedere filiæ. Non ſic ſtatuta Eccleſiaſtico-
rum; quia ſtatuta Eccleſiaſtica cum magna con-
ſideratione conduntur: & propterea in eis indi-
ſtinctè maſculinum concipit fœmininum, niſi
vtilitas aliqua illum eximat. Ita *Archid. ibidem.*
Quartò ampliatur in priuilegijs: vndè ſub pri-
uilegio legitimandi ſpurios comprehenditur
16 quoque priuilegium legitimandi ſpurias, vt per
Iaſ. loco cit. nu. 8.
Quintò ampliatur multis alijs modis, de qui-
17 bus *Iaſ. & Archid.* locis ſupra relatis.
Sic ampliata limitatur ſupradicta regula primò
in diſpoſitione facta à lege ſuper materia, quæ
18 non conuenit vtrique ſexui, vt diximus in ſolu-
tione ſecundi argumenti. Vndè ſicut maſculinum
prolatum à lege ſi non poteſt conuenire niſi ma-
ſculis, non extenditur ad fœminas, vt in *d. cap. 1.*
de ſucceſ. feud. ita è conuerſo cùm maſculinum
profertur à lege, & non poteſt conuenire, niſi
fœminæ, ſub eo ſola fœmina continetur, *l. equis,*
ff. de vſur.
Secundò limitatur, vbi lex loquens per verba
maſculini generis diſponit ſuper materia odioſa,
19 & odium eſt irrationabile, vt ſupra diximus in
ſolutione tertij argumenti.
Tertiò limitatur, vt regula illa locum non
habeat in contractibus maximè ſtricti iuris: nam
20 in ijs maculinum non concipit fœmininum, vt
per *Iaſ. in d. l. ſi quis id quod, ff. de iuriſd. omn.*
indic.
Quartò limitatur, vt è conuerſo fœmininum
non concipiat maſculinum. Exemplo enim peſ-
21 ſimum eſt, fœmineo vocabulo, etiam maſculos
contineri, vt in *d. l. ſi ita ſcriptum, ff. de legat. 2.*
& proptera ſi ſtatuto caueatur, vt fornicariæ non
habitent in locis honeſtis, non extenditur ad ma-
ſculos fornicarios.
Quintò limitatur dicta regula multis alijs mo-
22 dis, de quibus per *Archid. & Iaſ. locis cit.*
Ex hac regula ſic ampliata, ac limitata infer-
tur primò quòd *Clem. ne in agro, §. ſanè de ſtat.*
23 *monac.* obligans monachos nigros ad confeſſio-
nem ſingulis menſibus, extenditur etiam ad
moniales nigras eiuſdem Ordinis, quia cum id
canone caueatur, maſculinum concipit fœmini-
num. Eſt tamen verum, quòd licèt aliqui velint,
tranſgredientes dictum præceptum peccare
mortaliter, vt colligitur ex *Gloſ. in d. §. ſanè*
ver. menſibus, & Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 3. dum
volunt, monachos arctari ſingulis menſibus ad
confitendum ſicut fideles arctantur ſingulis an-
nis; tamen in contrarium eſt nonnullorum ſen-
tentia, vel ſaltem id intelligendum eſt, vbi con-
ſcientiam habeant peccati mortalis; quia *Clem.*
illa, ait *Sot. loco cit. concl. 4. in fin.* non intendit
mutare communem noſtrum canonem; ſed ſo-
lùm tempus abbreuiare, vt quemadmodũ omnes
tenentur ſingulis annis, ſi habeant peccata mor-
talia, ita monachi nigri teneantur ſingulis men-
ſibus. Imò quoad moniales volunt aliqui, *dict.*
Clem. ne in agro, §. ſanè, non fuiſſe receptam,
vel ſaltem abijſſe in deſuetudinem: nam paucæ
ſunt, quæ confitentur ſingulis menſibus. Non
tamen negamus, quin poſſit Abbas, vel alius
Superior compellere ſuos ſubditos monachos, &
moniales ad confitendum in aliquo determinato
tempore, etiam ſi venialia tantùm habeant: quia
tunc

nunc dicerentur præcipere confeſſionem quoad
vſum tantùm, ſeu quoad exercitium actus, non
autem quoad eius ſpecificationem: & propterea
non ob id materia Sacramẽti ex ſufficienti fieret
neceſſaria, vt ſuo loco, latius Deo duce, dice-
mus. Vndè in his omnibus ſtandum eſſe conſti-
tutionibus cuiuſcumque Religionis, poſt alios
inquit *Molf.par.1. ſua ſum.tract.7.cap.10.n.21.*
vbi etiam ex *Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 105.*
cum ſeq. & Vaſq. 3.par.tom.4.q.90. nu.2.dub.3.
addit, quod ſi Religioſi non haberent niſi ve-
nialia, & ob hanc cauſam non confiterentur
contra formam eorum conſtitutionum, non
peccarent mortaliter, vt peccant illi, qui mor-
talia non confitentur ſemel in anno, ſed punien-
tur: ad quod allegat *tex. in d. Clē. in agro, §. ſanè.*
Secundò infertur, quòd diſpoſitio *Conc. Trid.*
ſeſſ.25. cap. 10. de Regul. vbi præcipitur moneri
24 ſanctimoniales à ſuis ſuperioribus, vt ſaltem
ſemel ſingulis menſibus confeſſionem peccato-
rum faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſu-
ſcipiant, non extenditur ad monachos, qui de
nigris non ſunt; quia fœmininum non concipit
maſculinum: *& Clem. ne in agro, §. ſanè* lo-
quitur tantùm de monachis nigris: & propterea
Nauar. in Man. cap. 2. nu. 9. ait, alios mona-
chos teneri ad confitendum ſingulis menſibus
tantùm de honeſtate. Quòd dicta *Clem.* loqua-
tur de monachis nigris dumtaxat, patet ex eius
proemio, ex quo mens legiſlatoris colligitur.
Vndè quamuis S. Pontifex deindè *in d. §. gene-*
raliter, loquatur de monachis, debet intelligi
tantùm de monachis nigris, de quibus in proe-
mio meminit, & *Clem.* illam edidit. Etenim non
verbis, ſed menti ſtandum eſt diſponentis, vt in
l. non dubium, C. de legib. l. cum tamen, §. dul-
ciſſimis, & ibi *Bar. ff. de legat. 2. cap. intelligentia,*
in fin. de verb. ſignif. & Panor. in cap. ſecundò
requiris, nu. 2. de appellat. Imò quamuis rubrica
dictæ *Clem.* inſcribatur; De ſtatu monachorum,
& canonicorum Regularium; nihilominus ſub
diſpoſitione *d. §. ſanè*, non comprehenduntur,
nec ipſi quidem canonici Regulares, vt malè vi-
detur ſenſiſſe, *Oldrad. conſ.* 122. ſumendo argu-
mentum à rubrica, iuxta ea, quæ habentur in *l. 1.*
& ibi *Doctor. ff. ſi cert. petat.* quoniam adhoc, vt
verba rubricæ conueniant canonicis Regulari-
bus; ſatis eſt quòd de eis loquatur, prout cum
effectu loquitur in *§. quia verò d. Clem.* Nec
denique ex identitate rationis, *d. §. ſanè*, patitur
extenſionem in omnes monachos; quia ſequere-
tur extendi quoque in omnes moniales, cuius
contrarium colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de*
Regul. cap. 10.

Ibi, *fidelis, &c.* An ſub præcepto noſtri canonis, &
ſic confeſſionis annuæ comprehendantur
cathecumini.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Catechumini licet fideles, & in Chriſtum cre-*
dant, cum non ſint baptizati non ſunt de foro
Eccleſiæ, & non comprehenduntur ſub præcepto
annuæ confeſſionis.
2 *Cathecumini, cum ſint baptizati baptiſmo fla-*
minis, ſaluantur, ſi moriantur contriti.
3 *Cathecumini dicuntur baptizati baptiſmo fla-*
minis quo ad Deum; & ideò ſi deficiant à fide,
dicuntur hæretici quo ad Deum, non quo ad
Eccleſiam.
4 *Pagani, & infideles nullatenus credunt in Chri-*
ſtum, nec ſunt baptizati baptiſmo fluminis,
nec flaminis; & præcepto annuæ confeſſionis non
obligantur.
5 *Peccata ante baptiſmum commiſſa non ſunt ma-*
teria Sacramenti pœnitentiæ, quia per baptiſ-
mum ſunt remiſſa.
6 *Infideles alligantur præcepto diuino quando in*
eis adeſt materia circa quā verſatur præceptū.
Baptiſmus fluminis eſt Ianua omnium Sacra-
mentorum.

AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter
negatiuè, atque adeò eos non alligari præ-
1 cepto confeſſionis annuæ. Etenim cathe-
cumini quamuis ſint fideles, cùm in Chriſtum
credant, & omnia, quæ Eccleſia Catholica Ro-
mana credit, & docet; nihilominus cùm non ſint
2 baptizati, non ſunt de foro, & iuriſdictione Ec-
cleſiæ: de his enim, qui foris ſunt non pertinet ad
nos, ait *Apoſt. 1. Corinth. cap. 1.* Nec obſtat, quòd
cathecumini ſunt baptizati baptiſmo flaminis, &
ideò ſi moriantur contriti de proprijs culpis, ſal-
uantur. Vndè ſi deficiant à fide dicuntur hæretici,
vt per *Alfonſ. Caſtr. lib. 1. de iuſt. hæret. punit.*
cap. 8. quoniam reſpondetur quòd cathecumini
licet baptizati ſint baptiſmo flaminis; non tamen
ſubijciuntur iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, niſi bap-
3 tizentur etiam baptiſmo fluminis: nam baptiſmo
flaminis baptizati dicuntur tantùm quoad Deum
non autem quoad Eccleſiam. Et eadem ratione
ſi deficiant à fide, hæretici ſunt ſolùm quoad
Deum, non autem quoad Eccleſiam; ergò non
comprehenduntur ſub diſpoſitione noſtri cano-
nis, & propterea non tenentur præcepto annuæ
confeſſionis. Secundò probatur, quia huiuſmodi
præceptum eos tantùm alligat, in quibus eſt ma-
teria remota Sacramenti pœnitentiæ, nempe pec-
cata mortalia poſt baptiſmum commiſſa. At ca-
thecumini cùm baptizati non ſint baptiſmo flu-
minis hanc materiam non dicuntur habere, & ſic
peccata poſt baptiſmum commiſſa; ergò nullo
modo alligari poſſunt præcepto noſtri canonis,
atque adeò obligari ad confeſſionem annuam.
Hac eadem ratione multo magis excluduntur
ab huiuſmodi præcepto Pagani, & alij Infideles,
5 qui nullatenus in Chriſtum credunt, nec bapti-
zati ſunt baptiſmo fluminis, nec flaminis, vt con-
tra *Riccard. in 4. d. 17. art. 2. q. 4. & Scot.* docet
Sot. d. 18. q. 1. art. 3. Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 35.
ſec. 2. in prin. Vaſq. ibidem q. 90. art. 2. dub. 1.
Coninch. de neceſ. confeſ. diſp. 5. dub. 5. Reginald.
lib. 6. ſua prax. nu. 42. & nouiſſimè *Fagund. loc.*
infra citando, vbi etiam per ſupradictam ratio-
nem probat huiuſmodi Infideles non obligari nō
ſolùm præcepto Eccleſiaſtico, ſed nec quidem
Diuino, & idem dicendum eſt de cathecuminis,
cùm militet eadem ratio: nam peccata commiſſa
5 ante baptiſmum non ſunt materia Sacramenti
pœnitentiæ: nec etiam poſt baptiſmum ſuſceptū
ſunt materia confeſſionis, quia per baptiſmum
remiſſa ſunt, & ad illum ſpectant, non ad pœni-
tentiam, cùm pœnitentia dicatur ſecunda tabula
poſt naufragium: ergò non tantùm omninò Infi-
deles, ſed nec etiam Cathecumeni obligantur
præ-

præcepto Eccleſiaſtico confeſſionis.

Nec obſtat ſi dicatur, quòd præceptum Diuinum etiam Infideles alligat, nam ob id alligantur
6 præcepto ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, vt aliàs diximus, & infra, Deo duce, ſuo loco latius dicemus; quoniam reſpondetur Infideles alligari præcepto Diuino, quando in eis eſt materia circa quam verſatur præceptum: at in cathecumenis, & in omninò Infidelibus non adeſt materia circa quam verſatur Sacramentum pœnitentiæ; nempe peccata poſt baptiſmum commiſſa; ergo non alligantur præcepto Diuino confeſſionis. Nec eadẽ ratio militat de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento: nam præceptum Euchariſtiæ obligat hominem etiam ſi nullum peccatum habeat, atque ideò poſt ſuſceptum baptiſmum tenetur Euchariſtiam ſumere, quamuis vltra non peccet: at confeſſio non obligat abſolutè, vt ſæpe diximus, ſed ſuppoſita materia peccati poſt baptiſmum. Vndè Infidelis, & cathecumenus cùm non poſſint habere materiam, nec etiam obligati poterunt præcepto confeſſionis, etiam ſi Diuinum ſit. Deniq; probatur hæc eadem concluſio; quoniam baptiſmus fluminis eſt ianua omnium Sacramẽtorum: ergo cathecumini, & Infideles cùm baptizati nõ ſint, ſunt incapaces ſacramentalis confeſſionis non ſolùm iure Eccleſiaſtico, verum etiam iure Diuino. His adde, quæ latè cumulat nouiſſimè *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 2. nu. 4. 5. & 6.* vbi contraria ſoluit.

An hæretici, & Apoſtatæ à fide ligentur præcepto confeſſionis annuæ, in noſtro canone cõtento.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici, & Apoſtatæ cum non ſint fideles, an ligentur præcepto annuæ confeſſionis.*

2 *Infidelis appellatur non qui aliquem fidei articulum, vt hæreticus, quam qui totam fidem, vt apoſtata, abnegat.*

3 *Infidelitatis tres ſpecies conſtituuntur.*

4 *Hæretici, & Apoſtatæ obligantur præcepto confeſſionis diuino, & Eccleſiaſtico.*

5 *Hæreticus, & apoſtata eſt qui poſt baptiſmum habet errorem in intellectu fidei catholicæ contrarium.*

6 *Apoſtatæ à fide, & hæretici differunt ſecundum plus, vel minus, & multis pœnis ab Eccleſia plectentur.*

7 *Præceptum Eccleſiaſticum nil aliud præcepto diuino confeſſionis addit, quam temporis determinationem à Deo Eccleſiæ commiſſam.*

8 *Materia remota Sacramenti pœnitentiæ ſunt peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, quæ eſt in hæreticis, & Apoſtatis.*

9 *Plura delicta concurrentia nunquam faciunt, vt illius impunitas detur.*

10 *Hæretici, cum ſuſceperint baptiſmum, ratione characteris poſſunt dici fideles non tamen in actu.*

11 *Hæretici contrauenientes præcepto annuæ confeſſionis committunt ſpecialem culpam ratione tranſgreſſionis.*

12 *Hæretici alligantur, & Præcepto diuino confeſſionis in articulo mortis, & Eccleſiaſtico ſaltẽ ſemel in anno.*

13 *Hæretici tàm occulti, quam manifeſti obligantur ad præceptum annuæ confeſſionis, & quomodo differunt.*

14 *Hæretici, & apoſtatæ tenentur anticipare confeſſionem in omnibus caſibus, in quibus alij fideles.*

15 *Hæretici, & apoſtatæ alligantur præcepto communionis in Paſcha.*

16 *Hæretici non habentes copiam confeſſarij excuſantur à præcepto confeſſionis, & communionis, ſed ſatis eſt conteri cum intentione confitendi habita commoditate.*

17 *Hæretici probabiliter ignorantes præceptum annuæ confeſſionis, & communionis in Paſcha eſſe in Eccleſia excuſantur.*

IN hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Probatur primò ex eo, quòd vi
1 noſtri canonis fideles tantùm obligantur ad confitendum ſemel in anno, vt patet ex illis verbis, *Omnis vtriuſque ſexus fidelis, &c.* Ergò hæretici, ſeù Apoſtatæ à fide huiuſmodi præcepto non ſubijciuntur: ſiquidem hæretici, & Apoſtatæ à fide non ſunt fideles, vt conſtat ex *tex. in cap. 1. de hæreticis,* vbi dicitur, quòd dubius in fide in-
2 fidelis eſt: ergò multò magis Infidelis eſt appellandus, qui expreſsè aliquem fidei articulum, vt hæreticus, aut totam fidem abnegat, vt eſt Apoſtata. Confirmatur ex ijs, quæ habentur ex *Alfonſo Caſtr. lib. 1. de iuſt. hæret. punit. cap. 1. & Azor. par. 1. inſt. moral. lib. 8. cap. 21. q. 3.* qui tres infidelitatis ſpecies conſtituunt, quarum prima
3 eſt Paganiſmus, qua Pagani contradicunt fidei, quam nullo modo antea ſuſceperunt. Secunda Iudaiſmus, qua Iudæi contradicunt fidei, quam typis, & figuris antea tenuerunt. Tertia denique infidelitatis ſpecies dicitur hæreſis, & apoſtaſia à fide, quibus hæretici, & Apoſtatæ contradicunt fidei catholicæ, quam antea re ipſa fuerunt profeſſi. Imò hæretici adeò ſunt infideles, vt nec propriè Chriſtiani dici poſſint, cùm hæretici, & apoſtatæ à fide non ſint Eccleſiæ membra, nec ratione characteris manent actu coniuncti cum Eccleſia; nam character non facit quem eſſe actu in Eccleſia, ſed tantùm eſſe ſignum quòd fuit in Eccleſia, vndè meritò ait *D. Thom. 3. par. q. 9. art. 3.* quòd fide carentes non ſunt actu Chriſto vniti, ſed in potentia tantùm; non ergò hæretici, & apoſtatæ comprehenduntur ſub diſpoſitione noſtri canonis. Denique hoc ipſum probatur, quia contrauenientes præcepto, de quo agitur, vi noſtri canonis arcentur ab Eccleſiæ ingreſſu, & priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, & hæretici, & apoſtatæ ſunt iam his omnibus priuati, vt in *cap. quicunque, de hæret. lib. 6.* ergò ſignum eſt, mentem Concilij non fuiſſe eos alligandi huiuſmodi præcepto, cùm iam ſupradictis pœnis, & alijs multo grauioribus per alia iura ſubijciantur.

His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror de iure veriorem eſſe: & prop-
4 terea tàm hæreticos, quàm Apoſtatas non ſolùm Diuino, ſed etiam Eccleſiaſtico confeſſionis annuæ præcepto dicimus obligari: quam ſententiã de vtroq; præcepto expreſsè tenet *Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 10. nu. 11.* & tacitè quoque *Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 35. ſec. 2. in princ.* dum ait, quòd fidelium nomine in noſtro canone intelliguntur baptizati. Idem colligitur ex *Coninc. diſp. 5. de neceſ. confeſ. nu. 50.* dicente, omnes

baptizatos teneri præcepto noſtri canonis. *Regi-
nald. quoque lib. 6. ſuæ prax. nu.* 48. ab hac ſen-
tentia non videtur diſſentire, dum inquit obli-
gari omnes fideles poſt baptiſmum lapſos in pec-
catum mortale, & nouiſſimè *Fillinc. tom. 1. qq.
moral. tract. 7. de confeſ. cap. 2. nu. 30. & Fagund.
de precept. Eccleſ. precep. 2. lib. 1. cap. 3. nu.* 10.
cum alijs quos allegant, qui omnes docent, præ-
ceptum huiuſmodi obligare omnes illos, & ſolos
qui poſt baptiſmum peccauerunt mortaliter; quia
omnes illi ſoli babent materiã neceſſariã confeſ-
ſionis, atq; adeò obligare etiam hæreticos, & apo-
ſtatas, ac pueros ſi ſint capaces peccati mortalis.

Probatur modo hæc ſententia primò; quoniam
hæretici, & Apoſtatæ à fide ſunt baptizati baptiſ-
5 mo fluminis. Non enim datur hæreticus, aut
Apoſtata à fide, quin ſit baptizatus: ſiquidem hæ-
reticus is propriè dicitur, qui poſt baptiſmum
errorem habet in intellectu fidei catholicæ con-
trarium. Et Apoſtata a fide eſt ſimiliter hæreti-
cus, & pluſquam hæreticus. Etenim differunt
Apoſtatæ à fide, & hæretici ſecundum plus, &
6 minus: nam hæreticus appellatur, qui non abne-
gat totam fidem catholicam; ſed tantùm vnum,
vel plures articulos fidei: Apoſtata verò eſt qui
totam fidem abnegat, qualis eſt, qui ex Religio-
ne Chriſtiana tranſit ad ſectam Mahometanam,
Iudaicam, &c. Si ergò hæretici, & apoſtatæ ſunt
baptizati; ergò ſubijciuntur præcepto noſtri ca-
nonis confitendi ſemel ſaltem in anno: ſiquidem
omnes baptizati ſunt de foro, & iuriſdictione
Eccleſiæ, atque ideò Eccleſia poteſt obligare ſuis
præceptis, cùm iuſta ſunt: ergò de facto illos
omnes obligauit, præcepto noſtri canonis, cùm
iuſtum ſit, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.
& canone* 8. vbi de fide definit teneri fideles ad
huiuſmodi præceptum, quo nihil dici poteſt iu-
ſtius, cùm homines eo obligentur, vt redeant in
amicitiam cum Deo, ſi fortè illam per peccatum
aliquod mortale amiſerint. Ob id hæretici tan-
quam de iuriſdictione Eccleſiæ, efficiuntur ab
ea irregulares, ipſo facto ſunt excommunicati,
priuantur, vt infames omnibus dignitatibus, &
honoribus, & ad eos redduntur inhabiles, pri-
uantur Eccleſiaſtica ſepultura, & alijs plectuntur
pœnis, de quibus latè egimus in *Commentar.
Bull. cœn. lib. 2. can. 1. q.* 17.

Secundò præceptum confeſſionis annuæ non
eſt purè Eccleſiaſticum; ſed ita eſt Eccleſiaſticũ,
7 vt ſit etiam Diuinum, vt latè ſupra oſtendimus
ſec. 1. ſiquidem præceptum Eccleſiaſticum nihil
præcepto Diuino confeſſionis addit, niſi tempo-
ris determinationem à Deo Eccleſię commiſſam,
vt faciat: vndè determinatio confeſſionis facien-
dæ ſemel ſaltem in anno, facta ab Eccleſia, vt
eidem à Deo commiſſa, poteſt etiam dici Diuina;
atque adeò præceptum annuæ confeſſionis Diui-
num. Si igitur præceptum prædictum non ſolùm
eſt Eccleſiaſticum, ſed etiam Diuinum: ergò ſub
diſpoſitione noſtri canonis comprehenduntur
hæretici, & apoſtatæ, ita vt obligentur ad con-
feſſionem annuam, cùm eos iure Diuino teneri
ad ſacramentalem confeſſionem concluſimus
ſupra ex *Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de
confeſ. cap. 2. nu.* 3. & ex alijs.

Tertiò præceptum noſtri canonis eos alligat,
8 in quibus adeſt materia remota Sacramenti pœ-
nitentiæ, nempe peccata mortalia poſt baptiſmũ
commiſſa, vt ſæpe diximus, & ſuo loco latius
infra, Deo duce, dicemus, de materia circa quam
confeſſionis, & Sacramenti pœnitentiæ tractan-
tes: ſed in hæreticis, & in Apoſtatis à fide eſt ma-
teria huiuſmodi, cùm ſint baptizati, & ſaltem
peccatũ hæreſis, ſeù apoſtaſię habeant, ergò, &c.

Denique cæteris prætermiſſis, ſi hæretici, &
Apoſtatæ non comprehenderentur ſub præcepto
9 noſtri canonis, ſequeretur, quòd peccatum hæ-
reſis, ſeù apoſtaſiæ tribueret illis immunitatẽ, quã
non haberent, ſi hæretici, & Apoſtatæ non eſſent,
id autem eſt abſurdũ, ergò, &c. Maior patet, quia
tribueret eis immunitatẽ à contrauentione huius
canonis, & ab eiuſdẽ pęnis, ſi vt hæretici eiſdẽ nõ
eſſent affecti. Minor probatur ex *tex. in L. nunquã
plura, ff. de priuat. delict.* vbi ſic legitur, *Nun-
quam pluru delicta concurrentiu faciũt, vt illius
impunitas detur*. Concludendum igitur videtur
ex dictis, hæreticos, & apoſtatas à fide obligari
præcepto noſtri canonis; atque ideo contraue-
nientes committere ſpecialem culpam ratione
ipſius tranſgreſſionis.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

AD primum reſpondetur, quòd in noſtro ca-
none per fideles, Doctores communiter
10 intelligunt baptizatos, qui babent peccata
mortalia poſt baptiſmum commiſſa, quæ ſunt
materia neceſſaria ſacramentalis confeſſionis, vt
ſupra diximus ex *Suar.* & alijs, & propterea
comprehenduntur hæretici, & apoſtatæ à fide
ratione baptiſmi per eos ſuſcepti: qui quidem
quamuis non dicantur fideles in actu; tamen ra-
tione characteris, qui eſt ſignum fidelitatis, poſ-
ſunt dici fideles; Expreſſit autem Concilium
fideles hoc canone alligari ad confutandam fortè
opinionem eorum qui arbitrantur præcepto Di-
uino confeſſionis obligari etiam infideles, quod
eſt falſum, vt ſupra oſtendimus.

Ad ſecundum reſpondetur negando conſe-
quentiam; quia ſi hæretici, & apoſtatæ per alia
11 iura non eſſent priuati ingreſſu Eccleſiæ, ac Ec-
cleſiaſtica ſepultura, vtique vi noſtri canonis pri-
uarentur: ſed non ob id effugiunt, quin contraue-
nientes committant ſpecialem culpam ratione
tranſgreſſionis.

Vndè, his reiectis, firma remanet concluſio,
quòd hæretici, & apoſtatæ alligantur diſpoſitio-
ne noſtri canonis; atque ideò ad ſacramentalem
12 confeſſionem non ſolùm alligantur iure Diuino
in articulo mortis; ſed etiam præcepto Eccleſia-
ſtico ſemel ſaltem in anno.

Ampliatur hæc concluſio primò, vt locum ſibi
13 vendicet non ſolùm in hæreticis occultis, & in-
ternis, cùm hi dicantur Eccleſiæ membra vnione
externa, & apud Eccleſiam ſint fideles, cùm in-
fideles ignorentur, nec ſint priuati Eccleſiæ in-
greſſu, & Eccleſiaſtica ſepultura; verùm etiam in
hæreticis manifeſtis, vt ſunt hæretici in Anglia,
& in alijs hæreticorum terris: nam licet hi nullo
modo ſint Eccleſiæ membra, nec externa, nec
interna vnione, & ſint ipſo facto excommunicati,
ac priuati Eccleſiæ ingreſſu, & Eccleſiaſtica ſe-
pultura; nihilominus ſunt baptizati, & ſubijciun-
tur iuriſdictioni Eccleſiaſticę ratione characteris
ſuſcepti, qui ſignum eſt fidelitatis.

Secundò ampliatur hæc eadem concluſio, vt
hæretici, ac apoſtatæ teneantur non ſolùm ad
14 confeſſionem annuam; ſed etiam obligentur ali-

quando

quando confeſſionem anticipare in caſibus, in quibus alij fideles tenentur, de quibus ſupra egimus ſec. 1.

Tertiò ampliatur, vt hæretici non tantùm alli-
gentur præcepto confeſſionis annuæ, ſicut &
15 apoſtatæ à fide; ſed etiam præcepto communio-
nis in Paſcha, vt ſuo loco, latius, Deo duce, dice-
mus, de præcepto communionis agentes: quo caſu ad dignam ſuſceptionem tanti Sacramenti præcepto Diuino obligantur quoque confeſſionem præmittere, cùm ratione hæreſis dicantur eſſe in peccato mortali. Etenim præceptum communionis in Paſcha æquè principaliter, & eodem canone fuit latum, ac præceptum annuæ confeſſionis, & ambo ita ſunt Eccleſiaſtica, vt ſint etiam Diuina. Imò maior ratio obligationis adeſt reſpectu communionis in Paſcha, quàm reſpectu confeſſionis annuæ, cùm ad præceptum communionis teneantur etiam Infideles, & ob id obligantur ad ſuſcipiendum baptiſmum, vt ſupra declarauimus.

Sic ampliata limitatur primò eadem cõcluſio,
vt ita demum hæretici, & apoſtatæ obligentur
16 præcepto confeſſionis annuæ, & communionis
in Paſcha, ſi poſſint, & habeant copiam confeſ-
ſarij, aliàs excuſarentur, cùm ad impoſſibile nemo teneatur, *l. impoſſibilium, ff. de regul. iur.* quo caſu ſatis eſt ſi contrerantur cum intentione confitendi, & ſatisfaciendi, habita commoditate.

Secundò limitatur, vt hæretici, & Apoſtatæ
excuſentur à ſpeciali culpa tranſgreſſionis præ-
17 cepti confeſſionis annuæ, & communionis in
Paſcha ex capite probabilis ignorantiæ: vt quia probabiliter ignorant hoc præceptum eſſe in Eccleſia, quales ſunt pleriq; hæretici in hæreticorum, & Infidelium terris nati, vel ab infantia commorantes: quoniam huiuſmodi tranſgreſſio non eſt volita, nec in ſe, nec in cauſa: & non datur peccatum quin ſit volitum, vt latè nos probauimus in noſtris *Commentar. in Bull. cœn. lib. 1. cap. 2. q. 5. concl. 2.*

Ibi, *Poſtquam ad annos diſcretionis, &c.* In quo nam ætatis anno incipit obligare fideles præceptum confeſſionis annuæ; Quæ nam dicatur ætas diſcreta, & quot ſint eiuſdem gradus.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Non poteſt certus, ac determinatus diſcretionis annus aſſignari in quo præceptum annuæ confeſſionis fideles alliget.*

2 *Ætas diſcreta in rationabili creatura, non datur omnibus æqualiter in certo ætatis anno.*

3 *Ætatem diſcretam is propriè habere dicitur, qui eſt in termino merendi, & demerendi, diſcernendo bonum à malo.*

4 *Præceptum communionis nõ fertur eodem modo pueris, ſicut annuæ confeſſionis.*

5 *Puer in dubio completo ſeptennio præſumitur habere vſum rationis.*

Puer quinque annorum iurans, & blaſfemans fuit raptus à Diabolo.

6 *Ætas quæ exigitur ad annuam confeſſionem, exigitur etiam in articulo, & periculo mortis.*

7 *Ætas quæ requiritur ad ſacramentalem confeſſionem, requiritur etiam ad ſuſcipienda Sacramẽta cõfirmationis, & extremæ vnctionis.*

8 *Ætas quæ requiratur ad ſuſcipiendum Santiſs. Euchariſtiæ Sacramentum.*

9 *Cenſura Eccleſiaſtica nemo poteſt affici ante duodecimum annum.*

10 *Pueri licet ante annos pubertatis peccare poſſint non tamen eodem modo puniuntur cum alijs.*

11 *Clerici ante pubertatis annum ad inuicem ſe percutientes non incidunt in excommunicationem can. ſi quis 17. q. 4.*

12 *Excommunicatio, ad eam incurrendam, requirit formalem, & ſpecialem ſui notitiam, & ſcientiam.*

13 *Ætatis diſcretæ dantur tres gradus.*

14 *Votum perſonale ſimplex ad eius validitatem requirit ætatem pubertati proximam.*

15 *Ætas pubertati proxima in maſculo eſt in decimo anno cum dimidio, & in fœmina in nono cum dimidio.*

16 *Votum perſonale ſimplex emiſſum à pubertati proximo, poteſt ab eius parentibus, & tutoribus irritari vſque ad annos pubertatis.*

17 *Ætas, quæ requiratur ad votum ſollemne profeſſionis, & quæ ad ſacros ordines.*

18 *Ætas, quæ requiratur ad matrimonium contrahendum; & quando ei diſpenſatur.*

19 *Puer quidam in nono anno impregnauit nutricem, & Salomon in vndecimo anno habuit filium.*

20 *Ætas ſufficiens ad ſuſcipiendum Sacramenta pœnitentiæ, confirmationis, & extremæ vntionis, non ſatis eſt ad Sacramentum Euchariſtiæ, & matrimonij; nec ad bona miniſtranda.*

AD hanc quæſtionem reſpondetur breuiter,
quòd non poteſt aſſignari certus, ac de-
1 a terminatus ætatis annus, in quo præceptũ
annuæ confeſſionis fideles alliget; ſed tunc in-
cipit alligare fidelem aliquem cùm ad annos di-
ſcretionis peruenerit, vt patet ex ſupradictis no-
2 ſtri canon. verbis, *Poſtquàm ad annos diſcretio-*
nis, &c. Aetas autem diſcreta in rationali creatura non datur omnibus æqualiter in certo, ac determinato ætatis anno: ſed is propriè dicitur ad diſcretionis annos perueniſſe quoad annuæ confeſſionis obligationem, qui eſt doli capax ſecundum *Gloſ. in explic. noſtri canon.* atque ideò quando vſum rationis habet, ſciens diſcernere bonum à malo: nam ante hoc tempus non ſolùm mortalem, ſed nec venialem quidem culpam contrahere poſſunt, vt habetur ex *D. Thom. 1. 2. q. 89. art. 6. Scot. in 4. d. 17. q. vnic. art. 1. Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 90. art. 2. dub. 1. Suar. ibidem. diſp. 35. ſec. 2. nu. 4. & ſeq. Reginal. lib. 6. ſuæ prax. n. 50.* cum alijs, quos allegant. Hinc *Sot. in 4. d. 18. q. 1.*
art. 2. & Nauar. in Man. cap. 21. nu. 3. dicunt,
3 quòd is propriè dicitur habere ætatem diſcretam,
qui eſt in termino merendi, ac demerendi. Et in ſumma, qui nouit hominem innocentem occidere, adulterari, fornicari, aliena rapere eſſe mala: & eſſe continentem, humilem, deuotum, modeſtum, pium, miſericordem, &c. eſſe bonum, & ob malefactum verecundatur, is proculdubio dicitur ad diſcretionis annos perueniſſe, vt rectè poſt alios probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 3. ſub nu. 12.* qui contra *Anchar.* & alios in explic. noſtri canon. teſtatur, hanc ſententiam eſſe communem. Etenim pueri cùm ad

annos diſcretionis perueniunt, obligantur alijs
Eccleſiæ præceptis, nempè præcepto audiendi ſa-
crum, præcepto abſtinendi à carnibus ſexta feria,
in vigilijs, & in alijs diebus vetitis, vt per *Fa-
gund. loco citato:* ergo etiam alligantur præcepto
confeſſionis annuæ. Nec obſtat ſi dicatur quòd
pueri non tenentur ieiunare, ac ſanctiſſimum
Euchariſtiæ Sacramentum ſumere ſtatim, ac ad
annos diſcretionis peruenerint; quoniam reſpon-
detur, quòd Eccleſia noluit eos obligare, niſi poſt
21. annum, ne debiles, & infirmi redderentur; at
ad præceptum confeſſionis annuæ vult eos alli-
4 gari ſtatim poſt annos diſcretionis. Quo verò ad
præceptum Euchariſtiæ, ait ipſe *Fagund.* quòd
non eodem modo fertur, ac præceptum annuæ
confeſſionis: ſiquidem de Euchariſtia ſtatim
additur, *Niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio
ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab
huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum*,
Quibus verbis implicitè quodammodo excipiun-
tur pueri ab obligatione præcepti ſanctiſſimæ
Euchariſtiæ percipiendæ: quoniam maior reue-
rentia debetur ex natura rei ſanctiſſimo Eucha-
riſtiæ Sacramento, quàm Sacramento confeſſio-
nis; atque ideò expoſtulatur maior, & perfectior
ætas.

Eſt tamen verum, quòd quando dubitatur, an
quis peruenerit ad annos diſcretionis, tunc in
5 tali dubio ſi puer peruenerit ad ſeptemnium, præ-
ſertim ſi tempus illud expleuerit, præſumitur
vſum rationis habere, & ad annos diſcretionis
perueniſſe: ſiquidem ætas diſcreta in pueris in
ſeptemnio, vt plurimum contingere ſolet: nam eo
tempore pueri communiter peccare ſolent, vt
habetur ex *Gloſ. in cap. 1. de delict. puer.* Et me-
ritò confeſſionis præceptum tunc incipit alligare
fideles, cùm ipſi incipiunt peccare; quia neceſſi-
tas præcepti confeſſionis tàm Diuini, quàm Ec-
cleſiaſtici cùm proueniat ex eiuſdem neceſſitate
ad ſalutē, cùm primùm neceſſitas ſalutis incipit,
alligatur quis ipſo præcepto. Et hæc eſt ratio
cur noſter canon nō determinauerit diſcretionis
annum: ſiquidem nonnulli diſcretionis, ſeù ra-
tionis vſum habent in ſeptemnio: aliqui non niſi
poſt ſeptemnium, & vltra: & quidam denique
etiam ante ſeptemnium. Vndè *Io. Andr. & Hoſt.
in d. cap. 1. de delict. puer. Syl. in ſum. ver. Con-
feſſio, 2. q. 5. & ver. Religio, 2. q. 5.* teſtantur, pue-
rum quendam quinque annorum iurantem, &
blaſphemantem à diabolo fuiſſe raptum: qua-
propter iudicio prudentis confeſſarij remittitur
iudicandum, quando pueri rationis vſum habeāt,
& abſolutionis ſacramentalis ſint capaces: & ſi
dubitet de aliquo, an diſcretionis vſum fuerit
aſſecutus, tunc ſub conditione, nempe ſi vſum
rationis habeat, abſolutio eſt illi impendenda:
ſicut eodem modo impenditur frenetico ſi dubi-
tetur, an ſit ſanæ mentis: etenim poteſt quoque
ſub conditione, ſi capax eſt abſolutionis, abſolui,
vt habetur ex *Conineh.* poſt alios, *diſp. 5. de
pœnit. nu. 51. Graff. lib. 1. Deciſ. cap. 32. nu. 2.
Reginal. lib. 8. ſua prax. nu. 9. & lib. 6. nu. 147.*
& ex alijs.

Ampliatur hæc concluſio primò, vt hæc ipſa
ætas, quæ requiritur ad confeſſionem annuam,
6 exigatur quoque, vt quis obligetur Diuino con-
feſſionis præcepto in articulo, ſeù periculo mor-
tis; quoniam, vt ſupra diximus neceſſitas præ-
cepti confeſſionis tàm Diuini, quàm Eccleſia-
ſtici, ex eiuſdem neceſſitate ad ſalutem prouenit:
& propterea tunc quis tenetur ad confitendum
ſemel ſaltem in anno, & in articulo, ſeù periculo
mortis, cùm læthalem culpam contraxit: ſiquidē
tunc neceſſitás ſalutis incipit, vt rectè declarat
Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 3. in fin.

Secundò ampliatur, vt eadem ætas, quæ requi-
ritur ad ſacramentalem confeſſionem tum iure
7 Diuino, tùm Eccleſiaſtico præceptam, expoſtu-
letur etiam ad ſuſcipienda Sacramenta confirma-
tionis, ac extremæ vnctionis. Etenim Sacramen-
tum confirmationis cùm detur ad pugnam, eo
quòd militia eſt vita hominis ſuper terram con-
tra inuiſibiles hoſtes, vt in *cap. 2. de conſec. d. 5.*
ante rationis vſum puer ſicut non pugnat, cùm
non teneatur tanquam ad peccandum ineptus; ita
etiam confirmatione non indiget, qua roboretur
poſt baptiſmum, quo regeneramur ad vitam, &
per ipſum ſaluamur. Bene verum eſt, quod con-
firmatio ſi ſtatim daretur poſt baptiſmum ipſis
pueris, validum eſſet Sacramentum. Imò ante
rationis vſum conferendum eſt pueris ſi ſtatim
eſſent morituri: nam licèt non proſit ad pugnam,
iuxta *text. in d. cap. 2. de conſecr. d. 5.* prodeſt
tamen ad augmentum gloriæ ſecundum aliquos.
Extra dictum caſum non eſſet negligentiæ tri-
buendum ſi confirmatio vſque ad 12. vel. 14.
annum differatur, & ſi citra culpam non poſſit
vltra differri. Extrema vnctio verò idcirco de-
neganda eſt pueris ante rationis vſum; quia non
indigent remedijs contra peccata, cùm non dum
culpam contraxerint: nec contra tentationes,
quas mortis tempore non patiuntur. Ita *Ioſeph in
flor. Theol. de extrem. art. 4.* ibi, Pueri.

Sic ampliata limitatur primò eadem concluſio,
vt licèt ſeptemnis ætas regulariter ſatis ſit ad ſu-
8 ſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ, ſi con-
currat cum ea rationis vſus in ſuſcipiente, & ad
alia ſupradicta Sacramenta; nihilominus ad ſu-
ſcipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacra-
mentum talis ætas non ſufficit, vt ſupra diximus;
eo quòd ad communicandum exigitur diſcretio
deuota, ac reuerentialis, quæ regulariter in pueris
ſeptem annorum nō conſpicitur. Vndè diſcretio
huiuſmodi confeſſarij, ac Parentum iudicio re-
linquitur terminanda. Non tamen eſt expectanda
ætas 14. annorum; ſed ſatis eſt ſi communio eis
differatur vſque ad annum decimum: imò ante
decimum annum viuaciſſimus puer poſſet ido-
neus eſſe, vt habetur ex *Caiet. in ſum. ver. Com-
munio, & 3. par. q. 80. art. 9. & Sot. in 4. d. 12. q. 7.
art. 9. in fin.* quibus adde quæ infra dicemus, §. 2.
ſec. 2. lim. 1.

Secundò limitatur, quòd quamuis pueri tenean-
tur in ætate diſcreta ad præceptum confeſſionis
9 annuæ, & communionis in Paſcha modo ſupra
explicato; nemo tamen cogi poteſt ab Eccleſia
ſub aliqua cenſura ante duodecimum annum:
vndè quamuis pueri ante 12. annum ſint doli ca-
paces, & læthalem culpam habeant, ſi præceptū
annuæ confeſſionis nō ſeruauerint; pœnis tamen
noſtri canonis nō plectuntur, ſed Diuino iudicio
reſeruantur, vt habetur ex *Sot. in 4. d. 18. q. 1.
art. 3. in fin. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 36. ſec. 2.
nu. 4. Cordub. in ſum. Hiſpan. q. 60.* quos refert,
& ſequitur *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2.
lib. 1. cap. 3. ſub nu. 15.* qui teſtatur, quòd in

multis

Digitized by Google

multis diœceſibus non apponi ſolet excommuni-
catio contra huiuſmodi pueros ante pubertatem,
ſi in Quadrageſima non confiteantur, vt patet in
Conſtitutionibus Bracharenſibus, tit. 3. cap. 1. de
10 *Sacram. pœnit.* Etenim licèt pueri ante annos
pubertatis peccare poſſint; non tamen rationa-
bile eſt, vt eodem modo puniantur cum alijs, vt
in *cap. 1. & 2. de deliĉt. puer.* Hinc pueri Clerici
11 ſe inuicem percutientes ante pubertatis annos
non incidunt in excommunicationem cõtentam
in *cap. ſi quis ſuadente diabolo*, 17. *q.* 4. Etenim
cùm huiuſmodi pueri ſe inuicem percutiunt non
ſolent aduertere ad præfatam cenſuram, vt rectè
declarat *Fagund. loco citato, ſub nu.* 14. Qui idem
12 docet eſſe dicendum de ruſticis, & ignorantibus;
quia excommunicatio ad eam incurrendam ex-
poſtulat formalem, & ſpecialem ſui notitiam, &
ſcientiam, vt probat *Suar. tom. 5. de cenſur. diſp.
4. ſec. 9. nu. 19.* Hæc autem multo magis vera ſunt
de cenſura lata ab homine, quoniam ante puber-
tatem citari pueri nequeunt, vt latè per *Vgolin. de
cenſur. cap. 17. §. 3. nu. 5. & Fagund. ſub d.
nu. 14. in fin.*

Tertiò limitatur hæc ipſa concluſio, vt licèt ex
Hoſt. Panor. Anton. de Butr. & alijs in explica-
13 tione noſtri canonis ætatis diſcretæ tres dentur
gradus, qui omnes, & ſinguli ſatis ſunt ad ſuſci-
piendum Sacramentum pœnitentiæ, & alia Sa-
cramenta ſupra relata; nihilominus ætas diſcreta,
quæ ſufficit ad ſuſcipienda Sacramenta prædicta,
ſatis non eſt ad votum emittendum, & ad matri-
14 monium contrahendum. Etenim emittens votũ
non ſolùm debet habere rationis vſum, qui regu-
lariter reperitur in puero ſeptem annorum; ſed
etiam debet eſſe pubertati proximus, vt votum
perſonale ſimplex validum eſſe dicatur, vt habe-
tur ex *Syl. in ſum. ver. Religio 2. q. 15.* Quæ qui-
dem ætas pubertati proxima in maſculo eſt in
15 anno decimo cum dimidio, & in fœmina in
anno nono cum dimidio, iuxta *Gloſ. in l. 1. ff. de
nouat. & Franc. in cap. ſi pater, nu. 17. de teſtam.
in 6.* quamuis poſſit à parentibus, & tutoribus
16 irritari vſque ad annos pubertatis, vt habetur
ex *Syl. loco citato, Sot. lib. 7. de iuſt. & iur. q. 3.
art. 2.* Quo verò ad votum ſolemne, quod fit
per profeſſionem expreſſam, aut tacitam in ali-
17 qua Religione ab Apoſtolica Sede approbata,
exigitur ætas ſexdecim annorum, vt in *Conc.
Trid. ſeſſ. 25. cap. 15.* Et in inſulis, vbi dura eſt
monachorum congregatio requiritur ætas 18.
annorum, vt in *cap. quia in inſulis, de Regular.*
votum autem ſolemne per ſacri ordinis ſuſcep-
tionèm expoſtulat in promouendo ad ſubdiaco-
natum annum 22. Ad Diaconatum, annum 23.
& ad Sacerdotium annum 25. vt habetur ex
18 eodem *Concilio, ſeſſ. 23. cap. 12.* Quòd ſi quis
ante dictam ætatem promoueatur, eſt ipſo iure
ſuſpenſus: & ſi ſuſceptum ordinem exerceat,
irregularitatem contrahit, à ſolo Romano Pon-
tifice diſpenſandam, iuxta Pij II. conſtitutionẽ,
quæ incipit, *Cùm ex Sacrorum*. Quòd ſi non
exercuerit, poteſt in foro conſcientiæ ab Epi-
ſcopo diſpenſari; dummodo legitimam ætatem
attigerit. Imò quoad Religioſos poſſunt Prælati
cum talibus diſpenſare vigore ſuorum priuile-
giorum; ſi tamen legitimam ætatem attingerint.
Ita *Catheſ. Neap. lib. 4. cap. 11. & 12. & Graff.
lib. 1. Deciſ. cap. 8. nu. 15.*

Quo verò ad matrimonium exigitur pubertas
cap. vna de ſponſal. Quæ quidem pubertas eſt in
maſculis, cum peruenerint ad 14. annum, & in
fœminis ad 12. *cap. atteſtationes, & cap. ex
litteris de ſponſ. impub.* Et licèt quandoq; pu-
bertas anticipaſſet, *cap. puberes, cap. de illis, &
cap. de nobis, eod. tit.* ſicut teſtatur *Gloſ. in ſum.
20. q. 2. & Panor. in cap. 1. de deliĉt. puer.* De
quodam puero, qui in anno nono impregnauit
nutricem, & *Bald. in cap. tranſmiſſa, col. 2. de*
19 *tranſl. Prælat.* refert, Salomonem habuiſſe filiũ
in vndecimo anno; nihilominus matrimonium
de iure ante 14. annos in maſculo, & 12. in fœ-
mina ſine diſpẽſatione Epiſcopi ex magna cauſa,
nempe pro bono pacis contrahi non poteſt, vt in
cap. 2. ſupra tit. cit. & latè *Sanch. lib. 1. de
matr. diſp. 17.* vbi etiam contra nonnullos pro-
bat, quòd ante legitimam ætatem contrahentes
non peccant, & ſi licentia Epiſcopi non inter-
ueniat: tranſit tamen huiuſmodi matrimonium
in ſponſalia. Imò ſic contrahentes ſi proximi ſint
pubertati, & matrimonium conſumauerint, cùm
malitia ſuppleat ætatem, poſſunt compelli, vt in
cap. continebatur, eo. tit. de ſponſal. impub.

Patet igitur ex dictis, quòd ætas diſcreta, quæ
ſufficit ad ſuſcipiendum Sacramentum pœni-
20 tentiæ, & alia ſupra relata Sacramenta, ſatis non
eſt ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sa-
cramentum in Paſcha, ad emittendum votum,
& ad contrahendum matrimonium; & multo
minus ad bona miniſtranda: ſiquidem admini-
ſtrationem bonorum de iure habere quis non
valet, niſi peruenerit non tantùm ad primum
diſcretionis gradum, ſufficientẽ ad ſuſcipiendum
pœnitentiæ Sacramentum: & ad ſecundum re-
quiſitum ad emittenda vota, & matrimonium
contrahendum; ſed exigitur etiam vt perueniat
ad tertium, nempe ad annũ 25. vt rectè declarat
Anton. de Butr. & alijs in explic. noſtri canon.
Quamuis in Regno Neapol. ſatis ſit ætas 18.
annorum, cùm quis ſtatuto dicti Regni efficia-
tur maior.

An quis poſſit eſſe capax præcepti confeſſionis annuæ, cùm tamen in aliqua materia ſpeciali ſit omninò rationis expers.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Carens vſu rationis in aliqua ſpeciali materia, & in alijs non ſit capax præcepti annuæ confeſſionis.*

2 *Vnam eandemq; perſonam in vna materia mereri, & in alia non aliqui arbitrantur abſurdũ.*

3 *Carens vſu rationis in aliqua ſpeciali materia, & in alijs non obligatur præcepto confeſſionis annuæ.*

4 *Vnam eandemq; perſonam in aliqua materia mereri, & non in alia non eſt inconueniens.*

AD tit. explicationem ponamus caſum, quòd
Titius ſit puer ſeptem, vel etiam 12 anno-
1 rum, ſciens diſcernere bonum à malo,
licitum ab illicito, verum non habet vſum ra-
tionis diſcernendi peccatum mortale à veniali;
aut ita deliret, vt teneat furtum non eſſe illici-
tum, vel vſuram putet eſſe licitam, nec poſſit
ſibi oppoſitum ſuaderi. Quæritur modo an iſte
talis

talis capax ſit confeſſionis; atque adeò alligetur præcepto confeſſionis annuæ.

In hac te pugnantes extant opiniones: nam multi partem tenentur negatiuam moti ex eo
2 quòd ſequeretur vnam, & eandem perſonam eſſe capacem meriti in vna materia, & non in alia, quod videtur abſurdum.

Altera ſententia, quæ nobis videtur verior eſt *Fagund. de precep. Eccleſ. precep. 2. lib. 1. cap. 3. nn. 20.* docentis partem affirmatiuam. Etenim aliquando contingit, vt quis in ſpeciali materia careat vſu rationis, & libero arbitrio; non tamen in alijs: ſiquidem imaginatio noſtra poteſt eſſe ita vehemens circa vnum obiectum, vt deliret prorſus, libertatemq; amittat; non tamen circa alia: & propterea poteſt dari ſufficiens iudiciũ ad confitendum peccata, & ad merendum in confeſſione, cùm tamen non detur ſufficiens libertas in alijs materijs. Puto tamen præfatis caſibus, puerum teneri captiuare proprium intellectum, & credere confeſſario dicenti furtum eſſe illicitum, & vſuram illicitam: hoc eſſe peccatum mortale, illud autem veniale: quòd ſi deliret in alia materia, quæ non ſit peccati fundamentum, vt quia putet, bouem maſculum poſſe parere, æs eſſe argentum, vel aurum, & cætera eiuſmodi, tunc non tenetur captiuare ſuum intellectum; ſed poteſt confiteri, non obſtantibus eiuſmodi delirijs.

Ad contrarium reſpondet *Fagund. loco citato*,
4 non eſſe inconueniens, poſſe aliquem in aliqua materia mereri, & non in alia.

De cauſis excuſantibus fideles à præcepto confeſſionis annuæ.
S E C. IX.

S V M M A R I V M.

1 *Neceſſitas ſiue abſoluta, ſiue extraordinaria quadam difficultas excuſat à peccato.*
2 *Ad impoſſibile nemo tenetur.*
3 *In moralibus magna difficultas comparatur impoſſibilitati.*
4 *Moralis impoſſibilitas non excuſat vbi adeſt periculum ſalutis æternæ.*
5 *Periculum infamiæ, vel alterius detrimenti reducitur ad impoſſibilitatem moralem.*
6 *Præcepta poſitiua etiam diuina non obligant in caſibus cauſantibus motum cadentem in conſtantem virum.*
7 *Præcepta naturalia; vt alienum reſtituere, votum adimplere, &c. non obligat cum tanto detrimento.*
8 *Cauſa excuſans à confeſſione vnius, vel alterius peccati, non excuſat à confeſſione aliorum mortalium, tacitis ijs à quibus excuſatur, cum obligatione confitendi illa, ceſſante cauſa excuſationis.*
9 *Nemo ex vi præcepti diuini confeſſionis, vel humani, tenetur confiteri per interpretem.*
10 *Confeſſio per interpretẽ eſt quodamodo publica.*
11 *Interpres licet teneatur ad ſigillum, non tamen adeò arto vinculo aſtringitur, vt confeſſarius.*
12 *Incommodum timens ex eius confeſſione, in articulo mortis ex præcepto diuino, & naturali tenetur confiteri per interpretem, vel aliqua venialia, & in genere mortalia; vel omnia mortalia tacitis ijs, ex quorum reuelatione incomodum timet.*
13 *Confiteri nequiens niſi alijs audientibus timens incommodũ aliquod ex peccatorũ reuelatione, poteſt confiteri venialia, & in genere mortalia; vel confiteri omnia mortalia tacitis ijs à quibus incommodum timet.*
14 *Conſtitutus in articulo mortis, probabiliter cognoſcens ſe contritum, non tenetur confiteri per interpretem.*
16 *Fidelis niſi poſſit aliter quam per ſcriptum præſente confeſſario confiteri, excuſatur à præcepto annuæ confeſſionis; contraria tamen ſententia eſt probabilior.*
17 *Modus confitendi per ſcriptum eſt publicus.*
18 *Ex diuerſis non fit illatio.*
19 *Pœnitens ſi probabiliter timeat eidem eſſe reijciendum à manibus ſcriptum per confeſſorem non tenetur ei confiteri; nec ore ſi adeſt periculum reuelationis.*
20 *Confiteri per ſcriptum, vel nutus, non eſt contra rationem Sacramenti.*
21 *Nutus pro vocibus deſeruiunt.*
22 *In alternatiuis ſufficit alterius tantũ concurſus.*
23 *Pœnitens ſi abſque legitima cauſa confitetur per ſcriptum, vel nutibus, cum poſſit proprio Ore confiteri, peccat mortaliter.*
24 *Venialia tantum habens excuſatur à præcepto confeſſionis annuæ.*
25 *Peccata venialia non ſunt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, ſed tantum ſufficiens.*
26 *Paruitas materiæ in aliquibus præceptis excuſat à lethali culpa.*
27 *Culpas non ſolum mortales habent, ſed etiã veniales teneri ad annuã confeſſionẽ, qui doceãt.*
28 *Iuramenta promiſſoria, ac vota de re minima, & veniali obligant ſub veniali; & non mortali quod ampliatur in mendacio, in iudicio, vel confeſſione prolato.*
29 *Habens venialia tantum excuſatur à confeſſione etiam in articulo mortis, vel ad dignè ſumendum ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentũ.*
30 *Clem. 1. de ſtatu monacorum, & ſtatuta regularium de confitendo ſingulis menſibus non obligat Religioſos mortalibus carentes.*
31 *Obligatus per ſtatutum ad confitendum, non ſatisfacit confitendo generaliter venialia, ſi mortalibus caret; nam debet aliquod peccatum in ſpecie explicari.*
32 *Venialia tantum habens ex præcepto cõfeſſionis, nec ſub veniali obligatur ad confeſſionem venialium in quadrageſima.*
33 *Venialia non diſſoluunt Dei amicitiam, & multis modis, & remedijs remitti poſſunt.*
34 *Idem eſt in habente vnum veniale, quam plura.*
35 *Venialia tantum habens ſtatuto tempore ad euitandum ſcandalum ſub lethali culpa tenetur ſiſtere Sacerdoti.*
36 *Dubius an peccatum ſit mortale, vel veniale tenetur confiteri.*
37 *Iubilaum ſi expoſtulat confeſſionem, venialia tantum habens tenetur confiteri; & ſi Ieiunium quoque, qui excuſantur illud non lucrabuntur niſi ieiunent.*
38 *Confeſſio venialium ex aliqua iuſta cauſa poteſt præcipi ab Eccleſia quo ad exercitium actus, non quoad ſpecificationem.*
39 *Diſpenſatio Rom. Pontificis, vel Epiſcopi etiam ad tempus excuſat à præcepto annuæ cõfeſſionis.*

Pro

PRO determinatione huius difficultatis eſt adnot. quod plures ſunt cauſæ excuſantes
1 fideles à præcepto confeſſionis annuæ. Etenim prima cauſa eſt neceſſitas ſiue abſoluta ſit, ſiue eatraordinaria quædam difficultas. Si quis enim detineatur in partibus infidelium, in quibus non eſt copia confeſſarij, tunc etiam ſi per quamplurimos annos ſteterit, quo minus confeſſus fuerit, non peccat, nec ſubijcitur pœnis in noſtro canone contentis, & alijs diœceſanis; quo-
2 niam ad impoſſibile nemo tenetur, *l. impoſſibilium, ff. de regul. iur. cap. nemo poteſt, eod. tit. in 6.* Hæc eadem neceſſitas appellatur *à Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 1. cap. 6.* impoſſibilitas phyſica, quam ait eacuſare quoque Sacerdotem à recitatione horarum canonicarum, ſi breuiarium non habeat, nec habere poſſit, vt per *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 36, ſec. 6. nu. 1. Bellan. diſp. 5. de Sacram. confeſ. dub. 10. nu. 37. §. Nota ſecundò.* Dixi, *Si detineatur*, quia ſi ſponte quis vellit commorari in terris infidelium, tunc non excuſaretur, cùm ſua culpa careat copia confeſſarij; niſi negotijs adeò grauibus ibi vacaret, vt ſine magno rerum ſuarum, vel perſonæ detrimento non poſſet indè diſcedere: quod quomodo procedat, latè ſupra declarauimus *Sec. 1. concl. 5.* de obligatione præcepti Diuini tractantes. Neceſſitatem autem, quam nos appellamus extraor-
3 dinariam quandam difficultatem, *Fagund. loco citato, nu. 3.* & alij vocant impoſſibilitatem moralem, vt cùm quis non poſſit habere confeſſarium, niſi longum iter, aut nauigationem faciat: hanc enim Doctores volunt excuſare quoque fideles à præcepto confeſſionis annuæ. Etenim in moralibus magna difficultas comparatur impoſſibilitati, vt per *Dec. in l. impoſſibilium, nu. 3. ff. de regul. iur.* Quanta debeat eſſe huiuſmodi difficultas, quæ ſatis ſit ad excuſandum à dicto præcepto, prudentis arbitrio dimittitur æſtimanda, vt habetur ex *Suar. d. ſec. 6. nu. 1. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 3. q. 8. §. Dices, ſub n. 61. & Fagund. vbi ſupra*, qui in ferenda excuſationis ſententia ratio habenda eſt temporis, perſonę, difficultatis viæ, periculi ſalutis, &c. Semper autem maior diſtantia eapoſtulatur, ſi iter terra faciendum ſit, quam mari: Siquidem ſi fiat mari ſatis eſt ad eacuſandum moderata diſtãtia, modo abſit omne periculum piratarum: nam dum adeſt ſemper inſiſtat legitima excuſandi cauſa. Ita *Fagund. ibidẽ*, qui tamen quæ diximus limitat,
4 niſi adſit periculum ſalutis æternæ; quoniam tunc præfata extraordinaria difficultas, ſeù moralis impoſſibilitas excuſationem non præberet à dicto præcepto, ſiue Diuinum ſit, ſiuè Eccleſiaſticum: nam ad excuſandum fideles à ſacramentali confeſſione eodem modo dicendum eſt tàm de præcepto Diuino, quàm Eccleſiaſtico, vt per Doctor. ſupra relatos.

Ad eandem impoſſibilitatem moralem reducitur periculum infamiæ, vel alterius notabilis
5 detrimenti: ſiquidem hæc neceſſitas, magna difficultas, ſeù impoſſibilitas moralis excuſat à præcepto confeſſionis. Vndè ſi quem oporteret nauigare, vt confeſſarium adeat, cui poſſit confiteri, & probabiliter timeat piratarum incurſum, tunc procuidubio eacuſaretur ab huiuſmodi præcepto; ſicut ſi ad habendum confeſſarium opus ſibi foret iter facere per loca non ſine probabili periculo mortis ſibi inferendæ a ſuis inimicis, aut à latronibus, vel notabilis damni eidẽ in bonis inferendi ab ipſis latronibus, vel ab alijs perſonis. Etenim cum huiuſmodi præceptum ſit poſitiuum non obligat cum tanto diſpendio;
6 nam præcepta poſitiua etiam Diuina non obligant cum periculo mortis, infamiæ, vinculorum, verberum, amiſſionis bonorum, &c. quæ cauſant metum cadentem in conſtantem virum, *arg. text. in l. iſti quidem, & l. nec timorem, ff. quod met. cauſ. Azor. tom. 1. inſt. moral. lib. 1. cap. 11. q. 1. Suar. 3. par. tom. 5. diſp. 6. ſec. 3. Say. lib. 1. Theſ. cap. vlt. nu. 41. & lib. 2. cap. 14. n. 37.* & in ſpecie de lege humana nos egimus in noſtris *Commentar. Bull. cœn. lib. 3. §. 8. q. 1. nu. 15.* Imò, & aliquando nec præcepta naturalia cum tanto detrimento alligant. Siquidem reſtituere
7 alienum, & votum implere, ac eleemoſynam præbere extremò indigenti ſunt de iure Diuino naturali, & tamen non obligant cum vitæ periculo, vt habetur per *Azor. loco citato, q. 2. Sanch. lib. 1. Decal. cap. 18. nu. 5. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 5. q. 5. tom. 1. & 2. nu. 124. & 125.* Idem dicendum eſt de pœnitente qui non habeat niſi vnum confeſſarium, & probabiliter timeat graue odium ipſius confeſſarij, ſi eidem confiteatur, aut probabiliter timeat ab eo reuelari confeſſionem, nocumentum notabile in fama vita, ac fortunis: tunc enim talis excuſatur à præcepto confeſſionis, vt per *Bellon. d. diſp. 5. de ſacr. confeſ. dub. 10. nu. 73. Hen. lib. 2. de pœnit. cap. 11. tom. 1. Nauar. & Suar.* quos refert, & ſequitur *Fagund. loco citato, nu. 4.* qui tamen *nu. 5.* addit, quod ſi aliquando occurrat
8 cauſa excuſans à confeſſione vnius, vel alterius peccati, non idcircò excuſari quemquam ab impletione præfati præcepti, & confeſſione aliorũ peccatorum mortalium, quia tunc tenetur confiteri, & poteſt tacere alia à quibus eacuſatur ob moralem impoſſibilitatem; cum obligatione confitendi illa, ceſſante cauſa excuſationis: ſiquidem confeſſio illa licet non ſit integra materialiter; eſt tamen integra formaliter; quia vere, ac realiter pœnitens confeſſus eſt omnia mortalia, quæ rationabiliter confiteri poterat, vt rectè docet *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 3. q. 4. ad 5. Dom. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 3. Petr. Sot. lect. 10. de confeſ. Nauar. in ſuo Man. cap. 7. n. 3. & 4. Suar.* poſt alios, *3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 23. ſec. 2. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 156. Coninc. de pœnit. nu. 70. cum ſeq. Molf. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 12. n. 23. & 32. & Filliuc. d. cap. 5. q. 5. concl. 1. & 2. nu. 124. & 125.* cum alijs, quos allegant, & nos, Deo duce, latius dicemus infra, de confeſſionis integritate tractantes, vbi etiam diſcutiemus, an, & quando ea, quæ docuimus de periculo proprij damni eatendantur ad periculũ damni alieni.

Secunda cauſa, qua excuſantur fideles à præcepto confeſſionis, tàm Diuino, quàm Eccleſia-
9 ſtico eſt ignorantia idiomatis: nemo enim ex vi præcepti confeſſionis diuini, vel humani tenetur confiteri per interpretem, etiam fidelem: ſed tantùm id poteſt facere ſi velit, & eo caſu interpres teneretur ad ſigillum, ſicut tenetur confeſſarius, ita *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. Petr. Sot. lect. 11. de confeſ. Medin. de pœnit. tract. 2. q. 25. concl. 5. Coninch. diſp. 5. de ſacram. dub. 10. nu. 75. Suar.*

*tom.4.de pœnit. diſp.*36. *ſec.* 6. *&* 4. & hanc ſen-
tentiam communem eſſe teſtatur *Fagund. de*
præcept. Eccleſ. præcept. 2. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.*6.
*Layman. in ſua ſum. Theol. lib.*5.*tract.*6.*cap.*6.
*nu.*5. *Fillinc. tract.*7. *qq.moral.nu.*16. *P. Molſ.*
*in ſuâ ſum. Theol. tract.*7.*cap.*11.*n.*11.*P. Alfonſ.*
*de Leon. de offic. & poteſt. confeſſ. recol.*6.*n.*110.
& alij. Mouentur ex noſtro can. in illis verbis,
Omnia ſua ſolus,&c. Siquidem dum Concilium
vult, ſacramentalem peccatorum confeſſionem
debere fieri à poenitente ſolo, ſatis indicat, ne-
minem per interpretem teneri ſua peccata confi-
teri. Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ.*14.*cap.*5.
dum ait, neminem teneri confiteri, niſi ſecreto
apud ſolum Sacerdotem. Ratio autem hæc eſt;
nam confeſſio per interpretem eſt quodammodo
10 publica, quam Eccleſia præcipere non ſolet, &
eſſe omninò abrogatam pœnitentiam publicam,
quæ olim imponebatur pro criminibus publicis,
& ſcandaloſis, vt ſupra oſtendimus, Sec. 1. Ete-
nim præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum
tanto onere, vt ſupra adnotauimus: & ſi ſcirem,
quòd confeſſarius vni ſoli meum peccatum reue-
laturus foret, non obligarer ei confiteri, vt ex
communi Doctor. ſententia ſupra oſtendimus:
ergò eodem modo non tenetur quis illud confi-
teri, quando vnus alius præter confeſſarium id
debet audire, & quamuis interpres tenetur ad
11 ſigillum; non tamen vinculo adeò arcto aſtrin-
gitur, ac confeſſarius; quia non fungitur officio
audientis, ſed loquentis, atque adeò ſe tenet ex
parte pœnitentis. Vndè ſi interpres confeſſionẽ
reuelaret, licèt grauiter foret puniendus, non
tamen pariter, ac confeſſarius, qui ſigillum vio-
lauerit, & habetur ex *Sot. loco cit. circa fin.*

Limitatur tamen id quod diximus verum eſſe
ex vi præcepti confeſſionis, ſiue præceptum di-
12 uinum ſit, ſiue humanum, & Eccleſiaſticum;
ſiquidem in articulo mortis ſi quis conſcientiã
habeat peccati mortalis ex præcepto Diuino, &
naturali propriæ charitatis tenetur per interpre-
tem confiteri aliqua peccata venialia, & genera-
liter omnia peccata mortalia dicendo poſt con-
feſſionem venialium ſe confiteri etiam omnia
alia peccata mortalia, quibus Deum offenderit.
Etenim id tutius eſt ad ſalutem, & ſine incom-
modo fieri poteſt, vt rectè docet *Coninch. diſp.*
5. *de ſacram. dub.*10.*nu.*77.§. *dixi*, quem refert
& ſequitur *Molſeſ. par.*1. *ſua ſum. Theol. tract.*
7.*cap.*11.*nu.*12. *& Fagund. loco citato, ſub n.*7.
qui tamen ex *Coninch.* ibidem addit, quod imò
omninò ſuadendum eſt, vt quando aliud non
timetur incommodum, omnia peccata ſua con-
fiteatur pœnitens; iis tacitis, ex quorum reuela-
tione aliquod notabile detrimentum formidat,
ſi fortè interpres eſſet ſuſpectus. Idem dicen-
13 dum eſſe ait, vbi confeſſio nequit fieri, niſi alijs
audientibus, vt tempore naufragij, vel peſtis. In
eamdem ſententiam inclinat *Suar.* loco ſupra
relato, *nu.* 5. *& Vaſq. tom.* 4. *de pœnit. art.* 3.
*dub.*3. *ſub nu.*4. 5. *&* 6. *Laym. in ſua ſum. lib.*5.
tract. 6. *nu.*5. *Fagund. vbi ſupra nu.* 8. & alij,
quos allegant, dicentes, quòd quando in arti-
culo mortis conſtitutus videt de peccatis mor-
talibus contritionem non habere, vel ſaltem
dubitet, tunc tenetur confiteri non ſolùm per
interpretem, ſed etiam publicè ſi aliter non po-
teſt, modo ſcilicet ſupradicto, vel cum minori
infamia poſſibili, dummodo confeſſio ſatis ſit
ad ſuſceptionem Sacramenti: ſiquidem licèt eo
caſu teneatur Deo abſolutè ſatisfacere, ne æternæ
damnationis periculo exponatur, quæ ſuper
omnia mala vitanda eſt; per illam tamen con-
feſſionem rectè ſibi conſulit, cùm non teneatur
ad confeſſionem materialiter integram, vbi non
poteſt aliter confiteri niſi per interpretem, &
dicta confeſſio dicitur formaliter integra, &
ſatis eſt ad dignam ſuſceptionem Sacramenti
pœnitentiæ, vt ſupra diximus.

Dixi, quando conſtitutus in articulo videt de
mortalibus contritionem non habere etiam ſi
14 cognoſcat ſe eſſe attritum, vt de communi teſta-
tur *Fillinc. loco citato, & P. Alphonſ. de Leon.*
*de offic. & poteſt. confeſ. recoll.*6. *nu.* 110. quia è
conuerſo ſi talis cognoſceret eſſe contritum, &
de ſua contritione non dubitaret, tunc, & eo
caſu non teneretur confiteri per interpretem, vt
à contrario ſenſu colligitur ex præfatis Doctor.
Idem dicendum eſt ſi quis poſſet nutibus pec-
cata ſua confeſſori manifeſtare; quoniam tunc
15 non teneretur per interpretem confiteri: niſi
confeſſarius cæcus eſſet, & non habeat alium:
ſiquidem cęcus nutibus peccata comprehendere
non poſſet, vt colligitur ex *P. de Leon. loco cit.*
& ex alijs. Et quamuis nemo poſſit certam de
propria contritione habere notitiam, cùm nemo
ſciat, an odio ſit, vel amore dignus iuxta illud
Apoſtoli; nihilominus poteſt de ea habere pro-
babilem exiſtimationem: & propterea ex præ-
cepto charitatis non tenetur confiteri per inter-
pretem; quia tunc confeſſio illa non videtur
moraliter neceſſaria ad ſalutem, nec Deus vi-
detur obligare cum tanto onere, vt docet *Fa-*
gund. d. nu. 8. cuius ſententiam arbitror eſſe
valdè dubiam, cùm pœnitens exiſtimans proba-
biliter eſſe contritum poſſet decipi, & ſi habeat
peccatum mortale, & de eo contritione careat,
damnaretur: quapropter ne damnationis peri-
culo ſe exponat, ex præcepto Diuino, ac naturali
propriæ charitatis obligatur tutiorem partem eli-
gere; atque ideò per interpretem confiteri ſaltem
modis ſupra explicatis, aut eorum altero.

Tertia cauſa, qua excuſantur fideles à præ-
cepto confeſſionis annuæ, quando non poteſt
16 confiteri niſi per ſcriptum, præſente confeſſario,
vt habetur ex *Medin. C. de confeſ. q.*19. *Riccard.*
in 4. *diſt.*17.*q.*5.*art.*2. *Sot. in* 4. *d.* 18. *q.*2.*art.*6.
Ledeſ. 2. *par.* 4. *q.* 8. *art.* 3. *Victor. in ſum. de*
*ſacram. nu.*137. *Nauar. in Man. latino, cap.*12.
nu. 36. & hanc ſententiam probabilem eſſe in-
quit *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep.* 2. *lib.* 1.
cap. 6. *nu.*9. Mouentur ex eo quòd modus con-
17 fitendi per ſcriptum eſt publicus, cùm ſcriptura
de ſui natura ſit publica, & nemo tenetur pu-
blicè confiteri, ne periculo infamiæ ſe exponat.
Confirmatur, quoniam ex vi præcepti confeſſio-
nis non tenetur quis per interpretem confiteri,
quamuis catholicus ſit, atque fidelis, & quamuis
ad ſigillum teneatur, quia modus ille confeſſio-
nis eſt de ſe publicus: ergò idem dicendum in
caſu noſtro, cùm militet eadem ratio, *arg. text.*
in l. illud, ff. ad leg. Aquil. Hæc ſententia licèt
re vera ſit probabilis; contraria tamen nobis vi-
detur probabilior, atque adeò non excuſari pœ-
nitentem à præcepto confeſſionis annuæ, &
multo minus à præcepto Diuino in mortis arti-
culo,

Digitized by Google

culo', ſi non poſſit aliter confiteri, quam per
ſcriptum præſente Sacerdote. Etenim hic modus
poteſt ſeruari citra incommodum pœnitentis,
cùm talis confeſſio non ſit magis modeſta, quàm
illa, quæ fit ore; quia non eſt magis timendum,
ne Sacerdos reddat ſcriptum poſtquàm illud le-
gerit, quàm timendum ſit, ne confeſſionem audi-
tam reuelet: & eò fortius quoniam pœnitens
dum confitetur poteſt proprijs manibus ſcriptũ
tenere, dum confeſſarius peccata in eo legit, atq;
adeò illi non tradere. Confirmatur, quoniam
hanc opinionem tenent grauiſſimi Doctores,
nempè *D. Thom. in 4.d.17.q.3. art.4. quæſtiun-
cula 3. ad 2. Palud. ibidem, q. 2. Maior. eod.
loco q.1. ad 3. Coninch. diſp. 5. de ſacram. dub.
10.nu.7. Suar. de pœnit. diſp.36. ſec. 6. nu. 7.* &
alij quos refert, & videtur ſequi idem *Fagund.
d. cap. 6. nu.* 10. Mouentur ſupra relato funda-
mento: ſiquidem præceptum confeſſionis obligat
quoties ſine incommodo notabili adimpleri po-
teſt. Non enim modus confitendi per ſcriptum,
præſente Sacerdote, eſt abſolutè de ſe publicum,
ſed tantùm per accidens: nam ſi pœnitens ſtatim
laceret, aut igni tradat ſcriptum poſt confeſſio-
nem, nulli per ſe exponitur manifeſtationis pe-
riculo; maximè ſi poſt ſcriptum vnum peccatum
coram confeſſario, ſtatim ſcriptum à confeſſario
lectum rumpat, & ſic de ſingulis, vt ait *Fagund.
ibi nu.* 11. poſt alios: at interpres cùm poſt con-
18 feſſionem extet, ſemper rationabiliter timeri
poteſt peccatorum manifeſtatio: & propterea ex
diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff.
de minor.*

Eſt tamen verum, quod ſi pœnitens, qui con-
fitetur per ſcriptum manu tentum vt ſupra, pro-
19 babiliter timeat per cõfeſſorem à manibus ipſius
pœnitentis fore rapiendum, tunc non teneretur
eidem confiteri; ſicut non tenetur quis ore con-
fiteri', quando eſt periculum reuelationis, vt ex
eodem *Fagund. d.nu.10. in fin.* Idem dicendum
eſt ſi pœnitens poſſet nutibus peccata ſua ſuffi-
cienter manifeſtare; quoniam excuſaretur confi-
teri per ſcriptum: ſiquidem ſicut confiteri per
20 ſcriptum non eſt contra rationem Sacramenti, vt
habetur ex *D. Thom. quodl. 1. art. 10. Suar. de
pœn. diſp.21. ſec.3.nu.3. Filliuc. tom. 1. qq. moral.
tract.7. de confeſ. cap.1. ſub nu.14.* & aliorum;
ita etiam confiteri nutibus: quoniam ex inſtitu-
tione Sacramenti pœnitentię nihil aliud exigitur
ad confeſſionem ſacramentalem, quàm vt pœni-
tens aperiat confeſſario cauſam ſuam, atque ideò
peccata, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ.14.c.5.*
id autem ſufficienter prẹſtatur nõ tantum ſcripto
ſed etiam nutibus; & nutus ſunt ſufficiens ſignũ
humanæ accuſationis ſicut & ſcriptum: & prop-
terea confeſſio facta nutibus eſt verè ſacramen-
talis, ac legitima, vt per *D. Thom. in 4.d.17.q.3.
art.4. quæſtiun.3. Scot. ibidem q. vnica, Caiet. in
ſum. ver. Confeſſio, concl. 11. Suar. de pœnit.
loco citato, nu. 7.* & alios, & infra latius, Deo
duce, dicemus, de integritate confeſſionis agen-
tes. Quæ diximus vera ſunt tam pro adimplendo
præcepto confitendi ſemel ſaltem in anno, quàm
pro adimplendo præcepto Diuino in articulo,
ſeù periculo mortis, & ad ſumendum dignè ſan-
21 ctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; quoniam
nutus pro vocibus deſeruiunt, atque ideò pari
iure mutus, & loquens ligantur, vt habetur ex
*Sot. in 4.d.18.q.2.art.6.memb.1. Suar. Filliuc.
locis citatis*, cum alijs, quos allegant, quibus
adde *Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 15.* dum ait,
quod tenetur quis confiteri ſcripto, aut nutu, ſi
aliter non poteſt, & ſic cùm alternatiuè loquatur
per dictionem illam, *Aut*, vbi pœnitens non
confiteri propria voce, nec aliter poteſt, niſi
ſcripto, & nutu, tunc ſatis eſt ſi cõfiteatur ſcripto,
aut nutu; atque ideò ſi velit confiteri nutu, non
tenetur confiteri ſcripto; quia in alternatiuis
22 ſufficit alterius tantùm concurſus, vt in *cap. in
alternatiuis*, & ibi latè *Dyn. de regul. iur. in 6.*
& ſignanter quoad illam dictionem, *Aut*, eſt
tex. in l. ille, aut ille, & ibi *Doctor. ff. de leg. 3.*
Dixi, *Vbi pœnitens non poteſt confiteri propria
voce*, Quoniam ita demum licitum eſt confiteri
in ſcriptis Sacerdoti præſenti, vel nutu, quando
iuſta, ac legitima cauſa adſit, qua quis excuſetur
à confeſſione proprio ipſius ore facienda; alias ſi
citra iuſtam cauſam in ſcriptis, aut nutibus con-
fiteretur, cum proprio ore poſſet, confeſſio foret
nullius momenti; non quia id eſſet contra inſti-
tutionem Sacramenti pœnitentiæ, & contra
ipſius materiam, ſed quoniam qui poteſt voce
23 confiteri, & non confitetur, peccat mortaliter
cum faciat contra ordinationem Eccleſiæ, vel
ſaltem contra eiuſdem conſuetudinem, vt per
*D. Thom. quodl. 1. art. 10. Suar. de pœnit. diſp.
21. ſec. 3. nu.6. Vaſq. ibid. q.91. art.3. dub.4. ſub
nu.4. & 5. Laym. in ſuo ſum. Theol. lib.5. tract.
6. cap.6 nu.1. & 2. Filliuc. loco citato*, & alij, ac
nos latius, Deo fauente ſuo loco dicemus iuſta
de integritate confeſſionis agentes.

Quarta cauſa excuſans fideles à præcepto con-
feſſionis annuæ, eſt, ſi peccata mortalia non ha-
24 beant, ſed venialia dumtaxat, vt habetur ex *D.
Thom. in 4. d.17 q.3. art.1. quæſtiu.3. ad 3. Scot.
ibidem, q.1. art.3. Gabr. ea d.q.1. art.2. concl.2.
Maior. q.2. Suar. de pœnit. diſp.22. q.8. Vaſq. eo.
tr. q.90. dub.2. Sot. in 4.d.18. q.1. art.3. Nauar.
in Man. cap.7. nu.6.* & hanc ſententiam magis
communẽ eſſe teſtatur *Laym. in ſua ſum. Theol.
lib. 5. nu. 6. cap. 3. nu. 12. Fagund. de præcept.
Eccleſ. præcep.2. lib.2. cap.2. nu.8. Bonac. diſp.5.
de ſacram. q.3. par.1. nu.5.6. & 7. Pater Alfonſ.
de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recol.5. nu.39.*
qui poſt *Nauar. loco citato*, teſtatur de communi
& ex alijs à præfatis Doctor. relatis. Etenim
peccata venialia, vt ſuo loco dicemus non ſunt
25 materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, ſed
tantùm ſufficiens, & propterea præceptum con-
feſſionis annuæ in noſtro canone contento debet
intelligi de mortalibus, nõ autem de venialibus;
aliàs graue onus fuiſſet per Lateranenſe Concil.
fidelibus impoſitum, ſi omnia, & ſingula peccata
etiam venialia eo tempore clauibus ſubijci, atque
adeò confiteri præcepiſſet. Eccleſia enim idcircò
huiuſmodi præceptum impoſuit, vt fideles con-
ſtringeret ad recuperandam gratiam, & amici-
tiam Dei, ſi fortè illa per lethales culpas amiſe-
rint. Vndè ſuppoſito, quòd fidelis venialia tan-
tùm habeat, cum illis non obſtantibus, ſit Dei
amicus, ad eorum confeſſionem vi præcepti non
obligatur. Confirmatur, quoniam paruitas ma-
26 teria in aliquibus præceptis excuſat à lethali
culpa; at peccata venialia ſunt parua materia
reſpectu confeſſionis, ergò excuſant à lethali
culpa ſi clauibus non ſubijciantur. Denique pater

ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi ſimpliciter
præcipitur confeſſio peccatorũ mortalium dum-
taxat his verbis, *Oportere à pœnitentibus omnia
peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui
diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione
recenſeri, etiam occultiſſima; nam venialia, qui-
bus à gratia Dei non excludimur, quamquàm
rectè, & vtiliter in confeſſione dicantur, taceri
tamen citra culpam multiſq; alijs modis expiari*
27 *poſſunt.* Scio autem *S. Bonauent. in 4. d. 17. p. 2.
art. 2. q. 1. Riccard. ibidem, art. 2. q. 4. ad 1. Alenſ.
par. 4. q. 77. memb. 1. art. 3. & 2. art. 5. ad 20.
Caiet. tom. 1. Opuſc. de confeſ. tract. 1. Innoc. in
explic. noſtri can. nu.* . . . & alios exiſtimaſſe, vi
præcepti noſtri canonis obligari ad confeſſionem
annuam non ſolùm qui mortales culpas habent,
ſed etiam veniales tantùm culpas habentes; ea
potiſſima ratione motos, quòd votum, & iura-
mentum de re minima, & materia veniali, obli-
gant ſub mortali, vt habetur ex eodem *Caiet. 2. 2.
q. 89. art. 7. ad primum, Corduba in ſum. Hiſpan.
q. 188. Couar. lib. 1. var. reſol. cap. 1. nu. 1. Leſſ.
tom. 1. de iuſt. & iur. lib. 2. cap. 42. dub. 5. nu. 23.*
& ex alijs: & non minus obligat vinculum voti,
ac iuramenti, quàm præcepti; ergò ſicut letha-
lem culpam contrahit, qui rem minimam voto,
aut iuramento promiſſam non ſoluit; ita etiam
mortaliter peccabit carens mortalibus ſi venialia
non confiteatur, obligante præcepto confeſſio-
nis annuæ, in noſtro canone contento. Sed re
vera non eſt recedendum à priori ſententia, cùm
ſit communis, vt teſtatur *Nauar. loco citato,* vel
ſaltem communior, & verior, vt inquit *Fagund.
d. cap. 2. nu. 8.* & alij. Etenim in contrarium eſt
grauium Doctor. ſententia, quàm latè probat
*Nauar. in Man. Latino, cap. 12. nu. 19. & 40.
Suar. tom. 2. de Relig. lib. 3. de iuram. promiſſor.
cap. 16. nu. 9. Sot. lib. 2. de iuſt. & iur. q. 4. art. 3.
Tolet. lib. 4. ſuę ſum. cap. 22. nu. 2. Azor. tom. 1.
inſtit. moral. lib. 11. cap. 5. q. 3. Syl. ver. Iura-
mentum 4. q. 1. D. Anton. 2. par. tit. 10. cap. 4. §. 1.
Fagund. loco citato,* dicentes iuramenta promiſ-
ſoria, & vota de re minima, & veniali non obli-
28 gare ſub mortali, ſed tantùm ſub veniali, & hanc
ſententiam probabiliorem eſſe teſtatur *Sanch.
in Decal. lib. 3. cap. 4. Azor. tom. 1. inſt. moral.
par. 1. lib. 3. cap. 28. verſ. Ex his perſpicitur, &
P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll.
7. nu. 19.* qui licèt id limitet ibidem, *nu. 33.* in
iuramento aſſertorio cum mendacio; nihilomi-
nus noſtram ſententiam ampliat, *nu. 20.* poſt *Sot.*
& alios etiam in mendacio, in iudicio, vel con-
feſſione prolato: ſiquidem illis caſibus paruitas
materiæ excuſat à mortali; & hanc opinionem
communem eſſe teſtatur *Azor. loco citato,* &
veram inquit *Sayr. in ſua clau. Reg. lib. 12. cap.
2. nu. 19.* & id non alia ratione, niſi quia paruitas
materiæ in omnibus præceptis excuſat à lethali
culpa: ſiquidem lex Diuina, & naturalis de non
furando, & vinculum voti, ac iuramenti, non
minus obligant, quàm vinculum pręcepti Eccle-
ſiaſtici, de confeſſione ſemel ſaltem in anno fa-
cienda; imò magis, & tamen paruitas furti ex-
cuſat à mortali, & paruitas materiæ à iuramento
promiſſorio, ſicut & paruitas materiæ à tráſgreſ-
ſione voti quoad lethalem culpã, vt ſupra oſten-
dimus: ergò etiam ratione paruitatis materiæ ſi
quis venialia dumtaxat habeat, excuſabitur à
præcepto noſtri canonis de confitendo ſemel
ſaltem in anno.

Ampliatur hæc concluſio, vt non habens pec-
cata mortalia, ſed tantùm venialia, non ſolùm
29 excuſetur à præcepto Eccleſiaſtico confitendi
ſemel ſaltem in anno in Quadrageſima; ſed etiã
à præcepto Diuino confitendi in articulo, ſeù in
periculo mortis, vel ad dignè ſumendum ſan-
ctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & in qui-
buſdam alijs caſibus, vt ex communiori Schola-
ſticorum doctrina docet *Laym. in ſua ſumm.
Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 5. nu. 12. Fagund. loco
citato, & P. Alph. de Leon. d. tract. de offic. &
poteſt. confeſ. recoll. 5. ſub nu. 38.* cum alijs, quos
allegant. Etenim Sacramentum confeſſionis ex
primeua ſui inſtitutione fuit à Christo Domino
inſtitutum, vt ſit ſecunda tabula poſt naufragium
pro reconciliandis hominibus cum Deo, quoties
poſt Baptiſmum in peccata mortalia labuntur, vt
de fide definitum extat per *Conc. Trid. ſeſſ. 14.
can. 1.* at peccata venialia non cauſant naufra-
gium, cùm non ſeperent à gratia Dei; atque
non indiget præfata reconciliatione, vt patet ex
eodem *Conc. Trid. cap. 5.* Quæ diximus de præ-
cepto Diuino, & de præcepto confeſſionis ſemel
30 ſaltem in anno in noſtro canone contento ex-
tendimus ad præceptum cõfitendi ſingulis men-
ſibus, ſactum Religioſis familiæ D. Benedicti,
de quo in *Clem. 1. de ſtatu monach.* & ad eiuſ-
modi præcepta nonnullarum Religionum, quæ
ſtatutum habent, vt ſingulis menſibus, aut he-
domatibus ſua peccata confiteantur. Etenim præ-
dicta Clementina, & Regularium ſtatuta non
obligant Religioſos non habentes peccata mor-
talia; ſed tantum venialia: ſed præfati Regulares
arctantur ſingulis menſibus, vel hedomatibus;
ſicut vi noſtri canonis arctantur fideles ſingulis
annis. Ita *Gloſ. in d. Clem. 1. Innoc. in explic. no-
ſtri canon. Maior in 4. d. 17. q. 2. Sot. ibidem, d.
18. q. 1. alias 2. art. 3. Palud. d. diſt. 17. q. 2.
Viuald. in candelab. aur. de confeſ. nu. 52. Veiga
lib. 3. Introd. cap. 30. Ledeſma 2. 4. q. 5. art. 3. &
q. 22. art. 1.* Et quamuis *Laym. in ſua ſum. lib. 5.
tract. 6. cap. 3.* contrariam ſententiam putet eſſe
veram ſequutus *Vaſq. Suar.* & alios Doctor. ab
eo relatos, nihilominus priorem opinionem te-
ſtatur *Fagund. de præcep. Eccl. lib. 2. cap. 2. ſub
nu. 17.* veriorem, & communiorem eſſe. Non
31 tamen admittenda eſt doctrina *Alenſ. par. 4. q.
77. memb. 1. art. 1. & 2.* & aliorum dicentium,
obligatum ratione ſtatuti generalis, aut particu-
laris ad confitendum, ſi mortalem culpam non
habeat, ſatisfacere venialia generaliter confi-
tendo, atque adeò dicat, ſe eſſe peccatorem, aut
in multis deliquiſſe, ſaltem venialiter. Etenim
huiuſmodi doctrinæ communis bonorum con-
feſſariorum praxim repugnare teſtatur *Laym.
loco citato,* non is ſiquidem Sacramentum pœni-
tentiæ cùm conferatur per modum iudicialis
abſolutionis, conſtat conueniens omninò eſſe, vt
certa materia clauibus ſubijciatur; quapropter
licèt aliquis nulla lege teneatur confiteri ve-
nialia, poſito tamen quod ſacramentaliter con-
fiteri velit, & abſolui, debet aliquod peccatum
in ſpecie explicare.

Secundò ampliatur, vt adeò non habens niſi
venialia excuſetur à præcepto cõfeſſionis, vt nec
32 obligetur ſub veniali ex præcepto Eccleſiæ con-
fiteri

fiteri venialia in Quadrageſima, ſi mortalibus careat, vt habetur ex *Angel. idem confeſſio* 2. *nu.* 27. *Scot. in* 4. *d.* 17. *q.* 1. *Gloſ. in explic. noſtri canon. & Fagund. loco citato, cap.* 2. *ſub nu.* 9. Etenim nec Eccleſia ſuo præcepto, nec Chriſtus Dominus pręcepto Diuino confeſſionis de facto voluit obligare fideles ad confeſſionem venialium ſub aliquo peccato veniali: ſiquidem venialia non diſſoluunt Dei amicitiam, & multis modis, ac medijs remitti poſſunt: aliàs venialia
33 non eſſent materia merè ſufficiens, ac voluntaria. Vndè patet ſolutio ad obiectum, ſi fieret de eo qui emiſit votum de re minima, aut iuramentum, & ea non adimpleuit, nam licèt peccet venialiter ex *Nauar. in ſum. Latina, cap.* 12. *nu.* 10. *&* 40. & alijs relatis à *Fagund.* ibi, non tamen contraheret culpam aliquam in caſu noſtro, quia nec Diuinum, nec humanum extat præceptum, quod obligat non habentem niſi venialia, ad venialem culpam ſi non confiteatur, at in voto, ac iuramento obligantur fideles ſub præcepto ſimpliciter, atque ideò obligantur fideles tranſgredientes ad mortale, vel veniale, prout materia datur magna, aut parua.

Tertiò ampliatur in habente venialia dumtaxat, tàm ſi vnum tantùm veniale habeat, quàm
34 ſi plura, quia eadem ratio militat in vtroq; caſu, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Imò idem dicendum eſt, ſi venialia tantùm habeat propinqua mortalibus, vt rectè probat *Fagund. d. cap.* 2. *nu.* 10. & id ob rationem ſupra allatam, nempe quod Sacramentum pœnitentiæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium baptiſmi ad tollenda peccata mortalia: at peccata venialia non ſunt cauſa naufragij, vt latè oſtendimus ſupra *ampl.* 1. quantumuis proxima ſint mortalibus; ſiquidem peccata venialia quantumuis grauia ſint à gratia Dei non excludunt.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt licèt habens tantùm venialia, non teneatur con-
35 feſſionis præcepto Diuino, nec humano, tenetur tamen ſiſtere Sacerdoti ſtatuto tempore ſub lethali culpa ad tollendum ſcandalum, & dicat ſe nullius mortalis culpæ eſſe conſcium, ſed multis venialibus deliquiſſe. Quod verum eſt, & locum ſibi vendicat non ſolùm ad implendum præceptũ confeſſionis, & communionis in noſtro canone contentum; verum etiam ad implendum præceptum, *d. clem.* 1. *de ſtat. Monach.* & ſtatutaria præcepta aliarum Religionum, de quibus ſupra egimus. Ita *D. Thom. in* 4. *d.* 16. *&* 17. *q.* 1. *quæſtiun.* 4. *ad primum, Syl. in ſua ſum. verb. Confeſſio* 2. *nu.* 14. & alij apud *Fagund. loco cit. n.* 17.

Secundò limitatur, vt ita demum habens tantum venialia non teneatur præcepto confeſſionis, ſi certò ſciat habere ſolùm venialia: ſecus autem ſi dubitet de aliquo, vel de omnibus, an ſint mortalia: ſi quidem in dubio æquali, quis tenetur dubia peccata mortalia confiteri, vt ſuo loco, Deo duce, dicemus: imò huiuſmodi peccata dubia poſſunt reſeruari, vt rectè docet *Fagund.* poſt alios *d.* 1. 2. *nu.* 11.

Tertiò limitatur, vt venialia tantùm habens teneatur confiteri ad iubilæum conſequendum,
37 quando ſcilicet in eo expoſtulatur confeſſio, quantumlibet mortalibus careat, vt habetur ex *Sot. in* 4. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 3. *Sanch. lib.* 8. *de matrim. diſp.* 15. *nu.* 19. *Corduba lib.* 5. *quæſt.* 9. 28. *Vinal. in candel. aureo, de confeſ. nu.* 53. & hanc ſententiam probabiliorem eſſe inquit *Fagund. loco citato*, quamuis oppoſitam ſatis probabilem exiſtimet, tum quia tutius eſt alicuius ſaltem peccati venialis confeſſionem præmittere, tum etiam quia oppoſita ſententia licèt habeat nonnullos graues Doctores pro ſe, nempe *Henriq. lib.* 7. *de Indulg. cap.* 2. *nu.* 2. *Suar. tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 52. *ſec.* 3. *nu.* 5. *& ſeq. Coninch. de Sacram. diſp.* 12. *dub.* 7. *nu.* 38. *verſ. Nota*, nihilominus eorum fundamenta facilè diſſoluuntur, tum denique quoniam prioris ſententiæ Doctores mouentur fortiori fundamento, nempe, quod hæc eſt vna, & potiſſima conditio, quam exigit Romanus Pontifex ad Iubilæum comparandum, vt fideles ſcilicet confeſſi accedant. Nec pueri, & ſenes illud lucrabuntur ſi ieiunium exigat, & non ieiunent, & tamen pueri, & ſenes à ieiunio, quod ab Eccleſia præcipitur, excuſantur.

Quartò limitatur dicta concluſio, vt licèt habens ſolum peccata venialia non teneatur, nec
38 præcepto diuino, nec naturali, nec Eccleſiaſtico ſacramentaliter confiteri, poteſt tamen præcipi ab Eccleſia confeſſio venialium quoad exercitiũ actus, non autem quoad ſpecificationem, nempè non poteſt præcipere Eccleſia confeſſionem venialium ſpecificè, nempe, vt confeſſio integrè, & perfectè fiat, quia poteſt eſſe confeſſio valida citra confeſſionem venialium, cum venialia non ſint materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, ſed tantùm ſufficiens, nec Eccleſia poteſt mutare materiam Sacramenti ſufficientem, & voluntariam in neceſſariam: ſed rectè poteſt præcipere vſum confeſſionis, ſiue fideles mortalia habeant, ſiue tantum venialia, & id ex aliqua iuſta cauſa puta ad maiorem gratiam ſuſcipiendam pro publica neceſſitate, vel obſeruantia monaſticæ diſciplinæ, vt habetur ex *Filliuc. tract.* 7. *de ſacram. nu.* 106. *& ſeq. Suar. de pœnit. diſp.* 18. *ſec.* 1. *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll.* 5. *nu.* 40. & ex alijs: ſiquidem in huiuſmodi præcepto nihil eſt alienum ab inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ, neque continet aliquid excedens materiam ipſius; ſed eſt quodam opus Religionis, quod à fidelibus frequenter, & facile exerceri valet, & in aliqua occaſione, poteſt prudenter iudicari valdè conueniens ad placandam Dei iram in aliqua publica neceſſitate, & in alijs caſibus ſimilibus, vt ſuo loco latius, Deo duce, dicemus.

Datur denique quinta cauſa excuſans fideles à præcepto confeſſionis annuæ, quæ eſt diſpenſatio
39 à Romano Pontifice, vel etiam ad tempus ab Epiſcopo: quod tamen quomodo procedat rectè declarat *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll.* 18. *nu.* 53.

Ibi, *Omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter, &c.* De qualitate confeſſionis annuæ, eiuſdemq; conditionibus requiſitis ad ſatisfaciendum præcepto noſtri can.

DISP. II.

TRactauit ſupra Concilium de perſonis, quæ ligantur præcepto confeſſionis annuæ, & quoniam dubitari poterat de eiuſdem qualitate, & conditionibus, meritò de his agit, inquiens, *Omnia ſua ſolus peccata, &c.* Nos autem

ad huius rei faciliorem explicationem, antequam præfata canonis verba explicemus, ſequentes ſectiones præmiſimus enucleandas.

An adimpleatur præceptum confeſſionis annuæ per confeſſionem inualidam.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum confitendi ſemel in anno per confeſſionem inualidam ex cauſa culpabilis integritatis adimpleri, qui doceant.*

2 *Præceptum ieiunij, & miſſæ adimplet, qui in actu adimpletionis peccat.*

3 *Eccleſia poteſtatem non habet niſi in homines ſenſibiles, & animas corporibus vnitas; nec pro actu purè interno poteſt ferre excommunicationem.*

4 *Præceptum confeſſionis annuæ non impletur per confeſſionem inualidam.*

5 *Confeſſio ſemel ſaltem in anno, & integra Sacramenti pœnitentiæ ſuſceptio præcipitur in hoc canone.*

6 *Finis Sacramenti pœnitentiæ eſt peccatorum remiſſio, & hominis iuſtificatio.*

7 *Præceptum confeſſionis tam diuinum, quam Eccleſiaſticum non impletur per inualidam confeſſionem, ſiuè id ſit ex parte pœnitentis, ſiuè confeſſarij.*

8 *Confeſſionem nullam ſi quis fuerit in articulo mortis, vel ad dignè ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, & conualuerit, vel Sacramentum ſumpſerit, & fuerit elapſum tempus paſchale, non tenetur adimplere præceptum diuinum validè confitendo poſt quam reſipuerit, niſi velit de nouo communicare, vel celebrare Miſſam,*

9 *Temporis deſignatio in hoc can. non apponitur ad tollendam obligationem eo elapſo, ſed ad non differendum ſine cauſa vltra illud.*

10 *Ignorantia, & bona fides proueniens ex particulari errore non excuſat, ſecus ſi ex communi.*

11 *Publica æſtimatio tribuit confeſſario iuriſdictionem.*

12 *Præceptum Clem. 1. de ſtatu monach. & quod fieri ſolet regularibus de confitendo ſingulis menſibus, vel hedomatibus non impletur per confeſſionem inualidam.*

13 *Confeſſus cum ſufficienti dolore integrè, ſi repentino caſu non abſoluatur non implet præceptum annuæ confeſſionis.*

14 *Nulliter confeſſus incidit in pœnas huius can. & aliorum Iurium.*

15 *Pœna dicit eſſentialiter ordinem ad culpam.*

16 *Vſurarij, & alij peccatores qui eorum culpam nulliter confitentur non excuſantur à cenſuris.*

17 *Præcepto annuæ confeſſionis non contrauenit is, cui à confeſſario ad eum experiendum differtur abſolutio durante tempore præfixo.*

18 *Confeſſionem validam, & informem faciens implet præceptum annuæ confeſſionis.*

19 *Præceptum annuæ confeſſionis præcipitur, & quo ad ſubſtantiam actus, & quoad modum; Miſſæ verò, & Ieiunij quo ad actus ſubſtantiam tantum.*

20 *Actus abſolutè interni ab Eccleſia præcipiuntur quatenus ſunt forma, & principium actuũ externorum.*

21 *Noua conſtitutio Principis tollit priorem contrariam.*

22 *Tex. in cap. quod quidem de pœnit. & remiſſ. explicatur.*

IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam
1 prima ſententia eſt *Palud. in 4. d. 17. q. 7. Gabr. ibidem, q. 1. art. 3. dub. 5. Syl. ver. Confeſſio 4. nu. 3. Cordub. in ſum. q. 5. & lib. 9. Theol. q. 6. Rodriq. par. 1. ſua ſum. cap. 56. concl. 6.* &
aliorum exiſtimantium adimpleri præceptum
confitendi ſemel in anno per confeſſionem inualidam ex cauſa culpabilis integritatis, aut quia
pœnitens ad confeſſionem non acceſſit ſufficien-
2 ter attritus. Probatur hæc ſententia primò, quòd
ſicut adimplet præceptum Miſſæ, ieiunij, &c. qui
in actu adimpletionis peccat, vt habetur ex *Sãch. lib. 1. ſua ſum. cap. 14. nu. 1.* Ita etiam impleri
poteſt præceptum confeſſionis annuæ, quamuis
ſit inualida, vt quia culpabiliter non ſit integra,
aut non ſit informata ſufficienti attritione. Secundò probatur ex eo quòd Eccleſia non iudicat
3 de internis, & occultis actibus; ſed tantùm de
externis, vt in *cap. tua nos, de Simon.* Eſt enim
Eccleſia ſenſibilis, & ideò ſicut directè poteſtatem non habet, niſi in homines ſenſibiles, & in
animas non niſi corporibus vnitas, ita etiam poteſtatem non habet in actus purè internos, &
propterea ſicut non poteſt ferre excommunicationem pro actu purè interno, vt nos latè oſtendimus in noſtris *Comment. in Bull. cœn. lib. 2. can. 1. q. 24. nu.* 10. & 11. ita etiam non poteſt præcipere confeſſionis actum internum, ſed externum dumtaxat. Siquidem ob id ait *tex. in d. cap. tua nos, Nobis datum eſt de manifeſtis tantummodo iudicare.* Denique probatur ex *tex. in cap. quod quidam ſupra eo. tit. noſtro,* vbi præcipitur recipi confeſſionem eorum, qui animum peccandi non depoſuerunt.

His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt
4 communis, vel ſaltem communior ſententia,
quam tenet *Duran. in 4. d. 17. q. 14. & 15. Dom. Sot. ibidem d. 18. q. 3. art. 3. Petr. Sot. lect. 8. de confeſ. in fin. Medin. q. 24. in fin. Suar. de pœnit. diſp. 36. ſec. 7. nu. 3. Coninch. diſp. 5. de ſacram. dub. 9. nu. 68. P. Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. de pœnit. cap. 10. nu. 26. & 27. Sa ver. confeſ. n. 1. Laym. in ſum. lib. 5. tract. 6. cap. 3. nu. 11. Nauar. in Manuali, cap. 10. nu. 4. Adrian. q. 5. de confeſ. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 64. Paul. Comitul. lib. 1. reſp. moral. q. 19. in fin. §. enunciatum igitur veriſſimum, Viuald. in Candel. aur. de confeſ. nu. 51. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 1. cap. 4. nu. 5.* & nouiſſimè *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. nu. 4. cum plur. ſeq.* Omnes iſti Doctores, quorum multi teſtantur de communi, & vera,
negant præceptum confeſſionis annuæ impleri
per confeſſionem inualidam. Etenim vi noſtri
5 canonis non tantum præcipitur confeſſio ſemel
ſaltem in anno; verum etiam integri Sacramenti pœnitentiæ ſuſceptio, vt patet ex illis verbis noſtri canon. *Omnia ſua, & iniunctam ſibi pœnitentiam, &c.* Et nos latè ſupra oſtendimus in præfat. Sacramentum autem integrè non ſuſcipitur, niſi in eo concurrat valida peccatorum confeſſio: ergò per confeſſionem validam non autem inualidã impletur præceptũ confeſſionis annuæ,

Con-

Digitized by Google

Confirmatur, quia huiuſmodi præceptum eſt de-
terminatio temporis, quo obliget præceptum
Diuinum confeſſionis, & nihil eidem addit, vel
detrahit, vt ſupra oſtendimus *diſp. 1. ſec. 2. con. 9.*
& patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. Sed præ-
ceptum Diuinum non impletur niſi per validam
6 cõfeſſionem, aliàs finis prædicti præcepti, nempè
remiſſio peccatorum, & iuſtificatio hominis non
obtineretur, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp.*
25. ſec. 4. nu. 1. Henr. lib. 4. cap. 5. §. 1. Petr. Sot.
de confeſ. lect. 8. in fin. Saà ver. Confeſſio, nu. 1.
& hanc opinionem communem eſſe teſtatur,
Coninch. d. diſp. 5. nu. 68. P. Molfeſ. d. nu. 26. &
alijs apud *Alph. de Leon. loco citato, ſub nu. 42.*
ergò nec impletur præceptum cõfeſſionis annuæ
per confeſſionem inualidam. Deniq; ſicut Chri-
ſtus Dominus præcipit confeſſionem propter ab-
ſolutionem peccatorum, ita & Eccleſia in noſtro
canone, ſed qui facit confeſſionem inualidam ex
defectu integritatis, aut attritionis non eſt dignus
abſolutione peccatorum: ergò qui ſine abſolutio-
ne valida à Sacramento pœnitentiæ recedit, nec
præceptum Diuinum implet, nec Eccleſiaſticũ.

Ampliatur primò præfata concluſio, vt per
confeſſionem validam non impleatur præceptũ
7 confeſſionis tàm Diuinum, quàm Eccleſiaſti-
cum, ſiue confeſſio nulla ſit ex parte pœnitentis,
vt quia culpabiliter non fuerit confeſſus peccata
omnia mortalia, aut ſufficientem attritionem non
habeat; ſiue nulla ſit ex parte confeſſarij, qui
non habebat iuriſdictionem, vel intentionem ab-
ſoluendi, vt habetur ex *Henriq. lib. 4. cap. 5. §. 1.*
Petr. Sot. de confeſ. lect. 8. in fin. Saà ver. Con-
feſſio, nu. 16. Suar. de pœnit. diſp. 25. ſec. 4. nu. 1.
Fagund. loco citato, & alij, qui addunt, quòd ſi
confeſſio inualida ſit ex cauſa Sacerdotis, tunc
pœnitens licèt excuſetur à peccato, & tranſgreſ-
ſione præcepti tàm Diuini, quàm humani; re
ipſa tamen non implet præceptum; atque ideò
quandocunq; ſibi conſtiterit de nullitate confeſ-
ſionis ex parte confeſſoris tenetur implere præ-
ceptum de nouo confitendo, & perfectionem Sa-
cramenti procurare. Arbitror tamen quòd ſi
confeſſionem nullam quis fecerit in articulo
mortis, vel ad dignè ſumendum ſanctiſſimum
8 Euchariſtiæ Sacramentum, & conualuerit, vel
Sacramentum ſumpſerit, & fuerit elapſum tem-
pus Paſchale, tunc licèt teneatur implere præ-
ceptum confeſſionis annuæ faciendo confeſſio-
nem validam cum primum potuerit; non tene-
tur tamen implere præceptum Diuinum validè
confitendo poſtquam reſipuerit, vel poſt tempus
Paſchale, niſi velit denuò communicare, aut ce-
lebrare Miſſam. Quod quidem quamuis verum
ſit citra dubium aliquod de confeſſione inualida
in articulo mortis repetenda poſt reſipiſcentiam,
& ad dignè ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtię
Sacramentum extra tempus Paſchale iam ſum-
ptum, non tamen omnes Doctores ſunt concor-
des in confeſſione nulla facta ad implendum
præceptum communionis in Paſcha: nam licèt
quidam velint quem non teneri communicare
poſt Paſcha, atque adeò nec confiteri ad dignam
communionem percipiendam, ſed poſſe tutâ
conſcientia in ſequentem annum protendere, vt
docet *D. Anton. 2. par. tit. 9. cap. 9. §. 53. Sylu.*
ver. Euchariſtia 3. q. 15. dicto 3. Tabien. ver.
Communicare, nu. 10. Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4.
& alij; attamen in contrarium eſt verior opinio,
quam tenent *Maior. in 4. d. 27. q. 2. §. contra*
recidiuum ad fin. Palud. ibidem, d. 12. q. 1. art. 5.
concl. 1. Nauar. in Man. latino, cap. 21. nu. 45.
Suar. de pœnit. diſput. 36. ſec. 3. nu. 3. Fagund. de
pracep. Eccleſ. pracep. 3. lib. 1. cap. 6. nu. 2. & alij,
dicentes, ſublato impedimento, teneri ſtatim
poſt Paſcha pręceptum Euchariſtiæ implere illũ,
qui tempore Paſchatis non impleuit. Etenim
eadem eſt ratio de pręcepto confeſſionis, ac com-
munionis ſemel in anno faciendæ, ſed qui
tempore quadrageſimę non eſt confeſſus, tenetur
ſtatim ſublato impedimento ex præcepto confi-
teri, vt rectè probat *Nauar. loco citato, & Suar.*
d. diſt. 36. ſec. 3. nu. 2. cum alijs relatis à *Fagund.*
de pracep. Eccl. pracep. 2. lib. 1. cap. 4. nu. 15. ergò
etiam obligabitur ſublato impedimento com-
9 municare. Siquidem temporis deſignatio, quæ
apponitur in noſtro canone, non apponitur ad
tollendam obligationem eo tempore elapſo, ſed
apponitur ad non differendam vltra illud tempus
ſine cauſa: & re vera non videtur aliter dici poſſe
nam Iudæis olim præceptum fuit, vt primo menſe
anni Paſcha colerent; & tamen ſi primo menſe
impediti Paſcha non celebraſſent, id ſecundo
menſe egiſſent, vt docet *Palud. in 4. d. 17. q. 2.*
art. 5. in 2. caſu, & d. 12. q. 1. art. 5. col. 1. & Fa-
gund. d. pracep. 3. lib. 1. cap. 6. nu. 2. vbi contraria
ſoluit.

Illud tamen nolo eſſe hoc loco ſilentio præ-
10 tereundum, quod docet *Suar. de cenſur. diſp. 11.*
ſec. 2. nu. 14. ex Vgol. & alijs, nempè quòd tunc
pœnitens nulliter confitetur confeſſario carenti
iuriſdictione, quamuis bona fide, & ignorans de-
fectum iuriſdictionis illi confiteatur, quando
ignorantia prouenit ex ſolo priuato, & particu-
lari errore; ſecus autem ſi proueniat ex communi
errore, & publica æſtimatione, vt quia confeſſa-
rius in vno loco cùm eſſet nominatim excommu-
nicatus, aut publicus clericorum percuſſor, atq;
ideò iuriſdictione priuatus, receſſit ad alium lo-
cum remotiſſimum, in quo fuerit creatus Vica-
rius Epiſcopi in ſua Diœceſi, in qua communi-
ter exiſtimabatur cenſura abſolutus: ſiquidem ſi
aliquis tali Vicario bona fide, ac ignorans eiuſ-
dem excommunicationem confiteatur, tunc &
eo caſu facit confeſſionem validam; nam quam-
uis excommunicatus denunciatus, & publicus
clericorum percuſſor ſint iuriſdictione priuati;
nihilominus cùm ignorantia confitentis proue-
niat ex communi, & publica æſtimatione, hæc
hęc ipſa publica æſtimatio tribuit ipſi confeſſario
11 iuriſdictionem, *arg. text. in l. Barbarius, ff. de*
offic. Pretor. atque ideò confeſſio huiuſmodi
pœnitentis non poteſt dici inualida ex defectu
iuriſdictionis confeſſarij, ſed valida ſi alias ha-
beat conditiones.

Secundò ampliatur, vt quæ diximus de præ-
cepto Diuino confeſſionis, & de præcepto confi-
12 tendi ſemel ſaltem in anno, extendatur etiam ad
præceptum contentũ in *clem. 1. de ſtat. Monach.*
& ad alia præcepta quæ fieri ſolent à Regulari-
bus de confitendo ſingulis menſibus, vel hedo-
madibus: huiuſmodi enim præcepta non adim-
plentur quoque niſi per confeſſionem validam:
ſiquidem finis prædictorum præceptorum non
eſt alius, quàm vt Regulares à peccatis ſoluantur,
& per frequentes confeſſiones ſacramentales
faci-

Digitized by Google

facilius ad perfectionem perueniant:quę quidem
finē non poteſt quis aſſequi, niſi per cōfeſſiones
validas, non autem per confeſſiones inualidas,
ac ſacrilegas, ſiue inualida ſint ex defectu pœ-
nitentis, ſiue ex defectu confeſſarij modo ſupra
explicato, cum militet eadem ratio, *arg. tex. in
l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

Tertiò ampliatur ſupradicta concluſio, vt adeò
præceptum confeſſionis, & alia ſupra relata,
13 non impleantur per confeſſionem inualidam; vt
nec quidem ſatisfaciat præcepto confeſſionis is,
qui omnia peccata fuit confeſſus cum ſufficienti
dolore, & repentino aliquo caſu non abſolue-
retur poſt factam integram confeſſionem: ſiqui-
dem in noſtro canone, & in alijs ſimilibus, &
ſtatutis Regularium non præcipitur confeſſio
abſolutè, ſed præcipitur integrum Sacramentum
pœnitentiæ, aliàs non quis poſſet aſſequi finē ſu-
pra relatū, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 36.
ſec. 7. nu. 3. Fagund. de ſecundo pracep. Eccl. lib.
1. cap. 4. nu. 9. & P. Alph. de Leon. de offic. &
poteſt. confeſ. recoll.* 18. *nu.* 47. Et multo minus
ſatisfacit præcepto is, qui licèt omnia peccata
fuit confeſſus, nihilominus ſua culpa non poteſt
abſolui; quia cùm non interueniat abſolutio, de-
ficit pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ, atq;
adeò talis confeſſio non poteſt dici ſacramenta-
lis, prout præcipitur ab Eccleſia, vt rectè docet
Azor. Bonac. & Poſſeuin. relati à *P. Alph. loco
citato, ſub nu.* 50. qui quidem Poſſeuinus docet
quoque modum, quo ſe debet habere Curatus
in danda ſchedula perſonis, quæ ab ipſo Curato
non poſſunt abſolui ob inimicitias, vt in *cap. 7,
in ſuo tract. de offic. Curati.* Vndè vſurarij, me-
retrices, & alij huiuſmodi peccatores, qui non
poſſunt abſolui à confeſſario, eo quòd nolunt
effugere proximam occaſionem peccandi, aut
relinquere peccatum, proculdubio non ſatisfa-
ciunt præcepto confeſſionis annuæ, vt in ſeq.
ampl. latius explicabimus.

Quartò ampliatur, vt per confeſſionem culpa-
biliter inualidam adeò non impleatur præceptū
14 confeſſionis annuæ, vel meſtruæ, vt ſupra, vt
confitentes non effugiant pœnas in hoc canone,
& ſinodalibus, ac Regularium conſtitutionibus
contentis, ſi regulares ſint, & in alijs iuribus, vt
habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 36. nu. 3. & 4.
Fagund pracep. 2. Eccl. lib. 1. cap. 4. nu. 5. & 6.*
& ex alijs. Dixi *Culpabiliter*. Ex parte ſcilicet
confitentis; ſecus autem ex parte confeſſarij, quo-
niam cum id ſine culpa confitentis contingat,
ceſſat pœna impoſita ob talem culpam; eo quòd
15 pœna dicit eſſentialiter ordinem ad culpam;
atque adeò ſicut non excuſantur vſurarij, mere-
trices, concubinarij, & alij peccatores, qui nul-
liter fuerunt confeſſi, eo quòd nolunt eorum
peccata relinquere, vel peccatorum occaſionem
vitare ab excommunicationibus, & pœnis tàm
iuris, quàm ſynodalibus, vt latè poſt alios *Fa-
gund. loco citato*: ita ab eiuſmodi cenſuris, &
pœnis excuſantur qui culpa confeſſarij confeſſio-
nem nullam fecerunt, vel quia repentino aliquo
caſu non fuerunt abſoluti; eo quòd inculpabili-
ter fuerunt confeſſi, vt poſt alios *Fagund.* ibi,
*Suar. de pœnit. d. 36. ſec. 8. nu. 10. in fin. Coninch.
de ſacram. diſp. 5. nu. 72. & Alph. de Leon. d.
recoll. 18. nu. 47. & 48.* Eſt tamen verùm, quòd
16 licèt Vſurarij, Meretrices, & alij Peccatores, qui
culpa eorum nulliter confitentur non excuſen-
tur à ſupradictis cenſuris, & pœnis; cùm nullam
cauſam habeant, ob quam non comprehendan-
tur; non tamen per Epiſcopos, & alios Prælatos
Ordinarios ſolent declarari excommunicati, nec
17 publicari, vt rectè declarant *Fagund. d. cap. 4.
nu. 11. Suar. d. ſec. 8. nu. 4. & Alph. de Leon. d.
recoll.* 18. *nu.* 50. vbi etiam *nu.* 51. addit poſt
alios, quòd quando à Confeſſario abſolutio dif-
fertur ad pœnitentem experiendum, ſi reſtituat,
vel perſeueret in bono propoſito, per illud tem-
pus vſque ad terminum præfixum à confeſſario,
non dicitur contrauenire præcepto, nec incidit
in cenſuras, & pœnas contra contrauenientes
latas: elapſo verò dicto termino, ſi non compa-
reat coram confeſſario, qui eum vt emendatum
abſoluat, tunc incipit contrauenire, & contra-
here cenſuras, & pœnas ſupradictas. Ita *Henriq.
par. 1. ſua ſum. cap. 56. concl. 7.*

Sic ampliata limitatur ipſa concluſio, vt non
habeat locum in eo, qui confeſſionem facit in-
18 formem, ſed validam: ſed quoniam valdè con-
trouertitur inter Doctores, an detur confeſſio
valida, ſed informis; idcirco de hac re ſec. ſeq.
videbimus.

Reſtat modo, vt ad contraria reſpondeamus.

AD primum reſpondetur eſſe maximum di-
ſcrimen inter preceptum Miſſæ, & ieiunij,
19 & inter præceptum confeſſionis: ſiquidē
confeſſio præcipitur ab Eccleſia ſemel ſaltem in
anno, prout de iure Diuino fieri expoſtulatur;
atque adeo non tantùm quoad ſubſtantiam actus
ſed etiam quoad modum, cum debita ſcilicet de-
teſtatione, & cum requiſitis ad validam confeſ-
ſionem, præcepta verò Miſſæ, ac ieiunij, & alia
eiuſmodi præcipiuntur tantùm quoad ſubſtan-
tiam actus; nimirum ſi adimplentur, etiam ſi in
actu adimpletionis culpa contrahatur.

Ad ſecundum reſpondetur quòd Eccleſia licèt
non poſſit obligare, & præcipere actus internos,
20 per ſe, & abſolutè, quatenus actus interni ſunt,
poteſt tamen eos præcipere quatenus ſunt formæ,
& principia actuum exteriorum: ſiquidem præ-
cipiendo orationem vocalem, præcipit etiam
attentionem internam, quæ eſt veluti forma, &
principium orationis: ergò eodem modo præci-
piendo confeſſionem cenſetur etiam præcipere
attritionem, quæ eſt forma, & principium con-
feſſionis, vt ſuo loco dicemus.

Ad tertium ex *tex. in cap. quod quidam ſupra
eo. tit. noſtro*, vbi præcipitur recipi confeſſionem
21 eorum, qui animum peccandi non depoſuerunt,
reſpondetur primò, quòd *tex.* ille eſt antiquior
noſtro canone: & ideò per hunc cenſetur illi
derogatum: ſiquidem noua conſtitutio Principis
tollit priorem contrariam, quamuis de illa men-
tionem non faciat, vt in *cap. 1.* & ibi *Doctor. de
conſtit. in 6.* Secundò reſpondetur, & melius,
quòd *tex.* ille non ſtatuit, confeſſionem prædi-
ctam eſſe admittendam vti ſufficientem ad im-
22 plendum Eccleſiæ præceptum, ſed tantùm vt
peccatores iuuari poſſint, ac moneri à con-
feſſarijs.

An-

Digitized by Google

An præceptum confeſſionis annuæ impleatur per confeſſionem validam, ſed informem.

S E C. II.

S V M M A R I V M.

1 *Sacramentum confeſſionis validum, & informe quando dicatur.*
2 *Confeſſio valida, & informis dari poteſt ex parte pœnitentis tantum.*
3 *Præceptum confeſſionis annuæ, non impleri per confeſſionē validam, & informem qui negent.*
4 *Præceptum annuæ confeſſionis adimpletur per confeſſionem validam, & informem (ſuppoſito quod ea detur.)*
5 *Finis præcepti non cadit ſub præcepto.*

HAec quæſtio diſputatur, ſuppoſito, quòd
detur confeſſio valida, ſed informis, de
1 qua re infra ſec. ſeq. Deo duce, agemus.
Ad tituli autem explicationem eſt adnot. quòd
Sacramentum confeſſionis validum, & informe
dicitur, quando licèt quis ex tali confeſſione non
conſequatur gratiam; ipſam tamen confeſſionem
non tenetur repetere, quia fuit valida, ſed tan-
tùm tenetur remouere fictionem, & impedimen-
tum, vt redeat effectus gratiæ ſacramentalis.
Vndè confeſſio dicitur informis, quando licèt ſit
valida, eo quòd nihil deſit ad Sacramenti ſub-
ſtantiam; caret tamen effectu, atque ideò gratia,
ſeù forma, quæ introduci ſolet in animam. Ita
Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 7.
nu. 1. P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ.
recol. 18. *n.* 128. & alij. Eſt tamen verum, quòd,
vt ait *Fagund. loco citato, nu.* 2. confeſſio valida,
2 & informis dari poteſt tantùm ex parte pœni-
tentis, nempe ex defectu intentionis, ſuſcipiendi
Sacramentum, ex defectu integritatis confeſſio-
nis, vel ex defectu contritionis, ſeù attritionis,
vt benè declarat *Veg. in ſua ſum. de confeſ. cap.*
63. *par.* 1. *not.* 4. non autem ex parte confeſſarij:
ſiquidem confeſſarius, aut eſt legitimus habens
iuriſdictionem, ac intentionem abſoluendi, aut
non habens: ſi primum, & reliqua neceſſaria
concurrant ex parte pœnitentis, valida erit, &
formata confeſſio: quod ſi ſecundum inualida
erit huiuſmodi confeſſio.

In hac re pugnantes extant opiniones. Prima
ſententia eſt eorum, qui negant adimpleri præ-
3 ceptum confeſſionis annuæ per confeſſionem
validam, & informem, eſtò quod ſupponatur
dari confeſſionem validam, & informem. Mo-
uentur ex eo quòd finis præcepti confeſſionis
tàm Diuini, quàm Eccleſiaſtici non eſt alius, niſi
iuſtificatio hominis, & remiſſio peccatorum, vt
ſupra oſtendimus ſec. præced. ſed per confeſſio-
nem validam, & informem quis non conſequi-
tur iuſtificationem, atque ideo remisſionem pec-
catorum, ergò non aſſequitur finem præcepti,
ſiue præceptum Diuinum ſit, ſiue Eccleſia-
ſticum, atque ideò per confesſionem validam,
& informem, non implet præceptum confesſio-
nis. Confirmatur, quia confesſio valida, & in-
formis caret forma gratiæ, ergò per confesſionē
validam, & informem non impletur confesſio-
nis præceptum, quia per eam quis ex Dei inimico
non efficitur Dei amicus.

His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt
4 verior, & communior opinio, quam tenent *Sot.*
in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Petr. Sot. lect. 8. de pœnit.
Ledeſ. in 4. 2. par. q. 8. art. 2. dub. 12. Suar. de
pœnit. diſp. 35. ſec. 4. nu. 3. & diſp. 36. ſec. 7. nu. 7.
Coninck. diſp. 5. de pœnit. dub. 9. nu. 67. qui licèt
neget dari Sacramentum pœnitentiæ validum,
& informe, ſicut neget *Fagund. de præcep. Eccl.*
lib. 2. cap. 7. nihilominus ſuppoſito cum commu-
niori ſententia dari Sacramentum confesſionis
validum, & informe, per talem confesſionem
impleri præceptum confesſionis. Hanc eandem
opinionem ſequitur *P. Molfeſ. par. 1. ſua ſum.*
Theol. tract. 7. cap. 13. nu. 29. Filliuc. tom. 1. qq.
moral. tract. 7. cap. 3. q. 9. concl. 2. nu. 65. P. Alph.
de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. n. 52.
Vega. in ſum. de confeſ. cap. 63. pun. 5. & alij do-
centes dari confesſionem validam, & informem:
ſiquidem ferè omnes concedunt per talem con-
fesſionem impleri præceptum confesſionis, tàm
Diuinum, quàm Eccleſiaſticum. Mouentur ex
eo quòd per talem confesſionem impletur actus
præceptus quoad ſubſtantiam eius; ſiquidem ve-
rum Sacramentum recipitur, quod præcipitur
tùm iure Diuino, tum Eccleſiaſtico. Confirma-
tur, quoniam hæc ſententia fauet tranquillitati
animarum, & conſequenter in praxi tenendam
eſſe ait *Molfeſ. loco citato.*

Ad contraria modo facilè reſpondetur. Etenim
quamuis finis præcepti cōfesſionis ſit iuſtificatio
5 hominis, & remiſſio peccatorum; nihilominus
quod præcipitur eſt confesſio valida ſecundum
eius ſubſtantiam: quòd ex tali confesſione non
ſequatur iuſtificatio, ſeù remisſio peccatorum,
& ſic finis præcepti; id non attenditur: ſiquidem
finis præcepti non cadit ſub præcepto. Ad con-
firmationē reſpondetur, quòd forma gratiæ, ſeù
eiuſdem informatio eſt quidam modus actus
præcepti; qui modus per ſe loquendo non cadit
ſub præcepto.

An detur confesſio valida, & informis.

S E C. III.

S V M M A R I V M.

1 *Confeſſionem validam, & informem nullo modo poſſe dari qui teneant.*
2 *Confeſſionem validam, & informem poſſe dari, eſt ſententia communis.*
3 *Confeſſio eſt ordinata, ut per eam nota fiat confeſſario conſcientia pœnitentis.*
4 *Baptiſmum, cum lethali culpa, ſuſcipiens citra contritionem, vel ſaltem attritionem validè baptiſmum ſuſcipit, licet gratiam non conſequatur.*
5 *Attritio non eſt pars Sacramenti ſecundum ſe, ſed vt relata ad confeſſionem, & ut ſpontanea voluntas.*
6 *Omnia quæ requiruntur ad Sacramentum pœnitentiæ, requiruntur ad ipſius Sacramenti effectum, ſub diuerſa tamen formalitate.*

DIfficultatem præcedentis ſec. explicauimus,
ſuppoſito quod detur confeſſio valida, &
1 informis: verùm quia magna eſt contro-
uerſia inter Doctor. an detur ipſa confeſſio va-
lida, & informis, meritò de hac re duximus di-
ſcutiendum. Pro parte autem negatiua ſunt Do-
ctores magni ponderis, nempè *Maior. in 4. d. 17.*
q. 9. Gabr. ibidem q. 1. art. 3. Medin. cap. de

confeſ.

confeſ. fict. iter. q.20. Vaſq.tom.4. de pœnit.q.92. art.2.dub.1.nu.13. Coninch. diſp. 4. de ſacram. nu.11. Fagnnd. de præcep. Eccleſ. præcep.2.lib.2. cap.7.nu.11. Adrian. q.4. de confeſ. §. ſed quid craſſa ignorantia, Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. de ſacr. pœnit. cap.9.nu.2. Et alij Recentiores exiſtimantes nullo modo poſſe dari confeſſionem validam, & informem; atque adeò vniuerſim negant Sacramentum pœnitentiæ poſſe eſſe informe, & validè conferri ſecundum eſſentiam citra collationem gratiæ. Mouentur ex eo, quòd Sacramentum pœnitentiæ hoc proprium habet, ac peculiare, vt debita ſuſcipiatur diſpoſitione, cum dolore ſcilicet de peccatis commiſſis, qui dolor ſit pars eſſentialis Sacramenti, vt habetur ex *D. Thom. in 4.d.23.q.1. art. 4. quæſt.2.* atque ideò ipſe dolor, ſeù attritio ſi adſit, & ſit ſupernaturalis, Sacramentum non ſolum erit validum, ſed etiam gratiam conferet: ſi verò deſit, licèt inuincibiliter exiſtimetur adeſſe, Sacramentum non valebit, cùm eſſentialem partem non habeat. Confirmatur, ſiquidem omnia, quæ ſatis ſunt ad conficiendum Sacramentum expoſtulantur quoque ad producendum effectum ipſius Sacramenti; ergò quando non producitur effectus, nempè gratia, non conficitur Sacramentum: ergò non datur Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, & ſic confeſſio valida, & informis.

Hec ſententia re vera videtur nobis valdè pro-
2 babilis: verum cõtraria ſententia eſt magis communiter recepta, & apud nonnullos iudicatur communior, & verior, & quamplurimos Doctores magni ponderis, & numero multo plures habet pro ſe: ſiquidem ipſam tenent *D. Thom. in 4.d.17.q.3.art.4.q.1. Capreol. ibidem, q.1.art.3. ad 4.contr.2.concl. Rich. & Palud. eodem loco, q.8. Petr. Sot. de confeſ. lect. 8. & Caiet. tom. 1. opuſc. tract.5.q.5. Dom. Sot. in 4.d.18.q.3.art.3. Can.par.5. relect. Ledeſ. 2.p.4.q.8. art.1.dub.4. & q.31. art.2. Nauar. in ſum. cap. 9. nu. 10. & in cap. fratres, de pœnit. d.5.nu.35. Syl. ver. Confeſſio 1.q.23. Suar. de pœnit. diſp. 20. ſec.5. nu.7. Reginal. lib.6. ſuæ prax. nu.168.* qui poſt *Couar.* dicit eſſe magis communiter receptam, & poſſe tuto ſequi, *Henriq. lib. 4. cap. 36. de Pœnit. P. Molſ. tract.7. cap.13.nu.34.* qui teſtatur eandem opinionem eſſe communiorem, & veriorem *Valent. & Bonac.* quos refert, & ſequitur *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſſ. recoll. 18. ſub nu.129.* & nouiſſimè *P. Dian. par. 1. de ſacram. tract. 4. reſol. 65.* Omnes prænarrati Doctores cum alijs ab eiſdem allegatis docent poſſe dari confeſſionem quatenus eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, validam quoad ſubſtantiam, ſed informem ſine gratia, & charitate. Probatur primò, quia confeſſio eſt ordinata, vt per eam
3 nota fiat confeſſario conſcientia pœnitentis: quod quidem fieri poteſt, licèt confeſſio ipſa fiat ſine charitate: Siquidem peccator in peccato exiſtens poteſt fideliter manifeſtare omnia peccata, eidemque eadem ſubijcere, vt remedia præbeat: ergò poteſt dari confeſſio valida, & informis. Secundò effectus eſt poſterior ſua cauſa, illamque præſupponit perfectam: at Sacramentũ eſt cauſa, & gratia eſt effectus; ergò dari poteſt Sacramentum confeſſionis validum ſine gratia, atque adeò informe. Nec obſtat ſi dicatur, quòd licèt effectus ſit poſterior, nihilominus dàta cauſa, dari quoque debet effectus; quoniam reſpondetur nõ implicare eſſe aliquid in rerum natura, & non operari: ergò non implicat eſſe cauſam, & non producere effectum. Et re vera id cõſtat in omnibus Sacramentis, quæ valida ſiunt, licèt gratiam non conferant ob defectum ſuſcipientium, exiſtentium in peccato mortali. Vndè ſi quis Baptiſ-
4 mum ſuſcipiat lethalis culpæ vinculo alligatus citra contritionem, vel ſaltem citra attritionem, verè, ac validè Baptiſmum ſuſcipit, quamuis gratiam non conſequatur, & ita in Sacramentis datur cauſa ſine effectu, atque adeò datur Sacramentum validum, & informe. Denique probatur eadem ſententia, quia niſi daretur confeſſio valida, & informis, confeſſio ſacramentalis eſſet onus grauiſſimum fidelibus impoſitum; ſiquidem nullus ferè tutus moraliter dari poſſet in conſcientia; nam difficillimum eſt inuenire hominem, qui in tota eius vita non erret: & propterea ſæpè obligari fideles ad confeſſiones iterandas.

Reſtat modo, vt ad argumenta reſpondeamus.

AD primum negatur antecedens: nam contritio, ſeù attritio non eſt pars Sacramenti
5 pœnitentiæ ſecundum ſe, ſed vt relata ad confeſſionem, & vt eſt ſpontanea voluntas recompenſandi ad arbitrium Sacerdotis: at ad hoc ſatis eſſe quidam dicunt diſplicẽtiam quamcunq; cum velleitate non peccandi; atque adeò ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſariam deteſtationem efficacem cum abſoluto dolore, & propoſito non peccandi. Ita *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 5. q. 5.* quem ſequuntur *Victor. in ſum. nu. 144. Canopar. 1. relect. Palud. in 4.d.17.q.8. Ledeſ. 2. par. 4 q.8. art.1. dub. 4. & q. 31. art. 1. Syl. ver. confeſſio 1.q.23.* Etenim volunt præfati Doctores quod de eſſentia confeſſionis ex parte pœnitentis id tantùm eſt, vt confeſſio habeat veram rationem accuſationis integræ; atque ideò ſolus dolor expoſtulatur, qui neceſſarius eſt, vt confeſſio fiat per modum veræ accuſationis. Quod an ſit verum ſeq. ſect. Deo duce, videbimus.

Ad confirmationem negatur antecedens abſolutè loquendo: etenim licet eadem requirantur
6 ad Sacramentum, & ad effectum Sacramenti; id tamen verum eſt ſub diuerſa formalitate: nam quoad ſubſtantiam ſatis eſt, ſi probabiliter putet quis ſe eſſe diſpoſitum: quo verò ad effectum requiritur, vt re ipſa ſit diſpoſitus.

In quibus caſibus detur confeſſio valida, & informis.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Validam, & informem confeſſionem dari poſſe, & qualiter variæ ſunt Doctorum ſententiæ.*

2 *Validitatem Sacramenti pœnitentiæ, omninò exigere dolorem ſupernaturalem, tam quo ad effectum, tum etiam quoad eſſentiam quamplurimi volunt.*

3 *Diſplicentia quæcunque cum velleitate non peccandi ſatis eſt ad valorẽ Sacramenti pœnitentiæ.*

4 *Remiſſa attritio licet ſatis ſit ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, non tamen ad effectum gratiæ aſſequendæ.*

5 *Attritio ſupernaturalis non eſt pars eſſentialis,*

ſed

Digitized by Google

ſed integrans Sacramentum pœnitentiæ.

6 *Confeſſio cum fictione facta eſt valida, & peccata non ſunt iteranda.*

7 *Confeſſio ſine vllo dolore peccatorum omninò, non poteſt eſſe valida.*

8 *Attritio ſupernaturalis licet ſit pars integrans Sacramentum pœnitentiæ eſt tamen principalis ad inſtar capitis humani.*

9 *Validam, & informem confeſſionem eſſe quando dolor non eſt tantus, vt ſit ſufficiens ad effectum Sacramenti, & inuincibiliter ignoratur à pœnitente, qui dicunt, & videtur verior opinio, nu. 14.*

10 *Validam, & informem confeſſionem ex defectu extenſiuo contritionis, ſeu attritionis ex inculpabili inaduertentia in duobus caſibus contingere poſſe, qui opinantur.*

11 *Formalis attritio vnius peccati eſt virtualis attritio aliorum inculpabiliter oblitorum.*

12 *Confeſſionem validam, & informem eſſe quando quis putans habere ſupernaturale motiuum ad confeſſionem accedit, non habens niſi dolorem naturalem tantum eſt opinio non omninò improbabilis.*

13 *Confeſſionem validam, & informem eſſe cum quis accedit ad confeſſionem cum attritione ſupernaturali, non tamen in eo intenſionis gradu, quem Deus exigit ad effectum Sacramenti pœnitentiæ, quamuis culpabili ignorantia pœnitens talem diſpoſitionem ignoret eſt probabilior opinio.*

14 *Confeſſionem validam, & informem dari quando pœnitens abſque vllo dolore confitetur, & dum confiteatur fictio illa memoria non occurrat, & ſi occurrat illam confiteatur eſt improbabilis opinio, quid quid ſit de aliorum opinionibus, declaratur.*

1 IN hac difficultate variæ ſunt Doctores ſententiæ. Nam prima opinio refertur à *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 6. q. 8. concl. 2. nu. 154.* Et ſe habeat, eam dici confeſſionem validam, & informem, quando quis putans habere ſupernaturale motiuum accedit ad confeſſionem, cum re vera non habeat niſi dolorem naturalem, non autem ſupernaturalem. Hæc ſententia licèt nobis videatur probabilis, cùm quis non poſſit agnoſcere, an & quando impulſu ſpiritus Sancti, atque adeò ſupernaturali dolore peccatorum ducatur ad confitendum, & ſi ſupernaturalem dolorem non habeat, non poſſit illi imputari; nihilominus à quamplurimis reijcitur, & meritò; quoniam ad validitatem Sacramenti confeſſionis volunt ſatis non eſſe dolorem naturalem, ſed omninò exigi ſupernaturalem non ſolùm quoad effectum; ſed etiam quoad eſſentiam ipſius Sacramentalis confeſſionis: & id dicunt colligi ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* in quo habetur, attritionem eſſe donum ſpiritus Sancti; & loquitur de attritione, quæ non ſolùm eſt diſpoſitio ad gratiam; ſed etiam eſt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ. Etenim dolor humanus non auertit ex ſe voluntatem ab effectu culpæ, ſed ad ſummum continet ab actu externo, atque ideo non ſufficit ad veram accuſationem coram Deo, vt ex *Suar.* & alijs probabiliter tenet idem *Filliuc. loco citato, q. 8. concl. 1. ſub nu. 153.* & ante ipſum *Vega lib. 13. in Trid. cap. 26. 34.* & 36. & alij apud eundem *Suar. de pœnit. diſp. 20. ſec. 5. ſub nu. 2.* qui volunt veram, & ſupernaturalem contritionem, vel attritionem in re exiſtentem eſſe de eſſentia huius Sacramenti, ſicut eſt neceſſaria ad eius effectum. Dixi, quòd prior opinio nobis videtur probabilis, quoniam ſec. præcedenti in reſponſ. ad primum argum. retulimus Doctores quamplurimos magni ponderis; qui volunt; contritionem, ſeù attritionem non eſſe partem Sacramenti pœnitentiæ, ſaltem eſſentialem, vt latius, Deo duce, ſuo loco dicemus: & propterea ad valorem Sacramenti non eſſe neceſſariam deteſtationem efficacem cum abſoluto

3 dolore, & propoſito non peccandi, ſed ſatis eſſe diſplicentiam quamcunque cum velleitate non peccandi, quam quidem habere poteſt etiam is, qui naturalem tantum dolorem habet de peccatis, & talis diſplicentia videtur ſufficere, vt confeſſio fiat per modum veræ accuſationis. Ad *Conc. Trid.* poteſt reſponderi, quod loquatur de attritione, quæ ſimul cum Sacramento ſatis eſt non ſolùm ad validitatem illius, ſed etiam ad cauſandam gratiam, & iſta eſt donum ſpiritus Sancti: cæterum de illa diſplicentia naturali, quæ ſufficiat ad valorem Sacramenti, non loquitur, nec ait, contritionem, ſeu attritionem eſſe de eſſentia dicti Sacramenti. Et re vera ſi ad validitatem confeſſionis ſemper exigeretur ſupernaturalis dolor, tunc talis dolor eſſet donum ſpiritus Sancti, & perfecta attritio, quoniam Dei perfecta ſunt opera, & non datur attritio, ſeù dolor ſupernaturalis remiſſus, atque ideò talis dolor eſſet ſufficiens non ſolùm ad validitatem Sacramenti, verùm etiam ſufficiens diſpoſito ad gratiam, Quod quidem, an ſit verum infra latius declarabimus.

Secunda opinio eſt *Henriq. lib. 1. de pœnit. cap. 26. & lib. 2. cap. 11. Nauar. in ſum. latina*

4 *cap. 9. nu. 15. Syl. ver. Confeſſio 1. q. 23. Sot. in 4. d. 18. q. 3. art. 3. D. Thom. ibidem d. 17. q. 3. art. 4. P. Diana par. 1. de ſacram. tract. 4. reſol. 65:* Et aliorum exiſtimantium poſſe dari confeſſionem validam, & informem: verum illa dicitur, quando aliquis accedit ad confeſſionem cum attritione ſupernaturali, non tamen in eo intenſionis gradu, quem Deus ex ſua inſtitutione Diuina exigit ad effectum Sacramenti pœnitentiæ: ſiquidem ea remiſſa attritio licèt ſufficiat ad valorem huius Sacramenti, non tamen ſatis eſt ad effectum illius, atque ideò ad gratiam aſſequendam. Eſt tamen verum, quod præfati Doctores volunt, quòd pœnitens ignoret talem diſpoſitionem, quamuis culpabili ignorantia: ſecus autem ſi ſciat non habere ſufficientem dolorem, etiam ſi confiteatur illum; quoniam tunc nulla erit talis confeſſio. In eandem ſententiam videtur inclinare *Duran. in 4. d. 17. q. 13.* Hanc opinionem reijciunt *Suar. de pœnit. diſp. 20. ſec. 5. n. 6. Fagund. præcep. 2. Eccl. lib. 2. cap. 7. ſub nu. 6.* & alij exiſtimantes, attritionem ſupernaturalem eſſe de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ: nec Deum inſtituiſſe certum intenſionis gradum doloris ſupernaturalis ad valorem, & alium certum, & diuerſum ad effectum talis Sacramenti; ſed ſolùm inſtituit, ac expoſcit, vt dolor ſit ſupernaturalis: atque ideò quicunque gradus ſupernaturalis, etiam remiſſus ſatis eſt ad valorem, & effectum huius Sacramenti. Fundantur præfati

Doctores in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* vbi tantùm exigit veram, & ſupernaturalem attritionem ad rectam diſpoſitionem dicti Sacramenti, & ad gratiam cum illo comparandam, & non requirit illam in certo gradu, & intenſione. Poſſet tamen reſponderi, non eſſe inconueniens dari gradum attritionis remiſſum, qui ſatis ſit ad valorem confeſſionis, non autem ad collationem gratiæ, etiam ſi ſuſcipiatur abſolutio, & ſit donum ſpiritus Sancti, non obſtante, quòd Dei perfecta ſint opera: aliàs attritio, nec dici poſſet donum ſpiritus Sancti, cùm ſit imperfecta contritio per ſe inſufficiens ad conferendam gratiam abſque ſuſceptione Sacramenti. Vndè ſicut attritio eſt donum ſpiritus Sancti, eo quòd eſt diſpoſitio ad gratiam cum actuali ſuſceptione Sacramenti, non obſtante, quòd ſit remiſſa, & imperfecta contritio: ita etiam remiſſus ille attritionis gradus dici poteſt donum ſpiritus Sancti, inſufficiens ad diſpoſitionem gratiæ, qui tamen ſatis ſit ad valorem confeſſionis. Et quamuis pœnitens culpabili ignorantia ignoret gradum illum remiſſum, credens habere ſufficientem attritionem; nihilominus poteſt dari, quòd pœnitens peccet aliquid faciendo, tamen ignorantia ipſius peccati excuſat ab inualiditate confeſſionis, vt poſt alios declarat *Alph. de Leon. d. recoll. 18. ſub nu. 124.* & in ſpecie *ſub nu. 133.* Nec attritio
5 ſupernaturalis eſt de eſſentia Sacramenti, vt *Suar.* & alij putant; ſed eſt pars integrans Sacramentum pœnitentiæ, ſicut confeſſio, & ſatisfactio, ſine quibus ſimul licèt non poſſit ſtare, cum ſimul concurrant ad conſtituendam partem materialem Sacramenti, non tamen pugnat, vt non poſſit conſiſtere ſine aliqua ex ipſis. Etenim homo conſtat ex parte formali, nempè ex anima, & ex parte materiali, nempè ex corpore: quod quidem corpus habet ſuas partes integrantes, digitos ſcilicèt, brachia, manus, pedes, &c. Vndè ſicut homo poteſt conſiſtere abſque aliquo ex digitis, aut ſi digitum habeat aridum, aut manum aridam, vel detruncatam, eo quòd illæ partes ſunt integrantes, ita etiam poteſt conſiſtere Sacramentum pœnitentiæ, etiam ſi pœnitens habeat attritionem remiſſam, & inſufficientem ad diſpoſitionem gratiæ: quo circa oppoſitis non obſtantibus, hæc ſecunda opinio videtur ſatis probabilis.

Tertia ſententia eſt *Palud. q. 8. à prin. Capreoli in 4. d. 17. q. 2. art. 1. & 3. ad 4.* contra ſecundam
6 concluſionem, & aliorum, dicentium, confeſſionem dici validam, & informem, quando quis ad confeſſionem accedit nullo modo dolorem habens de peccatis: dummodò fictio huiuſmodi dum confitetur, memoriæ non occurrat: vel ſi memoriæ occurrat fictionem illam confiteatur. Et ita putant intelligendum eſſe *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. queſtiun. 5.* dum ait, confeſſionem cum fictione factam eſſe validam, & peccata non eſſe iteranda: quod *Richar. ibidem art. 2. q. 8. ad 5.* verum eſſe ait, etiam ſi apertè cognoſcatur fictio, & ſic in peccato mortali reciperet abſolutionem. Hæc opinio re vera communiter reijcitur; nam quamuis demus attritio-
7 nem veram, & ſupernaturalem eſſe partem integrantem Sacramenti pœnitentiæ; non tamen ſe habet, vt digitus corporis humani ſine quo, & eo amputato poteſt conſiſtere homo; ſed ſe habet, vt caput corporis humani, quod eſt principale membrum, & pars principalis corporis: quapropter non eſt mirum ſi quamplurimi Doctores, quos ſupra citauimus doceant; dolorem peccatorum eſſe de eſſentia huius Sacramenti, atque adeò ſine ſufficienti, & ſupernaturali attritione non poſſe dari validum ipſum Sacramentum. Sed nos qui tenemus attritionem eſſe partem integrantem Sacramentum, concedimus quod ſine vllo omninò peccatorum dolore non poteſt eſſe valida confeſſio, ſeù Sacramentum pœnitentiæ, cum ſit pars principals, & ſe habet ad inſtar capitis humani. Vndè ſicut homo non poteſt conſiſtere ſine capite, ita Sacramentum, de quo agitur non poteſt conſiſtere citra vllum dolorem peccatorum. Eſt tamen verũ, quòd quemadmodum homo dicitur verè homo, licèt habeat caput languidum, ita Sacramentum pœnitentiæ poteſt cenſeri validum, & verè Sacramentum, quamuis pœnitens habeat attritionem remiſſam, & inſufficientem ad diſpoſitionem gratiæ.

Quarta opinio eſt *Can. relec. de pœnit. par. 5. fol. 114. §. dupliciter itaque, & ſeq. Ledeſ. 2. par. 4. q. 8. art. 1. dub. 3. & Couar. in cap. Alma mater 1. par. relec. §. 4. nu. 13. de ſent. excom. lib. 6.* qui
8 dicunt confeſſionem validam, & informem ex defectu debiti doloris eſſe, quando pœnitens accedit ad confeſſionem cum dolore de peccatis, ſed dolor ipſe non eſt tantus intenſiuè, quantus exigitur ad gratiam conferendam, licèt ſatis ſit ad valorem, & ſubſtantiam Sacramenti: ſiue id proueniat ex negligentia culpabili pœnitentis ſuam diſpoſitionem non agnoſcentis: ſiue ex certa ſcientia, dummodo talem diſpoſitionem confiteatur, & ex ignorantia quoque culpabili abſolutionem conſequatur: aut Sacerdos ex ignorantia pariter, vel ex alio fine eum abſoluat. Hæc opinio reijcitur à *Suar. d. diſp. 20. ſec. 5. ſub nu. 4.* tum quia putat veram attritionem eſſe de eſſentia huius Sacramenti; tùm etiam quoniam ſtante ſcientia defectus, ſi pœnitens confiteatur, & abſolutionem recipiat, accedit ad confeſſionem cum peccato mortali, & committit nouum peccatum abſolutionem ſuſcipiens; atque adeò ponit obicem. Nec ſuffragatur confeſſio dicti peccati nouiter commiſſi, quoniam licèt faciat confeſſionem integram, nihilominus illius peccati nullum habet dolorem: & propterea nulla eſt confeſſio, etiam ad mentem eorum, qui concedunt attritionem eſſe partem integralem, non autem eſſentialem: nam licèt ſit integrans, eſt tamen pars principalis ad inſtar capitis humani, ſine quo non poteſt homo conſiſtere; quamuis cum eo languido conſiſtat, vt ſupra oſtendimus. Vndè meritò *Suar. loco citato*, dictam opinionem non ſolùm putat eſſe improbabilem, valdè noxiam, & ad conſcientiarum pacem inutilem, ſed etiam pernicioſam, & conſcientiarum corruptiuam.

Quinta opinio eſt *Sot. in 4. d. 18. q. 3. art. 3. Petr. Sot. lect. 8. de confeſ. Reginal. lib. ſua prax. nu. 168. cum ſeq. Molfeſ. par. 1. ſua ſum.* cum
9 alijs, quos allegant. Dicentium confeſſionem validam, & informem eam eſſe, quando dolor non eſt tantus, vt ſit ſufficiens ad effectum Sacramenti; verum inuincibiliter ignoratur à pœnitente. Hæc opinio eſt communis apud eos, qui docent, attritionem veram, & perfectam non

eſſe

Digitized by Google

eſſe de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ: reijcitur tamen ab ijs, qui ad valorem confeſſionis requirunt verum dolorem, veramque, & ſupernaturalem attritionem, in re habitam, non autem putatiuam, & exiſtimatam quantumuis inuincibiliter, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 20. ſec. 5. Fagund. de precep. Eccleſ. precep. 2. lib. 2. cap. 5. nu. 1. & cap. 7. nu. 3.* & ex alijs quamplurimis.

Sexta opinio eſt *Suar. loco citato, nu. 7. & ſeq. & diſp. 36. ſec. 7. ſub nu. 6.* quem ſequitur 10 *Filliuc. tom. 4. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 6. nu. 166.* Et nonnulli alij Recentiores, exiſtimantes tunc dari confeſſionem validam, & informem, quando dolor eſt ſufficiens, ſed non ſe extendit ad omnia mortalia ex defectu extenſiuo contritionis, ſeu attritionis prouenientе ex inculpabili inaduertentia: dummodò nullum peccatum mortale committat pœnitens poſt ipſam confeſſionem. Id autem in duobus caſibus contingere poſſe inquit ipſe *Suar.* Primus caſus eſt cùm quis habet plura peccata mortalia, vnum v. g. furti, alterum homicidij, tertium adulterij, quartum ſacrilegij, & quintum gulæ, & de ſingulis doleat ob ſingula, & particularia motiua, excepto peccato Sacrilegij, cuius inculpabiliter non meminit, nec doluit ſub ſuo motiuo particulari, tunc putat *Suar.* dari confeſſionem validam ſecundum ſubſtantiam, ita vt non oporteat reiterari; ſed informem, ideſt abſque gratia, quia per eam pœnitens licèt obtineat abſolutionem, non tamen conſequitur gratiam; quoniam dolor vnius peccati ex particulari motiuo, non extenditur ad aliud: ſiquidem vnũ non includit aliud, nec vnum omnia. Secundus caſus eſt cùm pœnitens, poſt diligentem conſcientiæ diſcuſſionem doleat de illis particularibus peccatis ſibi memoriæ occurrentibus; verùm aliquam habeat lethalem culpam, de qua non recordetur, nec doleat: is enim ſi ad confeſſionem accedat validam cõfeſſionem efficit ſecundum eius ſubſtantiam; non tamen formatam, quia non conſequitur gratiam ob obſtaculũ culpæ mortalis oblitæ, de qua ſaltem non fuit attritus, neque confeſſus ex obliuione. Confirmat ſuam ſententiam idem *Suar.* inquiens, quòd ſi quis accedat ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum vno peccato in confeſſione oblito, & citra illius contritionem, ſeù attritionem, ex mera ſua obliuione omiſſam, Sacramentum erit validum, ſed informe cum ſuſcipiens non recipiat gratiam: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro. Hæc re vera *Suar.* ſententia merito reijcitur à *Fagund. d. cap. 7. ſub nu. 9. & 10.* & à nonnullis alijs Recentioribus, ſiquidem in ſupradictis caſibus negatur defectus doloris extenſiui. Etenim formalis attri- 11 tio vnius peccati eſt virtualis attritio aliorum peccatorum inculpabiliter oblitorum, vt rectè declarat *Fagund.* ibi, qui etiam probat, quòd defectus integritatis confeſſionis, quando eſt inculpabilis, non impedit effectum gratiæ: ſicut & ille qui dolet de ſingulis peccatis ob ſpecialia motiua gratiam aſſequetur, etiamſi de vno tantùm, vel pluribus peccatis ob ſuum particulare motiuum dolore obliuiſcatur: ſiquidem dolor occurrentium peccatorum virtualiter extenditur ad dolorem, & motiua aliorum peccatorum, quando per actum formalem, & expreſſum ab illis non excluditur. Ad confirmationem denique reſpondemus, quòd eo modo accedens ad Sacramentum Euchariſtiæ non ſolùm ſuſcipit Sacramentum, ſed etiam effectum Sacramenti, cum ſupponamus eum citra ſuam culpam fuiſſe lethalis culpæ oblitum in ſacramentali confeſſione. Et ſi quis nulla præuia confeſſione accedat ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum lethali culpa inculpabiliter oblita, tunc cum nullatenus dictæ culpæ habuerit dolorem, concedimus talem ſuſcepiſſe Euchariſtiæ Sacramentum, ſed non effectum illius: quoniam talis culpæ nullam habuit attritionem, nec formalem, nec virtualem, at in caſibus propoſitis à *Suar.* dum pœnitens inculpabiliter obliuiſcitur vnius peccati habet virtualem attritionem illius vt ſupra explicauimus, & propterea non ſolum validum eſt Sacramentum; ſed etiam formatum.

Septima ſententia eſt *Reginaldi lib. 6. ſua prax. nu. 169.* dicentis dari confeſſionem validam, & informem in duobus caſibus. Primus caſus eſt, quando quis ex ignorantia probabili, & inuincibili putat ſe ſufficienter examinaſſe conſcientiam, ſed non ſufficienter examinauit. Secundus caſus eſt, quando quis ex eadem ignorantia ſe putet cum ſufficienti dolore, & propoſito non peccandi in poſterum accedere ad confeſſionem; tamen re vera non habuit dolorem, nec propoſitum ſufficiens. Hæc opinio coincidit cum quinta opinione, & propterea quæ diximus de illa, & quæ de eadem infra dicemus, poſſunt quoque dici de iſta. Eſt tamen verum quòd priori caſu cum quis per ignorantiam inuincibilem, vt ſupra, vel ſaltem per ignorantiam non mortalem peccatum confiteri intermittit, tunc non ſolum confeſſionem facit validam, ſed etiam aſſequitur gratiam: quia ſufficiens attritio peccatorum confeſſatorum, eſt virtualis quoque attritio oblitorum, iuxta ea quæ ſupra adnotauimus in ſexta opinione, quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 5. de ſacram. pœnit. tract. 6. cap. 9. nu. 4.*

Ex dictis patet, quòd prima ſententia, quæ ſe habet, eam dici confeſſionem validam, & infor- 12 mem, quando quis putans habere ſupernaturale motiuum accedit ad confeſſionem, cum re vera non habeat, niſi dolorem naturalem, non eſt omninò improbabilis, ſi ex probabili ignorantia ad confeſſionem eo modo accedat. Etenim confeſſio eſt ordinata, vt per eam nota fiat cõfeſſario conſcientia pœnitentis: quod quidem fieri poteſt etiam per naturalem dolorem peccatorum, & citra veram, & ſupernaturalem attritionem poteſt habere veram, & realem rationem accuſationis. Etenim peccator dum eſt in peccato poteſt fideliter manifeſtare omnia ſua peccata, ſe ſubijciens clauibus, ad finem recipiendi remedium à confeſſario. Nec videtur ſimpliciter verum, quòd dolor naturalis peccatorum non auertit peccatorem ab effectu culpæ; ſed ad ſummum illum continet ab actu externo, atque ideò non eſt ſatis ad veram accuſationem coram Deo vt ex *Suar.* diximus in relatione primæ ſententiæ quoniam licet viribus naturæ nemo poſſit pœnitere ſicut oportet, atque adeò gratia indigeat ad ſui iuſtificationem, nihilominus poteſt quis conſiderans fœditatem, & damnum peccati, habere naturalem odium, & dolorem illius, & per aliquot tempus auertere voluntatem ab effectu

culpæ, & ſi faciat quod in ſe eſt ſi Deus deinde
dabit attritionem ſupernaturalem, quæ ſufficiens
diſpoſitio dicitur ad gratiam: ſiquidem facienti
quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam. Pro-
babiliorem tamen exiſtimamus ſecundam ſen-
13 tentiam, ſe habentem, confeſſionem validam, &
informem eſſe cùm quis accedit ad cōfeſſionem
cum attritione ſupernaturali, non tamen in eo
intenſionis gradu, quem Deus ex ſua inſtitutione
Diuina exigit ad effectum Sacramenti pœni-
tentiæ, dummodò pœnitens ignoret talem diſpo-
ſitionem, quamuis culpabili ignorantia. Ete-
nim in relatione dictæ ſecundæ ſententiæ ſatis
declarauimus contra *Suar.* & alios, qualiter dari
poſſit gradus attritionis remiſſus ſufficiens ad
valorem, & ſubſtantiam Sacramenti, & inſuf-
ficiens ad effectũ illius, atq; ideò ad aſſequendã
gratiam. Tertiam autẽ opinionem, quæ vult dari
14 confeſſionem validam, & informem, quamuis
pœnitens accedat ad confeſſionem ſine vllo do-
lore de peccatis, & dum confitetur, fictio illa
memoriæ non occurrat, aut ſi memoriæ occurrat
illam confiteatur, exiſtimamus omninò impro-
babilem, vt ibi oſtendimus. Quarta quoque
opinio fuit à nobis ſufficienter reiecta. Quinta
verò nobis videtur verior. Sexta opinio, quæ eſt
Suar. quamuis nonnullos Recentiores habeat
ſequaces; eam tamen reijcimus propter rationes
ſupra illatas. Quouerò ad ſeptimam ſententiam,
quæ eſt *Reginaldi*, licèt ſecundum modum ad-
mittamus cùm coincidat cum quinta ſententia;
primum tamen modum omninò reijcimus; quo-
niam tunc pœnitens ſuſcipit non ſolùm Sacra-
mentum, ſuppoſita vera, & ſupernaturali attri-
tione, ſed etiam effectum Sacramenti, nempe
gratiam.

An ſuppoſito dari Sacramentum validum, & in-
forme, ſublata fictione, redeat effectus gratiæ,
& qualiter auferatur ipſa fictio, & de
ipſius effectibus.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio ſi fiat valida, & informis, ſublata fictione redit effectus gratia.*

2 *Accedene ad Baptiſmum citra attritionem, ſaltem ſuorum peccatorum, licet non conſequatur gratiam, adueniente poſtea attritione, eam conſequitur, & peccata remittuntur, non virtute attritionis ſecundum ſe, ſed per Baptiſmum pracedentem.*

3 *Accedens ad confeſſionem exiſtimans habere ſupernaturalem attritionem, cum tantum naturalem dolorem habeat, & abſolutionem obtineat, ſi poſtea ſupernaturalem attritionem habeat, & nouam culpam lethalem non contraxerit ſuſcipit gratiam virtute eiuſdem Sacramenti.*

4 *Accedene ad confeſſionem cum gradu remiſſo attritionis ſuſcipit Sacramentum pœnitentia validum ſecundum ſubſtantiam, & informe ex defectu ſufficientie attritionis; quod ſi deinde ſupernaturalem attritionem ſufficientem ad gratiam habeat, & nouum peccatum mortale non contrahat, citra iterationem confeſſionie aſſequitur gratiam.*

5 *Effectus Sacramenti pœnitentia validi, & informis numerantur.*

AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter
affirmatiuè: ſicut enim qui fictè, & citra
1 attritionem ſaltem ſuorum peccatorum
accedit ad Baptiſmum recipit Sacramentum Bap-
tiſmi, nō autẽ effectus illius, & adueniente poſtea
attritione, atque adeo ſublato obice, ac fictione,
conſequitur gratiã, & peccata ei remittuntur, non
virtute attritionis, nec contritionis, ſecundum ſe,
vt malè voluit *gloſ. in cap. tunc valere, de conſecr.*
2 *d. 4.* quam meritò ibi reprobat *Turrecr.* Sed re-
mittuntur per Baptiſmum præcedentem; ita etiã
pœnitens, qui ſuſcepit Sacramentum pœnitentiæ
in peccato mortali, & ſic fictè ſuſcipiendo Sa-
cramentum validum, & informe modis ſupra
explicatis in præcedenti Sec. ſiquidem ceſſante
fictione, virtute eiuſdem Sacramenti conſequitur
gratiam, & remittuntur ei peccata. Nec obſtat, ſi
dicatur, quòd in Baptiſmo diuerſa ratio militat,
ac in Sacramento pœnitentiæ: ſiquidem Baptiſ-
mus iterari non poteſt, Sacramentum verò pœ-
nitentiæ eſt iterabile; nimirum ſi per ſolam attri-
tionem tollitur fictio; Sacramentum verò pœni-
tentiæ cum ſit iterabile, videtur non poſſe tolli
fictio per ſuperuenientem veram, & ſupernatu-
ralem attritionem, niſi iteretur confeſſio: quo-
niam reſpondetur parum referre, quod Baptiſmus
iterari non poſſit; pœnitentia verò poſſit: etenim
quamuis in hoc differant; nihilominus in eo con-
ueniunt, quòd ſi fictè ſumantur tollatur fictio, &
redeat gratia. Quod quidem verum eſt dummo-
do ſuſcipientes huiuſmodi Sacramenta valida, &
informia, nouum peccatum poſt ſuſcepta, & ante
ſublatam fictionem non commiſerint; aliàs non
ſuſciperent gratiam, vt habetur ex *Suar. de
pœnit. diſp. 20. ſec. 3. nu. 13. & Fagund. de pracep.
Eccl. pracep. 2. lib. 2. cap. 8. in princ.* vbi etiam
ſub *nu.* 2. idem dicendum eſſe ait de eo, qui ſine
ſufficienti dolore ſuſcipit Sacramentum ordinis,
aut matrimonij, vel quodlibet aliud Sacramen-
tum, quod dictum eſt de Sacramentis baptiſmi,
& pœnitentiæ.

Ex dictis patet, quod qui fecit confeſſionem
validam, & informem, eo quòd licet ad eam
3 acceſſerit cum dolore, non tamen dolor ille fuit
ſupernaturalis, ſed tantum naturalis, & abſolu-
tionem bona fide obtinuerit exiſtimans habere
veram, & ſupernaturalem attritionem iuxta pri-
mam ſententiam in præcedenti Sec. relatam, ſi
poſt ſuſceptum huiuſmodi Sacramentum vali-
dum, & informe non contraxerit nouam culpam
lethalem, & habeat veram, & ſupernaturalem
attritionem, tunc virtute eiuſdem Sacramenti
validi, & informis ſuſcipit gratiam, & remittun-
tur ei peccata, & ſic Sacramentum ipſum ex in-
forme efficitur formatum, nec exigitur iteratio
confeſſionis, ac Sacramenti. Sic etiam accedens
4 ad confeſſionem cum attritionis gradu remiſſo
iuxta ſecundam opinionem, quartam, quintam,
& ſeptimam ſecundum poſteriorem modum, de
quibus Sec. præced. is profectò ſuſcipit Sacra-
mentum pœnitentiæ validum ſecundum ſuam
ſubſtantiam, ſed informe ex defectu ſufficientis
attritionis; verum ſi nouum peccatum lethale
non contrahat, & habeat deindè veram, & ſuper-
naturalem attritionem, quæ ſit ſufficiens diſpo-
ſitio ad gratiam, tunc ceſſat fictio tollitur obex,
& pœnitens ipſe virtute eius Sacramenti aſſequi-
tur gratiam, & remittuntur eidem peccata citra
itera-

Digitized by Google

iterationem confeſſionis. Et attenta probabili ſententia *Suar.* quam in *d. ſec.* proxima retulimus, tunc tollitur fictio, & obex, quando extenditur dolor ad peccata oblita: nam cùm primum extenſio huiuſmodi data fuerit, ſtatim redibit effectus gratiæ citra nouam confeſſionem; quia ille, qui ſatis erat cum Sacramento, ſufficit etiam poſt illud, modò nouus obex peccati interim non committatur. Eſt tamen verum quòd non deſunt, qui velint ſolam attritionem ſupernaturalem citra nouam ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ ſatis non eſſe ad aſſequendam gratiam vigore prioris Sacramenti validi, ſed informis, atque adeò debere pœnitentem confiteri attritionis defectum, ſi illud poſtea cognouerit; quoniam attritio concomitanter tantùm cum Sacramento pœnitentiæ confert gratiam: non ſic Sacramentum Baptiſmi, ita *Reginald. lib. 6. ſua prax. nu.* 170. quem refert, & ſequitur *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recollect.* 18. *nu.* 137. Sed re vera non poteſt aſſignari diuerſitatis ratio inter Sacramentum baptiſmi validum, & informe, & inter Sacramentum pœnitentiæ validum, & informe, vt ſupra oſtendimus, & propterea à priori ſententia non eſt recedendum nam eam docet *Henriq. lib. 5. de pœnit. cap.* 1 t. *nu. 4. Bonac. eo. tract. diſp. 5. q. 7. ſec. 1. pun. 5. in fin.* cum alijs, quos allegant.

Sunt autem plures effectus Sacramenti pœnitentiæ validi, & informis: nam in primis per illud
5 impletur præceptum confeſſionis annuæ in noſtro canone contentum, vt ſupra oſtendimus Sec. 2. Secundò qui facit confeſſionem validam, & informem, non committit nouum peccatum in illa confeſſione, vt per *P. Alph. loco citato, ſub nu.* 135. vbi etiam addit tertium quòd non teneatur iterare totam confeſſionem; ſed illa ſolùm peccata, ad quæ non fuit extenſa attritio, vel de quibus non fuit habitum propoſitum cauendi in futurum: quod tamen quomodo procedat, ſupra declarauimus. Addit etiam quartum effectum: nam per eam quis liberatur ab onere reſeruationis caſuum, ſi huiuſmodi confeſſionem fecit habenti facultatem citra caſus reſeruatos.

An confeſſio valida, & informis dari poſſit de peccatis venialibus. SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Accedere ad confeſſionem, vel cum venialibus tantum, vel etiam cum aliquo mortali pœnitus oblito, vel non oblito, ſed omiſſo timore nocumenti, vel cum venialibus cum propoſito ab eis non cauendi in futurum, qualiter quis poſſit.*

2 *Confeſſio valida, & informis an detur de peccatis venialibus determinatur.*

3 *Venialia tantum habens ſi accedens ad confeſſionem de ijs confiteatur debet habere de illis veram, ſufficientem, & ſupernaturalem attritionem, alioquin ſacrilegium committit.*

4 *Venialia tantum habens ſi ea confiteatur ex defectu extenſiuo attritionis ad venialia oblita, facit confeſſionem validam, & formatam.*

5 *Attritio de venialibus memoria occurrentibus extenditur etiam ad mortalia oblita, & ad ea quæ occurrunt, & non poteſt quis huic confeſſario confiteri citra graue eius, vel alterius nocumentum.*

6 *Accedens ad confeſſionem cum venialibus tantum inculpabiliter exiſtimans habere attritionem in eo intenſionis gradu, quem diuina bonitas exigit, ſed re vera habet inſufficientem, facit confeſſionem validam, & formatam.*

7 *Subijciens clauibus pro materia Sacramenti pœnitentiæ peccata venialia, & culpabiliter veram attritionem non habeat, peccat mortaliter.*

8 *Venialia tantum habens ſi confiteatur, & dicit confeſſario ſe non habere diſplicentiam aliquorum venialium, de quibus confitetur, nec propoſitum emendandi in futurum confeſſio eſt omninò inualida.*

PRO determinatione huius difficultatis eſt adnot. quòd qui ad confeſſionem ſacramen-
1 talem accedit, aut venialia tantùm habet, & non mortalia: vel non ſolùm habet venialia, verùm etiam aliquod mortale, de quo penitùs obliuiſcatur, & de venialibus dumtaxat recordetur: aut habet venialia, & mortale aliquod, & omniũ recordetur, ſed venialia tantùm confiteatur, mortale, aut omittit: quia non valet tali confeſſario illud confiteri citra maximum eius, vel alterius nocumentum. Vel deniq; habet tantùm venialia, de quibus omnibus confiteatur, verùm palàm teſtatur aliquorum habere adhuc complacentiã, nec habere propoſitum cauendi in futurum.

Secundò eſt adnot. quòd controuerſia poteſt determinari iuxta ſententiam *Suar.* quam ſextam
2 in ordine retulimus ſupra Sec. 4. qui vult tunc dari confeſſionem validam, & informem quando dolor eſt ſufficiens, ac ſupernaturalis, ſed non ſe extendit ad omnia mortalia ex defectu extenſiuo contritionis, ſeù attritionis proueniente ex inculpabili inaduertentia; dummodò poſtea nullã culpam lethalem contrahat. Item hæc ipſa difficultas poteſt determinari, attenta prima opinione in eadem Sec. contenta, quæ ſe habet, confeſſionem validam, & informem dici, quando quis accedit ad confeſſionem citra attritionem ſupernaturalem, ſed cum naturali tantùm dolore peccatorum. Tertiò poteſt determinari eadem controuerſia ſecundum opinionem eorum, qui dant confeſſionem validam, & informem ex defectu attritionis intenſiuo: & tunc inculpabiliter, vel culpabiliter, cognito, vel incognito à pœnitente, iuxta ſententias ſecundam, quartam, quintam, & ſeptimam, de quibus in *d. ſec.* 4. ſupra ſimiliter egimus: vel denique quis accedit ad confeſſionem citra omnem dolorem iuxta tertiam opinionem in *d. ſec.* 4. relatam.

Tertiò eſt adnot. quòd licèt venialia peccata non ſunt materia neceſſaria Sacramenti pœni-
3 tentiæ, ſed tantùm ſufficiens; vt ſuo loco latius, Deo duce, dicemus; nihilominus quando quis accedit ad confeſſionem, & non habet niſi venialia, & de iis confiteatur, debet de illis habere debitam, veram, ſufficientem, ac ſupernaturalem attritionem: ſiquidem licèt abſolute loquendo non ſit neceſſe omnia venialia confiteri: & poſſit pœnitens quædam tacere, & quædam confiteri; attamen, ſuppoſito, quòd omnia velit confiteri, & præbere ea tanquam materiam confeſſionis, tenetur de illis dolere, & debitam attritionem habere, vt debitam materiam Sacramenti ſubijciat confeſſario; alioquin ſacrilegium

com-

Digitized by Google

committit, & quantum eſt ex parte pœnitentis abſolutio erit falſa, ac inualida, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 20. ſec. 6. nu. 7. & Fagund. de præcept. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 1. nu. 12. & cap. 8. ſub nu. 6.* vbi addit, quòd ſi confeſſarius id aduertat, poteſt monere pœnitentem, vt non ſubijciat Sacramento confeſſionis illa venialia, de quibus dolorem non habeat, neque illa aſſignet tanquam materiam confeſſionis: & tunc ſi monitus id faciat, fructuosè abſolui poterit. His adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

ATtenta opinione *Suar.* qui venialia tantùm habeat, ſi ea confiteatur, ex defectu
4 attritionis extenſiuo ad peccata venialia oblita non facit confeſſionem validam, & informem; ſed validam, & formatam: ſiquidem defectus attritionis extenſiuus in venialibus non impedit effectum gratiæ ſacramentalis, nec venialia ſunt obex. Vndè ſicut valida eſt confeſſio venialium, in qua aliqua venialia cum ſufficienti dolore quis confitetur, & aliqua tacet, & eorum dolorem non habet: ſic etiam erit formata, quando de eiſdem confeſſis habetur attritio, & non habetur de illis, quæ tacentur, & quæ non aſſignantur tanquam materia confeſſionis. Ita *Fagund. loco ſupra cit. ſub nu. 5.*

SECVNDA CONCLVSIO.

QVI cum venialibus habet lethalem aliquam culpam, cuius inculpabiliter obliuiſcatur,
5 & ſolùm venialia, quorum meminit confiteatur, tunc, attenta opinione *Suar.* quamuis de venialibus ſufficientem, ac ſupernaturalem attritionem habeat, nihilominus talis confeſſio valida dicitur, ſed informis ex defectu attritionis extenſiuo: ſiquidem datur obex peccati mortalis obliti ad recipiendam gratiam. Dixi, attenta opinione *Suar.* quia ſecundum rei veritatem huiuſmodi confeſſio eſt valida, & formata; quoniam attritio formalis de venialibus occurrentibus extenditur ad omnia peccata oblita etiam mortalia iuxta ea quæ nos adnotauimus ſupra *d. ſec. 4.* in relatione ſextæ ſententiæ. Sic etiam ſi quis habeat vnam, vel plures culpas lethales, quæ memoriæ occurrant, & non poſſit illas huic confeſſario confiteri citra graue ipſius, aut alterius nocumentum, & careat alio confeſſario, tunc ſi de illis lethalibus attritionem ſaltem habeat, & venialia tantùm cum eadem attritione confiteatur, non propterea talis confeſſio diceretur informis, ſed erit formata gratia: etenim concomitanter per ſolam abſolutionem venialium, & indirectè dimittuntur culpæ mortales; & infunditur gratia: quia confeſſio illa licèt non ſit integra materialiter, eſt tamen integra formaliter: remanet deindè obligatus pœnitens, reperto idoneo confeſſore, culpas illas mortales illi confiteri: ſiquidem non inconuenit remitti peccatum mortale concomitanter cum venialibus: nam peccata venialia ritè, ac debitè confeſſa, non remittuntur citra infuſionem gratiæ: at gratiæ infuſio neceſſariò mortalia expellit, vt rectè docet *Suar. d. diſp. 20. ſec. 6. nu. 8. & Fagund. vbi ſupra nu. 4.*

TERTIA CONCLVSIO.

ATtenta ſententia eorum, qui putant dari confeſſionem validam, & informem ex
6 defectu attritionis intenſiuo, ſi quis venialia tantùm habeat, & bona fide accedat ad confeſſionem inculpabiliter exiſtimans habere veram, & ſupernaturalem attritionem in eo intenſionis gradu, quem Diuina bonitas exigit; ſed re vera attritionem habeat remiſſam, ac inſufficientem ad diſpoſitionem gratiæ, tunc puto hoc caſu non dari confeſſionem validam, & informem; quoniam per peccata venialia non amittitur gratia: poſſet fortè dici confeſſio valida, informis quoad augmentum gratiæ, quia vigore talis confeſſionis non infunditur noua gratia, qua remittantur peccata venialia, de quibus pœnitens non eſt ſufficienter attritus. Idem dicendum videtur ſi accedat ad confeſſionem inculpabiliter exiſtimans habere veram, & ſupernaturalem attritionem, cùm naturalem tantùm habeat: his enim caſibus videtur poſſe quodammodo dari de venialibus confeſſio valida, ſed informis. Dixi, *Inculpabiliter*. Quia ſi quis
7 culpabiliter accedat ad confeſſionem venialium non habens ſupernaturalem, & perfectam attritionem peccati venialis, quod confitetur, & ſubijcit clauibus pro materia Sacramenti pœnitentiæ, peccat mortaliter, & ſacrilegium committit, vt patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus in tertio not. quibus adde ea quæ habentur ex *Fagund. de præcept. Eccleſ. lib. 2. cap. 1. nu. 12. & 13.* vbi refert doctrinam *Suar. de pœnit. diſp. 21. ſec. 6. nu. 7.* quæ ſe habet, non eſſe peccatum mortale confiteri peccata venialia ſine dolore, & propoſito efficaci emendationis futuræ: ſiquidem ait, defectum illius doloris, vel propoſiti per ſe, & ex natura ſua non eſſe gratiæ contrarium, ac iuſtificationi, quæ eſt primarius effectus huius Sacramenti ſignificatus per formam. Sed re vera, inquit ibi *Fagund. Suar.* non loqui de noſtro caſu, in quo quis vnum tantùm veniale confitetur, vel etiam plura, & illa tanquam materiam certam Sacramenti profert; ſed de illo caſu, in quo quis multa venialia cōfitetur, & de vno, vel etiam de alijs quibuſdam, quæ tanquam materiam confeſſionis profert, dolet, & de reliquis non dolet, licèt ea in confeſſione proferat, ſed non tanquam materiam ſubijciat: & hoc caſu vera eſt doctrina *Suar.* quia defectus doloris, & attritionis in eo caſu non impedit remiſſionem aliorum peccatorum venialium, de quibus vera fit confeſſio. Vndè ex hoc infert, quòd veram facit confeſſionem ille, qui vnum tantùm veniale habet, & illud citra dolorem, ac propoſitum efficax emendationis eius confitetur; immò ſe accuſet de alijs venialibus, vel mortalibus aliàs confeſſis, & de illis legitimum, ac ſufficientem dolorem habeat, quoniam tunc debitam materiam confeſſori ſubijcit, & aliunde obex venialium non impedit gratiam; ſiquidem peccata aliàs confeſſa, ſiue venialia ſint, ſiue mortalia ſunt ſufficiens materia Sacramenti pœnitentiæ, vt infra, Deo duce, ſuo loco dicemus.

QVARTA CONCLVSIO.

QVI venialia tantum habet, & confiteatur dicens confeſſario ſe non habere verum
8 dolorem, nec propoſitum emendationis in futurum aliquorum venialium, de quibus confitetur, ſed habere adhuc complacentiam eorum, huiuſmodi confeſſio eſt omninò inualida, nec poteſt dici valida, & informis, neque eſt à confeſſario abſoluendus: ſiquidem licèt abſolutè

loquen-

Digitized by Google

loquendo non ſit opus omnia peccata venialia confiteri, vt poſſit pœnitens quædam tacere, quædam verò confiteri; attamen ſuppoſito, quòd omnia velit confiteri, & aſſignare, ac præbere tanquam materiam confeſſionis, tenetur de illis dolere, vt debitam materiam ſubijciat cõfeſſario, vt ſupra oſtendimus *nu.* 3. vbi tamen diximus poſt alios, quòd eo caſu confeſſarius poterit huiuſmodi pœnitentem monere, vt non ſubijciat Sacramento confeſſionis illa venialia, de quibus dolorem debitum non habet: & tunc ſi monitus id agat, iuſtè abſolui poterit. Et ſi pœnitens confiteatur vnum tantùm, vel etiam plura peccata venialia, & dicat cognoſcere ſe nõ habere veram de eis attritionem, & de tali defectu ſe accuſet, & doleat, & velit habere ſufficientem dolorem, ac attritionem puto ei non eſſe denegandam abſolutionem, quia dum pro viribus dolet de illo defectu, aut re vera habet veram attritionem licèt eam non cognoſcat habere, cum facienti, quod in ſe eſt Deus non deneget gratiam: vel ſaltem confeſſarius probabiliter poteſt credere talem pœnitentem eſſe ſufficienter diſpoſitum. Eſt tamen verum quòd ad tollendum dubium de præfato defectu ſæpè viri docti, & timorati, qui de ſolis venialibus regulariter confitentur, ſolent confiteri aliquam lethalem culpam aliàs confeſſam, ſi fortè eam contraxerint, de qua verè dolent: vel ſolent ſe accuſare in genere de mortalibus, mendacijs, ac verbis otioſis ante actæ vitæ, quia de illis verum dolorem concipiunt, atque ideò ea tanquam propriam materiam ſubijciunt.

Quot, & quas conditiones exigat confeſſio ad adimplendum præceptum confitendi ſemel ſaltem in anno.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio talis eſſe debet, qualis exigitur ad conſtituendam confeſſionem, quæ eſt vna ex partibus materialibus Sacramenti pœnitentiæ.*

2 *Sacramentum pœnitentiæ diuiditur in materiam, & formam.*

3 *Materia ſecundum Philoſ. quid, & quotuplex.*

4 *Materia Sacramenti pœnitentiæ quæ ſit.*

5 *Confeſſio, contritio, & ſatisfactio ſunt partes quantitatiuæ, ſeu integrantes Sacramentum pœnitentiæ, non autem eſſentiales.*

6 *Conditiones ſexdecim exigunt Theologi ad ſacramentalem confeſſionem.*

7 *Conditiones ſacramentalis confeſſionis nonnulli DD. ad quatuor reduci poſſe arbitrantur.*

8 *Conditiones ſacramentalis confeſſionis aliqui reducunt ad tres; aliqui ad tria capita, & aliqui ad duo.*

9 *Conditiones otto exigunt Canoniſtæ in confeſſione ſacramentali, & eorum opinio videtur verior, nu. 10. 6. opin. ſec. 4.*

11 *Diffinitio cuiuſcumq; rei vera, eſſentialis, & perfecta, cum ſit eiuſdem quiditas, & eſſentia.*

12 *Confeſſionis ſacramentalis diffinitio.*

13 *Conditiones duæ requiruntur in confeſſione ex parte pœnitentis .ſ. vt ſit baptizatus. & vſum rationis habeat.*

14 *Pœnitens debet eſſe diſcretus in eligendo diſcretum confeſſarium, & ad cognitionem peccatorum, quo ad ſpecies, circumſtantias, & numerum, & ad honeſtam illorum explicationem.*

15 *Indiffinita æquipollet vniuerſali.*

16 *Accuſatio in confeſſione qualis eſſe debeat, & accuſationis ſpecies.*

17 *Confeſſio, vt eſt actus virtutis debet fieri recta, ac pura intentione ex electione propter finẽ eius.*

18 *Accuſatio ſub ſpe veniæ debet eſſe ſacramentalis coram Sacerdote reum abſoluente virtute clauium.*

19 *Confeſſio legitimo miniſtro facienda, ita vt ſenſibilis ſit, & peccata manifeſtentur.*

20 *Confeſſio fieri poteſt ore, & voce, ac etiam ex neceſſitate per nutus, & ſigna ſenſibilia.*

21 *Confeſſio extra neceſſitatem eſt ore facienda, & non per nutus, ſigna, aut interpretem, aliàs peccaretur mortaliter.*

22 *Abſoluendi conſuetudo per verba (Ego te abſoluo) ſi mutatur per alia verba æquipollentia, an pœnitens conſequatur abſolutionem.*

23 *Pœnitens ſentiens in confitendo nimiam verecundiam, aut grauem pudorem non peccat letaliter ſi per nutus, ſigna, aut interpretem confiteatur.*

24 *Confeſſio ſacramentalis debet eſſe citra mendacium aliquod.*

25 *In moralibus non reperitur, rei eſſentia ſicut in Phyſicis.*

26 *Conditiones duæ in confeſſione non ſunt ſimpliciter neceſſariæ, nam vt ſit ſecreta eſt ex humano tantum more; vt ſit frequens eſt vtilis.*

27 *Actus humanus, & virtutis non datur quin non ſit voluntarius.*

28 *Animi promptitudo non eſt neceſſaria in confeſſione, ſed ſatis eſt, vt non fiat coactè ad inſtar confeſſionis Iudicialis in tormentis.*

29 *Confeſſio debet eſſe integra omnium, & ſingulorum, peccatorum, & circumſtantiarum mutantium ſpeciẽ, & Aggrauantium in infinitum.*

30 *Confeſſio debet eſſe cum dolore interno peccatorum, ita vt confeſſio externa exprimat internam, animi dolorem, & contritionem.*

31 *Lacrimæ exteriores non ſunt neceſſariæ in confeſſione, cum non ſint in noſtra poteſtate.*

32 *Confeſſio in actu exteriori debet eſſe quoque humilis.*

33 *Conditiones illæ ſexdecim, quas Theologi exigunt ad confeſſionem comprehenduntur ſub verbis huius canonis, ac etiam docetur confeſſionem eſſe eſſentialiter accuſationem.*

AD huius controuerſiæ determinationem eſt adnot. quòd ex communi Doctorum
1 placito confeſſio ſemel ſaltem in anno in
noſtro canone præcepta talis debet eſſe, qualis
exigitur ad conſtituendam confeſſionem, quæ
eſt vna ex partibus materialibus Sacramenti pœnitentiæ. Diuiditur enim præfatum Sacramentum
in duas partes principales, ſicut & omnia alia
2 Sacramenta, in materiam ſcilicet, & formam.
Forma Sacramenti pœnitentiæ ſunt verba illa
Abſoluo te, quæ in abſolutione pœnitentem profert cõfeſſarius, vt latius, Deo duce, ſuo loco dicemus. Materia verò in naturalibus ſecundũ *Peripateticos 2 phyſ. tex.* 31. eſt triplex; nam quædam
dicitur materia, ex qua, quædam, in qua, & quædã
circa quam: prima dicitur, cum ex ea aliquid fit, vt
3 ex ligno ſtatua: vndè *Ariſt.* eam definiens 2 *phyſ.
tex.* 28. *&* 5. *met. cap.* 2. ſic ait. *Materia eſt id, ex*

quo

quo aliquid fit cùm inſit. Secunda vocatur illa, in qua fit aliquid: & hæc aliquando poteſt eſſe eadem cum prima, vt eſt forma materialis; ſiquidem forma fit ex materia, quæ educitur de potentia ipſius, & ſubiectatur in materia, ſicut forma ſtatuæ fit ex ligno, & ſubiectatur in ligno: aliquando eſt diuerſa à prima, vt patet in anima rationali, quæ fit in materia; non tamen fit ex materia, quoniam creatur à Deo independenter ab illa. Tertia appellatur ea, circa quam aliquid verſatur, vt ſunt obiecta omnia potentiarum, & ſcientiarum, circa quæ verſantur: vt viſus verſatur circa colorem, auditus circa ſonum, phyſica circa ens mobile, Arithmetica circa numerum, &c. & ratione proprij obiecti diſtinguuntur à cæteris; non tamen viſus dicitur fieri ex colore, auditus ex ſono, &c. quia materia circa quam non poteſt eſſe materia, ex qua, nec, in qua, ex quo viſus non fit in colore, nec auditus in ſono. Rurſus materia eſt duplex: nam quædam dicitur materia remota, & quædam proxima. Materia remota dicitur ex qua mediatè aliquid fit, vt ſunt aqua, & terra v. g. reſpectu ſtatuæ æreæ: ſiquidem æs fit ex terra, & aqua; ex quo ſtatua ærea conſtituitur. Materia verò proxima eſt, ex qua proximè, ac immediatè aliquid fit, vt eſt æs, ſeù metallum, ex quo proximè, ac immediatè fit ſtatua ærea.

Sicut igitur phyloſophati ſumus in naturalibus quoad materiam phyſicam; ita etiam pro-
4 portionaliter phyloſophari poſſumus moraliter quoad materiam ſacramentalem. Vndè quoad rem noſtram attinet, illa morali modo poteſt dici materia, in qua, ſeù quodammodo, ex qua Sacramenti pœnitentiæ, ſuper quam impenditur forma, & qua conſtat Sacramentum: & huiuſmodi ſunt actus pœnitentis, ſuper quibus forma impenditur, & ex quibus pœnitentiæ Sacramentum conſtare dicitur, nempè confeſſio, contritio, & ſatisfactio; qui quidem pœnitentis actus dicuntur quoque materia proxima pœnitentiæ; nam ſuper illos proximè, & immediatè impenditur forma abſolutionis. Materia autem, circa quam, Sacramenti pœnitentiæ poſſunt dici peccata pœnitentis: quia Sacramentum pœnitentiæ verſatur circa peccata: quæ quidem peccata dicuntur etiam materia remota, non quia ex ipſis directè fiant actus pœnitentis, ſicut ex aqua, & terra congelatur metallum, quod eſt materia ſtatuæ, aut ſicut ex tritico fit maſſa, quæ eſt materia proxima panis: ſed peccata dicuntur materia remota reſpectu eſſentialium partium, ex quibus proximè conficitur hoc Sacramentum. Vndè peccata ſunt obiecta eorundem actuum, non facienda, vt ſunt obiecta virtutum, ſed vt expellenda, & reprobanda, ſicut ſtuppa eſt materia ignis, quia ignis verſatur circa ſtuppam ad comburendam, & deſtruendam illam. Ita *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 2.* & alij apud *Suar. de pœnit. diſp. 18. ſec. 1.*

Secundò eſt adnot. quòd confeſſio, contritio, ac ſatisfactio, licèt ſe teneant ex parte materiæ
5 Sacramenti pœnitentiæ, quæ eſt eiuſdam pars eſſentialis; nihilominus confeſſio, contritio, ac ſatisfactio, non ſunt partes eſſentiales, ſed partes integrales, ſeù integrantes ipſam materiam, ſeù Sacramentum, quæ partes alio modo appellantur partes quantitatiuæ: ſiquidem partes eſſentiales dicuntur ex quibus compoſitum conſtat phyſicè, vt materia, & forma, vel logicè, vt genus, ac differentia: at dictæ partes licèt ſe teneant ex parte materiæ, quæ eſt pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ; nihilominus ex eis non componitur, ſeù non conſtat totum Sacramentum; ſed tantùm concurrunt ad conſtituendam ipſius materiam. Sic homo conſtat ex materia, & forma, nempè ex anima, quæ eſt forma hominis, & ex corpore, quod eſt eiuſdem materia: corpus autem conſtat ex digitis, ex manibus, ex pedibus, ex auriculis, ex oculis, ex capite, & ex alijs membris, quæ concurrunt ad conſtituendum corpus, atque ideò ſunt partes integrantes ipſum corpus, non autem eſſe eſſentiales corporis, quia homo poteſt conſiſtere ſine aliquo digito, ſine manu, ſine oculis; non tamen poſſet conſiſtere ſine capite, quoniã caput licèt ſit pars integrans; eſt tamen pars principalis ſine quo homo viuere non poſſet, quamuis viuere poſſet cum capite languido, & vulnerato. Et cùm confeſſio, contritio, ac ſatisfactio ſint partes integrantes, ſeù quantitatiuæ, non valent appellari partes ſubiectiuæ Sacramenti pœnitentiæ: ſiquidem ſingulis partibus ſubiectiuis adeſt tota virtus totius, ſimul, & æqualiter: at confeſſio attritio, & ſatisfactio non diuidunt ſibi æqualiter Sacramentum pœnitentiæ, & conſequenter in ipſis ſingulis non adeſt tota virtus Sacramenti; quoniam non valet dicere, contritio eſt Sacramentum, confeſſio eſt Sacramẽtum, ſatisfactio eſt Sacramentum; ſicut valet dicere homo eſt animal, Leo eſt animal, qui ſunt partes ſubiectiuæ animalis. Neque demum confeſſio, contritio, ac ſatisfactio poſſunt dici partes potentiales Sacramenti huius, quoniam in ſingulis prædictis partibus non eſt totum Sacramentum ſecundum totam eius eſſentiam, ſicut eſſentia animæ eſt in qualibet eius potentia. Reſtat igitur firmiter dicendum, confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem eſſe partes quantitatiuas, ſeù integrates Sacramenti pœnitentiæ: ſiquidem de ratione partium quantitatiuarum, & integrantium non exigitur, vt totum adſit ſingulis partibus, neque ſecundum totam virtutem eius, neque ſecundum totam eſſentiam eius, ſed omnibus ſimul, & ſic illa confeſſio ſemel ſaltem in anno vi noſtri canonis præcipitur, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentię: ſiquidem, vt ſupra oſtendimus in diuiſione huius §. 1. dicti canonis, & ex infra dicendis latius apparebit, præfatum præceptum non adimpletur niſi per veram, realem, completam ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ, atque adeò confeſſio annua talis eſſe debet, & eas conditiones habere, quas habet confeſſio, vt pars eſt præfati Sacramenti. Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant. Sola difficultas modo reſtat ſcire quot ſint, & quæ conditiones ſacramentalis confeſſionis.

In hac re Theologi ad ſacramentalem con-
6 feſſionem ſexdecim conditiones exigunt, quas refert *D. Thom. in 4. d. 17. q. vlt. art. 4. ad 4. q. 4. D. Anton. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 2. cum plur. ſeq. Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 1. Sot. in 4. ſent. d. 18. q. 2. art. 2. Nauar. in Man. cap. 2. n. 5. Suar. 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 21. ſec. 1. Molſ. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 11. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 1. à nn. 9.* & alij,

alij, eaſdem his quatuor verſibus colligentes, *Sit
ſimilex humilis, confeſſio pura, fidelis: Atque
frequens, nuda, diſcreta, libens verecunda: In-
tegra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata: fortis, &
accuſans, & ſit parere parata.* Has autem condi-
tiones *D. Thom.* in duas partes principales
diſſecandas eſſe cenſuit: in eas ſcilicet, quæ per-
tinent ad eſſe confeſſionis, & in ſpectantes ad
eiuſdem bene eſſe. Quæ ſpectant ad bene eſſe,
ait, eas eſſe duas; nempè quintam, & tertiam
decimam, quæ ſunt, *Frequens, & accelerata.*
Reliquas verò omnes arbitratur pertinere ad
confeſſionis eſſe, reducens illas ad quatuor ordi-
nes, prout confeſſio ipſa quadrupliciter conſi-
deratur. Nam quatenus conſideratur, vt virtutis
actus generalis, confeſſio debet eſſe diſcreta,
libens, pura, & fortis. Si verò conſideratur
ſpecialiter, vt eſt actus virtutis pœnitentiæ, debet
eſſe verecunda, lacrimabilis, & humilis. Quòd
ſi conſideretur ſpecialiſſimè, vt eſt talis actus
pœnitentiæ, nempè manifeſtatiuus interioris
contritionis, tunc opus eſt eſſe fidelis, nuda,
ſimplex, & integra. Si denique conſideretur, vt
pars Sacramenti pœnitentiæ, tunc oportet, vt ſit
accuſans, parere parata, & ſecreta: vt rectè quo-
que has omnes declarat *Sot. Filliuc. locis cita-
tis*, & alij.

Eſt tamen verum, quòd ſupradictas condi-
tiones, eas maximè ſine quibus confeſſio nulla
7 eſſet, nonnulli Doctores ad pauciorem numerum
reducere conantur. Vndè ad quatuor duntaxat
multi reduci poſſe arbitrantur: verùm licèt in
numero conueniant; differunt tamen in condi-
tionum qualitatibus: & propterea diuiſi ſunt.
Etenim *Sot. loco citato* putat, confeſſionis con-
ditiones eſſe, quòd ſit accuſans, integra, nuda, &
parere parata, *Tolet.* verò *lib. 3. ſuæ ſum. cap. 7.*
vult, quòd confeſſio debeat eſſe integra, diligens,
fidelis, & obediens. *Coninch. diſp. 6. de qualit.
confeſ.* exigit, quòd ſit accuſans, certo modo fiat,
ſit integra, & quòd fiat legitimo Miniſtro: &
Megal. denique *par. 1. Inſt. Peregr. lib. 5. cap. 7.*
putat, quòd debeat eſſe lacrimabilis, integra,
fidelis, & parere parata.

Sunt alij, qui ſupradictas ſexdecim conditio-
8 nes ad tres tantùm reducunt; ſed adhuc diuiſi
ſunt. Nam *Petr. Sot. de confeſ. lib. 7.* reducit eas
ad lacrimabilem, integram, & ſecretam. *Molf.*
verò *par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap 11.* reducit illas
ad libentem, integram, & parere paratam. Alij
rurſus reducunt præfatas conditiones ad tria
capita, nempè ad veritatem, ita vt ſit ſimplex,
pura, fidelis, nuda, diſcreta, accuſans: Ad inte-
gritatem, quòd ſit frequens, integra, ſecreta,
fortis: & ad dolentem, atque ideò ſit humilis,
libens, verecunda, lacrimabilis, accelerata, vt
refert *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ.
cap. 1. à nu. 9.* Alij reducunt eaſdem conditiones
ad duo tantùm capita: ſiquidem quaſdam volunt
pertinere ad materiam confeſſionis, nempè quòd
ſit integra, ſimplex, pura, fidelis, nuda, diſcreta,
fortis, frequens, accelerata. Reliquas autẽ putant
pertinere ad modum: & quoniam modus eſt
duplex, eſſentialis ſcilicet, & accidentalis: ad
modum eſſentialem dicunt ſpectare, quòd con-
feſſio ſit humilis, libens, lacrimabilis, parere
parata: ad modum verò accidentalem arbitran-
tur pertinere, quòd fiat ſecretè, ſit frequens, &
accelerata, vt videre eſt apud *Suar. 3. par. tom. 4.
de pœnit. diſp. 21. ſec. 1.* Canoniſtæ denique, vt
colligitur ex *Hoſtien. Henr. Boich.* & ex alijs in
9 explicatione noſtri canonis, conditiones ad ſa-
cramentalem confeſſionem requiſitas putant
eſſe octo, eaſdem ex eiuſdem noſtri canonis ver-
bis colligentes. Dicunt enim primò confeſſio-
nem debere eſſe diſcretam, ob illa can. verba,
Cum ad annos diſcretionis, &c. Secundò inte-
gram, vt patet ex dictione illa, *Omnia.* Tertiò
volunt, quòd ſit accuſans, propter illam can.
dictionem, *Sua.* Quartò ſecreta, ob Ly. *Solus.*
Quintò frequens, ob illa verba, *Semel ſaltem in
anno.* Sextò amara, ex Ly. *Fideliter.* Septimò
parere parata, vt conſtat ex illis verbis, *Et in-
iunctam, &c.* Et denique voluntaria, propter
verbum illud, *Studeat.* Hæc ſunt Doctor. placita
circa rem hanc, reſtat modò, vt quid nobis di-
cendum ſit videamus.

Hæc re vera Canoniſtarum opinio ſupra
cæteras ſupra relatas nobis videtur verior, atque
10 adeo Concil. in noſtro canone ſufficienter tra-
didiſſe conditiones, quas ſacramentalis confeſſio
exigit, non ſolum pro implendo præcepto con-
fitendi ſemel ſaltem in anno, ſed etiam pro ad-
implendo præcepto Diuino, & inſpecta confeſ-
ſione ipſa ſacramentali ſecundum ſe, & vt eſt
pars materialis integrans, ſeù quantitatiua Sa-
cramenti pœnitentiæ. Pro cuius rei faciliori ex-
plicatione eſt adnot. quòd definitio cuiuſcunque
11 rei vera, eſſentialis, & perfecta, cùm ſit eiuſdem
quidditas, & eſſentia, profectò ex ſacramentalis
confeſſionis definitione facilè cognoſcere pote-
rimus ipſius conditiones eſſentiales, ac ſimplici-
ter neceſſarias, ſine quibus confeſſio ipſa conſi-
ſtere non poteſt. Quocircà antequam ad contro-
uerſiæ huius determinationem deueniamus, cõ-
feſſionem prius definire operæ pretium eſſe du-
ximus.

Confeſſio igitur quamuis à Doctor. multipli-
12 citer definiatur, vt habent ex *D. Thom. in 4.
d. 17. q. 3. art. 2. Gabr. ibidem, q. 1. D. Anton.* poſt
*D. August. 3. par. tit. 14. cap. 19. in prin. Angel.
in ſum. ver. Confeſſio*, cum alijs ad ipſum additis,
*Syl. eod. ver. in prin. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 1.
Nauar. in Man. cap. 2. nu. 1. Tolet. lib. 3. ſuæ
ſum. cap. 6. Rodriq. par. 1. ſum. cap. 51. Suar. 3. p.
tom. 4. de pœnit. diſp. 21. ſec. 1. Reginal. lib. 6. ſuæ
praxis, nu. 1. Molf. tom. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap.
9. nu. 17. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de
confeſ. cap. 1. nu. 7. Fagund. de pracep. Eccleſ.
pracep. 2. lib. 3. cap. 1. nu. 1. P. Alph. de Leon. de
offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. nu. 1.* & ex alijs,
tùm Antiquis, tùm etiam Recentioribus; nihi-
lominus eiuſdem definitionem ex noſtri canonis
verbis ſufficienter colligi poſſe nos exiſtimantes
confeſſionem ipſam ita commodè definiri poſſe
arbitramur. Confeſſio eſt diſcreti fidelis pro-
priorum peccatorum accuſatio ad illorũ veniam
virtute clauium obtinendam.

Dixi, *Diſcreti fidelis*; quoniam ex parte pœ-
nitentis duæ præſertim conditiones exiguntur,
13 ad ſacramentalem confeſſionem ſimpliciter ne-
ceſſariæ, de quibus in noſtro canone in illis ver-
bis, *Fidelis poſtquam ad annos diſcretionis, &c.*
quarum altera eſt, vt pœnitens ſit fidelis, atque
ideò baptizatus, cum confeſſio fieri non poſſit,
niſi de peccatis poſt baptiſmum commiſſis, vt latè

de hac re ſupra egimus, & infra ſuo loco latius tractabimus. Altera verò, vt vſum rationis habeat, vt ſupra declarauimus *diſp.1.ſec.7.* Etenim confeſſio cùm ſit actus virtutis pœnitentiæ, vt diſcretè, ſeù prudenter, voluntariè, ex electione finis, & ſic recta intentione, & conſtanter fiat, vt omnis actus virtutis in genere expoſtulat; neceſſariò fieri debet ab eo, qui ad annos diſcretionis peruenerit: quapropter ſi fatuus, aut infans, qui neſciat quid faciat, aut aliquis tormentis compulſus peccata ſua Sacerdoti manifeſtaret, talis peccatorum prolatio ſacramentalis confeſſio non eſſet. Item debet pœnitens diſcretus eſſe ad eli-
14 gendum diſcretum confeſſarium, qui diſcernere ſciat inter lepram, & lepram. ſicut ligare, & ſoluere, ac more periti Medici ſuper infundat vinũ, & oleum vulneribus ſauciati, iuxta ea, quæ habentur in eodem noſtro canone, in illis verbis, *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, vt more periti Medici, &c. cap. alligant, 26. q. vlt. & cap. non ſatis, 86. d.* & hoc ideò ne ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadant, *cap. 1. in prin. de pœnit. d.6.* quod quidem quomodo procedat, infra ſuo loco, Deo duce, dicemus, de bonitate, ac ſcientia confeſſarij tractantes. Debet denique diſcretus eſſe pœnitens quoad cognitionem peccatorum, quoad ſpecies, circumſtantias, numerum, & quoad honeſtam eorum explicationem, ſi agatur maximè de peccatis venereis, quamuis hæc non ſint de eſſentia, cùm ruſtici præſertim neſciãt diſcernere inter maiora, & minora peccata, vt rectè docet *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 2. verſ. Secundò quæritur.*

Dixi, *Peccatorum*, ad oſtendendam materiam circa quam, ſeù remotam ſacramentalis confeſ-
15 ſionis, & Sacramenti pœnitentiæ, quæ ſunt peccata poſt baptiſmum commiſſa. Dixi, *Peccatorum*, indefinitè, ideſt, omnium peccatorum; quia indefinita æquipollet vniuerſali, *l. de quibus*, & ibi, *Bart. ff. de legib. l. de pretio, ff. de publ. in rem actione*: & confeſſio debet eſſe integra omnium peccatorum, vt Lateran. Concil. ſtatuit vi noſtri canonis, ob dictionem illam, *Omnia, &c.* Dixi, *Propriorũ peccatorum*: ſiquidem confeſſio ſacramentalis fieri debet de proprijs, non autem de alienis peccatis, vt conſtat ex eodem noſtro canone, in dictione illa, *Sua*. Vndè malè faciunt, qui in confeſſione aliorum peccata detegunt, etiam ſi cum alio peccaſſent: quia non debent exprimere perſonam, ſed ſatis eſt dicere, ſe cum alio peccaſſe, vt ſuo loco latius dicemus. Sic etiam excuſare ſe non debent, danda culpa alteri, qui præbuit occaſionem peccandi, vt ſolent, vt plurimum mulieres, eorum peccata viris, filijs, pediſſequis, & alijs huiuſmodi; & nonnulli demoni, fortunæ, fato, aut ſocijs tribuentes.

Dixi, *Accuſatio*, loco generis: nam datur accuſatio iudicialis, quæ fit in iudicio forenſi
16 abſque vlla ſpe veniæ, de qua in *cap. cum dilecti de accuſat.* Mentalis, quæ fit coram Deo, iuxta illud pſal. 31. *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam, &c.* & pſal. 50. *Tibi ſoli peccaui, malum coram te feci*: & eſt *text. in cap. ſi Apoſtolus, & cap. pœnitentiam, de pœnit. d. 3.* & per hanc peccatorum venia poſtulatur, de qua in noſtro canone, in illis verbis, *Proprio Sacerdoti.* Dixi quoque, *Accuſatio.* Supple, exterior, cùm fieri debeat proprio Sacerdoti, atque adeò opus eſt, vt accuſatio ſit externa, ac ſenſibilis, nec ſatis eſt interna, vt olim ſatis erat in lege veteri. Dixi, *Accuſatio*, vt oſtendatur cõfeſſionis eſſentia: ſiquidem confeſſio ſacramentalis eſt formaliter, & eſſentialiter accuſatio peccatorum ad correctionem, & vindictam ipſius confitentis. Hinc pœnitentia, cuius eſt actus confeſſio, ex *D. Auguſt. lib. de pœnit.* dicitur dolentis vindicta, puniens in ſe, quod commiſiſſe dolet, *cap. pœnitentia, de pœnit. d. 3.*

Dixi, *Ad eorum veniam obtinendam*; quia confeſſio cum ſit actus virtutis pœnitentiæ, vt
17 actus virtutis eſt debet fieri recta, ac pura intentione ex electione propter finem eius, nempè ad ſe accuſandum coram Deo, & ipſius Vicario ad peccatorum veniam obtinendam, vt differat à confeſſione iudiciali, quæ ſæpè ordinatur ad ſupplicium. Et quamuis confeſſio ſacramentalis ex timore multoties oriatur; debet tamen ſpe veniæ, ex charitate procedere, vt rectè docet *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 1.* in declaratione definitionis confeſſionis ab eo allatæ.

Dixi, *Virtute clauium*, quoniam accuſatio ſub ſpe veniæ debet eſſe ſacramentalis coram Dei
18 Vicario, vt diximus, qui eſt Sacerdos virtute clauium reum abſoluens, ad differentiam contritionis, quæ eſt mentalis tantùm accuſatio, & actus internus, quale non eſt Sacramentum pœnitentiæ, cuius pars eſt ſacramentalis confeſſio, cùm omne Sacramentum ſit actus externus: nam ob id dicitur ſacræ rei ſignum, ſeù inuiſibilis gratiæ viſibile ſignũ, vt colligitur ex *D. Auguſt. lib. 10. de Ciuit. Dei, cap. 5. Magiſt. in 4. d. 1. Hugon. lib. 1. de ſacram. par. 9. cap. 1.* & ex alijs, & benè explicat *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 1. de ſacram. cap. 1. q. 5. ſub nu. 10.*

Dixi, *Coram legitimo Miniſtro.* Ideſt coram Sacerdote proprio ipſius pœnitentis, vt patet ex
19 illis noſtri canonis verbis. *Proprio Sacerdoti, &c.* Etenim confeſſio ſi alij fieret quàm proprio Sacerdoti: quod quidem quomodo procedat, infra, Deo duce, declarabimus de Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ agentes. Dixi quoque, *Coram legitimo Miniſtro.* Siquidem confeſſio ita facienda eſt coram legitimo miniſtro, ac Dei Vicario, vt illi pœnitens ſua peccata manifeſtet. Non tamen de eſſentia confeſſionis eſt, vt peccata voce proferantur; ſed ſatis eſt, vt ſenſibilis ſit,
20 atque adeò non tantùm ore, ac voce confeſſio fieri poteſt; ſed etiam in neceſſitate ſatis eſt ſi fiat per nutus, & ſigna ſenſibilia, & externa, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 3. Coninch. diſp. 6. de qualit. confeſ. dub. 1. nu. 1. Tolet. lib. 3 ſummæ cap. 6. nu. 1. Suar. de pœnit. diſp. 21. ſec. 3. nu. 6. & ſeq.* In prima editione, & hanc ſententiam communem eſſe teſtatur *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 3. cap. 1. ſub nu. 4.* qui eandem pluribus rationibus comprobat, *& nu. 5. 6. & 7.* contraria ſoluit. Dixi, *In neceſſitate ſatis eſt, &c.* quoniam extra neceſſitatem ipſa confeſſio ſemper ore facienda eſt;
21 atque ideò lethalem culpam contrahit ille, qui cùm benè poſſit proprio ore confiteri, per ſigna, mutus, aut per interpretem confiteretur. Etenim mutaret Eccleſiæ conſuetudinem, quæ mutatio eſt grauis, & in re graui: ſicut communis conſuetudo abſoluendi per illa verba, *Ego te abſoluo.*

Muta-

Mutaretur per æquipollentia verba, *Remitto tibi*
22 *peccata tua*. Mutatio illa eſſet grauis, & in te-
gram; atque adeò in vtroque caſu committere-
tur peccatum mortale, & validum eſſet Sacra-
mentum, vt poſt alios idem *Fagund. loco citato,*
ſub nu. 8. Quod tamen limitandum eſſe arbitror,
vt abſolutio illa verbis illis, *Remitto, &c.* Im-
penſa, tunc valida ſit quando pœnitens bona
fide, inculpabiliter eo modo pateretur abſolui;
quoniam tunc abſolutio eſſet valida, licèt con-
feſſarius peccaret mortaliter: ſecus autem ſi pœ-
nitens ipſe ſciens, ac patiens abſolutionem præ-
fato modo ſuſciperet, quoniam tunc poneret
obicem abſolutioni, & gratiæ per nouam cul-
pam, & ita abſolutio nulla eſſet. Imò in caſu, de
quo agitur, non video quomodo quis per nutus,
& ſigna citra neceſſitatem aliquam confitendo
peccet mortaliter, & validam faciat confeſſio-
nem, cum per nouam culpam ponat obicem
gratiæ: niſi dicamus eam eſſe validam, & infor-
mem, quem modum nos retulimus ſupra *ſec.* 4.
nec apud alios Doctores reperi: nec ipſe *Fagund.*
admitteret, cùm non admittat dari confeſſionem
validam, & informem: & ideò ſi demus peccare
mortaliter ſaltem ſcienter, ſatis dubia nobis vi-
detur opinio *Fagund.* dicentis eo caſu, confeſ-
ſionem eſſe validam: & ſi bona fide quis confi-
teatur exiſtimans non peccare confitendo per
ſigna, nutus, per ſcripturam, vel interpretem,
arbitror eum non ſolum facere confeſſionem
validam, verùm etiam formatam, & ſic ſuſcipere,
ac conſequi diuinam gratiam. Adde quòd *Fa-*
gund. loco citato, nu. 9. putat, quòd licèt quis
abſolutè loquendo, teneatur voce propria confi-
teri: attamen ſi in confitendo nimiam verecun-
23 diam, ac pudorem grauem ſentiret, non peccaret
lethaliter, ſi per nutus, ſigna aut per interpretem
confiteretur: ſiquidem ſupra relata conſuetudo
non videtur hoc euentu tàm grauiter obligare,
& hanc ſententiam docent *Scot. in* 4. *d.* 17. *in*
fin. in reſp. ad argum. penul. Coninch. diſp. 6. *de*
qualit. confeſ. dub. 1. *nu.* 3. *Valent. q.* 11. *punc.* 2. *in*
fin. & alij. Dixi tandem, *Coram legitimo Mini-*
ſtro. Ad refellendam opinionem eorum, qui ad-
mittebant confeſſionem factam confeſſario ab-
ſenti per litteras, aut per nuncium, quæ fuit
damnata à S. M. Clem. VIII. vt ſuo loco latius,
Deo duce, dicemus.

Dixi, *Fideliter habita*. Etenim vi noſtri ca-
nonis præcipitur confeſſionem fideliter fieri, vt
24 conſtat ex dictione illa, *Fideliter*. Siquidem
ſacramentalis confeſſio debet eſſe fidelis citra
mendacium aliquod, dicendo certa pro certis,
dubia pro dubijs, non occultando peccata, non
propter hypocriſim, inanem gloriam, aut aliud
humanum commodum, vel reſpectum habita;
ſed debet fideliter manifeſtare animi dolorem,
& contritionem, veram, & realem ipſius pœni-
tentis, cum propoſito non peccandi de cætero,
ac ſatisfaciendi, vt ſuo loco declarabimus: atque
ideò confeſſio non debet eſſe ſimplex peccato-
rum narratio ad inſtar hiſtoriæ: propter quod
maximè reprehenditur abuſus nonnullorum, qui
ita confitentur, ac ſi hiſtoriam confeſſario enar-
rent, ſe excuſando, vel culpam alijs imputando.

Ex dictis patet ſufficienter traditam fuiſſe con-
feſſionis ſacramentalis definitionem ex noſtro
25 canone deſumptam, in illis verbis, *Fidelis poſt-*
quam ad annos diſcretionis omnia ſua ſolus
peccata ſemel ſaltem in anno fideliter confiteatur
proprio Sacerdoti. Conſtat enim ex genere, ac
differentijs, & cõuertitur cum ſuo definito, iuxta
text. in l. 1. §. *ſi dolum, ff. de dolo*, atque adeò
eſſentialis quodam dici poteſt morali modo:
ſiquidem in moralibus non reperitur rei eſſentia
ſicut in phyſicis: quapropter Phyloſophus natu-
ralis congruentem affert definitionem in natura-
libus, quam tradere non valet moralis Phyloſo-
phus in moralibus. Hinc rectè ait *Iuriſc. in l.*
omnis diffinitio, ff. de regul. iur. quòd omnis diſ-
finitio periculoſa eſt in iure, atque adeò in mo-
ralibus deſcriptio potius datur, quam exacta de-
finitio. Vndè meritò *Fagund. de præcep. Eccl.*
præcep. 2. *lib.* 3. *cap. in prin.* referens confeſſio-
nis definitionem illatam à Toleto, illam appellat
deſcriptionem inquiens; Confeſſio ita deſcribi-
tur à *Toleto lib.* 3. *ſum. cap.* 6. Et cum ex vi noſtri
canonis, & ex dicta definitione à nobis allata,
ex copulatiuè concurrant ad cõſtituendam con-
feſſionis definitionem, primò ſcilicet, aut con-
feſſio fiat à fideli, qui rationis vſum habeat: ſe-
cundò quòd fiat de peccatis omnibus: Tertiò
quòd ſit de proprijs peccatis accuſatio: quartò
ꝙ ſpe veniæ virtute clauiũ obtinendæ adhibeatur;
quinto quòd fiat fideliter: & ſexto coram pro-
prio Sacerdote; hinc ſequitur has omnes eſſe
conditiones ſimpliciter neceſſarias ad ſacramen-
talem confeſſionem, ſine quibus ſacramentalis
confeſſio eſſe non poſſet. Etenim, quæ ingre-
diuntur rei definitionem, omnia ſunt ei ſimpli-
citer neceſſaria: ſicut ſimpliciter neceſſarium eſt
homini, vt ſit animal, & animal rationale; quo-
niam animal rationale eſt definitio hominis.

In ipſo noſtro canone non ſolùm habetur con-
feſſionis definitio cum omnibus conditionibus
26 ſimpliciter, vt ſupra neceſſarijs; ſed etiam tra-
duntur duæ aliæ conditiones: quarum altera
non eſt ſimpliciter neceſſaria, ſed tantùm hu-
mano more, & altera eſt vtilis dumtaxat. Prior
eſt, vt confeſſio ſit ſecreta, vt conſtat ex illa
dictione *Solus*. Siquidem confeſſio quamuis
publicè fieret eſſet valida, vt ſuo loco dicemus,
nihilominus ſi publicè fieri confeſſio præcipere-
tur, Sacramentum pœnitentiæ in Eccleſia ſuſti-
neri non poſſet, vt bene docet *Sot. loco ſupra*
citato. Poſterior verò conditio eſt, vt confeſſio
ſit frequens, ſeù accelerata, vt patet ex illis ver-
bis, *Saltem ſemel in anno*. Quæ verba deſeruiunt
ad definiendam confeſſionem ſacramentalem,
non tantum ſimpliciter; verum etiam vt vi noſtri
canonis præceptum. Imò adeo Concilium do-
ctrinam hanc ſufficienter tradidit in illis paucis
noſtri canonis verbis, vt ſub dicta definitione,
atque ideò ſub prædictis ſex conditionibus ean-
dem conſtituentibus; & ſub alijs duabus, quas
diximus non eſſe ſimpliciter neceſſarias, omnes
illæ ſexdecim conditiones à ſupra relatis Docto-
ribus requiſitæ reduci poſſint.

Etenim cum diſcreti fidelis debeat eſſe con-
feſſio, conſequenter debet eſſe diſcreta, & pru-
27 dens; atque ideò virtutis actus, & ſic libens, ſeù
voluntaria, cum non detur humanus, & virtutis
actus, qui non ſit voluntarius, & à voluntate
dependeat. Non tamen intelligimus libens, vt fiat
28 ſcilicet confeſſio quadam animi promptitudine:
nam licèt id confeſſionis ſit valdè cõſentaneum;

non tamen eſt neceſſarium, cùm multi magna grauedine ad confeſſionem ſe conferant; ſed tantùm ſatis eſt, vt coactè non fiat ad inſtar confeſſionis iudicialis in tormentis habitæ, aut alterius eiuſmodi, vt habetur ex *Sot. in 4. d. 18 q. 2. art. 2. verſ. Secundò requiritur*. Præterea cùm ſacramentalis confeſſio debeat eſſe diſcreta, oportet eſſe non ſolùm libens, ſed etiam pura, cùm actus virtutis exigat, vt fiat ex electione finis eius, & ex pura intentione, ita vt pœnitens non habeat aliam intentionem, quàm, mediante ſacramentali peccatorum accuſatione, obtinendi eorum veniam; non autẽ propter hypocheſim, aut propter alium malum finem. Eſt tamen verùm ſpei veniæ adiungat etiam intentionem rei temporalis de ſe licitæ, non ob id diceretur facere contra confeſſionis puritatem, vt ſi quis ad confeſſionem accederet ad corporalem valetudinem aſſequendam, ad temporale malum vitandum, &c. vt rectè docet idem *Sot. loco citato, verſ. Tertiò requiritur*. Et denique ſi confeſſio debet eſſe diſcreta, ac virtutis actus, cùm diſcretio ſit actus prudentiæ, conſequenter erit fortis: ſiquidem omnis virtutis actus exigit, vt non ſolùm prudenter, voluntariè, & recta intentione; ſed etiam conſtanter fiat contra omnia impedimenta: atque ideò pœnitens, non obſtante quocunq; impedimento, ad confeſſionem ſe conferat, vbi, & quando oporteat. Benè verum eſt, quòd licèt confeſſionis ſit ornamentum, virili, ac ſtrenuo animo ad eam accedere; id tamen non eſt neceſſarium, vt ait *Sot. d. art. 2. verſ. Quarta conditio*.

Secundò diximus vi noſtri canonis requiri, vt confeſſio fiat de peccatis proprijs: & propterea
29 ex hoc neceſsariò ſequitur, vt ſit accuſans, atque ideò verecunda. Et cum fieri debeat de peccatis omnibus per diſtinctiones illas, *Omnia ſua*. In canone contentas, conſequenter debet eſse integra omnium, ac ſingulorum peccatorum, & eorum circumſtantiarum, mutantium ſpeciem, & agrauantium in infinitum, vt ſuo loco dicemus. Imò ex hoc deducitur, confeſſionem debere eſse ſimplicem, & nudam, nempè citra artificium aliquod; ſed clara, itaut confeſsarius per illam intelligere poſſit non ſolùm numerum, ſed etiam ſpecies, & circumſtantias peccatorum. Exigit quoq; Concilium in noſtro canone, quòd pœnitens ſolus ſua peccata confiteatur, vt patet ex illa dictione, *Solus*, atque ideò ſecreta debet eſse confeſſio: quæ conditio reſpicit bonum vſum confeſſionis; non tamen eſt neceſsaria ſimpliciter, ſed humano tantùm more, vt ſupra diximus. Et dum Concilium ipſum vult fieri cõfeſſionem ſemel ſaltem in anno, per conſequens exigit, vt confeſſio ſit frequens, etiam ante annum, & accelerata poſt culpam contractam: quæ quidem conditiones coincidunt, & vtiles tantùm ſunt, ac de conſilio, non autem neceſsariæ.

Denique Concilium ſtatuit, confeſſionem ſacramentalem fieri debere fideliter, vt patet ex
30 dictione illa, *Fideliter*. Atque ideò confeſsio ipſa debet eſse fidelis, ideſt ſine mendacio: nam ſicut pœnitens tenetur ſe accuſare de peccatis, quæ commiſit cum ſuis ſpeciebus, & circumſtantijs; ita etiam non debet ſe accuſare de peccatis, quæ non contraxit, aut falsò peccatis addere circumſtantias aliquas, maximè mutantes ſpecies, vel agrauantes in infinitum. Item debet eſse fidelis, ideſt amara, ſecundum Canoniſtas ſupra relatos, & ſic lacrymabilis; ideſt cum dolore interno de peccatis commiſsis, ita vt con-
31 feſsio ipſa externa fideliter exprimat confeſsionem internam, animi dolorem, & contritionem. Non tamen neceſsariæ ſunt lacrymæ exteriores, cùm in noſtra poteſtate non ſint, & ex alijs cauſis poſſint ortum habere, quàm ex ſcelerum dolore. Ex hac conditione ſequitur quoque, quòd con-
32 feſsio debeat eſse humilis in actu exteriori, tam in verbis, quibus humiliter fiat accuſatio de peccatis proprijs, quàm in habitu corporis, vultu ad terram demiſso, coram Dei Vicario humiliter proſtratus, & tandem debet eſse confeſsio fidelis, non ſolùm cum ſufficienti dolore de peccatis commiſsis, verum etiam cum propoſito non peccandi de cætero, ac ſatisfaciendi, & ſic dicetur quoque confeſsio parere parata.

Conſtat igitur ex dictis, Lateran. Concilium ſub illis paucis verbis, *Fidelis poſtquam, &c.* Concluſiſse primò ſufficientem ſacramentalis confeſsionis definitionẽ: ſecundò eiuſdem conditiones tam ſimpliciter neceſsarias ex parte confitentis; nempè vt ſit baptizatus, & rationis vſum habeat, vt conſtat ex illis verbis, *Fidelis poſtquàm ad annos, &c.* Tum ex parte materiæ, vt ſcilicet confeſsio fiat peccatorum omnium, & propriorum, ob illa verba, *Omnia ſua peccata*, tum ex parte modi eſsentialis, vt fideliter fiat, ob dictionem illam, *Fideliter*. Item ſub dictis verbis concluſit Concilium conditionem ad confeſsionem neceſsariam humano tantùm more, vt patet ex dictione illa, *Solus*. Et alias tantùm vtiles, propter verba illa, *Semel ſaltem in anno*. Tertiò conſtat ſub eiſdem conditionibus, ac definitione includi pariter omnes illas ſexdecim conditiones à Theologis ad confeſſionem ſacramentalem requiſitas: nempè quòd confeſſio ſit diſcreta, libens, pura, fortis, accuſans verecunda, integra, ſimplex, nuda, ſecreta, frequens, accelerata, fidelis, lacrymabilis, humilis, parere parata. Denique idem Concilium ſub eiſdem noſtri canonis verbis docet nos ſacramentalem confeſſionem eſſe eſſentialiter accuſationem, poſt quam in illis omnes accuſationis conditiones exprimit. Oſtendit enim primò accuſatorem, & hunc eſſe ait pœnitentem fidelem, rationis vſum habentem, vt in dictis verbis, *Fidelis poſt quàm, &c.* Secundò indicat Reum, & hic eſt idem pœnitens, ſeù confitens ob dictionem illam, *Sua*. Cùm enim de ſuis peccatis ſe accuſat pœnitens, ipſe proculdubio dicitur accuſator, & reus. Tertiò docet nos Iudicem, coram quo deferri debeat accuſatio, &, iſtum, inquit, eſſe proprium Sacerdotem, vt conſtat ex illis verbis, *Proprio Sacerdoti*. Quartò deſignat accuſationis ſacramentalis materiam, quæ ſunt confitentis peccata omnia, vt conſtat ex Ly. *Omnia*. Ee demum modum accuſationis edocet, propter dictionem illam, *Fideliter*. Hæc de iſta quæſtione reſtat modò, vt ſupradictas canonis particulas, hucuſq; plenè, ac ſufficienter non diſcuſsas per ſuas diſputationes, ac ſectiones iuxta eiuſdem canonis ordinem explicemus.

Ibi,

Ibi, *Omnia ſua, &c.* De integritate confeſſionis ſacramentalis, tùm ſecundum ſe conſiderata, tùm etiam ad implendum præceptum noſtri canonis.

DISP. III.

ENarrauimus diſp. præced. Sec. vltima, conditiones, quas exigit ſacramentalis confeſſio annua, vi noſtri canonis præcepta, quæ continentur in illis eiuſdem canonis verbis, *Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata fideliter confiteatur proprio Sacerdoti*. Et in prima diſp. ſufficienter explicauimus per nonnullas ſectiones prædicta canonis verba vſque ad dictiones illas, *Omnia ſua*. Reſtat modo competenti ordine, vt dictiones prædictas, confeſſionis integritatem indicantes in præſenti diſp. fuſius explicemus, & ideò quærimus in primis.

An confeſſio ſacramentalis debeat eſse integra omnium peccatorum, in pœnitentis conſcientia exiſtentium.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentalis confeſſionis integritas duplex, materialis, & formalis.*
2 *Peccatum diuiditur in originale, & actuale, & ipſius actualis diuiſio.*
3 *Controuerſia de integritate confeſſionis dupliciter diſputari poteſt.*
4 *Hæretici reprobantes integritatem confeſſionis referuntur.*
5 *Confeſſionem ſecundum ſe debere eſſe integram omnium peccatorum; nihilominus in ordine ad præceptum Eccleſiæ, ſi fideles interna peccata tantum habeant non ligari præcepto noſtri canonis, qui dicat.*
6 *Sententia communis, vera, ac de fide quo ad integritatem confeſſionis refertur.*
7 *Peccatum originale nemo tenetur confiteri.*
8 *Peccatum originale non poteſt dici propriè proprium.*
9 *Peccatum originale ſufficienter deletur per Sacramentum baptiſmi.*
10 *Abſolutio non cadit ſuper peccatum originale, quia non eſt materia propria accuſationis.*
11 *Peccatum originale confiteri eſſet ridiculum, & citra culpam fieri non poſſet.*
12 *Peccatum originale, nec ad pœnitentiam pertinet, vt eſt virtus, atque ideò de eo, nec contritio, nec attritio habenda eſt.*
13 *Pœna ſenſus non debetur pro peccato originali, nec de eo pœnitentia aliqua haberi poteſt.*
14 *Peccatum non debetur, niſi per pœnitentiam.*
15 *Verba D. Auguſtini (Per totam iſtam vitam debere nos peccati originalis pœnitere) explicantur.*
16 *Peccatum originale licet ſit vnum in eſſentia, eſt tamen multiplex in effectu.*
17 *Peccatum originale per modum ſimplicis odij, ſub obiecto virtutis pœnitentiæ, quatenus eſt Sacramentum.*
18 *Pœnitentia quatenus Sacramentum eſt fuit à Chriſto Domino inſtituta ad deſtruenda peccata actualia propria voluntate commiſſa.*
19 *Peccatum originale non pertinet ad integritatem confeſſionis, tùm vt pars integralis Sacramenti pœnitentiæ conſiderata, tùm vt ab Eccleſia præcepta.*
20 *Diſplicentia quædam ſimplex ſeù triſtitia haberi poteſt de peccato originali, quæ non exigitur in Adulto ad effectum Baptiſmi.*
21 *Complacentia non poteſt haberi de peccato originali citra lethalem culpam.*
22 *Adultus cum iuſtificatur per proprium actum ſemper virtualiter habet illam diſplicentiam peccati originalis.*
23 *Baptiſmus eſt ianua omnium Sacramentorum.*
24 *Pœnitentia dicitur ſecunda tabula poſt naufragium.*
25 *Adultos quam præparationem habere oportet ad Baptiſmum ſuſcipiendum.*
26 *Pœnitens non tenetur confiteri peccata ante baptiſmum commiſſa, nec volens ad ea confitenda debet admitti.*
27 *Sacerdos impendens abſolutionem ſuper peccatis ante baptiſmum commiſſis, & pœnitens qui ea confitetur inferunt iniuriam Sacramento Baptiſmi.*
28 *Peccata ante baptiſmum, ſiue per baptiſmum ſint remiſſa, ſiue nõ, propter obicem non ſubduntur clauibus.*
29 *Peccatum fictionis ſpectat ad Sacramentum pœnitentiæ.*
30 *Peccatum fictionis multiplex, & declaratur.*
31 *Adultus de recenti baptizatus ſi confiteatur, & dicit non habere alia peccata, niſi quæ ante baptiſmum commiſſa, quomodo interrogandus, & ſuper quo abſolutio impendenda.*
32 *Adultus ſi accedens ad confeſſionem dixerit ſe non habuiſſe intentionem ſuſcipiendi baptiſmũ quomodo monendus.*
33 *Adultus decem, quindecim, vel vltra annorum poſt baptiſmum accedens ad confeſſionem, vt confeſſarius audiat generalem confeſſionem omnium ſuorũ peccatorũ quomodo monendus.*
34 *Peccata venialia non pertinent ad integritatem confeſſionis.*
35 *Peccata venialia non cauſant naufragium in anima.*
36 *Peccata venialia non ſunt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ.*
37 *Infuſio gratiæ per ſe non eſt neceſſaria ad remiſſionem venialium; & modi plures ex quibus remittuntur, numerantur.*
38 *Venialia non pertinent ad integritatem confeſſionis, ſiuè conſideretur ſecundum ſe, ſiuè vt præcepta ab Eccleſia.*
39 *Præceptum annuæ confeſſionis eſt determinatio Iuris diuini tantùm.*
40 *Confeſſio venialium nec exigitur ad digniſſimã ſumptionem Euchariſtiæ, tamen ſatis congruũ eſt eam præmittere.*
41 *Confeſſio venialium non poteſt præcipi ab Eccleſia, vt neceſſaria ad ipſius validitatem, atque ideò quoad actus ſpecificationem.*
42 *Exercitium, & vſus confeſſionis poteſt abſolutè præcipi, ita vt obliget habentem tàm venialia, quàm mortalia.*
43 *Interrogatus à confeſſario de venialibus non tenetur ea confiteri.*
44 *Mendacium dicens in cõfeſſione ſemper peccat, non tamen ſemper mortaliter.*
45 *Venialia mixta cum mortalibus poſſunt in confeſſione taceri.*

46 *Pæ-*

46 *Pœnitens confitendo venialia ordinario confeſſori, & mortalia extraordinario an peccet mortaliter.*

47 *Venialia confiteri eſt valde vtile.*

48 *Dubius de aliquo veniali, an ſit mortale tenetur illud confiteri, & declaratur cum debeat eſſe de æquilibrio.*

49 *Peccata venialia conſueta, & inueterata, an pertineant ad integritatem confeſſionis.*

50 *Venialia, ex vſu, & conſuetudine ob periculum peccati grauiſſimi aliquando mutantur in mortale.*

51 *Contemptus mandatorum Dei oritur ex conſuetudine peccandi venialiter.*

52 *Venialia tantum habens tenetur ſaltem ſemel in anno comparere coram proprio Sacerdote.*

53 *Peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, & aliàs ritè confeſſa non pertinent ad integritatem confeſſionis.*

54 *Eccleſia non poteſt præcipere peccata aliàs confeſſa iterum confiteri.*

55 *Eccleſia non poteſt materiam Sacramenti non neceſſariam, facere neceſſariam.*

56 *Iubilæum aſſequi volens tenetur præmittere confeſſionem in eo expoſtulatam, etiam ſi venialia tantum habet, vel peccata aliàs cõfeſſa.*

57 *Peccata aliàs confeſſa non pertinent ad integritatem confeſſionis tam ſpecialis, quàm generalis; quod declaratur.*

58 *Peccata aliàs confeſſa, etiam in confeſſione informi nõ pertinent ad cõfeſſionis integritatẽ.*

59 *Peccata mortalia aliàs confeſſa per proprium conſenſum poſſunt pertinere ad integritatem confeſſionis.*

60 *Peccata mortalia aliàs confeſſa poſſunt pertinere ad integritatem confeſſionis iure reſeruationis factæ ante illorum confeſſionem.*

61 *Pœnitens indirectè de aliqua lethali culpa abſolutus teneatur de illa confiteri; & declaratur.*

62 *Pœnitens dubitans, an de aliqua fuerit confeſſus lethali culpa, & abſolutus teneatur illam confiteri.*

63 *Peccata aliàs confeſſa non ſunt de integritate confeſſionis, quando confeſſio fuit valida, ſecus ſi inualida.*

64 *Confeſſio multis modis poteſt eſſe inualida, tàm ex parte confeſſarij, quàm pœnitentis.*

65 *Confeſſarius non habens intentionem abſoluendi facit confeſſionem inualidam.*

66 *Verba* Abſoluo te, *ſuns de præcepto Eccleſiæ; & ſi confeſſarius impendat abſolutionem per verbum* Remitto, *vel abſolutionem impendo qualiter peccet.*

67 *Confeſſio ſi ſit nulla ex parte Sacerdotis, pœnitens ſi confiteatur alteri Sacerdoti tenetur iterare omnia mortalia, & quid ſi voluerit confiteri de nouo eidem Sacerdoti.*

68 *Sacerdos habens iuriſdictionem, ſed impeditam facit confeſſionem nullam.*

69 *Pœnitens ſi ex communi errore confiteatur peccata non habenti iuriſdictionem putans bona fide eum habere facit confeſſionem validam.*

70 *Confeſſarius ignorans peccata, quæ communiter cognoſcuntur, & à paucis ignorantur facit confeſſionem inualidam.*

71 *Abſolutio eſt valida, ſi confeſſarius ſciat diſcernere mortale à veniali, & pœnitens ſit in bona fide.*

72 *Confeſſarius indoctus validè impendit abſolutionem in caſu neceſſitatis, etiamſi ignorantia eſt nota pœnitenti.*

73 *Confeſſarius ſi recordatur ſtatus pœnitentis, ſaltem in confuſo poteſt impendere abſolutionẽ.*

74 *Confeſſarius non habens attentionem in confitendo pœnitentem facit confeſſionem inualidã.*

75 *Pœnitens non habens intentionem recipiendi abſolutionem facit confeſſionem inualidam.*

76 *Pœnitens habens intentionem confitendi, & ſuſcipiendi Sacramentum, etiam quod faciat propter vanam gloriam facit validam confeſſionem.*

77 *Pœnitens non habens vſum rationis facit confeſſionem inualidam.*

78 *Amentes, & furioſi habentes dilucida interualla, ſi tempore quo confitentur ſunt ſanæ mentis valida eſt eorum confeſſio, & ſi poſtquam fueris quis ritè confeſſus dormitauerit poteſt abſolui.*

79 *Vſus rationis requiritur in confeſſione, non autem in abſolutione.*

80 *Confeſſarius quomodo ſe gerere debeat in confeſſionibus puerorum.*

81 *Confeſſarius ſi conſideratis circumſtantijs dubitet de capacitate pueri, debet eum abſoluere ſub conditione ſaltem animo retenta, & in articulo mortis abſque conditione.*

82 *Pœnitens facit confeſſionem inualidam ex defectu materiæ proximæ, ſ. quia ſcienter non habet ſufficientem dolorem de peccatis.*

83 *Pœnitens ex defectu materiæ remotæ, quia ſ. tacuit aliquod peccatum mortale in confeſſione doloſè, vel culpabiliter non examinauit conſcientiam facit confeſſionem inualidam.*

84 *Pœnitens qui in ipſo actu confeſſionis peccat mortaliter facit confeſſionem inualidam, quod qualiter ſit declaratur.*

85 *Pœnitens ſi vult poteſt peccata aliàs confeſſa tanquam materiam ſufficientem clauibus ſubijcere; & vtilitas affertur.*

86 *Iudicium ſacramentale eſt diuerſæ rationis à Iudicio forenſi.*

87 *Iteratio confeſſionis, & abſolutio ſuper ea fructum affert ex opere operantis, & ex opere operato.*

88 *Iterans confeſſionem peccatorum remiſſorum debet etiam iterare contritionem, vel ſaltem attritionem, & ſatisfactionem, & idem in ea ratione reſeruatorum.*

89 *Peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa pertinent ad integritatem cõfeſſionis, & omnia pœnitens tenetur confiteri vni, & eidem Sacerdoti in vna, & in eadem confeſſione, & in ordine ad vnam, & eandem abſolutionem.*

90 *Qui omne dicit, nihil excludit.*

91 *Indiſſinita æquipolles vniuerſali.*

92 *Verba Iacobi Apoſtoli,* Confitemini alterutrũ peccata veſtra, *ſunt intelligenda de confeſſione omnium peccatorum ab hominibus facienda Sacerdotibus hominibus.*

93 *Abſolutio cum ſit actus Iudicialis non cadit ſuper incognitis.*

94 *Sacramentum pœnitentiæ eſt vnum in inſtrumẽtis per quæ merita Chriſti nobis applicatur.*

95 *Peccata mortalia non ſolum publica, & externa, ſed etiam occulta, & purè interna pertinent ad integritatem confeſſionis.*

96 Fi-

Digitized by Google

96 *Fideles ab initio naſcentis Eccleſiæ conſueuerunt confiteri peccata interna.*

97 *Sententia Margarita confeſ. quod licet omnia peccata etiam interna pertineant ad integritatem confeſſionis ſecundum ſe, tamen quoad præceptum Eccleſiæ interna tantum habent non obligari eſt falſa.*

98 *Lex generaliter loquens generaliter debet intelligi.*

99 *Peccata dubia pertinent ad integritatem confeſſionis, ſiue dubium ſit, an fuerint confeſſa, & remiſſa, ſiue Iuris, ſiue facti ſit.*

100 *Peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa, tàm non reſeruata, quàm reſeruata pertinent ad integritatem confeſſionis.*

101 *Peccata reſeruata, & non reſeruata habens, non poteſt inferiori confeſſario non reſeruata tantum confiteri, & pro reſeruatis adire Superiorem.*

102 *Facultas abſoluendi à quibuſcunq; peccatis mortalibus, cum onere quod peccata reſeruata, vel omnia mortalia pœnitens teneatur confiteri ſuperiori poteſt concedi.*

103 *Sacerdos inferior poteſt à reſeruatis abſoluere antequam pœnitens ſuperiori compareat ex aliqua graui neceſſitate, etiam ſi non ſit articulus mortis.*

104 *Sententia Suar. dicentis, quod ſi pœnitens ab inferiore abſoluatur à non reſeruatis, & pro reſeruatis remittatur ad ſuperiorem, & abſolutio bona fide ſuſcipiatur Sacramentum eſſe validum, & ſatis ſit ſuperiorem adire cui reſeruata confiteatur abſq; iteratione non reſeruatorum eſt valdè dubia.*

105 *Superior non poteſt peccata reſeruata tantum à pœnitente audire, & pro non reſeruatis eum remittere ad inferiorẽ, & quādo id fieri poſſit.*

106 *Pœnitens peccata, quæ in propria conſcientia habet mortalia, & de eis recordatur teneatur vni, & eidem Sacerdoti in vna eademq; confeſſione confiteri, & in ordine ad vnam eandemque abſolutionem.*

107 *Pœnitens in quibus caſibus licet non faciat confeſſionem materialiter in gratia, facit tamen formaliter.*

108 *Diligentia ad propriæ cōſcientiæ diſcuſſionem qualis eſſe debeat.*

109 *Impoſſibilium nulla eſt in moralibus obligatio & ideò pœnitens non potens non tenetur ad integritatem confeſſionis.*

110 *Pœnitens qui non poteſt verbis confiteri, ſatis eſt ſi interrogatus à confeſſario nutu, vel alio ſigno quoad fieri poteſt exprimat, & ſi nō poteſt ſigno contritionis oſtendere, & quid in moribundò qui dixit confeſſario velle confiteri, & deinde loquelam amittat, vel abſente Sacerdote ſigno contritionis oſtendit, & Sacerdos aduenerit tēpore, quo moribūdus ſenſu careat, an ſit abſoluendus.*

111 *Baptiſmum, vel pœnitentiam petens, & poſtea obmutuit, ſi eius voluntas poteſt probari per teſtes fide dignos debet baptizari, vel abſolui.*

112 *Iudex debet iudicare ſecundum allegata, & probata.*

113 *Confeſſarius vrgente neceſſitate poteſt multos ſimul alta voce aliquod peccatum confitentes audire eoſdemque abſoluere dicens*, Ego vos abſoluo, &c.

114 *Neceſſitas, aut Impotentia confeſſarij audientis confeſſionem excuſat à confeſſione integra omnium peccatorum, ſed ſatis eſt aliqua peccata audire, & pœnitentem abſoluere, vbi cum non eſt alius Sacerdos, qui poſſit confeſſionem audire, & quid ſeruetur in praxi, ſi pœnitenti in articulo mortis conſtituto impendatur abſolutio non completa confeſſione.*

115 *Forma omnium Sacramentorum debet voce articulata proferri, excepta Sacramenti matrimonij, in quo conſenſus contrahentium nutu exprimi poteſt.*

116 *Impotentia, ſeu moralis neceſſitas excuſat ab integritate confeſſionis.*

117 *Detrimentum, & periculum alienum excuſat à confeſſione integra alicuius peccati, & plures caſus numerantur.*

118 *Pœnitens non debet eſſe facilis ad dimidiandā confeſſionem, niſi ex cauſa, & quæ eſt iuſta cauſa ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, & quando differri debet.*

119 *Habens mortalia, quæ confiteri non poteſt ratione alicuius periculi, vel alterius infamia, non tenetur venialia confiteri ad præceptum implendum.*

AD tituli explicationem eſt adnot. quòd ſacramentalis confeſſionis duplex datur in-
1 tegritas: materialis ſcilicèt, & formalis.
Prior eſt de omnibus peccatis, prout in re ipſa commiſſa ſunt. Poſterior verò dicitur quando confeſſio non fit de omnibus peccatis ex aliqua neceſſaria, & rationabili cauſa, pœnitentem excuſante, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 22. in princ. Coninch. eod. tract. diſp. 7. nu. 70. Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 12. nu. 30. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ.* & ex alijs. de vtraque igitur confeſſionis integritate hoc loco agemus.

Secundò eſt adnot. quòd peccatum ex æquo diuiditur in originale, & actuale. Et actuale in
2 mortale, & veniale: & vtrunque in peccatum externum, & internum; cordis ſcilicet, oris, & operis. Item peccatum aliud dicitur commiſſionis, & aliud ommiſſionis: aliud carnale, & aliud ſpiritale. Datur etiam peccatum contra Deum, contra proximum, & contra noſmet ipſos, vt rectè declarat *Nauar. in Manuali prælud. 7. 8. & 9. Say. lib. 2. Clau. Reg. cap. 5.* & latè poſt *D. Thom. Vaſq. Sanch. & alios Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 8. cap. 6.* & latè *Laym. in ſua ſum. lib. 1. tract. 3. de peccatis per totum.* Denique peccatum partitur in reſeruatum, & non reſeruatum, vt ſuo loco latius dicemus. De his omnibus igitur in hac controuerſia tractabimus, an pertineant ad integritatem ſacramentalis cōfeſſionis.

Tertiò eſt adnot. quòd hæc controuerſia du-
3 pliciter diſputari poteſt. Primò de integritate confeſſionis ſecundum ſe conſideratæ, & vt eſt pars Sacramenti pœnitentiæ: Secundò in ordine ad præceptum Eccleſiæ, ideſt quatenus vi noſtri canonis præcipitur omnibus Chriſti fidelibus ſemel ſaltem in anno. Nos autem vtroque modo controuerſiam ipſam diſputandam ſuſcepimus, tàm ſcilicèt quoad integritatem confeſſionis ſecundum ſe conſideratæ, quàm in ordine ad Eccleſiaſticum præceptum.

In hac re variæ ſunt Doctor. opiniones. Nam

prima

prima ſententia eſt hæreticorum, qui inter ſe
4 diuiſi ſunt. Etenim quidam, nempè Luther. &
ſequaces ſimpliciter, ac indiſtinctè reprobant
confeſſionis integritatem, atque ideò negant,
confeſſionem debere eſſe omnium peccatorum,
in confitentis conſcientia exiſtentium. Ait enim
ipſe Luther. quòd qui omnia peccata diligenter
confiteri ſtudent, nihil Diuinæ miſericordiæ di-
mittendum relinquunt. Alij verò, nempè *Vuicleff. apud Vuald. tom 2. de ſacr. cap.* 18. & eiuſdem
ſectatores, exiſtimantes cõfeſſionem ab Eccleſia
tantùm fuiſſe inſtitutam, volunt integritatem
ipſius neceſſariam non eſſe quoad peccata merè
interna, & propterea fideles nõ obligari ad con-
fitendum peccata occulta, & merè interna; ſed
tantum externa. Mouentur ex eo, quòd Eccleſia
poteſtatem nõ habeat ſuper actus purè internos:
aliàs ſequeretur, hominem cogi ad ſe ipſum infa-
mandum, quod iuri naturali repugnat. Alij de-
nique Petrus Oxomen. videlicèt, & ſequaces nõ
ſolùm putant, fideles non teneri ad confitendum
peccata occulta, & merè interna propter rationes
ſupra relatas; ſed nec quidem publica, cùm per
ſe ipſa ſatis pateant.

Secunda ſententia eſt *Margar. confeſ. ver. Confeſſio, nu.* 40. dicentis, quòd licèt confeſſio
5 ſecùndum ſe debeat eſſe integra omnium pecca-
torum; nihilominus in ordine ad præceptum
Eccleſiæ, ſi fideles interna tantùm peccata ha-
beant, eos non alligari præcepto noſtri canonis:
& propterea non teneri ad confitendum ſemel
ſaltem in anno. Mouetur eo quòd Eccleſia non
habeat poteſtatem ſuper actus purè internos.

Tertia ſententia eſt communis, vera, ac de
6 fide, quam tenent *D. Thom. in 4. d. 47. q 3. art. 4. quæſtiun. 2 Adrian. q. 4. ibidem, Sot. d. 18. q. 2. art. 1 can. 5. p. releċt. de pœnit. fol. 94. Io. Medin. C. de integrit. confeſ. Nauar in Man cap. 7. ſub nu. 1. Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 1. nu. 6. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 1. dub. 7. in fin. Coninch. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 1. Reginald. lib 6. ſuæ prax nu 91. Molf.* poſt alios *par. 1. ſuæ ſum. tract. cap. 12. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep 2 lib. 3. cap. 3. Laym. in ſua ſum. lib. 5. tract. 6. de pœnit. cap. 5. nu. 1. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. q. 1. nu. 73. Panor. Henr. Boich.* & alij Canoniſtæ in explicatione noſtri canonis.
Pro cuius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

PEccatum originale non pertinet ad integri-
tatem confeſſionis ſacramentalis, atque
7 adeò nemo tenetur confiteri peccatum ori-
ginale. Hæc concluſio eſt communis: & patet
noſtro canone ob illam dictionem, *Sua*. Per
quam præcipiuntur confiteri peccata propria.
Peccatum autem originale non poteſt dici pro-
8 priè proprium, cùm propria noſtra voluntate
non fuerit commiſſum, ſed voluntate communi,
nempè primi noſtri Parentis, cuius voluntas
omnium cenſetur fuiſſe voluntas, qui ab ipſo
eiuſdem rationis naturam per carnalem genera-
tionem accipiunt, atque ideò citra illam pœni-
tentis culpam, ſed ſola propagatione ipſius na-
turæ fuit contractum, & propterea omnes in
primo Parente peccaſſe dicuntur, iuxta illud
Apoſtoli ad Roman. 5. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccauerunt.* Vt benè de-
clarat *D. Thom. 1. 2. q 81. art. 1. & in d. cap. 5. epiſt. ad Roman. D. Anton. par. 1. tit. 8. cap. 1. ante §. 1. Say. lib. 2. clau. Reg. cap. 5. nu. 7.* & latè
poſt alios *Molf. par. 1. ſuæ ſum. tract. 8. cap. 6. nu. 20. cum plur. ſeq.* Confirmatur, quia ad de-
lendum peccatum originale fuit inſtitutum Sa-
9 cramentum Baptiſmatis, & per illud ſufficienter
deletur: ergò non pertinet ad integritatem ſa-
cramentalis confeſſionis, quæ fuit inſtituta à
Chriſto Domino ad deſtruenda peccata proprio
voluntatis actu à pœnitentibus commiſſa: vndè
actus doloris, & retractationis dicit eſſentialem
reſpectum ad proprium peccatum propria vo-
luntate commiſſum; atque ideò cùm peccatum
originale non ſit voluntatis, ſed naturæ non de-
betur illi pœna ſenſus, ſed tantùm pœna damni,
vt rectè declarat *Fagund. de præcept. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 1. nu.* 15. *& ſeq.* Denique ſu-
10 per peccatum originale non cadit abſolutio,
cùm non ſit materia propria accuſationis; eo
quod propria voluntate non committitur, vt ſu-
pra diximus; ergò nullo modo pertinet ad inte-
gritatem confeſſionis.

Ampliatur primò hæc concluſio, vt peccatum
originale adeò non pertineat ad integritatem
11 confeſſionis, vt non ſolùm quis teneatur confi-
teri peccatum ipſum, ſed nec debeat, cùm non
ſit materia, nec neceſſaria, nec ſufficiens Sacra-
menti pœnitentiæ. Imò confiteri peccatum ori-
ginale, non ſolùm ridiculum foret; verum etiam
citra culpam id fieri non poſſet; eo quòd iniuria
inferretur Sacramento Baptiſmatis, quaſi per ſe
ſufficiens non eſſet ad illud delendum: & Sacer-
dos non iudicat, quod iam Baptiſmus abluit, vt
habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de differ. Sacr. pœnit. & Bapt. cap.* 2.

Secundò ampliatur eadem concluſio, vt pec-
catum originale non ſolùm ad ſacramentalem
12 confeſſionem non pertineat; ſed nec quidem ad
pœnitentiam, vt virtus eſt: & propterea nemo
tenetur de peccato originali formalem, ac per-
fectam habere contritionem; imò nec imperfe-
ctam, atque ideò attritionem: ſiquidem de hu-
iuſmodi pœnitentia præceptum aliquod non ha-
bemus; ſed tantùm de actuali peccato, neque
neceſſaria eſt ad illud delendum, cum per Bap-
tiſmum ſufficienter deleatur: nec de ipſo origi-
nali peccato pœnitentia aliqua haberi poteſt,
13 cùm propria voluntate non contrahatur. Ita
Medin. de pœnit. q 3. & alij, qui id confirmant
ex *sex. in cap. maiores, de Baptiſ.* vbi tanquam
probabiliſſimum ponit Innoc. pro peccato ori-
ginali non deberi pœnam ſenſus, vt ſupra dixi-
mus: ergò non exigitur pœnitentia de peccato
originali, nec quidem vt virtus eſt, cùm pœni-
tentia exigatur ad effugiendam pœnam ſenſus.

Nec obſtat illud Apoſtoli *Rom. cap.* 5. vbi
habetur nos omnes in Adam peccaſſe: at pecca-
14 tum non deletur, niſi per pœnitentiam; quoniam
reſpondetur, quòd nos omnes peccauimus in
Adam imputatiuè, quia voluntas Adam noſtra
reputatur, quod ad pœnitentiam non eſt ſatis
Nec ex eo quòd *D. Auguſt. de pœnit. med. cap.* 2.
ait, per totam iſtam vitam debere nos peccati
15 originalis pœnitere ſequitur, *D. Auguſtinum*,
voluiſſe habendam eſſe contritionem, vel ſaltem
ſimplicem diſplicentiam de peccato originali, vt
opina-

Digitized by Google

opinatur *D. Thom. in 4.d.16.q.1.art. 2.* nam *D.
Auguſt.* loquitur de diſplicentia peccati origi-
nalis iam remiſſi, quatenus fuit cauſa corruptio-
nis huius vitæ, & peccati fomitis, qui dicuntur
effectus peccati originalis: quo circà Dauid etiã
pſal. 50. vt inclinaret Diuinam miſericordiam
ad ſibi ignoſcendum peccata, quæ commiſit in
perſona Vriæ, & vxoris eius, non pœnitendo de
peccato originali, ſed ſuam miſeriam ex eo con-
tractam Domino repræſentando, inquit, *Ecce
enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in pecca-
tis, &c.* Vbi eſt adnot. quòd de induſtria Pro-
pheta loquitur in numero plurali, *In iniquitati-
bus, in peccatis, &c.* Siquidem peccatum origi-
16 nale licèt ſit vnum in eſſentia, eſt tamen multi-
plex in effectu: nam inficit plures potentias ani-
mæ, & voluntatem concupiſcibilem, iraſcibilem,
& in ipſo virtualiter præexiſtunt omnia peccata
actualia, ſicut in quodam principio, vt rectè de-
clarat *D. Anton. par. 1. tit. 8. cap. 1. §. 1.* Neque
demum ratio *D. Thomæ* eſt vniuerſaliter vera,
dum ait nobis eſſe dolendum de omni eo, quòd
eſt impeditiuum gloriæ, atque ideò de peccato
originali, quod illius conſecutionem impedit:
quoniam aliàs ſequeretur, dolendos nos eſſe de
hac vita, quæ adhuc nos impedit gloriam aſſequi.

Non tamen negamus quin peccatum origi-
nale ſecundum ſententiam magis receptam cadat
17 per modum ſimplicis odij ſub obiecto virtutis
pœnitentiæ, vt nobis diſpliceat, quod in primo
Parente totum genus humanũ peccauerit modo
ſupra explicato, vt habetur ex *D. Thom. 3. par.
q. 84. art. 2. ad 3.* vbi *Vaſq. nu. 3. & ſeq. Suar.
tom. 4. de pœnit. diſp. 2. ſec. 1. nu. 11. & 12.* quam
ſententiam communem eſſe teſtatur *Molf. par. 1.
ſuæ ſum. tract. 7. cap. 4. n. 9.* Item peccatum origi-
nale cadit per modum ſimplicis odij ſub obiecto
virtutis pęnitentiæ in quantũ iniurioſũ eſt Deo;
atq; ideò peccatũ ipſum originale cadit ſub totã
latitudinem ſubiecti pœnitentiæ, non quatenus
Sacramentum, ſed quatenus virtus eſt, ſiquidem
quatenus Sacramentum inſtituta fuit pœni-
tentia à Chriſto Domino ad deteſtanda peccata
18 actualia propria voluntate commiſſa: at verò
quatenus virtus eſt etiam peccata aliena cadunt
ſub adequatum obiectum, & materiam pœni-
tentiæ. Etenim quemadmodum quælibet virtus
amat ſuum honeſtum obiectum, ac ſubiectum
vbicunque illud ſit; ita etiam odit malum illi
contrarium vbicunque inueniatur, non per actũ
retractationis, cùm huiuſmodi actus dicat eſſen-
tialem ordinem ad culpam propria voluntate
commiſſam; ſed per actum odij, & abominatio-
nis modo ſupra explicatum: quod quidem de pec-
cato originali verùm eſt ſpeculatiuè; nam pra-
cticè, ac moraliter non videtur vtile, nec neceſ-
ſarium de illo dolere ad mores corrigendos, &
emendandos, vt rectè declarat *Suar. loco citato,
ſub nu. 13. & Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep.
2. lib. 2. cap. 1. ſub nu. 17.* Vndè huiuſmodi odiũ
neceſſarium nõ eſt ad effectum Sacramenti Bap-
tiſmatis; ſed ſatis eſt de ipſo peccato originali
non habere complacentiam.

Tertiò ampliatur, vt peccatum originale non
pertineat ad integritatem confeſſionis, ſiuè con-
19 feſſio conſideretur, vt pars integralis Sacramẽti
pęnitentiæ, ſiuè vt ab Eccleſia pręcepta ſemel ſal-
tem in anno: ſiquidem quocunque modo conſi-
deretur, nunquam peccatum originale poteſt eſſe
materia propriæ accuſationis, cùm propria vo-
luntate non contrahatur, atque ideò ſuper illud
non cadit abſolutio, cùm non poſſit eſſe materia
Sacramenti pœnitentiæ. Et licèt in noſtro canone
præcipiatur confeſſio omniũ peccatorũ, vt patet
ex dictione illa, *Omnia.* Nihilominus ipſe canon
intelligitur de omnibus peccatis actualibus.

Sic ampliata limitatur primò dicta concluſio,
vt licèt de peccato originali pœnitentia haberi
20 non poſſit; nihilominus poteſt haberi de eo ſim-
plex quædam diſplicentia, ſeù triſtitia. Sicut
qui naſcitur cæcus, quamuis non poſſit pœni-
tentiam habere de ſua cæcitate, cùm propria
voluntate cæcus naſci nemo valeat; poteſt tamen
de ſua cæcitate habere triſtitiam, ac diſplicen-
tiam, quatenus in cauſa eſt, vt non videat lumen,
nec alias operationes faciat, lumen exigentes.
Ita *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 2. circa fin.* Non tamen
ad effectum Baptiſmatis in adulto exigitur talis
triſtitia, ac ſimplex diſplicentia; cùm de ea nul-
lum præceptum habeatur, nec ex ſui natura eſt
medium ad conſequendum talem effectum, cùm
per Baptiſmum, aut per charitatis actum pecca-
tum originale ſufficienter deleatur, vt ſupra
diximus. Sic etiam poſſumus peccati originalis
concipere odium, & habere diſplicentiam, qua-
tenus iniurioſum eſt Deo, & in primo Parente
totum genus humanum peccauerit, vt ſupra
declarauimus.

Secundò limitatur, vt quamuis non detur pœ-
nitentia de peccato originali, nec ſimplex illa
21 diſplicentia neceſſària ſit de eo ad effectum Sa-
cramenti; nihilominus citra lethalem culpam
non habetur de ipſo complacentia: ſiquidem hu-
iuſmodi complacentia eſſet de obiecto malo;
atque ideò complacentia haberetur de Dei ini-
micitia, vt habetur ex *Henr. de pœnit. lib. 4. c. 9.*

Tertiò limitatur dicta concluſio, vt licèt ne-
ceſſaria non ſit pœnitentia, nec ſimplex quidem
22 diſplicentia de peccato originali; nihilominus
cùm Adultus iuſtificatur per proprium actum,
ſemper virtualiter habet ſimplicem illam diſpli-
centiam: Etenim non poteſt iuſtificari per pro-
prium actum, niſi per veram dilectionem Dei
ſuper omnia; ex qua neceſſàrio ſequitur diſpli-
centia inimicitiæ Dei, atque ideò peccati origi-
nalis, cuius eſt cauſa, vt rectè declarat *P. Alph.
de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recol. 6. nu. 21.*

SECVNDA CONCLVSIO.

PEccata actualia ante Baptiſmum commiſſa non
pertinent ad integritatem confeſſionis; atque
ideò pœnitens non tenetur ea ſacramentaliter
confiteri. Hæc concluſio eſt *D. Thom.* commu-
niter recepti *3. par. q. 84. art. 2. Sot. in 4. d. 18. q. 2.
art. 3. concl. 1. Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 90. art. 2. dub.
1. nu. 7. Reginald. lib. 6. ſuæ prax. nu. 104. Fagund.
de præcep. Eccl. lib. 2. cap. 1. nu. 20. & ſeq. Filliuc.
tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. q. 1. nu.
73. Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 1. par. 2. verſ. Cæterum
in fin.* & hanc opinionem communem eſſe te-
ſtatur *Suar. de pœnit. diſp. 18. ſec. 1. nu. 1. Molf.
in ſum. tract. 7. cap. nu. 8.* Idem *Filliuc. tract. 6.
de ſacram. nu. 54.* & aliorum, quos refert, &
ſequitur *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. con-
feſ. recoll. 6. ſub nu. 16. & 22.* allegans *Bellarm.
lib. 1. de pœnit. cap. 5. verſ. Igitur dicentem*, quòd
de hac re non eſt difficultas, nec quidem inter

Digitized by Google

Hæreticos. Probatur primò hæc ipſa concluſio
ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *can.* 1. & 2. vbi anathe-
mate percutitur, qui dixerit in Catholica Eccleſia
pœnitentiam non eſſe verè, & propriè Sacramen-
tum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in
peccata labuntur, ipſi Deo reconciliandis inſti-
tutum. Confirmatur ex eodem *Conc. d. ſeſſ.* 14.
cap. 6. in illis verbis, *Etenim pro ijs*, qui poſt
Baptiſmum in peccata labuntur Chriſtus Ieſus
Sacramentum inſtituit pœnitentiæ, cùm dixit,
*Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis
peccata, &c.* Probatur ſecundò eadem concluſio
ratione; ſiquidem peccata ante baptiſmum ſuffi-
cienter remittuntur per baptiſmum, vt ſi Adultus
poſt baptiſmum moreretur, ſtatim euolaret in
Cœlum, vt inquit *Medina, C. de confeſ. quæſito*
3. *q.* 5. ergò non pertinent ad integritatem con-
feſſionis ſacramentalis; quia non ſunt materia
Sacramenti pœnitentiæ. Nec Angeli ſententia
in *ſua ſum. ver. Confeſſio*, 2. *nu.* 2. Aduerſatur,
exiſtimantis, peccata ante baptiſmum commiſſa
eſſe materiam neceſſariam dicti Sacramenti, ex
eo quòd confeſſio mortalium ſit nobis neceſſaria
de iure Diuino: at ius Diuinum obligat tàm
Fideles, quàm Infideles; quoniam reſpondetur,
quòd illa confeſſio de iure Diuino eſt neceſſaria,
quæ eſt de peccatis poſt baptiſmum commiſſis:
23 ſiquidem Baptiſmus eſt ianua Sacramentorum,
ſine quo, & citra prępriam eiuſdem ſuſceptionem,
nullus efficitur habilis ad ſuſcipienda alia Sa-
cramenta. Denique confirmatur ipſa Concluſio,
quoniam Sacramentum pœnitentiæ dicitur ſe-
24 cunda tabula poſt naufragium, vt habetur ex
D. Hieronymo ad Demetrium, relato à *Magiſtro
in* 4. *ſent. d.* 14. ſiquidem violata iuſtitia origi-
nali per peccatum primi Parentis, Baptiſmus eſt
prima tabula, qua liberamur à naufragio, quod
eſt lapſus totius humanæ naturæ, & Sacramen-
tum pœnitentiæ dicitur ſecunda tabula, qua
liberatur naufragium paſſus per peccatū actuale
poſt baptiſmum, licèt homo ſæpè peccauerit, vt
metaphoram huiuſmodi explicat *Gabr. in* 4. *d.*
14. *q.* 2. *art.* 2. quæ quidem metaphora quamuis
aptari poſſit non ſolùm Sacramento pœnitentiæ,
ſed etiam pœnitentiæ, vt virtus eſt: etenim quem-
admodum poſt nauem confractam indiget nau-
fragium paſſus tabula, cui adhæreat, niſi in pro-
fundum mergi velit; ita peccator poſt innocen-
tiæ nauem per peccatum violatam, & ad inſtar
nauigij confractam indiget tabula pœnitentiæ,
cui adhæreat ſi ſalutem conſequi velit, vt ex *D.
Hieronymo, & Tertull.* ait *Suar. de pœnit. diſp.*
1. *ſec.* 1. *nu.* 4. nihilominus *Conc. Trid. d. ſeſſ.* 14.
can. 1. & 2. & *ſeſſ.* 6. *cap.* 14. *de lapſ. & eor. repar.*
eam Sacramento pœnitentiæ conuenire apertè
docuit, vt ſupra oſtendimus. Ex quibus Concil.
locis manifeſtè colligitur, Sacramentum pœni-
tentiæ eſſe ſecundam tabulam poſt naufragium,
& ipſius materiam eſſe peccata poſt baptiſmum
commiſſa duntaxat, & illa tantùm pertinere ad
integritatem ſacramentalis confeſſionis, vt latè
habetur ex *Onuphr. diſp.* 3. *de pœnit. ſec.* 1. *q.* 5.
dub. 1. §. *Notandū vltimo*, poſt *Suar. Bellar.* &
alios, & *Molſ. par.* 1. *ſua ſum. tract.* 7. *cap.* 4. *n.* 12.

Nec aduerſatur *Io. Medina, C. de pœnit. tract.*
1. *q.* 3. §. *Reſtat*, dum inquit, pœnitentiam neceſ-
25 ſariam quoque fore pro Adultis baptizandis,
iuxta illud Præcurſoris Domini *Matth. cap.* 3.
*Pœnitentiam agite; appropinquat enim Regnum
Cælorum. D. Petri Actor.* 2. *Pœnitentiam agite,
& baptizetur vnuſquiſq; veſtrum.* Et *D. Auguſt.
cap.* 8. *de vera, & falſa pœnit. Sine pœnitentia
nulli profuit Baptiſmus, qui peccauit ſpontaneus.*
Quoniam reſpondetur *Io. Medinam*, & alias
authoritates iam relatas non intelligi de Sacra-
mento pœnitentiæ, ſed de præparatione, quam
oportet Adultos baptizandos habere ad baptiſ-
mum ſuſcipiendum, nempè contritionem, vel
ſaltem attritionem, quæ in illo ſtatu non includit
confeſſionem, ſed ſuſceptionem baptiſmi.

Ampliatur præfata concluſio multis modis,
primò, vt adeo peccata ante baptiſmum com-
26 miſſa non pertineant ad integritatem confeſſio-
nis, atque ideò pœnitens non teneatur ea confi-
teri, vt nec volens ad eadem confitenda debeat
admitti: aliàs Sacerdos ſuper huiuſmodi peccata
abſolutionem impendens ſacrilegium commit-
teret, etiam ſi nouerit pœnitentem aliàs benè eſſe
diſpoſitum: quoniam abſolutionem impenderet
ſuper non præexiſtentem materiam, cùm pec-
cata illa ante baptiſmum contracta non ſubdan-
tur clauibus, iudicio, ac iuriſdictioni Eccleſiæ,
cùm commiſſa fuerint ab ijs, qui foris erant, vt
rectè docet *Suar. de pœnit. diſp.* 18. *ſec.* 1. Imò
non ſolùm Sacerdos vt ſupra abſolutionem im-
pendens; verùm etiam ipſe pœnitens iniuriam
27 inferrent Sacramento Baptiſmi huiuſmodi pec-
cata confitendo, vt habetur ex *Io. Medina, C. de
confeſ. mortal. ante Baptiſ. Maior. in* 4. *d.* 4. *q.* 2.
§. *contra ſextam, circa fin. Almain. d.* 17. *q.* 1.
art. 2. *Sot. d.* 14. *q.* 1. *art.* 2. *circa fin.* & latè *Vaſq.*
3. *par. tom.* 4. *q.* 90. *art.* 2. *dub.* 1. Etenim Sacerdos
non iudicat, quod iam Baptiſmus abluit, vt col-
ligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 2. & 5. *in prin.*

Secundò ampliatur, vt noſtra concluſio vera
ſit, ſiuè peccata ante Baptiſmum commiſſa fue-
28 rint remiſſa per ipſum Sacramentum Baptiſmi;
vt quia ſine obice, ſed cum vera contritione, vel
ſaltem cum attritione fuerit ſuſceptum: ſiuè re-
miſſa non fuerint; atque ideò cum obice: ſiqui-
dem prædicta peccata non ſubduntur clauibus,
vt ſupra diximus. Eſt tamen verum, quòd quan-
do tollitur obex, illa peccata non remittuntur
virtute contritionis, vt malè arbitratur, *Gloſ. in
cap. tunc valere, de conſecr. d.* 4. Sed remittun-
tur per Baptiſmum præcedentem, vt rectè docet
ibi, *Turrecr.* Et rationem hanc eſſe ait *D. Thom.*
relatus à *Syl. in ſum. ver. Baptiſmus*, 4. *ſub nu.*
11. quia Sacramentum baptiſmi impreſſo cha-
ractere, ſtatim habet effectum formæ, niſi ali-
quid impediat, quo tamen remoto, ſtatim ſuum
producit effectum: ſicut graue generatum ſtatim
tendit deorſum, niſi ab aliquo impediatur.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt
licèt peccata actualia ante Baptiſmum, etiam
29 cum obice ſuſceptum commiſſa non pertineant
ad integritatem ſacramentalis confeſſionis; ni-
hilominus ipſum peccatum fictionis ad eandem
ſpectat, atque ideò pœnitens tenetur confiteri:
ſiquidem peccatum illud fictionis eſt materia
circa quam, ſeù remota Sacramenti pœnitentiæ;
quoniam, vel eſt poſterius tempore, vel ſaltem
natura perfecta ſuſceptione Baptiſmatis, vt rectè
declarat *Henr. lib.* 1. *de pœnit. cap.* 9. *Medin. C.
de confeſſ. tract.* 1. *q.* 3. & hanc ſententiam com-
munem eſſe teſtatur *Fagund. de præcep. Eccleſ.*

præcep.

præcep. 2. lib. 2. cap. 1. nu. 22. Eſt autem peccatum fictionis multiplex: primò, cùm quis abſque
30 attritione ſaltem ad Baptiſmum acceſſit, vt habetur ex *Fagund. loco citato:* Secundò, vbi fictè Baptiſmum ſuſcipit, non eredens ipſum eſſe Sacramentum ſufficiens ad delendum peccatum originale; ſed baptizari voluit ad euitandum malum aliquod, ne ſcilicèt ſeparetur à Parentibus, vel ad conſequendum bonum aliquod temporale. Tertiò cùm aliquis ad Sacramentum Baptiſmi accedit ad irridendum illud. Hi namq; ſic fictè accedentes quamuis Sacramentum ſuſcipiant; nihilominus non remittuntur ei peccata ante Baptiſmum commiſſa: & inſuper nouũ peccatum committunt, quod peccatum dicitur fictionis, vt benè declarat *Syl. in ſum. ver. Baptiſmus 4. nu.* 11. vbi ait, id verum eſſe quando quis ſine Fide accedit ab Baptiſmum, intentioné habet illud ſuſcipiendi, & facere, quod facit Eccleſia: ſecus autem ſi intentionem non habeat: nam tunc Baptiſmum non ſuſcipit, atque ideò nec Sacramentum, nec virtutem Sacramenti, & propterea peccatum illud fictionis non pertinebit ad integritatem ſacramentalis confeſſionis, cùm non poſſit eſſe materia circa quam, ſeù remota Sacramenti pœnitentiæ; eo quòd commiſſum fuit ab eo, qui foris erat, vt per eundem *Syl. loco citato.*

Ex qua concluſione ſic ampliata, ac limitata infertur primò, quòd ſi Adultus de recenti bap-
31 tizatus accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, & dicat non habere alia peccata, niſi quæ ante baptiſmum commiſit, tunc confeſſarius debet ipſum interrogare, an baptiſmum fictè ſuſceperit, vt quia non præuia ſaltem attritione: vel ritè, nempè, præuia contritione, vel ſaltem attritione, & cum alijs requiſitis. Si dicat ſecundum, dimittat eum, & abſolutionis formam non impendat; aliàs ſacrilegium committeret, vt ſupra diximus. Quod ſi dicat primum, tunc ſi intentionem habuit ſuſcipiendi baptiſmum, moneat ipſum, vt de peccatis ante baptiſmum commiſſis, & de peccato fictionis contritionem habeat, vel ſaltem attritionem, & audito ſacramentaliter peccato ipſo fictionis duntaxat, ſuper illud tantùm abſolutionem impendat. Et ſi denique dicat non ha-
32 buiſſe intentionem ſuſcipiendi Baptiſmum, tunc moneat eum, vt ad Baptiſmum denuò accedat: quia dum ſupradicto modo ad baptiſmum acceſſit, Sacramentum non ſuſcepit. Sic etiam ſi Sacramentum baptiſmatis ritè ſuſceperit, & effectum quoque illius modo, quo ſupra, præuia ſcilicèt contritione, vel ſaltem attritione, & velit confiteri peccata ante baptiſmum commiſſa ad inſtituendum Confeſſarium de ipſius complexione, & inclinatione, vt remedia opportuna ſuſcipiat ad euitanda deinceps peccata, eo caſu Confeſſarius pœnitentem hunc monere debet, vt prædicta peccata extrà confeſſionem ſibi aperiat, cùm non poſſint eſſe materia Sacramenti pœnitentiæ.

Secundò infertur, quòd ſi Adultus decem, quindecim annos, aut vltra poſt baptiſmum,
33 accedat ad confeſſarium, rogans eum, vt confeſſionem generalem omnium ſuorum peccatorum audiat, tunc confeſſarius debet ipſum monere, vt peccata tantùm poſt baptiſmum contracta confiteatur: & ſi cum obice dicat Sacramentum ſuſcepiſſe, moneat, vt cum peccatis poſt baptiſmum commiſſis confiteatur etiam peccatum fictionis, habita de ipſis contritione, vel ſaltem attritione.

TERTIA CONCLVSIO.

PEccata actualia, venialia non pertinent ad integritatem confeſſionis: & propterea non
34 tenetur pœnitens ea confiteri. Hæc concluſio licèt antiquitus fuerit dubia ob *D. Bonauen. & Richar.* contrarium ſentientes ex eo, quòd *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3.* anceps videatur; hodie tamen eſt communis, quem expreſsè docet *D. Thom. 3. par. q. 65. art. 1. & q. 84. art. 2. Scot. in 4. d. 17. Dur. q. 9. Sot. contra D. Bonauen. & Richar. in 4. d. 18. q. 1. art. 3. concl. 4. Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 18. ſec. 2. nu. 5. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 92. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. nu. 105.* Hanc eandem concluſionem docent pariter *Hoſtien. Panor. Henric. Boich.* & alij Canoniſtæ in explicatione noſtri canonis. Probatur primò quoniam Sacramentum pœnitentiæ dici-
35 tur ſecunda tabula poſt naufragium; & peccata venialia non cauſant naufragium in anima, cùm non frangant innocentiæ nauim, eo quòd non ſeparant à Deo: ergò non pertinent ad ſacramentalis confeſſionis integrantem: ſiquidem illa tantùm peccata ſpectant ad integritatem confeſſionis, quæ cauſant naufragium in anima, qualia ſunt peccata mortalia, vt ſupra diximus, & infra latius dicemus. Secundò peccata venialia non
36 ſunt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ: vt infra oſtendemus: ſiquidem illa peccata ſunt eius materia neceſſaria, quæ ante eiuſdem inſtitutionem erant materia neceſſaria pœnitentiæ, vt virtus eſt, nempè peccata mortalia: ergò peccata venialia non pertinent ad integritatem confeſſionis. Tertiò ad remiſſionem venialium per ſe
37 non eſt neceſſaria infuſio gratiæ; atque ideò opus non erat inſtitui Sacramentum aliquod ad eorum remiſſionem: non ergò pertinent ad integritatem confeſſionis. Quartò peccata venialia multis modis remittuntur extra Sacramentum pœnitentiæ, nempè per confeſſionem generalem, *cap. quotidianis, de pœnit. d. 3. per dignam communionem, cap. cum omne crimen & cap. ſi quotieſcunque, de confect. d. 2. per eleemoſynas, & ieiunium, cap. medicina, de pœnit. d. 1.* atque ideò etiam per iniuriarum remiſſionem, quæ eleemoſyna eſt ſpiritualis, iuxta illud Lucæ 6. *Dimitte, & dimittemini.* Per aquæ benedictæ aſperſionem, *cap. aquam, de conſecr. d. 3. per orationem Dominicam, vt in d. cap. quotidianis: per deuotam pectoris tunſionem, cap. tres actiones de pœnit. d. 1.* per extremam vnctionem, & per ſuſceptam cum deuotione Epiſcopalem benedictionem, *cap. dictum, & cap. maledicam, 1. q. 1.* per cordis contritioné, & alijs, de quibus *Hoſtie. Panor. Henric. Boich.* & alij in explicatione noſtri canonis, *D. Anton. par. 1. tit. 10. cap. 1. §. 2. & Suar. de pœnit. diſp. 11. ſec. 3. nu. 11. & Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 1. nu. 11. & ſeq.* vbi latè etiam tractat, an per prædicta ſacramentalia remittuntur venialia ex opere operato, & partem affirmatiuam putat probabiliorem, contrarium tamen docet *Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. à nu. 12. vſque ad nu. 20.* vt infra dicemus *diſp. 7. ſec. 7. can. 2.* Non ergò peccata venialia pertinent ad integritatem ſacramentalis confeſ-

 ſionis.

ſionis. Deniq; hæc ipſa concluſio apertè patet ex
Conc. Trid. de ſacr. pænit. ſeſſ. 14. cap. 5. & can.
7. vbi habetur, peccata venialia citra omnem
culpam in confeſſione taceri poſſe: ergò nullo
modo pertineat ad ipſius integritatem, aliàs citra
culpam taceri nequeunt.

Ampliatur primò hæc concluſio, vt venialia
non pertineant ad confeſſionis ſacramentalis in-
38 tegritatem; ſiuè confeſſio conſideretur, ſecun-
dum ſe, & vt pars Sacramenti pœnitentiæ: ſiuè vt
præcepta vi noſtri canonis ab Eccleſia ſemel ſal-
tem in anno. Non ſi primo modo conſideretur;
nam Diuino iure id non cauetur, neque ex inſti-
tutione Sacramenti pœnitentiæ id colligitur, vt
patet ex ijs, quæ ſupra diximus. Nec etiam ſi ſe-
39 cundo modo conſideretur; quoniam hoc præ-
ceptum eſt tantùm determinatio iuris Diuini,
atque ideò non tenetur præcepto confeſſionis
annuæ habens tantùm venialia. Ita *D. Thom. in
4. d. 17. q. 3. art. 1. quaſtiun. 3. ad 3. Scot. ibi q. 1.
§. de tertio articulo, Palud. q. 2. art. 4. concl. 2
Gabr. 4. 1. art. 2. poſt cõcl. 2. Maior. q. 2. Almain.
q. 1. art. 3. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 5. q. 1. Ioan.
Medin. C. de confeſ. q. de confit. venial. Nauar.
in prin. de pœnit. d. 5. in Gloſ. par. 3. nu. 18. Vaſq.
tom. 4. de pænit. q. 90. art. 2. dub. 2. nu. 2. cum plur.
ſeq. Graſſ. par. 1. deciſ. lib. 1. cap. 10. ſub nu. 1.
Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4.
nu.* 105. & alij. Nec obſtat, quod Concil. in
noſtro canone præcipit omnia peccata confiteri
ſemel in anno per Ly. *Omnia*. Et peccata venialia
ſunt verè peccata, cùm peccatum actuale diui-
datur in mortale, & veniale, vt conſtat ex Do-
ctor. ſupra citatis in 2. not. huius ſec. quoniam
reſpondetur, quòd ex pœna adiuncta, quæ eſt
priuatio ingreſſus Eccleſiæ, & eccleſiaſticæ ſe-
pulturæ colligitur mentem Concilij non fuiſſe
obligandi fideles ad confitendum venialia: eſſet
enim implicatiſſimum vinculum explorandi
omnia venialia ſub cenſura tam acri, vt rectè re-
ſpondet *Sot. in 4. d. 18. q. 1. ar. 3. concl. 4. in 5. arg.*

Secundò ampliatur, vt venialia adeò non per-
tineant ad integritatem confeſſionis ſacramen-
talis, vt non exigatur eorum confeſſio ad dignam
ſumptionem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti
& ad conſequendum illius effectum, qui eſt
gratia ſanctificans, vt benè docet *Sot. in 4. d. 11.
q. 2. art. 8. concl. 1. Suar. poſt D. Thom. & alios
par. 3. tom. 3. diſp. 66. ſec. 1. Reginal. lib. 29. ſuæ
prax. nu. 100. & ſeq. Molf. par. 1. ſua ſum. tract.
3. cap. 8. nu.* 48. & alij. Probatur ex *D. Thom.*
quem refert *Sot. loco citato*, ita argumentante.
Nihil, quod remouetur per actionem alicuius
cauſæ, poteſt impedire eius effectum; ſed pec-
cata venialia remouentur per ſuſceptionem ſan-
ctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, vt nos ſupra
oſtendimus ex *tex. in cap. omne crimen, & cap.
ſi quotieſcunque de conſecr. d.* 2. & latè probat
idem *Sot. in d. q. 2. art.* 4. ergò peccata venialia
eius effectum non impediunt, atque ideò ad eiuſ-
dem effectum conſequendum non exigitur illo-
rum confeſſio. Imò non ſolùm peccata venialia
præterita; ſed nec quidem venialia in actu impe-
diunt ſaltem pro parte dictum effectum, nec tollit
augmentum habitualis gratiæ, & charitatis, vt
contra *Caiet.* probat ipſe *Sot. loco citato, art. 8.
col. 2. & 3.* Eſt tamen verum, quòd ob reueren-
tiam tanti Sacramenti ſatis congruum eſt ſi ha-
bens venialia confeſſionem præmittat de eis, vt
quantum fieri poteſt purus, & mundus huiuſ-
modi Sacramentum ſuſcipiat, vt colligitur ex
Concil. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7. & Suar. & alijs Do-
ctoribus ſupra relatis: qui volunt, accedentem
ad ſanctiſſimam communionem cum peccato
veniali abſque dolore peccare tantùm venialiter;
etiam ſi propoſitum nõ habeat illud relinquendi
explicitè, aut implicitè. Quòd ſi tale propoſitum
ſaltem haberet, ſatis eſt, vt ab illo peccato ve-
niali fiat immunis.

Tertiò ampliatur, vt venialia peccata adeò non
pertineant ad integritatem, ac perfectionem
41 ſacramentalis confeſſionis, vt eorum confeſſio
ab Eccleſia præcipi non poſſit, vt neceſſaria ad
ipſius confeſſionis validitatem, atque ideò quoad
actus ſpecificationem, vt rectè docet *Sot. in 4. d.
18. q. 1. art.* 3. & ante ipſum *Palud. d. 17. q. 2. art.
4. Syl. in ver. Confeſſio 1. q. 13. Suar. 3. par. tom. 4.
diſp. 22. ſec. 8. nu. 2. Vaſq. ibidem q. 90. art. 2. dub.
2. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. nu.*
106. & alij. Probatur, quia peccata venialia ſunt
tantùm materia ſufficiens Sacramenti pœniten-
tiæ, non autem neceſſaria, vt habetur ex *Medina
C. de pænit. tract. 1. q. 3. Henriq. lib. 1. de pænit.
cap. 9. nu. 2. & 6. Suar. d. tom. 4. diſp. 18. ſec. 1.
nu. 4. Tol. lib. 1. ſua ſum. cap. 3. nu. 2. Vega lib. 13.
in Trid. cap. 3. Sot. in 4. d. 18. art.* 3. & alijs modò
ſi Eccleſia quoad validitatem confeſſionis poſſet
præcipere venialium confeſſionem, tunc mate-
riam ſufficientem efficeret neceſſariam: quod
excedit ipſius poteſtatem; ſiquidem ſicut materia
Sacramenti non poteſt mutari, ita etiam ex ſuf-
ficienti non poteſt fieri neceſſaria. Quod qui-
dem locum ſibi vendicat non ſolùm quoad con-
feſſionem omnium venialium, verùm etiam
quoad confeſſionem vnius, vel alterius venialis:
quoniam materia cùm ſit leuis, non poteſt præ-
cipi, nec quidem ad illius emendationem: nam
talis medicina eſſet nimis rigoroſa, vt habetur ex
Filliuc. & alijs Doctoribus ſupra relatis.

Dixi, *Confeſſionem venialium præcipi non poſſe
ab Eccleſia quoad ſpecificationem actus, & vali-*
42 *ditatem ipſius*. Quia exercitium, & vſus confeſ-
ſionis ſacramentalis abſolutè præcipi poteſt, ita
vt tam obliget habentes peccata mortalia, quàm
venialia: etenim id eſt præcipere exercitium
tantùm confeſſionis: & huiuſmodi præceptum
nihil continet alienum ab inſtitutione Sacra-
menti pœnitentiæ; ſed eſt opus Religionis, quòd
aliquando iudicari poteſt valdè conueniens in
communi, & publice neceſſitate ad placandam
Dei iram, & indignationem. Nec ob id materia
ſufficiens efficeretur neceſſaria; quoniam non
præcipitur venialium confeſſio quoad ſpecifica-
tionem actus, vt ſcilicèt confeſſio alias irrita
habeatur; ſed tantùm quoad exercitium actus,
nempè vt tali tempore vnuſquiſque confiteatur,
ſiue mortalia, ſiue venialia tantùm habeat. Hac
ratione obligantur monachi S. Benedicti ad con-
feſſionem menſtruam, etiam ſi venialia tantum
habeant, *vi clem. ne in agro, §. ſanè, de ſtat.
monach.* vt rectè docet *Caiet. tom. 1. opuſc. tract.
5. q. 1. Can. relect. de pænit. par. 5. §. at vero huic
quaſtioni, Nauar. in cap. placuit, de pænit. d. 6.
nu. 122. Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 90. art. 2. dub. 3. ſub
nu. 2. Suar. ibidem, diſp. 36. ſec. 4. nu. 7. Graff.
par. 1. Deciſ. lib. 1. cap. 9. ſub nu. 15. Reginald.
lib. 6.*

Digitized by Google

lib. 6. ſuæ prax. nu. 107. Filliuc. loco citato, &
alij: ſiquidem præceptum illud eſt valdè vtile
ad conſeruandam Religioſam diſciplinam. Et
quamuis *Sot. loco ſupra citato*, velit, præceptum
huiuſmodi eſſe determinationem iuris Diuini,
ſicut præceptum noſtri canonis; nihilominus *Re-
ginald. d. nu.* 107. & alij id negant; atque ideò
volunt, dictam *Clem.* non obligare ad lethalem
culpam, neque aliam pœnam tranſgreſſoribus
imponit, quàm, vt Regulari ſubiaceat diſcipli-
næ: quæ pœna in Regula S. Benedicti, ait *Graff.*
eſt, vt tranſgreſſor dicat culpam, & comedat in
terra panem, & aquam; quamuis *Vaſq.* circa cul-
pam non conueniat.

Quartò ampliatur, vt peccata venialia adeò
non ſpectent ad integritatem confeſſionis, vt
43 pœnitens non teneatur ea confiteri, etiamſi à
Confeſſario de venialibus interrogetur: nam cùm
nô teneatur reſpondere, poteſt vti verbis amphi-
bologicis: & dato quod mentiatur; non tamen
peccabit mortaliter, vt habetur ex *Sot. de ratione
tegen. memb. 2. q. 7.* ſiuè pœnitens propoſuerit illa
confiteri, ſiuè non, vt contra *Caiet. 2. 2. q. 69. art.
1.* docet *Nauar. in Man. cap. 21. nu. 37. & Graff.
par. 1. deciſ. lib. 1. cap. 10. ſub nu. 6.* Nam quam-
uis pœnitens propoſuerit veniale confiteri, & ſic
de eo facere materiam confeſſionis; nihilominus
cùm illud negat, ſubtrahit ne ſit materia illius, vt
rectè inquit *Sot. in 4. d. 18 q. 2. art. 4. verſ. Quare
nunc.* Nec ex eo quòd illud negat contrahit le-
thalem culpam, vt diximus: ſiquidem licèt qui
mendacium in confeſſione dicit, ſemper peccet;
non tamen ſemper peccat mortaliter: nam qui
44 mentitur in confeſſione negando ſe commiſiſſe
aliquod veniale, quod commiſit; aut affirmando,
ſibiq; imponendo aliquod veniale, quod non
fecit, non peccet mortaliter, ſed tantum venia-
liter, cùm materia ſit leuis, vt habetur ex *Sot.
lib. 5. de Iuſt. & iur. q. 5. art. 4. Vega lib. 1. caſuum
conſc. caſ. 55. Tolet. lib. 3. ſuæ ſum. cap. 9. nu. 2.
Azor. lib. 5. Inſtit. moral. cap. 28. Couar. lib. 1.
var. reſol. cap. 1. nu. 2. Henriq. lib. 2. de pœnit.
cap. 4. nu. 2. Coninch. diſp. 6 de qualit. confeſ. dub.
3. nn. 8. Nauar. in Man. latino, cap. 21. nu. 37.
Suar. de pœnit. diſp. 22. diſp. 10 à nu. 4.* & hanc
ſententiam communem eſſe teſtatur *Fagund. de
præcept. Eccleſ. præcep. 2. lib. 3. cap. 2. ſub nu. 6.*
Etenim huiuſmodi mendacium non eſt alicui
pernicioſum, nec eſt contra ius ipſius Iudicis, ſeù
confeſſarij, vt male arbitratur *Caiet. d. q. 69. art.
1. §. in reſponſione*; quia pœnitentes non tenen-
tur confiteri venialia: nec falſam reddunt for-
mam Sacramenti ſubijciendo confeſſioni falſam
materiam, quia illi non aſſignant, nec proferunt
ea mendacia pro materia Sacramenti, vt rectè
declarat idem *Fagund. loco citato.*

Quintò ampliatur eadem concluſio, vt ve-
nialia non pertineant ad integritatem confeſſio-
45 nis; atque ideò pœnitens non obligetur ad ea
confitendum, etiam ſi illa venialia mixta habeat
cum mortalibus: nam poteſt illa venialia tacere,
aut eorum aliqua confiteri; cùm venialia ſecerni
poſſint à mortalibus. Ita *Gloſ.* communiter re-
cepta in explicatione noſtri canonis, & Theo-
logi communiter. Imò qui venialia peccata
46 ordinario Confeſſori confiteretur; mortalia verò
extraordinario, licèt quidam velint, eum peccare
mortaliter, non quòd directè faceret contra in-
tegritatem confeſſionis; ſed propter hypocriſim,
& virtuale mendacium, cùm decipiat ordina-
rium confeſſorem, cui vult apparere bonus, cùm
talis non ſit, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Con-
feſſio, 1. q. 6.* nihilominus nobis magis probatur
ſententia *Nauar. in Man. cap. 2. nu. 42. Fagund.
de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 3. nn. 14.* &
aliorum dicentium, quòd quocunq; modo fiat
talis confeſſio, id non eſſe directè contra ipſius
integritatem; nec per ſe loquendo peccatum
mortale: ſiquidem huiuſmodi pœnitens quando
confitetur ſemper profert, quæ non eſt confeſſus:
ea verò, quæ ſemel confeſſus eſt, non tenetur
iterum confiteri. Neque etiam obligatur huic
potius, quàm illi confiteri: ſupponimus enim
omnes eſſe legitimos confeſſarios. Nec etiam in
tali caſu aliqua grauis deformitas conſpicitur
contra charitatem Dei, aut proximi: aut contra
præceptum aliquod Diuinum, vel humanum:
imò in tali euentu nullum apparet mendacium;
quoniam pœnitens nullam falſitatem dicit, licèt
permittat alium decipi. Et dato quòd id menda-
cium dici poſſit; non tamen omne mendacium
in confeſſione eſt peccatum mortale, vt ſupra
oſtendimus ampl. præcedenti, & infra ſuo loco
latius, Deo duce dicemus. Dixi, *Per ſe loquendo*
quia ſi ob hanc cauſam pœnitens maneret in ali-
qua occaſione mortali, cùm non ſolùm teneamur
vitare peccatum, ſed etiam occaſionem eius, talis
confeſſio ex omiſſione talis peccati integra non
eſſet. Hanc eandem opinionem tenet *Suar. tom.
4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 1. nu. 13. Coninch. de
pœnit. diſp. 6 nu. 12. & 13.* latè *Molf. par. 1. ſuæ
ſum. tract. 7. cap. 12. à nn. 25. ad 30. & Filliuc.
tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 75.*

Sic ampliata limitatur primò ſupradicta con-
cluſio, vt licèt venialia non pertineant ad inte-
47 gritatem confeſſionis; ſunt tamen materia ſuffi-
ciens Sacramenti pœnitentiæ, ita vt quamuis pœ-
nitens compelli non poſſit ad ea confitendum;
nihilominus ſi velit eadem confiteri, poterit, &
erit valdè vtile, vt ſupra oſtendimus, & patet
etiam ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 7. in fin. de
ſacram. pœnit.* vbi anathemate percutitur aſſe-
rens non licere confiteri peccata venialia, his
verbis, *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ,
&c. non licere confiteri peccata venialia, ana-
thema ſit.* Confirmatur tum ex vſu, & communi
conſuetudine fidelium, qui non ſolùm mortalia,
ſed etiam venialia ſubijciunt Eccleſiæ clauibus:
tum etiam ex ipſa inſtitutione Sacramenti pœni-
tentiæ, *Matth. cap. 18. Quorum remiſeritis pec-
cata, &c.* Siquidem Dominus generaliter loqui-
tur de abſolutione peccatorum: ergò generaliter
eſt intelligendus de omnibus peccatis non tan-
tùm mortalibus, verùm etiam venialibus; quia
quando lex generaliter loquitur, generaliter
debet intelligi, & quando non diſtinguit, nec
nos diſtinguere debemus, *l. 1. §. generaliter. ff.
de legat. præſtand.* Nec obſtat, quòd Dominus
eo loco loquitur de remiſſione peccatorum in-
definitè, quoniam ſi indefinitè loquitus, cenſetur
quoque generaliter loqui, cùm indefinita æqui-
polleat vniuerſali, *l. de pretio, ff. de public. in rem
action.* Non tamen ob id dicimus peccata ve-
nialia eſſe materiam neceſſariam Sacramenti pœ-
nitentiæ, ſed tantùm ſufficientem, vt ſupra oſten-
dimus in probatione huius concluſionis.

Secun-

Secundò limitatur, vt quamuis venialia regulariter non pertineant ad integritatem confeſſio-
48 nis; nihilominus concluſio noſtra intelligenda eſt de illis venialibus; quæ pœnitens certò nouit; aut inculpabiliter exiſtimat eſſe venialia; ſecus autem ſi de aliquo veniali dubitet, an ſit mortale, quoniam tunc veniale illud pertinet ad integritatem confeſſionis; atq; ideò tenetur confiteri, vt rectè docet *Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 9.* *Coninch. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 8. Reginal. lib. 6. ſuæ prax. ſub nu. 93. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4.* & latè *Fagund. de præcep. Eccl. lib. 2. cap. 1. nu. 9. cum plur. ſeq.* vbi quamplurimos Doctotes allegat, & alij. Probatur, quia pœnitens tacendo peccatum, de quo dubitat, an ſit mortale, exponit ſe periculo peccandi mortaliter per mutilationem, & illud confitendo nullo periculo ſe exponit, *argum. tex. in cap. ſi quis autem de pœnit. d. 7.* in illis verbis. *Tene certum, & dimitte incertum. Et cap. iuuenis de ſponſal.* vbi habetur, quod in dubijs tutior pars eſt eligenda. Confirmatur ex *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* determinante, pœnitentem debere confiteri omnia peccata, vt ſunt in conſcientia; ſed illud peccatum veniale eſt in conſcientia pœnitentis dubium, an ſit mortale: ergò ad ipsū confitendum tenetur. Denique, quæ ſunt de neceſſitate contritionis, ſunt etiam de neceſſitate confeſſionis: ſed illud peccatum veniale, de quo dubitatur, an ſit mortale pertinet ad contritionem, & eſt neceſſaria de eo contritio ſaltem ratione periculi; ergò pertinet ad ſacramentalē cōfeſſionem, & eadem ratione eſt de eo habenda confeſſio. Quod quidem verum eſt, ſiuè dubium iuris ſit, ſiuè facti, cùm in vtroque caſu militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Et ſiuè conſideretur confeſſio ſecundum ſe, ſiuè in ordine ad præceptum noſtri canonis: & propterea qui conſcientiam non habet, niſi de aliquo peccato, de quo dubitat, an ſit mortale, vel veniale, obligatur præcepto confeſſionis annuæ; ſiquidem ad id tenetur iure Diuino, & præceptum Eccleſiæ determinat ius Diuinum quoad circumſtantiam temporis tantùm. Confirmatur quoniam neceſſitas præcepti confeſſionis tàm Diuini, quàm Eccleſiaſtici depender ex eius neceſſitate ad ſalutem; at pœnitens de neceſſitate ſaluris tenetur confiteri peccata mortalia dubia; ergò eadem obligatur confiteri ad implendum præceptum annuæ confeſſionis. Alias autem rationes vide apud *Fagund. loco citato*, quibus adde ea quæ diffusè cumulat *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recol. 6. nu. 58. cum plur. ſeq.*

Eſt tamen verum, quòd prædicta limitatio intelligenda eſt de dubio, quo quis quaſi in æquilibrio conſtitutus non magis ad vnam partem, quàm ad alteram oppoſitam declinat ſaltem notabiliter: quia hoc iudicium ſufficiens eſt ad regulandam actionem humanam. Idem dicendū eſt ſi ab vtraque parte habeat rationes probabiles, & in ea parte quòd peccauerit mortaliter incliner cum maiori probabilitate; quoniam hoc caſu ſecundum aliquos poteſt ſequi iudicium minus probabile, relicto probabiliore; maximè quando in rebus ipſis non timetur periculum aliquod, atque ideò poteſt non confiteri: ſiquidem in iudicijs practicis poſſumus ſequi etiam opinionem minus probabilem; dummodò ſit probabilis, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Confeſſio 2. q. 2. Suar. d. ſec. 9. nu. 6. Filliuc. loco cit. nu. 109.* & alij. Dixi, *Secundum aliquos*, quoniā non eſt certum apud omnes poſſe nos ſequi eo caſu iudicium minus probabile, relicto probabiliori; ſicut certum non eſt apud omnes poſſe non ſequi in iudicijs practicis opinionem minus probabilem, eſtò quòd ſit probabilis, vt ait *Filliuc.* ibi, & alij: quibus adde *Coninch. dicta diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 8.* qui ſufficienter rem hanc explicat, & infra *concl. 5. ampl. 2.* etiam dicemus.

Sed quicquid ſit de hac opinione, illud tamen eſt certum, quòd ſi pœnitens ſcrupulum tantùm habeat de aliquo peccato, quòd ſit mortale, ad eius cōfeſſionem non tenetur; quoniam hoc caſu de tali peccato leuem tantùm habet ſuſpicionem, & de altera parte contradictionis, nempè quòd peccatum non ſit mortale habet iudicium probabile: quod iudicium ſatis eſt ad regulandam humanam actionem: ſiquidem ex eo quamuis ſpeculatiuè incertum ſit, colligitur tamen iudicium certum practicè de peccato leui, vel de rectitudine actionis, ſufficiens ad regulandas actiones humanas; quia maior certitudo regulariter excedit humanas vires. Puto tamen quòd licèt ſcrupulus maiorem credulitatem habeat, quàm dubium, cùm ſit motio ad alteram partem contradictionis ex leuibus coniecturis; nihilominus ſi pœnitens ſcrupulum habeat de peccato mortali, huiuſmodi ſcrupulum eſſet ſufficientem materiam, vt ſuper eam cedat conditionalis ſaltem abſolutio. In omnem euentum peccata dubia ſunt aperienda Confeſſario vt dubia, probabilia, vt probabilia, & ſcrupuloſa, vt talia, non autem vt certa: quia aliàs deciperetur cōfeſſarius in re graui. Imò cum peccatis dubijs, quæ ſunt materia incerta, ſemper confiteri debent peccata certa, & ſic ſubminiſtrari materia certa, ne ſub conditione fieri contingat Sacramentum pœnitentiæ: quod vitari debet, dum fieri poteſt. Quòd ſi certa materia dari non poſſit, vt quia Adultus de recenti baptizatus accedat ad Sacramentum pœnitentiæ, & non habeat niſi peccata dubia poſt Baptiſmum, tunc eſt abſoluendus ſub conditione, nempè ſi peccata re ipſa commiſerit: nam huiuſmodi abſolutio diceretur impenſa ſub conditione de præterito, vel etiam de præſenti, ſi culpæ reatum habeat: quod fieri poſſe, ſuo loco, Deo duce, dicemus.

Tertiò limitatur noſtra concluſio, vt vera ſit de peccatis venialibus minutis, ac recentibus
49 ſecundum aliquos: ſecus autem de venialibus conſuetudinarijs, & inueteratis; nam ea volunt pertinere ad integritatem confeſſionis, iuxta ea, quæ habentur ex *Panor. Henr. Boich.* & ex alijs in explicatione noſtri canonis. Etenim huiuſmodi venialia fieri mortalia probant ex *text. cap. vnum orarium, 25. d.* vbi ait *D. Auguſt.* quòd nullum peccatum eſt adeò veniale, quòd non fiat mortale, dum placet, ideſt dum deducitur in conſuetudinem, vt declarat hic *Panor. & in cap. nam concupiſcentiam, ſupra de conſtit.* Hinc ait *Boich.* vbi ſupra, quòd Ebrietas licèt ex ſuo genere ſit peccatum veniale, vt in *cap. ſanè, 15. q. 1.* nihilominus ſi aſſidua ſit, in numero mortalium computatur, vt in *d. cap. vnū orarium*

§. aliàs.

§. *alias*. Idem *D. Auguſtin.* exponens illud *Ioan. Qui incredulus eſt filio, non videbit vitam*, ait peccata minima venialia ſi negligantur, occidunt: quæ verba non poſſunt intelligi de contemptu formali, vt pate t; ergò debent intelligi de contemptu interpretatiuo, atque ideò de conſuetudine peccandi venialiter. Hoc idem videtur ſentire *D. Bernard. lib. de precep. & diſp.* dicens, *Quædam eſſe venialia peccata, excepto cùm ex contemptu vertuntur in vſum, & conſuetudinem.* Hanc ipſam opinionem expreſsè tenet *Angel. in ſum. ver. Inobedientia.* Et quamuis *Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 4. cap. 9. q. 11.* Teſtetur contrariam ſententiam eſſe communem; tamen in hoc ſaltem omnes conueniunt, conſuetudinem huiuſmodi eſſe potiſſimam diſpoſitionem ad peccatum mortale: & proprerea authoritates illæ *D. Auguſt.* quòd venialia multiplicata, & in conſuetudinem deducta efficiantur mortalia, ſunt ad minus veræ diſpoſitiuè, vt habetur ex *D. Thom. 1. 2. q. 88. art. 4. in reſp. ad. 1.*

Imò *Azor. loco citato, & Sanch. lib. 1. in Decal. cap. 5. nu. 2.* licèt oppoſitam ſententiam
50 ſequantur; nihilominus inquiunt, quòd aliquando veniale mutatur in lethale ex vſu, & conſuetudine, non præcisè quidem ex frequentia actuum; ſed ob periculum peccati grauiſſimi, in quod non nunquam ex ipſa conſuetudine, Deo permittente, homines incurrunt: quod periculum proximum eſſe tenet *Sanch.* ibidem. Idem habetur ex *Chriſoſtomo homil. 87. in Matth.* loquente de venialibus his verbis, *Et dum contemnuntur, non poteſt ad expulſionem eorum animus generosè inſurgere: vnde cito ex paruis maxima fiunt negligentia noſtra.* Hoc ipſum expreſsè docet *D. Antonin. in ſum. par. 1. tit. 10. cap. 1. §. 3. ex Palud. in 4. d. 16. q. 1.* dicens *Periculoſum eſt veniale multiplicare; quia quidem dicunt, ea ſic poſſe multiplicari, vt homo non poſſit poſtea peccare, niſi mortaliter. Periculoſum, inquit, etiam vnum peccatum nimis aſſueſcere; quamuis veniale; quia facillimum eſt agere ſecundum habitum radicatum firmiter, & difficillimum eſt agere contra: quia conſuetudo facit neceſſitatem: quo circa homo aſſuetis verbis otioſis, ſi occurrat ſibi tentatio, quod faceret ſi à Deo eſſet prohibitum conſentiret.* Quòd ſi verbum otioſum per conſuetudinem multiplicatum, ex ſuo genere veniale, vult iſte Sanctus tranſire in mortale modo ſupradicto ſimpliciter, ac indiſtinctè; quàm fugiendum eſt multo magis à Religioſis, quippè qui tenemur tendere ad perfectionem ſub pœna lethalis culpæ, vt habetur ex *Caiet. 2. 2. q. 184. art. 5. ad 2.* quem refert, & ſequitur *Nauar. com. 1. de Regular. nu. 10. circa medium*, dum dicunt, quòd non habens animum tendendi ad perfectionem ſecundum Regulam, eſt in ſtatu peccati mortalis: quam ſententiam terribilem eſſe nonnullis Religioſis, ait ipſe *Nauar.* qui nec actu, nec virtute habent animum ſe in dies magis, ac magis in charitate proficiendi, nec curant pluſquam boni Clerici Sæculares, aut laici ad eam tendere.

Hanc eandem ſententiam ſequitur *Molf. p. 1. ſua ſum. tract. 8. cap. 8. nu. 83.* qui licèt *nu. 82.*
51 cum communi teneat, veniale conſuetudine non effici mortale, quoniam actus multiplicati ſunt eiuſdem ſpeciei, ac deformitatis; nihilominus inquit, quòd ex conſuetudine peccandi venialiter oritur quidam contemptus mandatorum Dei, & propterea ex conſuetudine venialia committens proximè diſponitur ad peccatum mortale, & ita ſaluat ſententiam *D. Antonini, Angeli*, & aliorum ſupra relatam, & *Reginal. lib. 5. ſua prax. nu. 66.* Quod quidem tunc verum eſſe arbitror, quando quis tanto tempore afficitur ad aliquod peccatũ veniale, & probabiliter timeat, ſe inducendum ad mortale, niſi mediante ſacramentali confeſſione frenet fortiter talem affectũ: nam conſentiret iſte talis in mortale conſenſu ſaltem interpretatiuo, vt poſt *D. Bonauen. in 4. d. 16. in fin.* docet idem *Reginald. lib. 6. ſua prax. nu. 931. in fine.*

Quartò limitatur ſupradicta concluſio, vt & ſi venialia non pertineant ad integritatem con-
52 feſſionis regulariter, ſiuè confeſſio conſideretur ſecundum ſe, ſiuè in ordine ad præceptum confeſſionis annuæ; nihilominus ſi pœnitens non habeat niſi venialia, & nolit ea confiteri in anno, tenetur comparere coram proprio Sacerdote, cui dicat, ſe Dei gratia, non habere conſcientiam peccati mortalis: & propterea excuſari à præcepto confitendi ſemel ſaltem in anno, & id ſatis erit, vt poſt *D. Thom.* & alios *Valent. de confeſ. diſp. 7. q. 9. punt. 4. Syl. in ſum. ver. Confeſſio, 1. q. 13. Suar. de pœnit. diſp. 39. ſec. 2. Vaſq. tom. 4. eod. tract. q. 90. art. 9. dub. 2. ſub nu. 18. & Molf. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 10. nu. 22.* Etenim ſi huiuſmodi obedientiam non exhiberet ſubditos proprio Sacerdoti, eſſet cauſa ſcandali, & poſſet ei meritò interdici Eccleſiæ ingreſſus, & à ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento repelli tanquam indignus, & non confeſſus: ſiquidem proprius Paſtor non poteſt proprias oues agnoſcere, niſi per ſacramentalem eorum confeſſionem, vel per manifeſtationem ſui ſtatus, dicens non habere conſcientiam peccati mortalis, cui tenetur ipſe Paſtor credere; niſi euidenter contrarium appareat, vt quia eſſet publicus concubinarius, &c. quia in ſacramentali foro credendum eſt vnicuique tàm pro ſe, quàm contra ſe, *cap. ſignificauit, de offic. ordinar.*

QVARTA CONCLVSIO.

PEccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, & aliàs confeſſa non pertinent ad integrita-
53 tem confeſſionis. Hæc concluſio eſt *D. Thom. in ſuis quodl. quodlib. 1. art. 2. ad primum Palud. in 4. d. 17. q. 5. art. 1. nu. 6. Almain. ibidem q. 1. circa fin. Duran. q. 15. nu. 10. Io. Medin. C. de confeſ. q. de confeſ. fratr. priuil. fac. Nauar. in cap. placuit, de pœnit. d. 6. nu. 112. cum ſeq. Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 6. Vaſq. eod. tract. q. 91. art. 3. dub. 7. ſub nu. 16. Coninch. diſp. 7. de integrit. confeſ. dub. 11. ſub nu. 107. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 108. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. nu. 938.* & aliorum dicentium, neminem regulariter obligari ad confitenda peccata mortalia aliàs ritè confeſſa. Probatur quia nulla ratione probari poteſt, legitimè confeſſum, & abſolutum teneri de peccatis ritè confeſſis iterum confiteri. Confirmatur, quoniam aliàs confeſſionis onus eſſet intolerabile. Præterea, nemo tenetur confiteri, niſi ea peccata, quorum conſcientiam habet, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* at peccata ritè confeſſa, ac remiſſa non ſunt amplius in conſcientia pœnitentis; ſiquidem

circa

circa huiuſmodi peccata ſunt iam impleta verba Chriſti *Matth.* 18. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Ergò nemo tenetur confiteri peccata ritè confeſſa, & remiſſa. Denique probatur ex *Extrau. inter cunctas, §. cæterum de priuil.* vbi apertè habetur neceſſarium non eſſe peccata eadẽ iterum confiteri: & in *Extrau. Vas electionis, de hæret.* contraria ſententia *Ioannis de Poliaco* fuit erronea declarata. Non igitur peccata aliàs ritè confeſſa pertinent ad integritatem confeſſionis.

Ampliatur primò hæc concluſio, vt peccata aliàs confeſſa adeò non pertineant ad integrita-
54 tem confeſſionis, vt nec ab Eccleſia præcipi poſſint iterum confiteri. Ita *Gerſon. lec. 2. ſuper Marcum*, quæ habetur *Alphabeto 16. lec. 7. Dyan. Cirſtenſ. in 4. d. 23. art. 2. Palud. Almain. Duaran. Nauar. Io. Medina, & Reginald. locis ſupra citatis*. Mouentur ex eo quò præceptum huiuſmodi eſſet nimis difficile, ad quod Eccleſia non obligat, *arg. tex. in cap. alligant, 26. q. 7.* Confirmatur, quia nulla neceſſitas dari poteſt iterandi confeſſionẽ ritè factam, vt in *d. Extrau.*
55 *Vas electionis de hæretic.* Præterea Eccleſia non poteſt materiam Sacramenti, quæ neceſſaria non eſt, facere neceſſariam: ergò non poteſt præcipere peccata mortalia ſemel ritè confeſſa, vt iterum confiteantur: nam id efficeret, ſi præciperet illa iterum confiteri. Hinc ſequitur, quòd ſi Rom. Pontifiex præcipiat præmitti confeſſionem, & communionem pro conſequendo Iubilæo, ſi quis habeat tantum peccata aliàs confeſſa non tenetur præmittere confeſſionem ad iubilæum aſſequendum, ſed ſatis eſt præmittere communionem, vt habetur ex *Nauar. de Iubilæo, §. in Leuitico, & not. 18. nu. 17.* aſſerente ad conſequendum Iubilæum ſatis eſſe, quòd quis ita ſit confeſſus, vt non teneatur ad confitendum, quia non videtur intentio Papæ eos obligare ad iterum confitenda, quæ legitimè confeſsa ſunt: ex quo nonnulli Doctores ducunt argumentum, quod ſi ſatis eſt, vt quis ita ſit confeſsus, vt non teneatur ad confitendum, eum qui tantum habeat venialia non teneri confiteri ad Iubilæum aſsequendum, cùm abſolutè ad confeſſionem venialium non teneatur, nec etiam Quadrageſimæ pro adimplendo præcepto confeſſionis ſemel ſaltem in anno, in noſtro canone contento. Etenim confeſſio ad conſequendum iubilæum non debet magis obligare, quàm obliget confeſſio Quadrageſimalis, confeſſio præcipitur in iubilæis, vt homines ſint in gratia, & eorum orationes à Deo facilius exaudiantur pro cauſa, & neceſſitate iubilæi: at qui venialia tantùm habet, vel non habet niſi peccata aliàs ritè, & rectè confeſsa, & remiſsa eſt in gratia Dei: ergò non tenetur præmittere confeſſionem ad Iubilæum comparandum.

Eſt tamen verum quoad venialia, vt qui velint iubilæum aſsequi teneantur confeſſionem
56 in eo expoſtulatam præmittere, eſt ſententia *Sot. in 4. d. 21. q. 2. art. 3. ſancij lib. 8. de matrim. diſp. 15. nu. 19. Viuald. in candel. aur. de confeſ. nu. 53. & Cordub. lib. 5. quæſtionarij, q. 28.* dicentium, tutius eſse præmittere confeſſionem ſaltem alicuius venialis, licèt non omnium, vel ſaltem omnium in genere, nullum in particulari explicando, atque ideò dicat pœnitens confeſſario, conſcientiam lethalis culpæ non habeo, in multis tamen venialibus deliqui, & ideò peto abſolutionem, quoniam eorum me pœnitet. Hanc eandem opinionem *Eman. Rod. in ſum. ver. Iubilæo, nu. 12. & Roder. à Cunha Epiſcopus Portuenſis*, cum alijs ſupra relatis à *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 2. ſub nu. 20.* qui addit, fundamentum præfatæ opinionis illud eſse, quòd hæc eſt vna, & potiſſima conditio, quam expoſtulat Rom. Pontifex ad Iubilæum comparandum, nempè confeſſio, & non aliter, nec alio modo illud concedit: vndè ſuppoſita tali conditione, quamuis aliundè ex præcepto excuſemur à tali confeſſione; nihilominus ſi volumus indulgentias Iubilæi aſsequi tenemur confeſſionem præmittere. Confirmatur quoniam ſenes, & pueri à Ieiunij præcepto excuſantur; & tamen ſi ad Iubilæum comparandum præcipiatur ieiunium, ſenes & pueri tenentur ieiunare ſi velint Iubilæi indulgentias aſsequi, vt per eundem *Fagund. d. nu. 20. in fine*, qui licèt vtramq; opinionem dicat eſse probabilem; attamen hanc vltimam putat eſse probabiliorem: & mihi videtur vera. Etenim dum Rom. Pontifex præcipit confeſſionem, vt conditionem ad aſsequendum Iubilæum, præcipit tantùm exercitium actus, non autem confeſſionem venialium, aut mortalium ritè confeſsatorum, & remiſsorum directè, hoc autem non excedit eius poteſtatem, vt ſupra oſtendimus *concl. 3. ampl. 3.* Quæ quidem ratio videtur militare non ſolum quoad venialia, ſed etiam ſi pœnitens non habeat alia peccata, niſi aliàs confeſsa, & remiſsa, vndè cum in vtroq; caſu militet eadem ratio, videtur etiam militare eadẽ iuris diſpoſitio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Ad rationes prioris ſententiæ reſpondet *Fagund.* Et quidẽ ad primam dicit, quòd plus requiritur in cõfeſſione Iubilæi, quam in cõfeſſione Quadrageſimæ. Etenim Rom. Pontifices in Iubilæis neminem obligant ad comparandum Iubilæum, ſed tantùm inuitant, atque ideò qui volunt illud aſsequi, debent ſeruare conditiones à Rom. Pontifice impoſitas, quarum præcipuam ſupponimus confeſſionem, nec refert quod ſint in gratia, quoniam id per accidens eſt, & lex confeſſionis ibi requiſita, & præſcripta eſt lex directiua pro omnibus, at in confeſſione quadrageſimali obligantur illi tantum, qui conſcientiam habent peccati mortalis, vt rectè declarat idem *Fagund. loco citato, nu. 21.*

Secundò ampliatur eadem concluſio, vt peccata aliàs confeſsa non ſpectent ad integritatem
57 confeſſionis, non ſolùm ſpecialis, ſed nec etiam generalis. Vndè ſi quis ad Confeſsarij pedes proſtratus pro facienda confeſſione generali, aliqua peccata mortalia ritè confeſsa retineat, culpam aliquam contra integritatem confeſſionis non committit. Nam aut expreſsè inquit, ſe tantùm velle confiteri grauiora, & quæ magis eius conſcientiam ſtimulant, & eo caſu cùm in nullo decipiat Confeſsarium, nullam culpam contrahit non confitendo omnia. Si verò dicat velle facere confeſſionem generalem ſimpliciter non tamen exprimendo omnium peccatorum ob ſolum deuotionis affectum, maiorem humilitatem, aut ad ſedandos ſcrupulos, ex timida conſcientia pullulantes, & tunc poterit ſimiliter ad ſui libitum quædam peccata confiteri, & alia

tacere,

tacere, vt habetur ex *Vinal. in ſuo candel. aureo, de confeſ. nu. 66. Nauar. in Man. Latino, cap. 9. nu. 1. & cap. 21. nu. 38. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. colun. 3. D. Thom. quodlib. 1. art. 12. Palud. in 4. d. 17. q. 5.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 2. cap. 2. nu. 2.* vbi hanc ſententiam communem eſſe teſtatur, & hanc eſſe rationem ait, quia nemo citra proprium conſenſum poteſt obligari præcepto aliquo, ſtatuto, aut lege ab aliqua poteſtate humana etiam Romani Pontificis, vt peccata ritè, legitimè confeſſa iterum confiteatur: eſſet enim huiuſmodi lex valdè difficilis; & humana præcepta etiam Eccleſiaſtica non poſſunt obligare ad id, quod eſt nimis difficile, attenta, ac ſpectata fragilitate humana. Si denique dicat, ſe confeſſionem generalem omnium peccatorum, quæ commiſerit velle facere, & deindè mutata voluntate aliqua mortalia reticeat, quamuis *Victor. in ſum. nu. 266. Syl. in ver. Confeſſor, 1. nu. 9. Ledeſma 2. 4. q. 8. art. 2. dub. 15. & Gandauenſis quodlib. 10. q. 1.* velint hunc contrahere lethalem culpam, quoniam putant in re graui decipi confeſſarium ſine cauſa, nihilominus *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 95. Fagund. loco citato, ſub n. 3.* & alij contrariam ſententiam putant eſſe veram, & dicunt, huiuſmodi pœnitentem, vel nullam culpam committere, vel ad ſummum leuem contrahere: ſiquidè per illud dictum non ſe priuauit iure, quod habebat ad aperiendum in confeſſione generali, quæ vellet; imò *Henr. lib. 2. de pœnit. cap. 16. nu. 6. in fine*, quem ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 1. nu. 13.* volunt aliquando expedire non omnia confiteri eidem confeſſario: atque ideò nec mendacium committitur, nec decipitur confeſſarius in re graui. Eſt tamen verum quòd ſi pœnitens, mediante confeſſione generali, intenderet decipere confeſſarium, maximè, ſi eſſet eius Prælatus, non manifeſtando ei grauiora, vel aliqua peccata, de quibus ipſe Prelatus ſuſpicionem habeat propter hypocriſim, aut alium finem malum, tunc proculdubio peccaret mortaliter; quoniam deciperet Chriſti Vicarium in re graui, ſi finis eſſet maximè mortaliter malus, iuxta ea, quæ habentur ex *Nauar. in Man. cap. 21. nu. 4.* Immò abſtrahendo à fine mortali, ſi vellet tantùm decipere confeſſarium, & ob id tantùm confeſſionem generalem non faceret integram, ſatis probabile videtur *Filliuc. ibidem*, talem pœnitentem peccare mortaliter, & in hoc ſenſu ait, teneri poſſe opinionem *Victor.* loco ſupra relato *Ledeſ.* & aliorum, quos ſupra citauimus.

Tertiò ampliatur ipſa concluſio, vt peccata aliàs confeſſa non pertineant ad integritatem
58 confeſſionis, etiam ſi pœnitens ea confeſſus fuerit in confeſſione informi: quia confeſſio informis ſi ſit valida non venit iteranda: nam ob id conceditur confeſſio valida, ſed informis, vt qui eam facit non teneatur iterare peccata, ſed tantùm tollere impedimentum, quod appoſitum eſt formæ gratiæ, cùm poſſit dari validum Sacramentum quoad ſubſtantiam, & informe quoad effectum, nempè Diuinæ gratiæ: quod quidem varijs modis contingere poſſe ſupra declarauimus *diſp. 2. ſec. 3. & 4.*

Sic ampliata limitatur primò prædicta concluſio, vt licèt peccata mortalia ritè confeſſa non
59 pertineant ad integritatem confeſſionis, ita vt nulla lege humana etiam Rom. Pontificis poſſit quis compelli ad ea iterum confitenda; tamen per proprium conſenſum, & iure Diuino poſſunt pertinere ad integritatem confeſſionis, atque adeò poſſit quis cogi ad huiuſmodi peccata confitendum iterum, nempè per votum, vel per verum iuramentum factum ex iuſta, ac rationabili cauſa de illis iterum confitendis, vt quia in bello, peſte, naufragio, aut morbo cùm reperiretur, vouit, ſeù iurauit facere confeſſionem generalem omnium peccatorum totius retroactæ vitæ: ſiquidem tunc ratione vinculi ipſius voti, aut iuramenti proprio conſenſu facti, obligabitur quis ad implendum id, quod promiſit voto, aut iuramento, vt habetur ex *Nauar. in cap. placuit de pœnit. d. 6. nu. 107. Vinald. in ſuo candel. aur. de confeſ. nu. 66. §. Tertiò reſpondeo, & Fagund. de precep. Eccleſ. precep. 2. cap. 2. nu. 4. lib. 2.* qui hanc rationem eſſe ait; quia qui huiuſmodi iuramentum, ſeù votum emiſit, præuiſit difficultatem, cui ſe exponebat, & tamen ad illam proprio ſe obligauit conſenſu. Eſt tamen verum, quòd ſi quis voto, vel iuramento Deo promittat, ſe expiaturum ſua peccata venialia non obligabitur ſub lethali culpa ad illorum confeſſionem, attenta communiori, & meliori ſententia eorum, qui volunt, iuramentũ promiſſorium, aut votum de re minima, & veniali non obligare ſub lethali culpa, vt rectè declarat *Fagund. loco citato, nu. 5.*

Secundò limitatur, vt quamuis peccata mortalia ritè confeſſa regulariter non pertineant ad
60 integritatem confeſſionis; poſſunt tamen ad eam pertinere iure reſeruationis factæ ante illorum confeſſionem. Etenim lege, priuilegio, aut ſpeciali commiſſione poteſt Sacerdotibus quibuſcunque concedi facultas audiendi confeſſiones quorumcunque fidelium eoſdemque abſoluendi à quibuſcunque peccatis; cum hoc tamen, vt pœnitens maneat obligatus eadem peccata mortalia iterum confiteri proprio Parocho, vel alteri in fine anni, menſis, vel cùm primum potuerit. Quod fieri poſſe tàm à ſupremo Prelato, quàm à quocunque proprio Paſtore ex mera auctoritate iure reſeruationis docet *Henr. quodlib. 1. q. 32. & quodl. 10. q. 1. Adrian. in 4. q. 5. de confeſ. §. ideò pro ſolutione, Angel. in ſum. ver. Confeſſio, 5. nu. 9. Nauar. in Man. cap. 26. nu. 12. Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 7. ſub nu. 17. cum plur. ſeq.* vbi ad hunc modum interpretatur opinionem *Maioris in 4. d. 17. q. 6.* Ex quibus patet modo iuſtas eſſe conſtitutiones editas in ordine Ciſtercienſi, & in nonnullis alijs Ordinibus, quibus cauetur, vt quæcunq; mortalia vnuſquiſq; poſſit cuilibet confeſſario ex deputatis, ſed in fine anni omnia ſcilicet mortalia (cùm ea tantùm reſeruari poſſint) Abbati confiteretur. Imò huiuſmodi conſtitutiones ex alio capite iuſtificantur, nempè ratione voti, quo ſponte Monachi per profeſſionem ſubijciuntur omnibus dictorum ordinum conſtitutionibus ſaltem tacitè, atque adeò ratione talis voti obligantur in fine anni omnia mortalia alijs confeſſarijs confeſſa, iterum confiteri eorum Abbati, vt habetur ex eodem *Nauar. in cap. placuit de pœnit. d. 6. nu. 107. cum plur. ſeq. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 109. Conineh. diſp. 7. de integrit.*

confeſ. dub.11. circa finem, & latè *Fagund. vbi ſupra, nu.* 6. cum alijs, quos allegat. Vbi addit quoque opinionem eorum, qui volunt, quòd qui ordinatur ſacris ordinibus tacitè ſe ex voto obligant ad caſtitatem non immediatè quidem; ſed mediante ſtatu Sacerdotali, vt inquit *Sanch. tom.2. de matr. lib.7. diſp.27. nu.10. §. cæterum*, Quamuis ipſe multo eſſe probabilius doceat, obligationem ſeruandæ caſtitatis in Sacerdotibus non prouenire immediatè ex aliquo præcepto, aut ſtatuto Eccleſiaſtico quo Eccleſia directè præcipiat promouendis ad ſacros ordines obſeruantiam caſtitatis, ſed procedere ex ipſo ſtatu, quem ij, qui ſacris ordinibus ordinantur, ſuſcipiunt, quaſi Eccleſia hanc conditionem, ſeu obligationem ſeruandæ caſtitatis ex voto ijs imponat, mediantibus ſacris ordinibus, qui ſtatum Sacerdotalem ſuſcipiunt, vt latius declarat *Fagund. ſub d. nu.* 6. Idem ſtatutum fertur fuiſſe emanatum in Societate Ieſu quoad iter agentes, & eos, qui negotiorum cauſa in alijs Collegijs verſantur, vt poſſint confiteri quibus velint, cum obligatione tamen iterum confitendi peccata mortalia ſuperiori. Vndè peccata alia aliàs confeſſa pertinent ad integrationem confeſſionis ſuperiori faciendæ. Etenim quamuis pœnitens, mutata deindè voluntate, ſi ſuperiori non confiteatur, confeſſio valere non deſinat; nihilominus nouum peccatum mortale committit, & remanet iterum ea confitendi obligatio, vt rectè docet *Nauar. loco ſupra citato*: vbi etiam addit, quòd quando ſuperior abſens Inferiori facultatem abſoluendi à reſeruatis dederit ſub eo modo, vt pœnitens iterum illi ea confiteatur, cùm præſens fuerit, confeſſarius tenetur illum modum pœnitenti aperire: & ſi eum non acceptauerit, non debet audire, ſi ante confeſſionem id ſciuerit, nec à reſeruatis abſoluere, ſi poſt confeſſionem ſciuit. Sed hæc, & alia ad hanc rem ſpectantia, vide apud *Vaſq.* vbi ſupra, qui materiam huiuſmodi latè pertractat.

Tertiò limitatur, vt quamuis ſi præcisè ſpectetur Sacramenti pœnitentiæ inſtitutio, peccata
61 ſemel confeſſa, ac remiſſa non ſpectent ad integritatem confeſſionis; atque ideò non exigatur, vt iterum confiteantur; quoniam dum ſemel de huiuſmodi peccatis fuerit legitimè iudicatum, interiori foro ſufficienter eſt ſatisfactum; id tamen intelligendum eſt; vbi pœnitens ab eis directè fuerit abſolutus: ſecus autem ſi indirectè, vt cum quis inculpabiliter oblitus ſit alicuius circumſtantiæ peccati, mutantis ſpeciem, vel aggrauantis in infinitum: tunc enim vt rectè valeat circumſtantiam illam confiteri, tenetur iterum ad peccati confeſſionem; ſiquidem circumſtantia illa inculpabiliter oblita indirectè tantùm fuerat remiſſa: at quicunque peccatum aliquod committit tandiu obligatur illud cum ſuis circumſtantijs confiteri, donec ab eo directè fuerit abſolutus. Quod quidem intelligendum eſt, quando circumſtantia exprimi non poſſet, ſi peccatum iterum non confiteatur; aliàs ſecus, vt benè declarat *Nauar. in Man. cap.6. nu.19. & in cap. conſideret, nu. 104. de pœnit. d. 5. Henr.* poſt alios, *lit. N. lib.5. de pœnit. cap.5. §.4. Suar. de pœnit. diſp.22. ſec.2. nu.8. Coninch. diſp.7. de pœnit. nu.6. & Reginald. lib.6. ſua prax. n.142.* Idem dicendum eſt de peccatis mortalibus inculpabiliter oblitis, & ex rationabili cauſa non confeſſis, vt habetur ex *Coninch. diſp. 7. de integr. confeſ. dub.11. ſub nu.107. & 110.*

Quartò limitatur præfata concluſio, vt ad integritatem confeſſionis ſpectent peccata mor-
62 talia, de quibus pœnitens dubitat, an fuerit confeſſus, & abſolutus, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d.18. q.1. art.3. queſtiun. 2. ad 4.* quem refert, & ſequitur *Vaſq. tom.4. de pœnit. q.91. art.3. dub.7. ſub nu. 3. in verſ. Aduertis autem*. Nam pœnitens tacendo peccatum, de quo dubitat, an fuerit abſolutus, exponit ſe periculo non faciendi confeſſionem integram: & propterea peccat mortaliter, cùm in dubijs tutior pars ſit eligenda, *cap. iuuenis, de ſponſal.* & tenendum ſit certum, & dimittendum incertum, *cap. ſi quis autem de pœnit. d.7.* Quæ quidem limitatio intelligenda eſt iuxta ea, quæ ſupra diximus *concl. præcedenti limit. 2. per totam*, de veniali dubio tractantes; atque ideò de dubio, quo quis quaſi in æquilibrio conſtitutus non magis declinat ad vnam partem, quàm ad alteram oppoſitam.

Quintò limitatur dicta concluſio, vt ita demum peccata aliàs confeſſa non ſint de integri-
63 tate confeſſionis, ſecundò faciendæ, quando prior confeſſio fuit valida, ſecus autem ſi fuerit inualida; quoniam tunc pertinent ad integritatem confeſſionis, vt rectè docet *Suar. de pœnit. diſp.22. ſec.6. in prin. Coninch. diſp.7. de integr. confeſ. dub.11. nu.108. Fillinc. tom.1. qq. moral. tract.7. cap.4. nu.100. Fagund. de præcep. Eccl. præcep 2. lib.2. cap.2. n.1.* & alij. Etenim illa peccata non fuerunt per claues remiſſa: & propterea iterum ſunt ſubijcienda clauibus, iterata eorum confeſſione, vt remittantur: aliàs ſubſequens confeſſio non minus nulla erit, quam prior. Confirmatur, quia confeſſio inualida eſt nulla; ergò nullum effectum operatur, non ſecus, ac ſi habita non fuiſſet: ſiquidem paria ſunt in moralibus non eſſe, & inutile eſſe, *cap. 2. de tranſl. Epiſc. & l. fin.* vbi *Gloſ. C. ad leg. Flau. de Plag.* Sed ſi facta non fuiſſet, illa peccata neceſſariò fuiſſent ſubijcienda clauibus, vt remittantur; quoniam id eſt medium neceſſarium ad talem remiſſionem; ergò idem dicendum eſt, etiam ſi habita nulliter fuit.

Eſt autem confeſſio multis modis inualida, de
64 quibus latè *Coninch. diſp. 6. de qualit. confeſ. dub.5. nu.15. cum plur. ſeq. Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 6. nu. 4. & 5. Laym. in ſua ſum. Theol. lib.5. tract.6. de ſacr. pœnit. cap.9. Vega in ſum. de confeſ. caſu 67. Molf.* poſt alios *par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract.7. cap. 13. per totum, Fillinc. tom.1. qq. moral. tract.7. cap.4. à nu.100. ad 105. Alphonſ. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. nu. 62. cum plurib. ſeq.* & alij. Etenim confeſſio, aut nulla eſt ex defectu confeſſarij, vel ex defectu pœnitentis.

Ex parte confeſſarij ſacramentalis confeſſio dicitur inualida primò ex defectu intentionis, vt
65 quia confeſſarius licèt verba ad formam Sacramenti requiſita protulerit; non tamen habuit intentionem abſoluendi; quæ omninò exigitur ad validitatem Sacramenti: ſiquidem in quolibet Sacramento requiruntur materia, & forma, & intentio Miniſtri, vt poſt alios notat *Molf. par. 1. ſua ſum. tract.2. cap.1. nu.45.* & ſpecialiter quoad Sacramentum pœnitentiæ *d. cap. 13. n. 22. Fillinc.*

loca

loco citato, nu. 104. *& Vega d. caſ. 67. not.* 3. circa quod ait, pœnitentem non debere eſſe anſium, ſed ſemper debere compertum habere confeſſarium habuiſſe rectam intentionem eum abſoluendi; quæ ſatis eſt non ſolùm formalis, ſed etiam virtualis dumtaxat, vt rectè colligitur ex *Laym. d. cap. 9. ſub nu. 4. verſ. Secundò ſit confeſſio inualida*. Idem dicendum eſt, ſi confeſſarius habuit intentionem abſoluendi, ſed non protulit ſubſtantialia verba abſolutionis, vt quia abſolutionis formam non impendit verbis, ſed nutu, ſcripto, vel alio ſigno: etenim forma Sacramenti pœnitentiæ non poteſt aliter impendi quam verbis, ac determinatis verbis, nempe *Abſoluo te*. Vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3.* vbi dicitur, quòd forma Sacramenti pœnitentiæ conſiſtit in illis Miniſtri verbis, *Abſoluo te*. Vndè ſi alijs verbis vtatur confeſſarius in impendenda abſolutione, quæ non ſint æquipollentia Concilij verbis, nihil facit: & ſi æquipollentia ſint, mortaliter peccat; quapropter ſi confeſſarius in impendenda Sacramenti forma dicat, *Mundo te à peccatis, &c. Abſoluere à peccatis: abſolutionem impendo, &c.* Licet abſolutio prædictis verbis æquipollentibus impenſa valida eſſet; nihilominus confeſſarius ipſe lethalem culpam contrahit: ſiquidem mutatio verborum Concilij nunquam poteſt materialiter fieri citra culpam ex ſuo genere mortalem, cum ſit ſacrilegium: nam verba illa, *Abſoluo te*, licèt non ſint de ratione formæ pœnitentiæ; ſunt tamen de præcepto Eccleſiæ, vt latè *Suar. de pœnit. diſp. 5.*
66 *ſec. 1. nu 24. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. c. 9. & 10.* & nos, Deo duce, latius ſuo loco dicemus. Eſt tamen verum, quòd *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 3. in fine*, inquit, quòd ſi quis abſolutionem impenderet per verbum, *Remitto*, aut diceret, *Abſolutionem impendo*, vel *Abſoluaris à me*, non eſset pluſquam peccatum veniale, præciſo tamen ſcandalo. Nunquam tamen abſenti licitum eſt, ac validè impenditur Sacramenti pœnitentiæ forma, etiam formalibus Concilij verbis, *Ego abſoluo te*. Etenim quamuis nonnullorum antiquitus fuerit ſententia, quos omnes recenſet *Fagund. d. cap. 10.* & putent, poſse per litteras, & inter nuncium abſenti confeſsario peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſenti abſolutionem obtinere, nihilominus ſententia ipſa fuit damnata per S. M. Clem. VIII. die 19. Iulij 1605. his verbis, & tanquam falſa, temeraria, ac ſcandaloſa, & præceptum, ac prohibitum, ne deinceps talis propoſitio publicis, priuatiſq; lectionibus, concionibus, & congreſſionibus doceatur, tanquam probabilis defendatur, imprimatur, nec ad praxim quouis modo deducatur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ac Apoſtolicæ Sedi reſeruatæ.

Vndè quando ex defectu Sacerdotis in ſupradictis caſibus confeſſio eſt nulla, & pœnitens
67 velit alteri Sacerdoti confiteri, tunc tenetur omnium mortalium confeſſionem iterare, ac ita ea repetere, ac ſi nunquam confeſsus fuiſset: ſiquidem cum non fuerint ſibi remiſsa, ſunt denuò ſubijcienda clauibus, vt remittantur: & cùm confeſſio ſit actus iudicialis, ex parte pœnitentis debet eſse integra narratio, & accuſatio peccatorum: & ex parte confeſsarij illorum cognitio; atque ideò cùm ſecundo confeſsario non ſint cognita, eidem ſunt proculdubio confitenda, licèt priori fuerint prius vt ſupra confeſsa. Quòd ſi pœnitens eidem confeſsario velit denuò confiteri, tunc ſi confeſsarius peccatorum eſt memor, aut ſaltem pœnitentiam ipſi confitenti impoſuerit, & recordetur, talem pęnitentem ſibi fuiſse confeſsum, tunc repetita confeſſione, ſatis eſt ſi ſuppleat defectum formæ, abſoluendo eum legitimè cum debita intentione, ac neceſsarijs verbis; quia defectus extit ex parte confeſsarij tantùm formam Sacramenti nulliter impendentis. Si verò pęnitentiam non impoſuit, nec recordetur peccatorum, tunc confeſsio eſt omnino iteranda: quoniam, vt diximus in hoc ſacramentali foro non ſolùm exigitur accuſatio ex parte pœnitentis, ſed etiam cognitio ex parte confeſsarij, cùm ſententia non feratur ſuper incognitis, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 17. q. 5. nu. 22. D. Ant. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 4. Syl. in ſum. ver. Confeſſio, 1. q. 3. Nauar. in Man. cap. 9. nu. 19. Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 6. nu. 7. Molf. d. cap. 13. nu. 22. Fillinc. loco citato, nu.* 103. *& Laym. in ſua ſum. Theol. tract. 6. de ſacr. pœnit. cap. 9. nu. 6.* qui tamen *ſub nu. 4. in fine, & nu. 5. ex Henr. lib. 5. de pœnit. cap. 14. num. 5.* & ex alijs addit, quòd ſi confeſsarius ob ſurditatem, animi diſtractionem; aut ex alio accidenti peccata mortalia non intellexit, quæ pœnitens bona fide illi aperuit, exiſtimans intelligi, & abſolutionem impendat, abſolutionem ipſam validam, & fructuoſam eſſe ſiquidem eſſentia, & effectus Sacramenti pęnitentiæ conſiſtere poteſt abſq; integra, & ſpecifica peccatorum explicatione, ſi ea citra omnem culpam pœnitentis, ſuum dolorem confeſſario explicantis, intermittatur, verùm ſi pœnitens poſtea cognoſcat vnum, vel plura peccata mortalia confeſſarium nullo modo intellexiſſe, debet ea ſola cum alijs poſtea commiſſis in ſequenti confeſſione iterum explicare: quoniam ſemper manet obligatio peccata omnia mortalia ſecundum ſpeciem, & numerum confeſſario aperiendi, vt ab omnibus abſolutio directè, & in ſpecie impendatur. Eſt tamen verum, quòd ſupradicto caſu oportet, vt confeſſarius aliquod ſaltem peccatum veniale, aut mortale à pęnitente bona fide confitente perceperit, aut ad minus pœnitentis ſufficientem actum doloris de ſuis peccatis, aliàs abſolutio tanquam impenſa ſuper materia incognita eſſet nullius momenti: etenim in foro ſacramentali, ſicut & iudiciali non fertur ſententia ſuper incognitis, vt ſupra oſtendimus, & de hac re latius, Deo duce, dicemus infra, *verſ. Ex parte quoque, circa fin.*

Ex parte confeſſarij poteſt eſſe nulla confeſſio ex defectu iuriſdictionis: ſiquidem Miniſter
68 Iſtius Sacramenti nò ſolùm debet eſſe Sacerdos, ſed etiam debet eſſe approbatus ab Ordinario, & habere iuriſdictionem non impeditam, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſuum reſeruat. Nauar. in Man. cap. 4. Suar. de pœnit. diſp. 25. ſec. Vaſq. de pœnit. q. 93. art. 2. dub. 2. Reginald. lib. 1. ſua prax. nu. 20. Coninch. diſp. 8. de pœnit.* & alij, aliàs nulla erit abſolutio ab eo impenſa, & pœnitens tenetur iterare confeſſionem iuxta diſtinctionem ſupra traditam. Eſt tamen verum, quòd ſi pœnitens confeſſus fuerit bona fide alicui Sacerdoti iuriſdictionem non habenti in ſacramentali foro, vt quia ab ordinario non fuit

approbatus, aut ſi fuerit approbatus per ſimoniam obtinuerit beneficium, vel ex alia cauſa excommunicatus, & publicè denunciatus, aut eſſet publicus clericorum percuſſor; ſi talis Sacerdos communiter habebatur idoneus, & ſi ab
69 ordinario fuiſſet approbatus, & nullo excommunicationis vinculo innodatus, tunc ſtante bona fide pœnitentis, & commum errore, valida erit confeſſio, & abſolutio, ſi cætera concurrant; nec aliquo pacto iteranda erit ipſa confeſſio: quoniam communis error fundatus in dicta bona fide facit ius, & tribuit iuriſdictionem, *arg. tex. in l. Barbarius, ff. de offic. Præſid. Gloſ. in cap. dudum, il 2. in ver. Deceptæ*, vbi etiam *Panorm. nu. 20. de elect. Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 22. q. 2. Suar. de pœnit. diſp. 26. ſec. vlt. nu. 7. Reginald. lib. 1. ſuæ prax. nu. 99.* & alij, quos refert, & ſequitur *Molſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 13. nu. 20.* vbi etiam *nu. 21.* rectè reprobat opinionem *Sanch. d. diſp. 22. nu. 49. Reginal. loco citato*, & aliorum exiſtimantium, confeſſionem ex communi errore factā Parocho nullum legitimum titulum habenti, vt quia de facto, mediantibus Bullis falſis pro Parocho ſe gerebat, eſſe nullam: etenim tàm in hoc, quàm in priori caſu militat eadem ratio communis erroris tribuentis, iuriſdictionem ſuppoſita bona fide pœnitentis, & hanc opinionem tenet quoq; *Fagund.* cum alijs quos allegat *de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 7. cap. 2. à nu. 73. uſque in fin. Bonac. & Megal.* quos refer, & ſequitur *Alph. de Leon. de offic. & pot. confeſ. recoll. 18. ſub nu. 75.*

Ex parte quoque confeſſarij poteſt eſſe confeſſio inualida ex defectu ſcientiæ, vt ſi ignorātia
70 confeſſarij tanta eſſet, vt peccata, quæ communiter cognoſcuntur, & à paucis ignorantur; ipſe non cognoſceret. Etenim vt ſupra diximus confeſſio eſt actus iudicialis, & ideò non ſolùm ex parte pœnitentis peccatorum accuſationem, ſed etiam ex parte confeſſarij eorundem cognitionem exigit. Vnde ſi confeſſarius peccatorum ſubſtantiam ignorat, cùm non poſſit de eis iudicare, abſolutionem nulliter impendit, tanquam latam ſuper incognitis, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 3. Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 2. in fin. Vaſq. eod. tract. q. 93. art. 3. dub. 2. num. 1. Reginald. lib. 1. ſuæ prax. ſub nu. 148.* eum alijs, quos allegant, & *Molſ. d. cap. 13. ſub nu. 23.* vbi addit, quòd raro aut nunquam euenire poteſt, vt confeſſarius ſit adeò ignarus, vt abſolutio ab eo impenſa efficiatur inualida. Imò *Filliuc. loco ſupra citato ſub nu. 100.* poſt alios putat ad validitatem abſolutionis ſatis eſſe ſi confeſſarius
71 ſciat diſcernere inter peccatum mortale, & veniale in genere, quamuis ignoret in particulari, dummodo pœnitens ſit alioquin in bona fide. Adde quòd *Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 6. nu. 4.* quem refert, & ſequitur *Bonac. de pœnit. diſp. 5. ſec. 2. par. 3. nu. 14. & Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. ſub nu. 65.* docet, quòd ſi confeſſarius neſciat diſtinguere peccatum mortale à veniali, non tamen ob id confeſſio erit inualida, niſi ſit ita ignorans, vt neſciat proferre verba abſolutionis, & multo minus erit inualida, ſi confeſſarius peccata etiam communia licèt ignoret, alia tamen rectè diſtingueret, maximè ſi eſſemus in caſu neceſſitatis, quoniam
72 tunc validè abſolutionem impenderet, etiam ſi talis confeſſarij ignorantia nota eſſet pœnitenti: ſiquidem & ſi non eſſet integra confeſſarij cognitio; nihilominus eſt pro parte, atque ideò neceſſitas illa excuſat pœnitentem ab integritate cognitionis confeſſarij: licèt repetenda eſſet confeſſio ex ea parte, qua non fuit integra ex defectu cognitionis ex parte confeſſarij, vt habetur ex *Syl. d. q. 3. Vaſq. d. dub. 2. nu. 3. & ſeq. Coninch. diſp. 6. de pœnit. nu. 18.* & ex alijs apud *Molſeſ. d. cap. 13. nu. 24.* Quòd ſi ceſſaret neceſſitas, & pœnitens id aduerteret, confeſſio in totum diceretur inualida, vt poſt alios probet *Suar. d. ſec. 6. nu. 4.* Quo caſu ſi cõfeſſio fiat alteri Sacerdoti repetenda ſunt omnia peccata mortalia: ſi verò confeſſio eidem Sacerdoti fiat facto doctiori, tunc ſi recordetur peccatorum, impoſita pœnitentia, poteſt abſolutionis formam imponere: quòd ſi non recordetur, confeſſio erit denuò iteranda. Ita *Filliuc.* poſt alios *loco citato ſub nu. 104. q. 6. concl. vlt.*

Eſt tamen verum, quòd confeſſarius ſi recor-
73 detur ſaltem ſtatus pœnitentis in confuſo, id ſatis eſt eo caſu ad impendendam abſolutionem. Imò confeſſarius ſi non recordetur peccatorum, quæ pœnitens fuit ei confeſſus, nec pœnitentiæ iniunctæ, neque ſtatus, nec requiritur, vt pœnitens ipſe diſtinctè confiteatur omnia peccata, ſed ſufficit ſi generaliter de aliquibus peccatis grauioribus ſe accuſet, dicens, de omnibus peccatis tibi aliàs confeſſis dico meam culpam, vt poſt alios inquit *P. Alph. de Leon. loco citato, ſub nu. 67. & 68.* quæ ſententia licèt quoad primum caſum nobis probetur iuxta ea, quæ infra dicemus, *verſ. Tertio ex parte pœnitentis*, quoad ſecundũ tamen non eſt citra magnam difficultatem per ea, quæ ſupra diximus, & ipſemet *P. Alphon.* videtur tacitè velle, quibus adde, quæ habentur ex *Laym. in ſua ſum. lib. 5. tract. 6. de ſacr. pœnit. cap. 9. ſub nu. 6.*

Ex parte Confeſſarij denique, cæteris prætermiſſis, poteſt eſſe confeſſio inualida ex defectu
74 attentionis, vt ſi confeſſarius dormiat, vel eſſet diſtractus, dum audit confeſſiones, vt poſt alios inquit *P. Alph. de Leon. in d. recollect. 18. ſub nu. 65. verſ. Tertiò ex defectu attentionis*, & patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus. Etenim ſicut ex parte pœnitentis exigitur integra peccatorum accuſatio, ita etiam ex parte Confeſſarij requiritur integra illorum cognitio. Quæ tamen intelligenda ſunt, & limitanda iuxta ea, quæ ſupra diximus, *verſ. Vnde circa mediũ ex Henr. & Laym.*

Ex parte verò pœnitentis multis, & varijs etiam modis ſacramentalis confeſſio efficitur
75 inualida. Etenim primò redditur nulla ex defectu intentionis: nam ſicut ad valorem Sacramenti requiritur intentio Miniſtri, ita vt non ſolùm debeat verba abſolutionis impendere, ſed etiam habere intentionem abſoluendi pœnitentem, vt ſupra latè oſtendimus, *verſ. Ex parte Confeſſarij ſacramentalis confeſſio*. ita quoque pœnitens debet non ſolum peccata omnia confiteri, & de eis habere debitum dolorem; verum etiam, & debitam intentionem ſuſcipiendi abſolutionem, atque ideò Sacramentum pœnitentiæ, vt habetur ex *Vega in ſua ſum. de confeſ. caſu 67. not. 4. & P. Alph. de Leon. d. recoll. 18. ſub nu. 63. verſ. Sextò ex defectu intentionis*; qui dum ait, quòd ſi finis eo caſu intentus à pœnitente

tente eſſet tantùm peccatum veniale, vt vana
76 gloria, confeſſio eſſet valida, pro qua re allegat
Sot. in 4. d. 18. q. 3. art. 3. id nobis non placet;
quoniam ſi deeſt pœnitenti intentio ſuſcipiendi
Sacramentum, confeſſio eſt nulla, ac inualida,
etiam ſi id agat propter inanem gloriam; ſiquidem intentio ſuſcipiendi Sacramentum eſt de
eſſentia Sacramenti, vt in ſpecie docet idem *Sot.
d. art. 3. concl. 2. Nauar.* & alij relati à *Reginal.
lib. 26. ſua prax. nu. 50. Suar. de pœnit. diſp. 14.
ſec. 2. Molf. in ſua ſum. tract. 7. de pœnit. cap. 13.
nu. 14.* & facit *text. in cap. maiores, §. pen. de
Baptiſ.* Nec *Sot.* ipſe eſt ſibi contrarius, dum in
eodem *art. in reſp. ad 3.* ſic ait, *Tertio argumēto
monetur Sil. ver. Confeſſio, §. 7. vt dicat, confeſſionem, quæ principaliter fit propter inanem gloriam non eſſe validam, nec per illam impleri
Eccleſiæ præceptum: nam de eſſentia confeſſionis
eſt, vt fiat ſpe veniæ. Nihilominus reſpondetur
primò, quòd licèt talis confeſſio non ſit actus virtutis, quia eſt peccatum veniale; tamen quia
peccatum veniale non eſt obex gratiæ, fieri poteſt,
vt non ſolum illa confeſſio ſit valida, ſi alium non
habeat defectū, verum, & abſolutio ſit fructuoſa.*
Etenim ibi *Sot.* non loquitur in caſu noſtro, in
quo pœnitens confitendo non intendat conficere, nec ſuſcipere Sacramentum, nec obtinere
remiſſionem peccatorum, vt *P. Alph. de Leon.*
videtur arbitrari; ſed loquitur de pœnitente, qui
habet intentionem conficiendi Sacramentum, &
obtinendi remiſſionem peccatorum; ſed principaliter confitetur propter inanem gloriam. Vndè
ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus exuli,
ff. de minor.*

Secundò ex parte pœnitentis confeſſio eſt
inualida ex defectu vſus rationis. Etenim con-
77 feſſio eſt actus virtutis, & ideò debet eſſe libera,
quæ vt talis omninò exigit vſum rationis. Confirmatur ex noſtro canone in illis verbis, *Poſt
quàm ad annos diſcretionis, &c.* vbi præcipitur
confeſſio ſemel ſaltem in anno fieri ab omnibus
fidelibus, poſtquàm ad annos diſcretionis peruenerint: at is dicitur perueniſſe ad annos diſcretionis, qui vſum rationis fuit adeptus, vt latè declarauimus ſupra *diſp. 1. ſec. 7.* & illa confeſſio
præcipitur vi dicti canonis, & illas conditiones
exigit qualis reperitur, & exigit confeſſio, quæ
eſt vna ex partibus materialibus Sacramenti pœnitentiæ, vt diximus ſupra *diſp. 2. ſec. 7. in prin.*
Vndè confeſſio facta ab amentibus, furioſis, freneticis, & pueris vſum rationis non habentibus,
proculdubio eſt nullius momenti; ſiquidem hi,
qui rationis vſum non habent non ſunt liberi in
eorum operationibus, atque ideò non poſſunt
peccata committere, quæ ſunt materia remota
Sacramenti pœnitentiæ, vt habetur ex *Suar. de
pœnit. diſp. 35. ſec. 2. nu. 5. Coninch. diſp. 5. dub. 4.
nu. 50. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1.
cap 2. nu 3.* cùm alijs, quos allegat, & *P. Alph.
de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. n. 63.*
vbi id limitat in amentibus, & furioſis habenti-
78 bus dilucida interualla: nam ſi tempore, quo
ſunt ſanæ mentis confiteantur, valida eſt eorum
confeſſio; ſicut valida dicitur non ſolùm confeſſio, ſed etiam abſolutio illius pœnitentis ſanæ
mentis, qui poſt quam ritè fuit confeſſus ſua
peccata, dormitauerit, & dum dormiret, & ſic
79 vſum rationis tunc temporis non habens fuerit à
confeſſario abſolutus: ſiquidem vſus rationis ex
parte pœnitentis requiritur in confeſſione, non
autem in abſolutione: ſatis enim eſt quòd pœnitens ſit viuus, vt poſſit abſolui, vt poſt *Reginald.*
tenet idem *P. Alph. loco citato.* Circa pueros
80 denique ſunt valdè notanda, quæ cumulauit
*Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 5. de ſacr.
pœnit. cap. 5. nu. 7.* ſiquidem ait, quòd quando
confeſſarius, penſatis circumſtantijs indicauit,
puerum verè, ac deliberatè commiſiſſe peccatum, quod ſibi fuerit confeſſus, examinare inſuper eum debet, vtrum de eo doleat ex motiuo
non merè humano, vt quia à Patre vapulabit; ſed
ſupernaturali per fidem cognito, nempè, quia
Deum offendit, eidem eſt contrarium, pœnam
æternam, vel Purgatorij meretur, atque ideò à
reatu virtute Sacramenti abſolui deſideret; Etenim inquit ipſe *Layman*, quòd reperiuntur pueri
adeò malè educati, vt licèt rationis vſum habeant; non tamen tam breui tempore poſſunt à
confeſſario ad pœnitentiam diſponi: quo circa
hoc caſu orationem quaſi pœnitentiæ loco puero
huiuſmodi imponat, & Crucis benedictione ſuper caput eius formata, dimittat: etenim expedit
pueros quamuis non dum abſolutionis capaces
ſint, audire, vt paulatim inſtruantur, & confeſſioni aſſueſcant, monendus tamen eſt ipſe puer,
vt ſciat, quòd non eſt abſolutus.

Quòd ſi conſideratis omnibus circumſtantijs,
81 Confeſſarius dubitet de pueri capacitate, debet
tunc eum abſoluere ſub conditione, ſaltē animo
retenta: & ſi puer eiuſmodi reperiretur in articulo mortis, vt idem *Layman*, quòd poteſt, ſeu
debet abſolui abſque conditione ſcilicet, quoniam in dubio inclinandum eſt in fauoré animæ.

Tertiò, ex parte pœnitentis confeſſio eſt inualida ex defectu materiæ proximæ, vt quia pœ-
82 nitens ſufficientem dolorem non habuerit de
peccatis non ſolum quoad effectum Sacramenti,
ſed nec quidem quoad eiuſdem valorem, vt quia
ſcienter pœnitens ſine vllo dolore, vel ſufficienti
attritione de peccatis accedit ad confeſſionem,
nec propoſitum habeat non peccandi de cætero,
ſatisfaciendi, nec ſuſcipiendi pœnitentiam, maximè præſeruatiuam à peccatis, vt poſt *Nauar.*
& alios docet *Reginald. lib. 6. ſua prax. nu 166.*
& alij communiter. Quibus caſibus ſi pœnitens
confiteatur alteri confeſſario tenetur omnium
lethalium iterare confeſſionem per rationes ſuperius allatas, & ſupplere defectum doloris cum
propoſito nō peccandi in futurum, ſatisfaciendi,
& ſuſcipiendi pœnitentiam. Si verò confiteatur
eidem Sacerdoti, qui peccatorum ſit memor,
tunc ſuppleto defectu doloris, & propoſiti ſupradicti, & accuſando ſe generaliter de confeſſione nulliter facta, non eſt opus, vt confeſſionem repetat, etiam ſi Sacerdos in confuſo recordetur de peccatis pœnitentis: dummodò ſtatum
illius cognoſcat, vt ſerè, & prudenter abſolutionem impendere poſſit, vt habetur ex *Nauar. in
Man. cap. 9. circa fin. Vaſq. de pœnit. q. 92. art. 3.
dub. 3. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 164. Filliuc.
tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 4. nu. 102. Molfeſ.
par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 13. nu. 26.* vbi etiam
nu. 27. meritò reijcit opinionem *Suar. de pœnit.
diſp. 22. ſec. 6. nu. 7.* & aliorum dicentium, quòd
quotieſcunque confeſſio eſt inualida ex defectu
pœnitentis omnino eſt repetenda, ſiuè alteri, ſiuè
eidem

Digitized by Google

eidem pœnitens ſecundò confiteatur. Etenim
quis confiteri poteſt dicens confeſſario. *Confi-
teor tibi de peccatis, quæ heri dixi, vel quæ tecum
commiſi*, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Confeſſor
3. q. 5. Suar. de pœnit. diſp. 27. ſec. 4. n. 19. Reginal.
loco citato, nu. 102.* & ex alijs ab eodem *Molfeſ.
citatis*: qui licèt putet, hanc ſententiam de vi-
gore eſſe veram; nihilominus ait pœnitenti non
eſſe conſulendam. Quod maximè verum puto,
vbi Confeſſarius in confuſo tantùm recordaretur
de peccatis, & non diſtinctè, ac perfectè, quam-
uis ſtatum illius cognoſcat: nam cùm in confuſo
dumtaxat recordetur de peccatis, ſufficienter
non poteſt pœnitenti conſulere. Quod ſi idem
confeſſarius nullo modo peccatorum recordetur
certum eſt apud omnes eum teneri ad iterandam
confeſſionem, vt per Doctores ſupra relatos:
quibus adde, quæ ſupra adnotauimus, *verſ. Ex
parte quoque Confeſſarij, circa fin.*

Quartò, confeſſio ſacramentalis eſt inualida
ex parte pœnitentis ex defectu materiæ remotæ,
83 vt quia ſcienter, ac doloſè citra vllam legitimam
cauſam tacuit aliquod peccatum mortale: vel
quia doloſè, aut culpabiliter ex defectu exami-
nis conſcientiæ confeſſionem non fecerit inte-
gram, vt ſuo loco latius, Deo duce, dicemus, &
habetur ex Doctoribus ſupra citatis. Quibus ca-
ſibus ſi pœnitens velit confiteri alteri coſeſſario
tenetur iterare confeſſionem omnium peccato-
rum mortalium, & ſupplere defectum integri-
tatis. Si autem confiteatur eidem Sacerdoti, ſer-
uanda eſt diſtinctio, quam paulò ſupra retuli-
mus. Siquidem eadem militat ratio, *argum. tex.
in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

Quintò ex parte pœnitentis confeſſio ſacra-
mentalis eſt inualida, quando pœnitens in ipſo
84 actu confeſſionis peccat mortaliter, vt cùm
profert mendacium circa materiam neceſſariam
confeſſionis, negando ſcilicet peccatum mor-
tale, quod commiſit, vel confitetur peccatum
mortale, quod ſcit non commiſiſſe: vel ſi confeſ-
ſarius ex iuſta cauſa ad cognoſcendum ſtatum
pœnitentis inquirat ab eo peccatum mortale,
aliàs confeſſum, & ipſe illud neget: ſiquidem in
his caſibus decipit confeſſarium in re graui: vt
rectè poſt alios docet *P. Alph. de Leon. de offic.
& poteſt. confeſ. recoll. 18. nu. 83. cum plur. ſeq.*
& id multipliciter limitat, & extendit. Idem
dicendum eſt, ſi pœnitens erat excommunica-
tus, & volũtariè fuerit prius abſolutus à peccatis,
quam à cenſura, vt habetur ex *Sot. in 4. ſent. diſt.
22. q. 1. art. 1. dub. vlt. Nauar. in cap. 1. §. cautus,
de pœnit. d. 5. nu. 33. Couar. in cap. Alma Mater
1. par. §. 11. nu. 12. de ſent. excom. in 6. & Alph.
de Leon.* poſt alios *d. recoll. 18. ſub nu. 65. verſ.
Ex parte pœnitentis.* Idem dicendum eſt ſi ipſe
pœnitens ſcienter elegit confeſſarium excom-
municatum abſque neceſſitate, quia cenſetur
cooperari peccato, vt per *Graff. par. 1. Deciſ. lib.
1. cap. 16. nu. 21. & ſeq. & P. Alph. loco citato,
verſ. Dixi voluntariè.* Quibus caſibus ſeruanda
eſt diſtinctio quam ſupra attulimus, quando pœ-
nitens vult ſecundo confiteri, eidem confeſſario,
aut alteri.

Limitatur vltimò loco noſtra concluſio, vt
quamuis peccata aliàs confeſſa, & remiſſa non
85 pertineant ad integritatem confeſſionis, cùm
non ſint materia neceſſaria Sacramenti pœni-
tentiæ; nihilominus ſunt materia ſufficiens: &
propterea pœnitens volens poteſt ea iterare, &
pluries clauibus ſubijcere, & vtiliter ſubijcit, ita
*D. Thom. in 4. d. 18. q. 4. art. 3. Io. Medin. de
confeſ. q. 25. Caiet. in ſum. ver. Abſolutio, Suar.
de pœnit. diſp. 18. ſec. 2. nu. 6. cum ſeq. Vaſq.* poſt
alios *de pœnit. q. 91. art. 3. dub. 7. Fillinc. tom. 1.
qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. num. 93. verſ.
Dixi. Henriq. lib. 1. de pœnit. cap. 20. nu. 6.* & alij
quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl.
præcep. 2. lib. 2. cap. 1. num. 14.* vbi teſtatur hanc
ſententiam eſſe communem. Probatur, quoniam
pœnitens iterando peccata aliàs confeſſa, & re-
cipiendo denuò abſolutionem, percipit fructum
Sacramenti pœnitentiæ; ergò poteſt ſi velit, pec-
cata aliàs confeſſa iterum confiteri. Clara con-
ſequentia: nam ſi pœnitens iterando peccatorum
confeſſionem ſuſcipit fructum Sacramenti pœ-
nitentiæ; ergò peccata aliàs confeſſa ſunt ſuffi-
ciens eius materia; atque ideò poteſt ſi velit ea
ſubijcere denuò clauibus, & percipere fructum
ipſius Sacramenti iterando quis peccata aliàs
confeſſa. Probatur modò antecedens; quoniam
omnis, qui ſuſcipit Sacramentum aliquod, con-
currentibus requiſitis ad illud ſuſcipiendum
neceſſarijs, ſuſcipit fructum eius; ſed qui confi-
tetur peccata aliàs confeſſa, ac remiſſa, & iterum
ab eiſdem abſolutionem conſequitur, ſuſcipit
Sacramentum pœnitentiæ, ritè concurrentibus
omnibus requiſitis; ergò ſuſcipit fructum eius,
& ſic gratiam remiſſiuam. Minor patet; ſiquidem
in hac re concurrit noua materia, nempè noui
actus pœnitentis, confeſſio ſcilicèt contritio, ſeù
attritio, ſatisfactio, & noua forma, nempè ſacra-
mentalis abſolutio. Hæc autem ſunt requiſita
neceſſaria ad Sacramentũ pœnitentiæ. Et quam-
uis peccata alias confeſſa, & remiſſa ſint eadem
materia, circa quam, ſeù remota; id tamen non
refert, nec reddit Sacramentum inualidum: nam
aqua eſt materia remota Sacramẽti Baptiſmatis,
tamen eadem numero aqua poſſunt plures bap-
tizari, & multa effici baptiſma: quia licet aqua,
quæ eſt materia remota baptiſmi ſit eadem; ta-
men abſolutio, quæ eſt materia proxima poteſt
eſſe diuerſa: ergò licèt peccatum aliàs confeſſũ,
& remiſſum ſit idem numero: nihilominus con-
feſſio, & alij pœnitentis actus ſunt diuerſi, atque
ideò noua, & diuerſa materia proxima: & ſic
forma Sacramenti pœnitentiæ non iteratur ſuper
eadem numero materia proxima, ſed tantùm
ſuper eadem numero materia remota, quod non
eſt inconueniens.

Scio *Scot. in 4. d. 19. Richard. ibidem d. 18.
q. 4. art. 2.* & alios velle, quòd & ſi non ſit abſur-
86 dum confeſſionem iterare; nihilominus peccata
ſemel remiſſa non eſſe materiam proportiona-
tam, ſuper quam denuò poſſit impendi abſolutio:
eo quòd ſemel abſolutus ab aliquo delicto in
iudicio forenſi, ab eo amplius abſolui nequit:
nec ſolui poteſt, qui non eſt ligatus, prout eſt,
qui ritè abſolutus eſt à peccatis: & eo maximè,
quia repetitio confeſſionis peccatorum aliàs di-
miſſorum non ſatisfacit pro pœna temporali, quæ
remanet poſt remiſſam culpam: aliàs per ſolam
iterationem confeſſionis poſſet pœnitens tota-
liter liberari à peccatis abſque ſatisfactione. Sed
re vera prædictæ rationes non ſunt conuincen-
tes; quoniam iudicium ſacramentale eſt diuerſæ
ratio-

rationis à iudicio forenſi: ſiquidem in priori idem eſt Reus, accuſator, & teſtis; at in poſteriori hi omnes ſunt diuerſi. Item in iudicio forenſi repetita abſolutio nihil poteſt operari: ſed in ſacramentali iudicio repetita abſolutio dat gratiam non habenti, remiſſionem pœnæ temporalis indigenti, & ſi ſecus confert augmentum gratiæ, vt rectè declarat *Vaſq. loco ſupra citato.* Sic ille, qui iam imperfectè contritus accedit ad Sacramentum pœnitentiæ; atque ideò tantùm attritus, confertur gratia remiſſiua peccatorum, quia ex attrito virtute Sacramenti fit contritus: quòd ſi accedat perfectè contritus; adhuc tamen conſequitur fructum illius: nam licèt ei remiſſa ſint peccata per contritionem; nouo tamen titulo remiſſionis augetur ei gratia remiſſiua, & minuitur reatus pœnæ, quod eſt amplius lauari, iuxta illud pſal. 50. *Amplius laua me, &c.* Nec inconuenit per iteratam confeſſionem totam remitti pœnam; & ſi pœna reatum non habeat, Sacramentum illud iteratum cedit ei in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Vnde quando ſuper peccata aliàs confeſſa impenditur abſolutionis forma, talis abſolutio habet hunc ſenſum, *Ego tibi confero gratiam remiſſiuam peccatorum, quantum eſt ex ſe, ſi peccata adeſſent: ſi non, cedit in diminutionem reatus pœnæ, ſi adſit, & in augmentum gratiæ.* Quòd ſi denique ponatur obex ex parte pœnitentis; nempè per lethalem culpam, tunc ſatis eſt ad veritatem formæ, quòd quantum in ſe eſt, gratiam conferret.

Confirmatur noſtra concluſio ex communi fidelium piorum vſu qui ſæpè ſolent peccata
87 aliàs confeſſa iterum clauibus ſubijcere, & rationem à priori ex Chriſti Domini inſtitutione ſumendam eſſe ait *Fagund. loco ſupra relato:* ſiquidem Dominus concedens huiuſmodi poteſtatem, non limitauit illam ad vnum actum remiſſionis: & re vera id conſentaneum eſt fini huius Sacramenti, quòd ita fuerit inſtitutum, tùm propter vtilitatem pœnitentium, tùm etiam propter maiorem ſecuritatem animarum: nam non eſt certa fide notum, nobis condonata fuiſſe peccata iam confeſſa: & quamuis nobis condonata fuerint, per nouam formam abſolutionis augetur gratia, vt ſupra oſtendimus. Hanc veritatem catholicam cõfirmat magis idem *Fagund.* ibi *ex extrau. 1. Benedicti 11. de priuil.* His etiam adde quæ habentur per *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. Recol. 5. nn. 43.* cum alijs, quos allegat, & teſtatur de communi, & contraria ſoluit. Ex dictis igitur patet, quòd peccata aliàs confeſſa, & remiſſa ſunt materia ſufficiens Sacramenti pœnitentiæ, & repetita confeſſio, & abſolutio ſuper ea non ſolùm fructum affert ex opere operantis propter erubeſcentiam, vt in *cap. quem pœnitet, de pœnit. d. 1.* ſed etiam ex opere operato; atque ideò virtute Sacramenti, cùm verè Sacramentum eo caſu perficiatur, & gratia, ſeù gratiæ augmentum conferatur, niſi pœnitens ipſe ponat obicem, vt ſi confeſſionem iteret culpabiliter tenens, primam abſolutionem ſatis non fuiſſe ob prauitatem ſuorum peccatorũ: is enim peccat mortaliter, & non conſequeretur abſolutionis fructum. Dixi, *Culpabiliter,* quia ſi inculpabiliter per ignorantiam inuincibilem, ſecus eſſet. Eſt tamen verùm, quòd ad hoc, vt abſolutio ſacramentalis impenſa ſuper peccata aliàs con-
88 feſſa, & remiſſa valeat, & ſuum producat effectum, neceſſè eſt, vt cùm iteratur confeſſio peccatorum remiſſorum, iteretur etiam contritio, vel ſaltem attritio, ac ſatisfactio; aliàs ſuper dicta peccata nulliter impenditur abſolutio tanquam non ſuper præexiſtentem materiam, & ſi ſcienter impendatur ſacrilegium committitur; quia non datur abſolutio ſuper nouam materiam proximã quoad omnes ipſius partes, vt poſt alios docet *Vaſq. de pœnit. q. 93. art. 3. dub. 7. ſub nu. 8.* Vndè aduertant Pœnitentiarij, vt cùm Inferior mittit pœnitentes, quos abſoluit, reſeruata habentes ad eos iterum abſoluendos à reſeruatis, procurent, vt nouos actus attritionis ſaltem promant, & deindè, impoſita ſatisfactione, eoſdẽ abſoluant.

QVINTA CONCLVSIO.

PEccata omnia mortalia poſt Baptiſmum commiſſa pertinent ad integritatem ſacra-
89 mentalis confeſſionis; atque ideò ea omnia pœnitens tenetur confiteri vni, & eidem Sacerdoti, in vna, & eadem confeſſione, & in ordine ad vnam, & eandem abſolutionem. Hæc concluſio eſt de fide contra hæreticos ſupra relatos, quam probant tùm Theologi, tùm etiam Canoniſtæ, quos ſupra retulimus pro tertia ſententia. Etenim concluſio ipſa patet ex noſtro canone, vbi præcipitur confeſſio ſacramentalis omnium peccatorum, vt conſtat ex dictione illa, *Omnia.*
90 Siquidem qui omne dicit, nihil excludit, *l. ſex. toribus, & l. Iuliano, ff. de legat. 3. cap. ſi Romanorum 19. d.* Idem decernitur ex *Conc. Cabilon. & Florent. in decreto Eugenij,* quatenus ſtatuunt omnia peccata eidem confitenda quoad hanc partem tàm Concil. Lateran. vt noſtri canonis, quàm alia mox relata explicant tantùm ius Diuinum, nec condunt nouum; ita vt, peccata omnia mortalia poſt Baptiſmum commiſſa pertineant ad integritatem confeſſionis ſacramentalis, ſiuè confeſſio conſideretur ſecundum ſe, & vt pars ſacramenti pœnitentiæ, ſiuè conſideretur in ordine ad præceptum Eccleſiæ, vt rectè docet *Suar.* poſt alios *de pœnit. diſp. 22. ſec. 1. nu. 4.* Secundò probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 7.* anathemate percutiente omnes illos, qui contrarium aſſerere præſumunt, his verbis, *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure Diuino confiteri omnia, & ſingula peccata, &c. anathema ſit,* Et *cap. 5. eadem ſeſſ. Qui ſcienter aliquid retinet, nihil Diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt.* Hanc catholicam veritatem colligit *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 1. nn. 1. & 2.* ex illo *Ioan. cap. 1. Si confiteamur peccata noſtra; fidelis eſt Deus, & iuſtus, vt remittat nobis peccata noſtra.* Vbi notanda ſunt in primis verba illa, *Confiteamur peccata noſtra, &c.* Quoniam ſunt intelligenda de confeſſione omnium, ac ſingulorum peccatorũ: ſiquidem Apoſtolus indefinitè loquitur de peccatis noſtris; at indefinita æquipollet vniuerſali vt in *l. de quibus,* & ibi *Bart. ff. de legib. l. de pratio, ff. de publicana in rem act.* Secundò ſunt conſideranda verba ſubſequentia, *Fidelis eſt Deus, &c.* Siquidem huiuſmodi verba apertè indicant velle Apoſtolum Deum ex fidelitate, & iuſtitia remittere peccata ijs, qui ea confitentur: vndè apertè ſequitur, Deum alicubi promi-

fiſſe remiſſionem peccatorum iјs, qui illa confitentur. Hanc autem promiſſionem Diuinam fuiſſe factam, *Ioan.* 20. *& Matth.* 26. ex eo conſtat, quòd ibi Christus Apoſtolos ſuos, & eorum in Sacerdotio ſucceſſores instituit miniſtros huius Sacramenti cum ampla facultate abſoluendi, & remittendi peccata iјs, qui illa confitentur, inquiens, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Quod denique hæc omnium peccatorum confeſſio fieri debeat non Deo, vt hæretici putant, ſed hominibus Sacerdotibus, id colligit idem *Fagund. loco citato ſub nu.* 2. *ex Apoſt. Iacobo, cap.* 5. in illis verbis. *Confitemini alterutrum peccata veſtra*. Qui cùm indefinitè quoque loquatur de
92 peccatis, & de omnibus peccatis ſimiliter eſt intelligendus: vt ſcilicet homines hominibus, non quibuſcunque, ſed Sacerdotibus, qui habent poteſtatem ſoluendi, & ligandi, omnia, & ſingula peccata mortalia confiteantur. Probatur
93 denique hæc eadem concluſio ratione. Etenim confeſſio debet eſſe adequata abſolutioni; quia abſolutio cùm ſit actus iudicialis, non cadit ſuper incognitis, vt colligitur ex eodẽ *Conc. Trid.* loco proximè citato; ſed abſolutio non poteſt fieri, niſi omnium peccatorum; quia vnum peccatum non poteſt remitti ſine alio, aliàs Sacramentum non conferret gratiam, eo quòd pœnitens adhuc remaneret Dei inimicus, aut ſimul eſſet Dei amicus, & inimicus, quod pugnat, vt in *cap. maiores*, §. *adhuc de Baptiſ.* Ergò, & confeſſio, &c. Plures alias rationes video apud *Molſ. par.* 1. *ſua ſum. Theol. tract.* 7. *cap.* 12. *à nu.* 14. *ad* 19. & apud alios Doctores ſupra relatos pro tertia opinione.

Nec ex eo, quòd fidelis omnia peccata ſua confiteri ſtudet, nihil Diuinæ bonitati dimitten-
94 dum relinquit, vt non minus ſtultè, quàm impiè Luther. & eius Sectatores aſſeruerunt; quoniam ob id non dicitur aliquid agere contra fiduciam, vel efficaciam meritorum Chriſti: ſiquidem totus fructus huiuſmodi Sacramenti ex eius meritis intenditur: eſt enim vnum ex inſtrumentis, per quæ merita Chriſti nobis applicãtur. Sic etiã falſum eſt, quod tenet *Petr. Oxom.* dicens non oportere confiteri peccata publica, cùm ipſa ſatis per ſe pateant; quoniam notitia, quæ extra Sacramentum habetur eſt per accidens: at in omni iudicio neceſſaria eſt notitia per propriam accuſationem, & teſtificationem, quam in ſacramentali foro præbet pœnitens ſe ipſum accuſans.

Ampliatur primò hæc concluſio, vt ad integritatem confeſſionis ſacramentalis pertineant
95 peccata mortalia non ſolùm externa, & publica; ſed etiam occulta, & purè interna, vt contra *Duicleph.* & alios hæreticos docet *Sot. in* 4. *d.* 18. *q.* 3. *art.* 3. *concl. vnica, verſ. Igitur, Vaſq. de pœnit. q.* 90. *art.* 3. *dub. vlt. Suar. de pœnit. diſp.* 18. *ſec.* 1. *nu.* 4. *Petr. Sot. Henr.* & aliј, quos refert, & ſequitur *Fagund. de precept. Eccleſ. precep.* 2, *lib.* 2. *cap.* 1. *ſub nu.* 2. *& Molſeſ. par.* 1. *ſuæ ſum. tract.* 7. *cap.* 12. *nu.* 14. *&* 19. imo contraria ſententia erronea eſt, ac hæretica, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *can.* 7. ita ſe habente, *Si quis dixerit in Sacramento pœnitentia ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe iure Diuino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ ſunt contra duo vltima præcepta Decalogi, & c. anathema ſit*. Etenim qui confitetur peccatum externum licèt non teneatur confiteri peccatum internum, quia qui confitetur actum externum, implicitè confitetur internum, cùm actus internus ſit principium actus externi, *argum. tex. in l. Labeo, §. Tubero, ff. de ſupell. leg. cap. præterea, de offic. deleg. & cap. præſentia, eod. tit.* nihilominus, qui confitetur peccatum internum non cenſetur confiteri externum: ſiquidem peccatum internum paſſim reperitur ſine externo: & propterea ſicut ad integritatem confeſſionis pertinet peccatum externum, ita quoque ad eiuſdem integritatem ſpectat actus internus, & ſic peccatum internum quando ſeparatum reperitur à peccato externo. Vndè peccata interna ab ini-
96 tio naſcentis Eccleſiæ Fideles confiteri conſueuerunt, vt colligitur ex *Clem.* 1. *Succeſſore Petri Apoſtoli, epiſt.* 1. vbi ait, Petrum docuiſſe, vt cogitationes internæ panderentur Sacerdotibus. *Tertull. lib. de pœnis.* inquit pariter, quòd ſicut, qui vlcus habet pudendum, ne præ pudore illud oſtendat, perire mauult; ita euenit ei, qui ſua peccata non detegit. *Cypr. quoque ſerm.* 5. *de lapſ.* quòd iј quamuis nullo libelli facinore conſtricti ſint, nihilominus, quia de hoc cogitauerunt, id ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter, & ſimpliciter confiteantur *D. Hieronym. cap.* 10. *ſuper Eccleſiaſtic.* ita etiam docet, *Si quem Serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio, eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri, & magiſtro voluerit confiteri, magiſter, qui linguam habet ad curandam, facilè ei prodeſſe non poterit*. Hoc idem colligitur ex *D. Auguſt. in cap. agite, & ex D. Ambr. in cap. non poteſt* 1. *de pœnit. di.* 1. Idem ex *Orig.* & aliјs apud *Sot. loco citato*. Vndè apertè falluntur *Vucleph*, & ſequaces exiſtimantes peccata merè interna non pertinere ad integritatem confeſſionis, eo quòd arbitrantur confeſſionem eſſe de iure humano, & Eccleſia non habet poteſtatem ſuper actus purè internos: ſiquidem nos ſupra *diſp.* 1. *ſec.* 1. ſufficienter oſtendimus, confeſſionem ſacramentalem eſſe de Iure Diuino. Imò
97 falſam eſſe, & pluſquam temerariam ſententiam *Margarita Confeſ.* quam ſupra retulimus probat *Nauar.* & aliј, quos ipſe refert, *in cap. fratres, de pœnit. d.* 5. *nu.* 59. *& Suar. de pœnit. diſp.* 36. *ſec.* 2. dum ait, *in ver. Confeſſio fol.* 40. quòd licèt peccata omnia etiam interna pertineant ad integritatem confeſſionis ſecundum ſe conſideratæ: nihilominus in ordine ad præceptum Eccleſiæ ſi quis interna tantùm peccata habeat, eum non ligari præcepto noſtri canonis ad confeſſionem annuam, cùm Eccleſia poteſtatem non habeat ſuper actus purè internos. Etenim *tex.* noſter generaliter præcipit confeſſionem omnium peccatorum, ſub quibus certum eſt interna contineri: lex autem generaliter loquens generaliter
98 debet intelligi, & quando non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l.* 1. §. *generaliter, ff. de legat. præſt.* Confirmatur; quia per huiuſmodi præceptum aliquod nouum non ſtatuitur; ſed tantùm determinatur ius Diuinum quoad circumſtantiam temporis: at Diuino præcepto tenen-

tenentur fideles cõfiteri tùm externa, tùm etiam interna peccata, vt ſupra ſecundum fidem catholicam probauimus: ergò vi huius præcepti tenentur ea ſemel in anno confiteri. Nec obſtat argumentum; quoniam, vt ſæpè diximus, præceptum eſt de actu externo, nempè de confeſſione annua, licèt materia remota, vt ſunt peccata ſit actus internus.

Secundò ampliatur hæc eadem concluſio, vt ad integritatem confeſſionis ſacramentalis per-
99 tineant non ſolùm peccata mortalia poſt Baptiſ-
mum externa, & interna, quæ certò nouit pœnitens habere in ſua conſcientia; verùm etiam peccata dubia: ſiuè dubium de peccatis ſit, an pœnitens fuerit ea confeſſa, & ſibi per ſacramentalem formam remiſſa, ſiuè dubium ſit iuris, vel facti, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 17. q. 3. art. 1. & d. 2. q. 2. art. 3. ad 3. Sot. ibidem d. 18. q. 2. art. 4. Syl. in ſum. ver. Confeſſio, 2. q. 2. Med. C. de confeſ. q. de confeſ. facta prauo Sacerd. Victor. nu. 130. Nauar. in Man. cap. 9. nu. 14. Suar. de pœnit. diſp. 22. ſec. 9. Coninch. de pœnit. diſp. 7. dub. 8. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. q. 8. Eagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 1. ſub nu. 9.* & latè *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 6. nu. 58. cum plur. ſeq.* Etenim in dubijs tutior pars eſt eligenda, *cap. iuuenis de ſponſ.* Quæ quidem concluſio quomodo procedat, optimè declarat *P. Alph. loco citato*, qui plura cumulauit ad hanc rem pertinentia: quibus adde, quæ ſupra adnotauimus *concl. præced. limit. 2.* & quæ habentur ex *Coninch. loco citato*.

Tertiò hæc ipſa concluſio ampliatur, vt ad integritatem ſacramentalis confeſſionis pertineant
100 peccata mortalia poſt Baptiſmum commiſſa,
tàm non reſeruata, quàm reſeruata, ita vt pœnitens, & omnia confiteri teneatur vni, & eidem Sacerdoti, in vna, & eadem confeſſione, & in ordine ad vnam, & eandem abſolutionem, vt habetur ex *Adriano q. 5. de confeſ. Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 19. Vict. in ſum. nu. 149. & 162. can. par. 5. relect. de pœnit. § ſecunda concluſio Viguer. in ſum. cap. 16. § 4. verſ. 77. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 3. & ſec. 3. nu. 2. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 3. dub. 9. ſub nu. 11.* & latius *ſub dub. 10. nu. 2. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 6. q. 7. nu. 127.* & ex alijs. Etenim confeſſionis integritas cùm ſit de iure Diuino, ſicut abſolutionis, quia iudicium Sacerdotis ferri non poteſt, niſi integra cauſa pœnitentis audita, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* & confeſſionis integritas exigitur propter integritatem abſolutionis vt inquit *Suar. d. ſec. 1. nu. 3.* Hinc fit, vt confeſſionis, & abſolutionis integritas ab Eccleſia tolli non poſſit per caſuum reſeruationem. Confirmatur, quia aliàs ſequeretur, poſſe remitti vnum peccatum ſine alio, quod eſt falſum, vt benè declarat *Vaſq. d. dub. 9. ſub nu. 11.* & eſt *tex. in cap. maiores, § ſed adhuc de Baptiſ.* quia aliàs Sacramentum non conferret gratiam: nam pœnitens adhuc remaneret Dei inimicus, vel ſimul eſſet Dei amicus, & inimicus, quod eſt incompoſſibile.

Ex hoc infertur primò, quod ſi quis habeat peccata reſeruata, & etiam non reſeruata, &
101 adeat inferiorem confeſſarium, qui facultatem
non habeat abſoluendi à reſeruatis, tunc non poteſt non reſeruata tantùm eidem confiteri, & deindè reſeruata ſuperiori, vt malè arbitratur *Alonſ. 4. par. qq. 77. memb. 5. art. 2. ad vlt.* aliàs *q. 18. memb. 4. art. 5. § 2. ad vlt.* cùm confeſſionis integritas ſit de iure Diuino, vt ſupra diximus. Nec inferiori poteſt omnia, & ab eodem à non reſeruatis abſolutionem conſequi, & à reſeruatis deindè per Superiorem abſolui, vt videtur velle *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. queſtiun. 2. ad 4. Palud. ibidem q. 5. art. 1. nu. 11. Io. Med. C. de confeſ. q. de integr. abſolut. Syl. in ſum. in ver. Confeſſio 5. q. 19. Nauar. in cap. conſideret, § cautus, de pœnit. d. 5. nu. 13. cum ſeq.* & alij apud *Suar. & Vaſq. locis ſupra citatis*, qui teſtantur, hanc ſententiam eſſe communiſſimam: ſiquidem abſolutio debet eſſe integra ſicut confeſſio, cùm vnum peccatum dimitti non poſſit ſine alio; ſed Inferior debet pœnitentem ad ſuperiorem mittere, vel ab ipſo ſuperiori pro abſolutione à reſeruatis facultatem impetrare, vt rectè docent *Richard. in 4. d. 17. art. 2. q. 8. ad 2. Duran. ibidem, q. 15. Sot. d. 18. q. 2. art. 5. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 31. ſec. 2. ſub nu. 4. Vaſq. d. dub. 9. ſub nu. 25.* & alij. Etenim Sacerdotes inferiores extra mortis articulum nihil poſſunt in caſibus reſeruatis, vt apertè colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. circa finem*, ita ſe habente: *Sacerdotes cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores, & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant.* Eſt tamen verum, quòd in multis caſibus poteſt inferior Sacerdos abſoluere pœnitentem tàm à non reſeruatis, quàm à reſeruatis antequam coram ſuperiore compareat.

Primus caſus eſt, vbi fit reſeruatio cum onere confitendi iterum Superiori peccata reſeruata
102 confeſſa prius Inferiori, & ab eodem remiſſa:
nam vt ſupra adnotauimus *concl. 4. limit. 2.* non ſolum generali lege, ſed etiam ſpeciali priuilegio, & particulari commiſſione poteſt concedi facultas inferioribus Sacerdotibus abſoluendi à quibuſcunq; peccatis mortalibus ſub onere, vt pœnitens remaneat obligatus peccata reſeruata, vel etiam omnia mortalia confitendi, deindè Superiori, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 26. nu. 12.* & ex alijs apud *Vaſq. tom. 4. de pœnit. q. 1. art. 3. dub. 7. ſub nu. 17. cum plur. ſeq.* Vndè ſi quis peccata reſeruata tantùm, vel etiam mixta cum non reſeruatis habeat, & adeat inferiorem Sacerdotem huiuſmodi facultatem habentem, tunc tenetur ei confiteri omnia peccata tàm non reſeruata, quàm reſeruata, & obtenta abſolutione ab omnibus peccatis, debet deindè comparere ſuperiori, qui repetita confeſſione reſeruatorum, iterum pœnitentem ipſum à reſeruatis abſoluit. Et fortè hoc modo antiquitus fiebat reſeruatio: nam *Syl.* poſt alios *in ſum. in ver. Confeſſio, 1. q. 19. circa fin.* ait practicari, vt pœnitens quando prius vadit ad Inferiorem, Inferior abſoluit eum à peccatis; ſed non ab obligatione confitendi ſuperiori. Ita quoque vera eſt ſententia illa grauiſſimorum Doctor. relata à *Vaſq. d. q. 91. art. 3. dub. 9. ſub nu. 7.* dicentium, reſeruationem non cenſeri factam quoad remiſſionem culpæ, qui eſt primus effectus Sacramenti; ſed quoad alios effectus, nempè quoad remiſſionem, & reconciliationem cum Eccleſia, atque ideò reſeruantur peccata ſuperiori, non vt per

talem reſeruationem impediatur remiſſio culpæ, ſed vt obligetur pœnitens pro reſeruatis coram ſuperiore comparere; vt recipiat reconciliationem cum Eccleſia, & pœnam condignam arbitrio illius: & quoad hos duos effectus non, vt diuidi poſſit abſolutio. Et quamuis *Vaſq. loco citato*, hanc ſententiam reiciat propter determinationem *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. ſupra relatam, cùm per eam ſubtrahatur iuriſdictio, & omnis auctoritas Inferiori quoad caſus reſeruatos, nihilominus non ſolùm ante *Concilium Trid.* verùm etiam hodie ſi conſtat de voluntate ſuperioris reſeruantis ſupradicto modo, poteſt Inferior abſoluere pœnitentem directè tàm à nõ reſeruatis, quàm etiam reſeruatis cum onere comparendi ſuperiori vt ſupra, vt benè docet *Suar. tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 31. *ſec.* 2. *ſub nu.* 4. Quod verum eſſe arbitror, etiam ſi pœnitens haberet reſeruata tantùm habentia excommunicationem annexam: nam ſi reſeruatio nõ eſt quoad remiſſionem culpæ, nec etiam erit quoad abſolutionem excommunicationis, quæ prærequiritur ad remiſſionem peccati habentis excommunicationem annexam, vt ex dicta ſententia grauiſſimorum Doctorum deducit *Vaſq. loco citato.* Dixi, *Si conſtat de voluntate Superioris, &c.* Quia niſi de voluntate Superioris expreſſa, vel ſaltem tacita conſtet, non poſſet hodie Inferior pœnitentem abſoluere, niſi prius obtenta facultate à Superiore; quia non præſumitur ſupradicto modo facta caſuum reſeruatio, ſtante ſupradicta determinatione *Conc. Trid.* vt benè docet *Suar. loco citato, & Vaſq. d. dub.* 9. *nu.* 25.

Secundus caſus eſt grauis aliqua neceſſitas, etiam ſi non ſit articulus mortis. Vndè ſi opor-
103 teat præceptum annuæ confeſſionis implere, aut communicare, vel Miſſam celebrare, ita vt non poſſit ommitti citra graue ſcandalum, aut infamiam, tunc poteſt inferior Sacerdos abſoluere indirectè pœnitentem habentem peccata reſeruata antequam corã Superiore compareat: quoniam ad valorem Sacramenti non eſt ſimpliciter neceſſària iuriſdictio ſuper omnia peccata, quibus alligatus eſt pœnitens, ſi alioquin ſeruetur formalis confeſſionis integritas, cùm ſcilicet vrget rationabilis cauſa, vt ſupra declarauimus in primo not. & infra latius, Deo duce, dicemus; ſed ſatis eſt ſi Miniſter iuriſdictionem habeat ſuper aliqua peccata: nam vrgente graui cauſa, vel neceſſitate percipiendi Sacramentum; ſi confeſſio fieri non poteſt integra materialiter omnium peccatorum; ſeruatur tamen integritas formalis: ſicut pari ratione dicitur de abſolutione, ſed in caſu de quo agitur, concurrit grauis cauſa, & neceſſitas, & Miniſter habet iuriſdictionem ſuper aliqua peccata, vt ſupponimus; ergò ſi abſoluat penitentem habentem caſus reſeruatos antequam coram Superiore compareat, Sacramentum non poteſt dici nullum ex defectu integritatis, aut iuriſdictionis. Confirmatur, quia confeſſio non eſt integra materialiter ob peccatum reſeruatum inculpabiliter oblitum eſt valida, ſicut abſolutio ſuper eam impenſa, & peccatum illud oblitum indirectè dicitur ſublatum: ſiquidem licèt confeſſio illa non fuerit integra materialiter, eſt tamen integra formaliter: quod ſatis eſt ad validitatem Sacramenti, vt infra latius dicemus, *diſp.* 11. *ſec.* 7. ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, ſi ſufficiens adeſſet tacendi cauſa æquiualens obliuioni: & ſi tunc poterit abſolui, & indirectè tolli peccatum reſeruatum; multò magis id poterit ſi illud proferat. Nec talis abſolutio dicetur contra determinationem *Concil. Trid. loco ſupra citato*; quia Concilium licèt dicat, Inferiores Sacerdotes nihil poſſe ſuper caſus reſeruatos; id tamen intelligendum eſt per ſe, ac directè abſoluendo, non autem indirectè, & per accidens abſoluendo ab alijs peccatis, ſicut tolli poſſunt reſeruata per contritionem, vel attritionem, mediante alio Sacramento. Etenim hoc modo ſubuenitur neceſſitati pœnitentis: & ſeruatur rigor intentus per reſeruationem: ita *Suar.* poſt alios *d. diſp.* 31. *ſec.* 3. *à nu.* 1. *ad* 8. vbi id ampliat, etiam ſi caſus reſeruatus habeat excommunicationem annexam: nam in caſu neceſſitatis ſicut licitum eſt excommunicato ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere; ita licitum eſt illi confiteri quantum eſt ex eius parte, atque ideo excommunicatio non obſtat quominus à Sacerdote abſolui poſſit.

Illud tamen nolo ſilentio eſſe prætereundum, quod idem *Suar.* ait *d. diſp* 31. *ſec.* 2. *nu.* 6. poſt
104 *Caiet. in ſum. ver. Confeſſio cap. vlt. Nauar. in ſuo Man. cap.* 9. *nu.* 7. & alios dicens, quod ſi Sacerdos inferior iuriſdictionem omninò non habens ſuper reſeruata abſoluat penitentem à non reſeruatis tantùm, & remittat deindè ipſum ad ſuperiorem abſoluendum à reſeruatis ſi abſolutio huiuſmodi bona fide ſuſcipiatur à pœnitente exiſtimante id fieri poſſe, validum eſſe Sacramentum, nec obligatur non reſeruatorum confeſſionem iterare: ſed ſatis eſt ſi ſuperiorem adeat, eidemq; reſeruata tantùm confiteatur, & abſolutionem recipiat. Nam eo caſu penitens, ſtante ipſius bona fide, formaliter confitetur integrè, & Sacerdos habet iuriſdictionem ſuper confeſſionem illam, quatenus ſacramentalis eſt; atque ideò nihil impedit, quo minus Sacramentum perfici poſſit. Confirmatur, quoniam aut ad Sacramenti valorem exigitur, vt Miniſter iuriſdictionem habeat ſuper omnia penitentis peccata: aut ſatis eſt ſuper aliqua. Non poteſt dici primum, aliàs qui haberet peccata reſeruata omninò oblita, non abſolueretur validè ab eo, qui non habet iuriſdictionem in reſeruata, quod eſt falſum: ergò ſi ſecundum habemus intentum. Hac ipſa ratione inquit ipſe *Suar. loco citato n.* 8. confeſſionem factam ſimplici Sacerdoti de venialibus, & mortalibus peccatis validam eſſe quamuis Sacerdos ille iuriſdictione careat ſuper mortalia, ſiuè pœnitens peccatorum mortalium inculpabiliter fuit ignarus; ſiuè bona fide tali Sacerdoti fuerit ea confeſſus exiſtimans illum habere iuriſdictionem ad illa neceſſariam. Sed re vera hæc ſententia *Suar.* videtur nobis valdè dubia: quoniam eo caſu nullo modo habuit intentionem abſoluendi penitentem à reſeruatis, nec directè, nec indirectè, ſed penitentem ſcienter abſoluit à non reſeruatis, & ſcienter quoque miſit ipſum penitentem ad Superiorem abſoluendum à reſeruatis: vndè cùm deſit intentio Miniſtri expreſſa abſoluendi à reſeruatis, nec adſit ſaltem virtualis abſoluendi ab eis, penitens non poteſt ab eiſdem dici abſolutus directè, nec indirectè, & cùm non poſſit dimidiari abſolutio, aliàs quis diceretur pro parte amicus, & inimi-

cus

Digitized by Google

cus Dei, quod eſt abſurdum, vt ſæpè diximus, hinc fit, quòd non valet abſolutio, nec quidem à non reſeruatis. His adde quæ habentur ex *Vaſq. d.q.91.dub.9. à nu.26. ad* 30.

Secundò infertur ex ſupradicta ampliatione, quòd ſi pœnitens habens peccata reſeruata, &
105 non reſeruata adeat primò Superiorem, qui facultatem habeat abſoluendi ab omnibus, tunc non poteſt ipſe Superior reſeruata tantùm audire, & ab eiſdem abſoluere, & deindè remittere pœnitentem ad Inferiorem, qui eum à non reſeruatis abſoluat, vt minus iurè docet *Sot. in 4. d.18.q.2.art.5.concl.2.*& alij penès *Molf.par.1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 21. num. 23. & 24.* quia id eſſet contra ius Diuinum, quo iure eſt confeſſionis, & abſolutionis integritas; ſed debet, vel omnium peccatorum confeſſionem audire, & ab omnibus abſoluere, vel auditis tantùm peccatis reſeruatis, & pro ipſis pœnitentia impoſita, nulla ſacramentali ſibi impenſa abſolutione, remittere ad Inferiorem, qui audita omnium peccatorum reſeruatorum, & non reſeruatorum confeſſione, ipſum ab omnibus abſoluat, ita *Adrian. q.5. de confeſ. Syl. in ſum. in ver. Confeſſio* 1.q.19. & alij apud *Vaſq.tom.4.de pœnit.q.91.art.3.dub.10.nu.2. Suar. d. diſp.31. ſec. 1. & 2.* contra *Tolet.* & alios, vbi latè hanc materiam pertractat, & limitat ea, quæ dicta ſunt, eſſe vera regulariter: ſecus autem ſi neceſſitas eſſet, & grauis cauſa ex parte Superioris: nam tunc poſſet Superior abſoluere pœnitentem à reſeruatis dumtaxat auditis, & remittere ipſum ad Inferiorem abſoluendum à reliquis non reſeruatis. Etenim pœnitens, ſi vrgente neceſſitate, in multis caſibus poteſt confeſſionem diminutam facere, eadem ratione neceſſitas ex parte Confeſſoris ſatis quoque erit ad abſolutionem diminuendam. Bene verum eſt, quòd ipſimet *Suar. d.ſec. 1. nu.7. & Vaſq. d. dub.10. num.4.* exiſtimant ad hanc neceſſitatem non ſufficere communem negotiorum multitudinem, quam Superiores Prælati habere ſolent, vt poſt alios videtur ſentire quoq; *Molf.par.1. ſuæ ſum.tract. 7. cap.21. ſub nu. 23.* quoniam huiuſmodi confeſſiones de reſeruatis non ſunt adeò frequentes, & Superiores poterunt eorum iuriſdictionem alteri delegare, ſi neceſſitas vrgeat. Et ſi iudicent neceſſarium eſſe audire pœnitentem de reſeruatis, & non commodè poſſint omnium peccatorum confeſſionem audire, & talia ſint peccata reſeruata, vt non deceat alteri committere diiudicanda, poterit ipſe Superior, auditis ſolis reſeruatis, abſolutionem impendere: ſiquidem hoc caſu adeſt ſufficiens cauſa, ob quam illa confeſſionis diminutio non formalis, ſed materialis tantùm cenſeatur. Eſſet autem rationabilis, ac iuſta cauſa audiendi reſeruata tantùm, & ab eiſdem abſoluendi, vbi ex parte pœnitentis inſtaret vera neceſſitas moralis non differendi amplius ſuam confeſſionem ſacramentalem, & ad Superiorem accederet ab omnibus peccatis abſoluendus, & nollet alteri confiteri reſeruata, & ex parte Superioris eſſet impedimentum, vt non poſſit completam confeſſionem audire. Quis autem poſſit à reſeruatis abſoluere, & quotuplex ſit iuriſdictio ad abſoluendum à reſeruatis, latè habetur ex *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 8. cap. 8. per totum*, & nos latius, Deo duce, dicemus de Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ tractantes.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt ita demum pœnitentis peccata mortalia omnia poſt
106 Baptiſmum commiſſa, & aliàs ritè non confeſſa, nec remiſſa pertineant ad integritatem confeſſionis, ita vt pœnitens teneatur ea omnia confiteri vni, & eidem Sacerdoti, in vna, & eadem confeſſione, & in ordine ad vnam, & eandem abſolutionem, quando omnia peccata, quæ commiſit habet in propria conſcientia, vt quia cognoſcit, & credit eſſe mortalia, & eorum recordatur. Etenim ex *Conc. Trid. ſeſſ.14.cap.5.* pœnitens tenetur ea tantùm peccata confiteri, quorum habet conſcientiam, & quę memoriæ occurrunt: peccata verò ignorata, aut oblita non dicuntur eſſe in conſcientia, nec memoriæ occurrunt, atque ideò excuſatur pœnitens ab integritate materiali confeſſionis omnium peccatorum ex capite probabilis ignorantiæ, aut obliuionis. Confirmatur, quia illa peccati ommiſſio cauſata ex ignorantia, ſeù obliuione inuincibili, & probabili nō eſt voluntaria, vt habetur ex *D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 1.* & propterea eo caſu concurrit impotentia moralis, & phyſica, quæ omnes excuſat, cùm ad impoſſibile nemo teneatur, *arg. tex. in l. qui commeatus*, & ibi *Bart. ff. de re milit. & in l. impoſſibilium, ff. de regul. iur.* Imò impoſſibile moraliter dicitur, quod ſine magna difficultate fieri non poteſt, vt in *l. apud Iulianum, ff. de legat.* 1. latè *Dec. in regula, Qui poteſt facere, in fin. ff. de regul. iur.* Differt autem ignorantia ab obliuione; quia ignorantia eſt alicuius rei nunquam didicitæ: obliuio autem eſt alicuius rei aliàs didicitæ, & vtraque eſt iuris, vel facti: vincibilis, aut inuincibilis, craſſa, & affectata.

Ex hoc infertur, quòd ſi pœnitens probabiliter putet, hoc, aut illud peccatum non eſſe mortale,
107 aut probabiliter credit hic, & nunc ſe iuſtè excuſari ab illius confeſſione: aut debitam adhibuiſſe diligentiam in memorandis peccatis, cùm tamen re vera nō adhibuerit; propter quod oblitus fuerit alicuius lethalis culpæ: his enim caſibus quamuis non faciat confeſſionem materialiter integram, excuſatur, quia confeſſio ipſa erit ſaltem integra formaliter, iuxta ea, quæ ſupra diximus, vt rectè docet *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp.23.ſec.3.nu.1. Coninch. diſp.7. de pœnit. ſub nu.70. Filliuc.tom.1.qq.moral.tract.7.de confeſ. cap.5.q.9. nu. 129. & 130.* & alij Doctor. communiter, dicentes prędictis caſibus confeſſionem eſſe validam, etiam ſi cum illa ignorantia, aut obliuione pœnitens leuem culpam contraxerit: nam per talem culpam, nec valor, nec fructus Sacramenti impediuntur. Dixi, *Probabiliter putet, probabiliter credit, &c.* Quoniam, vt ſupra diximus, pœnitens ex inuincibili, ac probabili tantùm ignorantia, aut obliuione excuſatur à materiali integritate cōfeſſionis, ſiuè ignorantia, & obliuio iuris ſint, ſiuè facti, vt habetur ex Doctoribus ſupra relatis: ſecus autem ſi pœnitens ex improbabili, vincibili, craſſa, ſeù affectata ignorantia, aut obliuione confeſſionem non faciat integram; quoniam tunc confeſſio erit inualida, & nullum ex ea conſequitur fructum; quin potius ſuſcipiendo ſacramentalem abſolutionem ſuper huiuſmodi confeſſionem, nouam culpam lethalem contrahit, cùm ſacrilegium committat.

Vndè quando quis nulla diligentia adhibita in memorandis peccatis, eiſdemq; cognoſcendis, aut adeò leui, & cum tanta negligentia, vt pro nihilo reputetur, ad confeſſionem accedit procul dubio nulliter confitetur, etiam ſi directam voluntatem habeat nihil omittendi ſcienter eorum, quæ in ipſo confeſſionis actu occurrerint; quia talis ignorantia, ſeù obliuio ſi craſſa ſit, dicitur, indirectè volita: ſi verò affectata, vt latè probat *Petr. Sot. lect. 10. de pœnit. verſ. Præſtat de integritate: Domin. Sot. in 4. d. 18. q. 3. art. 1. concl. 3. Tolet. lib. 3. ſuæ ſum. cap. 8. in prin. Suar. d. ſec. 3. nu. 4. Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 13. nu. 12. Coninch. de pœnit. nu. 70. verſ. Qua in re Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 5. q. 9. nu. 131.* vbi probabiliter id limitat, quando ignorantia non eſt per ſe intenta, licèt ſit culpabilis materialiter, quia tunc confeſſio eſſet valida, ſed informis: quamuis alteram dicat eſſe ſecuriorem, vt habetur etiam ex *Nauar. in Man. cap. 9. nu. 16.* & alij. Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* dum præcipit confeſſionem ſacramentalem eſſe habendam poſt diligentem ſui diſcuſſionem ita ſtatuens, *Oportere à Pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent, in confeſſione recenſeri, &c.*

Et quamuis ad indicandum ſufficiens conſcientiæ examen nō poſſit aſſignari certa regula:
108 ſiquidem in hac re penſanda eſt in primis confitentis conditio, & deindè inſpiciendum eſt tempus, quo præcedens confeſſio habita fuerit, & multitudo negotiorum, in quibus verſetur pœnitens; nihilominus illud eſt certum, vt ad propriæ conſcientiæ diſcuſſionem faciendam tanta diligentia neceſſaria ſit, quantam prudens, & diligens, & timorati viri adhibere ſolent in notabilis momenti negotio, vt habetur ex *Can. par. 3. relect. de pœnit. & Vaſq. tom. 4. de pœnit. q. 91. art. 1. dub. 6.* vbi etiam addit, quòd non ob id obligatur pœnitens ſcribere peccata ſtatim poſt commiſſa. Eſt tamen verum, quòd defectus debitæ diligentiæ in memorandis, & cognoſcendis culpis, interdum ſuppleri poteſt à cōfeſſario, mediantibus debitis interrogatorijs; & eò maximè ſi pœnitens non ſit tantæ capacitatis, vt ſolus per ſe poſſit ſuam conſcientiam ſufficienter diſcutere. Imò ad id tenetur Confeſſarius pœnitentis conditionem conſpiciens; quoniam vterq; debet diligentiam ſuo muneri accomodatam præſtare; aliàs mortalem culpam contraheret, vt poſt alios *Molf. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 22. ſub nu. 26.* & infra latius, Deo duce, dicemus, de confeſſariorum peccatis ſpecialiter agentes. Illud denique ad moderandum rigorem de iteranda confeſſione in caſu, de quo agitur, not. eſt, quod habetur ex *Nauar. in cap. fratres, nu. 82. de pœnit. d. 5.* ſiquidem multoties euenit, vt confeſſio nulla ex omiſſione peccati propter culpabilem ignorantiam iuxta ea, quæ habentur ex *Angelo in ſum. ver. Confeſſio 1. n. 8.* & propterea ſupra à nobis diſcuſſa, citta culpam non repetatur ex ignorantia inculpabili: nam eadem ignorantia, quæ in priori confeſſione fuit cauſa mortaliter peccandi, & illius nullitatis, in ſequenti confeſſione poteſt eſſe cauſa obliuionis naturalis, ſeù inculpabilis talis peccati; quoniam peccatum ex ignorantia contractum difficile cognoſcitur, & difficilius in memoriam reuocatur. Quòd ſi pœnitens huiuſmodi defectus poſtea recordetur, obligabitur priorem tantùm confeſſionem repetere tanquam nullam; non autem ſequentes bona fide factas, vt habetur ex *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 23. ſec. 4. & Filliuc. d. cap. 5. q. 10. con. 3. & 4. nu. 134. & 135.* vbi etiam quærit idem *Suar.* An ſi in ipſa confeſſione, ita negligenter inchoata pœnitens culpam ſuam, & negligentiam recognoſcat, teneatur eam ſtatim confiteri, & ita ſupplere defectum illum? & reſpondet affirmatiuè: dummodo ipſa etiam negligentia per interrogationes Confeſſarij, aut alio modo ſufficienter ſuppleatur, & aliqua vrgeat neceſſitas: aliàs eſt differenda confeſſio, donec ſuæ conſcientiæ diligentem diſcuſſionem fecerit.

Secundò limitatur eadem concluſio, vt tunc pœnitens teneatur ad integram, vt ſupra omnium
109 peccatorum confeſſionem, cùm poteſt: aliàs ſi naturaliter non poſſit, non tenetur, quia neceſſitas integritatis confeſſionis eſt moralis, & propterea ad impoſſibile non obligat, cùm impoſſibilium in moralibus nulla ſit obligatio, *l. impoſſibilium, ff. de regul. iur. l. inter ſtipulantem, §. ſacram, ff. de verb. obligat. & in Inſtitut. de inutilib. ſtipulat. in principio.* Hinc ſequitur, quòd ſi quis in vltimis conſtitutus, aut lethaliter vulneratus incipiat confiteri, & inſtante mortis articulo, confeſſionem omnium peccatorum perficere non poſſit, tunc talis non ſolùm poteſt, ſed etiam debet à confeſſario abſolui: quia quamuis confeſſio illa non ſit materialiter integra; eſt tamen integra formaliter: quia pœnitens eo caſu verè, ac realiter confeſſus eſt omnia peccata, quæ potuit, ita *Palud. in 4. d. 21. q. 2. art. 2. D. Anton. 3. par. tit. 10. cap. 2. Syl. in ſum. ver. Confeſſor 3. q. 13. Angel. ver. Confeſſor 4. n. 8. Medina* & alij, quos refer., & ſequitur *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 23. ſec. 1. nu. 5. Reginald. lib. 6. ſuæ prax. nu. 151. & lib. 8. nu. 27. & ſeq. Vaſq. tom. 4. de pœnit. q. 9. art. 2. dub. 1. Coninch. diſp. 7. de integrit. confeſ. nu. 96. Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 5. nu. 38. & cap. 12. nu. 31. & P. Alphon. de Leone, de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 6. nu. 118.*

Idem dicendum eſt de eo, qui non poteſt verbis peccata confiteri morbo aliquo correptus,
110 aut in vltimis vt ſupra conſtitutus: nam ſatis eſt ſi nutu, aut aliquo alio ſigno peccati ſpeciem quoad fieri poteſt exprimat: & ſi non poſſit, ſufficit, ſi ſigna contritionis oſtendat, oculos, vel manus in Cœlum eleuando: aut ſi interrogatus à Confeſſario, an velit, quodcumq; malum ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe, & ſi verum dolorem de proprijs peccatis habeat, & ſacramentaliter abſolui velit? annuat, manum Confeſſarij ſtringat, aut quocunq; alio modo contritionis ſigna oſtendat; tunc enim non ſolùm poteſt, ſed etiam debet ſacramentaliter abſolui: ſiquidem illi nutus, ac ſigna ſunt materia proxima Sacramenti pœnitentiæ, & per illa quoque ſubijcit peccata ſua clauibus Eccleſiæ, vt ſacramentalem abſolutionem aſſequi poſſit. Ita *Suar.* poſt alios *loco citato, Vaſq. d. dub. 1. nu. 3. & ſeq Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 3. cap. 3. nu. 10. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 5. q. 3. nu. 120. & 121.* vbi addit eo caſu poſſe

abſolui

abſolui talem penitentem, etiam ſine conditione: vel ſaltem ſub conditione, *Si es capax*, vel ſi, *Si poſſum*, *Molf. d. cap. 5. nu. 30. cum plur. ſeq.* qui teſtatur in hoc omnes conuenire, *Zerola in ſua prax. Epiſcopali, ver. Abſolutio, p. 1. Coninch. de ſacram. diſp. 7. dub. 10. concl. 2. Reginal. lib. 8. ſuæ prax. nu. 27. Bonac. de ſacram. q. 5. par. 2. §. 4. n. 9. verſ. In Praxi Homoban. de caſib. reſer. p. 1. c. 1.* qui hãc ſententiã cõfirmat ex *Ritual. Rom. nuper edito iuſſu S. M. Pauli Papæ V. ſub tit. de ſacram. pœnit.* ita ſe habente, *Quod ſi inter confitendũ, vel etiã antequã incipiat cõfiteri, vox, & loquela ægro deficiat, nutibus, & ſignis conetur, quo ad eius fieri poterit peccata pœnitentis cognoſcere, quibus vtcunque, vel in genere, vel in ſpecie cognitis: vel etiam ſi confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt*. Ex quo loco Ritualis probatur quoq; ſententia dicti *P. Alph. loco citato, ſub nu. 120.* dum ait, quòd ſi moribundus dixerit Confeſſario velle confiteri, quia habet multa peccata mortalia ſibi aperienda, ſi deindè loquelam amittat, poteſt abſolui, & Sacramentum virtute illius petitionis confici. Non tamen poſſet iſte talis abſolui, ſi ſub conditione aliqua dixerit velle confiteri, & poſtea loquelam & ſenſum perdiderit, ita vt non poſſit ſigna contritionis oſtendere: vt ſi dixerit, velle confiteri, ſi rectè valeat: etenim conditio nihil ponit in eſſe antequam purificetur, *l. qui hæredi, ff. de condit. & demonſtr. l. cedere diem, ff. de verb. ſignif.* Non tamen citra difficultatem videtur opinio *Sot.* & aliorum, quam refert, & ſequitur idem *Alph. de Leone, d. recoll. 6. nu. 122. & 123. verſ. Secunda opinio*, qui agentes de moribundo oſtendente ſigna contritionis tantùm abſente Sacerdote, negant poſſe eum abſolui per ipſum Sacerdotem præſentem, & qui aduenit tempore quo moribundus ſenſu caret, ex ſolo teſtimonio familiarium, qui ſint fide digni, exiſtimantes contrariam ſententiam fuiſſe damnatam per Decretum Clem. VIII. quod ſupra retulimus, quo prohibetur confeſſionem abſentis fieri. Etenim contraria ſententia habet quamplurimos Doctores magni ponderis, nempè *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 23. ſec. 1. nu. 12. & ſeq. Vaſq. eo. tom. de pœnit. q. 91. art. 2. dub. 1. Coninch. diſp. 7. de integr. confeſ. n. 99. Zanard. in ſuo directl. confeſ. de ſacram. pœnit. cap. 17. cond. cond. 10. caſu 2. Reginald. lib. 8. ſuæ prax. nu. 27. Moiſeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 5. ſub nu. 49. Fillinc.* poſt alios *tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 1. q. 10. nu. 18. & cap. 5. q. 4. nu. 122.* qui id limitat, dummodo abſolutio impendatur in præſentia moribundi: *Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 5. ſec. 2. par. 2. §. 4. nu. 1. Floron. de caſib. reſeruat. par. 1. cap. 4. §. 6. ſub nu. 6.* & alij. Pro qua opinione videtur facere Rituale Rom. loco ſupra citato, in illis verbis; *Si confitendi deſiderium, ſiue per ſe, ſiue per alios oſtenderit, &c.* Siquidem illa verba, *Siue per ſe*, Sicut communiter citra omnẽ controuerſiã intelliguntur de deſiderio cõfitendi oſtenſo per ipſum confitentẽ Sacerdoti præſenti, ita quoq; verba ſubſequẽtia, *Siue per alios*. Debẽt intelligi de deſiderio cõfitendi oſtenſo ab eodem confitente, mediante teſtimonio aliorum, qui illud audiuerint, dum Sacerdos ipſe erat abſens.

Et re vera pro hac ſententia eſt *tex. in cap. ſi,*
111 *quis, 26. q. 6.* Nec nobis probatur reſponſio *Nauar. ad illum tex. in Man. cap. 26. num. 27.* dicentis eum loqui de abſolutione ab excommunicatione; quoniam *tex.* ipſe loquitur de abſolutione ſacramentali, dum ait, *Dent teſtimonium, qui eum adierunt, & accipiat pœnitentiã, & ſi continuò creditur moriturus reconcilietur per manus impoſitionem*. At manus impoſitionem Sacramentum eſſe pœnitentiæ, clarè patet ex *text. in cap. manus, 1. q. 1.* vbi *D. Auguſt.* inquit, *Manus impoſitio non ſicut Baptiſma, repeti non poteſt*. Confirmatur, quia per varia Concilia præſertim *Arauſicanum 1. can. 12.* fuit determinatum quoque, quòd ſi quis baptiſmum petierit, vel pœnitentiam, & poſtea obmutuiſſet, ſi voluntas eius per teſtes probari poſſit fide dignos, debet baptizari, aut abſolui: ergò ita etiam *in d. cap. ſi qui, 26. q. 6.* editum in *Conc. quarto Cartagin.* intelligendum eſt, & non de abſolutione ab excommunicatione. Nec talis interpretatio eſt contra Decretum Clem. VIII. damnantis confeſſionem ſacramentalem per litteram, & per nuncium, quoniam illa conſtitutio loquitur, vbi abſolutio ſacramentalis impenditur in abſentiam pœnitentis: at in caſu, de quo agitur, impenditur abſolutio ſacramentalis ipſi pœnitenti præſenti, vt rectè aduertit *Fillinc. loco cit. nu. 20.* Quæ diximus de conſtituto in articulo mortis, qui verbis ſua peccata confiteri non valent, extendimus ad mutum, qui nutu tantùm aliqua peccata poteſt exprimere, & non omnia: nam talis adhuc eſt abſoluendus, vt habetur ex *Tol. lib. 3. ſuæ ſum. cap. 8. ſub nu. 2.*

Adde hic etiam illud, quod habetur ex *Molf. d. cap. 5. nu. 46. cum plur. ſequentib.* dicente, quod
112 ſi quis nullum confiteatur peccatum, nec confeſſarius petierit, neque ſignum aliquod contritionis exhibuerit, & in vltimis reperiatur conſtitutus, ſi talis vir erat bonus, poteſt ei abſolutionis beneficium impendi: ſecus autem ſi malam vitam duxerit, in peccatis diù perſeuerans; quoniam malus ſemper præſumitur malus; atque ideò Sacramenti iniuria fieret, pro qua opinione affert *D. Anton.* relatum in Sacerdotali *Rom. tit. de confeſ. infir. fol. 26.* & ita teſtatur fuiſſe reſponſum à doctiſſimis viris, & practicatum à Clem. VIII. qui videns Romæ quendam caſu cadentem ex Fabrica Eccleſiæ D. Petri Apoſtoli, eidem abſolutionis beneficium dedit ſub conditione, *Si ex capax abſolutionis, &c.* Sed re vera hæc opinio ſuſtineri poſſet, ſi ſatis eſſe velimus ad impendendam ſacramentalem formam ſenſibilem per ſe, quamuis non obijciatur confeſſarij ſenſibus: ſed quia id eſt contra rationes Theologicas, ſecundum quas conſtat Sacramentum pœnitentiæ eſſe inſtitutum per modum iudicij, vt in *cap. verbum, de pœnit. d. 1. & in Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* ſatis non videtur eſſe ſi materia ſit ſenſibilis per ſe, niſi etiam ſubijciatur confeſſarij ſenſibus, cùm ſententia non feratur ſuper incognitis: ſiquidem iudicium eſt actus prudentiæ, & propterea non poteſt ferri niſi ſuper re cognita, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 43. art. 3.* & apertè colligitur ex *Conc. Trid. loco citato.* Etenim Iudex debet iudicare ſecundum allegata, & probata, *l. illicitas, §. veritas, ff. de offic. Proconſ.* & in iudicio ſacramentali pœnitens ipſe eſt accuſator, Reus, & teſtis. Vnde arbitror, dictam opinionem eſſe omninò improbabilem,

maximè

maximè quoad abſolutionem purè impendendá.

Non ſolùm impotentia pœnitentis excuſat ab integritate materiali confeſſionis ſacramentalis,
113 vt ſupra explicauimus; ſed etiam neceſſitas vrgens. Vndè ingruente procella, & inſtante naufragio, ſeuiente prælio, vel incendio, vel graſſante peſte poteſt Confeſſarius multos ſimul audire alta voce peccatum aliquod confitentes, eoſdemque abſoluere, dicens, *Ego vos abſoluo à peccatis veſtris*. Vt habetur ex *Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 12. nu. 3. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. Sylu. ver. Confeſſio 1. nu. 23. Medina de confeſ. q. 19. Turrecr. in cap. quamuis, de pœnit. d. 1.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 3. nu. 11.* qui tamen ait, eos non teneri ita publicè confiteri, cùm remedium habeant contritionis, ſed poſſunt id agere ſi velint, & tunc ſolùm dimidiatur confeſſio materialiter ex iuſta cauſa, non autem formaliter: ſiquidem ſupponimus intentionem eorum eſſe omnia peccata cõfitendi, ſi poſſẽt. Eſt tamen verũ, quòd quamuis multi abſolutè velint, neminem teneri publicè, vel per interpretem confiteri, vt habetur ex *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. Tolet. in ſua ſum. lib. 3. cap. 6.* cum nonnullis adaptum additis; nihilominus in articulo, ſeù periculo mortis, vt in ſupra relatis caſibus, ſi aliqui ſciant, vel probabiliter dubitent ſe veram contritionem habere tenentur publicè, vel per interpretem ſaltem aliqua peccata minoris ſcandali confiteri propter periculum animæ: ſiquidem periculum mortis æternæ maius eſt, quàm infamiæ, & maior iactura vitæ æternæ, quàm famæ temporalis, vt habetur ex *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 36. ſec. 6. nu. 3. Petr. Sot. lect. 11. de pœnit.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. loco citato*. Vir antè ignoti idiomatis ſi nolit per interpretem confiteri ad implendum præceptum Eccleſiæ, & explicet peccata quæ poteſt per nutus, ac ſigna, eſt abſoluendus, & idem dicendum eſt de Muto; quoniam horum confeſſio licet non ſit integra materialiter; eſt tamen integra formaliter.

Quæ diximus de impotentia, ac neceſſitate
114 ex parte pœnitentis, vt excuſetur ipſe pœnitens ab integra omnium peccatorum confeſſione, extendimus etiam vbi neceſſitas, aut impotentia extaret ex parte Confeſſarij. Vndè ſi quis peſtis morbo laboraret, & Sacerdos citra contagionis periculum integram eius confeſſionem audire non poſſet, tunc ſatis eſt ſi auditis aliquibus peccatis, eundem abſoluat: ſiquidem huiuſmodi confeſſio licèt non ſit integra materialiter; eſt tamen integra formaliter. Idem dicendum de Confeſſario, qui inter audiendum confeſſionem alicuius, morbo aliquo de repente correptus non poſſit totam confeſſionem audire; quia tunc eadem ratione ſuper illam partem confeſſionis, quam audiuit poteſt abſolutionem impendere, ita vt pœnitens quoad confeſſa recipiat remiſſionem, & abſolutionem directè; quoad verò ad omiſſa indirectè tantùm, iuxta ea, quæ ſupra diximus: quod quidem locum ſibi vendicare probant *Vaſq. 3. par. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 2. n. 2. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 5. q. 2. nu. 118. & 119. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 3. nu. 14.* vbi non adeſt alius Sacerdos, qui poſſit talis pœnitentis confeſſionem completè audire, & ipſe pœnitens reperiatur in neceſſitate Sacramenti, ita vt non poſſit alium Sacerdotem adire; tunc enim confeſſio huiuſmodi eliceretur integra formaliter, aliàs ſecus. Eſt tamen verum, quòd in his caſibus pœnitens quoad fieri poteſt confiteri debet peccata certa potius quàm dubia: & peccata mortalia priuſquàm venialia: & ſi plura mortalia habeat, eſt valdè conueniens, vt illud confiteatur, quod magis conſcientiam aggrauat: nam id Sacramenti religioni ſatis conuenit, & charitas in tali articulo id etiam exigit, vt pœnitens quod in ſe eſt faciat. In praxi denique ſeruatur, vt ſi pœnitenti in articulo mortis conſtituto abſolutio ſacramentalis impendatur, non completa confeſſione propter probabilem timorem mortis, ſi deindè ſtatim mors non ſequatur, continuanda eſt ipſa confeſſio, donec integrè fiat, quoad fieri poteſt: & completa omnium peccatorum confeſſione, debet denuò eidem impendi abſolutio, & illud Sacramentum erit nouum à priori diſtinctum, vt habetur ex *Suar. loco ſupra relato, Fillinc. d. q. 2. can. 2. n. 119. & Fagund. d. cap. 3. n. 10.* qui addit, quòd quãdo egrotus patitur paraſiſimos, quoties & paraſiſimus venerit, toties eſt abſoluendus, ne fortè in vno illorũ abſque abſolutione diſcedat. In omnibus autem caſibus eiuſmodi, in quibus licitè dimidiatur confeſſio, tenetur pęnitens non confeſſa confiteri, ceſſante cauſa, & ſublato periculo: non tamen tenetur ſtatim ea confiteri, ſed poteſt illa in primam cofeſſionem quam fecerit, differre; ſiuè ſit annalis ex obligatione præcepti noſtri canonis: ſiuè ex deuotione, vt rectè declarat idem *Fagund. loco citato, ſub nu. 15.* qui poſt alios probat quoque, pęnitentem non teneri peccata confeſſa, & a quibus directè fuit abſolutus iterum confiteri.

Quòd ſi impotentia ſit ex parte confeſſarij adeò magna, vt non ſolùm non poſſit vltra pro-
115 gredi ad audiendam confeſſionem; ſed ex ſuperueniente morbo ita obmuteſcat, vt non poſſit loqui, tunc confeſſarius non poſſet abſoluere pœnitentem, quamuis Sacramento extremè indigentem, ſigno, vel ſcriptura ſi ſcribere poſſit: ſiquidem forma Sacramenti pœnitentiæ debet humana voce proferri, vt benè docet *D. Thom.* communiter receptus *3. par. q. 84. art. 3. ad 5. Suar. ibi, tom. 4. de pœnit. diſp. 19. ſec. 2. nu. 13. Coninch. diſp. 4. de pœnit. nu. 49.* & alij. Vndè meritò reijcitur ſententia *Medina*, & aliorum, exiſtimantium poſſe Sacerdotem ſignis ſuam intentionem explicare in abſolutione pœnitentis: quia in omnibus Sacramentis eorum forma debet proferri voce articulata, excepto Sacramento matrimonij, in quo nutibus poteſt exprimi contrahentium conſenſus, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 22. nu. 21. & Molf. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 4. cap. 6. nu. 20. & cap. 7. & tract. 7. cap. 5. nu. 14.* Nec obſtat, quòd confeſſio poteſt fieri nutibus, ac etiam per ſcripturam; nam non ob id ſequitur, eodem modo poſſe impendi abſolutionem: ſiquidem militat diuerſa ratio: nam expreſſa ſignificatio Sacramenti pœnitentiæ magis exigitur ex parte formæ, cùm principaliter cõſiſtat in remiſſione peccatorum, quàm ex parte materiæ, vt rectè declarat *Suar. d. diſp. 19. ſec. 2. Vaſq. d. q. 91. art. 2. dub. 1. Reginal. lib. 8. ſua prax. nu. 2. Molfeſ. loco citato, nu. 15. & 16.* & alij.

Tertiò

Tertiò limitatur ſupradicta concluſio, vt non
ſolùm impotentia naturalis, & phyſica excuſet
116 pœnitentem ab integra omnium peccatorum
confeſſione, in eius conſcientia exiſtentium, &
quæ poſt Baptiſmum lethaliter commiſſa fuerūt;
verum etiam impotentia, ſeù neceſſitas moralis.
Vndè ſi pœnitens ex integra omnium peccato-
rum confeſſione probabiliter timeret graue ali-
quod nocumentum in perſona, vel in bonis eſſe
ſibi inferendum, tunc poterit tacere peccata illa,
quæ detrimentum ſibi allatura timet, ſi confite-
retur, & reliqua confiteri: ſiquidem confeſſio
illa licèt non ſit integra materialiter; eſt tamen
integra formaliter; quia verè, ac realiter pœni-
tens confeſſus eſt omnia mortalia, quæ rationa-
biliter confiteri poterat, vt habetur ex *D. Thom.
in 4. d. 17. q. 3. art. 3. quæſtiun. 4. ad 5. Dom. Sot.
in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 3. Petr. Sot. lect. 10. de
confeſ. Nauar. in ſua Man. cap. 7. num. 3. & 4.
Suar.* poſt alios *tom. 4. de pœnit. diſp. 23. ſec. 2.
Reginald. lib. 6. ſuæ prax. nu. 156. Coninch. de
pœnit. nu. 70. cum ſeq. Fagund. de præcep. Eccl.
præcep. 2. lib. 3. cap. 3. nu. 5.* & ex alijs apud *Molſ.
par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 12. nu. 23. & 32. &
Filliuc. tom. 1 qq moral. tract. 7. de confeſ. cap. 5.
q. 5. concl. 1. & 2. nu. 124. & 125.* Etenim præ-
cepta poſitiua etiam Diuina non obligant cum
tanto diſpendio, ac periculo; imò, & aliquando
naturalia: nam reſtituere alienum, & votum
implere, ac eleemoſynam dare extremè indi-
genti eſt de iure Diuino naturali, & tamen non
obligat cum vitæ periculo, vt habetur ex *Azor.
tom. 1. Inſtit. moral. lib. 1. cap. 11. q. 2. Sanch. lib.
1. Decal. cap. 18. nu. 5. Filliuc. & Fagund. locis
citatis*, & nos etiā adnotauimus in *noſtris comm.
in bulla Cœnæ lib. 2. can. 7. q. 36. nu. 27. & 28. &
nu. 77.* ſicut etiam *lib. 3. d. comment. §. 8. q. 1. n. 15.*
oſtendimus, legem humanam non habere pote-
ſtatem alligandi conſcientiam cum probabili
mortis periculo, infamiæ, vinculorum, verbe-
rum, amiſſionis bonorum, &c. quæ cauſant me-
tum cadentem in conſtantem virum, *arg. tex. in
l. iſti quidem, & l. nec timorem, ff. quod met. cau.*
latè *Azor. loco citato, q. 1. Suar. 3. p. tom. 5 diſp.
6. ſec. 3. nu. 7. & 12. & Say. lib. 1. Theſ. cap. vlt.
nu. 41. & lib. 2. cap. 14. nu. 37.* cum alijs, quos
allegant. Vndè qui non poteſt aliter confiteri
peccatum aliquod, quàm cum graui eius peri-
culo, pro tunc cenſetur moraliter impotens ad
confitendum illud, & propterea excuſatur. Imò
tale poſſet detrimentum eſſe, vt non ſolùm poſſit
pœnitens, ſed etiam obligaretur ad non confi-
tendum tale peccatum in illo euentu: vt ſi time-
ret graue ſcandalum in propria ſalute ſpirituali:
aut ſi timeret probabile periculum mortis cor-
poralis: quoniam iure naturali tenetur homo
huiuſmodi pericula vitare; cùm nulla adſit mo-
ralis neceſſitas confitendi in illo caſu, vt patet
exempla in caſibus recenſitis à *Fagund. loco cit.
ſub nu. 5. & 6.* & ab alijs Doctoribus, quos nos
ſupra retulimus.

Quod diximus de periculo, ac detrimento
proprio, extendimus quoque ad graue detrimen-
117 tum, ac periculum alienum. Vndè ſi ex parte
Confeſſarij timeatur ſimile damnum ex confeſ-
ſione alicuius peccati, tunc pœnitens rectè poteſt
illud non confiteri: nam ex lege charitatis tene-
mur proximum diligere, ſicut nos ipſos: & quod
propter charitatem introductum eſt contra ean-
dem charitatem exerceri non debet. Ex quo ſe-
quitur, quòd ſi quis probabiliter timeat, Con-
feſſarium non ſeruaturum ſigillum, vel ex mea
confeſſione ſumpturum occaſionem infamandi,
tunc non tenetur, nec debet tale peccatum con-
fiteri: quia id eſſet contra iuſtitiam, & charita-
tem. Sic etiam ſi pœnitens confitendo aliquam
circumſtantiam peccati probabiliter putet, eius
confeſſarium alliciendum eſſe ad peccandum, ex
charitate tenetur circumſtantiam illam tacere,
vt rectè declarat *Filliuc. d. cap. 5. q. 8. num. 128.*
Dixi, *Probabiliter*, quia in his caſibus ſola ſu-
ſpicio ſatis non eſt; ſed timor debet eſſe iuſtus,
& probabilis cadens in conſtantem virum, non
autem vani hominis, vt benè docet *Tol. lib. 3. ſuæ
ſum. cap. 8. ſub nu. 6. Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 23.
ſec. 2. in fin. Molſ. d. cap. 12. nu. 23.* & alij, quos
allegant, vbi etiam idem *Molſeſ. nu. 34.* inquit
ſolum timorem pœnitentis amittendi famam
apud Confeſſarium ex confeſſione alicuius gra-
uis peccati, non excuſare ipſum ab integritate
confeſſionis: quia hoc ipſum affert ſecum con-
feſſio, vt qui confitetur quodammodo reddat ſe
vilem, & infamem apud Confeſſarium, cui pro-
pria ſcelera manifeſtat. An autem pœnitens te-
neatur diminutam confeſſionem facere ad con-
ſeruandam famam complicis, infra Deo duce,
dicemus in propria quæſtione.

Eſt tamen verum, quòd licèt ad ſaluandam
materialem integritatem confeſſionis non tenea-
118 tur pœnitens confeſſionem ipſam differre, vt
alteri abſque tali diſpendio confiteri poſſit, vt
malè quidam arbitrantur; nihilominus pœni-
tens non debet eſſe facilis ad dimidiandam con-
feſſionem; ſed ſemper debet eſſe aliqua cauſa,
neceſſitas, vel ſaltem vtilitas ſuſcipiendi Sacra-
mentum pœnitentiæ, vt habetur ex *Sot. in 4. d.
18. q. 2. art. 5. Nauar. in ſuo Man. cap. 7. nu. 3.
cum plur. ſeq. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 23. ſec. 2.
Filliuc. d. cap. 5. q. 5. nu. 125.* & ex alijs. Erit autē
iuſta cauſa ſuſcipiendi Sacramentū pœnitentiæ,
Inſtans mortis periculum, neceſſitas ſeruandi
præceptum noſtri canonis confeſſionis annuæ,
neceſſitas vitandi infamiam, neceſſitas adim-
plendi præceptum communionis in Paſcha, aut
communicandi certis diebus, vel celebrandi, vbi
ſine graui ſcandalo, aut aliquo magno incom-
modo differri non poteſt: quoniam ad dignam
ſumptionem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti
eſt præmittanda confeſſio. Vt benè declarat
Suar. loco citato, nu. 6. & denique magna vti-
litas, quam per ſe affert Sacramenti frequentatio.
Quòd ſi ceſſent dictæ rationes, & cauſa, Sacra-
mentum pœnitentiæ differri debet; maximè ſi
poſt breue tempus ſperetur commoditas integrè
confitendi: quia tunc commodè poteſt ſeruari
integritas materialis confeſſionis: quod per ſe
neceſſarium eſt, quando moraliter fieri poteſt.
Hæc *Suar. ex Sot. in d. ſec. 2.* vbi contra eandem
probat etiam illud peccatum omiſſum poſſe dif-
ferri ad confitendum vſq; ad ſequentem annum,
cùm per confeſſionem in dictis caſibus non ma-
terialiter integram ſit ſatisfactum præcepto Ec-
cleſiæ in noſtro canone contento, quo præcipi-
tur annua ſaltem ſacramentalis confeſſio hanc
eandem opinionem ſequitur *Filliuc. loco citato,
nu. 126.* vbi reſpondit ad contrarium *Sot.*

Imò

† Imò ſi quis mortalia, quæ habet ratione ali-
cuius periculi, vel alterius infamiæ confiteri non
119 poſſet, non tenetur confiteri venialia ad im-
plendum præceptum, vt habetur ex *Suar. tom. 4.
de pœnit. diſp. 36. lect. 6. num. 1. in fine, & Dian.
par. 1. tract. 4. de ſacram. reſol. 75. contra Nu-
gnum in addit. ad 3. par. D. Thom. q. 6. art. 6.
difficult.* 1. Etenim venialia non tenemur confi-
teri pro implendo præcepto confeſſionis annuæ,
vt ſæpè diximus.

*Ad contraria patet reſponſio ex his, quæ ſupra
diximus in principio Concl. huius*, verſ. Nec
ex eo, & Ampl. 1.

An pecccatorum ſpecies pertineant ad integrita-
tem confeſſionis ſacramentalis.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Species quædam ſunt phyſica, & quædam mora-
lis, & quæ ſint.*
2 *Peccatum eſt actus priuationem habens anne-
xam; & quomodo definitur.*
3 *Omnis actus ſpecificatur ab obiecto, & diſtin-
guitur ſpecie ex diuerſitate obiectorum; & an
peccata multiplicentur ſpecie ex diuerſitate
præceptorum circa eandem materiam.*
4 *Qui contra naturam peccauit cum maſculo, vel
cum fœmina, vel cum beſtijs diuerſarum ſpecie-
rum, hanc circumſtantiam in confeſſione ex-
plicare non tenetur.*
5 *Homicidium dicitur vnum peccatum ſpecie
ratione obiecti moralis vnius ſpeciei, tam ex
parte materiali, quàm formali, ſi voluntas
occidentis non pregreditur vltra, & ſic in
furto, &c.*
6 *Furtum ſi committatur ad finem adulterandi,
non erit vnum peccatum ſpecie, ſed erunt duo
peccata ſpecie diſtincta, alterum ratione pro-
prij obiecti, & alterum ratione finis.*
7 *Si quis furtum commiſerit ad finem fornicandi,
ſufficit ſi in cõfeſſione primo dicat furatus ſum,
& poſtea ſubiungat: habui intentionem for-
nicandi.*
8 *Pœnitens an poſſit confiteri circumſtantiam
diſtinctam à peccato.*
9 *Qui furatur rem ſacram de loco ſacro, ſatisfacit
ſi dicat, ſe furatum eſſe rem ſacram.*
10 *Frater Franciſcanus non ieiunans in die Ve-
neris ſancti incidit in duo peccata ſpecie di-
ſtincta, ſic etiam qui dicto die vouit, ea iurauit
ieiunare, ſi non ieiunat tria peccata ſpecie
diſtincta committit.*
11 *Sacrum non audiens die dominico, in quo venit
feſtum alicuius ſancti de præcepto; vel non
ieiunans in vigilia occurrente tempore Qua-
drageſimæ vnum peccatum committit.*
12 *Species phyſica non pertinent ad integritatem
confeſſionis.*
13 *Peccans carnaliter cum diuerſis Brutis ſpecie
differentibus, licet plura peccata committat
numero, tamen omnia ſunt eiuſdem ſpeciei.*
14 *Species moralis peccati pertinent ad integrita-
tem confeſſionis, & ideò oportet pœnitentem
confiteri ſpecies peccatorum mortalium.*
15 *Species peccati tam externi quàm interni per-
tinent ad integritatem confeſſionis.*
16 *Species morales peccatorum mortalium, ſiue
multum ſiue parum varient iudicium, ſunt de
integritate confeſſionis.*
17 *Species moralis tunc pertinent ad integritatem
confeſſionis, quando pœnitens peccatorum mor-
talium in ſpecie recordatur.*
18 *Pœnitens neſciens diſcernere ſpecies peccatorũ
excuſatur; quæ excuſatio poteſt eſſe iuſta, tàm
ex parte pœnitentis, quàm ex parte Confeſſarij.*

AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicen-
da erunt, eſt adnot. quòd ſpecies quædam
1 dicuntur phyſicæ, vt homo, Leo, &c. Et
quædam morales: ſiuè virtutis ſint, vt Iuſtitia,
Prudentia, Fortitudo, Temperantia, & aliæ eiuſ-
modi: ſiuè ſint vitij, ac peccati, vt furtum, homi-
cidium, adulterium, & his ſimilia. Dum igitur
quæritur, an ad integritatem confeſſionis ſacra-
mentalis pertineant omnes ſpecies diſtinctè con-
fiteri; noſtra quæſtio eſt de ſpeciebus, tùm phy-
ſicis, tùm moralibus: non virtutis, cùm hæ non
ſint materia ſacramentalis confeſſionis; ſed vitij,
ac peccati, eo quòd peccata ſunt eiuſdem ma-
teria, circa quam, ſeù remota.
Secundò eſt adnot. quòd cùm omne peccatum
ſit actus priuationem habens annexam, & latè
2 declarauimus in *Commentar. Bullæ Cœnæ lib. 1.
cap. 1. q. 3. à nu. 34. ad 42.* Vndè optima eſt de-
finitio peccati, quam attulit *D. Auguſt. lib. 22.
contra Fauſtum Manicheum, cap.* 27. dicens
*Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum
contra legem æternam.* Vt rectè poſt alios eam
declarat *Say. lib. 2. Clau. Regiæ, cap. 5. nu. 4.* vbi
poſt nonnullas alias peccati definitiones relatas,
hanc communiter receptam eſſe teſtatur. Hinc
3 fit, quòd ſicut omnis actus ſpecificatur ab ob-
iecto, & diſtinguntur ſpecie ex diuerſitate obie-
ctorum; ita etiam peccata ſumunt ſpecificam
veritatem, & diſtinctionem ab obiectis, ſeù ex
diuerſitate obiectorum contrariorum diuerſis
virtutibus, circa quæ committuntur, vt bene
docet *D. Thom. 1. 2. q. 72. art. 1.* vbi *Caiet. Med.
& Vaſq. Gregor. de Valent. tom. 2. diſp. 6. q. 2. p. 1.
Say. loco citato, nu. 16. Azor. tom. 1. Inſt. moral.
lib. 4. cap. 2. q. 4. Ioan. de Sal. 1. 2. q. 7. diſp. 3. ſec. 1.
nu. 4. Molf. par. 1. ſua ſum. tract. 8. cap. 7. nu. 12.
& 13.* & alij id ampliantes, tàm in peccatis com-
miſſionis, quàm omiſſionis. Et quoniam omne
obiectum conſtat ex duplici parte, materiali
ſcilicèt, & eſt materia circa quam verſatur actus:
& formali, & eſt voluntas, ſeù finis actionis, ad
vnitatem peccati requiritur vnitas obiecti mate-
rialis, & formalis: ad diſtinctionem verò pec-
catorum ſufficit alterius, vel vtriuſq; diuerſitates,
vt bene declarat idem *Molf. loco citato*, vbi etiã
nu. 22. poſt *Sanch. lib. 1. ſua ſum. cap. 14. nu. 9.
Say. d. cap. 5.* & alios probat, peccata non multi-
plicari ſpecie ex multiplicatione præceptorum,
ſiuè ab vno, ſiuè à diuerſis ferantur, quando
multiplicatio præceptorum eſt circa eandem
materiam, & ob vnicum motiuum virtutis: ſecus
autem ſi multiplicatio præceptorum verſetur
circa diuerſam materiam, vel circa eandem ma-
teriam ex diuerſo motiuo: quibus etiam adde
ea, quæ habentur ex *Corduba in ſum. q. 2. Med.
lib. 1. ſum. cap. 9. & in 1. 2. q. 72. art. 1. & 6.
Zumel. art. 6. dub. 3. Vaſq. ibidem diſp. 98. cap. 2.*
& ex alijs, quos refert *Ioan. Sal. in eodem loco
diſp. 3. ſec. 2.* Item multiplicantur ſpecie peccata,

etiam

etiam ſi præceptum verſetur circa eandem ma-
teriam, & vnicam virtutem , vel diuerſas ; dum-
modò motiuum ſit diuerſum:quia tunc tot erunt
peccata , quot rationes motiuum reſpicit , vt ha-
betur ex Doctoribus ſupra citatis. Denique mul-
tiplicantur peccata ſpecie ex circumſtantijs,
quando habent diuerſam habitudinem ad regu-
lam rationis , atque ideò mutat finem , & obie-
ctum : vel quando addit deformitatem alterius
ſpeciei:ſi verò circumſtantiæ non habeant diuer-
ſam habitudinem , nec conſtituunt alium finem
in actu malo, non ſtatuunt nouum peccatum, vt
habetur ex *D. Thoma 1.2.q.72.art.9.* & ex alijs
apud *Ioan. de Sal. tract. 7. diſp. 2. ſec. 11. & diſp.
3. ſec. 4. Lorca diſp. 15. de peccat. Reginal. lib*, 14.
*ſua prax. Molf. d. cap. 7. nu. 39. cum plur. ſeq. &
tract. 7. cap. 12. nu. 53.*

† *Et P. Dian. par. 1. tract. 7. de circumſtan.
reſol.* 2. vbi etiam teſtatur , quendam Theolo-
4 gum Societatis Ieſu Panormi publicè docuiſſe,
quod qui contra naturam peccauit cum mari, vel
fœmina , vel cum beſtijs diuerſarum ſpecierum,
non tenetur in confeſſione explicare circum-
ſtantias maris, vel fœminæ, vel beſtiæ huius, vel
alterius generis, ſed ſatis eſt, ſi dicat, ſe peccaſſe
ſodomiæ peccato toties , in beſtialitate quater,
&c. contra *Zanard. in direct. par. 2. præcep. 6.
cap. 9. & Tanner. in 2. 2. tom. 3. diſp. 3. q. 3.
pun. 6. n. 149.*

† Ex hoc infertur primò, quod homicidium di-
citur vnum peccatum ſpecie ratione obiecti mo-
5 ralis vnius ſpeciei, tàm ex parte materiali, nempè
ratione hominis prohibiti occidi, quàm ex parte
formali , cùm voluntas occidentis feratur in ſo-
lam hominis occiſionem , & non progrediatur
vltra . Sic etiam furtum dicitur vnum peccatum
ſpecie ratione obiecti moralis vnius ſpeciei, tùm
ex parte materiali; atque ideò ratione rei alienæ
prohibitæ accipi ; tùm etiam ex parte formali,
cùm ſupponamus voluntatem terminari in ſolam
rei alienæ prohibitam acceptionem, & non vltra.
Sunt furtum , & homicidium duo peccata ſpecie
diſtincta ratione obiectorum ſpecie diſtincto-
rum : & ex eo quòd ſunt contra duo præcepta,
quæ verſantur circa duo obiecta ſpecie diſtincta:
& propterea dicuntur etiam diſtingui ex obiectis.

Secundò infertur , quòd ſi furtum committa-
tur ad finem adulterandi , tunc furtum non dici-
6 tur vnum ſpecie peccatum; ſed duplex, & ſic duo
peccata ſpecie diſtincta : alterum ſcilicet furti
ratione proprij obiecti : & alterum adulterij ra-
tione finis , & diuerſæ rationis formalis . Et ſi
furtum etiam fiat ad finem committendi ince-
ſtum, committitur quoque peccatum inceſtus, &
ſic de ſingulis , atque ideò erunt tot peccata
ſpecie diſtincta, quot erunt rationes formales, &
deformitates : nam vnitas obiecti materialis po-
teſt cauſare diuerſa peccata iuxta diuerſas ratio-
nes formales , & deformitates , ob quas vnus
actus materialiter efficitur. Vt benè docet *Lorca
diſp. 13. de peccat.* & alij, quos refert, & ſequitur
Ioan. de Sal. 1. 2. tract. 13. diſp. 5. ſec. 6. & 7.

Quibus adde quæ habentur ex *P. Diana par.
1. tract. 7. de circumſt. reſol.* 23. qui licèt cum
7 communi velit circumſtantiam finis eſſe in con-
feſſione aperiendam , nihilominus putat poſt
alios ſatis eſſe ſi vno actu peccatum explicet, &
altero actu circumſtantiam finis peccati . Vt ſi
quis furtum commiſerit ad finem fornicandi,
ſufficit ſi in confeſſione dicat primò , furatus
ſum : & poſtea ſubiungat habui intentionem
fornicandi, etenim qui confitetur hoc modo ſuf-
ficienter explicat ſuum ſtatum , etiam ſi non ex-
plicet furtum ordinaſſe ad fornicationem , atque
ideò vnum peccatum ad aliud. Quæ quidem ſen-
tentia non placet *P. Alph. de Leone de offic. &
poteſt. confeſ. recoll. 8. nu. 41. cum duob. ſeq.* dum
negat circumſtantiam eſſe diſtinctum peccatum
à peccato , cuius eſt circumſtantia ; ſed vnum
tantùm peccatum committi , & licèt ſint plures
malitiæ diſtinctæ in peccato , & circumſtantia;
tamen diſtinctio eſt in malitijs , ſeù deformita-
tibus , non autem in culpa , ſeù peccato . Putat
tamen , pœnitentem poſſe confiteri circumſtan-
tiam diſtinctam à peccato , ſi fuerit confeſſus
8 peccatum, & oblitus confiteri circumſtantiam:
quæ regula non eſt vniuerſalis ; ſed locum ſibi
vendicat in peccatis, quæ poſſunt ſufficienter
intelligi ſine circumſtantia , & è contra , vt eſt
circumſtantia iuramenti, aut voti. Vndè qui con-
feſſus fuit ſe furtum commiſiſſe, & oblitus, quòd
iurauerit non furari , poteſt cùm fuerit recorda-
tus iuramenti, aut voti , confiteri ſolam circum-
ſtantiam, dicens, commiſi tot periuria, tot vici-
bus fregi votum, & ita intelligendum eſſe arbi-
tratur opinionem *Nauar. in Man. c. 6. nu. 20. &
in c. ſi cõſiderot. n. 116. de pœnit. d. 5. Petr. Sot. lect.
9. & Henriq. lib. 2. de ſacr. pœnit. cap. 5. nu. 5.* Et
denique ſi furtum committatur in loco ſacro ra-
tione circumſtantiæ loci committitur etiam
ſacrilegium ; quoniam violatur locus ſacer , vt
habetur ex *D. Thoma 1.2 q.72. art. 9.*

† Eſt tamen verum , quòd qui furatur rem ſa-
cram de loco ſacro ſatisfacit ſi in confeſſione
9 dicat ſe furtum commiſiſſe rei ſacræ; nec opus eſt
confiteri circumſtantiam loci ſacri : ſiquidem
vtraque illa circumſtantia ad eandem rationem
formalem virtutis religionis ſpectat, & ille con-
curſus rei ſacræ, & loci ſacri non multum variant
iudicium, nec notabiliter ſacrilegium aggrauat,
vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2.
lib. 4. cap. 5. nu. 21. in fin.* quem refert , & ſequi-
tur *P. Diana p. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 22.*

Tertiò infertur ex *Vaſq. 1. 2. tom. 1. in q. 77.
art. 6. diſp. 98. cap. 3. nu. 9. & 10.* quem refert, &
10 ſequitur *Sayr. d. cap. 5.* quòd frater Franciſca-
nus ſi non ieiunat die Veneris ſancti incidit in
duo peccata ſpecie diſtincta: nam peccat ratione
intemperantiæ contra præceptum Eccleſiæ : &
contra virtutem Religionis , cùm teneatur ieiu-
nare ex voto obedientiæ : & ideò licèt hoc caſu
multiplicentur præcepta circa eandem materiam
nihilominus talis multiplicatio prouenit ex di-
uerſo motiuo ad diuerſas virtutes : nam Lex Ec-
cleſiæ præcipit ieiunium die Veneris ſancti
propter virtutem temperantiæ : & regula Fran-
ciſcana obligat ad idem ieiunium , non ſolùm
propter virtutem temperantiæ; ſed etiam propter
virtutem Religionis ratione voti obedientiæ. Sic
etiam qui vouit , & iurauit ieiunare die Veneris
ſancti, ſi nõ ieiunat tria peccata committit ſpecie
diſtincta: ſiquidem licèt eadem ſit virtus tempe-
rantiæ in obſeruantia ieiunij voti, & iuramenti;
nihilominus tria ſunt motiua diſtincta : nam
præceptum Eccleſiaſticum ieiunij continet tem-
perantiam : votum obligat ad ſeruandam fidem

Deo: & iuramentum ad ſeruandam fidelitatem, & veritatem Dei, qui adductus eſt teſtis in iuramento, & ſic contrauenïens peccat contra virtutem temperantiæ, contra virtutem Religionis, & contra reuerentiam Deo debitam, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thoma 2.2.q.89. art.8.*

Quartò infertur, quòd non audiens ſacrum die Dominico, in quo venerit quoque Feſtum SS.
11 Apoſtolorum Petri, & Pauli, vel alterius ſancti de præcepto, vnam tantùm culpam contrahit, quia vnica eſt præcepti materia, nempè auditio Miſſæ, & vnum eſt motiuum virtutis Religionis ſanctificando feſta: vndè ſicut per auditionem vnius Miſſæ ſatisfit vtrique præcepto; ita etiam per tranſgreſſionem vnum tantùm committitur peccatum. Idem dicendum eſt de non ſeruante ieiunium occurrens in vigilia tempore Quadrageſimæ, vel quatuor temporum, cum ſit eadem materia ieiunij, & idem motiuum virtutis temperantiæ, & vnico ieiunio omnia illa præcepta impleantur, vt poſt *D. Thom.* & alios *Sanch. lib. 1. ſuæ ſum. cap. 14. nu. 6. & ſeq. Sayr. d. cap. 5. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 4. cap. 5. ſub nu. 21. P. Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 22.* vbi contra *Nauar.* & alios putat ſatiſfacere pœnitentem ſi dicat illo caſu, non audiui ſacrum die Dominico, nec opus eſt dicere in illo die incidiſſe feſtum illud, & *Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 8. cap. 7. nu. 22.* vbi nonnulla alia ad hanc rem pertinentia optimè cumulat. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

Species phyſicæ non ſpectant ad integritatem
12 confeſſionis ſacramentalis. Hæc concluſio eſt *Sot. in 4 d. 18. q. 2. art. 4. Petr. Sot. lect. 9. de confeſ. Coninch diſp. 7. de pœnit. dub. 2. Reginald. lib. 6. ſuæ prax. nu. 139. Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 8. cap. 7. nn. 15. cum plur. ſeq. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nn. 76. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 8. nn. 26.* vbi etiam allegat *Suar. & Bonac.* & teſtatur de communi. Etenim Confeſſarius cùm fungatur officio Iudicis, vt in *cap. verbum, de pœnit. d. 1.* non debet iudicium ferre de ſpeciebus entis, cùm id ad naturalem Phyloſophum pertineat; ſed de ſpeciebus pertinentibus ad mores: ſicut Iudices forenſis iudicij.

Ex hoc infertur, quòd peccans carnaliter cum diuerſis brutis ſpecie differentibus, licèt plura
13 peccata committat numero; nihilominus omnia illa peccata ſunt eiuſdem ſpeciei; quia omnia vnum ſpecie habent obiectum morale, in quo eſt deformitas eiuſdem ſpeciei; nempè beſtialitas: & ſpecies phyſicæ non ſunt ex ſe ſufficientes conſtituere differentiam ſpecificam in genere moris: & propterea ſatis eſt confiteri numerum peccatorum beſtialitatis, nec opus eſt ſpecies animalium exprimere, vt habetur ex *Caiet. 22. q. 184. art. 9.* quem Doctores communiter ſequuntur. Imò nec plures ſpecies phyſicæ ex ſe ſatis ſunt conſtituere plura numero peccata. Nam qui arcam furto ſubtraheret, in qua eſſent incluſa aurum, argentum, plumbum, & his ſimilia, vnum tantum numero peccatum committeret: quia licèt res illæ ſubtractæ ſint plures ſpecies phyſicæ, attamen vnum tantùm eſt obiectū morale, quia in eo eſt vna tantum deformitas vnius ſpeciei, nempè contrectatio rerum alienarum, inuito domino; & ſic vnica ſolùm actio: & propterea ſatis eſt ſi talis confiteatur, ſe commiſiſſe furtum bonorum tanti valoris, ſeu tot aureorum. Sic etiam homicidium commiſſum gladio, vel baculo, vnum dicitur ſpecie peccatum; quia vnam inuoluit malitiam moralem, nempè hominis prohibitam occiſionem; gladium verò, vel baculum ſecundum eorum naturam non habent, quòd rectæ rationi repugnent, cùm ſint ſpecies phyſicæ: & ideò non eſt opus, vt in confeſſione homicida exprimat, ſe hominem occidere gladio, vel baculo, ſed ſufficit, ſi dicat, occidiſſe hominem, vt habetur ex *Coninch. diſp. 7. de pœnit. dub. 2. & Vaſq. 3. par. tom. 4. de pœnit. q. 91. art. 1. dub. 1.* Et denique ſatis eſt ſi diuinans peccatum diuinationis confiteatur; nec tenetur dicere, ſe per aquam, ignem, vel per aſtra peccatum illud commiſiſſe: quia ſpecies illæ cum ſint phyſicæ ex ſe, & ſecundum eorum naturam non habent, vndè rectæ rationi repugnent, nec accipiunt diſſonantiam à recta ratione, vt per Doctores ſupra relatos, *P. Alph. de Leon. dict. recoll. 8. nn. 26. & 27.* † vide *nn. 4.*

SECVNDA CONCLVSIO.

Species morales peccati pertinent ad integritatem confeſſionis ſacramentalis. Hæc con-
14 cluſio eſt communis, vt probat *Vaſq.* poſt alios, *tom. 4. de pœnit. q. 91. art. 1. dub. 1. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 2. concl. 1. nu. 4. Coninch. de pœnit. diſp. 7. dub. 2. nu. 9. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. n. 77.* & alij. Probatur hæc concluſio primò ex noſtro canone vbi præcipiuntur omnia peccata confiteri: ergò ad integritatem confeſſionis ſpectat confeſſio peccatorum in ſpecie: quia non diceretur pœnitens omnia peccata confiteri, ſi eorum ſpecies non explicaret. Secundò probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi expreſsè ſtatuitur, omnia peccata in ſpecie, ac ſigillatim, & non in genere confiteri. Denique probatur ratione; quia dum Confeſſarius fungitur officio Iudicis, vt in *cap. verbum, de pœnit. d. 5.* nec non officio Medici, vt conſtat ex noſtro canone, in illis verbis, *Vt more periti Medici ſuper infundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, &c.* Non poſſet de peccatis iudicium ferre, nec proportionatam medicinam adhibere, niſi peccatorum ſpecies ſibi aperiantur. Confirmatur, quoniam in diuerſis culparum ſpeciebus ſunt quoque malitiæ ſpecie diſtinctæ: peccatum autem præcipuè aperiendum eſt propter malitiam; & propterea ſi diſtinctæ ſint malitiæ, diſtinctæ quoque aperiendæ ſunt. Ex quibus patet, ſatis non eſſe confiteri decem, aut viginti peccata mortalia commiſiſſe; ſed pœnitentem oportere confiteri peccatorum ſpecies, nempè furtum, homicidium, adulterium, & his ſimilia: atque ideò omnia peccata diſtinctè, ſpecificè, ſiuè ex obiecto, ſiuè ex fine, ſiuè ex circumſtantijs iuxta ea, quæ ſupra diximus: quibus adde quoque quæ traduntur ex *Fillinc. loco citato, nn. 79.* vbi hanc breuem regulam affert ad cognoſcendum peccata, quæ ſpecie diſtinguuntur, dicens primò, quòd ea, quæ ſunt contra diuerſa præcepta, habentia diſtincta obiecta ſpecie, diſtinguuntur ſpecie: ſecundò ſpecie quoque diſtinguuntur illa peccata, quæ licèt ſint contra idem præceptum; habent tamen diuerſam ſpeciem tùm phyſicam, tùm moralem,

vt paret

vt patet in primo precepto, ſub quo ſunt nonnulle ſpecies virtutis, nempè fides, ſpes, charitas: & ſub ſecundo votum, & iuramentum, &c. Tertiò diſtinguntur ſpecie peccata, quæ licèt habeant eandem ſpeciem phyſicam; detinent tamen diuerſam malitiam moralem, vel ratione finis, cùm quis furatur ad finem adulterandi, vel denique ex circumſtantijs, vt cùm furtum committitur in loco ſacro.

Ampliatur primò hæc concluſio, vt locum habeat non ſolùm quoad ſpecies peccati externi,
15 ſed etiam interni, cùm peccata interna habeant
etiam malitias ſpecie diſtinctas, vt deſiderium furandi rem ſacram, quod continet malitiam furti, & ſacrilegij, & ſic de alijs, vt habetur ex *Filliuc. tom.* 1. *qq. moral. tract.* 7. *de confeſ. ſub nu.* 77.

Ampliatur ſecundò hæc ipſa concluſio, vt vera ſit, ſiuè morales ſpecies multum, ſiuè parum
16 varient iudicium: quoniam non ob id eſt admit-
tenda exceptio à communi regula, vt contra *Caiet.* & alios docet *Suar. loco citato, nu.* 5. *& Vaſq. d. dub.* 1. & propterea ſpecies morales pertinent ad integritatem confeſſionis, etiam ſi multum non varient iudicium.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt peccatorum mortalium in ſpecie confeſſio tunc
17 pertineat ad integritatem confeſſionis ſacra-
mentalis, quando peccatorum mortalium in ſpecie recordatur pœnitens: ſecus autem ſi peccatorum in ſpecie non recordetur, ſed tantum in genere; quoniam tunc ſatis eſt ſi pœnitens dicat, ſe plura peccata commiſiſſe, cuius ſpeciei memoriam non habet, ſi vnius tantùm ſpeciei peccatum non recordetur: ſiquidem iudicium particulare tunc exigitur, quando haberi poteſt; prædictis autem caſibus haberi non poteſt, niſi generale tantùm, ergò illud ſufficit: & ita intelligitur *Conc. Trid. d. cap.* 5. *ſeſſ.* 14. dum vult peccata mortalia eſſe per ſacramentalem confeſſionem in ſpecie, ac ſigillatim, & non in genere Confeſſario aperienda: id enim intelligitur, quando in ſpecie, ac ſigillatim de eis confeſſio haberi poteſt; aliàs ſatis eſt, ſi fiat in genere; nam ad impoſſibile nemo tenetur, *l. impoſſibilium, ff. de regul. iur.* Hanc ſententiam tenent *D. Thom. in* 4. *d.* 21. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 3. *& art.* 2. *Io. Maior in* 4. *d.* 17. *q.* 3. *Nauar. in Man. cap.* 10. *nu.* 7. *Conynch. de ſacram. diſp.* 7. *dub.* 10. *Laym. in ſua ſum. Theol. lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 12. *nu.* 7. *Villalobos in ſum. tom.* 1. *tract.* 9. *difficult.* 34. *nu.* 3. *& Diana par.* 3. *ſuarum Reſol. tract.* 4. *de ſacram. reſol.* 67. *contra Can. Sot. Medin.* & alios exigentes in ſacramentali foro particulare peccatum: verum patet ſolutio ex dictis: exigitur enim particulare iudicium quando haberi poteſt. Quod quidem locum habet etiam in venialibus: nam ſi quis recordetur commiſiſſe peccata venialia, & eorũ non recordetur in ſpecie, ſed tantùm in genere. Imò non deſunt, qui velint, quòd qui non habent peccata mortalia, ſed tantùm venialia, ſatisfacit ea confitendo in genere dicens, ſe venialiter peccaſſe, non explicata ſpecie, vel numero peccatorum, ſed hæc ſententia meritò reijcitur à *Suar. Bonac.* & alijs relatis à *P. Diana loco citato circa finem.*

Secundò limitatur prædicta concluſio, vt tunc peccata in ſpecie pertineant ad integritatam con-
18 feſſionis, quando pœnitens ſciat diſcernere pec-
catorum ſpecies: aliàs ſi ignoraret, excuſaretur: quæ quidem excuſatio non ſolum poteſt eſſe iuſta ex parte pœnitentis; ſed etiam ex parte Confeſſarij, qui tenetur tantùm ſcire ſpecies communiores in ſingulis preceptis, vt poſt *Caiet. in ſuis opuſc. de confeſ. q.* 3. inquit *Filliuc. tom.* 1. *qq. moral. tract.* 7. *de confeſ. cap.* 4. *n.* 78. *& Laym. in ſua ſum. Theol. lib.* 5. *tract.* 6. *de ſacr. pœnit. cap.* 9. *ſub nu.* 5. qui quoad excuſationem pœnitentis exemplum ponit in Ruſtico, rudi, & imperito, qui ex ignorantia non craſſa peccatum ſolùm in genere, vel tantùm in ſpecie, ſed non ſigillatim, & ſecundum numerum confitetur; quia à Parocho ſuo nunquam de ea re fuerat inſtructus: is enim ſi ſufficienter erit ſaltem attritus, validè abſoluitur; cum obligatione tamen, vt ſi poſtea præceptum Diuinum de confeſſionis integritate cognoſcat teneatur peccata omnia mortalia ſpecie, & ſecundum numerum quoad fieri poteſt confiteri. Interdum autem, inquit idem *Laym.* ibi, ſi appareat magna ruditas Confeſſarius contentus eſſe poteſt enarratione peccatorum à proxima confeſſione commiſſorum: præcedentium autem, ſatis eſt ſi rudem aliquam habeat cognitionem, maximè ſi quamplurimorum confeſſiones eſſet auditurus: nam ruditas ipſius pœnitentis, & eiuſdem bona fides citra ignorantiam craſſam faciunt ipſum capacem abſolutionis, cùm ad perfectiorem diſpoſitionem hic, & nunc reduci non poſſit.

An peccatorum circumſtantiæ pertineant ad integritatem confeſſionis.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Circumſtantia quid ſit; vndè deriuatur, & eius diuiſio in phyſicam, & moralem.*

2 *Venenatio eſt delictum grauiſſimum; & venenans non venit appellatione homicida.*

3 *Circumſtantia morales quædam impertinentes, & quædam pertinentes.*

4 *Circumſtantia pertinentes quædam minuunt peccatum, & quædam aggrauant.*

5 *Voluntas, & propoſitum diſtingunt maleficia.*

6 *Furtum rei minimæ ratione paruitatis materia eſt veniale, niſi in re minima cadat affectio, aut in ea habeatur aliqua ratio intereſſe, n.* 11.

7 *Defenſio eſt de Iure naturali.*

8 *Circumſtantia quædam ita aggrauant, vt mutent peccati ſpeciem, & quædam aggrauant infra eandem ſpeciem.*

9 *Circumſtantia in humanis actibus ad quem numerum reducuntur.*

10 *Circumſtantias* quis *conditionem, & qualitatem peccantis denotat, & ſublimitat peccantium facit grauiora delicta.*

11 *Circumſtantia* quid *materiam peccati indicat, & explicatur.*

12 *Circumſtantia* circa quid *perſona circa quam peccatur indicat.*

13 *Stuprum voluntarium non conſtituit nouam ſpeciem peccati in conſcientia, & ſimplex fornicatio tantùm committitur; & quia virginitatis circumſtantia tàm in ſtupro, quàm raptu eſt in confeſſione aperienda.*

14 *Vir, qui prima vice virginitatem amiſit, non*

debet à confeſſario de hac circumſtantia interrogari, nec ipſe tenetur hanc ſui ſponte circumſtantiam confeſſario aperire.

15 Diuerſitatem graduum in peccato inceſtus, quidam volunt non cauſare diuerſas ſpecies peccatorum, ſed tantum grauare infra eandem ſpeciem, & ſucceſſiuè dictam circumſtantiam non pertinere ad integritatem confeſſionis, & quidem cauſare diuerſas ſpecies; & eas pertinere ad integritatem confeſſionis.

16 Circumſtantia graduum eſt in confeſſione aperienda ſaltem infra numerum, infra quam matrimonium eſt ab Eccleſia prohibitum; ſic etiam inceſtus ſpiritualis per copulam inter compatres, & commatres habitam, & confeſſarium, & eius filiam ſpiritualē quam audiuit in confeſſione.

17 Circumſtantia quibus auxilijs explicat inſtrumenta, media, & auxilia quibus peccata committuntur.

18 Inducens ad peccandum ad id paratos, non tenetur confiteri circumſtantiam inductionis.

19 Breuia in quibus adſunt characteres ſunt omninò damnata; & quæ citra ſuperſtitionem ferri poſſunt ad collum.

20 Circumſtantia vbi denotat locum, vbi peccatum committitur; & furtum rei non ſacræ à loco ſacro, tunc dicitur ſacrilegium ſi reperiatur in cuſtodia loci ſacri.

21 Sacrilegium contrahitur per voluntariam ſeminis humani effuſionem in Eccleſia, vel alio loco ſacro, ſiuè ſit inter coniuges, ſiuè ſolutos, & quando Eccleſia pollueretur.

22 Locus ſacer quis dicatur, & quando circumſtantia peccatorum, quæ in loco ſacro fiunt, ſunt aperienda in confeſſione, & locus purificatione indiget.

23 Extractio delinquentium ab Eccleſia eſt ſacrilegij crimen.

24 Iudex laicus poteſt ad Eccleſiam confugientes armis ſpoliare; non tamen in caſu grauiſſimo abſque Prælati licentia poteſt illos vinculis alligare.

25 Clerici non poſſunt armis defendere ad Eccleſiam confugientes, ne à Iudicibus laicis violenter inde extrahantur; poſſunt tamen fores claudere, claues denegare, & cenſuris vti.

26 Negotiationes rerum venalium ad vſus profanos, cognitio cauſarum ciuilium, vel criminalium à Iudicibus laicis, & alij profani vſus in loco ſacro fieri prohibentur; & quæ fieri poſſunt numerantur; & celebratio Miſſæ in loco non approbato habet rationem ſacrilegij.

27 Circumſtantia Cur cauſam finalem denotat, in qua duo actus concurrunt .ſ. finis, & electio medij, quod tripliciter eſſe poteſt.

28 Circumſtantia finis, & medij in peccādo quando in confeſſione aperienda.

29 Circumſtantia peccati commiſſi ex confidentia Dei non eſt opus explicari in confeſſione.

30 Committens peccatum aliquod reſeruatum, quod aliàs non eſſet commiſſurus ex confidentia Iubilæi, etiamſi excommunicationem habeat annexam lucratur Iubilæum; nam priuilegiū meretur ammittere qui ex ſpe illius peccat, quo ad forum externum, non internum.

31 Circumſtantia quomodo modum peccandi explicat, & aliquando traſfert actum in aliam ſpeciem.

32 Conſcientia erronea, vel eſt vincibilis, vel inuincibilis, & quando qui operatur contra conſcientiam erroneam vincibilem, vel inuincibilem, mortaliter, vel venialiter peccet explicatur.

33 Violenter cognoſcens nuptam tenetur violentiæ circumſtantiam confiteri.

34 Interimens inimicum ſi cor comedat, iecur extrahat, &c. tenetur feritatis circumſtantiam in confeſſione aperire, ſi huiuſmodi vehementia in actum externum prodijt, ſic etiam ſi in corde per aliquod tempus illa intentio ſteterit.

35 Circumſtantia conſuetudinis, vel occaſionis peccandi an ſit in confeſſione aperienda.

36 Circumſtantia quādo eſt temporis indicatiua.

37 Circumſtantia diei feſti non mutat ſpeciem peccati, nec illud intra eandem ſpeciem notabiliter grauat.

38 Circumſtantiæ impertinentes non ſunt de integritate confeſſionis, & ſunt omittendæ, cum debeat eſſe pura abſq; admiſtione hiſtoriarum.

39 Circumſtantia omnium malorum volitorum in ſpecie, in peccato odij eſt in cōfeſſione aperienda.

40 Obiectorum explicatio in delectatione moroſa quando in confeſſione eſt facienda, tàm de actibus venereis, quā de omnibus alijs peccatis.

41 Circumſtantia loci ſacri in furto rei ſacræ Virginitatis in ſtupro voluntario, delectatione moroſa, & ſodomia, ſcandali in inducente paratum ad peccandum, Clauſtri, & Monaſterij per copulam ibi habitam, vel ſtudij in omiſſione ſacri in die feſto non ſunt de integritate confeſſionis.

42 Proiiciens breuiarium in mare in diuturna nauigatione, & prætermiſerit recitare officium, quid teneatur explicare in confeſſione.

43 Cauſam dans omiſſioni, cauſam, non autem omiſſionem tenetur in confeſſione aperire.

44 Cauſa pollutionis præuiſa, ſed non intenta in ebrietate, aut nimia comeſtione eſt tantum in confeſſione aperienda, & non ipſa pollutio.

45 Circumſtantia loci ſacri diruti, ab hoſtibus capti, & ad prophanos vſus reducti, aut Eccleſiaſtico ſuppoſiti interdicti impertinens eſt.

46 Qui furatur coram Iudice, vel cum manifeſto periculo vitæ, non tenetur in confeſſione hanc circumſtantiam aperire. Quid dicendum de eo, qui alteri peccatum ſuadet cum periculo pœnæ mortis.

47 Profeſſus, vel in ſacris conſtitutus, ſi alium ſimiliter profeſſum, vel in ſacris conſtitutum tangendo ſe polluat, impertinens an ſit circumſtantia.

48 Sacerdos in peccato mortali exiſtens, ſi pluribus miniſtrat Euchariſtiam ab alijs conſecratam, impertinens eſt circumſtantia ad integritatem confeſſionis.

49 Circumſtantia voti ſimplicis emiſſi à religioſo profeſſo, vel clerico in ſacris de non committenda mollitie, ſeu fornicatione, impertinens quoque eſt.

50 Circumſtantiæ minuentes malitiam peccati infra eandem ſpeciem non ſunt de integritate confeſſionis, & licitè omitti poſſunt.

51 Circumſtantias minuentes malitiam peccati intra eandē ſpeciem valdè conuenit exprimere

52 Vxorem carnaliter in loco ſacro cognoſcens, tenetur omnino exprimere, vxoris circumſtantiam,

Digitized by Google

tiam, ad tollendam malitiam adulterij, & qaia pertinet ad Iudicium confeſſarij.

53 Locus ſacer licet capiatur ab hoſtibus, & prophanetur, non tamen ob id deſinit eſſe ſacer.

54 Cum Eccleſia eſt diruta, tunc locus deſiait eſſe ſacer quando nalla eſt ſpes adificatioais, vel authoritate Epiſcopi prophanatur.

55 Circamſtantia mutantes ſpeciem peccati; ſiuea augentes, ſinè minuentes ipſius malitiam ſine pertinent ad integritatem confeſſionis.

56 Alapam in publico alicui inferens ea intencione, vt alios ad ſimile peccatam inducat; tenetur circumſtantiam loci rationc ſcandali aperire.

57. Furtam ad finem adalterandi committeas tenetar finis circumſtantiam explicare, ſic etiam ſi eſt rei minima, aat notabilis.

58 Marmuratio, verba turpia, vel blaſphemia in Eccleſia, licet irrenerentiam loco ſacro inferant, aon conſtituant ſacrilegium.

59 Occidens clericum patans occidere laicum debet circumſtantiam laici explicare ad tollendum ſacrilegium.

60 Occidens Principem, magiſtratum, patrem, matrem ſuum, vel aniam teaetur has circumſtanciat aperire.

61 Clericum occidens, vel ſacram virginem violans, tenetur clerici, vel ſacra virgiait circumſtantiam aperire.

62 Circumſtantia mutantes ſpeciem peccati, tàm in actibus externis, quam internis ſunt in coafeſſione aperienda.

63 Circamſtantia matantes ſpeciem peccati venialiter non pertinent ad integritatē confeſſionis.

64 Circumſtantia nō multum grauantes mulitiam peccati iafra eandem ſpeciem non pertinent ad iategritatem confeſſionis.

65 Promotus ad ſacros ordines, & in aliqaa religione profeſſus peccatum carnis committens, ſatis eſt exprimere ia confeſſione ſe eſſe religioſum profeſſum.

66 Duplici vinculo alligatum ad caſtitatem ſ. voto profeſſionis, & ordinis ſacri, vtramque circumſtantiam teneri exprimere in incontinentia peccato docent; & qui contrarium ſentiaat.

67 Sacerdos peccans peccato incontineatiæ ſatiſfacit confeſſionis integritati, ſi coafiteatur ſe eſſe in ſacris conſtitutum.

68 Circumſtantium voti ſollemnis profeſſionis eſſe aotabiliter aggrauantem ſupra votū ſollemne ex ſacris ordinibus probabilior ſentcatia.

69 Status religioſi, eſt ſtatus ſublimioris ſanitatis, quam ſtatas clericoram ſecalarium.

70 Voto caſtitatis alligati, & ſunt profeſſi, vel in ſacris ordinibus conſtituti ſi peccatum incontinentia committant, non ſatisfaciunt confitendo ſe peccaſſe contra votam caſtitatis, ſed tenoatur explicare eorum ſtatum.

71 Epiſcopus in lapſum carnis iacideas cum ſit conſecratus non ſatisfacit dicendo ia confeſſione ſe fornicaſſe, aut adalteraſſe, ſed debet explicare circumſtantiam Epiſcopi.

72 Patres ſocietatis Ieſu etiam ſi votum bienaij dumtaxat emiſerint ſunt proprie religioſi, vt idem dicendum eſt de illis, quod de alijs religioſis.

73 Mulier peccans cam Sacerdote religioſo profeſſo, vel Epiſcopo in confeſſione tenetur exprimere circumſtantiam Epiſcopi, vel religioſi profeſſi.

74 Peccatum lethale committeas in die feſto quantumuis ſollemni, niſi peccatum committatur in contemptum feſtiuitatis, aon tenetur exprimere circumſtantiam talis diei.

75 Quantitas non eſt exprimenda in furto, niſi in ordine ad reſtitutioaem, vel ſi peccatum vltra aliquam ſummam eſſet reſeruatum ſuperiori.

76 Sententia putantium circumſtantias aggrauantes notabiliter malitiam peccati infra eandem ſpeciem non pertinere ad iategritatem coafeſſionis eſt valde probabilis.

77 Nimia duratio temporis in aliquo peccato multiplicat aumero peccatum.

78 Conſuetudo peccandi per modum habitus, aut occaſionis nō ſublata eſt in cōfeſſione aperiēda.

79 Circumſtantia gradaum eſt in confeſſione aperienda ſaltem quo ad lineam rectam, vel tranſuerſalem ſecundam aliquorum opinionē.

80 Inceſtus aon eſt ſpecies laxuria formaliter, ſed materialiter taatum, & in eo concarrunt dua deformitates ſpecie diſtinta.

81 Circumſtantia mollitiei, ſodomia, beſtialitatis, ac prapoſteri concubitus cam muliere, conſtituant diuerſas ſpecies peccati.

82 Voluntas occidendi plures vnico ictu, plura conſtituit numero peccata, ſicut & triplici ferro percutere.

83 Incitaas mulierem ad peccādum vnam tantum peccatum commiſit, pro vt qui malo ſao exemplo ad ſimilem ſpeciem peccati incitat.

84 Excedens valdè ordinarium modum peccati tenetur talem circamſtantiam in coafeſſione aperire.

85 Circumſtantia multiplicans peccata numero eo quod recipit duplicem malitiam eſt in confeſſione aperieada.

86 Interficiens plures homines vnico ictu tenetur explicare pluralitatem obiectorum, & idem in concupiſcente plures ſolutas.

87 Committens tria peccata fornicationis cum tribus fœmlais ſolutis ſatis eſt confiteri ſe ter fornicatum fuiſſe.

88 Iniuria, ſiaè differant ſpecie, ſiuè ſint eiuſdem ſpecici, ſi vna eſt altera aotabiliter graaior, ſunt diſtincta in confeſſione aperieada; ſic etiam detractiones.

89 Circumſtaatia vbi ita peccatum auget, vt eius ratione fiat reſeruatum, eſt in confeſſione explicanda.

90 Circumſtantia notabiliter aggrauant infra eandem ſpeciem ſi excommunicationem habet annexam eſt explicanda.

91 Iniuriam Principi, Patri, vel Sacerdoti inferens ratione enormitatis tenetur perſonarum circumſtantiam in confeſſione aperire.

92 Sententia eorum qui volunt circumſtantias notabiliter aggrauantes infra eandem ſpeciem mulitiam peccati pertinere ad integritatem confeſſionis eſt probabilior.

93 Surripiens mille aureos, ipſummet actum furti non explicat, niſi exprimat quantitatem illorum mille.

94 Circumſtantia mutantes ſpeciem, & notabiliter aggruuantes ideò neceſſariò ſunt in confeſſione explicanda, qaia mortaliter aggrauant, & in

actu

actu principali non explicantur; & exempla traduntur.

95 *Surripiens ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſacrilegium committit, prout qui Calicem ſurripit, non tamen ſatisfacit ſi confitentur ſacrilegium, omittendo circumſtantiam illam ſanctiſſimi Sacramenti.*

96 *Confeſſarius poteſt pœnitentem interrogare de circumſtantijs notabiliter aggrauantibus, & pœnitens tenetur reſpondere.*

97 *Infamans aliquem de peccato occulto, vel dicendo falſum tenetur peccati occulti, & falſitatis circumſtantias explicare.*

98 *Circũſtantia, quãdo ſint notabiliter aggrauantes maliciam peccati intra eandem ſpeciem relinquitur iudicio prudentis, & conſcientiæ præcipuè pœnitentis cognoſcentis exceſſiſſe ordinarium modum peccandi.*

99 *Circumſtantia ſtupri voluntarij eſt notabiliter aggrauans.*

100 *Negantes circumſtantias graduum conſanguinitatis, & affinitatis cauſare diuerſas ſpecies peccati, dicunt eſſe notabiliter aggrauantes, aut minuentes malitiam peccati intra eandem ſpeciem.*

101 *Fractio ieiunij propter eſum carnium, & ciborum non vetitorum ſæpius, licet ſit eiuſdem ſpeciei nihilominus eſus carnium notabiliter aggrauat.*

102 *Opinio vbi probabilis eſt de aliqua circumſtantia, quod differat ſpecie, tunc ſaltem erit circumſtantia notabiliter aggrauans.*

103 *Sponſus, vel ſponſa de futuro, ſi carnaliter peccent cum alijs, vel cum eis tenentur circumſtantiam ſponſalium confeſſario aperire.*

104 *Circumſtantia Epiſcopi, Generalis, nouitij, vel nouitiæ peccantium, & præſertim carnaliter eſt ſolum notabiliter aggrauans.*

105 *Confeſſarius carnaliter cognoſcens pœnitentem, tenetur in confeſſione aperire illam circumſtantiam pœnitentis.*

106 *Prælato præcipienti aliquid ſub præcepto obedientiæ, ſi ſubditus non obediat, tenetur in confeſſione aperire circumſtantiam præcepti obedientiæ.*

107 *Reliquias ſecum habens, ſi fornicatur, vel poſt peccatum illas ex beneuolentia amaſiæ donat tenetur etiam exprimere circumſtantiam reliquiarum.*

108 *Circumſtantia copulæ habitæ in Oratorio alicuius domus in quo miſſa de licentia Epiſcopi celebratur, vel in porta Eccleſiæ ex parte externa, vel in Monaſterio, & cellis religioſorum vbi ſit altare ad celebrandum, non eſt neceſſaria, vt in confeſſione aperiatur.*

109 *Vnus ex rationabili cauſa ſi vtatur opinione volentiũ circumſtantias nobiliter aggrauãtes nõ pertinere ad integritatẽ confeſſionis nõ peccaret, & quæ ſint rationabiles cauſæ.*

110 *Circumſtantia quotieſcumq; variat morale iudicium quamuis ex diuerſis principijs, eſt omnino exprimenda.*

111 *Fideles omnes timoratæ conſcientiæ ex communi, & antiquiſſimo vſu confiteri ſolent circumſtantias aggrauantes, licet non mutent ſpeciem.*

AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quod circumſtantia
1 à circumſtando deriuatur, eo quòd circumſtat eſſentiam actus humani, ad inſtar loci locatum, & tanquam accidens, quod ſubſtantiæ inhæret. Vndè meritò ea definiens *D. Thom. 1. 2. q. 7. art. 1.* ait, quòd eſt accidens actus humani attingens illum extrinſecè. Et ſicut ſuper ſec. diximus dari ſpecies phyſicas, & morales; ita etiam circumſtantias diuidendas eſſe cenſemus in phyſicas, & morales. Circumſtantia phyſica dicitur accidens actionis humanæ, quatenus naturalis eſt, non quòd actio humana ſit ſubſtantia; nam re vera eſt accidens, ſed reſpectu circumſtantiæ ſe habet ad modum ſubſtantiæ, quatenus illi actioni quaſi inhæret circumſtantia ſicut accidens ſubiecto, vt rotundo, vel quadrato vulnere hominem interficere. Circumſtantia verò moralis eſt accidens eiuſdem actionis humanæ, quatenus moralis eſt, vt hominem necare veneno, aut gladio in certamine occidere: ſiquidem hęc circumſtantia veneni non tantùm variat actionem ipſam moraliter; verùm etiam eiuſdem malitiam auget. Nam vt ait *tex. in l. 1. C. de Malef. & Mathem.* plus eſt hominem venenò extinguere, quàm gladio occidere. Hinc eſt,
2 quòd venenans non venit appellatione homicidæ, vt habetur ex *Saly. in d. l. 1. & Bartolom. de Capua in Conſtit. Regni*, quæ incipit *Conſtitutionem Diui Patris noſtri*. Ideò autem veneratio eſt delictum grauiſſimum, homicidio grauius, quia eſt occultum, & proditorium, vt per *Bald. in l. crimen fratrem, C. de his, quibus vt indig. in 1. not. & in l. nemo, col. 2. C. de ſum. Trin. & fid. Cathol.* latè *Gram. conſ. 36. nu. 2. & vot. 3. nu. 1. Marſil. in rub. ff. ad leg. Corn. de ſicar. nu. 3.* vbi rationem grauitatis huiuſmod criminis etiam aſſignat.

Secundò eſt adnot. quòd licèt circumſtantiarum moralium, de quibus erit noſtra tractatio,
3 variæ diuiſiones aſſignentur, vt videre eſt apud *D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 17. §. 5. Vaſq. in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 2. Suar. ibidem diſp. 22. ſec. 2. & 3. Nauar. in Man. cap. 6. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Reginal. lib. 6. ſuæ prax. nu. 127. vſque ad nu. 141. & lib. 14. à nu. 7. ad 21. Malder. tom. 2. de pœnit. tit. de circumſt. Fagnnd. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4. & 5. Molf. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 12. nu. 50. cum plur. ſeq. Filliuc. tom. 1. q. moral. tract. 7. de confeſ. art. 2. de breu. inſtr. pro confeſ. excip. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 8. nu. 4. cum plur. ſeq.* & apud alios; nihilominus eas omnes reſtringentes quoad fieri poteſt, ita commodè diuidendas eſſe cenſemus; vt circumſtantiæ quædam dicantur impertinentes, quæ ad augendam, vel minuendam malitiam peccati nõ pertinent, qualis eſt occiſio hominis ante, vel poſt prandium: vel albedo, vel nigredo hominis occiſi: etenim huiuſmodi circumſtantiæ, ante, vel poſt prandium, albedo, vel nigredo hominis occiſi ſunt omninò impertinentes ad augendam, vel minuendam malitiam homicidij. Quædam verò circumſtantiæ appellantur pertinentes, quæ ad peccati malitiam augendam, vel minuendam ſpectant.

Pertinentium circumſtantiarum duæ ſunt ſpe-
4 cies: nam quædam minuunt peccatum, & quædam

dam aggrauant. Circumſtantiæ peccatum mi-
nuentes ſunt in quadruplici differentia. Siqui-
dem quædam minuunt peccatum infra eandem
ſpeciem: quædam tollunt vnam malitiam relin-
quendo aliam: quædam minuunt mutando ſpe-
ciem: & quædam omninò tollunt malitiam pec-
cati. Exemplum circumſtantiarum primi modi
patet in iuuene fornicante cum pulcra: nam
leuius eſt fornicari cum muliere pulcra, quàm
cum deformi: ſiquidem ad pulcrum adeſt maior
impulſus ad peccandum, quàm ad deformem, vt
habetur ex *Medina 1.2.q.73.art.5. Sayr. lib. 2.
Clau. Reg. cap. 7. ſub nu. 7. in fin. & Molf. par. 1.
ſuæ ſum. tract. 8. cap. 2. nu. 50. & cap. 7. nu. 50.* vbi
id limitant verum eſſe, quando mulier pulcra
caſu occurreret iuuenis oculis, ſicut legitur *2.
Reg. cap. 11. de Dauid*, qui ambulans in ſolario
eleuauit oculos, & videns Berſabee, ab eius pul-
critudine captus fuit: ſecus autem ſi mulierem
pulcram quæreret ad peccandum. Sic etiam
puella, quæ graui egeſtate compulſa, aut mortis
metu perterrita iuuenē admiſit, leuius peccauit,
quàm ſi citra metum, aut egeſtatem aliquam illi
conſenſiſſet. Exemplum ſecundi datur in eo, qui
occidit Clericum exiſtimans occidere Laicum:
5 nam talis ignorantia tollit ab homicidio mali-
tiam ſacrilegij; eo quòd voluntas, & propoſitum
diſtingunt maleficia, *l. qui iniuria, ff. de furt. l. 1.
C. de ſicar. l. feliciſſimam, C. de adulter. cap. cum
voluntate de ſent. excom.* Etenim humanorum
actuum prima, ac potiſſima regula eſt agentis
voluntas, ac conſenſus, quo ſublato, omnis actus
redditur informis, atque indifferens, ac inani-
matus, *l. obligationum ſubſtantia, ff. de action.
& obligat. l. 2. C. de contrah. empt. & l. interpoſi-
tas, C. de tranſ.* Vndè iſte talis licèt occiderit
Clericum, dum exiſtimabat occidere laicum,
moraliter laicum tantùm cenſetur occidiſſe, atq;
ideò ſimplex homicidium dicitur commiſiſſe;
non autem ſacrilegium, cùm animum non ha-
6 buerit occidendi Clericum. Exemplum tertij
circumſtantiarum modi minuentis malitiam
peccati, patet in furto rei minimæ: quoniam licèt
furtum rei notabilis ſit grauis culpa ex ſuo ge-
nere; nihilominus furtum rei minimæ ratione
paruitatis materiæ eſt venialis; & ſic illa circum-
ſtantia paruitatis rei mutat furtum ex mortale
ex ſuo genere, in veniale, & in aliam ſpeciem, vt
bene declarat *D. Thom. 1.2. q. 78. art. 6. Nauar.
Suar.* & alij, quos refert, & ſequitur *Sanch. lib.
1. in Decal. cap. 4. Reginald. lib. 15. ſuæ prax. nu.
72. & Molſeſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 8. cap.
8. nu. 65. cum plur. ſeq.* vbi benè declarat, quæ-
nam dicatur materiæ leuitas, & quando excuſet
à peccato mortali; & quo caſu materiæ leuitas
non excuſet. Sic etiam imperfectio actus iudicij,
quod ex ſuo genere eſt mortale, transfert in ſpe-
ciem peccati venialis, vt ſunt primi motus vin-
dictæ, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thoma*
communiter recepto, *1. 2. q. 88. art. 6. in corp.*
7 Exemplum denique quarti modi præfatarum
circumſtantiarum dari poteſt de eo, qui occidit
hominem ad ſui defenſionem cum moderamine
inculpatæ tutelæ: nam illa defenſionis circum-
ſtantia tollit ab occiſione hominis omnem mali-
tiam, cùm defenſio ſit de iure naturali, *l. vt vim,
ff. de iuſtit. & iur. D. Thom. 22. q. 64. art. 7.* & in
eum *Caiet. Petr. de Arag. & Salon. Richar. in
4. d. 37. art. 3. q. 2. D. Anton. par. 2. tit. 7. cap. 8. §. 1.
Syl. in ſum. ver. Bellum, 2. q. 3. & in ver. Homi-
cidium, 1. q. & 5. Nauar. in Man. cap. 15. nu. 2.
Petr. Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 3. nu. 332. Sot. lib.
5. de Iuſt. & iur. q. 1. art. 8. Valent. tom. 3. diſp. 5.
q. 8. pun. 4.* & alij apud *Sayr. lib. 7. clau. Reg. cap.
10. nu. 13. & 14. & Molf. par. 1. ſuæ ſum. tract. 1.
cap. 17. num. 23. & tract. 11. cap. 19. nu. 89. & 90.*
vbi cum *Sayro*, & alijs addit etiam licitum eſſe
ad propriæ vitæ defenſionem aliquem occidere,
etiam ſi occidens ſciat occidendum eſſe in lethali
culpa moriturum: ſiquidem agreſſus vtitur iure
ſuo, & malum, quod agreſſor patitur, ſibi im-
putatur, cùm ſua culpa ipſi proueniat. Quas autē
circumſtantias exigat moderamen inculpatæ
tutelæ, vt defenſio inculpabiliter dicatur fieri
benè, declarat *Molſeſ. d. cap. 19. à nu. 91. vſque
ad nu. 109.*

Circumſtantiæ verò quæ culpam aggrauant,
adhuc dupliciter inter ſe differunt: nam quædam
8 ita aggrauant, vt peccati mutent ſpeciem. Vt
peccatum incontinentiæ cum ſoluto, & ſoluta,
eſt ſimplex fornicatio; ſed cum nupta, eſt adul-
terium, & cum conſanguinea, vel affine eſt in-
ceſtus. Quædam verò aggrauant peccatum infra
eandem ſpeciem. Et harum ſimiliter aliæ nota-
biliter aggrauant; aliæ verò notabiliter non
aggrauant; in quibus cognoſcendis certa regula
dari non poteſt: & propterea *Suar. in 3 par. tom.
4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 3. n. 12. Coninch. de pœnit.
diſp. 7. nu. 14. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de
confeſ. cap. 4. nu. 9.* Et alij dicunt, quòd præcipuus
teſtis huiuſmodi grauitatis eſt conſcientia ipſius
peccantis; quæ ſi eundem accuſet, quòd exceſ-
ſerit ordinarium modum peccādi, & recognoſcit
in actu notabilem grauitatem, ac deformitatem,
tunc ſignum eſt circumſtantiam illam eſſe nota-
biliter aggrauantem: at ſi in actu notabilem de-
formitatem non agnoſcit, tunc ſignum eſt, hu-
iuſmodi circumſtantiam non augere malitiam
peccati notabiliter infra eandem ſpeciem, vt
exemplum dari poteſt de eo, qui veſcitur carni-
bus die Veneris tempore ieiunij; ſed in die Ve-
neris ſancti, vt rectè declarat *Suar. loc. cit. n. 17.*

Tertiò eſt adnot. quòd licèt *Cic. in ſua Rethor.*
omnes ſupradictas circumſtantias in humanis
9 actibus reducat ad ſeptem, ſub his dictionibus
comprehenſas, nempè, *Quis, quid, quibus auxi-
lijs, vbi, cur, quomodo, quando*; Nihilominus
Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 1. addit octauam, videlicet
Circa quid, quam circumſtantiam *D. Thom. 1.
2. q. 7. art. 3.* inquit à Cicerone fuiſſe comprehen-
ſam ſub illa circumſtantia, *Quid*, Alij denique
addunt nonā circumſtantiā, nempè, *Quoties*. Sed
circumſtantia iſta ad numerū peccatorum refer-
tur, vt poſt alios ait *Nauar. in Man. c. 6. n. 2.* nec
non ad conſuetudinem peccandi quæ peccatum
aggrauat, vt habetur ex *D. Anton. 3. par. tit. 17.
cap. 17. §. 4.* verùm quia numerus refertur ad
actionem, non autem ad obiectum actionis, vt
ait *D. Anton. loco citato*, idcircò Doctor. com-
muniter circumſtantias peccati ad illas ſeptem,
vel octo; qui nolunt circumſtantiam, *Circa quid*,
comprehendi ſub circumſtantia, *Quid*, reducen-
das eſſe putant, vt videre eſt apud *D. Thom. 1. 2.
q. 18. art. 3. 10. & 11. & q. 72. art. 9. Bartho. Med.
1. 2. q. 7. art. 2. & in ſum. lib. 1. cap. 9. §. 1. & 2.
Valent. tom. 2. diſp. 2. q. 2. Petr. Sot. lect. 5. de*

peccator. diſcrim. Ioſeph Angl. in Florib. par. 2. diſt 37. q. 3. art. 5. & 23. q. 8. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 4. Reginald. lib. 6. ſua prax. nu. 133. cum ſeq. & latius *lib. 14. toto. Syluesſt. in ſum. ver. Circumſtantia, tab. eo. ver. Coninch. diſp. 7. de pœnit. nu. 17. & ſeq. Molf. p. 1. ſua ſum. tract. 7. à nu. 63. ad* 81. incluſiuè, *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. Canoniſtas in cap. conſideret de pœnit. d. 5.* & apud alios, quos refert *Sayr. lib. 2. clau. Reg. cap. 3. ſub nu. 6. & ſeq.* vbi latè hanc materiam pertractat, & fuſius *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 4. cap. 1. 2. 3. 4. & 5.*

Denotat autem circumſtantia, *Quis*, vt ſufficienter circumſtantiarum materiam explicemus,
10 conditionem, & qualitatem perſonæ peccantis. Etenim ſi laicus ſolutus cum ſoluta incotinentiæ peccatum committat, vnam tantùm fornicationis culpam contrahit: ſed ſi vxorem habeat, incidit inſuper in adulterij crimen, & ſi coniugalem caſtitatem vouerit, efficitur quoque ſacrilegij reus: & ſi tandem ſit perſona publica addit malitiam ſcandali: ſiquidem quò gradus altior, eò caſus eſt grauior, *cap. principium, de pœnit. d. 2. cap. homo, 40. d.* & grauiora delicta facit ſublimitas peccantium, *cap. nullis fas, 25. q. 1.* atque ideò vnico actu committit quatuor peccata ſpecie diſtincta: ſiquidem quando Theologi dicunt, quòd circumſtantia mutat ſpeciem peccati, non intelligunt ex vno peccato fieri aliud, vt aliqui malè arbitrantur; ſed vnam, eandemque actionem propter circumſtantiam ſuperuenientem eſſe plura peccata: & circumſtantiam mutare ſpeciem nihil aliud denotat, niſi quod illa, quæ reſpectu actionis naturalis erat circumſtantia, in genere morum mutat ſpeciem, vt furari ad finem fornicandi, finis ille reſpectu furti eſt tantum circumſtantia; ſed reſpectu morum non eſt circumſtantia, ſed integrum, ac diuerſum peccatum, vt poſt alios docet *Molf. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 12. nu. 56.* Hinc ait *Diana par. 1. ſuarum reſol. tract. 7. de circumſt. reſol. 23.* ex mente aliquorum, quòd qui furtum committit ad finem mœchandi, ſatis eſt ſi vno actu in confeſſione peccatum furti explicet, & altero actu circumſtantiam finis peccati, dicens primò furatus ſum: & poſtea ſubiungat, habui intentionem mœchandi: nam hæc ſunt duo peccata diſtincta; & qui confitetur hoc modo ſufficienter explicat ſuum ſtatum, etiam ſi non explicet furtum ordinaſſe ad mœchiam, atque ideò vnum peccatum ad aliud. Quæ quidem ſententia non placet *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recol. 8. nu. 41.* cuius ſententia nobis videtur probabilior, vt ſupra diximus *ſec. 2. illat. 2.*

Circumſtantia, *Quid* peccati materiam indicat.
11 Nam qui furatur rem prophanam ſimplex furtum committit: qui verò rem ſacram, furto ſacrilegium addit, eſt tamen verum, quòd ſi rem ſacram è loco ſacro ſurripiat, ſatis eſt ſi in confeſſione dicat, ſe commiſiſſe furtum rei ſacræ, nec opus eſt confiteri circumſtantiam loci ſacri: ſiquidem vtraque illa circumſtantia ad eandem rationem formalem virtutis Religionis ſpectat, & propterea nõ ſunt duo ſacrilegij peccata ſpecie diſtincta, & ille concurſus rei ſacræ, & loci ſacri non multum variat iudicium, nec notabiliter ſacrilegium aggrauat, vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. cap. 5. nu. 21.* quem refert, & ſequitur *P. Diana par. 1. Reſol. tract. 7. de circumſt. reſol. 22.* Qui rem notabilem ſurripit, lethalem culpam contrahit: qui denique minimam, leuem, niſi in re minima cadat affectio, aut in ea habeatur aliqua ratio intereſſe, vt ſi quis pomum in pomario Diuitis, aut acum ſutori ſubtraxerit, qui aliam non habeat, nec ad emendam inueniat, iuxta ea, quæ habentur ex *Syl. in ſum. in ver. Furtum, q. 2. & Nauar. in Man. cap. 11. nu. 4. & cap. 17. nu. 2.* Item prædicta circumſtantia actionis ſubſtãtiam explicat, atque ideò ipſum peccatum: an ſcilicet ſit homicidium, furtum, adulterium, &c. Et ſi iniuria ſit in fama, in perſona in bonis. Item circumſtantia ipſa poteſt explicare qualitatem perſonæ, in quam peccatur, de qua re ſeiunctim tractabimus in circumſtantia, quæ mox, ac immediatè ſequitur, quam *D. Thom.* & nonnulli alij volunt comprehendi ſub eadem circumſtantia, *Quid.*

Circumſtantia, *Circa quid*, perſonam, circa
12 quam peccatur, oſtendit. Etenim qui laicum ſimplicem, ac priuatam perſonam interficit, ſimplex homicidium committit, *l. 1. ff. ad l. Cornel. de ſicar.* Si Principem, vel eiuſdem Magiſtratum occiderit, aut aliquid contra Remp. molitus fuerit, in crimine læſæ Maieſtatis incidit, *l. 1. & toto tit. ad leg. Iul. Maieſt.* Si verò Patrem, Matrem, Auum, Auiam, &c. parricidij reus efficitur, *l. 11. & l. pœna, ff. ad leg. Pomp. de Paricid. & in Inſtit. de publ. Iudic. §. alia:* & denique ſi fuerit Clericus, ſacrilegium contrahit. Item qui contra ſolutam mulierem intemperantia vtitur, ſimplicem fornicationem patrare dicitur: qui contra conſanguineam, vel affinem, inceſtum: qui contra Virginem non ſacram ſimplex ſtuprum. Eſt tamen verum, quòd licèt omnes ſupradictæ circumſtantiæ mutent peccati ſpeciem; nihilominus *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 4. nu. 3. cum ſeq. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 128. Petr. Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 3. num. 433. Coninch. diſp. 7. de pœnit. dub. 7. nu. 19. Molf. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 12. nu. 70. Sanch. lib. 7. de matr. diſp. 4. nu. 5. Vaſq. 1. 2. q. 74. art. 8. & diſp. 112. nu. 1. & 3. Leſſ. tom. 1. de Iuſt. & iur. lib. 2. de iniur. per ſtuprum, cap. 10. dub. 1. nu. 5. Bellan. tom. 2. de ſacram. & cenſur. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 4. nu. 19. Salas in 1. 2. tom. 2. tract. 3. diſp. 14. nu. 5. Tanner. in 12. diſp. 4. num. 8. Dian. par. 1. ſuar. Reſol. tract. 7. de circumſt. reſol. 11.* & alij contra *Martin. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 8. Sayr. lib. 8. clauis Reg. cap. 4. nu. 4.* & contra nonnullos alios relatos à *Diana loco citato*, volunt ſtuprum vo-
13 luntarium non conſtituere nouam ſpeciem peccati incontinentiæ; ſed tantùm differre tanquam primum peccatum à ſubſequentibus: atque ideò dum virgo voluntariè in ſui deflorationem conſentit, ſimplicem tantùm fornicationem committit: & propterea non eſt interroganda mulier, quæ confitetur peccatum incontinentiæ ad declarandam circumſtantiam ſtupri; ſicut nec ſtuprans, niſi ſtupro ſit adiuncta violentia, quia id nullibi reperitur expreſſum: & multo minus virgo, quæ moroſè delectatur circa aliquem, tenetur in confeſſione aperire circumſtantiam virginitatis: ſicut nec iuuenis, qui moroſè delectatur de virgine citra voluntatem inferendi ei violen-

violentiam: & ſi ſodomiam commiſit cum virgine, nec obligatur aperire confeſſario circumſtantiam virginitatis, ſed ſatis eſt ſi dicatur, commiſſam fuiſſe cum fœmina: nam per huiuſmodi crimen non violatur clauſtrum virginale, vt poſt alios habetur ex *Diana loco citato*, & alijs præſertim *Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 30. cap. 3. nu. 74. Reginal. & Molſ.* vbi ſupra, qui *nu. 72. & tract. 8. cap. 8. nu. 188.* quoniam contrariam ſententiam exiſtimat eſſe communem, & tutiorem, vt latè habetur per *Fagund. de præcep. Eccleſ. precep. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 12. cum plur. ſeq.* conſuluit in caſu deflorationis virginis melius eſſe circumſtantiam illam confiteri: ſiquidem maritus futurus graue damnum patietur ex illa dedoratione, & magna parentibus, & conſanguineis infertur iniuria. Imò licèt ſtuprans violenter præcibus importunis, aut falſis ſuaſionibus, & promiſſionibus teneatur ſtrupatam virginem dotare citra omnem controuerſiam, nihilominus non deſunt, qui velint ad dotandam obligari etiã voluntariè defloratam, ſi non de iuſtitia iuxta commnnem ſententiam, ſaltem ex charitate, vt habetur ex *Sayr. lib. 8. clau. Reg. cap. 4. num. 9. Reginald. lib. 22. ſua prax. nu. 23. & Molſ. d. cap. 8. nu. 189.* Illud autem circa præfatam virginitatis circumſtantiam nolo ſilentio eſſe prætereundum, quod addit idem *Diana d. reſol. 11. in fin. ex Filliuc. loco citato*, nempè, quod etiam conceſſa ſententia eorum, qui putant circumſtantiam virginitatis mutare ſpeciem peccati, ſeù conſtituere nouam ſpeciem, ſi virgo ſola polluatur, eam non teneri explicare circumſtantiam virginitatis quoniam licèt per illam pollutionem perdatur virginitas prout eſt virtus; non tamen prout dicit integritatem ſignaculi. Hanc eandem ſententiam tenet *Molſ. d. cap. 8. nu. 191. Bonac. de matr. q. 4. par. 17. nu. 2. verſus finem, & P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 9. num. 105.* Qui addit etiam ſub *num. 104. verſ. Contraria ſententia*, quod licèt circumſtantia virginitatis ſecundum communem opinionem mutet ſpeciem tàm in opere externo, quàm interno; nihilominus de huiuſmodi circumſtantia à Confeſſario non eſt interroganda puella, ne ex pudore mendacium dicat in confeſſione.

† Et multo minus vir, qui prima vice virginitatem ammiſit debet à Confeſſario de huiuſmodi circumſtantia interrogari: ſiquidem non tenetur hanc ſui floris circumſtantiam in confeſſione aperire, quia eiuſmodi circumſtantia parum
14 variat iudicium ſacramentale, vt habetur ex *Azor. 3. par. Inſt. moral. lib. 3. cap. 11. q. 2. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 4. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 29. cap. 3. nu. 7.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Dian. par. 1. reſol. tract. 7. de circumſt. reſol. 10. contra Nugnum in addit. ad 3. par. D. Thom. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 5.* dum ait, quòd etiam vir in illo actu ammittit quandam integritatem naturalem, & formaliter virginitatis virtutem, eiuſdemq; Laureolam, quæ pertinet ad ipſius virginis gloriam: quòd damnum eſt irreparabile. Ad quod argumentum licèt *Diana* poſt alios reſpondeat, quòd ſi ratio Nugni vera eſſet, idem dicendum foret de primo peccato commiſſo poſt Baptiſmum; nam per illud deperditur ſtatus innocentiæ Baptiſmalis, quod nullus docuit; nihilominus huiuſmodi reſponſio non eſt citra difficultatem aliquam: ſiquidem vir eo caſu perdit virginitatis aureolam irreparabiliter: non ſic primum peccatum contrahens poſt Baptiſmum, nam per pœnitentiam reintegratur. Vndè videtur poſſe aliter reſponderi, nẽpè quod licèt vir ammittat virginitatis aureolam irreparabiliter; nemini tamen facit iniuriam: & ammiſſio aureolæ, vt ſic non eſt culpa aliqua, ſed damnum, quod quis ſua culpa patitur: aliàs qui ducit vxorem, & prima vice cognoſcit eam, lethalem culpam contraheret, ex eo quod irreparabiliter virginitatis aureolam ammitteret.

Quæ diximus de circumſtantia virginitatis extendimus ad circumſtantiam raptus; ſiquidem ſi virgo cõſentiat in raptu, quamuis parẽtes diſſentiant, & tutores, ac ij, qui loco parentum ſunt, ſolùm erit fornicario, vel furtum ſimplex: nec eſt circumſtantia in confeſſione aperienda, vt rectè declarant *Fagund. loco ſupra relato, nu. 22. Leſſ. lib. 2. de Iuſtit. & iur. cap. 10. dub. 1. Sanch. de matr. tom. 2. lib. 7. diſp. 4. num. 5. & Dian. par. 1. reſol. tract. 7. de circumſt. reſol. 37.* qui propterea inquit, eas non teneri, nec debere Confeſſarios huiuſmodi puellas raptas interrogare, an virgines ſint: nec corruptores tenentur circumſtantiã ſtupri, vel raptus explicare, niſi cùm violenter, ac repugnantem virginem deflorant, ac rapiunt, vt patet ex ijs, quæ habentur ex *Sot. lib. 4. de Iuſt. & iur. q. 7. art. 1. ad 2. Graff. lib. 2. deciſ. cap. 79. nu. 13. Suar. & Petro Nauar. locis citatis.* Eſt tamen verum, quòd ſi parentes, tutores, &c. actu diſſentiant raptui, quamuis virgo conſentiat, talis circumſtantia eſt in confeſſione aperienda, quoniam tunc eis fit manifeſta vis, atque iniuria, ſicut dicitur de virgine deflorata, inuitis parentibus, vt habetur ex *Fagund. d. cap. 3. num. 22. Diana d. reſol. 37.* & ex alijs.

Ad eamdem circumſtantiam reducuntur gra-
15 dus conſanguinitatis quoad peccatum inceſtus: in qua re Doctores non ſunt concordes. Nam quidam volunt, diuerſitatem graduum non cauſare diuerſas ſpecies peccatorum, ſed tantùm aggrauare infra eandem ſpeciem, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 154. art. 9. Caiet. tom. 1. opuſc. tract. vlt. dub. 1. Sot. in 4. d. 16. q. 1. art. 4. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. 22. ſec. 4. nu. 7. Ledeſ. 2. par. 4. q. 8. art. 4. dub. 5. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 1. dub. 4. nu. 18. Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 11. p. 1. Conynch. de ſacram. diſp. 7. dub. 3. nu. 13. & 21. Sayr. lib. 8. clau. Reg. cap. 4. nu. 3. Rodriq. in ſum. par. 1. cap. 207. nu. 3. Reginal. tom. 2. ſua prax. lib. 22. cap. 2. ſec. 5. nu. 27. Nauar. in Manuali cap. 16. nu. 3. Gyptio de caſib. reſeruat. cap. 8. nu. 5. Nugno in 3. par. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 1. Flam. in 3. par. methodi, cap. 8. §. 19. Diana par. 1. reſol. tract. 7. de circumſtant. reſol. 31. Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 5. ſec. 2. par. 2. §. 3. difficul. 3. num. 9.* cum alijs, quos allegant, & hanc opinionem probabilem putat *Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 30. cap. 5. nu. 97.* Alij verò putant, diuerſitatem graduum inceſtus cauſare diuerſas ſpecies peccatorum. Ita *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. vlt. reſp. 1. & in ſum. ver. Inceſtus, Nauar. in Man. cap. 17. n. 4. & in addit. ad ſum. Hyſpanam cap. 6. nu. 2. & in cap. conſideret nu. 12. Briſſonius lib. 9. de verb. ſignif. ver. Inceſtus, Bernard. Dias pract. cap. 36. Couar. 2. p. ſponſal. cap. 6. §. 8. nu. 1. Angel. ver. Confeſſio, 1.*

§. 3. & alij quamplurimi. Vndè qui tenent primam ſententiam, & circumſtantias aggrauantes non pertinere ad integritatem confeſſionis, atq; ideò non obligari pœnitentem ad illas confitendas, ſatis eſſe volunt, ſi ille qui cum ſorore peccauit, dicat, commiſi inceſtum ſemel, vel bis, &c. non explicando perſonam ſibi coniunctam. Et licèt grauius ſit inceſtus cum filia, vel matre, quàm cum ſorore, vel nepte, vel conſobrina vxoris; tamen quia huiuſmodi grauitas auget malitiam intra eandem ſpeciem non eſt neceſſariò in confeſſione aperienda, vt per *Dianam loco citato*, & alios. Qui verò tuentur ſecundam opinionem, atque adeò docent, diuerſitatem graduum cauſare diuerſas ſpecies peccatorum, conſequenter volunt, quòd qui ſororem, filiam, vel ſororem vxoris, vel neptem cognouit, ſatis non eſſe ſi dicat peccaui cum affine, vel conſanguinea, vel cum vna aſcendentium, vel deſcendentium, &c. ſed debet explicare circumſtantiam perſonæ ſibi coniunctæ, dicens ſe peccaſſe cum filia, ſorore, nepte, vel ſorore vxoris, &c. Imò ſi peccauit cum matre, non ſatisfacit dicens ſe peccaſſe cum vna in primo gradu conſanguinitatis, vt habetur ex *Fagund.* & ex alijs, quos ipſe refert *de precep. Eccl. precep. 2. lib. 4. cap. 3. nu.* 26. vbi id verum eſſe ait non ſolùm in inceſtu commiſſo cum conſanguineis in primo gradu, nempè cum matre, filia, & ſorore; ſed etiam in inceſtu commiſſo cum affinibus primi gradus, vt puta cum priuigna, cum nouerca, cum ſocero, cum genero; quod verum putat ibi, *nu.* 27. niſi periculum adeſſet de graui matris ſororis, filiæ nouercæ, ac priuignæ infamia, vt quia Confeſſarius huiuſmodi perſonas agnoſcit; quoniã tunc ſatis eſſet cõfiteri ſe inceſtuoſum fuiſſe in primo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, ita *Henr. lib. 2. de pœn. c. 8. §. 1. ad marg. lit. F. Sà ver. Confeſſio n. 20. Angel. ver. Cõfeſſio, 1 n. 4. Syl. co. ver. n. 8. & Nauar. in Man. latino c. 7. n. 3.* Cæterum quoad inceſtum in primo, vel ſecundo gradu affinitatis lineæ collateralis, nempè cum ſorore vxoris, aut prima germana illius, ait ipſe *Fagund. loco citato, nu.* 28. ſufficere, ſi pœnitens in confeſſione dicat, commiſi inceſtum in primo, vel ſecundo gradu affinitatis lineæ collateralis: ſiquidem huiuſmodi gradus non continent tàm ſpecialem deformitatem, vt habetur ex *Corduba in ſum. quaſt. 2. §. Lo tacere, fol. in 4. d. 40. q. 1. art. 4.* & clarius *d. 18 q. 2. art. 2. q. 7.* Imò idem *Corduba* vbi ſupra, relatus à *Fagund. d. cap. 3. nu. 29. & 30.* Hoc ipſum putat dicendum fore de confeſſione tactuum impudicorum inter huiuſmodi conſanguineos, & affines de mediatoribus, ac ſollicitantibus, quod dè copula, ac de inceſtu dictum fuit: etenim quamuis actus impudici non cauſent inceſtum, nec per illos contrahatur affinitas, quæ dirimat, vel impediat matrimonium; tamen quoad peccatum reducuntur huiuſmodi tactus ad inceſtum tanquam diſpoſi-
16 tiones. Adde quòd etiam tenentes diuerſitatem graduum non cauſare diuerſas peccatorum ſpecies, volunt circumſtantiam illam ſaltem eſſe aperiendam quoad lineam, an ſcilicet inceſtus commiſſus fuerit cum conſanguinea in linea recta, vel tranſuerſali, & in illis quoad gradum primum ad minus. Imò probabilius nobis videtur, cæteros quoque gradus eſſe aperiendos ſaltem intra numerum, infra quem matrimonium eſt ab Eccleſia prohibitum: ſiquidem multum variat iudicium, ac deformitatem, & poteſt facile fieri, nec adeſt iuſta excuſationis cauſa, vt habetur ex *Nauar. d. cap. 17. ſub nu. 4.* & idem dicendum puto de inceſtu commiſſo contra affines ex copula illicita, inter quos prohibetur matrimonium in primo, & ſecũdo affinitatis gradu, & non vltra, vt per *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 4.* Et cum committatur inceſtus ſpiritualis cum filia Baptiſmi, & confirmationis per copulam inter compatres, & commatres habitã, eò quòd inter eos contrahitur cognatio ſpiritualis, & impeditur matrimonium, hæc circumſtantia ſimiliter eſt in confeſſione aperienda; ſicut aperienda eſt circumſtantia concubitus habiti inter Confeſſarium, & filiam eius ſpiritualem, quam audiuit in confeſſione, vt rectè declarat *Fagund. d. cap. 3. à nu. 33. vſque ad fin.* vbi plura quoque tradidit de Sacerdote audiente confeſſionem eius concubinæ: & *nu.* 31. nonnulla quoque tractat de ſollicitatione facta à Sacerdote in actu confeſſionis, & de reuelatione facienda à ſollicitata, quæ hodie non ſubſiſtunt, ſtante Bulla Greg. XV. vt latius, Deo duce, ſuo loco dicemus. Quibus adde, quæ habentur ex *Diana p. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 12.* vbi contra nonnullos tenet circumſtantiam filiæ ſpiritualis non pertinere ad integritatem confeſſionis: quod an ſit verum, latius infra declarabimus, & *reſol. 56.* tractat quoque de circumſtantia concubitus habiti inter Confeſſarium, & eum, quem audiuit in confeſſione.

Circumſtantia verò, *Quibus auxilijs*, inſtrumenta, auxilia, ac media, quibus peccatum com-
17 mittitur, explicat. Etenim ſi quis induxerit aliquem ad homicidium committendum ſimul, non ſolùm homicidij efficitur reus, ſed etiam addit circumſtantiam ſcandali. Sic etiam, ſi quis ſortibus, diuinationibus, aut maleficijs ex curioſitate vtatur ad ſciendum futura, ad conquirendas res aliquas deperditas, & his ſimilia, peccat mortaliter; quoniam licèt curioſitas non ſit pluſquam peccatum veniale; nihilominus ſortium vſus diuinationes, & maleficia omninò reprobantur, vt in *cap. 1. & 2. & ibi Gloſ. & Doctor. 26. q. 1. & cap. ſors, 25 q. 1. & cap. 1. & 2. de ſortil.* Idem dicendum eſt de ſoluente maleficio alio maleficio: nam quamuis ſoluere maleficium ſit bonum; nihilominus medium eſt malum, & propterea non eſt licitum petere maleficium ſolui alio maleficio quantumuis parato, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 34. q. vnica, art. 3.* & eſt *text. in cap. admoneat, & cap. non obſeruetis, 26. q. 7.*
18 latè *Sanch. lib. 7. de matr. diſp. 95.* Eſt tamen verum. quòd *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 4. cap. 5. nu. 3.* ait quòd inducens aliquem ad tollendum maleficium alio maleficio, qui ſit paratus illud tollere, non tenetur confiteri peccatum inductionis, atque adeò ſcandali, quia moraliter loquendo non eſt cauſa ſcandali, nec multum variat iudicium Confeſſoris; ſed tantum tenetur confiteri aditionem malefici, & peccatum maleficij, cùm ſit contra virtutem Religionis, & contra primum præceptum Decalogi. Hoc ipſum inquit, *nu.* 1. dicendum eſſe de eo, qui inducit ſocios, & mediatores paratos ad peccatum; atque ideò qui vtitur expoſita meretrice, &

ſocio

ſocio parato ad furtum, & ſi ad hunc ſingularem actum furti, aut fornicationis inducar, nõ oportet confiteri, niſi peccatum fornicationis, vel furti, vel mente conceptum, vel opere exercitum: nec circumſtantiam inductionis tenetur explicare, quia nõ variat iudicium Confeſſoris notabiliter: nec mortaliter loquendo poteſt dici cauſa inducens, vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 4. nu. 16. & 17. Nauar. in ſum. Lat. cap. 16. nu. 13.* & *Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 6. nu. 7.* quamuis ipſe *Henriq.* contrarium doceat
19 de inducente maleficum quantumuis paratum ad ſoluendum maleficium alio maleficio. Sed re vera non eſt recedendum à ſententia *Fagund.* nam eadem ratio militat, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Imò idem dicit de petente mutuo ſub vſuris ab vſurario parato ad fœnerandum, vbi *nu. 6.* latè rem hanc explicat. Ad eandem circumſtantiã reducuntur ij qui breuia geſtant, in quibus adſint aliqui characteres, vel nomina ſcripta exiſtimantes ob ea non poſſe perire ferro, aqua, igne, non poſſe pati vertiginem, dolorem laterum, capitis, &c. quæ naturaliter ab huiuſmodi breuibus prouenire non poſſunt: ſiquidem hæc omnia ſunt omninò damnata, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 11. nu. 34.* & ex alijs. Eſt tamen verum, quòd huiuſmodi breuia, & orationes aliquando citra ſuperſtitionem, & culpam aliquam ferri poſſunt appenſa ad collum, quando nihil falſi contra ſacram ſcripturam continent, nec contra conſuetudinem, aut Eccleſiæ præceptum: neque in eis aliquid ſcribitur, quod ad dæmonis inuocationem pertineat: nec ignota nomina, nec alius character præter ſignum Crucis admiſceantur: nec demum ſpes aliqua habeatur in modo ſcribendi, aut ligandi, vt rectè declarat *Sayr.* poſt alios, *de cenſur. lib. 6. cap. 6. nu. 6.* & nos adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœn. lib. 2. can. 1. q. 22. nu. 59. & 60.* Ad eandem circumſtantiam pertinent cùm quis Cruce, ac Calice conſecrato aliquem percutit; quoniã non tantũ percuſſionis efficitur reus, ſed quodãmodo ſacrilegij: nam rei ſacræ exhibita cẽſetur irreuerentia. Et deniq; cæteris ommiſſis, ſub eadem circumſtantia comprehenditur, qui hominẽ veneno occiderit, aut archibuſio cũ periculo occidẽdi alios, vt per Doctores, quos refert, & ſequitur *Molſ. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 12. nu. 75.*

Circumſtantia, *Vbi*, locum, in quo peccatum committitur, ſignificat. Nam ſi quis furtum com-
20 mittit in loco ſacro, nõ tantùm furti fit reus, ſed etiam ſacrilegij: ſiquidẽ ſacrilegium committitur non ſolùm furando rem ſacram de loco ſacro, vel non ſacro, ſed etiã furando rem nõ ſacrã de loco ſacro, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. nu. 95.* & ex alijs apud *Molſ. par. 1. ſua ſum. tract. 11. cap. 7. ſub nu. 20. Turrecram. in cap. ſacrilegium, 17. q. 4.* & latè *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 4. cap. 4. nu. 9.* qui tamen *cap. 5. nu. 25. in fine*, docet, quòd qui furatur rem ſacram de loco ſacro, ſatis eſt ſi in confeſſione dicat, ſe furtum commiſiſſe rei ſacræ, nec opus eſt confiteri circumſtantiam loci ſacri, vt ſupra latius diximus, *ſec. 2. illat. 2.* Imò *d. cap. 4. ſub nu. 9.* ita demum furtum rei non ſacræ in loco ſacro, probat eſſe ſacrilegium ſi reperiatur ſub cuſtodia loci ſacri. Idem dicendum eſt de eo, qui carnaliter peccat in Eccleſia, vel in alio loco ſacro: nam vltra peccatum carnis, ratione circumſtantiæ loci ſacri contrahit etiam ſacrilegium: & ſi in publico id fieret, pollueretur Eccleſia, vt habetur ex eodem *Molſ.* poſt alios *d. cap. 12. nu. 74.*
21 Dixi, *Si in publico*, quia ſi copula, aut quæcunq; alia effuſio ſeminis humani in Eccleſia, eſſet ſecreta, Eccleſia ipſa non pollueretur; quamuis ſacrilegium contraheretur: ſiquidem effuſio ſeminis humani voluntaria, & peccaminoſa in Eccleſia, & loco ſacro eſt ſacrilegium, ſiuè publica ſit, ſiuè ſecreta; ſiuè inter coniuges, ſiuè inter ſolutos: ſiuè intra, ſiuè extra vas naturale: & circumſtantia eiuſmodi pertinet ad integritatem confeſſionis, vt latè probat *Fagund. d. cap. 4. nu. 19. & 20.* licèt contrarium teneat *Diana par. 1. reſol. 26. de circum.* quoad pollutionem ſecretam. Eſt tamen verum, quòd aliqua rationabili ſubſiſtente cauſa, nempè imminente periculo pollutionis ex parte coniugum, copula habita in Eccleſia excuſat ipſos coniuges à ſacrilegio, vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato, ſub nu. 21.* quo caſu etiam ſi deinde publicè conſtet de copula, ſi conſtet etiam de cauſa iuſta, locus ſacer non indigebit purificatione. Ita *Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 15. nu. 12. Rebell. 2. par. de oblig. iuſtit. lib. 3. q. 19. ſec. 1. a nu. 6.* & alij quamplurimi, quos idem *Fagund.* allegat *loco citato*, vbi *nu. 22. & 23.* tractat quoque de alijs cauſis, quibus excuſantur coniuges à ſacrilegio ob copulam habitam in loco ſacro, & *n. 24.* demum ait eſſe animaduertendum, quòd copula peccaminoſa, ſiuè inter coniuges, ſiuè inter ſolutos in loco ſacro habita, ſi occulta ſit etiam citra ſeminis effuſionem eſt ſacrilegium; non tamen locus ſacer indigebit reconciliatione, quamdiu occulta manet; indigebit tamen ſi cæperit publicari, vel publicè de illa conſtiterit, vt quia fuerit probata in iudicio, vel innotuerit maiori parti parochiæ. Imò ipſe *Fagund. ibidem ſub nu. 23. in fine*, inquit, quòd licèt coniuges legitimam coeundi cauſam in loco ſacro habeant, ſi publicè coeant, à ſacrilegio non excuſantur, nec locus ſacer excuſabitur à purificatione: vt habetur ex *Rebel. loco citato, nu. 9.* His adde, quæ cumulauit *Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 19. & 20.* vbi circumſtantiam copulæ habitæ inter coniuges in loco ſacro, dicentes ſe non poſſe amphus continere, & copulæ in oratorio alicuius domus, in quo de licentia Epiſcopi Miſſæ celebrantur, vel in porta Eccleſiæ à parte illius externa, aut in Monaſterijs, & cellis Religioſorum, non eſſe neceſſario aperiendam in confeſſione: quæ tamen intelligenda ſunt ſecundum tradita ex *Fagund. d. cap. 4. nu. 34. & 39.* quem ipſe *Diana* allegat, & limitanda, niſi ea pars externa portæ Eccleſiæ pertineret ad cœmeterium, aut clauſtra Religioſorum eſſent benedicta, & deſtinata pro ſepeliendis Religioſis: ſiquidem cęmeterium, & clauſtra huiuſmodi veniunt appellatione loci ſacri, vt habetur ex *Sanch. lib. 9. de matr. diſp. 15. nu. 4.* Cæterum
22 alia Monaſterij loca, Religioſorum habitacula, & officinæ licèt gaudeant immunitate Eccleſiaſtica; non tamen dicuntur ſacra quoad ſanguinis, ac ſeminis effuſionem, etiam ſi in talibus locis adſit altare ad celebrandum, quia reputabitur tunc tanquam priuatum oratorium. Ita *Fagund.* poſt alios *d. nu. 39. & 40.* vbi etiam *nu. 27. cum*

plurib. ſeq. licèt aſpectus, nutus, confabulatio-
nes inhoneſtas, tactus leues impudicos per par-
te, non pudendas citra pollutionem in Eccleſia
habitos neget eſſe in confeſſione apetiendos tan-
quam circumſtantiam loci ſacri; nihilominus ſi
quis extra Eccleſiam exiſtens concupiſcat deli-
berato animo copulam illicitam cum aliqua ha-
bere in loco ſacro, aut ibi furari, aut aliquem
occidere, aut grauiter vulnerare, putat eum te-
neri circumſtantiam loci ſacri ratione ſacrilegij
in confeſſione explicare, vt habetur ex *Suar. in
3. pas. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 4. nu. 20. Sot. in
4. d. 18. q. 2. art. 4.* cum alijs ab eodem *Fagund.*
allegatis: qui quidem, vt completam huius rei
doctrinam tradat *nu. 32. & 33.* explicando con-
ditiones loci ſacri quoad rem noſtram attinet,
inquit, quòd locus ſacer in ordine ad furtum, ad
copulam, ſeminis, aut ſanguinis effuſionem dici-
tur ſola Eccleſia conſectata, aut benedicta, &
quòd huiuſmodi locus ſacer ſit deputatus ad
officia Diuina, aut ad fidelium ſepulturam, quale
eſt cęmeterium, vt habetur ex *Sanch. loco citato,
Henriq. lib. 9. de Miſ. cap. 27. nu. 5. Nauar. in
ſum. cap. 16. n. 32.* Imò nec totus circuitus Eccle-
ſiæ quoad hunc effectum dicitur locus ſacer; ſed
illud tantum ſpacium, quod pertinet ad corpus
Eccleſiæ internum, à tecto interiori vſque ad
pauimentum, & à parte interna porte Eccleſiæ
vſque ad vltimum parietem aræ maximæ; atque
ideò capellæ ædificatæ intra Eccleſiam compre-
henduntur. Hinc ſequitur non violari Eccleſiam,
nec committi ſacrilegium, ſi copula habeatur,
furtum committatur, aut homo occidatur, vel
ſuſpendatur, aut ſanguis effundatur, vel ſemen
ſuper tectum Eccleſiæ, aut ſubter Eccleſiam, vt
ſi ibi extet ſpelunca aliqua, vel cellula ſubter-
ranea, vt per *Sanch. loco ſupra relato, nu. 26. &
27. Nauar. in Man. cap. 27. num. 256. Vega,* &
alios, quos refert ipſe *Fagund. d. nu. 33. vbi nu.
34. ex Sanch. ibidem nu. 28.* & alijs idem dicen-
dum eſſe ait de cęmeterio: ſiquidem non viola-
tur Eccleſia ſi prædicta fiant in porta Eccleſiæ à
parte externa illius; quoniam ſi ea pars pertineat
ad cęmeterium, ſolùm cęmeterium violabitur,
non autem Eccleſia. Ad hanc eandem circum-
ſtantiam pertinet effuſio peccaminoſa ſanguinis
humani, homicidium iniuſtum, iniuſta percuſſio,
mortifera vulneratio, ac mutilatio; nam ſi fiant
in loco ſacro, & mortalem culpam attingant,
etiam ſi ſint citra ſanguinis effuſionem, ſacrilegia
ſunt, & in confeſſione circumſtantia loci ſacri eſt
aperienda, & locus eſt purificandus, vt latè de-
clarat *Nauar. in Man. cap. 27. nu. 256. Syl. ver.
Conſecratio, nu. 3. Suar. tom. 5. de cenſur. diſp. 22.
ſec. 3. à nu. 54.* & latius *Fagund. d. cap. 4. à n. 14.
vſque ad 19.*

Ad hanc ipſam circumſtantiam reducitur ex-
tractio delinquentium ab Eccleſia, qui ad eam
23 confugerunt: nam hoc eſt ſacrilegij crimen,
*cap. ſicut antiquitus, cap. rerum, cap. frater, cap.
miror, 17. q. 4. cap. fin. de immunit. Eccleſ. & toto
tit. de ijs, qui ad Eccleſ. confuger.* & nos latè de
hac re in noſtris *Commentar. in Bulla Cœna,
lib. 2. can. 15. q. 16.* vbi declarauimus, quænam
loca habeant hanc immunitatem: & quibus caſi-
bus delinquentes ad ea confugientes; indè ex-
trahi poſſint, declarantes præcipue Bullam Greg.
XIV. ſuper hanc materiam editam. Quibus adde
quæ latiſſimè habentur per *Fagund. d. cap. 4.*
cuius ſcripta cautè legenda ſunt: nam quamplu-
rimos confugientes ad Eccleſiam excludit ab
immunitate Eccleſiæ, qui hodie ea gaudent vi-
gore Bullæ Greg. XIV. in qua enumerantur ca-
ſus, in quibus delinquentes vt ſupra confugien-
tes non gaudent immunitate; qui tantùm exclu-
duntur, & non alij: & non eſt mirum; quia ipſe
Fagund. præfata edidit, antequam dicta Bulla
Greg. XIV. fuerit condita: & propterea ſtandũ
eſt Doctoribus, qui de hac materia poſt prędictæ
Bullæ editionem ſcripſerunt: quibus adde, quæ
addita fuerunt noſtris Commentarijs locis ci-
24 tatis. Illud autem nolui hoc loco eſſe ſilentio
prætereundum, quod idem *Fagund.* notat *d. cap.
4. nu. 55.* dum ait, quòd licèt Iudex laicus non
poſſit citra ſacrilegium, & circumſtantiam in
cõfeſſione neceſſariò aperiendã fruentes præfato
immunitatis priuilegio extrahere inuitos à loco
ſacro; poteſt tamen ab eis citra ſacrilegium
intra Eccleſiam arma auferre, iuxta ea, quæ ha-
bentur per *Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 20. nu. 17.*
Non tamen abſque ſacrilegio poteſt eos ibi vin-
culis alligare, ne aufugiant: ſiquidem ait, id eſſe
directè contra immunitatem Eccleſiæ. Bene
verum eſt, quòd Prælati Eccleſiaſtici in caſu
dubij, an gaudeant, vel non gaudeant immuni-
tate concedere iudicibus ſæcularibus facultatem
eos ligandi, dummodo in vincula ab vtroque
ſimul Iudice, Eccleſiaſtico ſcilicèt, & ſæculari
conijciantur, vt inquit *Couar. loco citato, Guid.
Pap. deciſ. 121.* & alij relati ab eodem *Fagund.*
quorum ſententiam admittit in caſu grauiſſimo
duntaxat, ad euitanda ſcandala, & non in alio.
Etenim Dei Eccleſia carcer eſſe non poteſt: nec
contrarium docet *Couar.* ſi rectè perpendatur,
ſed tantum *Guid. & Belluga* ſententiam refert:
quia potius abſolutè probat, non poſſe ad Eccle-
ſiam confugientes neruis, catenis, vel compedi-
bus vinciri, ne effugiant, citra violationem Ec-
cleſiaſticæ immunitatis, & adhoc allegat *tex. in
cap. definiuit, 17. q. 4. & l. præſenti, C. de his, qui
25 ad Eccleſ. confug.* Non tamen licitum eſt Cle-
ricis armis defendere confugientes ad Eccleſiam
ne à Iudice ſæculari violenter abſtrahantur, vt
habetur ex *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 13.
nu. 5. Remig. de immun. Eccleſ. q. 13.* ſiquidem
nunquam licèt Eccleſiaſticis arma ſumere, niſi
ſpeciali ſuperiorum diſpenſatione ex neceſſaria,
iuſta, ac rationabili cauſa: & in caſu noſtro ex
tali defenſione multa poſſunt reſultare inconue-
nientia, & ſcandala: poſſunt tamen Clerici fores
claudere, claues denegare, & cenſuris Eccleſia-
ſticis vti, vt habetur ex ipſo *Fagund. d. cap. 4. ſub
n. 59.* Reliqua verò quæ ad hanc rem pertinentia
cumulat *Fagund.* habens in dictis noſtris *Com-
mentar. ad Bull. Cœna loco citato*, vbi etiam
q. 18. nu. 11. tractauimus, an immunitas huiuſ-
modi ſit de iure naturali, ſeù Diuino, & fuſius
quàm *Fagund. d. cap. 4. ſub nu. 59. agit.* Ad præ-
fatam circumſtantiam ſpectat etiam negotiatio
26 in loco, aſportatis in eum rebus venalibus, ad
prophanos maximè vſus deſeruientibus; nam
citra irreuerentiam loci ſacri id fieri nequit, vt
habetur *Conrado de contract. q. 52. Salon. in
D. Thom. 2. 2. q. 77. in 4. contr. 4. nu. 9. Syl. in ſum.
ver. Negotium, q. 2. §. 4.* Item ad hanc eandem
circumſtatiam pertinet cognitio cauſarum ciui-
lium,

lium, & criminalium in Eccleſia; eſt enim id interdictum Iudicibus ſæcularibus ſub pœna excommunicationis, vt in *cap. 1. & cap. cum Eccleſia, de immunit. Eccleſ. & cap. licèt, eo. tit. in 6.* Dixi, *Iudicibus ſacularibus*, quia ſi cauſa ſit Eccleſiaſtica citra culpam in Eccleſia determinari poteſt, cùm id nullo iure reperiatur prohibitum, vt rectè docent *Panor. & alij in d. cap. cum Eccleſia*, & nos latè de hac re egimus in *d. noſtris Commentar. in Bull. Cœna, d. q. 16. nu. 35.* vbi etiam *ſub nu. 36.* probauimus in Eccleſia non poſſe fieri ſocietates, ſeù confraternitates Laicorum, vt ibi ſua concilia agant, conciones habeant, aut negotia tractent. Nec etiam Eccleſia vti poſſunt loco caſtri, ſeù propugnaculi ad offendendum alios, & tanto minus ad exercendos ludos publicos, ad recitandas commedias laſciuas, ad triturandas ſegetes, ad comprimendas vuas, vt ibidē adnotauimus, & latè *Fagund. d. cap. 4. nu. 10.* Eſt tamen verum, quòd in Eccleſia poteſt dari tutor abſque iudicij ſtrepitu, poſſunt ſcholares doctorari, exercitationes fieri literariæ, diſputationes, repetitiones, & his ſimilia, & tempore belli poſſunt fideles ad Eccleſiam confugere tanquàm locum tutum, vt ab hoſtibus ſe defendant, vt poſt alios probauimus in *d. q. 16. nu. 35. & 36.* Ad circumſtantiam ipſam reducitur actio ſacra facta in loco indecenti, & ſpeciali præcepto prohibita, qualis eſt celebratio Miſſæ in loco non approbato, vel interdicto; quia tunc habet rationem ſacrilegij. Et denique, cæteris prætermiſſis ad eandem circumſtantiam ſpectat actio facta in loco ſacro, vbi alterius fama leditur: nam hæc actio habet rationem iniuſtitiæ. Plura quoque ad hanc rem ſpectantia cumulat *Megal. par. 1. Inſt. Peregr. lib. 5. cap. 8.* verum omnes ferè conueniunt, vt ad huiuſmodi circumſtantiam nullo modo pertineant blaſphemiæ & turpi loquia in loco ſacro: ſiquidem lege humana non eſt ita ſtatutum, vt locus ſacer blaſphemia, aut turpiloquio prophanetur, ſicut de pollutione definitum eſt, vt poſt alios inquit *Diana d. tract. 7. de circumſt. reſol. 26. verſ. Sed non reticeam.*

Circumſtantia, *Cur*, cauſam finalem, ſeù propter quid, ac rationem denotat. In qua re eſt
27 adnot. quod in cauſa finali duo actus formaliter, aut virtualiter concurrunt, intentio ſcilicet finis, & electio medij, reſpectu cuius finis ille dicitur circumſtantia. Id autem tripliciter contingere poteſt: primò vt tàm finis, quàm medium ſatis ſint ad conſtituendam lethalem culpam; ſiue vtraque malitia ſit diuerſa ſpeciei, vt cum quis furatur propter adulterium, quo caſu magis dicitur adulter, quam fur: aut qui per maleficia, aut alias ſuperſtitiones quærit mulierem ad adulterium prouocare, nam cùm tàm finis, quàm medium ſint mala committit duo peccata, alterum ſuperſtitionis, & alterum adulterij; ſiue vtraque malitia ſit eiuſdem ſpeciei, vt cum quis vtitur tactibus impudicis, vt ſe prouocet ad conſumandum incontinentiæ peccatum, & deinde ad effectum perueniat. Secundò contingit, vt ſolus finis ſufficiat ad contrahendam lethalem culpam, non autem medium, atque ideò medium ſit bonum, & finis malus, vt patet in eo, qui Neapolim ſe confert ad occidendum inimicum: vel Miniſter iuſtitiæ ſuſpendat aliquem damnatum ad mortem, non vt executor iuſtitiæ, ſed odio particulari, nam tunc dicitur vti medio licito ad finem illicitum, vt in *cap. cùm Miniſter 23. q. 5.* ſic etiam, qui dat mulieri eleemoſinam ad finem adulterandi. Tertiò contingit, vt medium ſit malum, & finis bonus, & ſic ſolùm medium ſatis eſt ad conſtituendum peccatum, non autem finis; vt cùm quis exercet vſuram pro redimendis captiuis, *cap. ſuper eo, de vſur.* vel iurat falſum ad ſaluandam vitam alterius, *cap. ne quis, 22. q. 2.* furatur ad eleemoſynam elargiendam, *cap. fortè, cap. denique, 14. q. 5.* vel denique non audiat ſacrum die feſto, vt ſtudeat: ſiquidem non ſunt facienda mala, vt indè eueniant bona, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. *c. 3.* Quando
28 autem tàm finis, quàm medium continent malitiam, cùm quis furatur propter adulterium, tunc tenetur pœnitens huiuſmodi finis circumſtantiam in confeſſione explicare, quoniam ſunt duo peccata diuerſa ſpecie, alterum furti in materia iuſtitiæ, & alterum adulterij contra temperantiam, & iuſtitiam, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 4. Bellan. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 4. nu. 24. tom. 2. de cenſur. & ſacram. Henr. lib. 1. de pœnit. cap. 6. nu. 3. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 3. Tolet. in ſum. lib. 3. cap. 7. nu. 3. & 4. Fagund. de pracep. Eccl. pracept. 2. lib. 4. cap. 4. ſub nu. 10.* Non tamen ſi malitia finis ſit eiuſdem ſpeciei cum medij malitia, vt in ſupra poſito exemplo: pœnitens tenetur ad aliud in confeſſione, quàm ad confitendum actuale peccatum incontinentiæ; quoniam tactus illi ſunt ordinati ad actualem incontinentiæ culpam, & ſaltem ad mentem, & iuxta opinionem eorum, qui docent, circumſtantias aggrauantes intra eandem ſpeciem non teneri pœnitentem confiteri, præfata circumſtantia non pertinet ad integritatem confeſſionis. Quòd ſi medium ſit bonum, vel indifferens, vt in exemplis, quæ ſupra adduximus, tunc non eſt opus explicare in confeſſione electionem medij, quia vnum tantùm peccatum committitur, vt per *Suar. & Fagund. locis citatis.* Si denique electio medij ſit mala, & finis bonus, tunc circumſtantia malæ electionis medij dumtaxat, eſt in confeſſione aperienda, non autem finis. Vndè qui furatur ad elargiendam eleemoſynam, vel fœneratur ad captiuos redimendos, ſatis eſt ſi peccatum furti, ſeù fœnoris confiteatur. Idem dicendum eſt de eo, qui omittit ſacrum propter ſtudium; ſiquidem hoc caſu eſt aperiendum Confeſſario peccatum omiſſionis ſacri tantum; non autem aperienda eſt circumſtantia ſtudij, propter quod omiſſum fuit; ſiquidem circumſtantia finis in ſupradictis caſibus, & hoc caſu, aut non eſt peccatum, cum ſit bona, vel ad ſummum parum auget, vel minuit malitiam eius, vt habetur ex *Henr. lib. 2. de pœnit. cap. 5. nu. 7. in medio, & in margine, lit. C. Vaſq. in t. 2. diſp. 93. cap. 3. Bellan. Suar. & Fagund. locis citatis*, qui tamen id limitat, niſi finis ad quem aſſumitur medium ſit vltimus finis; quoniam tunc circumſtantia finis eſt in confeſſione explicanda, vt ſi quis omittat ſacrum die feſto, quia vltimum ſuum finem ponit in ſtudio; quod quidem metaphyſicè tantùm dicitur: nam practicè nemo regulariter ita operatur. His adde *P. Dianam par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 62.*

Ad hanc quoque circumſtantiam quidam reducunt

ducunt peccatum commiſſum ex confidentia
29 Dei, quòd peccanti remitteretur, aliàs ipſe peccator non fuiſſet commiſſurus. Non tamen hæc circumſtantia mutat ſpeciem, nec multum aggrauat, & ideò ſatis eſt ſi Confeſſario aperiatur peccatum, nec eſt opus vt circumſtantia ipſa in confeſſione explicetur. Ita *Caiet. 2. 2. q. 121. art. 2. Nauar. in Manuali cap. 8. num. 3. in fin. Vinald. de abſol. num. 4. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. cap. 5. nu. 9. contra Panorm. in cap. transmiſſa, de eo, qui cogn. conſang. vxor. ſuæ.* Qui quidem *Fagund. ibidem nu.* 8. ponit
30 quæſtionem de eo, qui ex confidentia Iubilæi, Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij committit aliquod peccatum reſeruatum aliàs non commiſſurus, vtrum ſcilicet per ipſum Iubilæum, vel per ipſam Bullam, ac priuilegij vigore poſſit à reſeruato peccato ex eiuſmodi confidentia commiſſo, ſacramentaliter abſolui, etiam ſi excommunicationem reſeruatam habeat annexam? & reſpondet affirmatiuè, motus ex eo, quòd priuilegium tantum valet, quantum ſonat, & Indulgentiæ latiſſimè ſunt interpretandæ. Pro qua concluſione affert *Vinal. in candel. aureo de confeſ. nu. 42. Nauar. de Iubilæo in miſcel. §. in Leuitico, not. 3. nu. 7.* Hinc ait *Syl. in ſum. ver. Indulgentia nu. 33. §. nonum*, quòd is qui in peccato mortali explet id, quòd in Iubilæo, ſeù Indulgentia mandatur, Indulgentiam tamen conſequi poteſt; dummodo tempore remiſſionis ſit in gratia: & id non alia ratione probat, niſi quia *nu.* 7. ibidem inquit, quòd Indulgentia tantum valet, quantum ſonat: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro. Imò huiuſmodi circumſtantia non pertinet ad integritatem confeſſionis, vt poſt alios ait *Diana tract. 7. de circumſt. reſol. 33. par.* 1. Nec obſtat ſi dicatur, quòd priuilegium meretur ammittere, qui peccat ex ſpe illius, vt probat *Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 20. nu. 18. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 22. & Remig. de immunit. Eccl. fall.* 3. Etenim ob id volunt, eum qui in vna Eccleſia delinquit ſpe priuilegij immunitatis alterius amittere ipſam immunitatem, & priuilegium illius; quoniam reſpondetur, præfatos Doctores eſſe intelligendos de priuilegio reſpiciente forum externum, & iuriſdictionem externam, quale eſt priuilegium immunitatis Eccleſiæ; ſecus autem dicendum eſt de priuilegio reſpiciente forum internum, vt poſt alios declarat idem *Fagund. loco citato.*

Circumſtantia, *Quomodo*, modum peccandi
31 explicat. Quæ quidem circumſtantia aliquando transfert actum in aliam ſpeciem, vt cùm quis ex inculpabili ignorantia peccat; quoniam tunc ignorantia, vel omninò excuſat à culpa, vel ſaltem ex mortale facit venialem. Dixi, *Inculpabili*, quia ſi ignorantia eſſet culpabilis, peccatum eſſet eiuſdem ſpeciei cum peccato ſcienter commiſſo, vt habetur ex *Nauar. in cap. conſideret, nu. 64. de pœnit. d. 6.* exemplum patet in eo, qui peccat ex conſcientia erronea: is enim dicitur peccare ex ignorantia: nam aliquando dictat eſſe bonum, quod alioqui eſt malum, aut è contra quod eſt malum eſſe bonum. Vndè conſcien-
32 tia erronea, vel eſt vincibilis, vel inuincibilis. Siquidem vincibilis illa dicitur, quæ ſic imprudenter iudicat, vt ſi debita adhiberetur diligētia, non erraret: inuincibilis autem, ſeù inculpabilis eſt illa, quæ ita errat, vt prudenter iudicet non errare. Qui igitur operatur contra conſcientiam vincibilem, vel inuincibilem, & putat, aut dubitat id, quod operatur eſſe mortale, quamuis re vera mortale non ſit, peccat mortaliter, & ſic actum, qui non eſt culpa mortalis transfert in mortalem, & ſic in aliam ſpeciem: quæ culpa neceſſariò eſt in confeſſione aperienda: etenim cum tota malitiæ ratio in eo conſiſtat, vt id fiat contra conſcientiæ errantis dictamen, tanta, & talis erit peccati malitia, qualis, & quanta conſcientia dictauerit, vt ſi dictat eſſe mortale, ſit mortale; ſi veniale, veniale. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. ad 3. Vaſq. ibidem diſp. 59. cap. 3. n. 11. Valent. eodem loco, diſp. 2. q. 14. par. 4. Caiet. in ſum. ver. Conſcientia, Corduba in ſuo quæſt. lib. 3. q. 4. poſt ſolut. ad 2. contra 1. propoſ. dub. 1. & 2. Henr. lib. 2. de pœnit. cap. 6. nu. 4. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 12. & prælud. 9. Azor. tom. 1. Inſt. moral. lib. 2. cap. 8. q. 4. Sanch. tom. 1. Decal. lib. 1. cap. 11. nu. 5. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 4. cap. 5. nu.* 4. Idem dicendum eſt de eo qui operatur ex conſcientia erronea vincibili: ſiquidem peccabit venialiter, ſi conſcientia dictet culpam eſſe venialem, etiam ſi re vera nulla ſit: & ſi actus ſit culpa mortalis peccabit mortaliter, etiam ſi conſcientia dictet eſſe venialem, aut nullam culpam, quia conſcientia erronea proueniens ex ignorantia vincibili, ac culpabili non excuſat à peccato mortali ſi aliude ſit mortale. Non ſic quando conſcientia erronea prouenit ex ignorantia inuincibili, ac inculpabili: ſiquidem ſi ex tali ignorantia operetur, quamuis operatio ſit ex ſuo genere mortalis, ſi conſcientia dictet eſſe peccatum veniale, erit veniale; ſi verò non eſſe peccatum, non peccabit. Et ſi conſcientia erronea dictet eſſe aliquid peccatum in genere, non deſcendendo ad aliquam ſpeciem particularem, ad nullam ſpeciem peccati pertinebit; ſed tantum ad generalem contra præceptum generale ſequendi bonum, & vitandi malum, vt habetur ex *Sanch. loc. cit. & Fagund. d. cap. 5. nu. 15. 16. & 17.* vbi quamplurimos allegat, & materiam conſcientiæ erroneæ ſuffi-
33 cienter explicat. Ad hanc eandem circumſtantiam reducitur cum quis violenter cognouit nuptam: nam is commiſit adulterium, & violentiam; atque adeò circumſtantia modi eiuſmodi nouam malitiam peccato ſpecie diſtinctam addit. Idem dicendum eſt de eo, qui poſtquam inimicum interemit, in fruſtra concidit, iecur extraxit,
34 comedit, cor dentibus dilaniauit, & alia huiuſmodi: ſiquidem hoc caſu homicidio addit malitiam feritatis, ac iniuriæ, quæ cadduero quoq; inferri poteſt, vt inquit *D. Thom. 2. 2. q. 159. art.* 2. Huiuſmodi peccati intenſio, ac vehemētia in actum externum prodita cum addat nouam ſpeciem peccati diſtinctam eſt in confeſſione aperienda eo modo, quo prodijt: at ſi manſit in corde, ſecluſa duratione longi temporis, non poteſt certò cognoſci quanta fuerit, & propterea non eſt neceſſariò aperienda, ſed ſatis eſt confiteri peccatum ipſum in ſe, quod voluntariè quis mente corde, & animo deliberatè patrauit: & ſufficit hoc caſu ſi in confeſſione dicat ſe ex vehementi animo, ac odio multa mala deſideraſſe inimico, & grauia, & de hoc ſæpè cogitaſſe, & illa procuraſſe ex magna intentione explicando

vices.

Digitized by Google

vices, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp.
22. ſec. 4. à nu. 5. vſque ad 12. Henr. & Fagund.
locis citatis.* Quòd ſi quis per aliquas horas, aut
aliquod tempus notabile ſteterit in illo intenſio-
nis actu, tunc tenetur hanc circumſtantiam
longi temporis explicare ſaltem ad mentem eo-
rum, qui putant, circumſtantias notabiliter ag-
grauantes pertinere ad integritatem confeſſio-
nis; ſiquidem notabiliter aggrauat peccatum co-
gitationis; & ſi interrumpat hunc actum maximè
per pœnitentiam tetractat, & iterum ad illum
redeat, obligatur vices explicare, quia noua pec-
cata committit, vt per *Henr. lib. 5. de ſacram.
cap. 7. nu. 5. Bellan. tom. 2. diſp. 7. de integr. confeſ.
dub. 3. num. 5. Suar. & Fagund. vbi ſupra.* Ad
hanc ipſam circumſtantiam reducitur circum-
ſtantia contemptus, quæ tanta poteſt eſſe, vt de
veniali transferat actum in mortale, vt habetur
ex *Nauar. in Man. cap. 9. §. 9. Caiet. 1. 2. q. 7. art.
1. Suar. d. ſec. 4. & Fagund. d. cap. 5. nu. 13.*

Ad eandem circumſtantiam quidam reducunt
conſuetudinem peccandi: etenim qui ſolitus eſt
35 iurare falſum, ſemper peccat iurando, ſiuè fal-
ſum, ſiuè verum iuret, quia propter deprauatam
conſuetudinem iurandi falſum, quotieſcunque
iurat exponit ſe periculo peierandi, atque ideò
huiuſmodi circumſtantia eſt confeſſioni ape-
rienda, vt rectè docet *Caiet. 2. 2. q. 98. art. 3. ad
primum, Nauar. in Man. cap. 12. nu. 6. Lopez 1.
par. Inſtr. cap. 42. verſ. Attamen, & Molf. par. 1.
ſuæ ſum. tract. 7. cap. 12. nu.* 80. Sic etiam qui ſo-
litus eſt peccatum mollitiei, ac pollutionis pro-
prijs manibus committere, tenetur huiuſmodi
conſuetudinem, & reincidentiam explicare, cùm
aliter non poſſit ſtatum ſuæ conſcientiæ aperire
ad recipiendum optimum conſilium pro huiuſ-
modi conſuetudine, ſeù corruptela extirpanda;
cui vix aliud remedium efficacius dari poteſt,
quàm frequentare ſacramentalem confeſſionem
bis, vel ter in hebdomada, vt habetur ex *Fagund.
de precep. Eccleſ. precep. 2. lib. 4. cap. 4. ſub nu. 7.*
Vndè multi volunt, pœnitentem omninò teneri
conſuetudinem peccandi aperire, & maximè
quando à Confeſſario interrogetur. Ita *Vaſq. in
3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 3. Henr. lib. 2. de
pœnit. cap. 6. nu. 4. in fin. & lib. 5. cap. 8. nu. 1. D.
Thom. 2. 2 q. 1. art. 4. ad fin. Sot. in 4. d. 16. q. 1.
art. 4. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp 22 ſec.
4. nu. 15.* & ante ſupra relatos Doctor. *D. Thom.
2. 2. q. 1. art. 4. ad finem*: ob id non deſunt, qui
velint, poſſe Confeſſarium etiam per menſem
plus, vel minus, vt ſibi prudenter videbitur,
differre abſolutionem aſſuetis peccato, vt habe-
tur ex eodem *Suar. d. tom. 4. diſp. 32. ſec. 2. in fin.
Sayr. lib. 5. clau. Reg. cap. 5. nu. 8. Sanch. in ſum.
tom. 1. lib. 2. cap. 32. nu. 45. idem Suar. de Relig.
tom. 2. lib. 3. cap. 8. Tolet. lib. 3. ſuæ ſum cap. 18.
nu. 3. Reginald. lib. 18. ſuæ prax. n 87. Villalobos
tom. 1. ſuæ ſum. tract. 11. difficult. 25. in fin. Graff.
par. 1. deciſ. lib. 1. cap. 20. nu. 24 Bann. in 2. 2. q 2.
art. 8. dub. 2.* & ex alijs. Hæc re vera licèt in
praxi ſint tenenda; nihilominus *Ioan. Sanc. in
ſuis practicis diſp. Matriti impreſſis anno 1524.
diſp. 9. nu. 6.* quem videtur ſequi *P. Diana par. 1.
tract. 7. de circumſt. reſol.* 55. oppoſitam ſenten-
tiam tuetur, atque ideò Confeſſarium ius non
habere ad interrogandum de conſuetudine pec-
candi; aliàs poſſet obligari pœnitens peccata
legitimè confeſſa iterum repetere, quod nullo
iure cauetur, vt per *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91.
art. 3. dub. 6. 7. &* 8. quapropter ait ipſe *Sãch.* te-
neri Confeſſarium abſoluere ſtatim pœnitentem,
ſi verè dolorem habeat de præteritis cum propo-
ſito firmo non peccandi in futurum. Confirma-
tur, quoniam etiam ſi demus pœnitentem eſſe
prauæ peccandi conſuetudini addictum, ſi men-
tem mutauerit, non remanet in ſtatu peccati mor-
talis; ergò illi non eſt deneganda abſolutio. Hinc
idem *Sancius* ex hoc infert, quòd ſi pœnitens
probabiliter credat, Confeſſarium non impen-
ſurum ſibi abſolutionem, ſi interrogatus peccan-
di conſuetudinem confiteretur, poteſt æquiuo-
catione vti, & negare conſuetudinem, & fiat
ſenſus, conſuetudine careo peccandi non abſo-
lutè, ſed ad confitendum eam: imò ipſe *Sanc.*
inquit, pœnitentem poſſe conſuetudinem eo
modo negare, etiam ſi putet abſolutionem ſe
conſecuturum, cùm ad confitendum eadem pec-
cata bis nemo obligetur. Idem arbitratur dicen-
dum eſſe de occaſione proxima ineuitabili citra
ſcandalum, aut citra magnum incommodum:
ſiquidem ait, poſſe pœnitentem eo caſu vti æqui-
uocatione licèt à Confeſſario de tali occaſione
interrogetur; dummodo firmum propoſitum ha-
beat non peccandi de cætero, & emendandi vi-
tam in futurum; quoniam pœnitens habet ius ad
abſolutionem obtinendam: etenim tenet ipſe
Sanc. peccatorem conſuetudinarium de quo-
cunque peccato, dummodo de eo habeat ſaltem
attritionem, & firmum propoſitum cauendi de
cætero eſſe abſoluendum toties, quoties, nec
poſſe illi beneficium abſolutionis denegare. Pro
hac opinione poteſt adduci *Azor. tom. 1. Inſtit.
moral. lib. 11. cap. 3. q. 4.* dum ait, non eſſe dene-
gandam abſolutionem habenti conſuetudinem
iurandi, contra *Ledeſm. in ſum. tom. 2. tract. 1.
cap. 3. poſt 7. concl.* Sed re vera non eſt diſce-
dendum à priori ſententia, cum ſit tutior, & ve-
rior: nam conſuetudo iurandi falſum transfert
actum iurantis in lethalem culpam, quamuis
iurare ex ſuo genere non ſit peccatum, ſed actus
Religionis vt ſupra diximus, & ſi conſuetudo
peccandi ſit cauſa, & occaſio proxima peccati
occaſionem illam, cui ſe expoſuit pœnitens, &
adhuc actu eſt expoſitus, non video quomodo
non teneatur Confeſſario aperire pœnitens con-
ſuetudinis circumſtantiam, ſicut tenetur occa-
ſionis: ſiquidem qui diu ſtetit in occaſione pec-
candi, quæ ſemper illi fuit cauſa peccati, & nun-
quam voluit eam relinquere, proculdubio hæc
circumſtantia ad minus eſt notabiliter aggra-
uans; ergò ſaltem iuxta ſententiam eorum, qui
volunt circumſtantias aggrauantes in eandem
ſpeciem pertinere ad integritatem confeſſionis,
eſt confeſſioni aperienda. Adde hic, quæ infra
dicemus *concl. 5. lim* 2.

Circumſtantia denique, *Quando*, eſt circum-
ſtantia temporis, quo peccatum committitur.
36 Etenim quidam volunt, quòd qui in die feſto
peccat, grauius Deum offendit: ſiquidem omnia
peccata ſunt contra Diuinum cultum, atque ideò
contra tertium præceptum. Confirmatur quia
dies feſtus ſunt ſimpliciter deſtinati in honorem,
ac cultum Dei, ac ſanctorũ, ſpecialis iniuria vide-
tur Deo inferri, cum per peccatũ in honorando,
eo die, quo ex præcepto tenemur honorare, ita

Maior.

Maior. in 4. d. 17. q. 4. Gabr. in 3. d. 17. Alenſ. 3.
par. q. 32. nu. 5. art. 2. D. Anton. 3. par. tit. 17. cap.
17. §. 5. Sed hæc ſententia meritò reijcitur à
Nauar. in Man. cap. 6. nu. 10. & cap. 12. Suar. in
3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 3. nu. 21. Vaſq. ibidem,
q. 91. art. 1. dub. 4. ſub nu. 23. Sanch. lib. 1. in
Decal. cap. 14. Molſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract.
7. cap. 12. n. 81. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. Conynch.
tom 2. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 4. nu. 27. &
Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. cap. 5. ſub
nu. 20. vbi teſtatur de communi: ſiquidem cir-
37 cumſtantia diei feſti non mutat ſpeciem peccati,
nec illud intra eandem ſpeciem notabiliter ag-
grauat; nam peccatum non eſt opus ſeruile, quod
prohibetur die feſto: licèt enim qui peccat fiat
ſeruus peccati, in diebus tamen feſtis ſolùm
prohibetur opus ſeruile corporale, non autem
opus ſeruile mentale, ſeù ſpiritale, quale eſt pec-
catum, per quod quis efficitur ſeruus diaboli;
peccatum autem non magis prohibetur die feſto,
quàm non feſto. Nec obſtant contraria ſupra
relata; quoniam, & ſi peccata ſint contra Diui-
num cultum, eo quòd dies feſtus ſunt deſtinati
in honorem, ac cultum Dei, ac ſanctorum; atta-
men finis præcepti nõ cadit ſub præcepto: & prop-
terea quamuis peccatum ſit contra finem præ-
cepti obſeruandi feſtum; nihilominus non eſt
contra prohibitionem; nam id quod prohibetur
fieri die feſto eſt opus ſeruile corporale, vt ſupra
diximus: ſecluſa autem hac prohibitione, non
eſt vndè circumſtantia temporis aggrauet, aut
mutet peccati ſpeciem. Eſt tamen conſideran-
dum, quòd *Medina lib. 1. inſtr. cap. 9. §. 1. Piti-*
gnan. in 4. tom. 2. diſp. 17. quæſtiun. vnica, art. 5.
in fin. Rodriq. in ſum. tom. 1. cap. 53. nu. 12. Flam.
in ſum. par. 3. cap. 8. §. 14. & alij volunt in duobus
tamen caſibus circumſtantiam diei feſti eſſe ne-
ceſſariò in confeſſione aperiendam, tamquam
notabiliter aggrauantem, vt ſi quis fuerit forni-
catus in die Iouis ſancti, aut eo ipſo die, quo ad
confeſſionem ſe contulit. Sed re vera quamuis
laudabile ſit his caſibus circumſtantiam diei feſti
Confeſſario aperire; non tamen eam putant Do-
ctores neceſſariò aperiendam, ſaltem hi, qui
negant circumſtantias notabiliter aggrauantes
infra eandem ſpeciem pertinere ad integritatem
confeſſionis: ſiquidem dicta circumſtantia non
mutat ſpeciem, vt ſupra oſtendimus, nec videtur
notabiliter aggrauare. Ita *Ledeſma in ſum. tom.*
1. de pœnit. cap. 19. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art.
1. dub. 4. nu. 24. Fay. in addit. ad 3. par. q. 9. art. 2.
dub. 12. Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 5. ſec. 2. par. 2.
§. 3. difficul. 3. nu. 29. Conynch. de ſacram. diſp. 7.
dub. 4. nu. 27. Fagund. loco ſupra citato. Fillinc.
tom. 2. qq. moral. tract. 21. cap. 9. nu. 347. Diana
par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 32. qui tamen
id limitant, niſi peccatum committatur in con-
temptum diei feſti, vel confeſſionis, aut com-
munionis: nam circumſtantia contemptus ne-
ceſſariò eſt explicanda, quia de culpa veniali
transferri poteſt in mortalem, vt rectè declarat
Nauar. in Man. cap. 9. §. 9. & Caiet. 1. 2. q. 7.
art. 1. His præmiſſis ad huius controuerſiæ eui-
dentiam ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

CIrcumſtantiæ impertinentes non pertinent
ad integritatem confeſſionis, atque ideò
38 pœnitens non tenetur eas confiteri, vt ha-
betur ex *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. concl. 4. Sayro*
lib. 3. Clau. Reg. cap. 3. ſub nu. 22. in fin. Fillinc.
tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. ſub nu.
9. in fine, & ex alijs Doctoribus communiter.
Patet hæc concluſio ex eo quòd huiuſmodi cir-
cumſtantiæ non minuunt, nec augent malitiam
peccati, cùm nouam deformitatem, aut confor-
mitatem actui non tribuant, ita vt peculiariter
conueniant, vel repugnent rectæ rationi. Hinc
infertur, quod ſi pœnitens confiteatur occidiſſe
aliquem, non eſt opus dicere, dextera, vel ſini-
ſtra manu, gladio, vel haſta, ante, vel poſt pran-
dium, ante, vel poſt Miſſam eum occidiſſe. Imò
non ſolùm pœnitens poteſt; ſed etiam debet has
circumſtantias in confeſſione omittere: nam hu-
iuſmodi circumſtantiæ ſunt contra confeſſionis
virtutem, quam ſupra diximus debere eſſe puram
abſque admixtione hiſtoriarum, fabularum, &
rerum ad confeſſionem impertinentium: & ali-
quando tendunt ad peccati excuſationem, vt
patet in eo, qui mulieris pulchritudine ſe captũ;
aut mulier præcibus, vel pretio ſe ductam pec-
caſſe confitetur. Quandoque etiam tendunt ad
inanem gloriam, vt cùm Miles homicidium ſe
commiſiſſe in confeſſione aperit, narrat quàm
ſtrenuè ſe geſſerit in duello, & multoties ten-
dunt in blaſphemiam, vt ſi quis dicat occidi ho-
minem in duello; quia non potui, nec debui ho-
norem meum aliter protegere. Etenim blaſphe-
mia huiuſmodi eſt contra Dei legem, contra
rationem confeſſionis, ac eiuſdem humilitatem;
atque ideò ſuperbia mortalis, vt rectè docet *Sot.*
loco citato. Non tamen ex hac concluſione ſe-
quitur, quòd circumſtantiæ impertinentes cùm
ſpectent ad integritatem confeſſionis, conſe-
quenter actus exterior ad eandem non pertineat,
cùm actus exterior non augeat, nec minuat ma-
litiam peccati, quoniam actus eiuſmodi non eſt
circumſtantia, ſed ipſumet peccatum, vnum, &
idem cum interior: & propterea totum explicari
debet, prout peccatum eſt compoſitum ex vtroq;
actu, interiori ſcilicet, & exteriori, vt bene
docet *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 21.*
ſec. 3. nu. 2.

Circumſtantiam impertinentem ad confeſſio-
nem ſacramentalem putant aliqui in peccato
39 odij explicare omnia mala volita in ſpecie et,
qui odio habetur; & propterea volunt ſatis eſſe,
quòd pœnitens dicat ſe toties odiſſe proximum,
nec opus eſſe explicare, an tale odium verſetur
circa famam, bona, aut perſonam: ſiquidem di-
cunt abominationem eſſe eiuſdem ſpeciei, quam-
uis homo deſideret varia, & diuerſa mala in
ſpecie proximo, ita *Ledeſ. in ſum. tom. 2. tract. 3.*
cap. 6. concl. 8. Bonac. in tract. de legib. diſp. 3. q. 4.
par. vlt. §. 1. nu. 10. & Diana par. 1. tract. 7. reſol.
30. Sed re vera hæc ſententia nobis non proba-
tur, & contra eam expreſsè docent *Suar. in*
tract. de charit. diſp. 6. ſec. 2. nu. 2. & 3. Syluius in
2. 2. q. 34. art. 6. verſ. Quæritur ſecundò, & alij,
dicentes, quòd afficere hominem iniuria in vita,
vel infamia ſunt peccata ſpecie diuerſa propter
materiæ, ſeù obiectorum diuerſitatem in odio:
& propterea hæc circumſtantia venit in confeſ-
ſione aperienda. Nec obſtat, quòd illa mala
optantur proximo ſub vna, & eadem ratione
formali, quæ eſt odium proximi; quoniam re-
ſpondetur, quòd odium non eſt ratio formalis

malo-

malorum volitorum, ſed potius reducitur ad cauſam effectiuam, quoniam mala volita imperantur ab odio: & propterea quemadmodum qui ex odio cum effectu occidit proximum, & rapit eiuſdem bona, duo peccata externa ſpecie diſtincta committit, & tenetur eadem diſtinctè confiteri, nec ſatis eſt ſi dicat, ſe toties odiſſe proximum; ita etiam dicendum eſt de eo, qui ex odio vult occidere proximum, & bona rapere, & non deuenit ad actũ externũ, aut vult ab alio occidi, vel rapi. Vndè in hac re placet nobis praxis relata ab *Alph. de Leon. de offic. & poteſt. Confeſſar. recoll. 23. n. 27.* dum ait, quò qui confitetur odio aliquem fuiſſe proſecutum; Confeſſarius inueſtigare debet, an mala volita ex odio ſub ratione mali proximi ſint volita in genere, vel ſub ratione talis mali in ſpecie: primo caſu ſatis eſt ſi fateatur ſe toties proximum odiſſe grauiter: ſecundo verò caſu debet exprimere mala ipſa volita, cùm poſſint mutare ſpeciem. Impertinentem
40 ad integritatem confeſſionis arbitrantur quoq; nonnulli explicationem obiectorum in delectatione moroſa, maximè cum conſiſtit tantum in appetitu ſenſitiuo, & non in efficaci voluntate; atque adeo non ſit neceſsè in confeſſione aperire, an mulier de qua ſumpta eſt delectatio fuerit coniugata, monialis, libera, &c. putant enim delectationes moroſas omnes eſſe eiuſdem ſpeciei, nec differre à ſimplici fornicatione: ſiquidem eo caſu delectatio non ſumitur de coniugata, vt coniugata, ac de illo obiecto, quatenus eſt iniurioſum alteri, ſed quatenus eſt obiectum delectabile: quapropter ſatis eſt ſi pœnitens confiteatur ſe toties moroſè fuiſſe delectatum citra expreſſionem, & circumſtantiam perſonæ obiectæ, an ſcilicet fuerit coniugata, monialis, vel libera, ita *Diana* loco ſupra relato, *reſolut.* 48. poſt *Vaſq. in par. 2. tom. 2. diſp. 112. cap. 2. Sayr. lib. 8. Clau. Reg. cap 7. nu. 10. Reginal. lib. 12. ſuæ prax. cap. 2. nu. 13. Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 21. cap. 8. nu. 301. Bonac. de matrim. q. 4. par. 8. nu. 19. Leſſ. lib. 4. cap. 3. dub. 15. num. 123.* Hæc ſententia prout à *P. Diana* moderatur non ſolùm videtur vera quoad explicitam excluſionem obiectorum in delectatione moroſa, ſed etiam dum loquitur de delectatione, quæ conſiſtit tantùm in appetitu ſenſitiuo, & non in efficaci voluntate, videtur ab ea excludere omnem malitiam, vel ſaltem malitiam mortalem, vt quia fuerit quis negligens in ea repellenda, cum delectatio moroſa in ſola voluntate compleatur, vt poſt alios inquit *P. Alph. de Leone, de offic. & poteſt. confeſſar. recoll. 7. nu. 30.* qui teſtatur hanc eſſe communem Theologorum opinionem. Sed quoniam Doctores contrariæ ſententiæ loquuntur de delectatione moroſa mortali, atque adeo de delectatione efficaciter volita in ſe, vel in cauſa, vt videre eſt apud *Caiet. 2. 2. q. 154. art. 4. Nauarr. in Man. cap. 16. nu. 9.* & alios quos recenſet ipſe *Diana*, idcircò ipſa contraria ſententia nobis videtur probabilior: ſiquidem peccata tùm interna, tùm externa diſtinguntur ſpecie ex diſtinctione obiectorum, vel circumſtantiarum, ſpecie differentium, vt ſupra oſtendimus *ſec. 2. concl. 2.* & habetur ex *Nauar. loco citato*, & alijs. Et quamuis daremus aliquem delectari de muliere coniugata non vt coniugata, & quòd eo caſu delectatio terminetur ad ſimplicem fornicationem; nihilominus eſt idem dicendum de omni alia delectatione moroſa; cùm delectatio moroſa non ſolum detur de rebus venereis, ſed homicidijs commiſſis, aut committendis, de furtis, & alijs peccatis. Vndè ſi quis moroſè delectetur de inimico ab eo occiſo, nec nõ de muliere ſoluta ab eo cognita, & de furto centum aureorum ab eodem commiſſo, proculdubio iſte talis committit tria peccata ſpecie diſtincta, eo quod diſtinctè voluit huiuſmodi delectationes, ergò non eſt ſatis dicere ter moroſè fuiſſe delectatum, ſed debet obiecta diſtincta ſpecie, diſtinctè in confeſſione aperire, quoniam ex *Conc. Trid.* ſæpè diximus nos obligari ad confitendum peccatorum ſpecies. Vndè adhoc vt confeſſionem faciat integram debet confiteri ſe ter fuiſſe moroſè delectum, nempè de muliere ſoluta, de homicidio ac furto.

Impertinentem qnoque circumſtantiam pu-
41 tant aliqui eſſe illam loci ſacri quando quis rem ſacram ſurripit à loco ſacro: ſatis enim eſt ſi pœnitens dicat in confeſſione ſe commiſiſſe furtum rei ſacræ, nec oportet confiteri circumſtantiam loci ſacri, vt ſupra oſtendimus, *verſ. Circumſtantia, quid, & verſ. circumſtantia*, vbi Impertinens pariter eſt circumſtantia ſtupri voluntarij in virgine ſponte conſentiente: & propterea non eſt interroganda mulier, quæ confitetur peccatum incontinentiæ ad declarandam circumſtantiam ſtupri; ſicut nec ſtuprans, niſi ſtupro ſit adiuncta violentia: & multo minus virgo, quæ moroſè delectatur circa aliquem tenetur in confeſſione aperire circumſtantiam virginitatis: ſicut nec iuuenis, qui moroſè delectatur de virgine citra voluntatem inferendi ei violentiam: & ſi ſodomiæ crimen commiſerit cum virgine non obligatur confiteri circumſtantiam virginitatis, vt de hac re egimus ſupra in not. *verſ. Circumſtantia, circa quid*, vbi egimus quoque de circumſtantia raptus, & idem diximus, ſi fuerit voluntarius: quæ quidem quomodo vera ſint, latè ibidem declarauimus. Impertinentem pariter quidam putant circumſtantiam ſcandali, quando quis induxit ad fornicandum meretricem paratam ad fornicandum, vel maleficum paratum ad ſoluendum maleficium alio malefic o, aut ſocios paratos ad occidendum, vel ad furandum, vt ſupra adnotauimus in not. *verſ. Circumſtantia*, quibus auxilijs. Item impertinens eſt ſecundum aliquos circumſtantia Clauſtri, & Cellæ Monacorum in confeſſione copulæ habitæ in Clauſtro, aut in Cella: quod tamen quomodo procedat ſatis declarauimus ſupra, *verſ. Circumſtantia* vbi. Prætereà impertinens eſt circumſtantia ſtudij cauſa, qui omiſit ſacrum die feſto propter ſtudium, & ideò ſatis eſt ſi quis in confeſſione dicat ſe omiſiſſe ſacrum, vt ſupra diximus, in *verſ. Circumſtantia*, cur. Idem dicendum eſt de eo, qui proiecit breuiarum in mare in diuturna nauigatione, propter quod per ſpatium vnius men-
42 ſis prætermiſit recitare horas canonicas: ſiquidem ſatis eſt aperire Confeſſario ſe per menſem omiſiſſe recitare horas canonicas, nec opus eſt explicare proiectionem breuiarij, vt habetur ex *Tannerio in par. 2. diſp. 4. dub. 2. nu. 25. & 26.* quem refert, & ſequitur *P. Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſolut. 63.* Etenim impotentem ſe reddere ad actum præcepti, ſolum prohibetur

præcepto affirmatiuo de actu exequendo; atque
ideò non aliam habet malitiam, quàm ipſamet
omiſſio actus præcepti. Eſt tamen verum, quod
propoſitum omittendi, vt eſt actus ille, quo quis
facultatem ademit actum præceptum exercendi,
per accidens aliquando in confeſſione eſt diſtin-
ctè aperiendum. Vt cùm quis propoſuiſſet per
menſem recitationem horarum canonicarum
omittere, & deindè propoſitum mutans, non
niſi decies prætermiſit, aut ſi quis in itinere, aut
nauigatione proiecerit breuiarium cùm propo-
ſito omittendi horas canonicas per menſem inte-
grum; & deindè ad ſe reuerſus, recuperato bre-
uiario, ter tantùm illas prætermiſerit: his enim
caſibus, cùm maius peccatum ſit actus ex cauſa
ommiſſionis, quàm ipſa omiſſio ſubſequens, non
ſufficit in confeſſione dicere ſolam omiſſionem.
Ita *Diana loco citato*; qui addit etiam eſſe no-
tandum, quod qui poſt proiectum breuiarium
dolet de cauſa omiſſionis data, non peccat de-
indè canonicas horas non recitando, quouſque
nouam negligentiam non admittit in breuiario
comparando; quoniam omiſſio ipſa peccatum
non eſt; ſi pro tempore quo contingit, non ſit in
poteſtate omittentis, vel in ſua cauſa ſit volun-
taria, vt quia ante tempus executionis præcepti
ipſum de cauſa data pœnituit, vel quia non va-
luit, aut non debuit cauere ſecuturam omiſſio-
nem, vt habetur ex *Becano in par. 2. tract. 2. cap.
3. q. 6. nu. 10. & 11. Villalob. in ſum. tom. 1. tract.
3. difficult. 6. nu. 4. & Tanner. loco ſupra citato,
dub. 3. nu. 37.* An autem, qui cauſam dat omiſ-
43 ſioni teneatur in confeſſione non ſolum aperire
cauſam, ſed etiam omiſſionem, vide *Dian.* poſt
alios *loco citato, reſol. 64.* vbi contra *Tanner. d.
dub. 3. nu. 35.* & communem Doctorum ſenten-
tiam, tenet ſatis eſſe explicare cauſam; quoniam
omiſſio tunc non eſt peccatum, ſed effectus pec-
cati, vt patet exemplum de eo, qui propter ebrie-
tatem omiſit recitare horas canonicas, vel audire
ſacrum die feſto: ſiquidem durante ebrietate,
non eſt in eius poteſtate recitare horas canoni-
cas, aut audire ſacrum. Pro hac eadem opinione
allegat *Vaſq. par. 2 tom. 1. diſp. 94. cap. 3. nu. 16. &
Bonac. de legib. 2. q. 4. par. 4. nu. 8.* Idem dicen-
44 dum eſt de pollutione præuiſa, ſed non intenta
in ebrietate, aut nimia comeſtione: ſiquidem
ſatis eſt aperire Confeſſario cauſam pollutionis,
non autem ipſam pollutionem, atque adeò ſuf-
ficit, ſi pœnitens ſe accuſet de nimio potu, ac
cibo, vt poſt alios inquit *Diana loco citato, reſol.
65.* volunt enim, ita demum pollutionem præui-
ſam eſſe culpam mortalem, quando cauſa eſt
mortalis in genere Luxuriæ; ſecus autem in caſu
noſtro, quando cauſa eſt lethalis in ebrietate,
& nimia comeſtione. Imò *Sancius in ſuis ſelectis
diſput. diſp. 21. nu. 15. & diſp. 23. nu. 29.* arbitra-
tur, quod verba impudica, cogitationes turpes,
& tactus licèt ſint crimina mortalia, & ſint cauſæ
per ſe ordinatæ ad pollutionem; non tamen effi-
caciter influunt in illam: ſiquidem cogitatio tur-
pis, quæ eſt præſens ſi non influit in pollutionem
multo minus influit, quando eſt in ſomnis, atque
ideò abſens. Adde quòd pollutio præuiſa, & non
intenta ex actionibus peccaminoſis venialiter
tantum in genere Luxuriæ, non eſt peccatum
mortale, vt ſi ex actu leui manus, viſu, verbis,
lectione aliquantulum libidinoſa, &c. Ita *Tan-
ner.* cum alijs, quos allegat *p. 2. diſp. 4. q. 8. dub.
6. nu. 123. & Dian. d. reſol. 65. in fine*, qui *reſol.
64.* idem dicendum eſſe putat de homicidio ex
ebrietate, & de vulneratione actuali facta per
emiſſam ſagittam.

† Impertinens pariter eſt ad confeſſionem cir-
cũſtantiã loci ſacri diruti, ab hoſtibus capti, & ad
45 prophanos vſus redacti, aut Eccleſiaſtico ſup-
poſiti interdicto, vbi quis in eo ſanguinem, aut
ſemen effunderit, &c. quia locus ſacer non de-
ſinit eſſe ſacer ex eo, quòd ab hoſtibus capiatur
dirupatur, aut Eccleſiaſtico ſubijciatur inter-
dicto; atque ideò circumſtantia huiuſmodi non
auget, nec minuit malitiam ſacrilegij, vt infra
latius, Deo duce, dicemus *concl. ſeq. in verſ.
Illud autem, & verſ. Eſt tamen verum.* Imper-
tinentem ſimiliter arbitror circumſtantiam peri-
culi amiſſionis bonorum ab eo, qui defraudauit
gabellam; ſed ſatis eſt ſi confiteatur ſe defrau-
daſſe gabellam, etiam ſi pro lucranda gabella
vnius aurei expoſuerit ſe periculo confiſcationis
bonorum valoris ducatorum mille. Etenim qui
46 furatur coram Iudice, vel cum manifeſto peri-
culo vitæ, non tenetur hanc circumſtantiam ape-
rite in confeſſione, vt contra *Vaſq. par. 2. tom. 1.
q. 73. art. 9. dub. 3.* docet *Tanner. in par. 2. diſp. 4.
q. 3. dub. 3. nu. 71.* quem refert, & ſequitur *Dian.
par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 6.* ſiquidem pœ-
na huius vitæ, quamuis à peccante præuiſa, non
addit nouam ſpeciem malitiæ; niſi pœna illa
directè ſit intenta, ac ipſum peccatum tanquam
medium ad hunc finem electum: ſiquidem, qui
directè, & per ſe non vult pœnam; ſed tantùm
indirectè, is non vult pœnam, niſi ex ſuppoſitione
peccati: at velle pœnam ex ſuppoſitione peccati,
per ſe non eſt peccatum. Idem dicendum putant
de eo, qui alteri ſuadet peccatum cum periculo
incurrendæ pœnæ mortis; nam ſufficit in talibus
caſibus ſi pœnitens in confeſſione ſe accuſet
commiſiſſe peccatum furti, & non explicare ſe
furatum fuiſſe coram Iudice, vel cum manifeſto
periculo vitæ: vel ſuaſiſſe alteri peccatum, nec
oportet explicare circumſtantiam illam periculi
incurrendæ pœnæ mortis: quòd ſi hæc vera ſunt
in his caſibus, multo magis vera ſunt quæ ſupra
diximus de fraudente gabellam cum periculo
confiſcationis bonorum. Item impertinentem ad
47 integritatem confeſſionis putat *Llamas in ſum.
par. 3. cap. 8 §. 16.* circumſtantiam profeſſi, vel in
ſacris conſtituti, ſi quis ſe polluat tangendo ali-
quem profeſſum, aut in ſacris conſtitutum; atq;
ideò ſi patiens eſt ſæcularis, ſatis eſt ſi in confeſ-
ſione dicat, ſe paſſum fuiſſe voluntariè pollui ta-
ctibus alienis: nec profeſſus, aut in ſacris con-
ſtitutus tenetur ad aliud, niſi quòd tangens im-
pudicè alium polluit: quia ſacra perſona tali caſu
non dicitur violata; quam ſententiam non ad-
mittit *Dian. loco citato, reſol. 53.* Impertinens
circumſtantia numeri eſt ad integritatem con-
feſſionis, ſi Sacerdos exiſtens in peccato mortali,
in Miſſa Euchariſtiam ab alijs conſecratam mul-
48 tis miniſtret: is enim vnum tantùm peccatum
mortale in genere moris committit, ſicut ſi vna
aſperſione plures baptizaret, aut vnica abſolu-
tione plures abſolueret. Ita *Tanner. 2. 2. diſp. 4.
q. 2. dub. 4. n. 56. Henr. lib. 5. cap. 5 nu. 6 & Diana
vbi ſupra, reſol. 41.* vbi addit probabilem eſſe
illam ſententiam, quæ docet, Sacerdotem in

peccato

peccato mortali Euchariſtiam miniſtrantem non peccare mortaliter, vt inquit *Vaſq. in 3.par.tom. 2.diſp.136.cap.3. nu.38. Io. dela Cruz in Direct. confeſ.par.2.q.4.concl.1. contra Fillinc.* & alios à *Diana* relatos. Vndè in tali caſu non eſt neceſsè, vt Sacerdos ſe accuſet de adminiſtratione Euchariſtiæ in peccato mortali. Et qui priorem ſententiam ſequitur, ſatis eſt ſi confiteatur adminiſtraſſe Euchariſtiam in peccato mortali citra expreſſionem numeri perſonarum, quas
49 communicauit. Item impertinens eſt circumſtantia voti ſimplicis emiſſi à Religioſo profeſſo, vel à Clerico in ſacris de non committenda mollitie, ſeù fornicatione; atque ideò Religioſus profeſſus, & Clericus in ſacris conſtitutus, qui commiſerunt peccata prædicta non tenentur in confeſſione confiteri votum illud ſimplex caſtitatis: ſiquidem multiplicatio noua votorum nullam addit circumſtantiam aggrauantem, nec vouens ſe obligauit de nouo, ſed veterem obligationem cum illo voto confirmauit: ſicut qui pluries iurauit, aut ſe per publicas ſcripturas ſe obligauit ad aliquid dandum, vel faciendum, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccleſ. precep. 2. cap.3. nu. 11.* cum alijs, quos allegat *Diana vbi ſupra reſol.9.* qui adhoc etiam citat *Fillinc. tom. 2.qq.moral.tract.30.cap.7.nu.26.* dum ait, quòd qui habet votum ſolemne, & ſimplex, non tenetur vtrumq; Confeſſario aperire; quoniam votum ſolemne, & ſimplex differunt tantum accidentaliter, & non eſt circumſtantia in confeſſione aperienda.

SECVNDA CONCLVSIO.

Circumſtantiæ minuentes malitiam peccati infra eandem ſpeciem non pertinent ad in-
50 tegritatem confeſſionis, atque ideò in confeſſione licitè omitti poſſunt. Hæc concluſio eſt communis, quam tenent *Sot. in 4.d.18.q.2.art.4. concl.34. Nauar. in Man.cap.6. nu.5. & in cap. conſideret de pœnit.d.5.nu.5. Conynch.diſp.7. de integr.confeſ.nu.16. Molf.par.1. ſua ſum. Theol. tract.7.cap.12.nu.61. & alij.* Etenim huiuſmodi circumſtantiæ non multum variant morale iudicium, atque adeò ſi in confeſſione tacerentur, Confeſſarius deciperetur ad ſummum in re leui, & poſſent ab eo citra periculum, & præciſa quacunque contumelia excogitari. Imò *Palud. in 4.d.16.q.3.art.3.* & nonnulli alij Doctor. exiſtimant, prædictas circumſtantias non ſolùm in confeſſione poſſe; ſed etiam omninò omitti debere, cùm earum confeſſio tendat ad excuſationem peccati; quod non eſt licitum. Vndè qui peccauit cum muliere ab ea prouocatus, prouocationis circumſtantiam volunt non ſolùm non teneri pœnitentem, ſed nec debere quidem confiteri: quæ ſententia meritò reijcitur à *Nauar.* ſe retractante in *d.cap.6. nu.5.* & ab alijs ſupra relatis Doctoribus: ſiquidem quocunq; modo pœnitens tales circumſtantias exprimat, ſe ipſum ſemper ſufficienter accuſat, imputando ſibi peccatum, quod commiſit, nihil illi detrahens, vel adijciens: & aliquando laudabiliter exprimuntur; nam earum ratione venit mitiganda pœnitentia, *vt in cap. ſignificauit ſupra eo.tit. noſtro*, in illis verbis. *Ipſi pœnitentiam ſecundū quod viſum fuerit, miſericorditer imponatis, attendentes, quòd pro libertate ſua, & Eccleſiæ deuotione hoc fecit.* Et in *cap. conſideret, de pœnit.d.5.* expreſsè ait *D. Auguſtinus* eſſe habendam conſiderationem tentationis in peccando, ita inquiens, *Conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & quali fecerit hoc tentatione.*

Imò *Sot. in ſupra relata concl.3.* inquit, quod licèt regulariter circumſtantias minuentes mali-
51 tiam peccati intra eandem ſpeciem non oporteat confiteri; nihilominus ſi multum minuant, neceſſarium eſt illas exprimere: & ponit exemplum in puella, quæ graui inopia oppreſſa, aut mortis metu iuuenem admiſit. Quod quidem mihi videtur valdè dubium; niſi per Ly. *Neceſſarium, &c.* Dicamus *Sot.* non intellexiſſe, prædictas circumſtantias pertinere ad integritatem confeſſionis; ſed eſſe valdè conueniens illas exprimere: nam in ratione aſſignanda vtitur verbo, *Poteſt*, dicens, *Licèt peccatum mortale ſit; poteſt tamen ſuæ famæ, & honori conſulere, dicendo cauſam, qua turpitudinem ſuam aliquo modo alleuiet.* Idem dicendum eſt de eo, qui peierauit, vt vitam propriam, vel Domini ſui ſaluaret: aut furtum fecit, vt bona ſubtracta pauperibus largiretur: nam cura nobis habenda eſt de bono nomine, ſalua confeſſionis veritate, iuxta illud *Eccleſiaſt. cap. 41.* & huiuſmodi circumſtantiæ ſunt notabiliter alleuiantes malitiam intra eandē ſpeciem. Non tamen illas arbitror pertinere ad integritatem confeſſionis, vt ſupra diximus, atq; ideò pœnitens citra omnem culpam poſſet in confeſſione omittere; etiam iuxta ſententiam eorum, qui volunt, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem eſſe aperiendas: ſiquidem diuerſa ratio militat in circumſtantijs aggrauantibus malitiam peccati notabiliter infra eandem ſpeciem, ac in circumſtantijs notabiliter minuentibus malitiam culpæ infra eandem ſpeciem: nam aggrauantes extrahunt actum ab ordinario modo peccandi; non ſic vt plurimum minuentes. Item aggrauantes ſi à pœnitente non explicentur, non poſſunt à Confeſſario plenè excogitari: minuentes autem, etiam ſi non declarentur, poſſent à Confeſſario citra omne periculum, ac pœnitentis contumeliam excogitari.

Illud tamen circa rem hanc eſt adnot. quòd ſi quis in loco ſacro cognouit carnaliter propriam
52 vxorem, ſatis non eſt confiteri, cum muliere in loco ſacro peccaſſe; ſed vxoris circumſtantiam tenetur omninò exprimere: quia licèt eiuſdem ſpeciei ſit ſacrilegium habere rem cum propria vxore in loco ſacro citra rationabilem cauſam, ac cum alia muliere, cùm coniugalis vſus abſque vrgenti neceſſitate citra lethalem culpam haberi non poſſit, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 3. q. 1. art.3. D. Anton. 3.par.tit.1.cap.20.§.2. Caiet. in ſum. ver. Matrimonialis vſus peccata, §. 6. Angel. ver. Debitum, §. 32. Nauar. in Man. cap.16.nu.32.* & alij, nihilominus, circumſtantia illa vxoris, tollit ab huiuſmodi concubitu malitiam adulterij, relinquendo malitiam ſacrilegij; & proindè adeò minuit culpam, vt ex ea tollat adulterij crimen, quod eſt peccatum ſpecie diſtinctum à ſacrilegio. Vndè huiuſmodi circumſtantia eſt Confeſſario aperienda; aliàs Confeſſarius ipſe deciperetur in re graui, vt infra melius declarabimus. Et multo magis hęc circumſtantia exprimenda eſſet, ſi copula inter coniuges in

loco ſacro ſuccederet, humana fragilitate, aut neceſſitate ad id compellente: vt quia coniuges, aut eorum alter longo tempore in loco ſacro habitare cogantur, & alteri immineat periculum incontinentiæ, nec poſſint extra ſacrum coire; nam tunc rem habens cum vxore in tali loco excuſaretur ſaltem à tali culpa, vt benè docet *Ricchard. in 4.d.32.art.2.q.1. Maior. ibidem, q.1. Alphonſ. de Caſtr. lib.1. de poteſt. leg. pœn. cap.7. doc.2. Henr. lib.9. de ſacrif. Miſſæ, cap.27. §.5. Syl. in ſum. in ver. Conſecratio, 2.q.5. & in ver. Debitum coniugale, q.5. Victor. in ſum. nu. 276. Tolet. lib.5. ſua ſum. cap.12. Suar. in 3.p. tom.3. diſp.8. ſec.4. Azor. tom.2. Inſt. moral. lib.9. cap.5. q.1. verſ. Dubia quæſtionis, & Leſſ. lib. 4. de Iuſt. & iure, cap.3. dub. 12. num. 85.* Etenim eo caſu non præſumitur Eccleſiam voluiſſe prohibere coniugibus coniugalem vſum, ne exponantur periculo illicitæ pollutionis, vt ſupra declarauimus in not. *verſ. Circumſtantia*, vbi, vt egimus quoque, an & quando ratione talis copulæ polluatur locus ſacer, & quiſnam propriè dicatur locus ſacer quoad hunc effectum. Vndè circumſtantia illa, vel omninò tolleret malitiam à concubitu, vel mutaret ſpeciem peccati ex mortale ex ſuo genere in veniale, & propterea pertinet ad confeſſionem, itaut neceſſariò pœnitens teneatur illam confiteri: ſiquidem circumſtantiæ, quæ ita minuunt peccatum, vt ex mortale faciant illud veniale, omninò ſunt Confeſſario aperiendæ: nam licèt circumſtantiæ huiuſmodi non conſtituant peccatum, ſed potius minuant; nihilominus minuunt eius malitiam in infinitum, atque ideò pertinent ad iudicium Confeſſarij, vt ſcitè, ac prudenter abſolutionis ſententiam ferre poſſit, & ſacramentalem pœnitentiam iniungere, vt habetur in *Cathec. Rom. de pœnit. nu. 48. & Molſ.* poſt alios *p.1. ſua ſum. tract.7.c.12.n.60.*

Eſt tamen verum, quod ſi quis furtum, vel homicidium committat, ſanguinem, aut ſemen
53 effundat in loco ſacro ab hoſtibus capto, & ad prophanos vſus ab eis deputato, diruto, aut Eccleſiaſtico ſuppoſito interdicto, circumſtantias loci ab hoſtibus ad prophanos vſus conuerſi, diruti, aut interdicti, non tenetur in ſacramentali confeſſione aperire, ſed ſatis eſt dicere prædicta crimina in loco ſacro commiſiſſe: ſiquidem circumſtantiæ huiuſmodi non ſolùm non minuunt malitiam peccati mutando ſpeciem, aut notabiliter infra eandem; ſed nec quidem leuiter. Nam licèt locus ſacer capiatur, & prophanetur ab hoſtibus, aut à quocunque alio; non tamen ob id deſinit eſſe ſacer, vt benè docet *Gloſa. in Clem. in plerisq; in ver. Chriſtiano, de elect. & Decian. in ſuo tract. crimin. lib.6. cap.24. nu.25.* Etenim Sacerdos per captiuitatem non deſinit eſſe talis, etiam ſi ab Eccleſia recederet, vt in *cap. quod quidam, 1.q.1.* Nec obſtat *tex. in l. cum loca, ff. de Relig. & ſump. funer. & in l. ſepulcra, C. de ſepulc. viol.* in quibus habetur, quòd loca ſacra capta ab hoſtibus deſinunt eſſe ſacra; quoniam iura illa non ſunt intelligenda, quòd per captiuam loca prædicta deſinant eſſe ſacra verè, ac propriè; ſed impropriè, cùm viduata ſit ſacris miſterijs, vt benè reſpondet *Gloſ. vltima in cap. Paſtoralis, 7. q. 1.* quam ſequitur *Decian. loco citato*, poſt *Imol. & Cardin.*

Nec etiam ex eo, quòd Eccleſia ſit diruta, eius
54 locus deſinit eſſe ſacer, vt in *l. ædes ſacra, ff. de contrah. empt. l. in tantum, §. ſacra, in fin. ff. de rer. diuiſ. & §. ſacra, in ver. Locus, in Inſt. eo. tit. Gloſ. in cap. quem ſemel, 19. q. 3.* Quod quidem verum eſt, niſi Epiſcopi auctoritate fuerit prophanata, iuxta ea, quæ habentur in *Concil. Trid. ſeſſ. 21. de reform. cap. 7.* vel nulla eſſet ſpes reædificationis eiuſdem; quoniam tunc eius locus deſineret eſſe ſacer: ſecus autem quando Eccleſia diruta non eſſet auctoritate Epiſcopi, & ſperetur reædificari. Nam quàuis eo caſu ammitteret conſecrationem, cùm Eccleſiæ conſecratio in exteriori parte conſiſtat, vbi linitio, & cruces fiunt, vt habetur ex *Panor. in cap. propoſuiſti, de conſecr. Eccl. vel Altar.* & facit *tex. in cap. Eccleſijs, de conſecr. d. 1.* nihilominus non ob id deſinit eſſe locus Diuino cultui deputatus ad Diuina miſteria celebranda, cùm primum ſubſequatur reædificatio. Etenim ſacer locus dicitur ex cuius violatione committitur ſacrilegium nõ ſolùm qui per Epiſcopi manus conſecratur, vel per ſimplicem luſtralis aquæ aſperſionem benedicitur, ſed etiam is, qui ad celebrandum in eo Diuina miſteria deputatus, vt colligitur ex *tex. in cap. nemo Eccleſiam*, & ibi *Gloſ. & cap. ſicut de conſecr. d. 1. §. ſacra, de rer. diuiſ. Decian. loco citato, nu. 22. & 23. Maiol. lib. 3. de irregul. cap. 23. nu. 1.* quos refert, & ſequitur *Megal. p. 1. Iuſt. Peregr. lib. 5. cap. 13. nu. 3. 4. & ſeq.* & nos latè in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. can. 15. q. 16.* Neque demum locus deſinit eſſe ſacer ex eo quòd Eccleſiaſtico ſuppoſitus ſit interdicto, cùm non ob id, quòd Sacerdos ſit interdictus, ſuſpenſus, aut excommunicatus conſecrationem amittit, vt per *Gloſ. 1. in cap. ſi quis presbiter, de Cler. excom. depoſ. vel inter. miniſtr.* Vndè ſublato interdicto de loco ſacro, citra aliam rebenedictionem ſtatim in eo excommuni Eccleſiæ vſu Diuina celebrantur. His adde quæ ſupra adnotauimus, *not. 2. verſ. Pertinentium circumſtantiarum.*

TERTIA CONCLVSIO.

CIrcumſtantiæ mutantes ſpeciem peccati, ſiuè augentes, ſiuè minuentes ipſius malitiam
55 ſint, pertinent ad integritatem cõfeſſionis; & propterea tenetur eas pœnitens confiteri. Hæc concluſio eſt communis, vt teſtatur *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. concl. 6. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 2. nu. 6. Regnald. lib. 6. ſua prax. nu. 127. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 3. Maldonat. tit. de circumſt. in 6. Regula, Melfeſ. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 12. nu. 57. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 86. & 91. & alij.* Probatur primò hæc concluſio ex noſtro canone, in illis verbis. *Diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantias, & peccati, &c.* Etenim dum præcipit circumſtantias confiteri, ad minus de circumſtantijs mutantibus ſpeciem eſt intelligendus, cùm hæ dicantur præcipuæ inter circumſtantias, ſupra omnes alias iudicium variantes. Secundò conſtat euidenter ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* ita ſe habente, *Colligitur præterea etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas, quæ ſpeciem peccati mutant, &c.* Et *can. 7. eadem ſeſſ. idem Concil.* anathemate ſtatuit eſſe feriendos contrarium aſſerentes. Vndè concluſio iſta proculdubio de fide eſt tenenda, vt probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. cap. 2. nu. 1.*

nu.1. & 13. Tertiò patet ratione: nam peccatum per circumſtantias mutantes ſpeciem peccati continet plures malitias ſpecie diſtinctas, quo circà cùm peccatum propter malitiam in ſacramentali confeſſione oporteat manifeſtari, iudicari, ac purgari, meritò vbi malitiæ fuerint ſpecie diſtinctæ exprimendæ ſunt, ac manifeſtandæ.

Ex hoc infertur, quòd qui alapam in publico alicui impegit, non eſt ſatis in confeſſione ape-
56 rire alapam illatam; ſed inſuper tenetur confiteri circumſtantiam loci publici: ſiquidem huiuſmodi peccato iniuſtitiæ circumſtantiæ loci publici addit malitiam ſcandali, quæ differt ſpecie ab iniuria, ſeù iniuſtitia. Eſt tamen verum, quod tunc huiuſmodi circumſtantia diſtinctam ſpecie malitiam addit, quando quis in publico alapam impegit ea intentione, vt alios ad ſimile peccatum induceret: nam hoc ſcandalum dicitur formale diſtinctum ſpecie à peccato iniuſtitiæ: ſecus autem ſi alapem impegit citra præfatam intentionem, quoniam tunc circumſtantia loci publici eſt tantùm circumſtantia aggrauans notabiliter, vt habetur ex *Henr. lib. 2. de pœnit. cap. 6. nu. 3. litt. Q. Caiet. in ſum. ver. Scandalum*, & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 2. cap. 4. nu. 4. & 5.* vbi latè rem hanc explicat, atque declarat. Sic etiam omittens dare eleemoſynam extremè indigenti, non eſt ſatis confiteri non dedi pauperi indigenti eleemoſynam, cùm commodè dare potuiſſem; ſed debet confiteri, ſe omiſiſſe dare eleemoſynam extremè indigenti: quia hæc circumſtantia extremæ indigentiæ addit peccato contra charitatem peccatum iniuſtitiæ, ſeù peccatum prædictum quod eſſet contra charitatem per circumſtantiam illam fit contra iuſtitiam: quod quidem neceſſariò docebunt tenentes, nos de iuſtitia teneri ſuccurrere pauperibus extremè indigentibus; ac docentes eum, qui in extrema neceſſitate alienum accipit, vt ſibi in ea neceſſitate ſuccurrat, non teneri poſtea ad reſtitutionem, ſi locupletior fiat, vt habetur ex *Scot. in 3. d. 15. q. 2. art. 4. verſ. Ad aliud, Azor. tom. 2. Inſt. moral. lib. 12. cap. 8. q. 7. verſ. Quid ſi Titius, Syl. in ſum. ver. Furtum, q. 5.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. loco citato, ſub nu. 6.*

Secundò infertur, quòd qui furtum committit ad finem adulterandi, non ſufficit, ſi in confeſ-
57 ſione dicat ſe furtum commiſiſſe, ſed debet quoque explicare circumſtantiam finis: nam furtum hoc caſu non dicitur vnum ſpecie peccatum, ſed duplex, & ſic duo peccata ſpecie diſtincta; nempè furti ratione proprij obiecti: & adulterij mentalis ratione finis, atque adeò ratione diuerſæ rationis formalis, vt ſupra adnotauimus *ſec. 2. not. 2. illat. 2.* Sic etiam Franciſcanus ſi non ieiunat die Veneris ſancti non ſatisfacit dicendo ſe violaſſe ieiunium ad quod tenemur ex præcepto; quoniam is non ſolum vnum peccatum, ſed duo contraxit; alterum ſcilicet intemperantiæ contra præceptum Eccleſiæ: & alterum contra virtutem Religionis, cùm teneatur ieiunare ex voto obedientiæ. Vndè tenetur confiteri, ſe non ieiunaſſe die Veneris ſancti, vt loco paulò ſupra relato diximus, *illat. 3.* His adde, quæ adnotauimus, *d. ſec. 2. concl. 2.* Qui occidit Clericum ſatis non eſt, ſi confiteatur occidiſſe hominem; ſiquidem circumſtantia Clerici mutat ſpecciem peccati, ita vt peccato homicidij addat etiam culpam ſacrilegij: & qui furtum committit rei minimæ, aut rei notabilis, has circumſtantias obligatur explicare; quoniam prima circumſtantia ita minuit culpam, vt mutet eius ſpeciem in genere malitiæ ex mortali in ſuo genere in veniale: poſterior verò conſtituit peccatum mortale, vt ſupra declarauimus *not. 2. verſ. Pertinentium circumſtantiarum.* Præterea qui furtum rei ſacræ committit, vel rei non ſacræ de loco ſacro, non ſufficit confiteri rem furto ſubtraxiſſe; ſed tenetur exprimere circumſtantiam rei ſacræ, vel rei prophanæ ablatæ à loco ſacro: ſiquidem huiuſmodi peccatum habet duplicem malitiam, furti ſcilicet, ac ſacrilegij. Qui tamen furatur rem ſacram de loco ſacro ſatis eſt ſi in confeſſione dicat, ſe furatum fuiſſe rem ſacram, vt ſupra oſtendimus, *not. 3. verſ. Circumſtantia*, vbi de qua circumſtantia quamplurima adnotauimus ad locum ſacrum ſpectantia, quæ hoc loco prætermittenda cenſuimus, ne bis idem repetere videamur.

Eſt tamen verum, quòd circa peccata, quæ committuntur in loco ſacro controuertitur inter
58 Doctores, an ſemper neceſſariò ſit in confeſſione manifeſtanda loci circumſtantia. Nam *Medina, C. de confeſ. in ſpeciali quæſtione*, tenet partem affirmatiuam, eo quòd ſemper committitur ſacrilegium, quod eſt malitia ſpecie diſtincta à peccato commiſſo in loco ſacro. *Caiet.* autem *in ſuis opuſc. tom. 1. tract. vlt. reſp. 12. dub. 2.* id neget; quia non omnia peccata ſunt directè contra ſanctitatem loci, vt cedant in grauem irreuerentiam, & iniuriam eius, inquit, augeri illo modo à tali circumſtantia ſacrilegij. Hinc murmurare in Eccleſia, verba turpia proferre, vel blaſphemare, &c. Licèt aliquam irreuerentiam inferant loco ſacro; non tamen ſunt directè contra ſanctitatem loci: & ideò ſacrilegij culpam non conſtituunt; atque ideò talis circumſtantia ad integritatem confeſſionis non pertinet. Et hanc ſententiam vti probabiliorem tenet *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 4. nu. 20. Sayr. lib. 2. Clau. Reg. cap. 5. nu. 13.* & alij, quamuis moueantur alia ratione, quæ mihi videtur fortior. Dicunt enim, quod idcircò verba turpia, & blaſphemiæ in Eccleſia non conſtituunt ſacrilegij crimen, cùm tamen pollutionis actus in Eccleſia non ſolùm ſit contra caſtitatem; ſed etiam contra Religionem, & propterea peccatum ſacrilegij: quia peccatum pollutionis, imò & actus coniugalis citra neceſſitatem prohibentur iure canonico in reuerentiam loci ſacri: eodemque iure ſtatuitur, vt per hæc crimina, ſicut & per homicidium, & ſanguinis effuſionem eo ipſo loci ſanctitas ammittatur, & Eccleſia reconciliatione indigeat: hæc autem ſanctitas non ammittatur verbis, aut alijs actibus turpibus, vt oſtendimus ſupra *d. not. 3. verſ. Circumſtantia*, vbi. Nec obſtat ſi dicatur, quòd per furtum in Eccleſia commiſſum, ipſius ſanctitas non ammittitur, cùm non polluatur; & tamen ſacrilegij crimen contrahitur, etiam ſi ſit rei prophanæ; quoniam reſpondetur, quòd ideò per furtum rei prophanæ in Eccleſia commiſſum ſacrilegium committitur; quia lege canonica id eſt cautum in reuerentiam loci ſacri, & propter virtutem Religionis, vt in *cap. quiſquis, §. ſacrilegium, 17. q. 4. & cap.*

Digitized by Google

& cap. conqnaſti de ſent. excommun. Imò tunc,
& eo caſu fur in ſacrilegium incidit, quando
furatur rem prophanam, quæ ſit Eccleſiæ, vel
alterius loci ſacri; vel de cuius cuſtodia locus
ſacer teneretur, vt colligitur ex dictis iuribus, &
poſt *Can.* docet *Lopez par. 1. Inſtr. cap. 33. in
prin. Fagnnd. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. cap.
4. nu. 9. & 12.* cum alijs, quos allegat, & nos ad-
notauimus *in d. not. 3. verſ. Circumſtantia, Vbi.*
Vndè cum furtum commiſſum in Eccleſia, & in
alio loco ſacro ſit contra duo præcepta diuerſa-
rum virtutum. Eſt enim contra præceptum De-
calogi. *Non furtum facies.* Quo Deus prohibet
furtum ſub motiuo, ne quis violet iuſtitiam
contra proximum: & eſt contra legem Eccleſia-
ſticam, ac etiam naturalem præcipientes reue-
rentiam loci ſacri, & prohibentes in eo reueren-
tiam, atque ideò ex motiuo Religionis: & ſic
furtum in loco ſacro cùm ſit prohibitum duplici
lege diuerſarum virtutum ſub diuerſo motiuo;
nimirum ſi non ſolum habeat malitiam iniuſti-
tiæ; ſed etiam ſacrilegij.

Tertiò infertur, quòd occidens Clericum exi-
ſtimans occidere laicum non eſt ſatis ſi in con-
59 feſſione dicat, ſe occidiſſe Clericum; ſed debet
explicare circumſtantiam illam, quòd putabat
eum eſſe laicum: ſiquidem hæc circumſtantia
tollit ab homicidio malitiam ſacrilegij; eo quòd
voluntas, & propoſitum diſtinguat maleficia,
l. qui iniuria, ff. de furt. & nos latè ſupra *not. 2.
verſ. Pertinentium circumſtantiarum.* Vnde
hoc caſu puto pœnitentes ſatisfacere, ſi cõfitean-
tur occidiſſe hominem, at per *Fagund. loco infra
citando*, vbi idem docet de cognoſcente nuptam
putans, cognoſcere ſolutam, & de occidente
Dominum bouis, inculpabiliter credẽs occidere
bouem. Sic etiam qui occidit hominem ad ſui
defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelę,
debet circumſtantiam defenſionis cum tali mo-
deramine explicare, quoniam circumſtantia illa
tollit omnem malitiam ab homicidio, ita vt nul-
lam culpam contrahat, qui ad ſui defenſionem
cum moderamine inculpatæ tutelæ hominem
interficit, vt ſupra oſtendimus *d. not. 2. verſ. Per-
tinentium circumſtantiarum, & Fagund. de
præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. cap. 2. ſub nu. 13.* Imò
occiſionem hominis ad ſui defenſionem cum
præfato moderamine poteſt tacere pœnitens in
confeſſione, ſi certus ſit, ſe prædictum modera-
men non exceſiſſe, vt habetur ex *Fagund. loco
citato*: ſiquidem non peccauit. Præterea qui ha-
bens vxorem cognouerit mulierem ſolutam non
ſufficit ſi in confeſſione confiteatur, ſe habuiſſe
rem cum ſoluta, ſed debet exprimere circum-
ſtantiam vxoris: nam cum habeat vxorem co-
gnoſcendo ſolutam peccato fornicationis addit
malitiam adulterij, quod ſpecie differt à ſimplici
fornicatione: & ſi iſte talis vouerit caſtitatem
coniugalem, vt ſunt Milites S. Iacobi, Calatrauæ,
& alij ſimiles; tunc addit peccato fornicationis
non ſolum malitiam adulterij; verum etiam ma-
litiam ſacrilegij, vt ſupra declarauimus *not. 3.
verſ. Denotat.* Rurſus qui occidit proprium
60 Principem, aut eiuſdem Magiſtratum, non ſa-
tisfacit in confeſſione dicens occidi hominem,
ſed debet explicare circumſtantiam Principis,
ſeu eiuſdem Magiſtratus; quoniam homicidio
ſimplici eo caſu additur malitia criminis læſæ
Maieſtatis. Idem dicendum eſt ſi patrem, ma-
trem, auum, auiam, &c. nam has circumſtantias
exprimere, cùm horum occiſio non ſit ſimplex
homicidium, ſed peccato homicidij addit mali-
tiam paricidij, vt ſupra explicauimus *d. not. 3.
verſ. Circumſtantia, circa quid.* Denique, cæ-
61 teris prætermiſſis, qui Clericum interfecerit,
aut virginem ſacram violauerit, debet Clerici,
ſeù virginis ſacræ circumſtantias in confeſſione
explicare, quoniam peccato homicidii, ſeù ſtupri
addidit ſacrilegium, Vt loco citato adnotauimus,
vbi etiam latè egimus de circumſtantia virgini-
tatis, an ſit in confeſſione aperienda; ſicut & de
circumſtantia raptus.

Ampliatur ſupradicta concluſio, vt non ſolùm
locum ſibi vendicet quoad circũſtantias actuum
62 externorum, verùm etiam internorum mutantes
ſpeciem: & propterea non tantùm committens
furtum rei ſacræ tenetur confiteri, ſe furto ſub-
traxiſſe rem ſacram propter duplicem deformi-
tatem furti, ac ſacrilegij; ſed etiam ſi volunta-
tem dumtaxat habuerit furandi rem ſacram,
tenetur hanc circumſtantiam rei ſacræ exprime-
re: quoniam actus voluntatis etiam interior po-
teſt habere plures malitias. Eſt tamen verum,
quòd ſi quis in Eccleſia permanens voluntatem
habeat ſurripiendi rem prophanam, aut occi-
dendi laicum extra Eccleſiam, non committit
mentale ſacrilegium; quia reſpectu actus interni
locus ſenſibilis accidentarius eſt. Quòd autem
circumſtantia peccati interna ſit neceſſariò in
confeſſione aperienda, vbi mutat peccati ſpeciem
docent *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſect. 2. nu. 4.
Ballan. tom. 2. de ſacram. & cenſur. diſp. 7. dub.
1. nu. 7. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4.
cap. 2.* & alij, id colligentes ex *Conc. Trid. ſeſſ.
14. cap. 5.* in illis verbis, *Verum cum omnia mor-
talia etiam cogitationis confitenda ſint, &c.* Et
licèt *canone 7.* vbi rem hanc de fide definiuit,
loquatur ſimpliciter, ac abſolutè de mortalibus,
& de circumſtantijs mutantibus ſpeciem peccati
& non addat verbum illud, *Cogitationis*; nihilo-
minus doctrina illius canonis tota deſumpta eſt
à *d. cap. 5. eiuſdem Conc.* vt habetur ex eodem
Fagund. ibi cum alijs, quos allegat, vbi etiam
addit *nu. 4.* poſt alios, quòd cùm ad cognoſcen-
das circumſtantias mutantes ſpeciem ſit adeò
difficile, vt ſæpè nec Docti quidem viri illas di-
ſtinguere valeant, non eſt neceſsè, vt pœnitens
in confeſſione dicat peccata, quæ commiſit eſſe
talis, vel talis ſpeciei; ſed ſatis eſt factum clarè
enarrare; & deindè Confeſſarij erit iudicare
peccati ſpeciem: quòd ſi Confeſſarius diſtinctio-
nem ignoret, ipſi ſoli imputatur ad culpam, ſi
eius ignorantia ſit craſſa: & ſi id accidit propter
rei perplexitatem, poterit eſſe error inculpabilis;
pœnitens verò quacunque ratione id accidat, ſuæ
obligationi ſatisfecit. Ita *Fagund. loco citato ex
Suar. d. ſec. 2. nu. 5. & Ballano vbi ſupra, concl. 3.*

Sic ampliata limitatur eadem noſtra conclu-
63 ſio, vt ita demum circumſtantiæ mutantes ſpe-
ciem pertineant ad integritatem confeſſionis;
atque ideò ad eas confitendas teneatur pęnitens,
quando mutant ſpeciem mortaliter; ſecus autem
ſi ſpeciem mutent venialiter; quoniam tunc non
obligaretur eas pœnitens confiteri, ſicut ad con-
fitendum venialia non obligatur, vt habetur ex
Gloſ. communiter recepta in noſtro canone,

Nauar.

Nauar. in Man. cap. 6. ſub num. 3. Maldonat. tom. 2. de pœnit. tit. de circumſt. in 6. regula, Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 12. nu. 57. & ex alijs.

QVARTA CONCLVSIO.

Circumſtantiæ non multum grauantes malitiam peccati infra eandem ſpeciem, non
64 pertinent ad integritatem confeſſionis: & ſic pœnitens non obligatur eas confiteri. Hæc concluſio eſt citra omnem controuerſiam, vt habetur ex *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. concl. 7. circa medium, Nauar. in ſuo Man. cap. 6. nu. 6.* & ex alijs. Probatur, quia circumſtantiæ prædictæ non multum variant morale iudicium; & eſtò quòd ex earum omiſſione Confeſſarius deciperetur; deceptio tamen eſſet in re minima, de qua ratio non eſt habenda, cùm de minimis non curet *Prætor, l. quod ſi Epheſi, ff. de eo quod cer. loc.*

Ex hoc infertur primò, quòd promotus ad ſacros ordines, & profeſſus in aliqua Religione
65 peccatum carnis committens non tenetur confiteri eſſe in ſacris, & profeſſus; ſed ſatis eſt exprimere, ſe eſſe Religioſum profeſſum: quia licèt per ſuſceptionem ordinis ſacri aſtrinxerit ſe voto caſtitatis, & idem etiam emiſerit per profeſſionem; non tamen duo vota diſtincta cenſetur emiſiſſe; ſed vnicum eſt votum caſtitatis duplici modo ſolemnizatum; nempè per ſuſceptionem ordinis ſacri, & per profeſſionem, vt eſt *tex. in cap. vnico, de voto in 6.* & propterea circũſtantia ordinis ſacri non mutat ſpeciem peccati, nec aggrauat notabiliter culpam intra eandem ſpeciem; ad ſummum leuiter. Confirmatur, quoniam eſtò, quod hoc caſu hæc duo vota proueniant ex duplici præcepto; nihilominus eandem habent rationem formalem, & intrinſecam caſtitatis; atque ideò vnicum eſt peccatum: nam vbi diuerſa præcepta habent vnicam rationem formalem, faciens opus duplici lege prohibitum, vnam tantùm contrahit culpam; & ſi diuerſas habeant, plures culpas committit, vt habetur ex *D. Thoma* communiter recepto, *1. 2. q. 71. art. 6. ad 2. Scot. in 2. d. 37. q. 1. Nauar. in Man. cap. 11. nu. 4. Suar. in 3. par. diſp. 22. ſec. 4. num. 22. Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 15. nu. 5. & 6. & lib. 1. in Decal. cap. 14. Conynch. de pœnit. diſp. 7. nu. 45. & ſeq. & Molf. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 12. nu. 67. & tract. 8. cap. 7. nu. 22.* Idem dicendum eſt de Religioſo profeſſo, Sacerdore, vel ad ſacros ordines promoto: hi enim ſi emiſerint votum ſimplex de non fornicando, vel de non committenda mollitie, non tenentur in confeſſione aperire circumſtantiam voti ſimplicis poſt profeſſionem, vel poſt ſuſceptos ſacros ordines emiſſi: ſiquidem multiplicatio votorum non addit circumſtantiam notabiliter ſaltem aggrauantem, nec qui ſic vouit obligauit ſe de nouo, ſed veterem obligationem cum illo voto confirmauit, vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. præcep. 2. lib. 4. cap. 3. n. 11.* cum alijs, quos allegat, *Diana par. 1. reſol. reſol. 9. & Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 30. cap. 7. nu. 26.*

Ex dictis quidam inferunt, falſam eſſe ſenten-
66 tiam *Henr. lib. 5. de ſacram. cap. 5. n. 6. Conynch. de pœnit. diſp. 7. n. 20.* & aliorum, exiſtimantium pœnitentem obligari ad exprimendam vtramq; circumſtantiam, ordinis ſacri ſcilicet, & profeſſionis circa priorem caſum: putant enim dictam opinionem non ſolùm improbabilem eſſe, & ſolida ratione carentem; ſed etiam videri contra ſententiam *Caiet. 2. 2. q. 186. art. 9.* & expreſsè contra *Cordub. in tract. de caſib. conſc. q. 3. Lopez in ſuo inſtr. par. 1. cap. 20. §. Præterea, verſ. Affinis eſt quæſtio, Rodriq. par. 1. ſua ſum. cap. 53. concl. 4. Llam. in 3. par. Methodi, cap. 8. §. 14. verſ. Dubitarunt, Molſ. d. cap. 12. nu. 66. cum ſeq.* & latè *Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 4.* Qui volunt ſatis eſſe in ſacramentali confeſſione vnam tantùm ex dictis circumſtantijs exprimere: quoniam licèt profeſſus in ſacris ordinibus conſtitutus duplici caſtitatis vinculo alligetur, voti ſcilicet, & præcepti; tamen præceptum Eccleſiaſticum includit etiam votum, cùm ordo ſacer habet votum caſtitatis annexum: & propterea ex voto tantum ad ſeruandam caſtitatem dupliciter ſollemnizato remanet obligatus; atque ideò illud violans vnam tantùm culpam contrahit, nec circumſtantia ordinis ſacri auget notabiliter malitiam peccati infra eandem ſpeciem, nec ſpeciem mutat, vt contraria opinio arbitratur. Et multo magis, qui Sacerdos eſt, & peccauit peccato incontinentiæ ſatisfaciat con-
67 feſſionis integritati, ſi confiteatur, ſe eſſe in ſacris conſtitutum tacendo circumſtantiam Sacerdotij: ſiquidem ordines ſacri licèt habeant ſuos gradus, Sacerdotij ſcilicèt, diaconatus, & ſubdiaconatus, huiuſmodi tamen ordines ſunt æqualiter ſacri, & pares in ſanctitate; & quamuis Sacerdos, & diaconus, & ſub diaconus ſint perſonæ inæquales ratione officij, & miniſterij; æquales tamen ſunt ratione ordinum: at circumſtantiæ horum officiorum non variant ſpeciem peccati, nec notabiliter aggrauant, vt habetur ex *Ledeſ. de ſacram. ſub tit. de ſacram. pœnit. cap. 17. nu. 1. & 2. Henr. lib. 2. de pœnit. cap. 5. nu. 6. initio ad marginem lit. G. Med. lib. 1. cap. 14. §. 18. Sot. lib. 7. de iuſt. & iure, q. 2. art. 5. ad primum, & Palud. in 4. d. 36. q. 4. art. 1. nu. 14. & Sanch. lib. 7. de Matr. diſp. 27. nu. 31.* quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 4. cap. 3. nu. 3.*

Hæc quæ diximus de iſto poſteriori caſu circa gradus ordinis, mihi videntur omninò vera per
68 rationes ſupra relatas. Cæterum quoad priorem caſum, nempè de conſtituto in ſacris, qui ſimul eſt Religioſus profeſſus, nobis videtur probabilior ſententia eorum, qui volunt, circumſtantiam voti ſolemnis profeſſionis eſſe notabiliter aggrauantem ſupra votum ſolemne ex ſacris ordinibus; atque ideò Sacerdotem, Diaconum, vel ſubdiaconum ſi ſit Religioſus profeſſus in aliqua Religione approbata, ſecundum opinionem eorum, qui docét circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis non ſatisfacere ſi confiteatur, ſe eſſe profeſſum; ſed teneri inſuper explicare, ſe habere ſacros ordines: ſiquidem ſtatus Religioſi eſt circũſtantia notabiliter aggrauans ſupra votum ſacrorum ordinum; ſicut ſtatus ſacrorum ordinum inducit etiam circumſtantiam notabiliter aggrauantem ſolemnitatem voti profeſſionis. Etenim licèt
69 votum ſolemne caſtitatis in profeſſione non addat diſtinctam ſpecie malitiam ſupra votum ſolemne ſacrorum ordinum: & eadem caſtitas promittatur in vtroque voto ſolemni caſtitatis; tamen votum ſolemne caſtitatis in Religione con-

conſtituit hominem Religioſum, & ſtatus Religioſi eſt ſtatus ſublimioris ſanctitatis, quàm ſtatus Clericorum ſæcularium. Ita *Ledeſ. de ſacra. de pœnit. cap. 19. dub. 1. & 2. Palat. in 4. d. 16. diſp. 3. nu. 31. Suar. in 3. par. diſp. 22. ſec. 4. n. 1. Leſſ. de Iuſt. & iur. lib. 4. cap. 3. de ſpecieb. Luſſ. dub. 12.* quos refert, & ſequitur *Fagund. loco citato, nu. 3.* vbi etiam addunt, quòd quamuis votum ſacrorum ordinum non addat diſtinctam ſpeciem malitiam ſupra votũ profeſſionis; addit tamen circumſtantiam notabiliter aggrauantem ratione conſecrationis ad officia, & miniſteria Diuina, ad quæ Clerici per ſacros ordines deputantur. Vndè ceſſat ratio, & fundamentum contrariæ ſententiæ.

Ex his, quæ diximus deducunt primò *Henr.*
70 *Med. & Fagund.* & alijs, quos allegat *loco cit. nu. 4.* Monialem peccantem contra votum caſtitatis, ſecundum opinionem eorum, qui volunt circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis, non ſatisfacere ſi in confeſſione dicat, ſe peccaſſe contra votum caſtitatis, ſed teneri explicare circumſtantias profeſſionis. Secundò deducunt, Religioſum profeſſum non habentem ſacros ordines ſi peccet peccato incontinentiæ, non ſatisfacere in confeſſione dicendo ſe habere votum caſtitatis, & tacendo ſe eſſe profeſſum, quia ſtatus Religioſi eſt circumſtantia notabiliter aggrauans, vt diximus. Tertiò deducunt, Sacerdotem ſæcularem, & quemcunq; alium habentem ſacros ordines ſi peccet contra votum caſtitatis, non ſatisfacere in confeſſione ſi dicat, ſe habere votum caſtitatis, & peccaſſe contra illud, ſed teneri declarare, ſe habere ſacros ordines: nam votũ caſtitatis ſacrorum ordinum, etiam ſi non diſtinguatur ſpecie à voto ſimplici caſtitatis, addit tamen circumſtantiam notabiliter aggrauantem ratione Diuinorũ miniſteriorum, ad quæ huiuſmodi perſonæ per ſacros ordines conſecrantur. Ita *Ledeſ. de ſacra. de pœnit. cap. 19. dub. 1. & 2. Palat. d. diſp. 3. nu. 13. Suar. loco ſupra relato, & Fagund. vbi ſupra à nu. 5. ad 13.* Quartò deducunt Epiſcopum, qui
71 in lapſum carnis incidit, & iam ſit conſecratus, iuxta opinionem eorum qui docent, circumſtantias notabiliter aggrauantes ſpectare ad integritatem confeſſionis, non ſatisfacere ſi dicat, ſe fornicaſſe, aut adulteraſſe; ſed inſuper debet explicare circumſtantiam Epiſcopi, cùm ſit notabiliter aggrauans: quia ſtatus Epiſcopalis eſt multo perfectior, ac ſanctior, quam ſtatus Religioſi. Ita *Ledeſ. & Palat. locis cit. & Fagund. vbi ſupra nu. 8.* quamuis contrariam opinionem ſequatur *Diana loco citato, reſol. 6.* ſed non reſpondet contrarijs, vt paulò infra dicemus. Quæ diximus de Religioſis profeſſis extendimus ad
72 Patres ſocietatis Ieſu, etiam ſi emiſerint votum biennij dumtaxat: nam hi ſunt propriè Religioſi; & propterea idem dicendum eſt de illis, ac de alijs Religioſis, vt habetur ex *Fagund. ibidem, nu. 9.* vbi *nu. 10.* idem dicendum eſſe putat de eo, qui in ſæculo, vel in nouitiatu vouit votum caſtitatis ſimplex, & poſtea profeſſus eſt in Religione; nam ſi poſt profeſſionem peccauit carnaliter, circumſtantia profeſſionis eſt notabiliter aggrauans contra *Sanch. d. diſp. 27. num. 25. & 35.* & alios. Imò dicta ſupra de Sacerdote Reli-
73 gioſo, de Epiſcopo, & alijs ſupra relatis extendimus ad complices, vndè Mulieri peccanti cum Sacerdote Religioſo profeſſo, vel cum Epiſcopo, & accedenti ad confeſſionẽ non eſt ſatis ſi dicat ſe commiſiſſe ſacrilegium cum Sacerdote, vel cum promoto ad ordines ſacros; ſed debet inſuper addere circumſtantiam Epiſcopi, ſeù Religioſi profeſſi per rationes ſupra relatas; quibus non reſpondet *Diana vbi ſupra reſol. 3. 4. & 6.* qui contrariam ſententiam ſequitur, *& Fagund. d. cap. 3. nu. 3.* poſt alios, ſufficienter reſpondet fundamento contrariæ opinionis: ſiquidem ait, quòd licèt votum ſolemne caſtitatis in profeſſione non addat diſtinctam ſpecie malitiam ſupra votum ſolemne ſacrorum ordinum, & eadem promittatur in vtroque voto ſolemni caſtitatis; tamen votum ſolemne caſtitatis in Religione conſtituit hominem Religioſum, & ſtatus eſt ſtatus ſublimioris ſanctitatis, quàm ſtatus Clericorum ſæcularium: & multo magis eſt Epiſcopi, cùm ſtatus Epiſcopalis ſit multò perfectior, ac ſanctior, quàm ſtatus Religioſi, vt ſupra diximus: quò circa *Nugnus in addit. ad 3 par. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3. concl. 2. & 3.* & alij relati à *Diana d. reſol. 6.* putant, circumſtantiam Epiſcopi, debere Epiſcopum in confeſſione explicare non ſolùm in peccato incontinentiæ; ſed etiam in quocunque alio peccato.

Secundò principaliter infertur, quòd ſi quis
74 peccatum lethale committat in die feſto quantum vis ſolemni, cùm circumſtantia talis diei non ſit notabiliter aggrauans, nec conſtituat diſtinctam ſpecie malitiam, non pertinet ad integritatem confeſſionis ſacramentalis; niſi peccatum committatur in contemptum feſtiuitatis, vt latè ſupra declarauimus, *not. 3. verſ. Circumſtantia denique, quando.*

Tertiò infertur, quòd quamuis furari decem
75 aureos ſit lethalis culpa; ſi quis tamen furetur quinquaginta homini diuiti paulò plus peccat, quàm ſi decem furatus fuiſſet: & propterea non tenetur in confeſſione quantitatem exprimere; niſi in ordine ad reſtitutionem, vel quando peccatum furti excedentis ſummam decem aureorum eſſet reſeruatum ſuperiori, vt habetur ex *Nauar. in ſum. cap. 6. nu. 6. Reginald. lib. 6. ſuæ prax. à nu. 131. ad 138. Vaſq. in 3. par. q. 91. art. 1. dub. 4. nu. 20. in fin.* & ex alijs apud *Molf. d. cap. 12. ſub nu. 58.* quod quidem quomodo verum ſit infra *concl. ſeq.* latiùs, Deo duce dicemus.

QVINTA CONCLVSIO.

PRobabilis valdè eſt ſententia eorum, qui putant, circumſtantias aggrauantes notabili-
76 ter malitiam peccati infra eandem ſpeciem, non pertinere ad integritatem confeſſionis; & proindè pœnitentem non obligari ad eas confitendas. Hæc concluſio eſt *D. Thomæ in 4. d. 16. q. 3. art. 2. q. 5. Dur. ibidem, q. 4. D. Bonauen. d. 17. q. vlt. Almain. q. 1. art. 2. Palud. q. 3. art. 3. Gabr. q. 1. Scoti q. 1. art. 2. Alberti, d. 16. art. 24. Duan. d. 16. prop. 23. Herrer. in 2. diſp. 31. q. 7. corol. 3. poſt regul. 2. D. Anton. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 7. Turrecr. in cap. 1. in prin. de pœnit. d. 6. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 6. & 7. & in cap. conſideret, de pœnit. d. 5. nu. 6. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 4. nu. 20.* cum alijs, quos allegat *ibidem, dub. 2. nu. 6. Reginald. lib. 6. ſuæ prax. nu. 135. & 136.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Molf. p. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 12.*

Adriani,

Adriani, q. 4. de confeſſ. art. 2. Alph. Reg. in ſnis reſol. caſu. 30. n. 5. Valen. tom. 4. diſp. 10. q. 11. par. 1. Leſſ. lib. 4. cap. 3. dub. 12. nu. 8. Zannar. in Direct. Theol. par. 1. de ſacram. pœnit. q. 18. Gipt. de caſib. reſer. cap. 8. nn. 5. Ortiz in ſum. cap. 23. nu. 44. Ochagauia de ſacram. tract. 2. q. 24. Ioſeph de Ortu in ſpeculo Parochor. cap. 9. nu. 7. Ioan. Sanc. in practic. diſp. diſp. 21. nu. 6. Puteanus in 3. par. D. Thoma, par. 2. q. 7. dub. 4. concl. 2. Peſant. in Addit. ad 3. par. q. 10. §. de integr. confeſ. diſp. 3. q. 3. Zerola in praxi de pœnit. cap. 12. q. 5. Et hanc ſententiam communem eſſe valdè teſtantur *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. concl. 6. & Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 3.* Imò hanc opinionem probabilem vocant, etiam aliqui ex aduerſarijs, nempè *Henr. lib. 1. cap. 7. nn. 4. Fagund. de pracep. Eccleſ. pracep. 2. lib. 4. cap 2. n. 6. in fine, Pitign. in 4. ſent. d. 16. q. vnica art. 5. concl. 5. Fabr. de pœnit. in 4. ſent. d. 17. q. vnica, diſp. 24. cap. 1. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 9. dub. 36. nu. 8. Et Diana par. 1. tract. 7. reſol. 1.* opinionem negatiuam aſſerentem circumſtantias aggrauantes non eſſe in confeſſione aperiendas, non minus probabilem, & tutam in praxi putat; quam affirmantem. Probatur hæc ſententia ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi præceptum eſſe ait confitendi circumſtantias, quæ mutant ſpeciem: ergò cum aggrauantes circumſtantias taceat, tacitè videtur negare huiuſmodi præceptum ad illas extendi: ſiquidem Concilium ibi completam doctrinam tradit de omnibus neceſſarijs ad hoc ſacramentum, vt patet ex illis verbis, *Nihil aliud ab Eccleſia à pœnitentibus exigitur, quàm vt, &c.* Confirmatur, quoniam aliàs ſacramentalis confeſſio nimis oneroſa redderetur, cùm vix poſſit cum aliqua certitudine, ac regula explicari quid ſit notabiliter aggrauare.

Tenentes hanc concluſionem limitant tamen
77 eam in multis caſibus. Primò vbi quis per notabilem temporis durationem ſteterit in aliquo peccato, vt ſi per annum, menſem, aut per hedomodam fuerit aliquem proſecutus; vel per integram noctem ſede cum muliere concuberit; etiam ſi ſemel tantùm rem cum ea habuerit, aut ſi ieiunium violans pluries in die ieiunij comederit carnes, ſiquidem hæc temporis duratio nõ eſt in confeſſione explicanda, vt circumſtantia aggrauans; ſed quia quando eſt nimia multiplicat numero peccatum, vt infra, Deo duce, dicemus, de numerica diſtinctione tractantes; at peccatorum numerum ad integritatem confeſſionis pertinere, *in ſeq. ſec.* dicemus. Ita poſt *Nauar. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 2. ſub nn. 36. & 37. Filliuc. tom 1. qq. moral. tract. 7. cap. 4. ſub nu. 89. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 8. nu. 65. & 67.* Vndè temporis duratio in confeſſione eſt aperienda, vt pœnitens manifeſtet eo modo quo poteſt numerum peccatorum neceſſario in confeſſione explicandorũ: quapropter ſi daretur caſus, vt pœnitens in memoria haberet omnes delectationes moroſas quas per ſpacium vnius anni habuit, non teneretur in confeſſione explicare temporis durationem; ſed ſatis eſſet confiteri, toties moroſè ſe fuiſſe delectatum, vt contra *Henr. & Conynch P. Diana par. 1. reſol. tract. 7. de circumſt. reſol. 39.* vbi addit poſt *Zerol. in praxi pœnit. cap. 12. q. 15.* quòd ſi quis rem habuerit cum concubina tota nocte non tenetur exprimere hanc grauitatem; ſed ſufficit confiteri numerum peccatorum, nempè ſemel, vel bis fuiſſe fornicatum. Quod tamen ita demum puto verum; niſi in tota illa nocte varijs modis turpiter ſe ſedauerit, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus.

Secundò limitant hanc eandem concluſionem non procedere quando circumſtantia eſſet nota-
78 biliter aggrauans infra eandem ſpeciem ratione habitus in peccando. Etenim licèt quis de conſilio tantùm obligetur confiteri conſuetudinem peccandi ad congruentem pœnitentiam iniungendam, vt habetur ex *Reginaldo lib. 6. ſua prax. nu. 135. & 136. & Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 4. nu. 15.* Nihilominus quando conſuetudo eſt per modum habitus, ſi pœnitens à Confeſſario interrogetur, tenetur modum huiuſmodi exprimere, vt poſſit ipſe Confeſſarius opportuna remedia adhibere ad tale peccatum eradicandũ, cùm Sacerdos in ſacramentali foro non ſolùm fungatur officio Iudicis, vt in *cap. verbum, de pœnit. d. 1.* ſed etiam fungatur officio Medici, vt conſtat ex noſtro canone, in illis verbis, *Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, vt more periti Medici ſuper infundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati.* Quam quidem limitationem affert *Suar. d. nu. 15. & Vaſq. d. art. 1. dub. 3. ſub nu. 3. & 4.* Dixi, *Si pœnitens à Confeſſario interrogetur.* Aliàs ſecùs, ſi pœnitens verè diſpoſitus accedat, niſi quando conſuetudo illa peccandi fuiſſet ex occaſione mulieris domi retentæ, aut alterius occaſionis, quam ipſe poteſt, aut debet reſecare: nam ad id explicandũ obligatur, cum ſit nouum peccatum occaſionem non tollere. Ita *Vaſq. ibidem.* Quibus adde ea, quæ ſupra latius diximus, *not. 3. verſ. Circumſtantia Quomodo: iuncto verſ. Ad eandem circumſtantiam*; vbi egimus de conſueto iurandi falſum, & de ſolito peccare peccato molliciei.

Tertiò limitant aliqui, vt quamuis gradus inceſtus ſecundum nonnullorum ſententiam non
79 conſtituant diuerſas peccati ſpecies, vt poſt *Can. Sot. Caiet.* & alios docet *Vaſq. d. art. 1. dub. 4. ſub nu. 10. & 11.* cum alijs quamplurimis, quos ſupra retulimus *d. not. 3. verſ. Circumſtantia, circa quid iuncto verſ. Ad eandem circumſtantiam.* Nihilominus voluit circumſtantiam gradus eſſe in confeſſione aperiendã, ſaltem quoad lineam, an ſcilicèt fuerit cum conſanguinea in linea recta, vel tranſuerſali: & in illis quoad gradum ſaltem primum, vt ſi quis inceſtum commiſerit cum matre, vel cum filia, &c. & hoc ideò non quia hæc circumſtantia aggrauet notabiliter peccatum infra eandem ſpeciem, ſed quoniam
80 mutat ſpeciem peccati. Etenim inceſtus non eſt ſpecies Luxuriæ formaliter; ſed materialiter tantum: nam in inceſtu concurrunt duæ deformitates ſpecie differentes: altera contra caſtitatem, & eſt fornicatio: altera verò contra pietatem in ſanguine coniunctos, qua illis debitus honor, ac reuerentia debentur, & eſt inceſtus: & quoniam inter aſcendentes, & deſcendentes reuerentia debet eſſe altioris ordinis, ſicut etiam inter affines in linea recta committitur diuerſa ſpecies inceſtus, quàm inter alios collaterales cognatos, & affines; propterea aliqui ex præfatis Doctoribus, circumſtantiam gradus eſſe in confeſſione aperiendam in crimine inceſtus quoad

lineam rectam, quoad primum gradum: ſicut etiam quoad lineam tranſuerſalem quoad primum ſaltem gradum; quia ſpecialis quoque debetur honor in hac parte fratribus, & ſororibus, quàm alijs cognatis, vt rectè declarat *Vaſq. d. art. 1. dub. 4. à nu. 13. ad 19. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 4. nu. 7.* qui etiam poſt *Nauar. in Man. cap. 16. ſub nu. 3* probabilius inquit ſibi videri, cæteros quoque gradus eſſe apetiendos intra numerum, infra quem matrimonium eſt ab Eccleſia ſpecialiter prohibitum: ſiquidẽ multum variant iudicium, ac deformitatem, & poteſt facilè fieri, nec adeſt excuſationis cauſa. Sed *Nauarr.* idcircò id docuit, quoniam arbitratur, peccata inceſtus differre ſpecie iuxta numerum graduum conſanguinitatis, & affinitatis quocunque modo, & ipſe *Suar.* tenet circumſtantias notabiliter aggrauantes infra eandem ſpeciem eſſe omninò confitendas, vt infra *concl. ſeq.* patebit. Vndè circumſtantiam inceſtus in primo gradu, idcircò quidam volunt pertinere ad integritatem confeſſionis; quoniam mutat ſpeciem peccati, non autem quia aggrauet peccatum infra eandem ſpeciem. Qui verò tenent inceſtum quoad primum gradum etiam in linea recta non differre ſpecie ab alijs, adhuc tamen volunt eſſe confitendam circumſtantiam inceſtus cum matre, vt habetur ex *Fillinc. tom. 1. qq moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 89.* His adde quæ ſupra fuſius adnotauimus, *d. not. 3. verſ. Circumſtantia circa quid, iuncto verſ. Ad eandem circumſtan-*
81 *tiam*. Eadem ratione circumſtantiæ mollitiei, ſodomiæ, ac beſtialitatis, cùm conſtituant diuerſas ſpecies peccati, ſicut diuerſæ ſpeciei eſt concubitus cum muliere præpoſtero ordine, quàm cum homine, volunt etiam præfati Doctores eas pertinere ad integritatem confeſſionis, & non quia aggrauant malitiam peccati infra eandem ſpeciem, vt malè arbitratur *Can.* quam refert, & reicit *Vaſq. d. dub. 4. num. 20.* Vndè qui peccant peccato mollitiei, ſodomiæ, beſtialitatis, aut cum muliere præpoſtero modo ſatis non eſt confiteri, peccaſſe contra naturam. Sic etiam Doctores præfatæ concluſionis tenentes circum-
82 ſtantias notabiliter aggrauantes infra eandem ſpeciem non pertinere ad integritatem confeſſionis, quamuis velint quòd qui vnico actu voluntatis plures homines occidere cupit, aut ferro tricipiti infligente tria vulnera lethalia, aliquem percutit, teneatur has circumſtantias in confeſſione ſacramẽtali aperire; nihilominus id docẽt, non quia vnicum ſit peccatum habere voluntatem, vt ſupra occidendi plures homines, vel percutere ferro tricipiti; atque ideò circumſtantiæ plurium hominum, & ferri prædicti ſint aggrauantes notabiliter malitiam peccati infra eandẽ ſpeciem, vt multi volunt, & nos de hac re latius, Deo duce, agemus, de diſtinctione numerica agentes; ſed quia habere voluntatem occidendi plures homines vnico voluntatis actu ſunt plura numero peccata, ſicut percutere ferro tricipiti, vt poſt alios inquit idem *Vaſq. d. dub. 4. nu. 1. & 2.* vbi etiam ex hoc infert *nu. 3.* quod peccans cum muliere, quam inuitauit ad malum, vnum pec-
83 catum committit, nec tenetur in confeſſione exprimere circumſtantiam ſcandali, quamuis ſit notabiliter aggrauans, cum incitare illam ad peccatum, non eſt in alia ſpecie, quam fornicationis: eo quòd non eſt ſpeciale ſcandalum. Idem dicendum eſt de illo, qui malo ſuo exemplo incitaret aliquem ad ſimilem ſpeciem peccati; ſecus ſi ad diuerſam: quoniam tunc eſſet in diuerſa ſpecie.

Quartò limitant præfatam concluſionem, vt non procedat, quando circumſtantia aggrauans
84 infra eandem ſpeciem valdè exceſſerit ordinarium modum peccari, vt poſt *Can.* inquit *Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 4. nu. 89.* Exemplum ponunt in eo, qui commiſit inceſtum in primo gradu; ſed cum Matre, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 3. nu. 17.* Sed re vera circumſtantiam Matris mutare ſpeciem inceſtus; atque ideò inceſtum cum Matre ſpecie differre ab inceſtu commiſſo cum ſorore, videtur docere idem *Vaſq.* vbi ſupra, *nu. 15. & 16.* Et dato quòd talis circumſtantia non mutaret ſpeciem; nihilominus hanc opinionem tenet *Can.* qui docet circumſtantias notabiliter aggrauantes infra eandem ſpeciem, pertinere ad integritatem confeſſionis. Idem dicendum eſſe putat *Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 137.* de eo, qui occidit ſe delectando in vulneribus illatis: nam circumſtantiam illam delectationis ait continere aliquam extraordinariam malitiam: ſed hæc circumſtantiam adhuc continet diuerſam ſpecie malitiam ab homicidio, nempè malitiam feritatis; ſicut qui lentè, ac minutis vulneribus aliquem interficit, vel adhuc viuo ventrem aperiendo, vel cor extrahendo interimit. Eſt tamen verum, quòd *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 8. ſub num. 54. in fine*, poſt *Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 5. ſec. 2. par. 2. difficul. 3. nu. 18.* quoad delectationem vulnerum cadaueri illatorum tunc putat circumſtantiam illam addere homicidio malitiam feritatis, quando delectatur homicida in vulnerando cadauer ex feritate; ſecus ſi ex odio, ac vindicta. At hæc diſtinctio nobis nõ probatur: nam eo ipſo quòd quis delectatur in vulneribus, vt ſupra, & vulnerat cadauer, ſiuè id agat ex feritate, ſiuè ex odio, & vindicta, ſemper homicidio addit malitiam feritatis.

Quintò limitant, vbi peccatum per circumſtantiam multiplicatur numero; eo quòd reci-
85 piat duplicem malitiam, aut plures eiuſdem ſpeciei, vt ſi quis occidat Sempronium, vt facilius occidat Neuium, vt habetur ex *Nauar. in cap. conſideret, nu. 13. de pœnit. d. 5.* aut vno ictu plures occiderit, vel vno actu plures infamauerit, vt cum communi tenet *Bonac. loco citato, nu. 16.* quam refert, & ſequitur *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 8. nu. 55.* Quæ quidem ſententia vera eſſet citra omnem difficultatem, ſi peccata prædicta per circumſtantias illas numero multiplicari omnes Doctores conuenirent. Verùm quia quamplurimi Doctores volunt, circumſtantias ipſas non multiplicare numero peccata, ſed eadem aggrauare notabiliter intra eandem ſpeciem, vt infra ſuo loco dicemus *ſec. 5. P. Diana par. 1. tract. 7. reſol. 17.* cùm adhereat opinioni eorum, qui tenent circumſtantias notabiliter aggrauantes non pertinere ad integritatem confeſſionis, conſequenter ait eſſe dicendum, quòd qui vnico voluntatis actu vult plures homines occidere, aut ad plures mulieres accedere, cum vnum peccatum numero committat cum circumſtantia notabiliter aggra-

uante

uante intra eandem ſpeciem, non tenetur circumſtantias illas plurium hominum, & plurium mulierum in confeſſione explicare; niſi vnico voluntatis actu vellet plures occidere, quorum vnus eſſet Pater proprius, alter Sacerdos, alter ſæcularis: nam licèt hoc caſu vnum committeret peccatum; illud tamen plures haberet deformitates, ſcilicet parricidij, ſacrilegij, & homicidij. Sicut qui vnico actu voluntatis deſideraret, & delectaret ſe in tribus fœminis, quarum vna eſſet monialis, altera coniugata, & altera ſoluta: & propterea huiuſmodi circũſtantias tenetur Confeſſario aperire. At ſi quis vnico voluntatis actu concupiſceret tres moniales, aut tres coniugatas, vel tres ſolutas, tunc ait *Diana*, ſatis eſſe ſi quis confiteatur ſe deſideraſſe monialem, vel coniugatam, aut ſolutam: ſeu ſi moroſè fuerit delectatus ſufficit ſi dicat, delectationem habuiſſe ſuper moniali, coniugata, vel ſoluta. Siquidem vnum commiſit peccatum cum circumſtantia notabiliter aggrauante intra eandem ſpeciem. Idem dicendum putat ipſe *Diana reſol.* 29. de inferente iniuriam pluribus perſonis, vno, & eodem actu; quia non tenetur explicare in confeſſione numerum perſonarum; nam vnum tantùm peccatum committit cum circumſtantia notabiliter aggrauante intra eandem ſpeciem.

86 Hæc re vera *Dianæ* ſententia nobis non probatur; nam ſequeretur, quòd qui vnico ictu plures homines occidit, ſatis eſſet in confeſſione confiteri, ſe homicidium commiſiſſe, atque adeò non teneri explicare ſe plures homines vno ictu occidiſſe: eo quòd vnum peccatum commiſit cum circumſtantia notabiliter aggrauante; quòd eſt contra communem omnium Doctorum ſententiam, tàm eorum, qui volunt, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem pertinere ad integritatem confeſſionis, quàm qui negant eas ſpectare, vt infra declarabimus, *ſec.* 5. ſiquidem Doctores prioris ſententiæ, hanc obiectorum pluralitatem volunt eſſe in confeſſione aperiendam, eo quòd eſt circumſtantia notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem: Doctores verò poſterioris ſententiæ volunt pariter huiuſmodi pluralitatem obiectorum eſſe in confeſſione explicandam; quoniam putant circumſtantiam illam multiplicare numero peccata: ſiquidem dicunt, quòd ille numero actus in plura obiecta materialiter diſtincta, continet plures malitias numero diſtinctas, & conſequenter volunt eſſe plura peccata diſtincta numero. Neminem tamen negantem, circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis, puto rationabiliter aſſerere poſſe, vt qui vno ictu bombardæ decem, aut plures interfecerit homines, ſatis ſit ſi in cõfeſſione dicat; ſe homicidium commiſiſſe; eo quòd illa pluritas obiectorum ſit circumſtantia aggrauans notabiliter, & non multiplicans numero peccata. Vndè dicendum videtur, quòd pluralitas obiectorum, vel multiplicat numero peccata, aut valdè excedit modum ordinarium peccati, iuxta ea, quæ in præcedenti limitatione adnotauimus: atque ideò etiam ſi daremus pluralitatem obiectorum eſſe circumſtantiam non multiplicantem numero, ſed aggrauantem tantùm peccatũ, & negaremus circumſtantias notabiliter aggrauantes ſpectare ad integritatem confeſſionis; nihilominus pluralitas obiectorum cùm ſit circumſtantia valdè excedens modum ordinarium peccati, proculdubio debet in confeſſione aperiri. Quòd ſi hæc vera ſunt de occidente plures homines vno ictu, idem dicendum erit de concupiſcente plures fœminas ſolutas vno, & eodem actu, & de alijs caſibus ſupra relatis; quoniam militat eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

Eſt tamen verum, quòd qui committit tria
87 fornicationis peccata cum tribus fœminis ſolutis v. g. non tenetur in confeſſione explicare ſe cum tribus fœminis peccaſſe, ſed ſatis eſt confiteri ſe ter fornicatum fuiſſe, vt habetur ex *Sanc. in pract. diſp. 1. nu. 24. Homob. de exam. Eccleſ. par. 1. tract. 5. cap. 13. q. 83. Boniac. de ſacram. diſp. 5. q. 5. pun. 2. § 3. diffcul. 3. propoſ. 3. nu. 14.* quos refert, & ſequitur *P. Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol.* 13. Mouentur ex eo quòd actus fornicationis, cæteris paribus eandem habent malitiam; ſiuè committantur cum vna, & eadem fœmina, ſiuè cum diuerſis eiuſdem rationis, & conditionis. Adde, quòd ſi quis vnico impetu profert in aliquem varias; ac diuerſas iniurias appellando eum furem, homicidam, ſodomitam, &c. aliqui volunt, ſatis eſſe ſi in confeſſione ſe accuſet dicens, toties contumelia affeci meum proximum, nec eſt opus dicere, ſe appellaſſe proximum furem, homicidam, ſodomitam, &c. ſiquidem omnes contumeliæ ſunt eiuſdem ſpeciei, & conueniunt in ratione formali, quæ eſt intentio auferendi alteri ſuum honorem. Ita *Zerola in praxi pœnit. cap. 12. q. 48. Reginal. lib. 24. ſuæ prax. cap 5 nu 102. Azor. tom. 3. inſtit. moral. lib. 13. cap. 5. dub. 1.* & alij, quos refert, & ſequitur *P. Diana loco citato, reſol.* 28. Alij verò putant, quod eo caſu cùm iniuriæ prolatæ ſint diuerſæ ſpeciei, qui eas protulit tot peccata commiſit, quot iniurias dixit; & propterea tenetur eaſdem diſtinctè aperire in confeſſione, nec ſatis eſt ſi confiteatur toties contumelia affeci meum proximum, ita *Ioan. Tribarna tom. 2. in 4. ſent. diſt. 17. diſp. 15. ſec. 8. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 18. Henriq. lib 5. cap 8. nu. 3. Sanch. in ſum. lib. 1. cap. 3. nu. 39 Tannar. in 2. 2. diſp. 4. q 2 dub. 4. nu. 55. & alij.* Ego autem dicendum puto, quòd
88 ſiuè prædictæ iniuriæ differãt ſpecie, ſiuè omnes iniuriæ ſint eiuſdem ſpeciei, quando vna eſt altera notabiliter grauior, ſemper ſunt in confeſſione diſtinctè explicandæ ſaltem iuxta ſententiam eorum, qui docent, circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis; quoniam iniurijs datur iniuria enormis, magna, ſeu grauis, & minima. Nec obſtat quòd omnes iniuriæ conueniunt in ratione formali; quæ eſt intentio auferendi alteri ſuum honorem; quoniam diſcrepant in auferendo quantitatem honoris: nam grauis iniuria grauiter lædit honorem, enormis enormiter, & leuis leniter. Vndè meritò ait *Sot. lib. 5. de Iuſt. & iur. q. 9. art.* 1. quòd contumeliæ grauitas adeò augeri poteſt, vt eius expreſſio ſit de neceſſitate confeſſionis, vt ſi quis proximum appellet hæreticum, Patriæ proditorem, &c. & tamen ipſe *Sot.* tenet omnes contumelias eſſe eiuſdem ſpeciei; licèt velit circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis. Quæ diximus de contumelijs extendimus ad detractio-

nes, quoniam in his militat eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

Sextò limitant eandem conclusionem, vbi circumſtantia notabiliter aggrauans, ita auget pec-
89 catum, vt eius ratione efficiatur reſeruatum: nam tunc volunt circumſtantiam huiuſmodi pertinere ad integritatem confeſſionis; atque ideò pœnitentem ad eam confitendam obligari, maximè ſi ſciat reſeruationem, vel à Confeſſario de tali circumſtantia interrogetur. Vt ſi peccatum furti centum aureorum eſſet Epiſcopo reſeruatum, ſatis non eſſet confiteri, ſe commiſiſſe furtum mortale; ſed debet furti quantitatem exprimere, vt poſſit Confeſſarius cognoſcere, an ſit reſeruatum. Idem dicendum eſt de reſtitutione facienda; nam eſt exprimenda furti quantitas, vt reſtitutio debito modo fieri poſſit, penſata facultate pœnitentis, & neceſſitate illius, à quo res fuit ablata: & propterea quamuis circumſtantia notabiliter aggrauans per ſe non pertineat ad integritatem confeſſionis, pertinet tamen aliquando per accidens, vt habetur ex *Nauar. in ſuo Man. cap. 6. nu. 9. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 3. ſub nu. 2. & 3. Molf. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 12. ſub nu. 58.* cum alijs quos allegat. Vndè ſi omnia compoſita eſſent, & reſtitutio iam eſſet facta, non eſſet opus talem circumſtantiam exprimere, vt per eundem *Vaſq. ibidem, nu. 4.* Quod verum puto, niſi quantitas furti eſſet adeò magna, vt fuerit exceſſus ordinarius furandi modus, vt ſi quis furatus fuerit mille aureos, vel etiam centum pauperi maximè: nam tunc arbitror exprimendam eſſe quantitatem, nec ſatis eſſe ſi pœnitens confiteatur, ſe commiſiſſe furtum mortale, iuxta quæ ſupra aduotauimus, *verſ. Quartò limitant*. Tanto magis, quia Confeſſarius non poſſet condignam pœnitentiam imponere, cùm quantitas illa furti commiſſi in pauperem maximè, valdè notabiliter variet iudicium.

Septimò limitant conclusionem ipſam, vt non
90 habeat locum, quando circumſtantia notabiliter aggrauans infra eandem ſpeciem, excommunicationem habeat annexam, vt ſi Epiſcopus excommunicationem ferat furto ſubtrahentibus rem valoris centum aureorum: nam tunc pœnitens tenetur furti quantitatem exprimere, vt ſciat Confeſſarius, an peccatum huiuſmodi excommunicationem habeat annexam. Idem dicendum eſt, vbi talis circumſtantia excommunicationem ex Epiſcopali, vel ex non reſeruata efficeret Papalem, & reſeruatam, vt patet in leui Clericorum percuſſione, quæ eſt Epiſcopalis, vt in *cap. peruenit, de ſent. excom.* & in graui, quæ Papalis eſt, vt in *cap. ſi quis ſuadente diabolo, 17. q. 4. Nauar. loco citato, verſ. Secundò poſſet, Reginal. lib. 6. ſuæ prax. nu. 135. & 136.* & alij.

Octauò limitant in eo, qui iniuriam intulit
91 Principi, vel Patri, aut Sacerdoti: ſiquidem iniuria huiuſmodi eſt enormis; & propterea tenetur in confeſſione huiuſmodi perſonas explicare vt habetur ex *Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 5. ſec. 2. par. 2. difficul. 3. nu. 15.* quem refert, & ſequitur *P. Alph. de Leon. de offic. & poteſt. Confeſſar. recoll. 8. nu. 59.* vbi teſtantur de communi quoad Principem, & Patrem, & probabilem quoad Sacerdotem. Negant verò ſi iniuria inferatur viro nobili, vel cognato, aut Benefactori. Limitant etiam Doctores eandem concluſionem varijs, & diuerſis alijs modis, de quibus per ipſum *Alph. de Leone d. recoll. 8. à n. 52. vſque ad n. 69.*

SEXTA CONCLVSIO.

Probabilior nobis videtur ſententia eorum, qui volunt circumſtãtias notabiliter aggra-
92 uantes malitiam peccati infra eandem ſpeciem pertinere ad integritatem confeſſionis; atque ideò teneri pœnitentem ad illas confitendas. Hæc concluſio eſt *Altiſiodor. lib. 4. ſuæ ſum. tract. 6. cap. 3. q. 3. Alenſ. par. 3. q. 18. memb. 4. art. 3. §. 2. Marſil. in 4. ſent. d. 12. art. 1. par. 1. dub. 1. Maior. in 4. d. 17. q. 4. Sot. ibidem d. 18. q. 2. art. 4. q. 7. Petr. Sot. lec. 9. de confeſ. Can. relect. de pœnit. 5. par. §. Sed enim grauiſſimum, Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, concl. 5. Syl. ver. Confeſſio 1. q. 9. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 3. nu. 5. Conynch. de pœnit. diſp. 7. nu. 13. Victor. in ſum. nu. 177. Sanch. in ſum. tom. 1. lib. 2. cap. 11. nu. 24. Nugn. in addit. ad 3. par. tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 2. concl. 2. Henr. lib. 1. cap. 7. num. 4. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 4. cap. 2. nu. 6. Io. de la Cruz in Director. conſc. par. 2. de ſacram. pœnit. q. 3. dub. 5. concl. 2. Carril. poſt itiner. Ordin. in repet. can. fin. 14. nu. 6. de furto notabili dub. 7. nu. 54. Llam. in ſum. par. 3. §. 14. Petr. Fay. in addit. ad 3. par. q. 9. diſp. 5. concl. 1. Fabr. de pœnit. in 4. ſenten. diſt. 17. q. vnica, diſp. 24. cap. 1. nu. 18. Syluij in addit. ad 3. par. q. 9. art. 2. dub. 1. Filliuc.* cum alijs, quos allegat, *tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 87. & 88. Chatechiſm. Rom. Pij V. p. 2. cap. 5. nu. 41. Bellar. tom. 2. de ſacram. & cenſur. diſp. 7. dub. 3. nu. 11. §. Secunda ſententia Caniſ. 2. par. catechiſ. cap. 5. de confeſ. q. 41. Medina lib. 1. inſtructor. cap. 9. §. 1. Ledeſ. 2. par. 4. q. 8. art. 4. dub. 5. Sexta Synod. in Trullo, can. vlt.* & facit *text. in cap. conſideret, de pœnit. d. 5. & aliorum.* Probatur primò hæc ipſa concluſio ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi habetur, eam peccatorum confeſſionem, & earum circumſtantiarum explicationem eſſe neceſſariam, quæ ſufficiat, vt Sacerdos de eorum grauitate rectè cenſere poſſit, & pœnam, quam oportet pro illis pœnitentibus imponere: at id fieri nequit, niſi eiuſmodi circumſtantiæ
93 explicentur, ergò, &c. Minor patet; nam qui ſurripuit mille aureos, ſi confiteatur mortale tantùm furtum commiſiſſe, ipſummet actum furti non explicat, vt de eiuſdem grauitate Confeſſarius rectè iudicare poſſit, & debitam pœnitentiam imponere: ſiquidem ſi poſt mortalis furti confeſſionem dicat pœnitens, ſe mille ſurripuiſſe, longè aliter de eo iudicaſſet, maiorem pœnitentiam eidem iniungiſſet, aliudque remedium adhibuiſſet, vt inquit *Sanch. tom. 1. in ſum. lib. 4. cap. 11. nu. 24.* & alij apud *Dian. par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 14.* quamuis ipſe contrarium ſentiat poſt nonnullos Doctores. Nec obſtat, quòd Cõcilium ibi eas circumſtantias expreſſit, quæ mutant ſpeciem, & eas, inquit eſſe, ſine quibus peccata ipſa à pœnitentibus integrè exponi non valent, nec Iudicibus manifeſtari, vt de illorum grauitate rectè cenſere poſſint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere; quoniam reſpondetur, quòd licèt Concilium de circumſtantijs mutantibus ſpeciem peccati mentionem fecerit; tamen circumſtantias notabiliter aggrauantes malitiam peccati infra

eandem

eandem ſpeciem non cenſetur excludere, cùm eadem ratio ab eodem Concilio expreſſa militet, tàm in circumſtantijs mutantibus ſpeciem, quàm in augentibus notabiliter malitiam infra eandem ſpeciem, iuxta ea, quæ ſupra diximus. Vbi autem militat eadem ratio, eadem etiam militat iuris diſpoſitio, *l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Vel ſecundò reſpondetur Cõcilium expreſsè definiuiſſe, quod certum erat de circumſtantijs verò aggrauantibus notabiliter infra eandem ſpeciem, de quibus erat dubium, nihil affirmauit, nec negauit; ſed cùm dixit omnia peccata eſſe ſigillatim confitenda, exponendum nobis reliquit, quid ſit illud, *Sigillatim*. Et ex ratione integri iudicij nos intelligimus, ibi comprehendi circumſtantias notabiliter aggrauantes.

Secundò probatur eadem concluſio, quia non
94 alia ratione circumſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt in confeſſione neceſſariò explicandæ, niſi quoniam mortaliter aggrauant, & in actu principali non explicantur: ſed circumſtantiæ notabiliter aggrauantes ſunt huiuſmodi; ergò, &c. Maior patet, probatur minor. Nam demus furari duos aureos eſſe grauitatis, vt vnum, vt vnũ peccatum mortale; & furari eos in Eccleſia eſſe grauitatis, vt duo propter ſacrilegium. Modo ſic argumentatur, furari mille aureos ab egeno multo grauius eſt peccatum, quàm furari duos aureos ab Eccleſia: ergò circumſtantia notabiliter aggrauans addit malitiam mortalem. Confirmatur, quia nemo ſanæ mentis negabit grauius eſſe peccatum furari mille aureos mercatori, etiam ſi non ſit pauper, quàm vnum Calicem ab Eccleſia, cùm tamen in ſua ſpecie cæteris paribus grauius ſit peccatum ſacrilegij, quàm furti ſimplicis, & nihilominus quantitas magni furti tantum aggrauat, vt iſtud peccatum grauius faciat peccato ſacrilegij: ergò ſignum eſt quod circumſtantia notabiliter aggrauans infra eandem ſpeciem mortaliter aggrauat. Præterea, qui exploſione bombardæ mille homines occidit, vnum numero peccatum committit: ſiquidem omnes illi mille homines ſe habent ad modum vnius ſubiecti, vt infra *ſec. 5.* dicemus, & tamen, nemo eſt qui aſſerere auſus ſit, quòd iſte talis ſatis ſit ſi in confeſſione dicat, ſe homicidium commiſiſſe, cum multo grauior culpa ſit occidere mille homines vno ictu, quàm vnum hominem: quæ quidem circumſtantia non mutat ſpeciem, ſed aggrauat notabiliter malitiam peccati infra eandẽ
95 ſpeciem. Rurſus ſi quis ſurripiat ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſacrilegiũ committit; ſicut & qui ſurripit Calicem ab Eccleſia; & tamẽ nemo dicet, hunc ſatisfacere ſi in confeſſione dicat ſe rem ſacram ſurripuiſſe, & ſi circũſtantia illa, ſanctiſſimi Sacramenti, aggrauat malitiam peccati infra eandem ſpeciem, ergò ſignum eſt quòd aggrauat mortaliter. Idem dicendum eſt de frangente ieiunium in quadrageſima, & comedente carnes; nam ille carnium eſus eſt circumſtantia notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem: & tamen nemo aſſerere audebit, hunc ſatiſfacere ſi in confeſſione dicat, fregiſſe ieiunium, tacita circumſtantia eſus carnium. Sed in ſupradictis duobus caſibus poteſt dici, quod circumſtantiæ illæ continent extraordinariam malitiam ſeù valdè excedunt extraordinarium modum peccati, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *concl. 5. verſ. Quartò limitant*; & propterea pertinent ad integritatem confeſſionis.

Tertiò Confeſſarius poteſt interrogare pœnitentem de huiuſmodi circumſtantijs notabiliter
96 aggrauantibus, & pœnitens tenetur reſpondere, & veritatem dicere, vt ſupra diximus, vt habetur ex *Reginal. lib. 6. ſuæ prax. nu. 32. in fine*, quem refert, & ſequitur *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recol. 8. nu. 61.* licèt excipiat ab hac regula circumſtantias conſuetudinis, recidiui, & occaſionis proximæ; quibus caſibus putat reſpondere poſſe pœnitentem ſe acceſſiſſe cum debita præparatione, & iam explicaſſe omnia neceſſaria, iuxta ea, quæ habentur ex *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 88. in fine:* ergò circumſtantiæ notabiliter aggrauantes intra eandẽ ſpeciem pertinent ad integritatem confeſſionis, etiam ſi non interrogetur pœnitens: quia interrogatio Confeſſoris non addit nouam obligationem; ſed eam ſupponit. Confirmatur; quia Eccleſia ſæpè reſeruat peccatum habens circumſtantiam notabiliter aggrauantem, vt ſupra diximus; ergò talis circumſtantia pertinet ad integritatem confeſſionis: nam Eccleſia ſibi reſeruat illa tantùm peccata, quæ ſunt de neceſſitate confeſſionis.

Denique, cæteris prætermiſſis, qui infamat aliquem dicendo peccatum occultum, circum-
97 ſtantia illa peccati occulti proculdubio eſt neceſſariò aperienda in confeſſione, aliàs Confeſſarius non poſſet cognoſcere, an peccatum infamiæ ſit mortale; nam qui detrahit alicui de peccato manifeſto, ac publico non peccat mortaliter. Et tamen aggrauat notabiliter infra eandem ſpeciem detractionis. Idem dicendum eſt de eo, qui infamat aliquem dicendo falſum; nam circumſtantia illa falſitatis eſt in confeſſione aperienda, & tamen eſt circumſtantia notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem: ergò circumſtantia notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem pertinet ad integritatem confeſſionis ſacramentalis. Hoc argumentum affert *Fagund. loco citato*, ad probandam noſtram concluſionem. Sed re vera circumſtantiæ illæ mutant ſpeciem peccati: nam prior circumſtantia ex peccato veniali ſi detractio eſſet peccati publici, facit mortale ſi detractio fiat peccati occulti. Poſterior verò circumſtantia addit peccato detractionis malitiam ſpecie diſtinctam, nempè mendacium. Nec reſponſio eiuſdem *Fagund.* nobis probatur, dum ait, mendacium in infamia non addere nouam malitiam ſpecie diſtincta detractioni, ſed facere detractionem mendacem: quoniam ſi facit detractionem mendacem, neceſſariò addit malitiam mendacij detractioni, quod mendacium ſpecie diſtinguitur à detractione: ſicut furtum rei ſacræ dicitur furtum ſacrilegum; eo quòd illa circumſtantia rei ſacræ addit furto nouam malitiam ſpecie diſtinctam furto, nempè ſacrilegium. Concluditur igitur ex alijs argumentis ſupra relatis circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem pertinere ad integritatem confeſſionis ſacramentalis. Nec ob id confeſſio
98 redditur oneroſa, quia licèt non poſſit certa regula aſſignari in cognoſcendis circumſtantijs notabiliter aggrauantibus infra eandem ſpeciem; tamen prudentis iudicio relinquitur, & præcipuè conſcientiæ pœnitentis accuſanti eum exceſſiſſe

Digitized by Google

fiſſe ordinarium modum peccandi, vt ſupra adnotauimus. Imò quando pœnitens cognoſcit ſe non percepturum à Confeſſario congruam medicinam, aut ſe poſiturum obicem gratiæ ſi illam circumſtantiam nõ exprimat, debet eam omninò exprimere etiam iuxta ſententiam eorum, qui dicunt circumſtantias notabiliter aggrauantes non pertinere ad integritatem confeſſionis: & id pro regula generali ponit *Filliuc. tõ. 1. qq moral. tract. 7. nu. 90. in prin. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 137. in fin. Add. ad Eman. Sà ver. Confeſſio poſt nu. 43. & Alph. de Leon. d. recoll. 8. nu. 58.*

Ex hoc infertur primò, quòd licèt multi Do-
99 ctores, quos ſupra retulimus *not. 3. verſ. Circumſtantia circa quid*, negent circumſtantiam ſtupri mutare ſpeciem peccati, quando ſtuprum eſt voluntarium; tamen omnes conueniunt eam eſſe circumſtantiam notabiliter aggrauantem, quia excedit ordinarium peccandi modum, vt inquit *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 3. nu. 5. & ſeq.* & propterea iuxta prædictam concluſionem pertinet ad integritatem confeſſionis, ita vt pœnitens teneatur in cõfeſſione aperire circumſtantiam virginis defloratæ, non tamen tenetur confiteri circumſtantiam iuuenis virginis deflorantis, quia hæc circumſtantia reſpectu viri non eſt notabiliter aggrauans, & parum variat iudicium, vt habetur ex *Azor. tom. 3. Inſtit. moral. lib. 3. cap. 11. q. 2.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *P. Diana p. 1. tract. 7 de circumſt. reſol. 10.* quibus adde ea, quæ circa rem hanc fuſius adnotauimus ſupra *d. not. 3. verſ. Circumſtantia circa quid*. Nec mulier, quæ carnaliter peccaſſe ſe accuſat eſt interroganda à Confeſſario ſi virgo erat; quia non tenetur peccatum ſemel confeſsũ iterum confiteri. Ita *Suar. loco citato*, & nos etiam diximus *d. verſ. Circumſtantia circa quid.*

Secundò infertur, quòd quamuis controuerſia
100 ſit inter Doctores, an quoad peccatum inceſtus diuerſitas graduum conſanguinitatis, & affinitatis cauſet diuerſas ſpecies peccatorum, ita vt quidam affirment vſque ad quartum gradum, & alij verò negent, excepto primo gradu, vt eſt inceſtus cum Matre, cum filia, cum ſorore, cum Nouerca, cum Priuigna, & cum ſorore vxoris, vt habetur ex *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 2. concl. 5.* qui poſt alios tenet huiuſmodi inceſtum ſpecie differre ab alijs, & alij ſimpliciter negent diuerſitatem graduum cauſare diuerſas ſpecies peccati inceſtus, vt nos latè ſupra diximus *not. 3. verſ. Circumſtantia circa quid, iuncto verſ. Ad eandem circumſtantiam*; nihilominus negantes vt ſupra dicunt huiuſmodi graduum circumſtantias eſſe notabiliter aggrauantes, aut minuentes malitiam peccati intra eandẽ ſpeciem; quia per eas exceditur ordinarius peccati modus, & cognoſcitur in actu notabilis deformitas.

Tertiò infertur, quòd licèt fractio ieiunij veſcendo carnibus, & fractio ieiunij commedendo
101 ſæpius in die cibos non vetitos, ſint eiuſdem ſpeciei peccata; nihilominus qui franxit ieiunium veſcendo carnibus magis notabiliter peccat, eo quod excedit ordinarium modum peccandi eſtò quod demus, quòd valdè notabiliter non exceſſerit: & propterea pœnitens talem circumſtantiam tãquam notabiliter aggrauantem malitiam peccati intra eandem ſpeciem tenetur confiteri.

102 Idem dicendum eſt de eo, qui alterum infamat falſum dicendo, aut peccatum occultum proximi manifeſtando; etiam ſi demus circumſtantias falſi, & occulti non addere peccatis prædictis malitias ſpecie diſtinctas: ſiquidem huiuſmodi circumſtantiæ aggrauant ſaltem notabiliter infamationem, vt habetur ex *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. ſub nu. 90.* vbi etiam ait, quòd vbi eſt probabilis opinio de aliqua circumſtantia, quòd differat ſpecie, tunc ſaltem erit circumſtantia notabiliter aggrauans. Vndè cùm controuerſia ſit inter Doctores, an votum ſolemne caſtitatis à Religioſo emiſſum ſit alterius ſpeciei à ſpecie voti Sacerdotis in ordine ſuſcepto: nam quidam affirmant, nempè *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. & lib. 2. de Iuſt. & iur. q. 8. art. 5. ad 1. Coninch. de ſacram. diſp. 20. dub. 3. nu. 131. Ledeſ. in ſum. tom. 1. de pœnit. cap. 19. de circumſt. perſona dub. 2. Zarnard. in Director. Theol. par. 1. tract. de pœn. cap. 18. Petr. Fay. in addit. ad 3. par qq. art. 2. diſp. 7. ad 3. & alij*. Quidem verò negant, vt *Henr. lib. 5. de pœnit. cap 5. nu. 6. in Gloſ. litt. G. Sanch. de matrim. lib. 7 diſp 27. nu. 27. Villalobos in ſum. tom. 1. tract. 9. cap 37. nu. 13.* & alij, atque adeò volunt, votum ſolemne caſtitatis emiſſum à Religioſo, & votum caſtitatis in ordine ſuſcepto eſſe eiuſdem ſpeciei iudicanda eſt circumſtantia huiuſmodi notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem: & propterea mulieri peccanti cum Sacerdote Religioſo ſatis eſſe dicere, ſe commiſiſſe ſacrilegium cum Sacerdote, & circumſtantiam illam, Religioſi, poſſe in confeſſione omitti iuxta mentem illorum, qui docent, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem non pertinere ad integritatem confeſſionis: quæ tamen circumſtantia debet omninò explicari, attenta hac noſtra concluſione, vt latè ſupra oſtendimus *concl. 4. verſ. Hac quæ diximus.* Idem dicendum eſt de Sacerdote, ac Religioſo profeſſo qui fecit contra votum ſolemne caſtitatis: nam non ſatisfacit ſi confiteatur violaſſe votum caſtitatis non manifeſtando votum ſolemne quod habet: ſiquidem cùm probabilis ſit ſententia eorum qui putant votum ſacerdotale caſtitatis, & ſic votum ſolemne differre ſpecie à voto ſimplici, vt habetur ex *Petr. Fay. d. diſp. 7. ad 2.* & ex alijs, quos refert *Diana par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 4.* vbi probabiliorem putat ſententiam oppoſitam, in dubio circumſtantia illa voti ſolemnis eſt dicenda ſaltem notabiliter aggrauans intra eandem ſpeciem, atque ideò iuxta hanc noſtram concluſionem pertinere ad integritatem confeſſionis, vt nos quoque ſupra adnotauimus *dicta concl. 4. verſ. Ex his*, quæ diximus.

Quartò infertur, quòd ſponſus, vel ſponſa de
103 futuro ſi cum alijs carnaliter peccent, tenentur circumſtantiam ſponſaliorum Confeſſario aperire, ſicut & cum eis carnaliter ſe commiſcentes. Siquidem huiuſmodi peccatum, vel continet duplicem malitiam, alteram ſcilicet fornicationis, & alteram fractorum ſponſalium, quæ ſpecie diſtinguuntur, vt arbitrantur *Petr. Fay. in addit. ad 3. par. q. 9. art. 2. diſp. 7. ad 4. Pitignan. in 4. ſent. tom. 2 diſt. 17. q. vnica, art. 5. Sarmien ſelect. inter lib. 1 cap 5. nu 3. Homob. de exam Eccl. par. 1. tract. 7. P. Nald. in ſum. ver. Sponſalia, nu. 12.*

nu. 12. *& alij*, & tunc citra omnes controuerſiam pertinet ad integritatem confeſſionis, vt ſupra adnotauimus *concl.* 3. aut circumſtantia illa ſponſalium eſt notabiliter aggrauans infra eandem ſpeciem, cum probabilis ſit opinio eorũ qui volunt circumſtantiam prædictam non conſtituere malitiam ſpecie diſtinctam, etiam ſi ſponſa ſit, quæ fuerit fornicata, vt habetur per *Viuald. in candelabro aureo. par.* 1. *in tit. de ſponſal. nu.* 10. *Petr. Ledeſ. de matr. q.* 43. *art.* 1. *dub. vlt.* & alios, quos refert, & ſequitur *Diana par.* 1. *tract.* 7. *de circumſt.* ergò iuxta hanc noſtram concluſionem, & opinionem eorum, qui docent circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe in confeſſione aperiendas, circumſtantia prædicta pertinet ad integritatem confeſſionis
104 ſacramentalis. Idem dicẽdum eſt de Epiſcopo, & de Generalibus Religionum peccãtibus mortaliter, & præſertim carnaliter: & de muliere habente rem cum nouitio, vel ſolutus cum nouitia Religioſa: ſiquidem cicumſtantiæ Epiſcopi, Generalis, ac nouitij, ſeù nouitiæ ſunt circumſtantiæ ſaltem notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem, vt de circumſtantiæ Epiſcopi habetur ex *Fagund. de pracep. Eccleſ. pracep.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *nu.* 8. *Nugno in addit. ad* 3. *par. tom.* 2. *q.* 9. *art.* 2. *dub.* 3. *concl.* 2. *&* 3. quamuis circumſtantiam hanc negent in cõfeſſione eſſe apetiendam *Conynch. de ſacram. diſp.* 7. *dub.* 4. *n.* 18. & alij, quos refert, & ſequitur *Diana loco citato, reſol.* 6. niſi peccatum ita publicum eſſet, vt ſcandalũ pareret, iuxta ea quæ adnotantur ex *Filliuc. tom.* 2. *qq moral. tract* 30. *cap.* 7. *nu.* 125. *Sanch. de matr. tom* 2. *lib.* 7. *diſp.* 27. *nu* 33. *Henriq. lib.* 5. *cap.* 5. *nu.* 6. *in Gloſa litt.* G. De circumſtantiis verò Generalis, & Nouitij, ac nouitiæ agit idem *Diana d. reſol.* 6. *&* 7. & tenet eſſe circumſtantias ipſas eſſe notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem; atque ideò in confeſſione neceſſariò aperiendas iuxta hanc noſtram concluſionem, quamuis contrarium ſentiat *Diana*, qui ſequitur opinionem eorum, qui negant circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis. Quod diximus de Epiſcopo fornicante, aut quocunque alio modo peccante mortaliter, dicendum puto de Sacerdote, & quolibet alio promoto ad ſacros ordines aliquem percutientibus, cum effuſione ſanguinis maximè, vel occidentibus: nam hi tenentur explicare circumſtantiam ordinis ſacri; nam effuſio ſanguinis maximè repugnat Sacerdotio, vt habetur ex *Nugno vbi ſupra concl.* 5. quamuis contrarium teneat *Diana ibidem reſol.* 8. *in fine.*

Quintò infertur, Confeſſarium carnaliter cognoſcentem pœnitentem, teneri in confeſſione
105 aperire circumſtantiam illam pœnitentis: quia circumſtantia illã, vel addit peccato ſpeciale ſacrilegium ratione vinculi ſimilis cognationi ſpirituali ex Sacramento contracti, vt putant *Sanch. de matr. tom.* 2. *lib.* 7. *diſp.* 55. *nu.* 4. *Conynch. de ſacram. diſp* 31. *dub.* 2. *nu.* 23. *Fagund. de pracep. Eccl pracep.* 2. *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 33 & alij apud *Dian par.* 1. *tract.* 7. *de circumſt. reſol.* 12. vel eſt circumſtantia notabiliter aggrauans intra eandẽ ſpeciem, vt docent *Vaſq. in* 3. *par. tom.* 5. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 2 *nu.* 20. *Rodriq. tom.* 1. *ſua ſum. cap.* 209. *nu.* 1. *Azor. tom.* 3. *Inſt. moral. lib.* 3. *cap.* 9. *q.* 5. *Bonac. de matr. q.* 4. *pun.* 16. *nu.* 7. & alij apud eundem *Dian. loco citato*: qua propter attenta noſtra concluſione pertinet ad integritatem confeſſionis; licèt contrarium teneat *Diana* ſecutus opinionem eorum, qui docent circumſtantias notabiliter aggrauantes non eſſe in confeſſione neceſſariò aperiendas. Idem dicendum eſt de ſurripiente mille aureos, v. g. nam non ſatisfacit confitendo ſe furatum fuiſſe rem notabilem, aut commiſiſſe furtum mortale, vt ſupra oſtendimus in probatione noſtræ concluſionis, *argum.* 1. quamuis contrarium doceant *Nauar. in cap. conſideret, de pœnit. d.* 5. *nu.* 12. *Vaſq. in* 3. *par. tom.* 4. *q.* 91. *art.* 1. *dub.* 3. *& Dian. d tract.* 7. *de circumſt. reſol.* 14. cum alijs, quos allegat.

Sextò infertur, quòd Prælato præcipiente
106 aliquid ſub præcepto obedientiæ, ſi ſubditus non obediat, debet in confeſſione aperire circumſtantiam illam præcepti obedientiæ, nec ſatis eſt confiteri non obediuiſſe Prælato: ſiquidem peccatum illud, vel continet duas malitias ſpecie diſtinctas, alteram ſcilicet contra Religionem, & alteram contra obedientiam, vt tenet *Villalobos in ſum. tom.* 1. *tract.* 9. *dub.* 36. *nu.* 14. vel circumſtantia prædicta præcepti obedientiæ aggrauat notabiliter peccatum intra eandem ſpeciem, vt videtur ſentire *Ledeſ. in ſum. tom.* 1. *de pœnit. cap.* 19. *concl.* 6. quem refert *Dian. d. tract.* 7. *de circumſt. reſol.* 16. dum dicunt prætatum peccatum continere vnam tantùm malitiam, & non duas ſpecie diſtinctas: & tunc, attenta noſtra concluſione, pertinet ad integritatem con-
107 feſſionis. Sic etiam qui reliquias ſecum habens fornicatur, aut poſt peccatum incontinentiæ amaſiæ illas donat ex beneuolentia, ex gratitudine, non ſatisfacit confitendo ſe peccatum incontinentiæ cum ſoluta, aut cum nupta commiſiſſe; ſed debet explicare circumſtantiam illam reliquiarum: quoniam, vel peccatum prædictum continet duas malitias, alteram incontinentiæ, ac ſimplicis fornicationis ſi amaſia ſit ſoluta, & alteram ſacrilegij propter irreuerentiam habitam rei ſacræ, maximè ſi reliquiæ donatæ fuerint in pretium peccati: vel eſt circumſtantia notabiliter aggrauans peccatum incontinentiæ infra eandem ſpeciem: ſiquidem geſtatio reliquiarum in tali actu, & de eiſdem actus turpis remuneratio eſſe nequeunt citra notabilem irreuerentiam rei ſacræ, iuxta ea quæ habentur ex *Filliuc. tom.* 2. *qq. moral. tract.* 30. *cap.* 7. *nu* 229. *& Dian. loco cit. reſol.* 18. licèt negent huiuſmodi circum-
108 ſtantiam eſſe in confeſſione aperiendam, cum non ſequatur Doctores noſtræ concluſionis; ſed concluſionis præcedentis. Adde quòd *Diana d. tract.* 7. *reſol.* 20. loquens conſequenter iuxta ſententiam eorum, qui docent, circumſtantias notabiliter aggrauantes non pertinere ad integritatem confeſſionis, inquit quòd circumſtantia copulæ habitæ in oratorio alicuius domus, in quo de licentia Epiſcopi Miſſæ celebantur; vel in porta Eccleſiæ à parte externa ipſius, vel in Monaſterijs, & cellis Religioſorum, vbi ſit altare ad celebrandum, non eſt neceſſe, vt in confeſſione aperiatur: quam ſententiam puto veram non ſolùm, quòd in prædictis locis non committitur ſacrilegium; ſed etiam, quia circumſtantia illã non eſt, nec quidem aggrauans notabiliter, vt colligitur ex *Fagũd. de pracep. Eccl. pracep.* 2. *lib.* 4. *cap.* 4. *nu.* 39. vbi huiuſmodi circumſtantias

putat

Digitized by Google

putat non pertinere ad confeſſionem, quamuis ipſe ſequatur ſenteotiam eorum, qui tenent, circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis. Nonnullas alias circumſtantias mutantes ſpeciem peccati, & aggrauantes notabilitet intra eandem ſpeciem cumulat idem *Dian. in d. tract. 7. de circumſtantijs.* Verum eſt animaduerteodum, quòd ipſe *Diana* ſequitur ſententiam eorom, qui putant circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem non pertinere ad integritatem confeſſionis: & ideò qui ſequuntur opinionem Doctorum contrarium ſentientium, non poſſunt eidem adberere.

SEPTIMA CONCLVSIO.

QVamuis probabilior ſit opinio eorum, qui volunt circumſtantias notabiliter aggra-
109 uantes infra eandem ſpeciem pertinere ad integritatem confeſſionis; nihilominus oppoſita ſententia ſe habente, circumſtantias prædictas non ſpectare ad integritatem confeſſionis, ſi quis vteretur in praxi, ex rationabili maximè cauſa, non peccaret. Etenim prædicta opinio habet graoiſſimos Doctores pro ſua, & quamplurimcs eorundem ſequaces; eſt fauorabiliot, & confeſſionis Sacramentum reddit magis facile, vt habetur ex *Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 3. nu. 4. & Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. nu. 87.* vbi ait, poſſe eam admitti in praxi, primò circa peccata interna, quæ proximo nihil nocent, niſi continerent deſormitatein extraordinariam quoad modum peccaodi: vt ſi quis voluntatem habeat occidendi inimicum, & occiſum ſæpius confodiendi in fruſtra concidendi, dentibus dilaniandi, &c. ſiquidem nonnulli volunt, huiuſmodi circumſtantias mutare ſpeciem peccati, itaut non ſolùm committatur homicidij peccatum internum; ſed etiam peccatum internum feritatis, vt habetur ex *Suar. loco citato, nu. 12. & Conynch. de pœnit. diſp. 7. ſub nu. 14.* Secundò poteſt admitti ad tollendam anſietatem ab eis, qui nimis ſunt ſcrupuloſi. Et tertiò in ijs, quæ continent moram temporis, & actus intentionem. Hæ ſunt rationabiles cauſæ, vt quis in praxi vti poſſit ſupradicta opinione.

Cæterum citra inſtam, ac rationabilem cauſã
110 huiuſmodi opinio non eſt practicanda: quia, vt ait *Suar. d. ſec. 3. n. 4. & ſeq.* Doctores vtriuſq; ſenteotiæ in hoc conueniunt, quòd quotieſconq; circumſtantia variat morale iudiciũ, eſt omnino exprimenda, quamuis ex diuerſis principijs. Etenim quidam id aſſerunt, quia circumſtantia illa eſt notabiliter aggrauans; alij verò quòd mutet ſpeciem. Vndè licèt ſint, qui negent circumſtantias notabiliter aggrauantes infra eandẽ ſpeciem pertinere ad integritatem confeſſionis; Doctores tamen vtriuſq; ſententiæ conueniunt, vt circumſtaotiæ inceſtus cum matre, odij per notabile tempus, furti maximæ quantitatis, voluntatis occidendi plures homines, percuſſionis ferro tricipiti, concubitus per totam noctem, etiam ſi ſemel tantùm coitus cum muliere fuerit ſubſequutus, peccati habentis excommunicationem, vel reſeruationem annexam, & in omni caſu, in quo quis exceſſit ordinarium modum peccati, ſint Confeſſario aperiendæ, vt latè ſupra adnotauimus *concl. 5. limit. 1. cum reliquis ſeq.* ſiquidem vt ſupra diximus, ſolùm in principijs differunt: nam vna opinio vult prædictas circumſtantias differre ſpecie, vel numero: & altera non differre, nec ſpecie, nec numero, ſed notabiliter tantùm augere maliriam peccati intra eandem ſpeciem: & propterea cauendum eſſe ait idem *Suar. loco citato*, ne miſceantur opiniones, & ex
111 his, quæ ſigillatim ſumptæ probabiles ſunt; aliquid improbabile inſeratur, & eo maximè quoniam ex communi vſu fidelium omnes timoratæ conſcientiæ circumſtantias aggrauantes vt ſupra, licèt non mutent ſpeciem confiteri ſolent; qui quidem vſus eſt antiquiſſimus, vt probat ibidem ipſe *Suar.* & latiùs *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. dub. 2. à nu. 19. ad 23.* vbi plures canones affert. Eſt tamen verum, quòd in peccatis carnalibus, laudabile eſt huiuſmodi circumſtantias omittere, quæ ſpeciem non mutant, & audientem, vel confitentem alliciunt ad turpitudinem. Imò eo caſu non ſolùm laudabile eſt, ſed etiam neceſſarium illas tacere, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 17. ſub nu. 3. & ſeq.*

An ad integritatem confeſſionis pertineat diſtincta peccarorum numeri explicatio. SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Numerum peccatorum in ſacramentali confeſſione non eſſe neceſſarium diſtinctè, ac definitè explicare qui docent.*

2 *Numerum peccatorum pertinere ad integritatem confeſſionis, ac eſſe diſtinctè, ac definitè explicandum, eſt communis, ac de fide ſententia.*

3 *Verba* Sigillatim, omnia, & ſingula, *quid denotent.*

4 *Sententia in ſacramentali iudicio exigitur, vt ſaltem non feratur cauſa non cognita, vt æquitas in pœnis imponendis ſeruari poſſit.*

5 *Numerus peccatorum in confeſſione, ſiue ſecundùm ſe conſideretur, ſiuè in ordine ad præceptum Eccleſiæ, tàm internorum, quàm externorum eſt explicandus.*

6 *Actus exterior non eſt circumſtantia actus interni, ſed eſt ipſummet peccatum vnum, & idem cum interiori.*

7 *Permanens multo tempore in voluntate peccãdi antequam deueniat ad exteriorem actum peccati tenetur id confiteri.*

8 *Reſpectum habens in vno eodemq; actu peccandi ad diuerſas perſonas tenetur reſpectus illos confiteri.*

9 *Numerus peccatorum de quibus pœnitens dubitat, an commiſerit, vel ſint mortalia pertinet ad integritatem confeſſionis.*

10 *Numerum peccatorum determinatum ignorans tenetur numerum veriſimilem exprimere; quod declaratur quoad eos, qui poſtea recordantur aliquorum peccatorum eiuſdem ſpeciei in dicto numero non comprehenſorum.*

11 *Pœnitens obligatur numerum peccatorum explicare, etiam ſi Confeſſarius non directè, ſed tantum indirectè poſſit eum ab illis abſoluere.*

12 *Proferens in aliquem vna ſermonis ſerie plures iniurias ſpecie differentes, vel plures blaſphemias tenetur actas iniurias, vel blaſphemias diſtinctè confiteri; quod limitatur in caſu reſeruato.*

13 *Diuer-*

13 *Diuerſitates blaſphemiarum in Deum, B. Virginem, & ſanctos ſuos, ac circumſtantia ſunt in confeſſione nominatim explicandæ.*

14 *Species verborum contumelioſorum in Deum, vel in ſanctos prolatorum in eo, quod datur iniuria leuis, grauis, & grauiſſima eſt in confeſſione explicanda.*

15 *Pænitens antequam ad confeſſionem accedat, tenetur diligens examen præmittere, vt diſtinctè memoriæ reducat ſpecies, & numerum peccatorum.*

16 *Pænitens non tenetur explicare numerum peccatorum eiuſdem ſpeciei vnum poſt aliud, ſed ſatis eſt ſi ſingula indiuidua ſub propria ſpecie reducat.*

17 *Pænitens ſi facta diligentia iuxta ipſius capacitatem non recordatur diſtinctè peccatorum numerum, ſatis eſt exprimere quantitatem ſuo iudicio veriſimilem in circa; nec ſi poſtea recordetur numerum tenetur confiteri, niſi eſſet notabilis exceſſus, vel circumſtantia neceſſaria occurrat.*

18 *Pænitens non minus peccat confitendo peccata, quæ non commiſit ex defectu ſufficientis examinis, quam omittendo quæ commiſit.*

19 *Meretrices expoſitæ ad fornicandũ non coguntur numerum fornicationum explicare, ſed tantum tempus, & continuam animi præparationem in tali peccato.*

20 *Meretrices tenentur in confeſſione explicare ſaltem toties in die, vel hebdomada peccaſſe, perſonas, & certum numerum peccatorum, in quibus non ita frequenter dant operam.*

21 *Meretrices tenentur reſtituere acceptum à Religioſis, & filijs familias.*

22 *Expoſitus ad peccandum, quoad peccata interna ſatis eſt ſi in confeſſione explicet ſe fuiſſe paratum ad committendum, vel deſiderandũ hoc, vel illud, quoties occaſio, vel illius memoria occurrebat.*

23 *Pænitens tenetur omnia peccata numero diſtinctè confiteri, ſi vnum peccatum non ordinatur ad aliud omninò intentum, vel actio non habet connexionem cum actu principali.*

24 *Pænitens non tenetur explicare peccatorum numerum, ſi numerus eſt Confeſſario notus, vel ex verborum pænitentis complexu numerum percipere poteſt.*

1 IN hac re *Archid. & nonnulli alij Canoniſtæ in cap. imitare, 6. q. 1. & in cap. conſideret, de pænit. d. 5.* volunt numerum peccatorum nõ pertinere ad integritatem confeſſionis, atque ideò neceſſarium non eſſe in ſacramentali confeſſione peccatorum numerum diſtinctè, ac definitè explicare; ſed ſatis eſſe, ſi pœnitens dicat, ſe multoties peccaſſe, in tali peccato perſeueraſſe per menſem annum, vel per plures annos, &c. quam opinionem non putat improbabilem *Angel. in ſum. ver. Confeſſio 1. nu. 20.* Probant eorum ſententiam primò, quia aliàs confeſſio redderetur valdè difficilis: ſiquidem explicare numericam peccatorum diſtinctionem eſt moraliter difficillimum. At in moralibus non modo impoſſibilitas, ſed etiam maxima difficultas eſt vitanda; quoniam impoſſibile dicitur in moralibus, quod ſine maxima difficultate adimpleri non poteſt, *l. apud Iulianum, §. fin. ff. de legat. 1.* latè *Dec. in l. qui poteſt facere, in fin. ff. de regul. iur.* ad impoſſibile autem nemo tenetur, *l. impoſſibiliũ, ff. eo. l. commeatus,* & ibi *Doctor. ff. de re milit.* Confirmatur, quia nullum habemus de numerica peccatorum confeſſione expreſſum præceptum: nec ex inſtitutione Sacramenti id expreſsè colligitur: nam cum diſtinctio numerica accidentaria ſit, non poteſt multum variare iudicium, aut medicinam; maximè ſi aliquibus verbis generalibus confusè dicantur. Denique iudicium confeſſionis non eſt ad inſtar iudicij alterius vitæ, in quo exacta operum cognitio neceſſaria eſt, cùm ordinetur ad reddendum condignum præmium, vel ſupplicium iuxta perfectiſſimam iuſtitiæ rationem. Hoc autem iudicium eſt ſalutare, ac medicinale iuxta illud *Ioan. 3. Non venit filius hominis, vt iudicet mundum, ſed vt ſaluetur mundus per ipſum,* Et propterea non exigit exactam ſingulorum peccatorum cognitionem: ergò non oportet diſtinctè in confeſſione aperire diſtinctum peccatorum numerum; quia ad dictum finem ſatis eſt explicare ſpecies eorum diſtinctè, numerum autem in confuſo.

2 His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt communis, vera, & catholica ſententia, quam tenent *D. Thomas opuſc. 12. q. 5. in fin. Caiet. in ſuis opuſc. tract. 5. q. 3. Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 11. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 14. & in cap. conſideret, de pænit. d. 5. nu. 40. Henriq. lib. 2. de ſacram. pænit. cap. 5. nu. 8. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. nu. 2. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 1. dub. 5. in prin. Conynch. de pænit. diſp. 7. nu. 3. & ſeq. Reginald. lib. 6. ſuæ prax. nu. 115. cum plur. ſeq. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 3. cap. 4. & ſeq. Molf. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 12. n. 41. & 42. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 81. Bonac. diſp. 5. de ſacrum. q. 5. ſec. 2. pun. 2. difficul. 2. nu. 1. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 15. num. 2.* vbi etiam addit, quòd licèt olim ſententia huiuſmodi fuerit dubia; hodie tamen eſt certa, ac de fide, & alij. Probatur hæc ipſa ſententia primò ex noſtro canone, vbi præcipitur omnia peccata eſſe in confeſſione aperienda: ergò illa diſtributio non tantùm de peccatorum ſpeciebus; ſed etiam de indiuiduis fieri debet: & propterea non ſolùm peccatorum ſpecies, verum etiam, & eorum numerum pœnitens confiteri tenetur. Secundò probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* vbi ſtatuitur pœnitentem obligari ad confitendum peccata in ſpecie, & ſigillatim, & *can. 7. eadem ſeſſ.* anathemate feritur, qui dixerit in Sacramento pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſariam non eſſe iure Diuino confiteri omnia, & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita diligenti præmeditatione habeatur.

3 Hæc verba, *Sigillatim, omnia, & ſingula,* iuxta eorum ſignificationem, denotant, ſatis non eſſe in confeſſione manifeſtare omnes peccatorum ſpecies; ſed inſuper explicandum eſſe diſtinctè, ac definitè illorum numerum, & ſic manifeſtationem debere eſſe de omnibus, & ſingulis peccatis in indiuiduo. Tertiò confirmatur ratione. Etenim Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum iudicij, vt in *cap. verbum, de pænit. d. 1.* iudiciũ hoc Sacerdos exercere nõ poſſet, niſi non tantùm ſpecies, ſed etiam peccatorum numerum

merum cognoſcat: ſiquidem interdum magis variat iudicium multitudo peccatorum in eadem ſpecie, quàm diuerſitas ſpecifica. Vndè magis variat iudicium homicidium pluries commiſsũ; quàm ſimplex homicidium, & furtum. Sic etiam longè grauiorem pœnitentiam imponet Confeſſarius pro decem homicidijs, quàm pro vno: ſicut in foro exteriori grauius punitur committens plura delicta eiuſdem ſpeciei, quàm vnum. Denique probatur eadem ſententia ex communi fidelium conſuetudine, quam antiquiſſimam eſſe conſtat ex *D. Auguſt. in cap. conſideret, de pœnit. d. 5.* in illis verbis, *Et in ipſius vitij multiplici executione.*

Ad contraria reſpondetur, & ad primam dici-
4 mus, quòd non ob id confeſſio redditur valdè difficilis; quia ſi pœnitens non recordatur diſtinctum peccatorum numerum, ſatis eſt exprimere quantitatem, quam ſuo iudicio iudicat veriſimilem, vt infra melius declarabimus. Ad confirmationem patet reſponſio ex dictis. Ad vltimum reſpondetur, quòd in ſacramentali iudicio exigitur, vt ſententia ſaltem non feratur, cauſa non cognita, vt æquitas in pœnis imponendis ſeruari poſſit, vt habetur ex *Conc. Trid. d. cap. 5.* At ſeruari id non poteſt, niſi pœnitens non ſolùm ſpecies, ſed etiam numerum peccatorum manifeſtet, vt colligitur ex eodem Concilio ibidem, in illis verbis, *Sacerdotes iudicium hoc, incognita cauſa, exercere non potuiſſe, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe, ſi in genere dumtaxat, & non potius in ſpecie, ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent.* Vndè his reiectis, firma remanet ſupradicta concluſio, quòd numerum peccatorum pertinet ad integritatem confeſſionis, ita vt pœnitens non ſolùm teneatur in confeſſione manifeſtare peccatorum ſpecies, ſed etiam numerum diſtinctè, ac determinatè.

Ampliatur hæc concluſio primò, vt pœnitens
5 numerum peccatorum confiteri teneatur in ſacramentali confeſſione, ſiuè peccata externa ſint, ſiuè interna: ſiquidem tàm peccata externa, quàm interna pertinent ad integritatem confeſſionis, vt ſupra adnotauimus, *ſec. 2. concl. 2. ampl. 1.* & id verum eſt, ſiuè confeſſio conſideretur ſecundum ſe, ſiuè in ordine ad præceptum Eccleſiæ, vt contra *Margar. confeſ. ver. Confeſſio, nu. 40.* probauimus ſupra *ſec. 1. concl. 5. ampl. 1.* Nec
6 ſatis eſt ſi pœnitens explicet peccatum internum tantùm, ſi deindè conſummatum fuerit. Nam licèt actus externus non augeat, nec minuat malitiam peccati; nihilominus actus exterior non eſt circumſtantia actus interni, ſed eſt ipſummet peccatum vnum, & idem cum interiori: & propterea totum explicari oportet, prout peccatum eſt compoſitum ex vtroque actu, externo ſcilicet, & interno. Vndè qui actu commiſit peccatum fornicationis non ſufficit confiteri ſe habuiſſe intentionem fornicandi; ſed fornicatum fuiſſe: & id quando intentio mox redacta fuit ad actum: ſiquidem dum actu fuit fornicatus ſupponitur habuiſſe intentionem fornicandi: & ſic actus externus idem eſt cum actu interno hoc caſu, vt benè declarat *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 3. nu. 2.*
7 Quòd ſi antequam quis deuenerit ad exteriorem actum peccati multo tempore permanſerit in peccandi voluntate, debet etiam id confiteri; quia difficile eſt, quin plura numero commiſerit peccata interna ex actus voluntaris interciſione, vt *ſec. ſeq.* Deo duce, dicemus de peccatorum numerica diſtinctione tractantes. Ratio autem cur peccata omnia, ſiuè interna ſint, ſiuè externa pertineant ad integritatem confeſſionis non ſolùm ſi confeſſio ipſa conſideretur, vt pars Sacramenti pœnitentiæ; ſed etiam in ordine ad præceptum noſtri canonis, & vt ab Eccleſia præcipitur ſemel ſaltem in anno, hæc eſt: ſiquidem confeſſio annua, vt ſupra præcepta talis eſſe debet, qualis exigitur confeſſio, quæ eſt pars Sacramenti pœnitentiæ: nam præceptum noſtri canonis, vt ſæpè diximus non eſt merè Eccleſiaſticum; ſed ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum. Etenim Concil. Lateran. vi noſtri canonis nihil ſtatuit circa eſſentialia ſacramentalis confeſſionis; ſed tantùm ſtatuit, vt præceptum Diuinum confeſſionis ſemel ſaltem in anno impleatur, & ſic ſolùm determinauit tempus, vt ſupra declarauimus *diſp. 1. ſec. 1. concl. 8.*

Secundò ampliatur eadem concluſio, vt non
8 ſolùm pœnitens teneatur confiteri diſtinctum peccatorum numerum, ſed etiam ſi in vno, & eodem peccandi actu reſpectum habuit ad diuerſas perſonas: nam tenetur quoque reſpectus illos confiteri, cùm tendant ad diſtincta peccata numerò, vel ſpecie diuerſa, vt cùm quis in actu pollutionis, vel fornicationis habuit reſpectum ad virginem, monialem, nuptam, ad puerum, &c. Nam tot peccata commiſit ſpecie diſtincta, quot habuit reſpectus: ſiquidem reſpectus ad virginem eſt ſtuprum; reſpectus ad monialem, ſeù virginèm ſacram, eſt ſacrilegium; reſpectus ad nuptam eſt adulterium: & reſpectus ad puerum eſt peccatum ſodomiæ. Et ſi quis in actu ſimplicis fornicationis reſpectum habeat ad plures mulieres eodem modo ſolutas, tunc plura peccata non ſpecie, ſed numero tantùm diſtincta committit, vt poſt alios declarat *Molf. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap 12. nu. 48. & 49.*

Tertiò ampliatur, vt non ſolùm numerum peccatorum, quæ certò nouit pœnitens commiſiſſe,
9 pertineat ad integritatem confeſſionis; ſed etiam peccatorum numerus, de quibus dubitat pœnitens an commiſerit, vel ſint mortalia, vel ne: quoniam ſicut tenetur quis confiteri circumſtantias dictorum peccatorum, vt ſupra diximus, *ſec. 3 concl. 3. ampl. 1.* ita etiam, & numerum, cùm non minus variet iudicium numerus peccatorum, quàm eorundem circumſtantiæ, vt patet ex his, quæ adnotauimus ſupra ad probandam noſtram, & communem ſententiam: & in ſpecie *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſar. recoll. 15. nu. 16.*

Quartò ampliatur, vt concluſio ipſa locum habeat in eo, qui neſcit determinatum numerum:
10 ſiquidem is tenetur exprimere numerum veriſimilem, dicens ſe quinquies circiter v. g. falſum iuraſſe, plus, aut minus, vt habetur ex *Nauar. in cap. conſideret, de pœnit. d. 1.* vel ſupputare vices ſecundum quamlibet diem, hebdomadam, vel menſem, iuxta eundem *Nauar. in Man. cap. 6. nu. 14. Reginald. lib. 6. ſuæ prax. nu. 121. & alios.* Eſt tamen verum, quòd cùm quis numerum peccatorum plus, minuſue confitetur, ſi poſtea recordetur aliquorum peccatorum eiuſdem ſpeciei, quæ non fuerint comprehenſa in illo

numero

numero illius ſpeciei, quem plus minuſue dixit, tenetur ſub mortali exceſſum confiteri de nouo, ſi ſit notabilis, vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.2. lib.3. cap. 4. ſub nu. 9.* vbi ponit exemplum in eo, qui in confeſſione fuit confeſſus plus, minuſue decies iuraſſe falsò, aut furtum commiſiſſe, deindè recordatus fuerit quatuordecim, aut quindecim vicibus id fuiſſe: nam tunc tenetur de nouo exceſſum confiteri; ſiquidem exceſſus ille cùm notabilis ſit non cenſetur inclusus in paruo illo numero decies; non ſic ſi poſtea recordatus fuerit ſe vndecies, aut duodecies iuraſſe, aut furatum fuiſſe; quoniam paruus ille exceſſus ſufficienter cenſetur incluſus in numero decies, plus, minuſue, vt habetur ex *Filliuc. tom.1. qq. moral. tract.7. cap.4. nu.82.* & infra latiùs dicemus, *lim. 2.* Quando verò quis frequenter peierat, blaſphemat, aut in aliquod aliud peccatum frequenter incidit, vt ſunt meretrices, & habitum habentes blaſphemandi, ac peierandi, tunc ſatis eſt ſi tempus explicent, in quo perſeuerantes fuerunt in huiuſmodi peccatis: meretrices tamen expoſitæ oportet, vt principales ſpecies peccatorum confiteantur, vt ſi cum Clericis, Sacerdotibus, Religioſis, propinquis, vel conſanguineis, aut coniugatis, vt infra latiùs dicemus, *limit. 3.* quibus adde, quæ cumulauit *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 15. nu.7. & 8.* vbi etiam *nu. 4. & 5.* inquit, quòd cùm quis peccatorum numeri recordatur, debet integrum numerum explicare, ita vt ſi vnũ peccatum pretermittat, confeſſioni non ſatisfaciat, vt per *Reginald. lib.6. ſua prax. nu. 215.*

Quintò ampliatur eadem concluſio, vt pœni-
11 tens in confeſſione adeò teneatur peccatorum numerum explicare, vt ad huiuſmodi explicationem obligetur etiam ſi Confeſſarius ab illis non poſſet directè abſoluere, ſed tantùm indirectè, vt ſunt reſeruata in tempore neceſſitatis, vt contra *Gerſon.* docet *Nauar. in cap. fin. de pœnit. d.5. nu.6. & in cap.1. §. cautus, ead. diſt. nu.9.* quos refert, & ſequitur *P. Alph. de Leon. loco citato, nu. 11.*

Sextò ampliatur, vt concluſio ipſa locum ha-
12 beat quoque in eo, qui vna ſermonis ſeriè plures iniurias ſpecie differentes in aliquem protulit, appellando illum v. g. furem, adulterum, falſarium, &c. ſiquidem eo caſu tenetur pœnitens in confeſſione prædictas iniurias diſtinctè cõfiteri, vt latè ſupra declarauimus *concl. 5. limit. 5. verſ. Eſt tamen verum:* quibus adde, quæ habentur per *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recol. 15. ſub nu. 14. & 15.* qui idem putat dicendum de proferente eadem ſerie ſermonis plures blaſphemias, & poſt alios hanc doctrinam limitat in caſu reſeruato, vbi quis pluries blaſphemauerit: ſiquidem volunt non includi ſub caſu reſeruato eum, qui plures ſanctos vno impetu pluribus vicibus blaſphemaret. Adde etiam hic *Dianam tract. 7. de circumſt. reſolut. 28. in fin.* vbi ait, quòd hæc doctrina applicanda eſt quoque in detractionibus, ſed declaranda eſt iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *d. concl. 5. limit. 5. verſ. Eſt tamen verum.* Et eodem modo dicendum eſt de proferente vno impetu iniuriam pluribus perſonis, & explicanda eſt opinio, quam refert *Diana loco citato, reſol. 29.* iuxta ea ſupra diximus, *d. verſ. Eſt tamen verum.* Eſt autem animaduer-
13 tendum, quòd circa diuerſitatem blaſphemiarum; quidam volunt blaſphemias in Deum, & in ſanctos ſuos non differre ſpecie, vt habetur ex *Caiet. in ſum. in ver. Blaſphemia in 2. 2. q. 14. art.1. in fine, Gype. tract. de caſib. reſer. cap. 9. nu.37. Homobon. eo. tract. par.2. cap. 1. Valent. tom.3. diſp.1. q.13. par.1. Azor. tom.1. Inſt. moral. lib.9. cap.28. q.10. Lazar. tract. de blaſph. q. 3. nu. 51. & Diana tract. 7. de circumſt. reſol. 50.* qui ob id teſtatur probabiliter reſpondiſſe contra *Sanch. in ſum. tom. 1. lib.2. cap.32. num.39. & Aragon. in 2.2. q.13. art.1.* quendam Clericum potuiſſe reticere in confeſſione, an eius blaſphemiæ fuerint contra Beatam Virginem, an contra alios ſanctos. Nos autem, qui exiſtimamus ſententiam eorum, qui volunt, circumſtantias notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem pertinere ad integritatem confeſſionis ſacramentalis, eſſe probabiliorem dicimus, blaſphemantem teneri Confeſſario aperire circumſtantias, ac diuerſitatem blaſphemiarum: ſiquidem blaſphemiæ in ſanctos, & in Deum, aut differunt ſpecie, vt probabilius nobis videtur, cum Deus ſit obiectum infinitum, & ſancti obiecti finitum; & tunc citra omnem controuerſiam tenetur blaſphemans, qui Deum blaſphemauit, hanc circumſtantiam explicare: aut blaſphemia in Deum eſt circumſtantia notabiliter aggrauans infra eandem ſpeciem, vt arbitror eſſe quoque blaſphemiam in Beatam Virginem; & idem putamus eſſe dicendum, cùm ſequamur opinionem eorum, qui dicunt circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis, vt ſupra diximus, & hanc ſententiam tenent *Turrian. in 2. 2. diſp. 58. dub. 3. Reginal. tom. 2. ſua prax. lib.18. cap.14. nu.201. Sanctarel. tract. de hæreſi, cap.4. dub.1. nu.4. Sancius diſp.6. q.6. Laym. in ſua ſum. Theol. lib.4. tract. 10. cap.6. nu. 11. Filliuc. tom.2. qq. moral. tract.25. cap.1. n.26.* & alij, quos refert, ſed non ſequitur *Dian. loco citato.* Et re vera ab hac ſententia tanquam probabiliori non eſt recedendum; eò magis quia fideles communiter confitentur diſtinguentes blaſphemias prolatas in Deum, Beatiſſimam Virginem, & in ſanctos: imò frequenter nominatim explicant blaſphemias prolatas in ſanctos, dicentes, ſe blaſphemaſſe Diuum Petrum, Diuum
14 Franciſcum, &c. Satis quoque dubia nobis videntur, quæ habentur ex eodem *Diana ibidem reſol. 51.* dum ait contra *Sanctarel. de blaſphemia cap. 4. dub. 2. nu. 5. & Zannard.* probabiliter dici poſſe, in cõfeſſione non eſſe exprimẽda, quæ verba contumelioſa fuerint in Deum, vel ſanctos prolata exiſtimans omnes contumelias eſſe eiuſdem ſpeciei, & conuenire in ratione formali, quæ eſt intentio auferendi alteri honorẽ: etenim ſicut iniuria datur leuis, grauis, & grauiſſima; ita quoque in Deum dari contingit blaſphemia, ſeù contumelia grauis, & grauiſſima: nam ob id dantur blaſphemiæ hæreticales, quæ ſunt omniũ grauiſſimæ, reſeruari ſolent, & audientes huiuſmodi blaſphemias proferre, cenſuris Eccleſiaſticis, compelli ſolent blaſphemantes reuelare, & frequenter Inquiſitores hæreticæ prauitatis emanant edicta, quibus præcipitur Confeſſarijs, ne audientes huiuſmodi blaſphemantes abſoluãt, niſi eos reuelent: qua propter aliqua blaſphemia poteſt ſaltem eſſe notabiliter aggrauans intra

eandem ſpeciem; atque adeò iuxta opinionem,
quam nos ſequimur, venit in confeſſione neceſ-
ſariò aperienda. Et quamuis veram eſſe putem
ſententiam *Zanardi in Director. conſc. par. 2.
præcep. 1. cap. 10.* quæ ſequitur *Diana d. reſol. 51.*
ſe habentem, quòd qui vnico actu, & eodem
tempore plures blaſphemias eiuſdem qualitatis
profert in Deum, vocando v. g. illum iniuſtum,
iniuſtum, iniuſtũ, vnicum tantũ peccatum com-
mittit, ſicut ſi eodem modo conuicia proferret in
ſanctos; nihilominus qui vnico actu diuerſa con-
uicia formaliter profert in Deum, vel ſanctos,
appellans eos iniuſtos, crudeles, &c. tot peccata
contrahit, quot conuicia profert, iuxta ea, quæ
ſupra diximus de iniurijs illatis contra aliquem
hominem, vocatum furem, adulterum, homici-
dam, &c. Puto tamen quòd qui vnico actu plu-
res blaſphemias eiuſdem qualitatis protulit in
Deum, vel in ſanctos, eum non teneri pluralita-
tem illam blaſphemiarum explicare, quia non
arbitror eſſe circumſtantiam notabiliter aggra-
uantem, nam non videtur notabiliter variare
iudicium: eſſet autem illa pluralitas blaſphemia-
rum in confeſſione omninò aperienda ſi non
vnico actu, ſed interruptis actibus blaſphemiæ
proferantur, vt habetur ex *Diana*, & alijs Docto-
ribus ſupra relatis.

Sextò ampliatur ipſa concluſio, vt pœnitens
15 adeò teneatur diſtinctum peccatorum numerum
confiteri, vt adhoc rectè id ſeruare poſſit, oblige-
tur antequam ad confeſſionem accedat diligens
examen præmittere, quo ad memoriam reuocet
non tantum peccatorum ſpecies; ſed etiam eorum
diſtinctum numerum; & ita certa pro certis con-
fiteatur, & dubia pro dubijs. Ita *Suar.* poſt alios
*in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. nu. 37. & 38. Vaſq.
ibidem q. 91. art. 1. dub. 5. & Molfeſ. in ſua ſum.
Theol. tract. 7. cap. 12. num. 41. & 42.* vbi rectè
monet Confeſſarios, vt ſi viderint pœnitentes,
qui examen huiuſmodi non præmiſerint, ipſos
humaniter dimittant, & admoneant, vt per ali-
quot temporis ſpacium ſe præparent, ſua peccata
ad memoriam diſtinctè reuocantes, inſtruendo
eos qualiter id agere debeant, ſi maximè ſint
rudes, & deindè præfigant tempus, vel horam,
qua ad confeſſionem redire habeant. Et multò
magis Confeſſarij cum ijs id ſeruare debent, quos
inter confitendum nouerit, quaſi inopinatè pro-
ferre peccatorum numerum, vt cùm quis con-
feſſus ſe fornicaſſe, vel peieraſſe, interrogatus à
Confeſſario de numero reſpondeat, *Centies, du-
centies.* Et aliquãdo ſunt, qui reſpondeant, *Ponas
numerum quem volueris.* Is enim apertè oſtendit
ſufficiens examen non præmiſiſſe, nec ſatisfacit,
cùm teneatur ſaltem pœnitens quando diſtinctè
non recordatur de peccatorum numero, illam
quantitatem exprimere, quàm ſuo iudicio putat
veriſimilem, vt infra latius explicabimus.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio primò,
16 vt licèt pœnitens teneatur diſtinctum peccato-
rum numerum confiteri; nihilominus non obli-
gantur adeò diſtinctè peccatorum numerum ex-
plicare, vt vnum poſt aliud eiuſdem ſpeciei ma-
nifeſtet; ſed ſatis eſt ſi ſingula indiuidua ſub pro-
pria ſpecie reducat, & ea omnia indiuidua vno
verbo Confeſſario aperiat, vt ſi quis decies cum
ſoluta rem habuerit, vel cum pluribus ſolutis,
non oportet ſingula peccata per ſe, & quaſi hiſto-
ricè narrare, ſed ſufficit ſi dicat decem ſimplices
fornicationes commiſiſſe, vel decies fornicaſſe:
nam quaſi hiſtoricè peccata narrare ad morale
iudicium non pertinet, & Confeſſori eſt valdè
moleſtum: imò poteſt eſſe tàm pœnitenti, quàm
Confeſſori nociuum, vel eorum alteri, vt habetur
ex *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 5. q. 6. Sot. in 4. d. 18.
q. 2. art. 4. concl. 2. Petr. Sot. lect. 9. de confeſ.
Nauar. in Man. cap. 6. nu. 14. Suar. in 3. par.
tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. nu. 37.* & ex alijs.

Secundò limitatur, vt ita demum pœnitens
17 teneatur diſtinctè peccatorum numerum confi-
teri, quando facta diligentia iuxta pœnitentis
capacitatem eorum numerum diſtinctè recorda-
tur: aliàs ſatis erit eam quantitatem exprimere,
quam ſuo iudicio iudicat veriſimiliorē, vt quin-
quies in circa dicat ſe blaſphemaſſe, v. g. decies
in circa iuraſſe mentientem, &c. Quoniam id
ſufficit ad morale iudicium humano modo fe-
rendum, & moraliter fit, quod eſt poſſibile.
Quòd ſi poſt confeſſionem diſtinctus peccato-
rum numerus pœnitenti memoriæ occurrat, qui
non videtur ſufficienter explicatus, non eſt ne-
ceſſarium peccata confeſſa iterum confiteri, nec
de illis eſſe ſolicitum, quoniam ſub illa dictione,
In circa, certus numerus ſufficienter cenſetur in-
cluſus, niſi fortè notabilis eſſet exceſſus, aut ſpe-
cialis circumſtantia neceſſaria occurrat, quæ de-
clarata non fuerat, iuxta ea, quæ ſuprà adnotaui-
mus, *ampl. 4.* quibus adde, quæ habentur ex *Sot.
in 4. d. 18. q. 2. art. 4. concl. 2. verſ. Quod ſi roges
Lopez par. 1. Inſtr. cap. 31. in prin. Rodriq. par. 1.
ſua ſum. cap. 52. concl. 4.* Id autem vix contingere
poſſe ait *Suar. loco citato*, ſi prius mediocris di-
18 ligentia adhibita fuerit. Quòd ſi pœnitens nota-
biliter errauerit confitendo longè maiorem nu-
merum peccatorum, quàm commiſit, tunc qui-
dam volunt, eum non teneri ad verum numerum
manifeſtandum, quia in maiori ſumma ineſt mi-
nor, vt habetur ex *P. Megal. lib. 1. Inſt. Peregr.
par. 1. cap. 18. ſub nu. 10.* Sed hoc mihi videtur
valdè dubium, cùm non minus peccet, qui ex de-
fectu ſufficientis examinis confitendo peccata,
quæ non commiſit, quàm omittendo, quæ com-
miſit: & confeſſio non minus fidelis eſſe debet,
quàm integra, eo maximè ſi notabiliter ex tali
exceſſu variaretur iudicium.

Tertiò limitatur in meretrice expoſita ad for-
19 nicandum; ſiquidem iſta non cogitur confiteri
fornicationum numerum, cùm illi oneroſum
valdè eſſet; ſed ſatis eſt tempus explicare, & ani-
mi continuam præparationem in tali peccato, vt
ſupra adnotauimus *ampl. 4.* & habetur ex *Can.
5. par. relect. de pœnit. §. colligo tandem, Caiet.
tom. 1. opuſc. tract. 5. q. 3. Petr. Sot. lect. 9 de confeſ.
Nauar. in Man. cap 6.* & ex alijs. Etenim ex tali
confeſſione Confeſſarius conſequitur ſufficien-
tem notitiam de ſtatu pœnitentis, vt ei poſſit op-
portuna remedia adhibere ad pœnitentiam pera-
gendam de priori vita: quod dicunt debere prin-
cipaliter exigere Confeſſarium ab huiuſmodi
perſonis, quàm nimis eas grauare ad exprimen-
dum peccatorum numerum, & ſpecies interro-
gando ſi cum coniugatis, Clericis, vel cum alijs
20 concubuerint. Eſt tamen verum, quòd *Sot. in 4.
d. 18. q. 2. art. 4.* quem refert, & ſequitur *Vaſq. 3.
par. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 5. nu. 2.* dicunt, hanc
ſententiam non eſſe vniuerſaliter veram: nam

poteſt

Digitized by Google

poteſt eſſe, vt vna meretrix millies in anno fornicetur: & altera vix centies: & propterea opus eſt vt ſaltem dicat, toties peccaſſe in die, toties in hebdomada, toties in menſe, &c. plus, aut minus. Imò addit *Vaſq. loco citato, ſub num. 3.* quòd ſæpiſſimè contingit in ſceleratiſſimis meretricibus, vt poſſint explicare certum numerum aliquarum ſpecierum, quibus non ita frequenter dant operam; nempè ſi rem habuerint cum Religioſis, cum conſanguineis, ſi præpoſtero modo, &c. Nam confeſſio peccatorum debet fieri in ſpecie, & ſigillatim cùm poteſt, iuxta ea, quæ habentur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* Vndè meretrices
21 non ſolùm debent interrogari de Religioſis Sacerdotibus, &c. ob diſtinctam malitiam; ſed etiam propter obligationem reſtituendi, quod ab ipſis Religioſis acceperunt; ſicut reſtituere quoque tenentur, quod ſibi datum fuerit à filijsfamilias, vt habetur ex *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 4. nu. 82.* Quòd diximus de ſtatu meretricio, idem dicendum eſt de quocunque alio peccatore conſuetudinario, & expoſito ad peccandũ, vt rectè declarat *Vaſq. d. dub. 5. nu. 4. & Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. nu. 39. & P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. reſol. 15. nu. 17.*

Quartò limitatur eadem concluſio, vt licèt
22 quoad peccata externa peccatorum numerus certus ſit explicandus, cùm fieri poteſt; aliàs ſatis eſt conſuetudinem peccandi declarare, tempus quo pœnitens in illa perdurauit, & modum frequentiæ per dies, vel hebdomadas, iuxta ea quæ ſupra diximus; nihilominus quoad peccata interna expoſitus ad peccandum, ſatis eſt ſi dicat, ſe fuiſſe paratum ad committendum, vel deſiderandum hoc, aut illud peccatum, quoties occaſio, vel illius memoria occurrebat; & propterea non debet Confeſſarius in his caſibus pœnitentem vrgere, vt aliquem certum numerum proferat; cùm ſæpè id ſit impoſſibile, vel ita incertum, vt nulla fides illi adhiberi poſſit. Ita *Suar.* ex communi omnium ſententia *d. ſec. 5. in fine.*

Quintò limitatur ſupradicta concluſio, vt tunc
23 pœnitens teneatur omnia peccata numero diſtincta confiteri, quando vnum peccatum non ordinatur ad aliud omninò intentum, aliàs ſecus. Vndè ſi quis ad finem occidendi inimicum gladium ſumat, domum egrediatur, inimicum exploret, & tandem intentum occidat, ſatis eſt ſi confiteatur homicidium commiſiſſe: nam licèt ſumere gladium, egredi domum, explorare inimicum cum ſupradicta praua intentione, ſint actiones diuerſæ, & ſecundum aliquos peccata diſtincta apud Deum; nihilominus, quia omnes illæ actiones ordinantur ad homicidium committendum, & ſic peccatum per ſe intentum, dicuntur peccata partialia, & in genere moris, vel ſaltem in ordine ad confeſſionem concurrunt ad conſtituendum vnum peccatum morale, vt habetur ex *Suar. d. ſec. 5. nu. 23. 24. & 25. Nauar. in Man. cap. 6. nu. 17. & ſeq. Vaſq. in 3. p. tom. 4. q. 91. art. 1. dub. 5. Conynck. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 7. n. 58. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. dub. 4 nu. 84. Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 5. ſec. 2. pun. 2. §. 3. difficul. 2. nu. 12. & Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 15. nu. 23. cum pluribus ſeq.* Qui poſt alios hanc limitationem ſublimitat primò quando actio non habet connexionem cum actu principali, vt qui ad occidendum, vel fornicandum vſus eſt opera alterius. Secundò ſublimitat in actionibus, quæ immediatè ſubſequuntur actum principalem, vt in tactibus, oſculis, & alijs obſcenis immediatè ſubſequentibus copulam, niſi has actiones fecerit animo aliam culpam conſimilem committendi.

Sextò limitatur, quando peccatorum numerus
24 notus eſt Confeſſario extra confeſſionem; ſiquidem eo caſu ſatis eſt dicere, accuſo me de illis peccatis, quæ noſti me commiſiſſe, vt habetur ex *Bonac.* poſt alios *loco citato, difficul. 2. nu. 20. & Alph. de Leone d. recoll. 15. nu. 18.* vbi etiam *nu. 27.* inquiens idem dicendum eſſe quando ex ipſius pœnitentis verborum complexu Confeſſarius percipere numerum poteſt, vt per *Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 11. in fine, Reginal. lib. 6. ſuæ prax. nu. 125. in fin.* Alias limitationes vide apud *Alph. de Leone loco cit. nu. 19. 21. & 28.*

De numerica peccatorum vnitate, ac diſtinctione. SEC. V.

SVMMARIVM:

1 *Peccatum omne, aut internum tantum dicitur, vel internum, & externum ſimul.*

2 *Peccata purè interna non multiplicantur numero in eadem perſona ſimul in eodem inſtanti, & vno, ac eodem actu etiam ſi potentia tendat ſimul in plura obiecta materialiter diſtincta.*

3 *Voluntatem habens occidendi mille homines vno, & eodem indiuiſibili actu licet vnum tantum numero committat peccatum, tamen illa circumſtantia plurium obiectorum per modum vnius multitudinis, eſt in confeſſione aperienda tanquam notabiliter aggrauans.*

4 *Necem multorum vno, & eodem actu odij deſiderans per modum vnius multitudinis vnum peccatum committit cum circumſtantia notabiliter aggrauante; diſtinctè verò plura peccata numero diſtincta contrahit.*

5 *Deliberans in principio quadrageſimæ toto eo tempore non ieiunare vnum peccatũ contrahit cum circumſtantia notabiliter aggrauante, ſi verò certis diebus diſtinctis plura commiſit peccata numero diſtincta.*

6 *Sacerdos proponens omittere diuinum officium per menſem plura peccata numero diſtincta contrahit, & quid cum intentione non recitandi officium durante nauigationis tempore de Sacerdote nauigaturo per menſem, Breuiarium in Mari proiciat propter quod efficiatur impotens ad recitandum diuinum officium.*

7 *Res alienas diuerſorum, qui vnico actu concupiuit vnum peccatum contraxit.*

8 *Deſiderans vnico voluntatis actu pluries aliquem percutere vnum peccatum contrahit, nec tenetur vices percuſſionum exprimere.*

9 *Concupiſcens vno, & eodem actu plures fœminas ſolutas plura peccata numero committit; & idem de eo qui plures copulas deſiderat cum vna fœmina habere; & idem de eo qui non ſub ratione vnius integri peccati delectatur de tactibus, oſculis, & copula, ſed ſub ratione plurium.*

10 *Peccata externa, & interna ſimul non multiplicantur numero ſecundum multiplicationẽ obiectorum ſi vno actu, & eodem inſtanti fiant.*

11 *Occi-*

Digitized by Google

11 *Occidens vnico ictu plures homines per modum vnius multitudinis, vel omnes Apoſtolos collectiuè blaſphemans vnum peccatum committit cum circumſtantia notabiliter aggrauante.*

12 *Percutiens tres Clericos vnico ictu triplicem contrahit excommunicationem.*

13 *Familia pro vna perſona fictitia capitur.*

14 *Infligens tria vulnera tripiciti ferro vno ictu in Clericum, vel qui vno impetu tres ictus infert Clerico ſemel excommunicationem contrahit, pro vt qui vnico impetu ter, aut vltra aliquem latronem appellat, ſemel appellaſſe cenſetur.*

15 *Proferens vnico impetu, & eodem calore iracundia in aliquem multa verba iniurioſa continens diuerſas ſpecie iniurias vnum peccatum committit.*

16 *Prouocatus vnica iniuria ſi ex vno impetu, eodem tempore, & eadem voluntate profert in prouocantem tria verba iniurioſa ſignificantes diuerſas ſpecie iniurias vnum peccatum committit cum circumſtantia notabiliter aggrauante.*

17 *Voluntas quamdiù perſeuerat in actu interno, quo peccatum committitur vnum peccatum numero appellatur.*

18 *Motus non multiplicatur numero, niſi interrumpatur.*

19 *Temporis duratio nimia in peccato eſt omninò in confeſſione aperienda.*

20 *Pœnitens ſi in memoria haberet omnes delectationes moroſas, ſatis eſſet exprimere, ſe toties delectatum eſſe.*

21 *Habens tota nocte rem cum concubina, ſufficit confiteri numerum fornicationum.*

22 *Circumſtantia diuturnitatis voluntaria retentionis rei aliena furto ablata eſt in confeſſione aperienda.*

23 *Vnum tantum numero peccatum dicitur committere quamdiù quis perſeuerat in actu externo, quo peccatum committitur.*

24 *Quacumq; interruptio, aut minima ceſſatio ſatis eſt ad numericam multiplicationem peccatorum mentalium, ſeu internorum, ſiuè voluntaria ſit, ſiuè ex quacunq; diſtractione naturali, vel ſomno etiam modici temporis proueniat.*

25 *Actus interni quocumq; modo, & tempore quantumuis paruo interrumpantur, & eliciantur, phiſicè ſunt numero diſtinti.*

26 *Opinio aſſerentium, quod interruptio proueniens ex inaduertentia, & maximè ſi eſt modica, quamuis ſit phiſica, ſatis non ſit ad diſtinctionem peccati, eſt falſa.*

27 *Sententia aſſerentium peccata interna nunquã multiplicari numero, niſi per interruptionem, ſeù ceſſationem ab actu per contrariam voluntatem, eſt falſa.*

28 *Peccatum vt vnum dicatur numero, ſatis non eſt permanere in ſtatu peccati, ſeu in habitualè voluntate peccandi, niſi aliquo modo duret actualis peccati commiſſio.*

29 *Peccata quadam interna, licet ſecundum ſe conſiderata, & quo ad Deum ſint numero diſtincta, nihilominus cum vix ab homine percipi, & explicari poſſint, ſatis eſt illa confiteri per modum vnius dicendi moram temporis; & quod ſi de interruptione recordetur, & quando ſunt circa diuerſa obiecta.*

30 *Peccata interna, illa per quamcumq; interruptionem numero multiplicantur, qua ſolo interiori voluntatis actu conſumantur; ea verò, qua exteriori opere perficiuntur, non ſemper per interruptionem multiplicantur.*

31 *Actus licet in genere entis conſiderati ſint multa, & varia res, nihilominus conſiderati tanquam via, & partes, quibus vnum peccatum eſt conſumandum, vnum peccatum efficiunt.*

32 *Peccatum internum quod opere externo conſumatur multiplicatur numero, ſi interrumpitur per actum aliquem, qui nullo modo ordinatur ad peccatum illud perficiendum.*

33 *Peccata externa multiplicantur numero iuxta numerum interruptienum actus, tùm interni, tùm externi.*

34 *Carnibus qui cœperit veſci fer. 6. & deinde ceſſet, & v.g. ſcribat, & rurſus ad eſum carnis redeat, duo peccata committit.*

35 *Actus externi quando ſunt diſtinti, & vnus non eſt pars alterius, nec ordinatur ad alium, multiplicant peccata numero.*

36 *Argumentum à quantitate pœna ad quantitatem culpa non ſemper valet.*

37 *Peccatum externum, & internum multis modis datur vnum, vel multiplex.*

38 *Violans ieiunium in vigilia occurrenti in quadrageſima, vel in die in quo vltra preceptum quadrageſima coincidit aliud preceptum regula, vnum peccatum committit.*

39 *Promittens multoties eandem rem, vno titulo obligatur, & quod de votum emittente, aut iurante plures ſanctos de eadem re.*

40 *Teſtis, qui ſimul rogatur de pluribus rebus, & articulis ſub vno iuramento, & in omnibus mentitur vnum periurium committit.*

41 *Tranſgrediens plura pracepta inter ſe ſobordinata, vnum peccatum committit; & exempla traduntur.*

42 *Miniſtrans pluribus ſacramenta Euchariſtiæ, Pœnitentia, vel Baptiſmi in peccato mortali, vnum peccatum committit in genere moris.*

43 *Sacerdotem in peccato mortali alijs ſacram Euchariſtiam miniſtrantem non peccare mortaliter, eſt probabilis ſententia.*

44 *Officium integrum ſeptem horarum vnius diei recitare omittens, vnam culpam contrahit, limitatur in proponente pluries in die omnes horas canonicas omittere.*

45 *Beneficiatus multa beneficia habens non recitans officium vna die vnum peccatum committit; ſi tamen fuerit in ſacris conſtitutus duo, pro vt obligatus ad ieiunium eadem die ex precepto Eccleſia, & ex proprio voto, vel iuramento.*

46 *Furtum decem aureorum vno actu committens vnum peccatum contrahit; ſecus ſi decies, vel pluribus decem furatur.*

47 *interficiens vnico ictu plures perſonas; vel plures perſonas iniurijs afficiens, vel toti alicuius familia imprecans, vel Apoſtolos blaſphemans qualiter peccat.*

AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quod omne peccatum
1 aut internum tantùm dicitur: vel internum, & externum ſimul: externum autem dumtaxat nunquam datur; quia peccatum per ſolùm

actum

actum exteriorem ſine voluntate committi non
poteſt, cùm omne peccatum ſit voluntarium.
Primum peccati genus eſt voluntas peccandi,
verbo, aut opere non ſubſequuto. Poſterius verò
dicitur voluntas peccandi, verbo, vel opere ſub-
ſequuto. Et quoniam tàm in peccatis internis
tantùm, quàm in peccatis internis, & externis
ſimul poteſt eſſe diuerſa ratio vnitatis, ac diſtin-
ctionis numericæ; idcircò de illis omnibus vna,
& eadem quæſtione breuiter quoad fieri poteſt,
Deo duce tractabimus. Quo circa pro determi-
natione huius difficultatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 PEccata purè interna non multiplicantur nu-
mero in eadem perſona ſimul in eodem in-
ſtanti, & vno ac eodem actu, etiam ſi po-
tentia tendat ſimul in plura obiecta materialiter
diſtincta. Hæc concluſio eſt *Suar.* poſt alios *in
3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. nu. 4. & 17. Filliuc.
tom. 2. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 85.
Nauar. in cap. conſideret, de pœnit. d. 5. & in
Man. cap. 6. nu. 18. Bann. 2. 2. q. 62. art. 6. dub. 1.
ad 3. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. concl. 7.* & aliorum.
Probatur, quoniam licèt potentia tendat ſimul in
plura obiecta materialiter diſtincta; non tamen
tendit in illa per modum plurium, ſed per mo-
dum vnius multitudinis. Vndè qui vnico volun-
tatis actu habet voluntatem occidendi mille ho-
mines; vnum tantùm peccatum committit: nam
licèt potentia tendat in mille homines; in eos
tamen tendit per modum vnius multitudinis.
Confirmatur; quia qui vno indiuiſibili charitatis
actu amat mille homines, vna eſt illius actus in-
diuiſibilis bonitas, cùm reſpiciat illos homines
per modum vnius obiecti adequati; odium pa-
riter mille hominum vnicam numero habet ma-
litiam; quia priuatio eſt proportionata habitui,
ita vt ſi habitus eſt vnus vna eſt priuatio eius:
ergò idem erit dicendum de voluntate occiden-
di mille homines vno, & eodem indiuiſibili actu
vt vnum tantùm numero ſit peccatum.

Eſt tamen verum, quòd omnes ferè conue-
3 niunt, hanc obiectorum pluralitatem eſſe in
confeſſione aperiendam: quia licèt nos conceda-
mus eò caſu non multiplicari peccata numero, vt
ſupra diximus; nihilominus dicimus, illam cir-
cumſtantiam eſſe notabiliter aggrauantem con-
tra *Nauar.* vbi ſupra: & propterea iuxta noſtrã
ſententiam ſupra relatam *ſec. 3. concluſ. 6.* eſſe
Confeſſario aperiendam. Et Doctores negantes
circũſtantias notabiliter aggrauãtes intra eandẽ
ſpeciem pertinere ad integritatẽ confeſſionis, di-
cunt, quòd ille vnus numero actus tẽdens in plu-
ra obiecta materialiter diſtincta continet plures
malitias numero diſtinctas, & cõſequenter voluit
eſſe plura peccata diſtincta numero modo, po-
tentia, ſeù actus ille obiecta ipſa reſpiciat, vt di-
ſtincta, vt habetur ex *Vaſq. p. 2. diſp. 75. nu. 10.
Azor. tom. 1. Inſt. moral. lib. 4. cap. 5. q. 3. & lib. 7.
cap. 3. q. 8. Salas 1. 2. tract. 13. diſp. 5. ſec. 6. n. 65.
Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 8. c. 7. n. 19. Hẽriq.
lib. 1. cap. 8. n. 4. Alph. de Leon. de offic. & poteſt.
confeſ. recoll. 15. n. 58.* & hanc ſententiã probabi-
liorẽ putat *Suar. loc. cit.* Etenim ſicut multiplica-
tio obiectorum ſpecie diſtinctorum multiplicat
malitias diſtinctas ſpecie, ita quoque multipli-
catio obiectorum numero tantum diſtinctorum
multiplicat peccata numero.

Ex dictis infertur primò quòd ſi quis vno, &
4 eodem actu odij deſiderat necem multorum,
tunc aut actus ille fertur in multos per modum
vnius, nempè in necem totius familiæ alicuius,
totius Collegij, totius Ciuitatis, &c. Et tunc
vnum tantum peccatum committit cum circum-
ſtantia notabiliter aggrauante infra eandem ſpe-
ciem. Aut actus in multos non fertur per mo-
dum vnius multitudinis; ſed reſpicit obiecta
illa, vt diſtincta, atque adeò reſpiciat multos, vt
diſtinctos, vt ſi deſideret necem Franciſco, Petro,
Antonio, &c. Tunc quamuis vnico actu id agat,
nihilominùs plura peccata numero diſtincta
contrahit, vt per *Azor. tom. 1. Inſt. moral. lib. 2.
cap. 4.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *P.
Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recol. 15.
nu. 59.* Idem dicendum eſt de eo, qui in princi-
pio Quadrageſimæ deliberauit toto eo tempore
5 non ieiunare, nam vnum peccatum committit
cum circumſtantia notabiliter aggrauante: eo
quòd voluntatis actus fertur in dies illos Qua-
drageſimæ per modum vnius multitudinis: ſecus
autem ſi deliberaret non ieiunare, & ſic vio-
lare ieiunium certis, ac determinatis diebus,
quoniam tunc plura peccata contrahit; nam
voluntatis actus fertur in dies illos, vt diſtinctos,
vt habetur ex eodem *P. Alph. de Leone loco cit.
nu. 65.* vbi idem dicendum putat de Sacerdote
6 proponente omittere officium Diuinũ per men-
ſem, ad quod allegat *P. Molf. in ſua ſum. Theol.
tract. 8. cap. 7. nu. 19.* Eſt tamen verum quòd ſi
Sacerdos nauigaturus per ſpacium vnius menſis,
& exiſtens in Naui proijciat breuiarium in
mari cum intentione non recitandi officium,
durante nauigationis tempore; propter quod effi-
ciatur impotens ad recitandum Diuinum offi-
cium ex defectu breuiarij vnum tantùm pecca-
tum contrahit, ſi ante tempus impletionis præ-
cepti, de cauſa data eum pœnitieat, nec peccat
amplius omittendo horas canonicas quamdiù
nouam negligentiam in comparando breuiario
non admittit. Ita *Beccan. par. 2. tract. 2. cap. 3. q. 6.
nu. 10. & 11. Tanner. par. 2. diſp. 4. q. 4. dub. 2.
nu. 25. & 26. Villalobos in ſum. tom. 2. tract. 3.
difficul. 6. nu. 4.* quos refert, & ſequitur *P. Diana
par. 1. tract. 7. de circumſt. reſol. 63.* vbi etiam
cum præfatis Doctoribus ait, quod ſi Clericus in
diuturna nauigatione breuiarium abijciat, non
tenetur aperire hanc circumſtantiam; ſed ſatis
eſt ſi dicat numerum dierum, quibus prætermiſit
recitare horas canonicas. Etenim impotentem
ſe reddere ad actum præcepti, ſolùm prohibetur
præcepto affirmatiuo de actu exequendo, atque
ideò non aliam habet malitiam, quàm ipſamet
omiſſio actus præcepti. Poteſt tamen actus ille,
quo quis facultatem ſibi ademit adimplendi præ-
ceptum recitandi horas canonicas per accidens
pertinere ad integritatem confeſſionis. Vt ſi quis
conſtituiſſet in animo ſuo per integrum menſem
tranſgredi præceptum recitandi horas canonicas,
& ob id proiecerit breuiarium in mare, ſi poſtea
reſipiſcens, & recuperato breuiario poſt tres dies
horas recitaret, cùm longè maius ſit peccatum
proiectionis breuiarij cum ſupradicta praua
intentione, quàm ſubſequens tranſgreſſio præ-
cepti, non eſſet ſatis in confeſſione ſolam præ-
cepti tranſgreſſionem aperire. His adde, quæ
habentur ex eodem *P. Diana loco cit. reſol. 17.*

Secun-

Secundò infertur, quòd qui res alienas Diuerſorum concupiuit vnico actu, vnum peccatum
7 contraxit, quia res illas concupiuit per modum vnius: nec tenetur exprimere numerum eorum, quorum res erant: & propterea ſatis eſt in confeſſione dicere concupiui res alienas notabilis valoris, vt habetur ex *P. Alph. de Leon. loco citato*, qui allegat *P. Megal.* & idem ait dicen-
8 dum de eo, qui vnico voluntatis actu deſiderat pluries aliquem percutere continuatis vicibus; atque ideò putat neceſſarium non eſſe, vt exprimat vices percuſſionum, ſed ſufficit ſi confiteatur, ſe optaſſe percutere aliquem citra mortem: ſiquidem actio hæc percuſſionis citra mortem non habet terminum definitum, ſed habet exten-
9 ſionem, ac latitudinem. At ſi quis vno, & eodem actu concupiuit plures fœminas, v. g. ſolutas ad fornicandum, plura peccata committit, quia illas fœminas actus voluntatis reſpicit, vt obiecta diſtincta, nec poſſunt concupiſci collectiuè, & ad modum vnius; eo quòd vno actu non poteſt copula haberi cum omnibus, & propterea in confeſſione explicandus eſt earum numerus, vt habetur ex *Azor. tom 1. Iuſt. moral. lib. 4. cap. 9. 6. Suar. in 3. par. D. Thomæ lib. 4. diſp. 22. ſec. 5. nu. 27.* quos refert, & ſequitur *P. Alph. loco cit. nu. 61.* qui *nu. 63.* idem quoque dicendum putat de eo, qui cum vna fœmina plures copulas deſiderat habere, nam plura peccata committit, cum vnico actu nó poſſit pluries copulas haberi cum vna, & eadem fœmina. Imò *nu. 60.* tenet cum eodem *Megal.* quòd qui vno, & eodem actu delectatur de oſculis, de tactibus, & de copula cum aliqua non ſub ratione vnius, & integri peccati, ſed ſub ratione plurium, nempè ad percipiendam delectationẽ de actu, oſculis, & copula tria peccata committit, quæ tenetur ſigillatim in confeſſione aperire. Quibus adde, quæ habentur ex *P. Diana d. reſol. 17.*

Quæ diximus de peccatis internis extendimus
10 ad peccata externa, & interna ſimul: nam hæc peccata non multiplicantur numero ſecundum multiplicationem obiectorum, ſi vno actu, & in eodem inſtanti fiant. Siquidem eſtò quòd actus tendat in plura obiecta materialiter diſtincta; non tamen tendit in illa per modum plurium; ſed per modum vnius multitudinis. Confirmatur, quia ſi peccatum multiplicatur ſecundum actus phyſici multiplicationem, vt infra dicemus vnus tantú eſt actus phyſicus. Vndè qui vno ictu plu-
11 res homines interficit, vnú tantum numero peccatum committit cum circumſtantia notabiliter aggrauante, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. num. 35.* quem refert, & ſequitur *Diana d. reſol. 17.* Idem dicendum eſt de eo, qui omnes Apoſtolos collectiuè blaſphemauit, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 6. ſub num. 17. Filliuc. loco ſupra relato, Io. Andr. in cap. delictum de regul. iur. in 6. in Mercur.* & ex alijs.
12 Nec obſtat ſi dicatur, quòd qui vno impetu, ſeù ictu tres percutit Clericos triplicem contrahit excommunicationem, vt probat *Io. Andr. in d. cap. delictũ*; & qui vno actu imprecatur mortem alicui, & toti familiæ ipſius duo peccata committit, vnum reſpectu illius, & alterum re-
13 ſpectu familiæ, cùm tota familia pro vna perſona fictitia capiatur, *l. 1. ff. ſi famil. furt. feciſ. dicatur.* Et denique qui peccat peccato mollitiei, & inducit ſibi ſucceſſiuè in memoriam plures mulieres, plura peccata committit, cùm virtualiter prædictis commiſceatur, quoniam reſpondetur, quòd ideò, qui vno ictu tres Clericos percutit, in tres excommunicationes incidit; quia excommunicatio, *cap. ſi quis ſuadente diabolo, 17. q. 4.* fertur contra percutientem Clericum, nimirum igitur ſi tres Clericos percutiens tres contrahit excommunicationes. Vndè qui vno ictu ferro
14 tricipiti infligente tria vulnera vnum Clericum percutit, vnius tantum excommunicationis vinculo alligatur: quoniam licet tria vulnera Clerico inferat, cùm vnus ſit actus, vna tantum eſt culpa. Imò idem *Ioan. Andr. loco citato*, relatus à *Nauar. in d. cap. 6. num. 17.* refert quendam Anglicum, qui tres ictus vno impetu intulit Clarico, ſemel tantum excommunicatum fuiſſe: quia licèt eo caſu tres ictus incurrant; nihilominus ille vnicus impetus includit quandam vnitatem in genere moris, & efficit quodammodo, vt vnus ictus ſit ad alium via, vel conſequens, quamuis in genere entis ſint ſeparati; ſicut qui vnico impetu bis, ter, aut vltra appellat aliquem latronem v. g. ſemel tantum appellaſſe cenſetur, vt in *cap. Lotharius, iuncta Gloſ. in ver. Appellauit, 31. q. 2.* & qui bis eandem rem legauit, cenſetur ſemel legaſſe, *l. cum quæſtio, C. de legat.* Quod verum puto, quando is, qui tres ictus impetu intulit Clerico, id egerit ad occidendum eum, ad obtruncandum, vel debilitandum membrum; aliàs ſecus, vt infra latius dicemus. Ad reliqua contraria patet reſponſio: ſiquidẽ illis caſibus concurrũt plures reſpectus, & ſic plures actus ad diuerſa obiecta, iuxta ea, quæ habentur ex *Molf. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 12 nu. 48.* Idem dicendum
15 eſt de eo, qui vno impetu, & eodem calore iracundiæ in alterum profert multa verba iniurioſa, etiam ſignificantia diuerſas ſpecie iniurias, nam vnum peccatum committit, vt habetur ex *Rebell. 1. par. de oblig. iuſt. lib. 2 q 17. ſec. 2. nu. 10.* quem refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 3. cap. 5. n. 3.* contra *Nauar.* & alios. Et nos latius diximus ſupra *ſec. 4. ampliat. 6.* vbi rem hanc declarauimus quoad integritatem confeſſionis: & egimus etiam de proferente eadem ſermonis ſerie plures blaſphemias, & blaſphemante vno impetu plures ſanctos pluribus vicibus: & an blaſphemiæ in Deum, & ſanctos ſint eiuſdem ſpeciei, cui loco me remitto, ne bis idem
16 repetere videar. Vnum quoque peccatum in ordine ad confeſſionem committit, qui prouocatus vnica iniuria tria verba iniurioſa ſignificantia diuerſas ſpecie iniurias in prouocantem profert, vt per *Fagund. loco citato, num. 4.* qui quamuis putet tria in ſe eſſe peccata numero, & ſpecie diſtincta; nihilominus abſolutè loquendo, cùm ex vno impetu, & eodem tempore, & eadẽ voluntate iniuriam inferendi proferantur, & cùm ex eo quòd dicat pœnitens ſe per multa, & diuerſa verba voluiſſe alteri iniuriam inferre ſatis colligat Confeſſarius ſtatum pœnitentis, vnum tantum peccatum cenſetur quoad confeſſionem. Sed probabilior, & magis tuta nobis videtur doctrina quam ſupra retulimus *d. ampl. 6.* ſiquidem huiuſmodi iniuriarum multiplicatio eſt ſaltem circumſtantia notabiliter aggrauans, etiam in ordine ad confeſſionem, & ideò ſecundum ſententiam eorum, qui volunt, cir-

cumſtan-

cumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere
ad integritatem confeſſionis, circumſtantia illa
eſt Confeſſario aperienda. His adde quoque ea,
quæ infra dicemus *concl.4.*

SECVNDA CONCLVSIO.

17 QVandſiù voluntas perſeuerat in actu inter-
no, quo peccatum committitur, vnum pec-
catum numero appellatur. Hæc conclu-
ſio eſt communis, vt habetur ex *Suar. in 3. par.
tom.4. diſp.22. ſec.5. nu.5. P. Alph. de Leone de
offic. & poteſt. Confeſ. recoll.* 15. *ſub nu.* 51. & ex
alijs communiter. Probatur, quia motus ſecun-
18 dum *Ariſt.* non multiplicatur numero, niſi in-
terrumpatur: at actus voluntatis motus quidam
dicitur. Hinc ſequitur, quòd qui per ſpacium
vnius diei permanſerit in volũtate occidendi ho-
minem, vnum tantùm peccatum mortale com-
miſit: ſicut ille qui in inſtanti eandem voluntatẽ
habuit, & deindè mutauit volũtatẽ: quia duratio,
ſeù perſeuerantia eſt quædam moralis circum-
ſtantia, quæ auget quidem peccatum, non tamen
illud multiplicat. Eſt tamen verum, quòd quando
19 temporis duratio in peccato eſt nimia, eſt omni-
nò aperienda in confeſſione, etiam ſecundum
ſententiam eorum, qui docent, circumſtantias
notabiliter aggrauantes non pertinere ad inte-
gritatem confeſſionis: ſiquidem aliquando pec-
catum videtur vnum, & nihilominus in re ob
nimiam temporis durationem ſunt plura: qua-
propter temporis duratio in confeſſione eſt ape-
rienda nõ quatenus eſt circumſtantia aggrauans;
ſed quatenus illam explicando pœnitens mani-
feſtat eo modo quo poteſt numerum peccatorũ,
neceſſariò in confeſſione explicandum. Vndè ſi
20 daretur caſus, in quo pœnitens in memoria
omnes delectationes moroſas, quas per annum,
v. g. habuit, non teneretur huiuſmodi temporis
durationem Confeſſario aperire; ſed ſatis eſſet
dicere toties moroſè delectatus ſum. Ita *Zerola
in praxi pœn. cap.* 12. *q.* 15. & *P. Diana par.* 1.
tract.7. de circumſt. reſol. 30. qui addunt quoque
21 quòd ſi quis haberet rem cum concubina tota
nocte, non tenetur exprimere hanc grauitatem;
ſed ſufficit confiteri numerum fornicationum.
Ob id etiam idem *P. Diana loco citato, reſol.* 38.
putat diuturnitatem voluntariæ retentionis rei
22 alienæ furto ablatæ non eſſe circumſtantiam in
confeſſione aperiendam, ſuppoſito quòd proba-
bilis ſit ſententia *Petri Nauar. de reſtit. lib.4. cap.
4. nu.9. & Tanner. in 2. 2. diſp.4. nu.6. dub.14.
nu.*425. aſſerentium plura non committi peccata,
ſed tantum eo caſu continuari antiquum, licèt
vno anno, vel plus iniuſtè retineatur res aliena;
etiam ſi fortè ſæpius interim offeratur occaſio
reſtituendi, aut ſæpius renouetur propoſitum non
reſtituendi: dummodo pœnitentia ductus non
proponat reſtituere, & poſtea mutato propoſito,
habeat animum non reſtituendi. Sed quicquid
ſit de ſententia prædictorũ Doctor. *Petri Nauar.
& Tann.* nos qui ſequimur opinionem illorum,
qui tenent circumſtantias notabiliter aggrauan-
tes intra eandem ſpeciem pertinere ad integrita-
tem confeſſionis contra *P. Dianam*, & alios, di-
cimus durationem temporis notabilem in pec-
catis eſſe Confeſſario aperiendam; quoniam licèt
in diuturnitate retinendi rem alienam, inuito
Domino, & in alijs caſibus conſimilibus non
ſemper multiplicentur peccata; aggrauantur ta-
men notabiliter, vt habetur ex *Tannerio loco
citato, nu.* 427.

Quæ diximus de peccatis internis tantùm ex-
23 tendimus ad peccata interna, & externa ſimul:
nam quamdiù quis perſeuerat in actu externo,
quo peccatum committitur, vnum tantùm nu-
mero peccatum dicitur committere; ſicut vnus
motus appellatur continuatione. Vndè qui per
ſpacium vnius horæ continuæ perſeuerauerit in
comedendo carnes 6. feria contra præceptum
Eccleſiæ, vnum tantùm peccatum contraxiſſe
dicitur. Verum quando duratio, ſeù perſeueran-
tia in peccatis eſt notabilis ſemper eſt in confeſ-
ſione aperienda iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus
de peccatis internis.

TERTIA CONCLVSIO.

24 QVæcunque interruptio, aut minima ceſſatio
ſatis eſt ad numericam multiplicationem
peccatorum mentalium, ſeu interiorũ:
ſiuè voluntaria ſit, ſiuè ex quacunq; diſtractione
naturali, vel ſomno etiam modici temporis pro-
ueniat. Hæc concluſio eſt *Caiet. tom.* 1. *opuſc.
tract.*31. *reſp.* 15. *Nauarri in Man. cap.6. nu.*16.
poſt *Ioan. Andr. in regula delictum, col. pen. de
regul. iur. in 6. in Mercur. Suar. in 3. par. tom.4.
diſp.22. ſec.5. nu.*11. & aliorum, quos refert, &
ſequitur *P. Alphon. de Leon. de offic. & poteſt.
Confeſ. recoll.* 15. Vndè qui voluntatem habet
furandi donec permanet in ea voluntate, vnum
tantùm peccatum committit: quòd ſi cogitatio-
nem voluntariè in aliud obiectum vertat, vel ex
naturali diſtractione aliud obiectum appetat, aut
dormiat, & deindè denuò velit furari, tunc non
erit amplius vnum peccatum numero; ſed duo.
Probatur, quia peccatum illud non poteſt vnum
eſſe, niſi continuatione aliqua, ſed tunc non eſt,
in quo illi duo actus continuentur ad conſti-
tuendum vnum peccatum, ergò ſunt plura. Maior
patet, quia ibi non adeſt continuitas actus in-
terni, quia illum ſupponimus interruptum; neq;
adeſt actus externus, in quo continuatur, quo-
niam agimus de peccatis internis tantùm; ſunt
igitur plura peccata in re ipſa. Confirmatur, nam
25 actus interni quocunq; modo, & quocunque
tempore quantumuis prauo interrumpantur, &
ſucceſſiuè eliciantur, phyſicè ſunt numero di-
ſtincti, atque ideò diſtinctas habent entitates, aut
priuationes, bonitates, vel malitias, cùm ſint
morales à voluntate dependentes. Nam eſtò
quòd interruptio aliquando à voluntate non
proueniat, ſucceſſiuè tamen actus repetiti ſemper
ſunt voluntarij, & à voluntate eliciti. Et quam-
uis interruptio fiat per breue tempus; nihilomi-
nus actus illi voluntatis phyſicè diſtincti dicun-
tur etiam diſtincti moraliter: eo quòd propter
illam breuem temporis interruptionem adhuc
habent malitias morales numero diſtinctas: ergò
diſtinguntur peccata illa non ſolùm phyſicè, ſed
etiam moraliter.

Ex quibus patet falſum eſſe opinionem eorum,
26 qui dicunt, quòd licet actus internus multipli-
cetur ſecundũ numerum interruptionum, quan-
do tamen interruptio prouenit ex inaduertentia,
& maximè ſi eſt modica, vt poſt alios tenet
*Fillinc. tom.1. qq. moral. tract.7. de confeſ. cap.4.
ſub nu.* 83. *in verſ. Tripliciter*, illa interruptio
quamuis ſit phyſica; nihilominus ſatis non eſt ad
diſtinctionem peccati, quæ debet eſſe moralis.

Etenim ſufficit, vt actus repetiti ſint morales, ac
voluntarij. Et diſtingui moraliter non eſt diſtin-
gui breui, vel longo tempore, ſed diſtingui in
ipſo eſſe morali; atque ideò in malitia, ac boni-
tate morali, ſiuè magna ſit, ſiuè parua, breuis,
aut diuturna.

Falſam quoque eſſe conſtat ex dictis *Cani* ſen-
27 tentiam *relec. de confeſ. par. 5.* & aliorum dicen-
tium, peccata interna nunquam multiplicari nu-
mero, niſi per interruptionem, ſeù ceſſationem
ab actu per contrariam voluntatem, vt bene
docet *Suar. loco citato, nu. 10. Vaſq. in 3. par. tom.
4. q. 91. art. 1. dub. 5. nu. 11.* & alij. Etenim quam-
uis nos concedamus interruptione per contra-
riam voluntatem eſſe ſufficientem ad multipli-
cationem peccatorum internorum; attamen
quòd ſit neceſſaria, vel ſola ſufficiat, eſt mani-
feſtè falſum. Nam quandiù interruptio non fit
per contrariam voluntatem, non ob id ſequitur,
vt non poſſit eſſe moralis: quoniam donec retra-
ctetur voluntas, licèt quis dicatur in ea perſeue-
28 rare habitualiter; poteſt tamen in ea non eſſe
actualiter per voluntariam ceſſationem ab actu
diſtractione naturali, aut ſomno. Vt autem pec-
catum dicatur vnum numero ſatis non eſt per-
manere in ſtatu peccati, ſeù in habituali volun-
tate peccandi, niſi aliquo modo duret actualis
peccati commiſſio. Eſt tamen verum, quòd cùm
29 nobis ſermo habeatur de diſtinctione numerica
peccatorum in ordine ad ſacramentalem confeſ-
ſionem, & quædam peccata interna licèt ſecun-
dum ſe conſiderata, & quoad Deum ſint numero
diſtincta; nihilominus cùm ab homine vix per-
cipi, aut explicari poſſint, tunc ſatis erit peccata
illa confiteri per modum vnius dicendo moram
temporis; nempè ſtetiſſe in delectatione moroſa
per ſpacium vnius horæ; permanſiſſe in voluntate
committendi homicidium duabus horis, &c.
Hoc enim modo in confuſo ſaltem exprimitur
peccatorum numerus. Et ſi de interruptione re-
cordetur tenetur pœnitens id explicare, vt ſupra
diximus: quia præceptum confeſſionis obligat
ad confitenda, vt diſtincta ea peccata, quæ nu-
mero diſtinguuntur, quando à peccatore percipi,
& explicari poſſunt, vt habetur ex *Suar. d. ſec. 5.
nu. 17. & 18. Conynch. diſp. 7. de integr. confeſ.
dub. 7. nu. 51. & 52. & Filliuc. tom. 1. qq. moral.
tract. 7. de confeſ. cap. 4. nu. 83.* vbi etiam addit,
quòd quando peccata interna ſunt circa diuerſa
obiecta, vt circa diuerſas perſonas, hæc quoque
in ſacramentali confeſſione numerari debent.

Hæc, quæ diximus circa multiplicationem
30 peccatorum internorum regulariter vera ſunt
in illis peccatis internis, quæ ſolo interiori vo-
luntatis actu conſumantur, vt odium, hæreſis,
delectatio moroſa, ſuperbia, ambitio, inuidia,
iudicium temerarium, &c. At in illis peccatis
internis, quæ opere exteriori perficiuntur, regula
ſupradicta non ſemper locum ſibi vendicat; atq;
ideò non ſemper per interruptionem multipli-
cantur. Vnde quando quis cum intentione occi-
dendi inimicum in aliquem locum ſe confert, &
in ipſo itinere nunc de hoc, modo de illo cogitat,
& ceſſat aliquando ab illa intentione occidendi
inimicum, & deindè renouat, non ob id dicitur
multiplicare peccatum illud internũ homicidij,
ſed adhuc vnum dicitur, vt poſt *Caiet.* docet
*Nauar. in Man. cap. 6. nu. 16. Conynch. diſp. 7.
de integr. confeſ. nu. 53. & 54.* Ratio autem hæc
31 eſt, quia illud iter ordinatur ad homicidium
committendum, ſicut paſſus itineris, eſus, vt
poſſit iter complere, ſomnus, & alia huiuſmodi:
nam licèt illi actus in genere entis conſiderati
ſint multæ, ac variæ res; nihilominus conſiderati
tanquam via, & partes ipſius peccati, quibus
totum peccatum eſt conſumandum, non amplius
quàm vnum peccatum efficiunt, vt ex eodem
Nauar. loco citato, qui pro hac re ponderat *tex.*
quem dicit eſſe ſingularem *in cap. cùm pro cauſa
de ſent. excommunic.* Quod verum eſt, niſi aliqui
actus adderentur, ſiuè interni, ſiuè externi, qui
diſtinctam haberent malitiam. Vt ſi pro homi-
cidio committendo arma, & pecuniam, & alia
eiuſmodi furto quis ſubtraheret: nam tunc mul-
tiplicarentur peccata ſpecie diſtincta, vt inquit
*Lopez in prima par. Inſtr. cap. 31. q. 4. §. Addo,
& Rodriq. par. 1. ſuæ ſum. cap. 52. concl. 1.* Multi-
32 plicatur etiam peccatum internum, quod opere
externo conſumatur, quotieſcunq; interrumpitur
per actum aliquem, qui nullo modo ordinatur
ad peccatum illud perficiendum. Vt ſi quis cogi-
tauerit inimicum interficere, & ad occidendum
illũ gladium apprehenderit: deindè alio ſe con-
ferat ad ludendum aleis, troco, &c. quæ non
ordinantur ad committendum homicidium: &
inter ludendum ceſſet ab actu volendi inimicum
occidere per naturalem diſtractionem, aut quo-
cunque alio modo: nam ſi poſtea renouet volun-
tatem illam prauam, non vnum, ſe duo erunt
peccata, vt infra Deo duce latius declarabimus.
His adde, quæ habentur ex *P. Alph. de Leone
loco citato, nu. 51. cum plur. ſeq.*

QVARTA CONCLVSIO.

PEccata externa multiplicantur numero iuxta
numerum interruptionum actus tàm interni
33 tùm externi. Hæc concluſio eſt communis,
& connexionem magnam habet cum præcedenti
concluſione. Vndè proportionaliter applicari
poſſunt ei omnia, quæ ibi diximus de numerica
diſtinctione peccatorum internorum, vt rectè
aduertit *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. n. 19.
Filliuc. tom. 1. moral. qq. tract. 7. de confeſ. cap.
4. nu. 64. Conynch. diſp. 7. de integr. confeſ. n. 53.*
& ante ipſum *Io. Andr. in regula Delictum, col.
pen. de regul. iuris in 6. in Mercur. & Nauar.
in Man. cap. 6. nu. 16.* Probatur ipſa concluſio,
quia ſi peccatum illud eſſet vnum, continuatione
quidem aliqua tale eſſet, ſicut motus iuxta ea,
quæ ſupra diximus de peccatis internis: ſed in
caſu, de quo agitur non eſt in quo illi actus con-
tinuentur ad conſtituendum vnum peccatum,
ergò non vnum, ſed plura ſunt peccata. Maior
patet. Probatur minor, quoniam ibi non eſt ali-
quis actus internus, quo continuentur, quia ali-
qua interceſſit ceſſatio: neque etiam continuan-
tur aliquo actu externo, nam illum ſupponimus
interciſum: ergò illi actus nullo pacto conti-
nuantur, ſed plura erunt peccata. Vndè qui cœpit
34 veſci carnibus 6. fer. & deindè ceſſet ab eſu
carnium, & ſcribat: & rurſus redeat ad edendum
carnes, tunc non vnum, ſed duo peccata com-
mittit: ſiquidem illud ſcribere eſt actus omninò
ſeparatus ab actu comedendi carnes: nec ordina-
tur ad maiorem quantitatem eſus carnis, ſicut
potus, vt infra dicemus. Sic etiam qui diuerſa
verba iniurioſa ſignificantia diuerſas iniurias
alicui

alicui dicit, quamuis eodem impetu ea proferat;
nihilominus diuerſa peccata ſpecie diſtincta
committit ſecundum *Nauar. Fagund. & alios*,
vt ſupra adnotauimus *concl. 1. in fine, & ſec. 4.*
ampl. 6. vt ſi quis aliquem vno impetu appellet
furem, falſarium, adulterum, &c. Idem dicen-
35 dum eſt ſi verba iniurioſa vnam tantùm ſpeciem
iniuriæ ſignificent, vt ſi quis quater, aut quin-
quies, v.g. vocet aliquem latronem: nam omnes
illi actus ſunt diſtincti, & vnus non eſt pars alte-
rius, nec vnus ordinatur ad alium: & quamuis
verba illa vno impetu fuerint prolata; non tamen
ob id non habent diſtinctas malitias morales;
cùm diſtingui moraliter non ſit diſtingui breui,
vel longo tempore: ſed eſt diſtingui in ipſo eſſe
morali, vt ſupra diximus: & propterea non vide-
tur ſatis tuta ſententia *Nauarri loco citato, n. 18.*
quem ſequitur *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 1.*
dub. 5. ſub nu. 31. in fine, Fagund. de præcep. Eccl.
præcep. 2. lib. 3. cap. 5. nu. 5 cum alijs, quos allegat
dum aiunt, quòd qui vno impetu ter, aut quater
aliquem appellat latronem, quoad neceſſitatem
confitendi ſatis eſſe dicere, appellaui aliquem
latronem: nam hoc caſu cum plura numero pec-
cata commiſit, & poteſt commodè numerum
explicare, ad id tenetur: quia vt ſuperiori conclu-
ſione diximus, præceptum confeſſionis obligat
ad confitenda, vt diſtincta ea peccata, quæ nu-
mero diſtinguntur, quando à peccatore percipi,
& explicari poſſunt.

Et licèt *Io. Andr. in d. reg. delictum*, relatus
à *Nauar. in d. cap. 6. nu. 17.* velit quòd quando
36 quis tres ictus vno impetu infert Clerico, vni-
cam tantùm excommunicationem contrahit;
atque ideò videatur inferre *Nauar.* eum vnicum
peccatum committere; nihilominus id verum
puto, vbi percutiens Clericum habeat animum
illum occidendi, vel amputandi membrum ali-
quod, aut debilitandi; quoniam tunc vnus actus
ordinatur ad alium, & vnum peccatum com-
mittit: ſecus autem ſi percutiens in ſolis percuſ-
ſionibus intendat ſiſtere: nam tunc tot peccata
committit, quot ſunt percuſſiones, cùm vna per-
cuſſio non ordinetur ad aliam, nec ſit pars alte-
rius. Et quamuis demus, talem percutientem
Clericum vnam tantùm excommunicationem
contrahere per *tex. in d. cap. cùm pro cauſa, de*
ſent. excom. non tamen ob id excuſatur à triplici
culpa iuxta triplicem ictum: ſiquidem non ſem-
per valet argumentum à quantitate pœnæ ad
quantitatem culpæ: & eò maximè, quia ſumus
in pœnis exorbitantibus, qualis eſt excommu-
nicatio, quæ dicitur maxima omnium pœnarum,
vt in *cap. corripiantur 23. q. 4.* quæ fertur contra
inijcientes manus violẽtas in Clericum, & prop-
terea videtur per verba illa, *Violentas manus, in*
cap. ſi quis ſuadente Diabolo, 17. q. 4. contenta
non plus puniri ſpiritali pœna inferentem Cle-
rico plures percuſſiones, quàm vnam; nam non
ob id percuſſor vitabit pœnam temporalem
exoluendam, tùm in hoc foro exteriori, tùm in
alio ſæculo apud Deum.

QVINTA CONCLVSIO.

37 MVltis alijs modis peccatum externum, &
internum dicitur vnum, vel multiplex,
ſiquidem ſi quis violat multa præcepta,
vel plura vota, aut plura iuramenta de eadem re,
vnum tantùm peccatum committit grauius qui-
dem, quàm ſi vnum tantùm præceptum, vel vo-
tum, aut iuramentum frangeret. Etenim omnia
præcepta, vota, vel iuramenta ſunt vincula eiuſ-
dem ſpeciei, & relinquunt peccatum in eadem
ſpecie, vt habetur ex *Caiet. 2. 2. q. 88. art. 2. & 5.*
& ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de*
præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 5. nu. 7. Hinc
38 ſequitur quòd violans ieiunium vigiliæ Beati
Matthiæ occurrentis in Quadrageſima: aut ſi
Franciſcanus non ieiunet, in die Veneris Qua-
drageſimæ, in quo vltra præceptum Quadrage-
ſimæ coincidit aliud præceptum Regulæ vnum
tantùm peccatum committit; quia illa duo præ-
cepta obligant ſub eadem ratione formali eiuſ-
dem virtutis, & ſunt eiuſdem ſpeciei, & de ea-
dem re; atque ideò non eſſe hanc circumſtan-
ſtantiam multorum præceptorum, vt contra
Nauar. in Man. cap. 11. nu. 4. Conynch. tom. 2. de
ſacram. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 6. nu. 47. &
alios, docent *Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 5. nu. 6.*
Vaſq. 1. 2. q. 72. art. 6. diſp. 98. nu. 8. Sà in ſum. ver.
Confeſſio, §. quidem putant, Suar. in 3 par. tom.
4. diſp. 22. ſec. 4. nu. 22. Petr. Ledeſ. in ſum. ſacra.
tract. de pœnit. cap. 19. §. Reſta duda mi parece-
res, & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d.*
præcep. 2. lib. 4. cap. 5. ſub nu. 21. Etenim qui de
39 eadem re multas facit ſcripturas eiuſdem exem-
pli, & multoties promittit eandem rem, non
obligatur pluribus titulis, ſed vno tantùm; ita
quoque qui duobus, vel pluribus præceptis eiuſ-
dem rationis tenetur ieiunare, aut non laborare
non committit duo peccata, ſed vnum tantùm in
tranſgreſſione eorum, imò circumſtantia illa
multorum præceptorum notabiliter nõ aggrauat
peccatum, eo quod iudicium non multum variat,
vt contra *Vaſq.* tenet *Fagund. loc. cit.* cum alijs,
quos allegat. Idẽ dicendũ eſt de votũ emittente,
aut iurante pluries, etiam per plures ſanctos de
eadem re, quia militat eadem ratio, vt ſupra di-
ximus. Sic etiam teſtis qui ſimul rogatur de plu-
ribus rebus, & articulis ſub vno iuramento, &
40 in omnibus mentitur, vnum tantùm periurium
committit, vt habetur ex *Archid. in cap. intereſt*
2. 2. q. 4. nec tenetur circumſtantiam multorum
articulorum explicare, vt inquit *Fagund.* vbi ſu-
pra, qui contraria ſoluit, *nu. 22.* & alij, quos re-
fert, & ſequitur *Diana de circumſt. tract. 7. reſol.*
40. Vnum quoque peccatum committit, qui
plura pręcepta inter ſe ſubordinata tranſgreditur,
vt habet ex *Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 5. num. 6.*
Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4. Caiet. 1. 2. q. 72. art. 6. ad
2. Medina, q. 109. art. 4. §. eandem, concl. 3. quos
refert, & ſequitur *Fagund. d. præcep. 2. lib. 5.*
cap. 5. nu. 8. Et inferunt, quòd qui tempore
pręcepti Eccleſiaſtici in Quadrageſima facit con-
feſſionem inualidam peccat contra præceptum
Diuinum de integritate confeſſionis, ſi inualida
fuit ex integritatis defectu, & contra præceptum
Eccleſiæ annualis confeſſionis, & tamen vnum
tantùm culpam contrahit; ſiquidem præceptum
Eccleſiæ ſubordinatur præcepto Diuino. Sic etiã
qui Clericum interficit, peccat contra ius Diui-
num, & naturale contentum in quinto præcepto
Decalogi non occidendi, contra ius canonicum,
& contra ius ciuile, & nihilominus vnam tantũ
ſacrilegij culpam committit, quia ius canoni-
cum, & ius ciuile in eadem prohibitione homi-
cidij ſubordinantur iuri naturali quinti præcepti

Decalogi. Præterea, qui celebrat in peccato mor-
tali, multis titulis peccat; nempè quoniam con-
ſecrat, quòd offert Deo, quòd miniſtrat ſibi, &
ſumit Sacramentum in peccato mortali, & tamen
vnum tantùm lethalem culpam contrahit: ſiqui-
dem conſecrare, offerre, miniſtrare, & ſumere
Sacramentum ſunt actus ſubordinati ad rectam
ſumptionem: at diuerſi actus quando alijs ſub-
ordinantur, non efficiunt diuerſa peccata, vt
42 infra latius, Deo duce dicemus, *ſec.* 7. Rurſus
vnum dumtaxat peccatum dicitur committere
in genere moris, qui ſimul multis miniſtrat ſan-
ctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum, aut multorũ
confeſſiones audit in peccato mortali, aut in eodẽ
peccato multos vnica ablutione baptizaret, vel
vnica abſolutione abſolueret, vt habetur ex *Fa-
gund. d. lib. 3. c. 5. n. 9. Tannero in 2. 2. diſp. 4. q. 2.
dub. 4 Henriq. lib. 5. c. 5. & Dian. tr. 7. de circũſt.
reſol.* 41. vbi circa miniſtrantem Sacramentũ Eu-
43 chariſtiæ addit, probabilem eſſe ſententiam eorũ,
qui volunt, Sacerdotem in peccato mortali alijs
ſactam Euchariſtiam miniſtrantem, non peccare
mortaliter, vt docet *Vaſq. in 3. par. tom. 2. diſp.
136. cap. 3. nu 38. Ioan. de la Cruz in Directlor.
confeſ. par 2. q. 4. dub. 3. concl. 1.* & alij contra
*Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 4. cap. 9 nu. 271.
Couyneh. de ſacram. q. 64. art. 6. dub. 1. num. 35.
Valen. tom. 4. diſp. 9 q 10. pun. 1. & Villalobos in
ſum. tom. 1. tract 4. dub.* 14. Siquidem qui mini-
ſtrat Euchariſtiam conſecratam non eſt miniſter
Dei ad iuſtificat. enim proximè, ſicut in alijs Sa-
cramentis; ſed ſolùm eſt velut applicans actiua
paſſiuis. In alijs autem Sacramentis Sacerdos ſi-
mul conficit, & miniſtrat. Denique cæteris præ-
44 termiſſis, officium integrum ſeptem horarum
vnius diei omittens recitare vnam tantum culpã
contrahit: ſiquidem officium huiuſmodi vna eſt
oratio, & vnicum tantùm præceptum traſgredi-
tur, atque violat ipſum recitare omittens: & id
ſiuè ſucceſſiuè, ſiuè interpolatim omittantur
horæ, vt habetur ex *Bonac. de hor. can q. 5. pun. 1.
nu.* 8. vbi *nu.* 7. id limitat in eo, qui pluries in
eodem die proponit horas omnes canonicas
omittere; quoniam tunc toties peccaret, quoties
voluntas interrupta renouaretur. Eſt tamen ve-
rum, quòd licèt, qui vnam tantum horam cano-
nicam omittit, peccet mortaliter, vt habetur ex
Fagund. loco infra citando, nihilominus quò
plures horas omittit, eò magis peccatũ aggrauat,
atque ideò iuxta ſententiam eorum, qui volunt
circumſtantias notabiliter aggrauantes pertine-
re ad integritatem confeſſionis, aperiendus eſt
Confeſſario numerus horarum omiſſarum, vt ha-
betur ex *Reginal. lib. 18. ſuæ prax. nu.* 145. quem
refert, & ſequitur *P. Alph. de Leone de offic. &
poteſt. confeſ. recoll. 16. ſub nu. 85. verſ. Aduertit
Reginaldus*, vbi etiam *verſ. Limita ſecundo.*
probat quoque, quod qui plura habet beneficia,
& officium Diuinum non recitat, vnum tantùm
peccatum, & non plura committit, quia obligatio
recitandi officium in dictis caſibus conſurgit ex
eodem præcepto, vt per *Nauar. in Man cap 11.
nu. 4.* & ex alijs relatis ab eodem *P. Alph. loco
citato, & Fagund. d. lib. 3. cap 5. nu.* 10.

Non vnum, ſed duo peccata committit Sacer-
45 dos, qui habet beneficium Eccleſiaſticum, &
officium Diuinum non recitat. Etenim licèt Be-
neficiatus, vt ſupra diximus multa habens bene-
ficia ſimplicia vnam tantùm culpam contrahat,
vna die Diuinum officium non recitans, Sacer-
dos tamen illud omittens duplex peccatum com-
mittit, alterum ratione ordinis, alterum verò ra-
tione beneficij: ſiquidem obligatio ratione ordi-
nis ſacri ſpectat ad virtutẽ Religionis; obligatio
verò ratione beneficij pertinet ad virtutem iuſti-
tiæ, Iuſtitia autem, & Religio ſpecie diſtinguun-
tur. Ita *Fagund. loco citato, P. Alph. de Leone
d. recoll. 15. ſub n. 85. ver. limit.* 2. Et vbi etiam
addit, quòd qui diem ieiunij frangit, in quo eſt
duplex obligatio ieiunandi, vnum tantùm pec-
catum contrahit, licèt grauius propter plures
obligationes eiuſdem generis: at ſi obligatus
fuerit ad ieiunandum in eodem die ex præcepto
Eccleſiæ, & ex voto proprio, vel ex iuramento,
& ex voto ſimul, duo peccata committeret: ſi-
quidem votum, & præceptum; & votum, ac iu-
ramentum trahunt peccata ad diuerſas ſpecies,
atque ideò Cõfeſſario ſunt neceſſariò aperienda.
Præterea, qui vno actu furatur decem aureos, vel
46 vnum aceruum integrum tritici, vnum tantùm
peccatum committit: at ſi decem aureos decies
furtò ſubtraheret, decem culpas mortales con-
traheret, modo interruptio temporis neceſſaria
interceſſerit, quæ interruptio qualis, & quanta
eſſe debeat ad multiplicationem peccatorum,
rectè declarat *Fagund. vbi ſupra nu. 11. & 12.*
Vndè qui decies furatus eſt vni, vel pluribus ſin-
gulos aureos, non ſatisfacit ſi confiteatur, ſe
ſurripuiſſe decem aureos, ſed tenetur in confeſ-
ſione explicare ſe furto ſubtraxiſſe decies ſingu-
los aureos, ſeù decies ſurripuiſſe aureum, vt ha-
betur ex *Henriq lib. 1. cap. 5 nu 8 Suar* & alijs,
quos refert, & ſequitur *P. Alph de Leone, d.
recoll. 15. nu.* 82. vbi *nu.* 80. idem dicendum
putat de eo, qui vno actu ſurripit à pluribus, &
eorum ſingulis quantitatem notabilem, quia
tenetur numerum confiteri eorum, quorum res
erant, quia pluribus infert damnum notabile;
47 ſicut qui vno ictu tres perſonas interficit, & vno
actu plures perſonas afficit iniurijs, vt poſt alios
idem *Alph. de Leone ibidem nu.* 79 vbi idem
dicendum eſſe arbitratur de eo, qui vnico actu
detrahit pluribus, & *nu* 81. de eo, qui detrahit
coram pluribus. Eſt tamen verum, quòd licet
Doctores conueniant circumſtantias huiuſmodi
pertinere ad integritatem confeſſionis; nihilo-
minus qui tenent circumſtantias notabiliter ag-
grauantes non pertinere ad integritatem confeſ-
ſionis, dicũt, quòd illa obiecta ſeu pluralitas per-
ſonarum conſtituit diuerſa peccata: qui verò do-
cent circumſtantias notabiliter aggrauantes eſſe
neceſſariò in confeſſione aperiendas, arbitrantur
illam pluralitatem perſonarum eſſe circumſtan-
tiam notabiliter aggrauantem intra eandem ſpe-
ciem. Denique cæteris prætermiſſis, qui impre-
catur mortem toti alicuius familiæ, vnum tantũ
peccatum committit, & non tot, quot ſunt per-
ſonæ, quoniam tota familia collectiuè ſumpta
ſe habet ad modum vnius obiecti, & qui blaſ-
phemando maledicit Apoſtolos eadem ratione
vnam culpam contrahit: at qui imprecatur mor-
tem alicui, & toti eius familiæ duo peccata com-
mittit, ſicut qui maledicit Diuo Petro, & vndecim
Apoſtolis, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 6. ſub
n. 18. illat. 3. & 4.* vbi plures alios caſus enume-
rat, in quibus peccatũ dicitur vnũ, vel multiplex.

An

Digitized by Google

An per interruptionem actus interni durante continuatione actus externi, multiplicetur peccatum externum.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum externum, an multiplicetur per interruptionem actus interni durante continuatione actus externi.*

2 *Peccatum externum per interruptionem actus interni, durante continuatione externi non multiplicatur.*

3 *Sacrum celebrare determinans, ſi dum conſecrat eius intentio alio rapiatur, licet non habeat formalem voluntatem conſecrandi, habet tamen virtualem.*

4 *Peccatum iniuſtæ detentionis rei alienæ non multiplicari, ſed tantum continuari antiquũ, atque ideò vnum eſſe, qui tenent.*

5 *Peccatum detentionis rei alienæ per aliquod tempus poteſt multis modis multiplicari.*

AD tituli explicationem ponamus caſum; quòd Titius inter comedendum carnes 6. feria, ſcienter 6. feria contra præceptum Eccleſiæ, ad cogitandum aliud obiectum rapiatur, itaut actu non conſideret comedere carnes. Et deindè ad ſe reuerſus, ſcienter quoque, & cum eadem praua voluntate carnium eſum con-
1 tinuet. Quæritur, an ille, exterior actus comedendi carnes cum interiori interciſo, ſit vnum peccatum, vel plura?

Prima fronte videtur dicendum, actum illum externum comedendi carnes cum interno interciſo, eſſe plura peccata externa, & non vnum tantùm. Probatur; quia ſi ille actus vnum peccatum eſſet, & non plura, aliqua continuatione eſſet: ſed ſic eſt, quòd nulla continuatione continuatur; ergò, &c. Maior patet. Minor probatur, quoniam actus ille non continuatur actu interno; nam actum internum ſupponimus interciſum ex diſtractione ad aliud obiectum. Nec actu externo; ſiquidem actus externus comedendi carnes pro eo tempore, quo non erat coniunctus cum actu interno non erat humanus; quia non erat voluntarius: ergò actus ille externus, quatenus moraliter conſideratur, fuit interciſus per actum non moralem, & à voluntate independentem: non igitur ille actus continuatione aliqua continuatur. Secundò eſtò quòd actus ille moraliter continuetur actu externo; adhuc tamen plura erunt peccata; ergò, &c. Probatur antecedens; quoniam aliàs ſequeretur, peccatum non reſtituendi, etiam ſi per annum duraret, & in eo ſæpius repetantur, & multiplicentur voluntates non reſtituendi, ſemper eſſet idem numero peccatum, quod tamen eſt falſum. Sequela patet, quoniam peccatum illud ſemper continuatur in illa exteriori omiſſione externa poſita uum eſt; ergò dum illa continuatur, continuatur etiam peccatum.

His tamen non obſtantibus, contrariam ſen-
2 tentiam puto veriorem, quam tenet *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. vlt. reſp. 15. dub. 2. & 2. 2 q. 66. art. 3. ad 3 Nauar. in Man. cap 6. ſub nu. 16. verſ. Ex quo infertur, Suar. in 3 par. tom. 4. diſp. 22 ſec. 5. nu 20. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 1. dub. 5 ſub n. 11. Boanc. diſp. 5. de ſacram. q. 5. ſec. 2. pun. 2. §. 3. difficul. 2. in fin. P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 15. ſub nu. 67.* & alij. Probatur, quoniam ille actus dicitur vnum peccatum continuatione actus externi comedendi carnes: nam in eo dicitur manere voluntas virtualiter cum fuerit cauſa illius actus comedendi carnes 6. feria contra præceptum Eccleſiæ, & ſic patet reſponſio ad primum argumentum. Etenim licèt actus ille externus, quo comeduntur carnes, durante diſtractione ad aliud obiectum non ſit formaliter voluntarius, eſt tamen voluntarius virtualiter: quoniam actio illa exterior comedendi carnes fuit excitata à formali voluntate comedendi carnes. Siquidem Titius dum determinauit comedere carnes 6. feria, & virtute talis determinationis ad menſam ſe contulerit, & carnes ipſas ſuperpoſitas comedere cæperit, licèt alio diſtractus habitualem tantum habuerit voluntatem comedendi carnem; tamen medio tempore, cùm actu comederit, non modo habitualem, ſed etiam voluntatem habuit virtualem: quia ille actus externus eundi ad menſam, & comedendi carnes excitatus à formali voluntate comedendi carnes excitauit reliquos actus eius
3 carnium. Sicut dicimus de eo, qui determinauit celebrare ſacrum: qua propter in Sacreſtiam ſe contulit, induit ſe paramentis, cæpit introitum, &c. Sed dum conſecrat, eius intentio aliò rapitur: quoniam tunc licèt non habeat formalem voluntatem conſecrandi; habet tamen virtualem, & illa conſecratio fuit excitata à formali actu voluntatis excitantis ipſum ad eundem in Sacreſtiam, induendum, &c. vt habetur ex eodem *Suar. loco citato, & tom. 3. diſp. 13 ſec. 3.*

4 Ad alterum argumentum dicimus, quòd *Petr. Nauar. de reſtit. lib. 4. cap. 4. nu. 9. Tanner. in 2. 2 diſp. 4 q 6. dub. 14 nu. 425. P. Diana par. 1 reſol. tract 7 de circumſt reſol. 58. in prin.* & alij putant, detentionem illicitam rei alienæ non multiplicare peccata; ſed tantùm continuari antiquum, quamuis vno anno, vel plus iniuſtè retineatur res aliena; etiam ſi fortè ſæpius interim offeratur occaſio reſtituendi, aut etiam ſæpius renouetur propoſitum nõ reſtituendi; dummodo tamen pœnitentia ductus detemptor non proponat reſtituere, & poſtea mutato propoſito, habeat animum non reſtituendi: quam quidem ſententiam nonnulli putant probabilem eſſe; atque ideò attenta huiuſmodi opinione, poſſet conteri ſequela. Sed quia præfata opinio non eſt communiter recepta, ſed multas patitur difficultates, idcircò reſpondendum aliter duximus, negantes antecedens, & ad probationem dicimus, quòd cùm actus non reſtituendi conſiſtat in omiſſione, & actus comedendi carnes in commiſſione, priori caſu concurrit voluntas non reſtituendi habitualis tantùm, non autem virtualis: quia omiſſio exterior cùm ſolùm conſiſtat in carentia actionis non pendet ex actuali influxu voluntatis itaut hic, & nunc procedat ex actu voluntatis formaliter, aut virtualiter durante; ſed poteſt manere per modum habitus, ſeu habitualis effectus relicti ex præcedenti voluntate: quòd non eſt ſatis, vt continuetur actuale peccatum, & ideò
5 non ſufficit ad vnitatem peccati: vndè peccatum non reſtituendi, vel detinendi rem alienam per aliquod tempus poteſt multis modis multiplicari, de quibus *Suar. d. ſec. 5. nu. 32. & Vaſq. in*

3. par.

3.par.tom.4.q.91.art.1.dub.5.nu.20.cum plurib. ſeq. Multiplicatur enim primò per interruptionem, & iterationem internarum voluntatum non reſtituendi. Poteſt autem hæc voluntas interrumpi omnibus modis ſupra relatis *ſec. præced.* circa interruptionem cuiuſcumque voluntatis peccaminoſæ: & dum hoc actu ceſſat à voluntate detinendi rem alienam quocunque modo, ceſſat tunc ab actuali peccato: & propterea cùm poſtea occurrente memoria reſtitutionis repetit voluntatem non reſtituendi, peccatum multiplicat. Secundò multiplicatur prædictum peccatum per externum vſum rei reſtitutioni obnoxiæ repugnantem reſtitutioni, ſeù dominio alterius; atque ideò ad multiplicationem iſtorum actuum multiplicantur peccata. Tertiò quando per aliquod tempus ceſſet debitum reſtituendi ex capite impotentiæ, aut ex alia iuſta, ac rationabili cauſa: & deindè iterum vrgeat obligatio: nam tunc peccatum multiplicatur iuxta numerum harum viciſſitudiuum. Quò circa meritò à dictis Doctoribus reijcitur ſententia *Nauar. in cap. conſideret nu.48. de pœnit. d.5.* poſt *Gabr. in 4. d. 15. q. 2. Petri Nauar. Tann. & P. Diana*, quos ſupra retulimus, dum voluit, peccatum retentionis rei alienæ ſemper vnum, & idem eſſe; & propterea ſatisfacere integritati confeſſionis, qui dixerit ſe accepiſſe rem alienam, & non reſtituiſſe: imò nec obligari ad cõfitendum tempus detentionis; etiam ſi fuerit nimium, cùm hanc circumſtantiam putent eſſe aggrauantem intra eandem ſpeciem. At in caſu noſtro cum actus comedendi carnes ſit commiſſionis, concurrit in eo voluntas virtualis modo ſupra explicato, & ideò non multiplicatur.

An è contra per interruptionem actus externi cum continuatione actus interni multiplicetur peccatum externum.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Actus exterior continuus poteſt dupliciter conſiderari primo phyſicè, & moraliter, ſecundò, moraliter tantùm.*

2 *Vnitas peccati externi, an requirat continuationem phyſicam, & moralem, vel moralis tantum ſufficiat.*

3 *Actus concurrentes ad committendum aliquod totale peccatum quamuis ad id ſint ordinati, ſunt tamen diſtincta peccata, non obſtante actu interno voluntatis intrinſecè perſeuerante ad illud committendum, & de ver. nu.6.*

4 *Actus ſubſequentes principale peccatum, ſunt peccata diſtincta à principali peccato, & de ver. nu. 6.*

5 *Continuatio phyſica non eſt opus ad vnitatem peccati externi, ſed ſufficit moralis; atque ideò interruptio phyſica non multiplicat peccatum externum, niſi concurrat moralis.*

6 *Peccata poſſunt dupliciter conſiderari, in ſe ipſis & in ordine ad confeſſionem.*

7 *Vnitas numerica etiam in actionibus, & qualitatibus non eſt ſemper eiuſdem rationis, vel æqualis.*

8 *Columna, ligna, & cætera, quæ ſunt materia domus, licet ſecundum ſe multa res ſint; tamen ſimul conſiderata vnam ſolùm domum conſtituunt.*

9 *Adhibens media ad ſollicitandam puellam, vel ad homicidium committendum duo peccata committit, & talia media tenetur in confeſſione aperire.*

10 *Actus ſubſequentes peccatum non conſumatum pertinent ad integritatem confeſſionis.*

11 *Furtum vnum committit qui furatur Infantem, qui poſtea penès ſe adoleuit.*

12 *Committens plura homicidia, plura peccata committit.*

13 *Imprecans mortem alicui, & toti ſuæ familiæ, duo peccata committit, prò vt qui maledixit B. Petro, & vndecim Apoſtolis.*

1 AD tituli declarationem eſt adnot. quòd exterior actus continuus quoad rem noſtram attinet, poteſt dupliciter cõſiderari: primò phyſicè, & moraliter: ſecundò moraliter tantum, & non phyſicè. Actus phyſicè, & moralitèr continuus dicitur quando tàm actus internus voluntarius, quàm externus continuando ſine intercisione aliqua perſeuerant, vt patet exemplum in eo, qui per horam continuam carnem comedit 6. feria contra præceptum Eccleſiæ animo, & cum actuali voluntate comedendi, & tranſgrediendi præceptum ipſum. Dicitur enim iſte actus phyſicè continuus, quia ſemper actus externus continuando perſeuerat: dicitur etiam continuus moraliter, quia comedendi voluntas nunquam ceſſauit. Moraliter tantum, & non phyſicè appellatur actus aliquis continuus, cùm exterior actus interrumpitur, aut multiplicatur per modum temporis ſpacium, interno tamen intrinſecus perſeuerante. Vt cùm quis dum determinauit veſci carnibus 6. feria, & cæpit comedere, bibit cum actuali ſimiliter voluntate comedendi carnes: & poſt potum carnis eſum repetiuit: tunc iſte actus phyſicè non eſt continuus, quia eſt intercisus per potum; ſed tantùm moraliter dicitur talis; quia potus dicitur diſpoſitio ad maiorem quantitatem eſus carnium.

2 Quæritur igitur, an per interciſionem illam phyſicam comedendi carnes per potum habitam, interim actu voluntatis eiſdem veſcendi intrinſecus perſeuerante, & earundem eſu repetito, multiplicetur dictum peccatum. Et in ſumma, *Quod idem eſt*, quæritur, an adhoc, vt peccatum externum dicatur vnum requirat continuationem phyſicam, & moralem, an moralis tantùm ſufficiat, ita vt phyſica non exigatur.

In hac difficultate videtur prima facie dicen-
3 dum per interciſionem illam phyſicam actus externi comedendi carnes, multiplicari peccatum, non obſtante continuatione actus interni, atque ideò ad vnitatem numericam actuum externorum non modò requiri vnitatem moralem, verùm etiam phyſicam. Probatur primò, quia actus concurrentes ad committendum aliquod totale peccatum, quamuis ad id ſint ordinati; ſunt tamen diſtincta peccata, non obſtante actu interno voluntatis intrinſecus perſeuerante ad committendum peccatum illud; & nihilominus interciſio, ſeù multiplicatio illorum actuum eſt phyſica, licèt continuatio moralis: ergò per interciſionem phyſicam peccatum externum multiplicatur, non obſtante continuatione morali, & propterea ad vnitatem numericam actuũ externorum nonſolùm exigitur vnitas moralis, ſed

etiam

etiam phyſica. Antecedens probatur, quia tactus
impudici, & oſcula, quæ concurrunt, & præce-
dunt conſumationem peccati fornicationis, ſunt
diſtincta peccata ab ipſa fornicatione: ſic etiam
ſumere gladium, è domo egredi, explorare ini-
micum ad occidendum eum, ſunt diſtincta pec-
4 cata ab eiuſdem occiſione. Præterea actus ſub-
ſequentes principale peccatum, vt lætari poſt
commiſſum homicidium, iactatio, oſcula, &
tactus impudici incontinenti poſt commiſſum
peccatum fornicationis, ſunt peccata diſtincta à
principali peccato: quia omnes illi actus habent
entitates phyſicas non ſolùm numero, ſed etiam
ſpecie diſtinctas, vt latè probat *Nauar. in Man.
cap. 6. nu. 16. 17. & 18.* vt nos ſupra diximus *ſec.
5. concl. 3.* & nihilominus, quia prædicti actus
ſunt ordinati ad principale peccatum, actus talis
peccati dicitur moraliter continuari cum ſupra-
dictis actibus ad ipſum ordinatis: ergò ad multi-
plicationem actus externi ſufficit interruptio,
ſeù interciſio phyſica, non obſtante eiuſdem
continuatione morali. Denique ſi ad vnitatem
peccati externi ſatis eſſet continuitas moralis, &
non exigeretur etiam phyſica, ſequeretur hoc
idem procedere in peccatis purè internis per ſuc-
ceſſionem continuam diuerſorum actuum; atque
ideò volens occidere hominem ſi primò eligat
vnum medium, & ex illo aliud, &c. Non plura,
ſed vnum tantùm peccatum mortale committe-
ret: nam in omnibus illis electionibus perſeuerat
moraliter eadem intentio: quod videtur falſum.

His tamen non obſtantibus, contrariam ſen-
6 tentiam puto veram, quam tenent *Io. Andr. in
d. reg. delictum, de regul. iur. in 6. in Mercur.
Nauar. in Man. cap. 6. nu. 16. verſ. Ex quo infe-
rimus primo, Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5.
ſub nu. 24. & 25. Vaſ. ibidem q. 91. art. 1. dub. 5.
à nu. 12. ad 18. Conynch. diſp. 7. de integr. confeſ.
num. 53. & 54.* & alij dicentes, quòd adhoc, vt
peccatum externum dicatur vnum numero non
eſt opus continuatio phyſica, ſed ſufficit tantùm
continuatio moralis: & propterea ad multiplica-
tionem peccati externi non ſatis eſt interruptio
phyſica, niſi concurrat moralis. Probatur, quia
peccatum adhoc vt dicatur vnum, continuatione
aliqua dicitur tale; ſed actus externus quamuis
vt ſupra diuiſus continuatur actu interno, quem
ſemper ſupponimus fuiſſe continuum; ergò non
plura, ſed vnum dicitur peccatum. Confirmatur,
quia illa diſtinctio externorum actuum materia-
lis tantùm eſt; moraliter autem omnes partici-
pant eandem malitiam illius intentionis, & finis,
ad quem ordinatur. Vndè qui bibit, vt carnis
eſum ſexta feria contra præceptum Eccleſiæ re-
petat, potum ad eſum carnis ordinat; & propte-
rea vnum tantùm peccatum committit.

Reſtat modo, vt ad contraria reſpondeamus.

AD primum quidam reſpondent ad antece-
dens dicentes, quòd peccata poſſunt du-
6 pliciter conſiderari. Primò in ſe ipſis: ſe-
cundò in ordine ad confeſſionem. Si priori modo
conſiderentur, & coram Deo, omnia illa peccata
ſunt diſtincta numero: quia omnes illæ actiones
diſtinctas habent entitates, & informantur om-
nes malitiæ intentionis; atque ideò coram Deo
tot ſunt peccata numero diſtincta, quot ſunt
actiones. Si conſiderentur ſecundo modo in
ordine ad confeſſionem, tunc omnes illæ actio-
nes dicuntur vnum tantùm peccatum: quia
omnes Doctores concedunt, neceſſarium non
eſſe hanc varietatē actionum explicare, ſed ſatis
eſt vltimum actum cōfiteri: nam cum eo cenſen-
tur cætera explicata, quæ cum tali actu concurrē
ſolent; niſi aliquæ circumſtantiæ per ſe prauæ, &
extraordinariæ adiungantur: ſiquidem hæ cùm
non ſubintelligantur, explicandæ ſunt iuxta do-
ctrinam ſupra traditam de circumſtantijs. Vel
7 ſecundò reſpondeamus melius ex *Suar. & Vaſq.
locis ſupra citatis*, ex illis omnibus actibus com-
poni vnum conſumatum peccatum non ſolùm
in ordine ad confeſſionem, ſed etiam ſi ſecun-
dum ſe, & coram Deo conſiderentur: quia omnes
illi actus, ſeù voluntates ordinantur ad vnum
peccatum conſumandum, & ex illius intentione
procedunt: nam vnitas numerica etiam in actio-
nibus, & qualitatibus non eſt ſemper eiuſdem
rationis, vel æqualis: ſiquidem aliquando con-
ſtat ex ſimplici entitate; aliquando ex collectio-
ne plurium cum aliqua artificioſa compoſitione.
Vndè oſcula, tactus impudici, &c. Quia ordinan-
tur ad conſumandum peccatum incontinentiæ,
vnum peccatum efficiunt cum eo. Et qui irretitus
illicitis amoribus diem integrum, aut noctem
conſumpſit in muſicis, & cantilenis ad amaſiam
alliciendam, aut in alijs operibus ad eam indu-
cendam ad malum, & tandem induxit, vnum
tantùm peccatum commiſit: quia omnes illi
actus interiores, & exteriores cùm ſint via ad
vnicum peccatum perpetrandum, vnum ſolùm
efficiunt peccatum; etiam ſi illi actus fuerint
interrupti. Sic etiam qui cum intentione occi-
dendi inimicum ſumit gladium, equum aſcendit,
iter agit vnius, vel plurium dierum, vt inimicum
inueniat, & inuentum denique occidit, vnum
dumtaxat peccatum contrahit; etiam ſi in via ali-
quando de occiſione non cogitet, ſiuè id proue-
niat naturali diſtractione, ſiuè ſomno, eſu, &c.
Quoniam licèt actus illi præcedentes homici-
dium, in genere entis conſiderati, ſint plùres, &
variæ res; nihilominus conſiderati tanquàm via,
& partes peccati principalis, in genere moris
vnum tantùm peccatum efficiunt: ſicut colum-
8 næ, ligna, & cætera huiuſmodi, quæ ſunt ma-
teria domus, ſi ſecundum ſe cōſiderentur, multæ
res ſunt; at ſi omnia ſimul cōſiderentur tanquam
partes vnius domus, vnam ſolùm domum con-
ſtituunt, *arg. tex. in l. eum qui, ff. de Vſucap. l. qui
vnine. ſa, ff. de acquir. poſſeſ.* quibus adde, quæ
ſupra adnotauimus *ſec. 5. concl. 3.* & quæ haben-
tur ex *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ.
recoll. 15. nu. 67. 68. & 69.* Eſt tamen verum,
9 quòd ſupradicta omnia locum ſibi vendicant,
quando actiones illæ præcedentes conſumatam
culpam, ſunt media, quæ totam ſuam malitiam
ex ipſo peccato, ad quod ordinantur, accipiunt,
& nullam de ſe habent, vt ſunt oſcula, tactus, &c.
Quoad fornicationem: gladius, equus, & alia
huiuſmodi ad occidendum inimicum, vt ſupra
diximus: ſecus autem ſi malitiam ex alio ſumant,
vt cùm quis per Nuncium ſollicitauit puellam,
aut ad interficiendum inimicum, amicum acceſ-
ſiuit: nam tunc talia media non conſtituunt vnum
peccatum cum principali; vt patet ex ijs, quæ
ſupra adnotauimus *d. ſec. 5. concl. 3. verſ. Hac qua
diximus*: ſiquidem ſuadere nuncio, vt puellam
ſollicitet: & inuitare amicum ad homicidium

com-

committendum ſunt peccata ſchandali ab ipſis homicidio, & fornicatione diſtinctis: & propterea tenetur pœnitens confiteri non ſolùm ſe homicidium commiſiſſe, vel fornicationem; ſed etiam ad homicidium amicum abhibuiſſe, vel ad fornicationem internuncio ſe vſum fuiſſe ad puellam ſollicitandam, vt rectè docet *Vaſq. d. q. 91. art. 1. dub. 5. nu. 32. 33. & 34.* Idem dicendum eſt ſi ad fornicandum quis vſus fuerit maleficijs; quia maleficium habet malitiam diſtinctam à fornicatione.

Illud denique circa ſolutionem præfati argu-
10 menti eſt adnot. quòd licèt *Nauar. in d. cap. 6. nu. 17. & 18.* velit non eſſe nouum peccatum non ſolum actus præcedentes, & ordinati ad principale peccatum, de quibus ſupra diximus; ſed nec etiam conſequentes incontinenti peccatum principale iam conſumatum, vt cùm quis poſt homicidium commiſſum lætatur, & poſt fornicationem oſcula, & tactus impudici; atque ideò huiuſmodi actus ſubſequentes non pertinere ad integritatem confeſſionis; nihilominus opinionem hanc omninò reijciunt *Vaſq. loco citato, nu. 30. & 31. & Suar. d. ſec. 5. nu. 26. & 27. & Conynch. diſp. 7. de integr. confeſ. dub. 7. nu. 59.* Nam diuerſa ratio eſt actuum præcedentium, & ſubſequentium peccatum iam conſumatum; quoniam actus præcedentes homicidium, ſeù copulam ſunt quaſi partes homicidij, ſeù copulæ, & ad principalia peccata per ſe ordinantur, & quaſi ex natura rei eſſe, vt antecedant, & explicato actu conſumato, ſub illo intelliguntur; nimirum ſi vnum tantùm peccatum conſtituunt: at verò actus ſubſequentes conſumatam culpam, non ſunt eius partes, neque ex natura rei, ex illo ſequuntur, vt proindè dici poſſint quaſi proprietates conſequentes ipſam conſumatam culpam; ſed malitia, ac iniquitate ipſius peccatoris adiunguntur, & ideò pertinent ad integritatem
11 confeſſionis. Nec obſtat, quòd qui furatus fuit infantem, qui apud ipſum furem poſtea adoleuit, non dicitur commiſiſſe duo furta, infantis videlicèt, & adoleſcentis; ſed vnum tantùm, nempè infantis, vt in *l. inficiendo, §. infans, ff. de furt.* quoniam non ex eo ſequitur vnam culpam contrahere, qui poſt homicidium lætatur, aut poſt incontinentiam actibus vtitur impudicis; quia furtum infantis eo caſu eſt quodammodo via, & pars furti adoleſcentis: at lætari poſt homicidium conſumatum, vel poſt copulam actibus vti impudicis, non ſunt via, nec partes dictorum peccatorum, vt ſupra diximus: niſi ſubſequentes actus impudici ordinentur ad aliam copulam.

Ad ſecundum reſpondetur negando antece-
12 dens quoad poſteriorem partem; quoniam illa tria, vel quatuor homicidia ſunt peccata omninò diſtincta, quia non continuantur moraliter: ſiquidem inter hæc non eſt illa ſubordinatio, & moralis compoſitio, cùm vnum homicidium ad aliud non ordinetur, nec eſt pars alterius; meritò igitur ea omnia diſtinctè pertinent ad integritatem confeſſionis, cùm diſtinguantur inter ſe non ſolùm phyſicè, ſed etiam moraliter, ſicut idem ſupra diximus *ſec. 5. concl. 4. & 5. verſ. Non vnum, de eo*, qui vno impetu plura verba iniurioſa in aliquē profert, vel plures iniurijs afficit; nam plura peccata committit. Idem dicendum eſt de illo, qui imprecatur mortem alicui, & toti familiæ ipſius; quoniam duo peccata diſtincta dicitur committere; alterum reſpectu eius, cui mortem imprecatur, & alterum reſpectu familiæ: ſiquidem tota familia vno verbo exprimitur, & pro vna perſona ficta ſumitur, *l. 1. ff. ſi fam. fur. fec. dicat.* Et licèt ſignificet multos, eos tamen collectiuè denotat. Ita *Nauar. in d. cap. 6. ſub nu. 18. verſ. Infertur quartò*, vbi etiam *verſ. Infertur quintò*, eiſdem rationibus inquit, quòd qui maledixit D. Petro, & vndecim Apoſtolis, duo peccata commiſit, quamuis *Molfeſ. par. 1. ſua ſum. tract. 8. cap. 7. nu. 19.* dicat, *Nauarri* ſententiam communiter improbari: & propterea vult, imprecantem mortem alicui, & toti eius familiæ, ratione familiæ non ſolùm vnum peccatum committere; ſed etiam tot culpas contrahere, quot ſunt perſonæ de illa familia: & blaſphemantem D. Petrum, & vndecim Apoſtolos, non duo, ſed duodecim peccata committere iuxta numerum Apoſtolorum, cùm ſint obiecta diſtincta. Sed non eſt mirum ſi contra *Nauar.* ipſe *Molf.* teneat, quia loquitur conſequenter ad ſua principia, & ſequitur opinionem illorum, qui volunt peccata interna diſtingui numero iuxta diſtinctionem obiectorum, etiam ſi potentia vno actu in illa feratur: quæ quidem opinio licèt ſit probabilis; tamen oppoſitam ſententiam cum *Suar.* & alijs Recentior. diximus eſſe probabiliorem ſupra *d. ſec. 5. concl. 1.*

Ad tertium reſpondemus concedendo argu-
13 mentum: nec propterea ex hoc ſequitur aliquod inconueniens: quoniam omnes illi actus ordinantur ad vnum peccatum, & ſunt partes illius, vt benè declarat idem *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 5. nu. 28.*

Ibi, *Sua*, An ad integritatem confeſſionis pertineant non ſolùm peccata propria pœnitentis, ſed etiam aliquando aliena, nempè eiuſdem complicis.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens quando probabiliter credit ex confeſſione complicis ſibi, vel complici, aut alteri notabile damnū, poteſt peccatum, ſeù circumſtantiam tacere quibus Confeſſarius poteſt deuenire ad cognitionem complicis.*

2 *Quod propter charitatem introductum eſt cōtra charitatem exerceri non debet.*

3 *Pœnitens ſi probabiliter credat ex confeſſione complicis ſibi futurum damnum, poteſt circumſtantiam complicis tacere, etiam ſi reperiatur in articulo mortis, niſi imminet periculum damnationis.*

4 *Pœnitens timens damnum ex complicis confeſſione, ſi ex vi alicuius præcepti obligatur ad confeſſionem, non excuſatur, niſi ob id ſolùm, ne confiteatur peccatum propter quod Confeſſarius deuenit ad confeſſionem complicis.*

5 *Pœnitens ſi poſſit alteri confiteri, qui complicis perſonam non noſſet, aut aliquo modo peccatum explicare valeret, aut ſe occultare in confitendo, vt nec ipſe, nec complex cognoſci valeat, non excuſatur ab integritate confeſſionis.*

6 *Pœnitens ſi nullam habet moralem neceſſitatem confitendi, vel notabilem ſperet vtilitatem, non poteſt diuidere confeſſionem, ne Confeſſario*

compli-

complicem manifeſtet, & maximè ſi infra breue tempus ſperet habere copiam Cōfeſſarij.

7 *Pœnitens non poteſt dimidiare confeſſionem ſacramentalem, ne detegat complicem vbi nulla aut minima æſtimatur ipſius complicis iactura,*

8 *Pœnitens, vbi nullum aliud malum timetur: niſi tantum diminutio famæ complicis apud Confeſſarium, & proprium peccatum abſque complicibus rectè manifeſtare non poſſet tenetur complicem confiteri ſecundum multorum DD. ſententiam.*

9 *Vna ratio infamiæ non datur in ſola cōfeſſione.*

10 *Confeſſarius eodem ſigillo tenetur celare peccatum complicis, ac pœnitentis.*

11 *Damnum quod quis ſua culpa patitur ſibi imputatur.*

12 *Iure ſuo quiſque vti poteſt, etiam ſi aliquid detrimenti alicui ſequatur.*

13 *Famam reſtituere cum proprio vitæ periculo, quis non tenetur.*

14 *Peccatum proximi occultum manifeſtare, ſi fiet ex rationabili cauſa, & citra intentionem infamandi non eſt intrinſecè malum.*

15 *Sigillum confeſſionis ſeruare eſt maius bonum, quam illud violando ſaluare Ciuitatem ab incendio.*

16 *Pœnitentem non poſſe confiteri peccatum, aut circumſtantiam manifeſtatiuam complicis etiam quod nullum complici ſequatur damnum præter infamiam apud Confeſſarium, qui docent.*

17 *Præceptum non infamandi proximum eſt naturale, præceptum verè integritatis confeſſionis eſt poſitiuum.*

18 *Præcepta duo ſi ſint violanda, maius præfertur minori, & minus maiori cedit.*

19 *Duo præcepta violat qui habens rem cum matre confiteatur circumſtantiam complicis.*

20 *Diffamatio complicis facta à pœnitente apud Confeſſarium eſt vera, & formalis.*

21 *Confeſſarius non poteſt confiteri peccatum aliquod, ſi ob id reuelat confeſſionem.*

22 *Pœnitenti non licet reuelare in confeſſione peccatum alterius, qui non ſit ſocius criminis, etiam ſi aliter non poſſit manifeſtare proprium peccatum.*

23 *Diuerſa ratio aſſignatur inter complicem, & eum qui non eſt complex.*

24 *Iudicium ſacramentale in multis differt à Iudicio forenſi.*

25 *Pœnitens, nec humano, nec diuino præcepto tenetur facere confeſſionem materialiter integram in præiudicium alterius, ſed ſatisfacit ſi eam facit integram formaliter.*

26 *Volenti, & patienti nulla fit iniuria.*

27 *Diuerſa ratio eſt de pœnitente peccata propria Confeſſario aperiente, & de eodem aliena eidē Confeſſario confitente.*

28 *Læſio notabilis in fama proximi æſtimatur, etiam ſi vni reueletur peccatum, qui pro certo habetur ſe illud nemini manifeſtaturum.*

29 *Pœnitens non poteſt vti iure ſuo cum detrimento famæ ſui complicis.*

30 *Animæ ſaluti magis prouideri debet, quam famæ proximi, ſi vtrumq; ſimul ſeruari nō poteſt.*

31 *Pœnitens vllo vnquam caſu tenetur nominare perſonam, cum qua peccauit, ſiuè peccatum ſit mortale, ſiuè veniale.*

32 *Confeſſarius, ſi præuideat pœnitentem velle nominare complices, vel perſonas, quas ipſe induxit ad peccandum, vel à quibus inductus eſt tenetur eidem occurrere, ipſumq; admonere, ne nominet.*

33 *Pœnitens poteſt, & debet tacere peccatum, quod ſine alterius infamia confiteri non poteſt, etiam ſi reperitur in articulo mortis.*

34 *Pœnitens tunc poteſt circumſtantiam complicis tacere, quando nō habeat alium Confeſſarium, qui complicem non cognoſcat.*

35 *Pœnitens committens inceſtum cum matre, vel ſorore, filia, &c. ſi habet plures eiuſdem gradus Confeſſario cognitas; tenetur exprimere circumſtantiam primi gradus tacendo nomen.*

36 *Pœnitens non ob ſolam cauſam non manifeſtandi complicem proprio parrocho, poterit abſque proprij parrochi, vel alterius ad quem ſpectat licentia extraneo confiteri.*

37 *Pœnitens poteſt aliena peccata in confeſſione reuelare ad ſibi conſulendum, & petendum remedium.*

38 *Hæreticū poteſt pœnitens reuelare in confeſſione.*

39 *Opinio aſſerentium pœnitentem teneri reuelare in confeſſione complicem poteſt practicari quo ad complicem tantùm, non quo ad alios.*

IN hac difficultate duo faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus: Secundò dubia per ſuas quæſtiones definiemus. Sit igitur.

PRIMA CONCLVSIO.

1 CErtum eſt apud omnes, quòd pœnitens quando probabiliter credit ex confeſſione complicis futurum ſibi, vel etiam complici, aut alteri notabile damnum in corpore, in fama, vel in bonis, tunc ad euitandum proprium damnum, complicis, vel alterius, poteſt peccatum, ſeù circumſtantiam tacere, quibus Confeſſarius peruenire poſſit ad cognitionem complicis. Vt ſi pœnitens, v. g. cognatam ſuam, quæ ſoror eſſet Confeſſarij carnaliter cognouiſſet, & ſi cognationis circumſtantiam exprimeret Confeſſarius ſuam ſororem eſſe ſuſpicaretur, aut incertam cognitionem deueniret propter quod probabiliter ipſe pœnitens putet notabile damnum futurum ſibi, ſuis, aut cognatæ in perſonis, bonis, vel in fama. Etenim lex Diuina, quæ præ-
2 cipit integritatem confeſſionis cùm ſit poſitiua non obligat cum tanto diſpendio: & ex lege charitatis tenemur proximum diligere ſicut noſmet ipſos: & quod propter charitatem introductum eſt contra eandem charitatem exerceri nō debet. Ita *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. Maior. in 4. d. 17. q. 5. Nauar. in Man. cap. 7. nu. 4. Fagund. de præcep. Eccl. præcep 2. lib. 5. cap. 1. ſub nu. 4. P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 18. nu. 56. &* 101. quibus adde ea, quæ ſupra cumulauimus *ſec. 1. concl. 5. lim. 3. ex Soto, Suar. Reginal. Conynch. Molf.* & ex alijs. Quæ con-
3 cluſio vera eſt, etiam ſi pœnitens repetiretur in articulo mortis, niſi immineat periculum damnationis, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 6. nu. 1.* qui in hoc caſu dat cautelam, & *Alph. de Leone d. recoll. 18. num. 56. &* 101. cum alijs, quos allegat. Prædictis enim caſibus pœnitens debet curare concedi ſibi facultatem confitendi alteri; quam ſi obtinere nequeat, tenetur nihilominus omnia peccata cōfiteri, omiſſa

peccati circumſtantia, quam Confeſſario aperire non poteſt citra ſupradicta damna complicis, pœnitentis, vel alterius. Ita *Nauar. loco citato, ſub nu. 3. in fine, Conynch. diſp. 5. num. 73. verſ. Nota 4. & concl. 1. Suar. d. ſec. 6. nu. 1.* Etenim impotens ad ſeruandum totum præceptum tenetur ad partem, vt habetur ex *Sanch. lib. 1. ſua ſum. cap. 19. & Alph. vbi ſupra, nu. 57.* Non
4 tamen excuſaretur omninò pœnitens à confeſſione quando ex vi alicuius præcepti ad eam obligatur, ob id ſolùm ne confiteatur peccatum, propter quod Confeſſarius deueniat in cognitionem complicis; ita vt iudicari eo caſu poſſit pœnitens, ac ſi non haberet copiam Confeſſarij; & confeſſione omninò omiſſa, accedere ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſi tempus inſtat. Etenim longè diſtat, aliquem non teneri ad integritatem confeſſionis ratione alicuius caſus, & non teneri ad confeſſionem omninò. Ita *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 3. n. 2. & Nauar. d. cap. 7. nu. 6.*

SECVNDA CONCLVSIO.

Certum eſt, quòd vbi pœnitens poſſet alteri confiteri, qui complicis perſonam non
5 noſſet, aut quando peccatum, & circumſtantiam ita explicare valeret, vt in complicis cognitionem deueniri non poſſit: aut ſe aliquo modo Confeſſario occultare in confitendo, vt nec ipſe, nec complex ab eo cognoſci valeant, ad hæc tenetur, atque ideò non excuſaretur ab integritate confeſſionis, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 16. q. 3. art. 3. Bonau. 1. par. ſuorum opuſc. tract. de modo confitendi, cap 1. & in 4. d. 21. par. 2. d. art. 3. q. 3. Vaſq. loco citato, nu. 1.* An autem obligetur tunc pœnitens quærere his modis ignotum Confeſſarium, aut procurando bullam aliquam, virtute cuius eligere valeat ignotum Confeſſarium, cui confiteatur complicis circumſtantiam, cõtrouerſia eſt inter Doctores: ſiquidem *Cordub. caſu 1.* tenet partem affirmatiuam, ſi facilè, & abſque labore id agere valeat. Alij verò ſolùm monent, vt quærat alium Confeſſarium, vt ſupra ignotum, ſi facilè habere poſſit, & citra laborem, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœn. diſp. 34. ſec. 2. Caiet. ver. Confeſſio, condit. 3. Domin. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagnnd. de præcep. Eccl. precep. 2. lib. 5. cap. 2. ſub nu. 3.* Etenim volunt eo caſu nullum extare præceptum, quo pœnitens aſtringatur quærere ignotum Confeſſarium, cui complicis circumſtantiam aperiat; atque ideò ſi non quærat nullam culpam contrahit.

TERTIA CONCLVSIO.

6 Certum eſt, pœnitentem non poſſe dimidiare confeſſionem, ne Confeſſario complicem manifeſtet, ſi nullam habeat moralem neceſſitatem confitendi, aut ab eo ſaltem non ſperet notabilem vtilitatem: & eò maximè ſi poſt breue tempus ſperet habere copiam Confeſſarij, cui commodè confiteri poſſit citra manifeſtationem complicis: quoniam licèt ad ſaluandam materialem integritatem confeſſionis non teneatur pœnitens confeſſionem ipſam differre, vt aliqui malè arbitrantur; nihilominus non debet eſſe facilis ad confeſſionem dimidiandam; ſed ſemper debet adeſſe aliqua neceſſitas, vel ſaltem vtilitas ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, vt ſi inſtet mortis periculum, adſit neceſſitas ſeruandi præceptum annuæ confeſſionis, communionis in Paſcha, aut magna vtilitas, quam per ſe affert Sacramenti frequentia, vel ſi pœnitens vellet conſequi Iubilæum, aut lucrari aliam indulgentiam, iuxta ea, quæ habentur ex *Sot.* loco ſupra relato, *Nauar. in Man. cap. 7. nu. 3. cum plurib. ſeq. Suar. d. ſec. 2. nu. 13. & diſp. 25. ſec. 2. nu. 6. Fagund. d. cap. 1. ſub nu. 2. & Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ.*

QVARTA CONCLVSIO.

Certum eſt, pœnitentem non poſſe dimidiare ſacramentalem confeſſionem, ne detegat
7 complicem, vbi nulla, aut minima æſtimaretur ipſius complicis iactura, vt quia crimen ſit notorium, aut Confeſſarius rectè nouit complicem ſimilia peccata Sæpius committere conſueuiſſe. Nam integritas confeſſionis cum ſit de iure Diuino non poteſt prætermitti ob leuem cauſam, ſed debet concurrere grauis, ac rationabilis cauſa, vt habetur ex eodem *Vaſq. d. dub. 3. ſub nu. 3.* Hæc adeò vera ſunt, vt diſcuſſione non egeant. Difficultas modo conſiſtit in hoc, an vbi nullum aliud malum timeatur, niſi tantùm diminutio famæ complicis apud Confeſſarium, & adſit ex parte pœnitentis aliqua moralis neceſſitas, vel vtilitas percipiendi Sacramentum pœnitentiæ, nec ſit alius Confeſſarius, nec poſſit aliter confiteri pœnitens peccatum aliquod lethale, vel eiuſdem circumſtantiam, niſi complicem detegat, poſſit peccatum illud, aut circumſtantiam tacere in illa confeſſione, donec alium Confeſſarium habeat, cui citra manifeſtationem complicis prædictum peccatum, ſeù circumſtantiam confiteri poſſit?

In hac difficultate *Panorm. in explicatione noſtri cap. ſub nu. 2.* ait, quòd licèt confitens non
8 debeat reuelare peccata aliena; ſed tantùm ſua, vt colligitur ex illa eiuſdem canonis diſtinctione, *Sua*, contra mulieres impudicas, complices quoque reuelantes; id tamen verum eſt, niſi proprium peccatum non poſſet abſque complicibus rectè manifeſtare. Vt ſi carnalem copulam habuerit cum matre, filia, ſorore: etenim huiuſmodi circumſtantiæ aggrauant peccatum, nec poteſt confiteri proprium peccatum, niſi in confeſſione aperiantur participes. Ad hoc allegat *tex. in cap. conſideret, de pœnit. d. 5.* vbi circumſtantiæ grauantes malitiam peccati præcipiuntur Confeſſario manifeſtari. Hanc eandem ſententiam tenet *Io. Andr.* hoc eodem loco, *nu. 4.* qui extendit ad maritum, qui rem habuit cum vxore contra naturam. Eiuſdem quoque opinionis ſunt quamplurimi Thelogi, & Summiſtæ, inter quos extant grauiſſimi Doctores, nempè *D. Thomas in 4. d. 16. q. 3. art. 2. queſtiun. 5. ad 5. & opuſc. 12. art. 6. Palud. ibidem, q. 3. art. 3. ad 2. Ricard. art. 5. q. 2. Durau. q. vlt. nu. 8. Gabr. d. 17. q. 1. art. 2. concl. 5. Alex. 4. par. q. 18. nu. 4. art. 2. §. 4. D. Bonau. 1. par. ſuorum opuſc. tract. de modo confit. cap. 1. & in 4. d. 21. par. 2. diſtinctionis, art. 1. q. 3. Maior ibidem q. 2. in fin. & q. 3. §. Octauò ponatur, Almayn. d. 17. q. 1. art. 2. Dom. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. circa ſolut. 4. argum. Henr. quodlib. 3. q. 23. Io. Med. C. de Confeſ. q. de circum. tempor. & loci, Petr. Sot. lec. 10. de confeſ. Cordub. a tract. de detrac. in 4. q. 2. concl. 3. & in ſua ſum. Hiſp. q. 1. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 2. dub. 3. n. 28. Conynch. de ſacram. diſp. 7. dub. 9. n. 89. Reginal. lib. 6.*

Google

lib.6. ſua prax. cap.4.n.156. Henriq. lib.2. cap.9.
nu. 3. & 5. Emanuel Sà ver. Confeſſio num. 18.
Tolet. lib.3. ſua ſum. cap.8. nu.4. Roſel. eo. ver. nu.
6. Syl. ver. Confeſſio 1. q.24. Angel. eo. ver. nu. 3.
Gerſ. Alph. 41. litt. F. circa finem, & 32. lit. B.
Hanc ipſam opinionem *Nauar.* teſteatur eſſe
communem, *in Man. cap.7. nu.3.* licèt eam non
ſequatur, & ipſam tenet *Suar. in 3. par. tom. 4.*
diſp. 34. ſec.2. Vaſq. ibidem, q.91. art.2. dub.3.
nu.13. Molfeſ. par.1. ſua ſum. tract.7. cap.12. nu.
35. Medina, C. de confeſ. q. de circumſt. loci,
Nugn. in addit. ad 3. par. q.9. art.2. dub.2. Fa-
gund. de præcep. Eccl. præcep.2. lib.5. cap.1. nu.8.
& alij Recent. Idem colligitur ex *D. Bern. in*
opuſc. intitulato, Formula honeſtæ vitæ, vbi inter
alia ita ſe habet, *De nullo prorſus ſiniſtrè loqua-*
ris, quantumcunque ſit verum, vel manifeſtum;
niſi in confeſſione: & hoc vbi non potes aliter ma-
nifeſtare peccatum tuum.

Probant hanc ſententiam primò. Nam qui rem
9 habuit cum matre, filia, aut ſorore, ſi non obli-
garetur complices reuelare, id quidem alia ra-
tione non eſſet, niſi quia prædictæ perſonæ re-
manerent diffamatæ apud Confeſſarium; ſed
conſequens eſt falſum, ergò antecedens. Maior
patet. Probatur minor; quia in ſola confeſſione
non datur vera ratio infamiæ: aliàs ſequeretur,
quòd idem pęnitens confitendo peccata ſe ipſum
diffamaret: quod eſt falſum. Secundò illa diffa-
10 matio apud Confeſſarium eſt parum incommo-
dum reſpectu complicis; quia Confeſſarius eodẽ
confeſſionis ſigillo tenetur cælare peccatum
complicis, ac pœnitentis. Non igitur ob cauſam
adeò leuem prætermittenda eſt confeſſionis in-
tegritas, quæ debita eſt de iure Diuino. Tertiò
ſi aliqua ratio infamiæ ipſius complicis foret
apud Confeſſarium ex manifeſtatione pœniten-
tis, id quidem ex eiuſdem complicis culpa pro-
ueniret, qui id futurum ſibi poterat, ac debebat
11 ſuſpicari: at damnum, quod quis ſua culpa pa-
titur, ſibi imputatur, vt in *Regula damnum, de*
regul. iur. in 6. Quartò, quoniam vnuſquiſque
vti poteſt iure ſuo; etiam ſi aliquid detrimenti
alicui ſequatur, atque ideò licitum eſt mihi do-
12 mum meam altius tollere, quamuis domus vi-
cini luminibus ob id officiatur; dummodo ſer-
uitus conſtituta non fuerit, vt in *l. cum eo, ff. de*
ſeruit. vrban. præd. ergò licitum eſt pœnitenti
peccatum ſuum cum ſuis circumſtantijs confi-
teri, licèt ex tali confeſſione detrimentum infe-
ratur famæ alterius, eiuſdemq; opinio obſcuretur
apud Confeſſarium. Quintò vniſquiſque poteſt
ſalutem propriam præferre famæ alterius: &
13 propterea non tenetur quis ad famæ reſtitutio-
nem cum propriæ vitæ periculo; quia res infe-
rioris ordinis non eſt reſtituenda cum damno
rei ſuperioris ordinis, qualis eſt propria ſalus
reſpectu famæ, vt in *cap. offic. ſupra eo. tit. noſtro,*
Nauar. in Man. cap.16. nu.44. cap.17. nu.89. &
cap.18. nu.47. Petr. Nauar. lib. 2. de reſt. cap.4.
par.3. dub.9 nu.40. & ſeq. Cord. lib. 1. qq. q.31.
& in ſum q.102. Ioſeph Angles in florib. 4. ſent.
q. de reſtit. famæ concl. 1. & 2. Greg. de Valent.
tom.3. diſp.5. q.6. pun. 7. cauſa 5. §. Imò Sot. &
Sayr. lib.11. Clau. Reg. cap.7. nu.2. Ergò poteſt
quis multò magis peccatum, & eius circumſtan-
tiam confiteri, quamuis id cedat complicis ad
ſaluandam ſalutem animæ eius, cuius ſalus cun-
ctis eſt præferenda, *arg. tex. in l. ſunt perſonæ,*
ff. de Relig. & ſump. funer. Sextò peccatum
14 proximi occultum alteri manifeſtare non eſt
intrinſecè malum, quando id fieret ex rationa-
bili cauſa, & citra intentationem infamandi pro-
ximum: quoniam tunc huiuſmodi detractio di-
citur materialis tantùm, non autem formalis;
atque ideò non eſt contra ius naturale; ſed ma-
nifeſtatio in ſacramentali confeſſione peccati
complicis fit citra omnem intentionem infaman-
di, & efficitur ex iuſta, ac rationabili cauſa: ergò
manifeſtatio peccati complicis licitè in confeſ-
ſione fieri poteſt; ergò fieri debet. Minor ſuppo-
nitur quoad primam partem: ſupponimus enim
pœnitentem manifeſtando complicem, non ha-
bere intentionem infamandi illum. Quoad ſe-
cundam verò partem patet; quia bonum inte-
gritatis confeſſionis præponderat bono occul-
randi peccatum complicis: ſiquidem integritas
ſacramentalis confeſſionis cùm ſit de iure Diui-
no, ratione reuerentiæ Sacramento pœnitentiæ
debitæ, maioris momenti eſt, vt cum debita re-
uerentia tractetur, & in ſua puritate, ac integri-
tate conſeruetur, quam quòd complicis pecca-
15 tum occultetur. Etenim cum eadem ratione
maius bonum ſit ſeruare ſigillum confeſſionis,
quàm illud violando ſaluare Ciuitatem ab in-
cendio; idcircò licitum non eſt confeſſario reue-
lare peccatum ſibi in confeſſione manifeſtum,
quamuis ex tali manifeſtatione liberaretur Ci-
uitas ex incendio, vt habetur ex *D. Thoma in*
4. d.21. q.3. art.1. & quodlib. 1. art. 8. Ricchar.
ibidem, art.4. q.1. & 2. Scot. q. 2. Duran. q. 4.
Palud. & Maior q.3. Capr. q.2. Sot. in 4. d.18.
q.4. art.5. Petro Soto lec.11. de confeſ. Nauar. in
Man. cap.8. & in cap. Sacerdos, de pœnit. d. 6.
nu. 116. & ex alijs apud *Suar. in 3. par. tom. 4.*
diſp.33. ſec.1. Denique hæc ſententia fauet con-
ſcientijs Ruſticorum, qui vt plurimum ignorant
quod explicare, aut tacere debeant in confeſſio-
ne; neque habent alium Sacerdotem præter Pa-
rochum, qui omnes agnoſcit. Fauet quoque
coniugatorum conſcientijs ſe inuicem abuten-
tium: nam ſi obligarentur tacere circumſtantiam
complicis Confeſſario cogniti, varijs ſcrupulis
abſoluerentur, vt habetur ex *Henr. lib.2. de pœn.*
cap.9. nu.9. ad medium, Petr. Nauar. lib. 2. de
reſtit. cap.4. par.2. dub.1. & 10. nu. 276. & 335.
& Fagund. loco citato ſub nu. 14.

Hæc ſententia licèt re vera ſit communior, vt
16 teſtatur etiam *Vaſq.* vbi ſupra, *ſub nu. 20. verſ.*
Vt ergò: nihilominus contrariam opinionem pu-
tant veriorem eſſe *Innoc. & Hoſtien. in explic.*
noſtri can. Nauar. in Man. cap. 7. nu.3. & in
cap. conſideret à nu.98. de pœnit. d. 5. & in cap.
Sacerdos, nu.95. & 96. de pœnit. d.6. Marſil. in
4. q.12. art.4. ad 7. Imò aliqui hanc eandem ſen-
tentiam tribuunt *Caiet.* nempè *Vaſq. in 3. par.*
tom.4. q.91. art.2. dub. 3. nu. 8. Armil. qui hanc
ipſam opinionem ſequitur *in ſua ſum. in ver. Cir-*
cumſtantia num.11. Viguer. in ſum. cap.16. §. 4.
verſ. 17. qui vult hoc caſu pœnitentem ſe gerere
debere, ſicut qui non habet copiam Confeſſarij,
quod nos ſupra cum *Vaſq.* reijcimus; & intelli-
gendum eſſe diximus cum *Suar. d. diſp.34. ſec.2.*
nu.2. quantum ad illam culpam, vel circumſtan-
tiam, quam nõ poteſt ſine complice manifeſtare:
nam de reliquis culpis citra omnem controuer-

ſiam poteſt, ac debet ſe accuſare ſi aliàs obligatiò
vrgeat. Hanc eandem opinionem tenent *Canar.*
relect. de pænit. par. 5. Medina in ſum. lib. 2. cap.
4. §. 1. de complico, Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5.
Alexand. 4. par. q. 77. mem. 3. art. 1. aliàs q. 18.
mem. 4. art. 5. §. 1. Bann. 2. 2. q. 33. dub. 8. in prin.
par. 1. & par. 3. ratione. 2. Ledeſma 2. 4. q. 8. art.
4. dub. 2. concl. 3. & q. 10. art. 1. dub. 7. Ludou.
Lopez 1. par. Inſtr. cap. 36. Villalobos in ſum. tom.
1. tract. 9. dub. 38. nu. 3. Petr. Fay. in addit. ad 3.
par. q. 9. art. 2. diſp. 9. concl. 1. Valen. tom. 4. diſp. 7.
q. 11. pun. 1. Io. de la Cruz in Direct. conſcient.
par. 2. de ſacram. penit. q. 3. dub. 5. concl. 3. P.
Diana par. 1. reſol. tract. 7. de circum. reſol. 49.
& alij dicentes non poſſe pœnitentem confiteri
peccatum, aut circumſtantiam manifeſtatiuam
complicis, etiam ſi ex hoc nullum damnum ſe-
quatur complici præter infamiam apud Confeſ-
ſarium. Probatur hæc ſententia primò, quia præ-
17 ceptum non infamandi proximum eſt naturale:
præceptum verò integritatis confeſſionis eſt po-
ſitiuum: ergò quando pœnitens non poteſt ſuum
peccatum confiteri citra manifeſtationem com-
plicis, poteſt ac tenetur illud tacere, manifeſtatis
alijs, vt ipſius complicis ſama apud Confeſſarium
illeſa remaneat. Antecedens patet. Probatur con-
ſequentia; quia quando concurrunt duo præ-
18 cepta ſimul, quorum alterum eſt violandum,
tunc maius præfertur minori, & minus maiori
cedit, vt in *cap. Iulianus, & cap. ſi Dominus 11.*
q. 3. & nos latè in noſtris *Commentar. in Bull.*
Cœnæ, lib. 1. cap. 2. q. 3. nu. 2. & 3. At præceptum
non infamandi proximum maius eſt cùm ſit na-
turale, quàm præceptum integritatis confeſſio-
nis, quod eſt poſitiuum: ergò illud præferendum
eſt; atque ideò pœnitens tenetur tacere peccatum
in confeſſione, quod ſine complicis diffamatio-
ne apud Confeſſarium confiteri non poteſt. Se-
cundò qui rem habuit cum matre, & confitetur
circumſtantiam complicis duo præcepta violat, ſi
19 Confeſſarius matrem agnoſcit: alterum de non
lædendo famam proximi: alterum de honorandis
parentibus: ergò pœnitens ne matrem inhonoret,
& lædat in fama poteſt, ac debet tacere circum-
ſtantiam matris complicis: Denique ad euitan-
dam infamiam propriam excuſatur quis à mate-
rialis confeſſionis integritate, vt ſupra oſtendi-
mus *ſec. 1. concl. 5. limit. 3.* vbi idem locum ſibi
vendicare probauimus ad euitandum notabile
detrimentum in perſona proximi fama, vel in
bonis: ergò pœnitens excuſatur ab integritate
confeſſionis, ne complicis peccatum Confeſſario
manifeſtet: aliàs huiuſmodi confeſſio tenderet in
ipſius complicis, & ſic proximi diffamationem.

Nec obſtat fundamentum contrariæ opinio-
nis, ſe habens diffamationem hanc non eſſe for-
20 malem; ſed tantùm materialem; quoniam ſi res
ipſa rectè perpendatur, dicitur vera, ac formalis,
tùm quia prouenit ex intentione pœnitentis, qui
ſciens manifeſtationem talis peccati tendere in
infamiam complicis, illud confitetur: nec ob id
excuſatur, quòd non habeat intentionem infa-
mandi, cùm re ipſa complicis perſona apud Con-
feſſarium remaneat infamata: tùm etiam, quia
non adeſt ſufficiens ratio, qua obligetur pœni-
tens ad confitendum peccatum complicis, cum
confeſſio licèt non fiat integrè materialiter: ſal-
uatur tamen reuerentia Sacramenti per forma-
lem eiuſdem integritatem: tùm denique, quia
21 certum eſt, Confeſſarium non poſſe confiteri
peccatum aliquod, ſi ob id reuelet confeſſionem,
vt latè probat *Doctor. in 4. ſent. d. 21. & Nauar.*
in Man. cap. 8. ſub nu. 5. & tamen illa reuelatio
confeſſionis fit Confeſſario: & non alia ratione,
niſi quia grauatur opinio pœnitentis apud Con-
feſſarium; ergò idem dicendum eſt in caſu no-
ſtro cùm militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud,*
ff. ad leg. Aquil. Imò multi, qui tenent contra-
riam ſententiam, inter quos eſt *Suar. in 3. par.*
tom. 4. diſp. 34. ſec. 2. ſub nu. 14. volunt non eſſe
22 licitum pœnitenti reuelare in confeſſione pec-
catum alterius, qui ſocius non ſit criminis, etiam
ſi aliter non poſſet manifeſtare peccatum pro-
prium. Vt ſi filius præbeat venenum matri gra-
uidæ ex illicito concubitu; tunc enim ait ipſe
Suar. ne infamaret matrem apud Confeſſarium,
tenetur filius tacere circumſtantiam matris, dum
confitetur, ſi nota ſit Confeſſario, & ſatis eſt ſi
dicat, ſe occidiſſe mulierem grauidam valdè ſibi
coniunctam: ergò idem dicendum eſt de com-
plice, cùm vtriuſque diffamatio ſit apud Confeſ-
ſarium dumtaxat.

Scio *Suar. loco citato*, aſſignare diuerſitatem
23 rationis inter complicem, & inter eum, qui non
eſt complex: ſiquidem prior voluntate ſua ſe
immiſcuit peccato alterius, & ſic culpa ſua pa-
titur damnum; non ſic poſterior; nam quando
perſona non eſt particeps criminis, nullo modo
ſe immiſcuit peccato alterius, atque ideò ex vi
ſui peccati non cenſetur ſe ſubijcere iudicio, vel
cognitioni alterius. Sed re vera hæc diuerſitatis
ratio non videtur concludere, vt colligitur ex ijs
quæ habentur per *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art.*
2. dub. 3. nu. 17. Etenim non ex eo, quod com-
plex voluntate ſua ſe immiſcuit peccato pœni-
tentis, pœnitens ipſe cenſetur adeptum fuiſſe ius
cum illo famæ proximi detrimento ad peccatum
ſuum in confeſſione explicandum: nam quòd
voluntate ſua peccauerit, nō poteſt eſſe ſufficiens
cauſa, vt ipſe hoc infamiæ detrimentum ſubire
teneatur; aliàs quicunque peccator eo ipſo quòd
peccauit teneretur peccati ſui pati infamatio-
nem. Nec ex eo quòd ſocius criminis in iudicio
forenſi ratione delicti fiat ſubditus Iudici exer-
24 centi iuriſdictionem in tali iudicio quantum ad
hoc, vt poſſit inquirere, & integrè cognoſcere
peccatum ſui ſubditi; licèt id fieri non poſſit, niſi
ſimul, & quaſi indirectè cognoſcat perſonam
complicis, infertur, vt hoc ipſum ſeruari debeat
in iudicio ſacramentali; quoniam iudicium ſa-
cramentale nō eſt in omnibus conforme iudicio
forenſi; ſed eſt alterius rationis ab eo, & in mul-
tis differt: ſiquidem in iudicio ſacramentali idem
eſt accuſator, & reus, & reo creditur tàm pro ſe,
quàm cōtra ſe; ſententia nō poteſt ferri, niſi verbis,
& in volentem, & in eo intenditur iuſtificatio, &
abſolutio tantum pœnitentis, nō autē vindicta: at
in iudicio forenſi diuerſi ſunt accuſator, & reus,
reo non creditur pro ſe, ſed tantùm contra ſe;
ſententia in eo non ſolùm verbis ferri poteſt, ſed
etiam in ſcriptis, in volentem, & in inuitum,
intenditur vindicta, & abſolutio.

Et ſi quis dicat, pœnitentem in caſu de quo
25 agitur non infamare complicem formaliter, &
directè, nec illum priuare iniuſtè bona opinione,
quam poſſidet apud ipſum Confeſſarium, ſed vti
iure

iure ſuo, & per accidens eſſe ſi aliqua materialis infamia ſequatur præter intentionem pœnitentis; tunc reſpondeo quod eadem ratione poſſet Confeſſarius confiteri peccatum aliquod, quamuis reuelet confeſſionem, quod eſt manifeſtè falſum, vt ſupra diximus, quia poſſet dicere Confeſſarius ſe vti iure ſuo, & reuelationem confeſſionis in confeſſione eſſe per accidens. Vndè diximus infamationem illam apud Confeſſarium eſſe formalem, & non materialē tantum, vt ſupra oſtendimus, *verſ. Nec obſtat*. Et pœnitens eo caſu nō dicitur vti iure ſuo cum precepto aliquo, nec humano, nec Diuino teneatur facere confeſſionem materialiter integram in præiudicium alterius; ſed rectè dicitur ſatisfacere integritati confeſſionis ſi illam faciat integram formaliter: quapropter pœnitens reuelando complicem in confeſſione non dicitur vti iure ſuo; ſed vti confeſſione in alterius iniuriam. Patet igitur ex dictis, pœnitentem non poſſe, nec debere confiteri peccatum, per quod Confeſſarius deueniat in cognitionem complicis. Et re vera licèt prior ſententia ſit communior, vt *Nauar. Vaſq.* & alij teſtantur; nihilominus hæc poſterior nobis videtur probabilior, & maiorem continet æquitatem: quod ex ſolutione argumentorum, quæ ſupra retulimus pro prima ſententia melius demonſtrabitur.

Ad argumenta igitur, quæ ſupra retulimus pro contraria ſententia reſpondetur.

26 AD primum reſpondetur negando minorem: nam complicis opinio grauatur apud Confeſſarium: & propterea illius peccati manifeſtatio habet veram rationem infamiæ apud ipſum Confeſſarium, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus. Et ad probationem dicimus, quòd licèt pœnitens confitendo propria ſcelera ſuam turpitudinem Confeſſario manifeſtet; nihilominus; quia huiuſmodi reuelatio tendit in vtilitatem ipſius pœnitentis, ſpontè ſua crimina confitentis, non habet rationem infamiæ, tùm quia volenti, & patienti nulla fit iniuria, *l. non videtur, ff. de iniur.* tùm etiam quoniam nihil contra ius reuelatur, *arg. tex. in cap. hoc videtur, §. Sed quia, 21. q. 5.* tùm denique, quoniam ſi citra iniuriam poteſt fieri reuelatio criminis alterius ad eiuſdem vtilitatem; vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 8. nu. 7.* multò magis poteſt reuelari crimen proprium ad proprium ipſius reuelantis commodum, ac vtilitatem. Et dato, ac non conceſſo, quòd aliqua famæ offuſcatio pœnitentis remaneat apud Confeſſarium ex confeſſione proprij criminis; illa nihilominus denigratio compenſatur fructu gratiæ, & remiſſionis pec-
27 catorum. Quæ quidem omnia ceſſant in reuelatione peccatorum alienorum facta à pœnitente: nam eo caſu, is, cuius peccatum detegitur nullam conſequitur vtilitatem; ſed ex tali reuelatione iniuſtus cogitur ſubire iniuriam, atque ideò infamiam. Vndè cum diuerſa ratio ſit de pœnitente propria peccata Confeſſario aperiente; & de eodem pœnitente aliena eidem Confeſſario confitenti, ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Ad ſecundum negatur
28 antecedens: & ad probationem illius dicimus; quòd ſi ratione ſigilli diffamatio illa eſſet paruum incommodum reſpectu complicis, ſequeretur non eſſe ipſius complicis notabilem infamiam, nec lethalem culpam in ſacramentali confeſſione manifeſtare eiuſdem peccatum aliquod mortale, ac enorme, etiam ſi pœnitens poſſet integrè confiteri citra illius manifeſtationem; cùm in vtroque caſu, & ſemper Confeſſarius teneatur ſigillum ſeruare. Confirmatur, quia ſi huiuſmodi diffamatio eſſet paruum incommodum, non eſſet obligatus pœnitens alteri confiteri, qui complicis perſonam non noſſet, ſi copiam haberet Confeſſarij: quod quidem ex communi omnium ſententia eſt manifeſtè falſum, vt ſupra oſtendimus. Et re vera læſio notabilis in fama proximi æſtimatur etiam ſi vni tantùm peccatum reueletur, qui pro certo habetur, ſe illud nemini manifeſtaturum: ergò nihil refert ad grauitatem, vel leuitatem infamiæ, quòd reuelatio fiat in confeſſione, vel extra. Ita *Vaſq. d. dub. 3. nu. 15. & 16.* quamuis contrariam tueatur ſententiam. Ad tertium patet reſponſio ex dictis, cùm non ob id pœnitens habeat ius manifeſtandi complicis peccatum in confeſſione, cum complex ad id nullo pacto cenſeatur conſentire, vt per eundem *Vaſq. ibidem, nu. 17.* Ad quartum negatur conſequentia: quia talis pœnitens nullum habet ius, quo vti
28 poſſit cum detrimento famæ ſui complicis, cum ad ſalutem eius hoc illi non ſit neceſſarium: nam tacendo in confeſſione peccatum, per quod ſi confiteretur, denigraretur opinio complicis apud Confeſſarium, ſeruatur proximi fama: & confitendo alia peccata ſufficienter pœnitens prouidet animæ ſuæ: quia formaliter confitetur integrè, & indirectè, ſeu concomitanter, etiam illius peccati veniam conſequitur, vt benè reſpondet *Suar. d. diſp. 34. ſec. 2. nu. 4.* quamuis oppoſitam ſententiam ſequatur. Ad quintum eodē modo reſpondetur negando conſequentiam: nam licèt verum ſit, vnumquemq; magis debere ſuæ animæ ſaluti
30 prouidere, quàm famę proximi, quando vtrumq; ſimul ſeruare non poteſt; in caſu tamen, de quo agitur vtriuſque incommodo occurri poteſt, tacendo peccatum, & confitendo alia, iuxta ea, quæ in ſolutione præcedentis argumenti diximus. Ad ſextum patet reſponſio ex his, quæ ſupra diximus ad probandam noſtram ſentētiam. Satis enim oſtendimus, diffamationem, de qua agimus non eſſe materialem, ſed formalem, & habere veram rationem infamiæ; atque ideò eſſe intrinſecè malam: & propterea bonum integritatis materialis confeſſionis non præponderat bono occultandi peccatum complicis: & eò magis, quia occultando, & tacendo pœnitens peccatum, per quod grauaretur opinio complicis apud Confeſſarium, nihil dicitur agere contra reuerentiam Sacramenti pœnitentiæ, cùm rectè ſaluetur eiuſdem reuerentia per formalem confeſſionis integritatem. Ad vltimum quoq; reſpondetur, quòd bonum occultandi peccatum complicis præponderat bono illi Ruſticorum, & coniugatorum; eò magis, quia Confeſſarius tenetur ſupplere pœnitentis defectum, vt infra dicemus *ampl. 2.* Vndè his reiectis, firma, ac indubitata remanet noſtra concluſio, quòd quando pœnitens non poteſt Confeſſario proprium peccatum aperire, quin complicis, aut alterius peccatum reuelet, poteſt, & debet illud tacere, donec habeat copiam Confeſſarij, cui peccatum illud confiteri poſſit citra complicis, vel alterius diffamationem.

Amplia-

Ampliatur primò hæc concluſio, vt vllo vn-
31 quam caſu pœnitens nominare poſſit perſonam,
cum qua peccauit, ſiuè peccatũ mortale ſit, ſiuè
veniale; quia in omnibus militat eadem ratio,
cùm lege naturali Diuina id prohibeatur. Eſt
tamen verum, quòd qui alterius culpam venia-
lem in confeſſione detegerit, numquam peccabit
mortaliter; etiam ſi commodè poſſet ſuum pec-
catum citra complicis, aut alterius manifeſtatio-
nem confiteri: quia in omnem euentum hæc
diffamatio eſſet leuis: & propterea notabiliter
non eſſet contra reuerentiam Sacramenti.

Secundò ampliatur, vt non ſolùm pœnitens
32 non poſſit in ſacramentali confeſſione detegere
peccatum complicis, aut alterius; verum etiam
Confeſſarius ſi præuideat pœnitentem velle no-
minare peccati complices, vel perſonas; quas ipſe
induxit, vel à quibus fuit ad peccãdum inductus,
teneatur ſtatim ei occurrere, ipſumq; admonere,
ne illas nominet: aliàs ipſe Confeſſarius eiuſdem
infamiæ culpæ reus erit, *arg. tex. in cap. notum,
2. q. 1. cap. 1. de offic. deleg.* latè *Nauar. in Man.
cap. 7. ſub nu. 2.*

Tertiò ampliatur, vt pœnitens tacere poſſit, ac
33 debeat peccatum, quod ſine alterius infamia
confiteri non poteſt, etiam ſi conſtitutus repe-
riatur in articulo mortis. Nam ſi ad ſalutem pœ-
nitentis neceſſaria eſt explicatio peccati, aut eiuſ-
dem circumſtantiæ, fit vt etiam citra mortis arti-
culum ſit explicanda: & ſi non eſt neceſſaria, in
mortis articulo quoque licitè omitti poteſt, vt
habetur ex *Medina in ſum. lib. 2. cap. 4. §. 1. de
complice, Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. ad 4. Bann.
2. 2. q. 33. dub. 8. 1. par. initio, & 3. par. Petr.
Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 4. dub. 1. num. 279.
Viual. in candel. aureo,* vbi de confeſſione à *nu.
4. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 34. ſec. 2. art. 1.*
& ex alijs.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt
34 pœnitens in caſibus, in quibus non poteſt con-
fiteri circumſtantiam neceſſariò confitendam
ſine alterius diffamatione, ita demum poſſit cir-
cumſtantiam illam tacere, quando non haberet
alium Confeſſarium, qui complicis, aut alterius
perſonam non cognoſceret, & circumſtantiam
nullo modo poſſet explicare citra proximi infa-
miam, aliàs non poſſet, vt ſupra adnotauimus,
concl. 2. ex Palud. D. Bonauen. & Vaſq. quibus
adde *Nauar. in d. cap. 7. nu. 5.*

Secundò limitatur, vt quamuis pœnitens non
35 debeat nominare peccati complicem; nihilo-
minus ſi commiſit inceſtum cum Matre, filia, aut
ſorore, & habeat matrem, filiam, & ſororem
Confeſſario cognitas, tunc tacendo circumſtan-
tiam matris, filiæ, vel ſororis debet confiteri in-
ceſtum commiſiſſe in primo gradu: nam hoc
caſu Confeſſarius non poteſt deuenire in cogni-
tionem perſonæ in indiuiduo, cum qua peccauit
pœnitens; quia in primo gradu eſt inceſtus cum
matre, filia, ſorore, ac nouerca, vt habetur ex
Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 4. nu. Quod
puto verum, niſi pœnitens haberet tantùm ma-
trem, vel ſolam ſororem, filiam, aut nouercam,
& non aliam coniunctam in primo gradu; quo-
niam tunc Confeſſarius deueniret in cognitio-
nem complicis in indiuiduo.

Tertiò limitatur, vt licèt pœnitens non poſſit
36 proprio Confeſſario peccatum aperire, quin
complicis, aut alterius peccatum reuelet; non
tamen ob hanc ſolam cauſam poterit extraneo
Confeſſario confiteri ſi priuilegium non habeat
abſq; proprij Parochi, aut alterius, ad quem per-
tinet facultate, vt rectè docet *Palud. in 4. d. 16.
q. 3. & Nauar. in d. cap. 7. nu. 5. in fin. & in cap.
Sacerdos, & cap. fin. de pœnit. d. 6.*

Quartò limitatur ipſa concluſio, vt quamuis
37 pœnitens regulariter non poſſit aliena peccata
in confeſſione reuelare; id tamen poterit ad ſibi
conſulendum, & ad petendum remedium; vt ſi
Puella moleſtè ab aliquo ad turpitudinem ſoli-
citetur, manifeſtare illum in confeſſione citra
culpam poſſet: quia non ſolùm in confeſſione;
ſed extra confeſſionem poteſt quis ad protegen-
dam ſuam virtutem id agere. Hoc ipſum fieri
poteſt ad conſulendum ſaluti alterius, vt ſcilicet
Confeſsarius pro eo oret, illum corrigat, aut
moneat ſecretè: quod etiam poteſt hac bona in-
tentione idem Confeſsarius à pœnitente; dum-
modo eum non cogat, vt habetur ex *Io. Andr. &
Henr. Boich. in explic. noſtri canonis, ſub nu. 14.
& Sot. loco citato*, qui etiam addit non ſolum
ei, qui prodeſse poteſt, & non obeſse licitam eſse
peccati alterius reuelationem in tali caſu; verùm
etiam illi, qui obeſse poteſt: nam qui iniuriam
alteri intentat, ſaltē quando in illa perdurat ius
amittit propriæ famæ; atque ideò alterius habet
ſe defendendi.

38 Quartò limitatur in crimine hæreſis: nam hoc
caſu *Io. Andr. hic, ſub nu. 4.* putat poſſe pœni-
tentem reuelare hæreticum in confeſſione.

Sextò limitatur, vt contraria opinio citra
omnem culpã practicari poſſit quoad reuelatio-
nem complicis; quia eſt communior, & habet
39 pro ſe Doctores maximæ auctoritatis. Dixi
quoad reuelationem complicis, quia quoad re-
uelationem alterius contraria ſententia non eſt
communis: & multi, qui tenent licitam eſse re-
uelationem complicis in confeſſione; id tamen
negat quoad reuelationem eius, qui non eſt com-
plex, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp.
34. ſec. 2. nu. 14.* vbi *nu. 15.* addit, ſæpè eſse ne-
ceſsarium explicare perſonam ad declarandam
circumſtantiam aliquo modo diminuentem, vt ſi
quis confiteatur infamaſse aliquem, & addat ſe
verum dixiſse licèt iniuſtè: nam illud additum
determinat peccatum ad circumſtantiam mino-
ris malitiæ: ſiquidem grauius peccaſset, ſi falſum
dixiſset. Verùm hoc locum ſibi vendicat, quando
citra detrimentum famę alterius fieri poteſt: aliàs
ſi detrimentum eſset tertiæ perſonæ, non debet
talem circumſtantiam explicare; etiam iuxta
mentem Doctorum, qui ſunt contra noſtram opi-
nionem: quia quamuis peccatum ſimpliciter di-
catur ſine illo additamento, Confeſsarius tamen
intelligit, vt minimum habere illam malitiam in-
iuſtitiæ. Ita *Suar. ibidem.*

Septimò limitatur in caſibus, in ſequenti *ſec.*
contentis.

An liceat Confeſsario vti notitia confeſſionis de licentia pœnitentis ad corrigendum complicem, vel in bonum aliorum.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Notitia confeſſionis de licentia pœnitentis Confeſſa-*

ſeſſarium vti non poſſe ad corrigendum com-
plicem, vel in alium bonum, qui docent.

2 *Confeſſarius non poteſt vti notitia confeſſionis*
citra iniuriam Sacramenti pœnitentiæ, &
magnum ſcandalum.

3 *Correctio, vt ſit vtilis, & neceſſaria debet pro-*
cedere ex notitia certa.

4 *Vſum notitiæ confeſſionis eſſe licitum Confeſſa-*
rio de licentia pœnitentis in graui cauſa ſeclu-
ſo ſcandalo, & ſeruatis debitis circumſtantijs,
eſt ſententia communis.

5 *Pœnitens ex legitima cauſa poteſt Confeſſario*
extra confeſſionem totum factum cum circum-
ſtantia complicis narrare, & eidem dare li-
centiam de illo loquendi; & multo magis in
confeſſione.

6 *Sigillum confeſſionis impoſitum eſt directè in*
fauorem pœnitentis, cui ex iuſta cauſa cedere
poteſt.

7 *Ius habens in foro externo accuſandi aliquem*
de aliquo delicto, habet pariter ius accuſandi
cum manifeſtatione ſui complicis, ſi aliter cri-
men plenè agnoſci non poteſt.

8 *Incarnatio Verbi diuini quæ eſt ſuperioris ordi-*
nis fuit ordinata ad ſalutem hominum, quæ
comparatione incarnationis eſt res inferioris
ordinis.

9 *Confeſſarius non ſolùm de licentia pœnitentis*
poteſt vti notitia confeſſionis, ſed aliquando
debet, & tenetur.

10 *Confeſſarius vt poſſit vti notitia confeſſionis,*
ſatis eſt ſi obtineat licentiam à pœnitente, ſiuè
in confeſſione, ſiuè extra confeſſionem.

11 *Confeſſarius ad hoc, vt de licentia pœnitentis*
poſſit vti notitia confeſſionis quomodo ſibi con-
ſulere debet.

12 *Circumſtantiæ quæ concurrere debent, vt Con-*
feſſarius de licentia pœnitentis vti poſſit no-
titia confeſſionis.

13 *Confeſſarius de licentia pœnitentis poteſt vti no-*
titia confeſſionis pro bono pœnitentis, aut com-
plicis tantum, non autem alterius.

14 *Pœnitens, qui propinauit venenum matri gra-*
uidæ, quid exprimere debeat.

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam
prima ſententia eſt *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5.*
ad 4. Maior ibidem, d. 21. q. 2. Bann. 2. 2. q.
33. art. 8. dub. 6. par. 1. concl. 4. Angel. ver. Con-
feſſio 1. nu. 3. Roſel. eo. ver. nu. 6. & aliorum ne-
gantium poſse Confeſsarium vti notitia confeſ-
ſionis etiam de licentia pœnitentis ad corrigen-
dum complicem, vel in aliorum bonum. Pro-
bant eorum ſententiam primò, quoniam ſi id
licitum eſset Confeſsario, eſset quidem in duo-
bus caſibus, primò pro vtilitate complicis, vt ſci-
licèt ipſius Confeſsarij conſilijs corrigatur, & de-
ſinat à moleſtia quam infert pœnitenti eiuſdem
complici, aut alteri ad alliciendum eum, ac ad
ſollicitandum ad peccatum: ſecundò ob vtilita-
tem ipſius pœnitentis ad capiendum auxilium,
vel conſilium, quo ſe defendat ab ipſo complice:
at neutro modo licitum eſt Confeſsario vti no-
titia confeſſionis de licentia pœnitentis, ergò,
&c. Non poteſt dici primum, quia pœnitens non
habet ius in famam ſui complicis, vt poſſit licen-
tiam dare ſuo Confeſsario ad eum corrigendum;
nam id eſset eum infamare apud ipſum Confeſ-
ſarium, quod ex ſe intrinſecè malum eſt. Nec
dici poteſt ſecundum, quia ſi hoc ſciat complex,
iuſtiſſimam cauſam haberet ſcandalizandi, &
confeſſio ſacramentalis apud ipſum exoſa redde-
retur. Non igitur poteſt Confeſsarius vti notitia
confeſſionis, etiam de licentia pœnitentis ad
corrigendum complicem, vel in bonum alio-
2 rum. Secundò Confeſsarius non poteſt vti notitia
confeſſionis, vt ſupra citra iniuriam Sacramenti
pœnitentiæ, & citra magnum ſacrilegium; non
ergò poteſt ea vti ad fines ſupradictos etiam de
licentia pœnitentis. Clara conſequentia. Proba-
tur antecedens; quoniam negari non poteſt, quin
id multum deroget ſigillo confeſſionis. Nec pœ-
nitentes poſsunt licitè dare huiuſmodi licentiam
ad loquendum extra confeſſionem de rebus in
confeſſione auditis, & ad tertium ſpectantibus,
qualis eſt complex ſui criminis: Etenim repu-
gnat hoc ſanctitati Sacramenti, & datur cauſa, vt
Sacramentum huiuſmodi odioſum, ac oneroſum
fidelibus efficiatur, & anſa Confeſsarijs prædicta
licentia abutendi, vltra quòd complices poſsent
exiſtimare Confeſsarium citra pœnitentis facul-
3 tatem id egiſse. Tertiò quoniam correctio, vt ſit
vtilis, ac neceſsaria debet procedere ex notitia
certa, aliàs non poteſt eſse efficax, nec vtilis; at
notitia confeſſionis quoad forum externum certa
eſse nequit, atque adeò facile poſset complex id
negare. Denique confirmatur; quoniam per-
uerſio ordinis eſt, vt confeſſio, quæ iure ſuper-
naturali, ac Diuino ordinatur in bonum tantùm
pœnitentis, ordinetur in bonum alienum, nempè
complicis, & in correctionem fraternam illius.

His tamen non obſtantibus contrariam ſen-
4 tentiam puto de iure veriorem eſse, quam tenent
Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 34. ſec. 4. nu. 4. Henriq.
lib. 2. de pœnit. cap. 10. nu. 1. & 2. Capreol. in 4.
d. 21. q. 2. art. 3. ad 3. contra tertiam concluſio-
nem, Gabr. ibidē d. 17. q. 1. art. 2. concl. 5. Aſtienſ.
lib. 5. tit. 12. Nauar. in Man. cap. 7. nu. 7. Syluest.
ver. Confeſſio 1. §. 24. & alij, quos refert, & ſe-
quitur *Fagund. de precep. Eccleſ. precep. 2. lib. 5.*
cap. 2. nu. 2. Volunt enim præfati Doctores, &
ſequaces, vſum notitiæ confeſſionis eſse licitum
Confeſsario de licentia pœnitentis in graui cauſa,
ſecluſo ſcandalo, & ſeruatis debitis circumſtan-
tijs: & hanc ſententiam communem eſse, tùm
Theologorum, tùm etiam Summiſtarum teſtatur
idem *Fagund. loco citato.* Probant hanc opinio-
nem primò, quoniam huiuſmodi vſus non eſt per
ſe malus cum tendat in bonum ſpirituale ipſius
complicis, nec aliqua lege reperitur prohibitus:
ergò confeſſionis notitia eo caſu vti licitè poteſt
Confeſsarius. Confirmatur, quia talis vſus non
eſt contra ſigillum confeſſionis, cùm agatur de
rebus in confeſſione auditis ad bonum compli-
cis, cum quo agendum eſt negotium ſub eodem
ſigillo: & quamuis complex id moleſtè ferat;
nihilominus ratione connexitatis criminis, quod
ſponte commiſit, huic oneri etiam inuitus ſubij-
citur. Denique neque ex eo, quòd Confeſsarius
in caſu de quo agitur, vtitur notitia confeſſionis,
ob id abſolutè ſumptum Sacramentum pœni-
tentiæ redditur oneroſum, cùm leuet pœnitentis
onus, & proſit complici, cùm ad ſuum bonum
actio illa ordinetur: & propterea ſi ſimplex id
egrè ferret, irrationabile eſset.

Reſtat

Digitized by Google

Reſtat modo, vt ad argumenta reſpondeamus.

AD primum negatur minor, & ad probationem dicitur, quòd poteſt pœnitens ex le-
5 gitima cauſa, & propter ſuum bonum, ac etiam complicis narrare Confeſſario extra confeſſionem totum factum cum circumſtātia complicis, quoniam id non eſt infamare complicem, ſed proſpicere bono illius, atque ideò poteſt eidē Confeſſario dare licentiam de illo loquendi, quando oportuerit: ergò multo magis pœnitens poterit Confeſſario huiuſmodi licentiam dare in confeſſione, quàm extra illam, vt rectè declarat *Fagund. loco citato in reſp. ad primum argum.* Nec ex eo confeſſio fieret oneroſa: nam ſi oneroſa foret, talis eſſet pœnitenti, vel complici: non poteſt dici primum, quoniam ipſe pœnitens eſt, qui ſua libera voluntate vult vti induſtria Confeſſarij ad ſupradictum finem: nec poteſt dici ſecundum, nam complex non poſſet rationabiliter conqueri, cùm id cedat in bonum illius, nec caritas fiat oneroſa proximo; alioquin nullus eſſet corrigendus. Vndè ſi complex ſcandalizaretur, ſcandalum eſſet paſſiuum, non autem actiuum; atque ideò propter illud non ſemper
6 ſunt opera caritatis dimittenda. Ad ſecundum negatur antecedens, & ad probationem reſpondemus, quòd ſigillum confeſſionis impoſitum eſt directè in fauorem pœnitentis, cui poteſt cedere ex cauſa iuſta, & in bonum proprium, vel etiam complicis. Nec obſtat ſi dicatur, quòd licentia pœnitentis ſatis eſſet in ijs, quæ ad illum tantùm pertinent, ad tollendam obligationem ſigilli: non autem in ijs, quæ pertinent ad perſonam complicis; & proindè neceſſaria eſſet etiam licentia complicis adhoc, vt Confeſſarius vti poſſit notitia confeſſionis ad bonum pœnitentis, & complicis, de cuius re etiam agitur, & ſigillum quoad hanc etiam partem in fauorem ipſius complicis eſt introductum; Quoniam reſpondetur, quòd complex nullum ſecretum commiſit Confeſſario in confeſſione, vel extra illam; ſed ſolùm pœnitens, atque ideò licentia à pœnitente duntaxat venit impetranda: & iniuſtè conqueretur de ea re complex, tùm quia res ipſa tendit in bonum ipſius, vel pœnitentis; tùm etiam quia cùm voluntariè ipſe complex ſe fecerit ſocium criminis, velit, nolit, voluntariè quoque, quantum in ipſo eſt, ſe ſubdit cognitioni illius in vtroque foro, tàm externo, quàm interno: quapropter pœnitens cùm ius habeat manifeſtandi ſe ipſum, habet etiam ius manifeſtandi circumſtantiam delicti, & perſonam complicis iuxta ea, quæ ſupra dixi-
7 mus. Etenim in foro quoque externo, qui habet ius accuſandi aliquem de aliquo delicto, habet pariter ius accuſandi illum cum manifeſtatione ſui complicis, quando ſine tali manifeſtatione crimen plenè agnoſci non poteſt. Ad tertium reſpondetur, quòd correctio, de qua agitur non eſt iudiciaria, ſed extraiudicialis, ad quam ſatis eſt notitia confeſſionis; atque ideò non exigitur notitia certa. Ad vltimum dicitur ex *Fagund.* vbi ſupra *ſub nu.* 10. quòd id non videtur incon-
8 ueniens: ſiquidem Incarnatio Verbi Diuini, quæ eſt ſuperioris ordinis, ordinata fuit ad ſalutem hominum, quæ comparatione incarnationis Diuinæ res eſt inferioris ordinis. Et caritas proximi propter Deum non eſt finis inferior ipſa confeſſione, quando vtrumque ordinatur ad Dei gloriam, vt in vltimum finem. Vndè his reiectis firma remanet concluſio, quòd licitum eſt Confeſſario vti notitia confeſſionis de licentia pœnitentis ad bonū eiuſdē pœnitentis, aut complicis.

Ampliatur hæc concluſio, vt adeò licitum ſit
9 Confeſſario de licentia pœnitentis vti notitia confeſſionis ad bonum pœnitentis, aut complicis, vt non ſolùm poſſit; ſed etiam aliquando debeat, & teneatur illa vti, & ipſe pœnitens teneatur licentiam prædictam Confeſſario concedere. Dixi *Non ſolùm poſſit, ſed etiam aliquando debeat, &c.* Quoniam aliud eſt Confeſſarium poſſe licitè vti notitia confeſſionis de licentia pœnitentis: & aliud ad hoc teneri, & obligari Confeſſarium. Etenim primum ſæpiſſimè ob graues cauſas occurrentes poteſt contingere: ſecundum verò rariſſimè contingere poteſt, ſvt neceſſitas pœnitentis, & complicis tanta ſit, & tàm grauis, vt caritas obliget ſub peccato mortali ad hanc opem ferendam, vel per ſe, vel per alium, vt benè declarat *Fagund. loco ſupra relato, n.* 11.

Secundò ampliatur eadem concluſio, qui ad
10 hoc, vt Confeſſarius vti poſſit dicta notitia de licentia pœnitentis ſatis eſt ſi licentiam obtineat ab ipſo pœnitente, ſiuè eam obtineat in confeſſione, ſiuè extra confeſſionem, vt contra *Bann.* 2.2.*q.*33.*art.*8.*dub.*8. *Ludouic. Lopez* 1.*p. inſtr. cap.*36.*concl.*4. *& Turrecram. in cap. Sacerdos de pœnit. d.* & alios docet *Fagund. vbi ſupra, ſub nu.* 5. Non enim oportet, vt pœnitens prius reuelet perſonam complicis extra confeſſionem, & deindè concedere dictam licentiam, vt volunt præfati Doctores, ne complex ſcandalizetur, & apud eum redderetur odioſa confeſſio, quando ageretur de emendatione complicis, & vt Confeſſor defendat pœnitentem ab importuna illius inſectatione, vel vt ab illo aliquam ſatisfactionem pœnitens conſequatur. Etenim *Fagund.* ait, iniuſtam eſſe rationem ſcandali, indè acceptam eo caſu, & temeraria ſuſpicio de reuelatione ſigilli.

Tertiò ampliatur ipſa concluſio, vt de licentia
11 pœnitentis poſſit Confeſſarius vti notitia confeſſionis non ſolùm ad emendationem complicis, vt ſcilicèt deſiſtat ab importuna inſectatione pœnitentis, & vt emendetur, vel vt ab eo pœnitens ſatisfactionem aliquam accipiat, vt ſupra diximus; ſed etiam ad vtilitatem pœnitentis dumtaxat, ad capiendum conſilium, aut auxilium occulta illa conſultatione, & in foro ſacramentali habita. Etenim ſigillum confeſſionis impoſitum eſt directè in fauorem pœnitentis dumtaxat, cui poteſt cedere ex cauſa iuſta, & in bonum proprium, vt ſupra diximus in *reſp. ad* 1. & habetur ex *Fagund. ſub d. num.* 5. 6. 7. *&* 8. qui tantùm relatis caſibus ait licitum eſſe Cōfeſſario de licentia pœnitentis vti notitia confeſſionis: quam quidem licentiam expedit aliquando, vt Confeſſarius in ſcriptis obtineat, ne fortè mutatus pœnitens neget ſe illam dediſſe: & rarò per ſe ipſum ferat opem, niſi in defectum alterius, qui id commodè, & rectè facere poſſit; quamnis vt plurimum ob temporis anguſtias, grauitatem negotij, & perſonarum non expediat, vt id per alium, & non per ſe ipſum exequatur: quo caſu debet rem Deo commendare, cautè, ac prudenter agere: nec ſe multum torquere de alieno honore cum periculo proprij honoris, &

contra

contra ſui ſtatus decentem grauitatem. Imò Confeſſarius ipſe nō debet eſſe facilis ad ſe ipsū offerendum in hac re; quin potius ſi pœnitens id ab eo petat, reſpondeat, vt ipſe potius complicem corripiat, aut quærat virum probum, per quem id efficiat; quoniam licèt id licitè fieri poſſit per Confeſſarium; ſæpè tamen non expedit, vt habetur ex *Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 10. nu. 8. & cap. 23. §. 1.* quem refert *Fagund. d. nu. 6.*

Sic ampliata limitatur ſupradicta concluſio, vt
12 ita demum Confeſſarius de licentia pœnitentis poſſit vti notitia confeſſionis in dictis caſibus, ſi ſequentes concurrant circumſtantiæ. Prima eſt, quam exigit, *D. Thom. opuſc. 12. c. 6. & Nauar. cap. 7. ſua ſum. nu. 7.* nempè, vt prius pœnitens præmittat correctionem fraternam complicis, ſi commodè poſſit, cum ſpe fructus, & citra proprium periculum. Secunda circumſtantia eſt, vt ita demum Confeſſarius vti poſſit notitia confeſſionis de licentia pœnitentis ad corrigendum complicem, quando pœnitens per ſe commodè eum corrigere nequeat, & creditur Confeſſarij correctionem profuturam. Tertia eſt, vt pœnitens à Confeſſario moneatur, vt id ſibi extra confeſſionem dicat, vt poſſit liberius de ea reloqui: quòd ſi nolit, & malit in confeſſione id ipſum dicere, tunc poterit licitè fieri propter bonum complicis, modo id fiat cum maxima prudentia, & cautela, vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato, ſub nu. 4.* vbi *nu. 7.* addit etiam, quòd ob pęnitentis vtilitatem ad petendum auxilium, vel conſilium, vel ad habendam aliquam ſatisfactionem à complice, facilius licitum erit reuelare crimen, & perſonam complicis Confeſſario prudenti, & probo, qui poſſit prodeſſe, & non obeſſe: ſiquidem differt hic caſus à ſupra relato, *ſec. preced.* quoniam in hoc pęnitens directè, & ex intentione reuelat perſonam complicis ad capiendum conſilium, &c. in illo directè, & ex intentione reuelat peccatum, & ex conſequenti circumſtantiam complicis.

Secundò limitatur, vt Confeſſarius vti poſſit
13 de licentia pœnitentis notitia confeſſionis pro bono pœnitentis, aut complicis dumtaxat, non autem pro bono alterius, qui non ſit complex: quoniam pęnitens licèt ſupradictis caſibus poſſit reuelare complicem, non tamen poteſt reuelare alium, qui non ſit complex, etiam ſi pęnitens tale commiſit peccatum, quod non poteſt plenè in confeſſione explicare, niſi explicando ſimul Confeſſario circumſtantiam perſonæ, circa quam illud commiſit, non quia illa fuerit ſocia, & complex ſui criminis, ſed quia fuit obiectum illius. Vt ſi filius Matrem grauidam ex illicito coitu, vel patrem concubinarium veneno occiderit; Etenim Doctores antiqui ſemper loquuti ſunt de complice, non de perſona obiectiua, aut alia eiuſmodi. Vndè in caſu, de quo agitur, ſatis eſt ſi pęnitens in confeſſione dicat ſe hauſtum veneni propinaſſe in perſonam ſibi valdè coniunctam, atque propinquam non nominando matrem grauidam, aut patrem concubinarium; quia pęnitens ipſe citra culpam huiuſmodi perſonarum peccata reuelare nequit in confeſſione non ſolum citra detractionem materialem, ſed etiam formalem: ſiquidem peccatum matris, aut patris non pertinet ad peccatum filij in ratione culpæ; quoniam perſona matris, aut patris non fuit complex, aut ſocia delicti filij, vt rectè declarat *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 34. ſec. 2. nu. 14.* quem contra *Sot.* & alios ſequitur *Fagund. vbi ſupra, ſub nu. 12.* Puto tamen,
14 quòd ſi pęnitens venenum propinauit Matri grauidæ, non eſſe ſatis ſi confiteatur ſe veneno occidiſſe perſonam valdè coniunctam; niſi ſimul dicat fuiſſe grauidam, niſi Confeſſarius ex huiuſmodi circumſtantia deueniret in cognitionem ipſius Matris.

An quando crimen perſonæ circa quam pęnitens commiſit peccatum, fuit publicum in vno loco, poſſit licitè in alio illud in confeſſione explicare manifeſtando perſonam.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Crimen proximi citra culpam manifeſtari poteſt in vno loco, quod in alio eſt publicum.*

2 *Crimen perſonæ obiectiuæ circa quam pœnitens commiſit peccatum, quando fuit publicatum in vno loco, poteſt citra lethalem culpam in alio, vbi eſt occultum in confeſſione explicare manifeſtando perſonam.*

3 *Explicans in confeſſione perſonam circa quam peccauit in loco, in quo crimen eſt occultum, neq; peccat venialiter, ſi fuit publicatū in alio.*

4 *Notorium, manifeſtum, & quod famoſum eſt, publicum eſt.*

5 *Peccatum occultum iniuſtè, & per iniuriam diuulgatum in vno loco, non poteſt licitè diuulgari in alio, vbi eſt occultum.*

6 *Pœnitens manifeſtans crimen perſonæ obiectiuæ quod fuit in vno loco publicum, in loco vbi ignoratur, ſi id non ex rationabili cauſa agat, ſed ex leuitate peccat venialiter; & ſi malo animo, mortaliter.*

AD tituli quæſtionis explicationem ponamus caſum: quòd Meuiæ concubinatus
1 adeò fuerit publicum in hac Ciuitate Capuæ, vt ob id fuerit in iudicio publica auctoritate punita. Filius ipſius Meuiæ propinauit ei venenum in eodem loco, poſtea ſe contulit Germaniam, ibique domicilium ſibi conſtituit, & confiteatur. Quæritur, an in confeſſione poſſit licitè dicere ſe propinaſſe venenum matri ſuæ propter tale concubinatus crimen, quod Capuæ fuit publicum. Hanc controuerſiā ponit *Fagund. de præcep. Eccleſ præcep. 2. lib. 5. cap. 3.* cuius determinationem inquit pendere ex determinatione illius quæſtionis, in qua quæritur; An poſſimus licitè, ac citra culpam manifeſtare crimen proximi in vno loco, quod in alio publicum eſt.

Ad hanc difficultatem reſpondetur breuiter
2 affirmatiuè. Probatur, quia reuelare crimen publicum in eo loco, vbi ignoratur non eſt peccatum mortale contra iuſtitiam, nec contra caritatem, vt habetur ex *Caiet. tom. 2. opuſc. 31. reſp. 9. Maiore in 4. d. 21. q. 2. Nauar. in Man. cap. 18. nu. 26. Fagund. loco citato nu. 14.* & ex alijs. Etenim, qui in vno loco publice infamatus eſt, ipſe cauſa fuit talis infamiæ, & publicitatis illius; atque ideò ipſe ſibi debet imputare infamiam, quam in alio loco, vbi crimen ignoratur, ex publicatione illius incurrit: ſiquidem vbi prius tun

ille dedit cauſam publicitatis criminis videtur parum curaſſe propriam infamiã: & proindè tàm in illo, quàm in alio loco ius amiſit ad bonam famam, nec iuſtus poſſeſſor illius dici poteſt in quocunque alio loco, quia poſſideret eam ſine iure. Ergò idem dicendum eſt in caſu, de quo agitur, vt quando crimen perſonæ obiectiuæ circa quam pœnitens commiſit peccatum, fuit publicatum in vno loco, poſſit citra lethalem culpam in alio vbi eſt occultum in confeſſione explicare manifeſtando perſonam; quoniam in vtroque caſu militat eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

Ampliatur hæc concluſio primò, vt non ſolùm
3 pœnitens eo caſu citra lethalem culpam poſſit perſonam obiectiuam in confeſſione manifeſtare; ſed etiam citra omnem culpam etiam venialem, atque adeò licitè, ſi id agat ad maiorem tranquillitatem propriæ conſcientiæ; etenim nullam iniuriam tali perſonæ dicitur inferre, nec contra iuſtitiam, nec contra caritatem agere; quoniam habet ius ad pacificandam conſcientiam ſuam: & perſona illa iam eſt infamis, & ius amiſit ad bonam famam. Ita in ſpecie *Fagund. d. cap. 3. ſub nu. 17.* & id puto verum, ſiuè crimen illud publicum ſit in illo alio loco poſt breue, ſiuè poſt longum tempus diffamandum, & perſonis, qui nihil de illo ſciebant diuulgandum: ſiquidem Doctores qui excuſant à mortali culpa reuelantem crimen publicum in eo loco vbi ignoratur, vt *Caiet. Nauar. Maior*, quos ſupra retulimus, & alij nihil diſtingunt de publicatione, ſeù diffamatione illuc breui, ac poſt longum tempus peruentura: & ratio quam adduximus ad probandam noſtram concluſionem militat, ſiue in illum alium locum breui, ſiuè poſt longum tempus, ſiuè nunquam crimen diuulgetur, vt rectè contra *Leſſ. & Petr. Nauar.* probat *Fagund. loco citato, ſub nu. 14.*

Secundò ampliatur eadem concluſio, vt locum
4 ſibi vendicet, ſiuè delictum commiſſum ſit publicum in loco commiſſi delicti, ſiuè notorium, ſiuè manifeſtum, ſiuè famoſum. Nam pœnitens licitè poteſt manifeſtare perſonam circa quam, ſeù obiectiuam ſui peccati ad maiorem tranquillitatem propriæ conſcientiæ, etiam ſi perſona ipſa obiectiua in illo alio loco, vbi delictum non erat diuulgatum in confeſſione manifeſtata à Confeſſario cognoſcatur. Etenim quod eſt notorium, manifeſtum, & famoſum eſt publicum: nam publicum dicitur quod eſt notorium iuris, vel facti, manifeſtum, vel famoſum. Notorium iuris appellatur, quod eſt deductum in iudicio, & conſtat per ſententiam: notorium verò facti eſt quod nititur ſcientia maioris partis viciniæ, Collegij, vel Monaſterij; dummodo decem perſonæ ſaltem inueniantur in vicinia, Collegio, vel Monaſterio. Manifeſtum dicitur quòd nititur fama eiuſdem maioris partis orta à ſcientibus. Famoſum denique eſt, quod nititur fama maioris partis, orta ex vno ſcienti, vel ex indicijs, vel ex præſumptionibus illis æquipollentibus, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 27. ſub nu. 255. Sanch. lib. 2. in Decal. cap. 11. nu. 19. Sayr. lib. 2. Theſauri tom. 1. cap. 12. nu. 19.* vbi etiam ait, quòd publicum dicitur delictum, quod notum eſt decem teſtibus. Vndè factum coram quinque dicitur occultum, vt notat *Gloſ. in cap. quis aliquando, §. hac ergò, ver. Secreta, de pœnit. d. 1. Nauar. loco citato*, & nos adnotauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 5.* quibus adde, quæ habentur ex *Fagund. d. cap. 3. nu. 2. & 3.* & in ſpecie, *nu. 17.*

Sic ampliata prædicta concluſio limitatur, vt
5 locum non habeat, vbi crimen perſonæ obiectiuæ occultum per iniuriam illius fuerit diuulgatum, & factum publicum, vt quia per iniquos teſtes citra ſufficientes probationes perſona obiectiua circa quam pœnitens commiſit peccatum fuit condemnata, aut in tormentis crimen ſuum occultum fuerit confeſſa: tunc enim puto pœnitentem non poſſe in alio loco, vbi crimen eſt occultum manifeſtare perſonam ipſam obiectiuam in confeſſione, etiam ad maiorem tranquillitatem propriæ conſcientiæ. Etenim peccatum occultum iniuſtè, & per iniuriam diuulgatum in vno loco non poteſt licitè diuulgari in alio loco, vbi eſt occultum, vt contra *Leſſ.* docet *Fagund. loco citato, ſub nu. 6.* ſequutus *Sot. lib. 5. de Iuſt. & iure, q. 10. art. 1. Nauar. in Man. cap. 18. nu. 26. in fine, & Petr. Nauar. lib. 2. de reſtit. cap. 4. nu. 290.* Etenim prima infamia ſicut iniurioſè, & contra iuſtitiam fuit facta; ita quoq; iniurioſè, & contra iuſtitiam publicatur, & continuatur; atque ideò tractu temporis non deſinit actio illa eſſe iniuſta, quæ à principio iniuſta fuit. Et licèt conſecutiuè crimen occultum fiat publicum, vt *Leſſ.* arbitratur; ſemper tamen huiuſmodi publicitas fit contra iuſtitiam, cùm qui crimen commiſit occultum cauſam publicitatis non dederit. Eſt tamen verum, quòd qui poſt tormenta crimen confeſſum ratificaret citra metum aliorum tormentorum, & ita diuulgaretur, tunc veram eſſe dicimus ſententiam *Leſſ.* quoniam dedit cauſam iuſtæ diuulgationis, vt rectè declarat idem *Fagund. d. nu. 6.*

Secundò limitatur, vt ita demum pœnitens
6 poſſit crimen perſonæ obiectiuæ ſui peccati publicum in vno loco, in alio loco, vbi ignoratur in confeſſione manifeſtare, ſi iuſta, ac rationabilis cauſa ſubſiſtat, nempè ſi id agat ad maiorem tranquillitatem propriæ conſcientiæ, aut propter aliud bonum: ſecus autem ſi perſonam huiuſmodi manifeſtet citra vllam rationabilem cauſam, ſed ex leuitate; quoniam tunc ad minus culpam contrahit venialem; & ſi malo animo manifeſtet in lethalem culpam incidit; atque ideò nulliter conſitetur. Siquidem peccatum publicum in vno loco ſi quis manifeſtet in alio, vbi ſit occultum citra rationabilem cauſam, ſed ex leuitate, ad minus leuem culpam contrahit: & ſi malo animo id agat, mortaliter peccabit. Eſt enim contra rectam rationem infamatum, de nouo infamare, & eius vulnera renouare contriſtando fratrem. Vndè ſi hæc manifeſtatio non fiat malo animo, ſed ex leuitate, culpa venialis procul dubio contrahitur: & ſi malo animo, vt noceat culpa mortalis: nam quicquid ex mortali intentione prouenit mortale eſt. Vndè ſi ex tali manifeſtatione malo animo facta negentur ei honores, priuetur bonis, aut in vinculis conijciatur, in quocunque loco etiam vbi crimen erat primò publicum illud enarretur nocendi animo, vt ſupra culpam lethalem contrahit enarrans; non tamen tenetur ad reſtitutionem; quod quomodo procedat, rectè declarat *Fagund. d. cap. 3. à nu. 7. ad 11.*

An

An aliquando Confeſſarius vti poſſit notitia confeſſionis citra licentiam expreſſã pęnitentis ad bonum, & emendationem complicis, vel ad impediendum aliquod damnum in bonũ ipſius complicis.

S E C. XI.

S V M M A R I V M.

1 *Notitia confeſſionis vti poſſe Confeſſarium citra pœnitentis licentiam expreſſam in eius bonum, & ad admonendum complicem, qui doceant.*

2 *Notitia confeſſionis vti non poteſt Confeſſarius citra pœnitentis expreſſam licentiam, nec in bonum eiuſdẽ pœnitentis, nec ipſius complicis.*

3 *Confeſſarius non poteſt reuelare pœnitentis innocentiam, quàm in confeſſione habuit abſque ipſius expreſſa licentia, etiam ſi ſciat ex tali reuelatione eum eſſe à mortis ſupplicio liberandum.*

1 IN hac re *Altiſiodorenſ. 4. tract. 6. cap. 2. q. 4.* ait, Confeſſarium in bonum pœnitentis poſſe citra illius expreſſam licentiam poſſe reuelare confeſſionem: & *Graff. lib. 1. Deciſ. aurear. cap. 23. nu. 13.* inquit hoc caſu ſatis eſſe tacitam. Vndè conſequenter dicerent quoque, licitum eſſe Confeſſario vti notitia confeſſionis citra licentiam expreſſam pœnitentis ad admonendum complicem, cùm admonitio huiuſmodi cedat in bonum pœnitentis; atque ideò hìc, & nunc, penſatis omnibus rationabiliter iudicari poteſt, de tali reuelatione contentum fore pœnitentem: etenim ſigillum confeſſionis introductum fuit in bonum pœnitentis, & in eiuſdem fauorem, cui rationabiliter videtur in ſuum bonum, & ſic tacitè videtur licentiam illam concedere.

His tamen non obſtantibus contrariam ſen-
2 tentiam puto veram, quam tenet *Suar. in 3. par. diſp. 34. ſec. 3. nu. 2. 5. & 7. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 5. Syl. ver. Confeſſio 3. nu. 6. Ledeſ. 2. 4. q. 10. art. 5. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 5. cap. 3. ſub nu. 20.* & alij dicentes, non poſſe Confeſſarium vti notitia confeſſionis citra expreſſam licentiam pœnitentis, nec in bonum eiuſdem pœnitentis, nec in bonum ipſius complicis. Etenim Confeſſarius eodem ſigillo tenetur quoad perſonam complicis, ac circa perſonam pęnitentis; nam omnia peccata, quæ pęnitens in confeſſione ſacramentali fuit confeſſus cadunt ſub ſigillo: ergò obligatur Confeſſarius eodem ſigillo tegere perſonam complicis, quo tenetur perſonam pęnitentis: ſiquidem complicis culpa, ſaltem obliquè eſt materia confeſſionis propriæ, atque ideò eſt materia ſigilli. Nec obſtat, quòd ſigillũ fuit introductum in bonum pęnitentis; quoniam fuit etiam introductum in honorem Sacramenti: & propterea magis attendendus eſt honor Sacramenti, quam vtilitas pęnitentis.

Ex hoc infertur, quòd pęnitens quamuis repe-
3 riatur carceratus pro crimine capitali, & condemnatus ad mortem, de quo ſit innocens, eiuſdemq; innocentiam ſciat Confeſſarius per viam ſacramentalis confeſſionis; nihilominus non poteſt reuelare Confeſſarius pęnitentis innocentiam citra illius expreſſam licentiam, etiam ſi certò ſciat per talem reuelationem, pęnitentem ipſum fore à mortis ſupplicio liberandum. Ita *Fagund. loco citato contra Altiſiodorenſ.* Non tamen nobis videtur *Graff.* ſententia loco ſupra relato impoſſibilis, dum ait, quod Confeſſarius iuſtè reuelare poteſt hæredibus, cuius ipſe confeſſionem excepit, ac ſibi mandauit, vt poſt eius obitum diceret eis, vt illud reſtituerent, quod ipſe alijs debebat: nam per tale mandatum cenſetur tacitè data facultas reuelandi cõfeſſionem; nec debet expreſsè conſtare de facultate; quoniam ipſe *Graff.* poſt alios ibi, putet, quòd in dubio præſumatur, quòd de licentia pęnitentis reuelatio facta ſit.

Ibi, *Solus*, De modo faciendi confeſſionem ſacramentalem ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ.

D I S P. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Dictio ſolus in hoc canone poteſt dupliciter intelligi.*

1 VIſum eſt ſupra de integritate confeſſionis annuæ præcepta in noſtro canone per dictiones illas, *Omnia ſua*, Et quoniam dubitari poterat de modo, quo confeſſio ipſa facienda ſit, meritò, ac competenti ordine de hac re Concilium ſtatuit in hoc eodem canone per præfatam dictionem, *Solus*. Ad cuius explicationem eſt adnot. quòd dictio illa, *Solus*, poteſt dupliciter intelligi: primò quòd Fidelis debeat confiteri ſolus, ideſt non ſimul cum alijs ad excludendam quandam malam conſuetudinem tunc temporis introductam, ſecundum quam plures ſimul ad confeſſionem accedebant, & ab vno, & eodem Confeſſario ſimul audiebantur, vt in *cap. quamuis*, & ibi *Gloſ. in fine, de pœnit. d. 1. & Io. Andr. in explic. noſtri canonis, nu. 5.* Secundò poteſt intelligi, vt confeſſio fiat ſecretò, & non publicè, de qua publica confeſſione habetur in *cap. 1. eo. tit. noſtro*, & in pluribus alijs canonibus, ac in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de confeſ. cap. 5.* Quocirca, ad totius rei euidentiam, diſputationem hanc per ſequentes ſectiones duximus explicandam.

An confeſſio debeat fieri ſecretò ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ in noſtro canone contento.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Auricularem, & ſecretam confeſſionem eſſe modum ſuperſtitioſum ab hominibus introductum eſt hæreticorum opinio.*

2 *Confeſſionem ſacramentalem de eſſentia debere fieri ſecretò ad ſatisfaciendum præcepto annuæ confeſſionis nonnulli docent.*

3 *Confeſſio ſacramentalis in ordine ad confeſſionem ita poteſt fieri ſecretè, vt non prohibeatur ex cauſa fieri publicè.*

4 *Modus ſecretæ confeſſionis non eſt ſuperſtioſus, ſed honeſtus ad Sacramentum pœnitentiæ ſatis congruus.*

5 *Modus ſecretæ confeſſionis, quamuis ſit ſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ, nihilominus non eſt neceſſarius neceſſitate Sacramenti, atque ideò eſt Sacramento eſſentialis.*

6 *Modus ſecretæ confeſſionis non ſolum non eſt neceſſarius neceſſitate Sacramenti, ac ex vi inſtitutionis, ſed nec quidē neceſſitate præcepti.*

7 *Modus ſecretæ confeſſionis licet non ſit inſtitutus, nec præceptus, nihilominus nō poteſt omitti citra iuſtam, ac rationabilem cauſam.*

8 *Cauſæ propter quas confeſſio publicè ſit numerantur.*

9 *Plures Confeſſarij ſi vnum pœnitentem audiant vnus tantum tenetur abſoluere, & alij æqualiter tenentur ad ſigillum.*

10 *Pœnitens ſi citra grauem, & iuſtam cauſam publicè confitetur, mortalem culpam cōtrahit.*

11 *Concilium per dictionem illam,* Solus *non percipit modum ſecretæ confeſſionis.*

12 *Plures Sacerdotes vnum pœnitentem audientes non poſſunt ſimul abſolutionem impendere ſub hac forma,* Nos te abſoluimus, *& ſi ſinguli dicant,* Ego te abſoluo, *primus complens formam abſoluit.*

13 *Dictio,* Solus, *de qua in hoc canone quid denotet.*

1 IN hac difficultate, omiſſa hæreticorum ſententia, nempè *Luth. & Calu.* qui auricularem, & ſecretam confeſſionem irridentes dicunt, talem confitendi modum eſſe ſuperſtitioſum, & ab hominibus introductum, cùm talis modus in ſacris litteris non inueniatur, & in primitiua Eccleſia non fuerit vſitatus: quod quidem colligunt ex antiqua conſuetudine agendi pœnitentias publicas pro peccatis; atque ideò inferunt, confeſſionem non fuiſſe habitam ſecretò in ordine ad remiſſionem peccatorum; ſed tantùm publicè in ordine ad correptionem, & publicam ædificationem. Omiſſa, inquam, huiuſmodi impia hæreticorum opinione, ſolùm Catholicorum in hac re ſententias referemus, & deindè quid nobis dicendū ſit, determinabimus.

2 Sunt igitur pugnantes opiniones inter Catholicos. Nam prima ſententia eſt *Ricchar. in 4. d. 17. art. 3. q. 8.* dicentis probabilem eſſe opinionē nonnullorum Catholicorum, exiſtimantium, eſſe de eſſentia confeſſionis ſacramentalis, vt ſecretò fieret. Vndè conſequenter dicerent, confeſſionem ſacramentalem debere fieri ſecretò ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ in noſtro canone contento. Etenim cōfeſſio annua, quæ vi noſtri canonis præcipitur debet habere illas conditiones eſſentiales, quæ ad eam exiguntur de iure Diuino; cùm præceptum prædictum non ſit merè Eccleſiaſticum; ſed ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum, vt latè ſupra oſtendimus *diſp. 1. ſec. 1. concl.* 8. & propterea talis debet eſſe qualis requiritur ad conſtituendam confeſſionem, quæ eſt vna ex partibus materialibus Sacramenti pœnitentiæ, vt ex communi omnium opinione diximus ſupra *diſp. 2. ſec. 7. in prin.* Imò *Angel. ver. Confeſſio 1. nu.* 29. Expreſsè ait, confeſſionem publicam eſſe contra præceptum Eccleſiæ; atque ideò contra præceptum noſtri canonis. Vndè ait confeſſionem neceſſariò eſſe faciendam ſoli Sacerdoti, & à ſolo. Hoc idem docet *D. Bonau. in 4. d.* 17. dicens, confeſſionem ſacramentalem ſoli, & in ſecreto eſſe faciendam. Probatur hæc ſententia ex noſtro canone per ſupradictam dictionem, *Solus*, dum ſtatuit, vt pœnitens peccata ſolus proprio Sacerdoti confiteatur: ergò modus ſecretæ confeſſionis eſt illi eſſentialis; itaut non aliter confeſſio fieri poſſit, niſi ſecretò. Confirmatur hæc eadem opinio ex conſuetudine, ac traditione vniuerſalis Eccleſiæ; quoniam ab initio naſcentis Eccleſiæ conſueuerunt fideles auriculari, ac ſecreta vti confeſſione: propter quod validum eſt argumentum id prouenire ex Chriſti inſtitutione: ergò ad ſatisfaciendū præcepto cōfeſſionis annuæ, de quo in noſtro canone, omninò exigitur, vt confeſſio fiat ſecretè: quoniā illa confeſſio vi ipſius canonis præcipitur, quæ eſt pars materialis Sacramenti pœnitentiæ, & à Deo eſt inſtituta, vt ſupra diximus.

Secunda ſententia eſt communis, vera, ac de

3 fide, quam docent *Ioan. Andr. Henr. Boich. & alij Canoniſtæ in explic. noſtri canonis, Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 21. ſec. 2. Conynch. diſp. 6. de qualitate confeſ. dub. 2. nu. 5. Fagund. de precep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. nu.* 11. & alij Theol. communiter, dicentes, confeſſionem ſacramentalem in ordine ad remiſſionem peccatorum, ita poſſe fieri ſecretè, vt non prohibeatur ex cauſa fieri publicè. Pro cuius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 MOdus ſecretæ confeſſionis non eſt ſuperſtitioſus; ſed honeſtus, & ad Sacramentum pœnitentiæ ſatis congruus. Hæc concluſio eſt contra ſupra relatos hæreticos definita in *Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap.* 5. vbi contrarium errorem expreſsè damnat. Confirmatur ex traditione, ac conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ, quæ in re tanti momenti non potuit errare: & eò magis quoniam huiuſmodi traditio, ſeù conſuetudo non eſt noua, ſed ortum habuit ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt habetur ex *Conc. Trid. loco cit. ex Conc. Cabilon. cap. 33. ex Leone Papa epiſt. 78. aliàs* 80. vbi grauiter reprehendit eos, qui peccatores cogunt ad publicè peccata eorum confitendum: ſiquidem antiqua conſuetudo imponendi pœnitentias publicas manauit ex ſecreta confeſſione alicuius criminis publicè commiſſi; ſeù publicas illas pœnitentias quidam volunt nō prouenille ex ſacramentali confeſſione, ſed ex iudiciali accuſatione, ac denunciatione: pro qua re multa cumulat *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 21. ſec. 2. nu. 2. cum plur. ſeq. Vaſq. ibidem, q. 90. art. 1. & q. 91. art. 4. dub. 1. à nu. 6. ad 9.*

SECVNDA CONCLVSIO.

QVamuis modus ſecretæ cōfeſſionis ſit ſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ; nihilominus non eſt neceſſarius neceſſitate

5 Sacramenti; atque ideò talis modus non eſt Sacramento eſſentialis. Hæc concluſio eſt contra Doctores primæ opinionis: eam tamen docent *D. Thom. quodlib. 1. art. 10. & in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 3. ad 2. Maior. ibidem, Palud. q. 2. art. 1. Adriani in 4. q. 1. de confeſ. ad 3. arg. Medina, C. de confeſ. q. de modo confitendi ſecretè, Cani relec. de pœnit. par. 1. §. ineodem quinto*, dum approbat confeſſionem factam per interpretem, *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. circa medium, Petr. Sot. 11. lectione de confeſ. Vega lib. 13. in Trid. cap. 28. Caſtr. lib. contra hæreſes, ver. Confeſſio, Caiet. in ſum. eo. ver. cond. 11. & tom. 1. opuſc. opuſ. vlt. reſp. 5. Syl. ver. Confeſſio 1. q. 15. & 20 Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 21. ſec. 2. nu. 9. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 4. dub. 1. nu. 2. Molfeſ. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 9. nu. 18. & cap. 11. nu. 13. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3.*

nu.3.cap.1.nu.11. Fillius.tom.1.qq.moral.tract.7. de confeſ.cap.1.n.11. & al ij. Probatur primò ex *Conc. Trid.ſeſſ.14.cap.5.* vbi docet Chriſtum Dominum non prohibuiſſe confeſſionem publicam, ſi pœnitens voluntariè illam ſubire velit, ita inquiens, *Etſi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, tùm ob aliorum exemplum, tùm ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſt tamen hoc Dimino præcepto mandatum.* Ergò modus ſecretæ confeſſionis in inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ à Domino non fuit præſcriptus; quia aliàs prohibuiſſet oppoſitum modum. Secundò confeſſio ſacramentalis fuit à Domino inſtituta, vt Confeſſarius tanquam verus medicus, & Iudex ſciat, & cognoſcat ſtatum conſcientiæ pœnitentis; hunc autem ſcire poteſt æquè benè, tam per confeſſionem publicam, quàm ſecretam; non ergò modus ſecretæ confeſſionis eſt neceſſarius neceſſitate Sacramenti, atque ideò eidem eſſentialis: & ad eſſentiam illius parum refert, quòd publicè, vel ſecretò fiat. Tertiò confeſſio quamuis fiat publicè; habet tamen rationem veræ accuſationis; ergò licèt fiat publicè eſt vera, ac ſacramentalis: ſiquidem ſacramentalis cõfeſſio eſt eſſentialiter accuſatio, vt ſupra diximus *diſp. 2. ſec.7. verſ. Dixi*, accuſatio, confeſſionis definitionẽ aſſignantes. Quartò dantur multi caſus, in quibus confeſſio ſacramentalis neceſsè eſt moraliter, vt publicè fiat ad obtinendam ſacramentalem abſolutionem, vt ſi non poſſet quis confiteri, niſi per interpretem: aut reperiatur in mortis periculo ex cauſa peſtis, aut naufragij, & non poſſit, niſi alta voce confiteri: ergò cùm hoc Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem conſtituto in lethali culpa, non eſt veriſimile voluiſſe Dominum ſuam Eccleſiam tali auxiliò eſſe deſtituram. Quintò ſi confeſſio publicè fieri non poſſet, non alia ratione id eſſet, niſi quia foret intrinſecè malum: vel contra caritatem propriam; neutro modo, ergò, &c. Non primum quoniam ſi talis modus eſſet intrinſecè malus, nullo euentu poſſet eſſe bonus, ac licitus; atque ideò confeſſio non poſſet fieri per interpretem, in qua non ſeruatur modus ille ſecretæ confeſſionis: nec pœnitens poſſet licentiam præbere Confeſſario conferendi peccatum cum alio doctori, etiam nominata perſona ipſius confitentis: & pœnitens pariter in articulo mortis conſtitutus, ſi aliàs confiteri non poſſit, non valeret peccata ſua alta voce confiteri: quæ omnia falſa ſunt, vt per Doctores, quos refert, & ſequitur *Suar. loco citato, nu.* 10. Nec etiam poteſt dici ſecundum, nam licèt modus publicæ confeſſionis afferat aliquod damnum infamiæ ipſi pœnitenti; illud tamen compenſatur maiori fructu humilitatis, confuſionis propriæ, ac ſatisfactionis: ergò nulla eſt ratio, cur talis confeſſionis modus ſit à pęnitentiæ Sacramẽto alienus; atque ideò modus ſecretæ cõfeſſionis ſit illi eſſentialis; ac neceſſarius neceſſitate Sacramenti.

TERTIA CONCLVSIO.

MOdus ſecretæ confeſſionis non ſolùm non eſt neceſſarius neceſſitate Sacramenti, ac
6 ex vi inſtitutionis; ſed nec quidem neceſſitate præcepti. Hæc concluſio eſt *Suar. in 3.par.tom.4.diſp.21 ſec 2 nu.2.* & aliorum. Probatur, quia ſi neceſſitate præcepti neceſſarius eſſet, id quidem aut eſſet ratione præcepti Diuini, vel ratione præcepti humani: neutro modo, ergò, &c. Non primum; quia ex inſtitutione Sacramenti id non colligitur, & illa ſeclusâ, non eſt vndè colligatur. Neque ſecundum, quoniam de hac re non reperitur præceptum aliquod Eccleſiaſticum: nam ſi id eſſet, colligeretur ex noſtro canone, per dictionem illam, *Solus*, ſed dictio illa præceptum aliquod non importat; ſiquidem illud quod dicitur in ipſo canone de confeſſione ſecretò à ſolo ſoli Sacerdoti facienda ſemel in anno. non eſt, vt ille modus ſecretæ confeſſionis ſub præcepto præſcribatur; ſed vt commendetur tanquam vtilior, & conuenientior inſtitutioni Chriſti Domini, & accommodatior ad tollenda ſcandala, & tuendam famam pœnitentis: non enim ibi imponitur præceptum de ſecretò, ſed de confeſſione ſemel in anno facienda, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccl precep.2.lib.3.cap.1. ſub nu.13.* vbi etiam reſpondet obiectioni, quæ fieri poſſet ex *Conc. Trid. ſeſſ 14.can.6.* dum de fide definierit, modum confitendi ſecretò ſoli Sacerdoti non eſſe alienũ ab inſtitutione Chriſti, & inquit, quòd Concil. intelligendum eſt, non eſſe contrarium, nec repugnare Diuino præcepto; imò eſſe illi conſentaneum, & conformem; quoniam ſuppoſita inſtitutione Diuina huius Sacramenti, ille modus cæteris omnibus conuenientior erat ad tollendas difficultates, & ſcandala, & ad conſeruandum honorem pœnitentium, vt ſupra diximus. Et infra latius dicemus in *reſp. ad primum argumentum ex d. noſtro canone.*

QVARTA CONCLVSIO.

MOdus ſecretæ confeſſionis licèt non ſit inſtitutus, nec præceptus, vt in præcedenti
7 concluſione oſtendimus; nihilominus non poteſt omitti citra iuſtam, ac rationabilem cauſam, vt habetur ex *Ricch. in 4 d 17art 3 q 8. Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. nu.20. Suar. in 3.p. tom.4.diſp.21.ſec.2.nu.12. in fine, Molfeſ par.1. ſuæ ſum. Theol. tract.7.cap.9. nu. 18. & cap. 11. nu.13. Fillius.tom.1.qq.moral.tract 7.de confeſ. cap.1. num. 12. in fin.* & ex aliis. Etenim, vt ait *D. Bonau. in 4.d.17.* quod confeſſio ſecretò fiat, non ſolùm id ei competit ex cauſis ſupra relatis in præcedenti concluſione; verum etiam quia Sacramento pœnitentiæ manifeſtantur peccata Sacerdoti, non vt manifeſtentur; ſed vt deleantur, & occultentur, quoniam caritatis confeſſio operit multitudinem peccatorum: & manifeſtantur Sacerdoti, vt Deo ad teſtimonium conſcientiæ internæ, atque adeò, vt homo totam conſcientiam reuelet homini tanquam Deo. Cauſa
8 autem faciendi confeſſionem publicam, ait idem *D. Bonau.* eſt enorme crimen, quod totam commouit Vrbem, & multo magis ſi totum commouit Orbem, qualis eſſet manifeſta hæreſis, aut aliud enorme crimen publicum, tunc pœnitentes poſſunt licitè confiteri in publico, vt ſolennis pœnitentia publicè imponatur. Item cauſa iuſta ad faciendum publicam confeſſionem licitè, & abſque peccato erit naufragium, bellum, incendium, ruina, aut ſimile repentinum periculum vitæ plurimorum: ſiquidem tunc omnes ſimul poſſunt confiteri, & Sacerdos omnes ſimul poteſt abſoluere dicens, *Ego vos abſoluo*, quo caſu omnes tenentur ad ſigillum confeſſionis reſpectiuè: imò tunc ſatis eſt ſi aliqua etiam leuiora

peccata

peccata confiteantur, & de reliquis conterantur;
atque ideò non erit neceſsè omnia ſingulorum
peccata à Confeſſario audiri, nec aliqua grauiora
ſed ſufficit ſi leuiora, vt habetur ex *Fagund. d.*
cap. 1. ſub nu. 14. Et quamuis è contra contingere
9 poſſit, vt plures Sacerdotes Confeſſarij vnum
pœnitentem audiant, quo caſu vnus tantùm debet
abſoluere, & alij tenentur ad ſigillum æqualiter,
cùm talis confeſsio ſit ſacramentalis, vt per *Syl.*
ver. Confeſſio 1. num. 23. & Fagund. loco citato
contra Scot. in 4. d. 17. nihilominus, qui pluri-
bus Sacerdotibus confiteretur prudenter non
ageret, tùm propter ſui diffamationem, tùm
etiam, quia de facili poſſet deueniri in publicum:
quia ſi Sacerdotes vellent pęnitẽtem malignare,
poſſent eſſe teſtes contra illum: vndè qui vellet
à pluribus audiri, vt clarificetur, dicat ſua pec-
cata ſucceſsiuè. Ita addentes ad *Angel. in ſua*
ſum. ver. Confeſſio 1. ſub nu. 29. litt. N. vbi enu-
merat duos alios caſus, in quibus confeſsio po-
teſt fieri publicè, & coram pluribus Sacerdoti-
bus. Quibus adde quæ infra dicemus in *reſp. ad*
primum.

QVINTA CONCLVSIO.

10 CONfeſsio ſacramentalis ſi citra grauem, iu-
ſtam, ac rationabilem cauſam fiat publicè,
pœnitens qui ſic confiteretur mortalem
culpam contraheret, non quia faceret contra
præceptum Diuinum, vel ſaltem contra præcep-
tum Eccleſiæ contentum in noſtro canone, vt
malè arbitrantur *Angel. in ſum. ver. Confeſſio 1.*
ſub nu. 29. & patet ex dictis ſupra *concl. 3.* Sed
quoniam faceret contra communem Eccleſiæ
conſuetudinem, eiuſdemq; traditionem ab initio
naſcentis Eccleſiæ. Ita *Henriq. lib. 2. de pœnit.*
cap. 2. nu. 5. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 21. ſec. 2.
in fine, Syl. ver. Confeſſio 1. q. 20. Fagund. de
præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 1. nu. 13. & alij.
Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

11 AD primum ex noſtro canone, patet ex dictis
in tertia concluſione. Secundò reſponde-
tur ex *Ioan. Andr. in explicatione noſtri*
canonis, nu. 5. quòd Concil. per dictionem illam
Solus, non præcipit modum ſecretæ confeſsionis
ſed voluit excludere quandam prauam conſue-
tudinem à fidelibus tunc temporis introductam,
qua plures ſimul ad confeſsionem accedebant,
& ab vno, & eodem Confeſſario ſimul audieban-
tur, vt in *cap. quamuis*, & ibi *Gloſ. de pœnit. d. 1.*
Id enim fieri non poteſt citra iuſtam, ac rationa-
bilem cauſam, & in caſibus quos enumerauimus
ſupra *concl. 4.* & in alijs ſimilibus: quibus caſi-
bus ſatis eſſe diximus, vt ſinguli confiteantur
aliquod peccatũ, & doleant in genere de omni-
bus alijs: quibus etiam adde *Vaſq. in 3. par. tom.*
4. dub. 3. nu. 7. & alios, quos refert, & ſequitur
Molſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7 cap. 5 nu. 51. Quòd
ſi vnus, & idem pœnitens pluribus Sacerdotibus
12 ſimul confiteatur, tunc illi Sacerdotes non poſ-
ſunt ſimul abſolutionem impendere ſub hac for-
ma, *Nos te abſoluimus*, quoniam hæc non eſt le-
gitima Sacramenti forma: ſed ſi ſinguli dicerent,
Ego te abſoluo, primus complex formam abſol-
ueret; ſiquidem vnus tantùm debet abſolutionem
impendere, vt ſupra adnotauimus *d. concl. 4.* qui-
bus adde *Molſ. d. cap. 5. nu. 52. & Vaſq. loco cit.*
qui ait etiam ita confitendi iuſtam cauſam dari
non poſſe: nam ſi iuſta cauſa dari poſſet confi-
tendi pluribus Sacerdotibus ſimul, ea procul du-
bio eſſet ad habendum ſcilicet certius conſilium:
at id rectè habere poſſet pœnitens confitendo
pluribus non ſimul, ſed ſucceſsiuè, vt ſupra dixi-
mus contra *Angel. loco citato*, ex Adden. ad ip-
13 ſum. Secundò reſponderi poteſt ad ipſum noſtrũ
canon. ex *Hoſt. & Anch. hoc eodem loco*, quòd
dictio illa, *Solus*, non denotat præceptum, ſed
tantùm conſilium, vt pœnitens liberius peccata
ſua confiteatur. Et denique poteſt dici, quòd in
tex. noſtro per præfatam dictionem, *Solus*, mo-
dus ſecretæ confeſsionis non præſcribitur; ſed ita
fuit ſtatutum, vt alius de neceſsitate non exiga-
tur; atque ideò, vt poſt ſecretam neceſſariò non
requiratur publica confeſsio, vt fieri conſueuerat
tempore primitiuæ Eccleſiæ: nam ſecreta con-
feſsio tunc temporis publicam præcedebat, vt
colligitur ex *Orig. homil. 2. in pſal. 37.* poſt me-
dium ita ſe habente, *Tantummodo circumſpice*
diligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum.
Et inferius, *Vt ſi quid ille dixerit, & conſilium*
dederit, facias, & ſequaris: & ſi intellexerit, &
præuiderit talem eſſe languorem tuum, qui in
Conuentu totius Eccleſiæ exponi debeat, & cura-
ri, ex quo, & cæteri ædificari poſſint, & tu ſanari,
facilè exequaris. Idem etiam colligitur ex ijs,
quæ habentur in *c. in capite, d. 50. ex Concil.*
Agathen. cap. 15. Tertull. & ex alijs apud *Suar.*
in 3. par. tom. 4. diſp. 21. ſec. 2. vbi refertur, quòd
qui olim agebant pœnitentiam publicam, non
priùs publicè peccata confitebantur, & poſtea
illis imponebatur pœnitentia; ſed pœnitentiam
prius iniunctam publicè agebant. Vndè meritò
ait *Suar. ibidem n. 3.* non fuiſſe liberum vnicuiq;
fideli dicere crimina quæ vellet, & quam vellet
de illis publicam pœnitentiam agere; nam id
multoties poſſet eſſe cauſa ſcandali; ſed id totum
agebatur, mediante Paſtorum conſilio. Ex quo
ſequitur, non ſecretam confeſsionem ex publica,
vt hæretici falsò exiſtimabant; ſed publicam ex
ſecreta originem traxiſſe.

An præcepto ſtatui poſſit, vt ſacramentalis confeſsio publicè fiat.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio ſacramentalis, vt publicè fiat cum*
præcepto ſtatui poſſit.

2 *Conſuetudo vim habet legis.*

3 *Confeſſio ſacramentalis, vt publicè fiat præcepto*
ſtatui non poteſt.

4 *Confeſſarius licet ad vindictam alicuius publici*
ſceleris poſſit pœnitentem cogere ad agendum
de eo publicam pœnitentiam; non tamen de
omni peccato publico, ſed pro peccato grauiſ-
ſimo, & ſcandaloſo; nec reluctanti eſt impo-
nenda.

5 *Pœnitentia publica non violatio ſigilli, ſed ſa-*
tisfactio ſcandali.

6 *Confeſſarius pro peccatis occultis quantumuis*
enormibus publicam pœnitentiam imponere
non poteſt, alias peccaret, & pœnitens eam
ſubire non teneretur.

7 *Pœnitentia publica quibus caſibus ex conſilio*
prudentis Confeſſarij eſt imponenda.

Digitized by Google

1 PRima facie videtur affirmatiuè reſpondendum eſſe. Probatur, quia huiuſmodi præceptum conſtat tempore primitiuæ Eccleſiæ latum fuiſſe, vt colligitur ex *Orig. homil.* 2. *in pſal.* 37. dum admonens diligenter circumſpiciendum eſſe, cui quis debeat confiteri peccatum ſuum, ita ſubdit, *Vt ſi quid ille dixerit, & conſilium dederit, facias, & ſequaris, & ſi intellexerit, & prauiderit talem eſſe languorem tuum, qui in conuentu totius Eccleſia exponi debeat, & curari, ex quo, & cateri adificari poſſint, & tu ſanari facilè exequaris.* Nota verba illa, *Exponi debeat*, Et verbum illud, *Exequaris*, Nam ſupponunt fuiſſe in Eccleſia præceptum aliquando publicè confitendi. Confirmatur ex *Ruar. art.* 5. contra *Caluin. pag.* 156. qui ait Nectarium Epiſcopum Conſtantinopolitanum non ſubſtuliſſe confeſſionem, ſed appendicem illius: quia in Eccleſijs Orientalibus fuerat conſtitutum, vt Præsbyter Pœnitentiarius conſtitueretur, qui dum omnium exciperet confeſſiones, peccata illorum quamuis grauia, & ſecreta referret ad Epiſcopum, & per eundem recitabantur publicè in Eccleſia. Et in hiſtoria tripartita refert *Sozzomenus lib.* 9. *cap.* 35. ab initio naſcentis Eccleſiæ ita fuiſſe ſeruatum, inquiens, *Propterea ab initio viſum eſt Epiſcopis peccata annunciare, ſiuè promulgare quaſi in theatro, teſte multitudine Ec-*
2 *cleſia*. Denique probatur ex antiqua conſuetudine imponendi pœnitentias publicas, quæ vim legis habet, ac præcepti, §. *ex non ſcripto, in Inſtit. de iure nat. gent. & ciu.* atque ideò confitentium peccata in publico deducebantur.

His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt
3 vera ſententia, quam tenet *Suar. in* 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 21. *ſec.* 3. *nu.* 6. & alij. Probatur apertè ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *de confeſ. cap.* 5. in illis verbis, *Caterum quoadmodum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, & ſi Chriſtus non vetuerit; quia aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tùm ob Eccleſia offenſa adificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſſe tamen hoc Diuino pracepto mandatum; nec ſatis conſultè humana aliqua lege praciperetur, vt delicta praſertim ſecreta publica eſſent confeſſione aperienda.* Etenim cùm de confeſſione ſacramentali publicè facienda non adſit Diuinum præceptum, & Eccleſia non habeat poteſtatem ſuper actus merè internos, ſequitur, vt de peccatis ſaltem internis inualida eſſet humana lex de publica confeſſione: & eò maximè, quia talis lex eſſet difficillima, & odioſa omninò redderet confeſſionem. Vndè ob eandem rationem inquit idem *Suar.* non poſſet Confeſſarius pœnitentem cogere ad publicam confeſſionem faciendam, nec quidem coram vno teſte, vel per ſcripturam publicam, cùm eius præceptum non ſit plus quàm humanum, & de iure Diuino teneatur ad confeſſionis ſigillum.

Eſt tamen verum, quod ex communi aliqua,
4 & vrgenti neceſſitate ad Eccleſiæ ſatisſactionem, & publicam vindictam alicuius publici ſceleris poſſet Confeſſarius pœnitentem cogere ad publicam pœnitentiam agendam, vt habetur ex *D. Thoma in* 4. *d.* 14 *q.* 1. *art.* 5. *quaſtiun.* 1. *ad* 1. *& d.* 17. *q.* 3. *art.* 4. *quaſtiun.* 4. *ad* 4. *Aleuſ.* 4. *par. q.* 14. *mem.* 6. *art.* 1. *aliàs q.* 64. *mem.* 1. *Palud. d.* 14. *q.* 6. *Duran. q.* 4. *Sot. d.* 19. *q.* 2. *art.* 5. *D. Anton.* 3. *par. tit.* 14. *cap.* 17. §. 6. *Medina tract.* 2. *q.* 44. & eſt *tex. in cap.* 1. *ſupra eodem tit. noſtro*, ita ſe habente, *Manifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda.* Et id vt Eccleſia, quæ prius doluerat de auerſo, atque peruerſo, poſtea gaudeat de reuerſo, atque conuerſo, vt in *cap. Berengarius in fine, de conſecr. d.* 2. Quod ſi pro huiuſmodi peccatis ex communi, & vrgenti neceſſitate poteſt pœnitenti imponi pœnitentia publicè facienda, arbitror etiam poſſe ob eandem causã eum compelli aliquando ad publicam confeſſionem de tali crimine habendam: nec Concilium prædictis verbis videtur id damnare: & quòd ex communi aliqua, & vrgenti neceſſitate id fieri poſſit, ex *Suar. loco citato*, colligitur. Non tamen Confeſſarius hanc doctrinam practicare pro omni peccato publico, ſed pro peccato publico grauiſſimo, ac ſcandaloſo, & vbi Confeſſarius pęnitentiam publicam neceſſariam eſſe omninò iudicauerit, vt ſi quis Patrem, aut Sacerdotem publicè percuſſerit, vt poſt alios inquit *Alph. de Leon. de offic. & poteſt. confeſ. recoll.* 25. *ſub nu.* 108. vbi etiam addit ex *Conyn.* huiuſmodi pœnitentiam publicam non eſſe imponendam reluctanti: nam licèt imponere tales pœnitentias ſit vtile; non tamen eſt omninò neceſſarium, vt benè docet *Suar. in* 3. *par. tom.* 4. *diſp.* 38. *ſec.* 6. *& Vaſq. ibidem q.* 94. *art.* 2. *dub.* 3.

5 Et quamuis *Nauar. in cap. Sacerdos de pœnit. d.* 6. *nu.* 86. *& in Man. cap.* 8. *nu.* 10. neget tales pœnitentias publicas per Confeſſarium poſſe imponi, cùm id agere nequeat citra violationem ſigilli Sacramenti, & prodat perſonam peccatoris, ac ille conſenſus pœnitentis eſt velut coactus, & inuoluntarius, & contra illius famam; nihilominus nos reſpondemus id non eſſe violationem ſigilli, & reuelationem confeſſionis, ſed ſatisfactionem ſcandali, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccl. precep.* 2. *lib.* 4. *cap.* 5. *ſub nu.* 7. & *Alph. de Leone, loco ſupra citato, verſ. Nec obſtat cum alijs*, quos allegat. Nec *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de reform. & d. cap.* 1. *eo. tit. noſtro* loquuntur, vt *Nauar.* putat, de pœnitentijs publicis in foro externo infligendis, & in iudicio à poteſtate publica Eccleſiaſtica imponendis: ſiquidem Concilium apertè loquitur de pœnitentijs publicis in foro ſacramentali inflictis, ſicut & *d. cap.* 1. cum fuerit collocatum ſub noſtra *rubrica de pœnit. & remiſ.* quæ in foro interno imponuntur. Neque denique conſenſus pœnitentis ad ſubeundas, pęnitentias publicas poteſt dici quodammodo coactus, & inuoluntarius, cùm ipſe pęnitens rationabiliter inducatur ad id, quod facere tenetur, vt rectè reſpondet *Fagund. d. lib.* 9. *cap.* 5. *ſub nu.* 7. *in fin.* Eſt tamen verum,
6 quòd pro peccatis occultis quantumuis enormibus non poteſt Confeſſarius publicam pęnitentiam imponere. Etenim pęnitentia debet eſſe proportionata peccatis; at talis non eſſet, ſi pro peccatis occultis publica pęnitentia daretur. Imò ſi de facto Confeſſarius talem imponeret pęnitentiam, cum ſua poteſtate abuteretur, peccaret, & pęnitens eam ſubire non teneretur, vt habetur ex *Conynch. diſp.* 10. *nu.* 14. *in fine*. Et licèt de conſenſu pęnitentis poſſit Confeſſarius pro peccato occulto imponere pęnitentiam publicam; nihilominus vt plurimum, nec de pęnitentis con-

Digitized by Google

ſenſu id expedit, vt contra *Medin. tract. de pœnit. q.* 40. §. *alia eſt pœnitentia*, inquit *Alph. de Leone*, vbi ſupra *ſub nu.* 16. *in fine*, vbi etiam *nu.* 107. ex hoc infert, minus prudenter agere Confeſſarios, fœminis, filijsfamilias, ſeruis, Religioſis, & alijs huiuſmodi, qui in communi menſa cibum ſumunt, pœnitentias imponentes in ieiunio, in pane, & aqua, &c. Siquidem ipſorum Parentes, ac ſuperiores poſſunt rationabiliter credere, vel ſaltem ſuſpicare de grauibus criminibus pœnitentias eiuſmodi ſubeuntium, vt per *Reginald. lib. 7. ſua prax. nu. Henriq. lib. 5. cap. 21. nu. 6. & alios.*

Reſtat modo, vt ad contraria reſpondeamus.

7 AD auctoritatem Origin. dicimus, ex eo non colligi fuiſſe aliquando compulſos pœnitentes ad publicam confeſſionem faciendam, ſed eis tantùm conſultum, vt conſtat ex illis verbis, *Vt ſi quid ille dixerit, & conſilium dederit.*

Ad confirmationem ex *Ruardo* reſpondetur per *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 90. art. 1. dub. 3. n. 12.* vt ille vnus præsbyter, qui in omni Eccleſia deſignabatur eſſet ad excipiendas confeſſiones eorum, qui tantum de peccatis publicis pœnitentiam agebant publicam: quod in ſacramentali foro nunquam ſeruatum fuiſſe ex præcepto Eccleſiæ, aut Confeſſoris, niſi quando ad publicam ſatisfactionem, & ad tollendum ſcandalum de publico peccato id neceſſarium erat: & rariſſimè exiſtimat *Suar. loco citato, ſub nu.* 8. Nam regulariter, inquit id fiebat voluntariè ex conſilio prudentis Confeſſarij, non de omnibus; ſed de publicis, vel de ijs, quæ nec ſcandalum, nec grauem infamiam generare poſſent. Imò ſæpè pœnitentia publica oriebatur ex Eccleſiaſtica denunciatione, vel accuſatione in exteriori foro.

Ad hiſtoriam Tripartitam reſpondetur, eam loqui ſimiliter de pœnitentibus publicè pro publico crimine hæreſis, & pro alijs grauiſſimis, & publicis criminibus ad deteſtationem erroris Nouati, negantis abſolutionem lapſis in hæreſim: & propterea nunquam in Eccleſia fuit introducta conſuetudo, vt peccata ſecreta publicarentur in conuentu Populi, vel Eccleſiæ, vt benè declarat *Vaſq. loco citato, ſub nu.* 14. & 15. Et ita etiam patet reſponſio ad conſuetudinem Eccleſiæ imponendi pœnitentias publicas. Benè verum eſt, quòd conſuetudo de confeſſione facienda publicè etiam de occultis irrepſerat in Italia in Prouincia Campaneæ; quam omninò damnauit *Leo Magn. epiſt.* 78. *cap* 2 ita inquiens, *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, quam nuper agnoui à quibuſdam illicita vſurpatione committi, modis omnibus conſtituo ſubmoueri, de pœnitentia videlicèt, quæ ita à fidelibus poſtulatur, vt de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſſio publicè recitetur, cùm reatus conſcientiarum ſufficiat ſolis Sacerdotibus indicari confeſſione ſecreta.*

An ſacramentalis confeſſio proprio tantum ore ſit facienda: vel etiã alieno fieri poſſit; nempè per interpretem, aut nuncium: & an valida ſit ſi nutu, ſcriptura, vel epiſtola fiat.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentalis confeſſio proprio pœnitentis ore eſt facienda.*

2 *Sacramentalem confeſſionem ore proprio, & alieno, nutu, & ſcriptura, & non per epiſtolam fieri poſſe eſt communis opinio.*

3 *Confeſſio ſacramentalis non eſt neceſſe, vt propria voce humana fiat.*

4 *Confeſſio nutibus habita verè ſacramentalis, ac legitima dicitur.*

5 *Forma debet corriſpondere materiæ quo ad certitudinem.*

6 *Confeſſio per nutus tàm in mortis articulo, & ad dignè ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, quàm extra mortis articulum ad adimplendum præceptũ confeſſionis annuæ fieri poteſt.*

7 *Confeſſio per nutus tunc fieri poteſt, ſi verbis fieri non poteſt, aliàs eſſet nulla, quia contraueniens peccaret lethaliter.*

8 *Confiteri ſcriptura non eſt contra rationem Sacramenti pœnitentiæ.*

9 *Pœnitens ſi peccata ſcripta tantum tradat Confeſſario præſenti, & exibeat ſigna contritionis, & pœnitentiam, & abſolutionem petat, eamq; humiliter, dum Sacerdos legit peccata, expectet, & ſatisfactionem acceptat non eſt contra eſſentiam confeſſionis.*

10 *Pœnitens non excuſatur à præcepto confeſſionis annuæ ſi non poſſit aliter confiteri, quàm per ſcripturam.*

11 *Confeſſio tunc poteſt in ſcriptis fieri, ſi fiat Sacerdoti præſenti.*

12 *Confeſſio in ſcriptis eſt nullius momenti, ſi non adeſt legitima cauſa quæ quis excuſatur à confeſſione proprio ipſius ore facienda, ob peccatum mortale quod committitur contra conſuetudinem Eccleſiæ.*

13 *Confeſſio ex cauſa neceſſitatis poteſt quoque fieri per nuncium Sacerdotis præſentis.*

14 *Confeſſio per interpretem legitima dicitur, ac ſacramentalis.*

15 *Qui per alium loquitur per ſe ipſum moraliter loqui cenſetur.*

16 *Confeſſio per interpretem tunc fieri poteſt, quãdo alio modo fieri non poteſt.*

17 *Confeſſio ſacramentalis tunc proprio ore facienda quando ita commodè fieri poteſt, aliàs fieri poteſt nutibus, ſignis, &c.*

18 *Concilium dicendo materiam Sacramenti pœnitentiæ eſſe oris confeſſionem, non cenſetur excludere aliud ſenſibile ſignum id ſuadente rationabili cauſa.*

19 *Confeſſio per litteras, aut per nuncium facta Sacerdoti abſenti, & abſolutio pœnitenti abſenti eſt reprobata.*

1 IN hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Probatur primò per *text. in cap. quẽ pœnitet, de pœnit. d.* 1. vbi *D. Auguſt. in lib. de pœnit.* inter alia ſic ait de accedentibus ad ſacramentalem confeſſionem loquens, *Præcepit enim Dominus mundandis, vt oſtenderent ora Sacerdotibus, docens corporali præſentia confitenda eſſe peccata, non per nuncium, non per ſcripturam manifeſtanda. Dixit enim, ora monſtrate: & omnes, non vnus pro omnibus, non alium ſtatuatis nuncium, qui pro vobis offerat*

munus

munus à Moyſe ſtatutum ; ſed qui per vos peccaſtis, per vos erubeſcatis. Quibus verbis apertè docemur, ſacramentalem confeſſionem non poſſe aliter fieri, quàm proprio pœnitentis ore. Secundò probatur *Concil. Floren. in decreto Eugen.* vbi generaliter docemur Sacramenta nouæ legis conſtare verbis, & materiam Sacramenti pœnitentiæ eſſe oris confeſſionem ; ergò Sacramentum pœnitentiæ conſtare debet verbis, atque ideò ſacramentalis confeſſio, cuius eſt pars integralis, non poteſt aliter fieri, quàm verbis, & ſic proprio confitentis ore: nec ſatis eſt ſi nutu fiat, per interpretem, nuncium, per ſcripturam, ſeù per epiſtolam. Denique confirmatur ex conſtitutione Clem. VIII. edita ſub die 20. Iunij 1602. vbi vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnat ſententiam eorum, qui dicebant, confeſſionem fieri poſſe per nuncium, vel per epiſtolam, & præcipit, nè deinceps talis propoſitio doceatur, imprimatur, aut diſputetur, niſi impugnando, nec in praxim deducatur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſoli S. Pontifici reſeruatæ.

2 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis opinio, quam tenent *D. Thom. in 4. d.17.q.3. art.4. quæſtiun. 3. ad 2. & quodlib. 1. art.10. Palud. ibidem, q.2. art.1. nu.7. Maior, q. 1. §. Tertiò arguitur, Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, concl. 11. Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q.15. Can. relect. de pœnit. par. 5. §. in eodem quinto, Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 21. ſec. 3. cum plur. ſeq. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 3. dub. 3. 4. & 5. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 1. nu. 13. cum plurib. ſeq. Molſ. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 11. nu. 11. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 6. ſub nu. 6. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 6. nu. 110. & 111.* & alij communiter. Pro cuius rei explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO

3 NOn eſt neceſsè, vt confeſſio ſacramentalis propria voce humana fiat. Hæc concluſio eſt *D. Thomæ*, & aliorum Doctorum, quos ſupra retulimus, & *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. in reſp. ad 2.* Probatur, quia ſi confeſſio fieri omninò deberet voce humana, id procul dubiò proueniret ex ipſius confeſſionis ſacramentalis inſtitutione, vel ex aliquo præcepto Diuino, vel humano. Non primum quia ex verbis Domini inſtituentis pœnitentiæ Sacramentum hoc ipſum non colligitur ; ſed tantùm neceſſitas aperiendi Iudici propriam cauſam à pœnitente ; id autem non tantùm ore adimpleri poteſt, ſed etiam nutu, ſcriptura per Interpretem, aut per quodcunque aliud ſenſibile ſignum : eò magis quoniam Sacramentum confeſſionis eſt maximæ neceſſitatis quapropter non debuit limitari eſſentia ipſius ad illud ſignum, quod ſæpiſſimè adhiberi non poteſt; atque ideò ad vocem humanam, qua non ſolùm muti, ſed etiam ægrotantes ſæpè vti non valent. Non ſecundum, quia ex ſola Sacramenti inſtitutione huiuſmodi præceptum Diuinum non colligitur : neque de eo conſtat ex ſcriptura Diuina, aut ex Eccleſiæ traditione. Nec denique tertium, quoniam de præcepto humano ſola voce humana confitendi non conſtat ex canone, neq; ex Concilio aliquo, neque ex aliqua Bulla Pontificia, vt infra patebit ex ſolutione argumentorum. Confirmatur, quia huiuſmodi præceptum Chriſtianæ Reip. eſſet valdè damnoſum ; nam ſi ſola voce humana fieri deberet confeſſio, & non aliter fieri poſſet, muti, & nõ valentes loqui propter infirmitatẽ aliquam, decederent abſq; pœnitentiæ Sacramẽto; atq; ideò priuarentur remedio tàm ſalubri ad obtinendam peccatorũ veniam: & propterea non eſt præſumendũ, quòd ab Eccleſia pia Matre huiuſmodi præceptum latum fuerit.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 NOn eſt contra eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ confiteri nutibus ; atque ideò confeſſio nutibus habita verè ſacramentalis, ac legitima dicitur. Hæc concluſio eſt *D. Thomæ in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 3. Scoti ibidem q. vnica, Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, cond. 11. Syl. ver. Confeſſio 1. q. 13. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. mem. 1. Petri Sot. lect. 12. de confeſ. Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 21. ſec. 3. n. 7. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 1. ſub nu. 4. Conynch. diſp. 6. de qualit. confeſ. dub. 1. nu. 1. Tolet. lib. 3. ſua ſum. cap. 6. nu. 1. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 1. nu. 4.* & aliorum. Probatur, quia ex inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ nihil aliud exigitur ad confeſſionem ſacramentalem, niſi vt pœnitens aperiat Iudici, & ſic Confeſſario cauſã ſuam, atque ideò peccata, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* id autem ſufficienter præſtatur per nutus, quia nutus ſunt ſufficiens ſignum humanæ accuſationis, & cõfeſſio nihil aliud eſt, quàm eſſentialiter accuſatio, vt patet ex illius definitione. Confirmatur ex eodem *Conc. d. ſeſſ. 14. can. 8.* vbi damnantur illi, qui dicunt confeſſionem eſſe impoſſibilem, eſſet autem aliquando impoſſibilis, ſi per nutus, & ſigna externa fieri non poſſet, quando pœnitens loqui non poſſet. Denique probatur ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ, quæ mutos ad confeſſionem obligat, & tamen iſti loqui non valent. Nec obſtat ſi dica-
5 tur, quod forma debet reſpondere materiæ ; at Sacerdos nec licitè, nec validè etiam in quacunq; neceſſitate extrema poteſt abſoluere per ſigna, & nutus; ergò nec etiam pœnitens per nutus, & ſigna poterit confiteri ; quoniam reſpondetur, formam debere reſpondere materiæ quoad certitudinem, ita vt ſit forma certa, ſicut materia eſt certa, non autem quoad omnia: ſiquidem moraliter loquendo nunquam contingere poteſt neceſſitas abſoluendi ſine voce; at ſæpiſſimè poteſt euenire neceſſitas confitendi ſine voce, & ſolùm per ſigna, ac nutus externos, ac ſenſibiles : & propterea Chriſtus Dominus ita inſtituit hoc Sacramentum, vt ſpectata hominum fragilitate, & conſiderata neceſſitate, ac indigentia huius Sacramenti confeſſio fieri poſſit ſignis, ac nutibus, non autem abſolutio impendi, vt rectè explicat *Suar. d. ſec. 3. nu. 2. & 3. & Fagund. loco cit. n. 7.*

6 Ampliatur hæc concluſio, vt confeſſio non ſolùm poſſit, ſed etiam debeat fieri nutibus, quando aliter fieri non poſſet, vt patet in muto, & in alijs lingua impeditis : ſiquidem nutus ſunt materia indubitata, & facilè abſque alio incommodo exhiberi poteſt. Quod verum arbitror locum ſibi vendicare non ſolùm in articulo mortis; aut vbi quis habet conſcientiam peccati mortalis ad dignè ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; ſed etiam extra mortis articulum ad implendum præceptum annuæ confeſſionis iuxta diſpoſitionem noſtri canonis ; quia nutus

pro vocibus deſeruiunt: quapropter pari iure mutus, & loquens ligantur, vt habetur ex *Soto loco citato*, & alijs ſupra relatis Doctoribus. Eſt tamen verum, quòd mutus nutibus tenetur confiteri eo modo, quo poteſt, ita vt non cogatur ſummam diligentiam adhibere in exquirendis nutibus: nec compellitur per ſcripturam ſua peccata confiteri, ſi ſcribere ſciat; quia nemo cogitur ad publicè confitendum, vt contra *Caiet.* docet *Sot. ibi, & mem. 2. verſ. His tamē postremò.*

7 Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt ita demum nutibus liceat confiteri, cùm confeſſio verbis fieri non poſſet: ſiquidem qui propria voce poteſt confiteri, ſi confiteatur nutibus, nulliter confitetur, non quia id eſſet contra inſtitutionem Sacramenti; ſed quoniam ex Eccleſiæ conſuetudine, qui ore proprio poteſt ſua peccata Confeſſario manifeſtare ad id tenetur, & licitum ei non eſt vti nutibus. Vndè contrauenientes lethalem culpam contraherent, cum mutario eſſet in re graui ſpectante ad conuenientem modum perficiendi Sacramētum, vt rectè declarat *Suar. loco citato, nu. 6. Filliuc. d. cap. 1. nu. 14. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 1. ſub nu. 8.* & ex alijs, qui id limitant, vt talis culpa poſſit fieri venialis ex leuitate materiæ; vt ſi pœnitens non in tota confeſſione, ſed in vno, vel in alio peccato vtatur nutibus. Imò *Sot. in d. art. 6. mem. 1. §. arguet*, ait, quòd ſi quis omnia peccata nutibus optimè explicaret, & non interueniat contemptus excuſaretur ſimpliciter à peccato mortali, etiam ſi in tota confeſſione vteretur nutibus ſecus autem ſi peccata eſſent adeò multa, & implicata, vt nutibus explicari non poſſent; nam tunc citra lethalem culpam non confiteretur nutibus. Sed prior ſententia videtur verior, & à Doctoribus magis recepta, tùm per rationem ſupra allatam, quia ageret contra conſuetudinem Eccleſiæ in re graui; tùm etiam quoniam ſicut peccat mortaliter alterando formam Sacramenti pœnitentiæ accidentaliter dicens, *Remitto tibi peccata tua*, omiſſo communi abſoluendi modo, *Abſoluo te*, ita quoque mortalem culpam contrahit alterando accidentaliter quodammodo materiam eiuſdem Sacramenti confitendo peccata nutibus, cùm poſſit ea confiteri ore. Poſſet tamen pœnitens excuſari à lethali culpa ex ſimplicitate, aut probabili ignorantia, iuxta ea, quæ habentur ex *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 4. ſub nu. 2. in fine, & concluſ. ſeq.* melius declarabimus. Quibus adde, quæ docet *Fagund. loco citato, ſub nu. 9.* dum excuſat à peccato mortali eum; qui ob nimiam verecundiam, ac pudorem grauem admodum difficultatem ſentit, ſi per nutus, aut ſigna externa confiteatur, aut per interpretem cùm poſſit proprio ore ſua peccata confiteri; quoniam ſupradicta conſuetudo non videtur in eo caſu, tàm grauiter obligare, pro qua ſententia allegat *Conynch. Scot.* & alios.

TERTIA CONCLVSIO.

8 NOn eſt contra rationem Sacramenti pœnitentiæ confiteri ſcriptura. Hæc concluſio eſt *D. Thomæ quodl. 1. art. 10. can. 5. par. relect. fol. 131. §. At exiſtis, Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 7. mem. 2. §. Si verò, Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 4. nu. 4. Suar. ibidem diſp. 21. ſec. 3. nu. 7. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 1. ſub nu. 14. Conynch. diſp. 5. de ſacram. dub. 10. nu. 78. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 3. nu. 10.* & aliorum; licèt contrarium teneat *Scot. in 4. d. 17. q. vnica, ad fin.* dum vult, de ratione confeſſionis eſſe, vt fiat ſecretè, & ſcriptura eſt ſignum publicum, cuius opinionem nos reiecimus ſupra *ſec. præced.* Probatur hæc concluſio; quia confeſſio facta per ſcripturam habet omnia requiſita ad ſacramentalem confeſſionem: nam ſcriptura eſt ſufficiens ſignū humanæ accuſationis, & per eam pœnitens ſufficiēter ſe accuſat ita peccaſſe, & cauſam ſuam Iudici, & ſic Cōfeſſario manifeſtat: ergò ſcriptura non eſt contra eſſentiā ſacramentalis cōfeſſionis.

9 Ampliatur hæc concluſio, vt non ſolùm non ſit contra confeſſionis eſſentiam confiteri ſcriptura, quando Confeſſario legenti peccata ſingula annuit pœnitens, vt exigit *Sot. loco citato*; Sed etiam ſi peccata ſcripta tantùm Confeſſario præſenti tradantur exhibendo contritionis ſigna, & petendo ab eo pœnitentiam, & abſolutionem, eamque expectando humiliter, dum Sacerdos legit peccata, & ſatisfactionem acceptando: nam per hæc omnia ſatis oſtendit pœnitens illa peccata ſua eſſe, de quibus ſe accuſat: & propterea non eſt neceſſè addere ſcripturæ verba, & nutus ab ipſo *Soto* expoſtulata, vt rectè docet *Vaſq. d. dub. 4. ſub nu. 6. Suar. & Filliuc. locis citatis.*

10 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt adeò non ſit contra eſſentiam confeſſionis confiteri ſcriptura, vt in multis caſibus, quis teneatur confiteri ſcriptura, quando aliter confiteri nequeat. Vndè non excuſaretur pœnitens à præcepto confeſſionis annuæ in noſtro canone contento, ſi non poſſet aliter confiteri, niſi per ſcripturam, vt quia mutus eſſet, aut balbutiens valdè: & multo magis non excuſaretur à præcepto Diuino in articulo mortis: ſiquidem pœnitens ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, tàm in articulo mortis pro adimplendo Diuinum præceptum; quàm extra articulum mortis pro adimpleudo præcepto noſtri canonis tenetur confiteri, etiam ſi non poſſet aliter peccata ſua explicare, quàm per ſcripturam. Ita *Conynch. diſp. 5. de ſacram. lib. 10. nu. 78. Petr. Sot. lect. 11. de confeſ. D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 3. ad 2. Palud. ibidem, q. 2. Caiet. ver. Confeſſio, cond. 11. Syl. ver. Confeſſio 1. nu. 16. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 1. cap. 6. ſub nu. 10. contra Nauar. in Man. cap. 12. nu. 36.* & alios, quos refert ibidem *nu. 9.* Etenim præceptum confeſſionis obligat quoties citra notabile incommodum fieri poteſt confeſſio: ex confeſſione autem facta ſcripto non ſequitur maius incommodum, quam ex confeſſione facta ore: nec modus confitendi per ſcriptum præſente Sacerdote abſolutè eſt de ſe publicus, vt rectè declarat ipſe *Fagund. ibi nu. 10.* vbi etiam alia contraria ſoluit, & nos latius dicemus *ſec. ſeq.*

11 Sic ampliata limitatur primò ipſa concluſio, vt vera ſit, quando confeſſio in ſcriptis fit Sacerdoti præſenti: ſecus autem ſi per ſcripturam quis confiteatur Sacerdoti abſenti: nam tunc nulla eſſet confeſſio; ſiquidem ſacramentalis confeſſio eſt actus perſonalis, quo homo præſenti Sacerdoti loquitur. Vndè ſenſus formæ, *Ego te abſoluo* ex Chriſti inſtitutione præſentiam exigit pœnitentis, vt patet ex communi Eccleſiæ conſenſu, & declaratione. Præterea confeſſio debet eſſe

talis,

Digitized by Google

talis, vt per eam Sacerdos certus fiat, talia peccata pœnitentem commiſiſſe: at confeſſio per ſcripturam, & epiſtolam abſenti Confeſſario talis eſſe non poteſt; nam Sacerdos non redditur certus, an epiſtola ſit pœnitentis: & quando per reſcriptum abſolueret, tunc fortè pœnitens non eſſet benè diſpoſitus ad recipiendam abſolutionem per ſuperuenientem culpam, vt habetur ex *Caiet. loco ſupra citato, Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. Ledeſ. 2. par. 4. q. 8. art. 3. Can. relect. de pœnit. p. 5. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 2. ſub nu. 3. & 4. Conynch. diſp. 7. de pœnit. nn. 68. & 69. Filliuc. tom. 1. qq. tract. 7. de confeſ. cap. 1. ſub nu. 17.* & ex alijs apud *Molſ. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 55. & 56.* vbi ſoluit contraria. Sed hæc controuerſia hodie definita eſt per Clem. VIII. per bullam editam Romæ die 19. Iulij 1602. qua omninò damnatur confeſſio per litteras, aut per Nuncium Sacerdoti abſenti his verbis, *Sanctiſſimus Dominus noſter, auditis votis PP. Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis, & Reuerendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam prauitatem generalibus Inquiſitoribus, maturè, ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem ſcilicet, licere per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere; ad minus vti temerariam, & ſcandaloſam damnauit, ac prohibuit; præcepitque, ne deinceps iſta propoſitio publicis, priuatiſue lectionibus, concionibus, ac congreſſibus doceatur, neue vnquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur. Quòd ſi quis illam docuerit, defenderit, imprimi fecerit, aut de ea etiā diſputatiuè tractauerit, niſi forſan impugnando, vel ad praxim directè, ſiue indirectè deduxerit, præter excommunicationem latæ ſententiæ, quam ipſo facto incurrat, & à qua non poſſit, præterquam in articulo mortis, ab alio quacunque etiam dignitate fulgente, etiam S. R. E. maioris Pœnitentiario, niſi à pro tempore exiſtente Rom. Pontifice abſolui, alijs etiam pœnis arbitrio infligendis ſubiaceat.*

12 Secundò limitatur, vt ita demum licitum ſit confiteri in ſcriptis Sacerdoti præſenti, quando aliqua iuſta, ac legitima cauſa adſit, qua quis excuſetur à confeſſione proprio ipſius ore facienda: aliàs ſi abſque cauſa in ſcriptis confitentur Sacerdoti præſenti modo ſupradicto, confeſſio eſſet nullius momenti; non quia id eſſet contra inſtitutionem Sacramenti pœnitentiæ, & contra ipſius materiam; ſed quoniam qui poteſt voce confiteri, & non confitetur peccat mortaliter, cùm faciat contra communem conſuetudinem Eccleſiæ, vt habetur ex *D. Thoma quodlib. 1. art. 10. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 21. ſec. 3. nu. 6. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 3. dub. 4. ſub num. 4. & 5. Filliuc. d. cap. 1. nu. 14.* & alijs, qui dicunt rationabilem cauſam confitendi ſcripto non ſolùm eſſe impotentiam ſimpliciter loquendi; ſed etiam magna difficultas, aut verecundia. Non tamen ſola erubeſcentia excuſaret ſic confitentē à culpa veniali, vt poſt alios inquit *Molſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 11. nu. 19.* quibus adde, quæ ſupra diximus *concl. præced. limit. vnica*, vbi etiam in ſimilibus caſibus excuſauimus pœnitentem ex capite probabilis ignorantia, & ratione paruitatis materiæ. Sic etiam excuſaretur Confeſſarius à culpa ſi poſt auditam confeſſionem, & poſt pœnitentis diſceſſum dubitans, an illi abſolutionem impenderit, & ſuam negligentiam eidem citra ſcandalum aperire non valens, ipſum abſolueret, dummodò ipſe pœnitens ſit moraliter præſens, atque ideò parùm diſtans, puta 20. paſſus & ex qualitate perſonę probabiliter conſtet Confeſſario pœnitentem non incidiſſe in nouam culpam lethalem, & dummodò illum videat. Secus autem, ſi templum fuerit egreſſus, & omninò abſens: vel poſſet eundem pœnitentem citra ſcandalum vocare, & ſuam negligentiam aperire; nam ad id teneretur, vt poſt *Reginal. lib. 8. ſua prax. nu. 32.* & alios docet *Molſ. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 5. nu. 59.* Quæ quidem ſententia ſatis quidem dubia videtur; ſiquidem pœnitens poſt diſceſſum à Confeſſario, etiam ſi ab eo videatur, & adhuc ſit intra templum, & non diſtet pluſquàm 20. paſſus; nihilominus dum Confeſſarius ita abſenti, & inſcio abſolutionem tribuit, non manet in voluntate abſoluendi, cùm putet eſſe abſolutus; & propterea cum deſit intentio ipſius pœnitentis, abſolutio ipſa videtur fruſtratoria iuxta ea, quæ habentur ex *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 93. art. 3. dub. 8. ſub nu. 5. cum plur.*

13 *ſeq.* Adde hic etiam, vt ex cauſa neceſſitatis poſſit quoque per Nuncium fieri confeſſio; dummodò abſolutio pœnitenti præſenti impendatur, vt cùm Sacerdos ſe confert ad abſoluendum pœnitentem in mortis articulo conſtitutum, & ab eo nullum peccati, vel doloris ſignum haberi poſſit, tunc ſi ab alijs teſtimonium recipiat de doloris, ac contritionis ſignis, poterit ipſum præſentem abſoluere, vt eſt *tex. in cap. qui recedunt, & cap. is, qui, 26. q. 6. Molſ. poſt Vaſq.* & alios *par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 5. n. 40. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 1. nu. 18. cum plur. ſeq.* Et nos aliàs latius ſupra oſtendimus, vbi probauimus id non eſſe contra præfatam Bullam Clem. VIII.

QVARTA CONCLVSIO.

14 Confiteri per interpretem non eſt contra rationem ſacramentalis confeſſionis; atque ideò confeſſio per interpretem legitima dicitur, ac ſacramentalis. Hæc concluſio eſt *D. Thoma in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 3. Palud. ibidem, q. 2. Caiet. in ſum. ver. Confeſſio cond. 11. Can. relect. de pœnit. par. 5. fol. 131. §. In eodem quinto, Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. circa fin. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. Molſ. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 12. nu. 10. & ſeq. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 1. nu. 15. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 6. nu. 110.* & aliorum. Probatur, quoniam ex verbis inſtitutionis Sacramenti pœnitentiæ ſolùm habemus oportere, vt pœnitens aperiat Iudici, & ſic Confeſſario propriam cauſam hanc autem aperire poteſt non ſolùm per ſe, ſed etiam per alium.

15 Confirmatur, quia qui per alium loquitur, per ſe ipſum loqui moraliter cenſetur, *arg. tex. in l. 1. §. deieciſſe, ff. de vi & vi arm.* ergo confeſſio fieri poteſt per interpretem. Præterea ſi confeſſio per interpretem valida non eſſet, id quidem foret, quoniam publica eſſet; vt ſupra oſtendimus *ſec. 1. & 2.* confeſſionem ſacramentalem non ſolùm ſecretè; ſed etiam publicè fieri poſſe. Denique Sacramentum pœnitentiæ eſt ad ſalutem neceſſarium Baptizatis poſt lapſum; ſiquidem pecca-

tum mortale poſt baptiſmum commiſſum, non remittitur niſi Sacramento, vel Sacramenti voto, vt ſæpè diximus ex *Conc. Trid.* ergò congruum erat, vt confeſſio ex vi ſuæ inſtitutionis non habeat eſſentialiter determinatum ſignum ſenſibile; ſed ſatis ſit, vt quacúnque ratione pœnitens declaret conſcientiam ſuam: id autem per interpretem ſufficienter adimpleri poteſt.

16 Limitatur hæc concluſio, vt vera ſit, quando aliter confeſſio fieri non poſſet, niſi per interpretem. Vt quia Confeſſarius eſſet linguæ pœnitentis ignarus, vt habetur ex *Palud.* & alijs Doctoribus ſupra citatis. Etenim ex communi Eccleſiæ conſuetudine tenetur vnuſquiſque propria voce confiteri cùm poteſt, Vnde ſi citra neceſſitatem quis vellet per alium confiteri etiam Confeſſario præſenti, non excuſaretur à lethali culpa; nam hæc eſſet mutatio grauis de re, quæ pertinet ad conuenientem modum perficiendi Sacramentum pœnitentiæ, vt ſupra declarauimus *concl.* 2. & 3. An autem quis aliquando obligetur confiteri per interpretem, aut per ſcripturam, *ſec. ſeq.* diſcutiemus.

Reſtat modò, vt contraria ſoluantur.

17 AD primum ex *tex. in ca. quem pœnitet*, reſpondetur, debere eum intelligi, vt ita demum ſacramentalis confeſſio facienda ſit proprio pœnitentis ore, quando ita fieri commodè poteſt: aliàs fieri poſſet nutibus, ſignis, ſcriptura per interpretem, & quocunque alio ſigno ſenſibili conſcientiæ pœnitentis ſufficienter manifeſtatiuo. Eſt tamen verum, quòd confeſſio per interpretem plures exigit conditiones; quarum prima eſt, vt Confeſſarius ſit ignarus linguæ pœnitentis: ſecunda, vt pœnitens ſit præſens: tertia vt aliquo ſigno pœnitens ita exprimat peccata aliqua, vt Confeſſarius poſſit percipere, interpretem non fallere, vt poſt alios *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſar. recoll. 6. ſub nu.* 110.

18 Ad ſecundum ex *Conc. Florent.* dum ait Sacramenta nouæ legis conſtare verbis, dicimus, quòd in Sacramento pœnitentiæ id etiam verificatur; poſtquam eius forma, & ſic ſacramentalis abſolutio non poteſt impendi, niſi verbis, nempè, *Abſoluo te.* vt ſuo loco latius, Deo duce dicemus. Et dum idem Concilium dicit, materiam Sacramenti pœnitentiæ eſſe oris confeſſionem; non tamen cenſetur excludere aliud ſenſibile ſignum, ſi iuſta, & rationabilis cauſa maximè id ſuaderet; ſed viſum fuit vulgari locutione ſumpta ab eo, quod frequentius accidit, *arg. tex. in l. nam ad ea, ff. de legib.* Sic etiam vulgò appellatur operis ſatisfactio, non quia ſolo operetur, ſed quoniam frequentius ita fit. Neque ex eo quòd forma Sacramenti pœnitentiæ impenditur ore, debet quoque ore ſubminiſtrari eiuſdem materia; quoniam, vt ſuo loco dicemus, forma fuit inſtituta à Chriſto, vt ore proferatur, non ſic materia. Eſt tamen verum, quòd maximè congruit huius Sacramenti inſtitutioni, vt confeſſio ſacramentalis proprio confitentis ore proferatur; quia hoc modo facilius, & clarius peccata manifeſtantur: eſt ſecretior, & propter erubeſcentiam eſt magis ſatisfactoria, vt habetur ex *D. Auguſt. de vera, & falſa pœnit. cap. 10. de quo in d. cap. quem pœnitet, de pœnit. d. 6.*

19 Ad tertium ex conſtitutione Clem. VIII. patet reſponſio ex dictis: ſiquidem conſtitutio illa loquitur de confeſſione per litteras, & per nuncium facta Sacerdoti abſenti: & de abſolutione impenſa pœnitenti ſimiliter abſenti. At nos loquimur de confeſſione habita per ſcripturam, interpretem, per nutus, & ſigna Sacerdoti præſenti; & de abſolutione impenſa ipſi pœnitenti pariter præſenti; nam confeſſio, nec per interpretem fieri poſſe Sacerdoti abſenti docet *Vaſq.* poſt alios *in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 3.*

An teneatur quis per Interpretem, vel per ſcripturam confiteri, cùm aliter confiteri non poſſit.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Per interpretem confiteri poteſt quis, ſed non tenetur.*

2 *Qui confiteri non poteſt, niſi per interpretem, excuſatur à præcepto Eccleſiaſtico, confitendi ſemel in anno, non autem à præcepto Diuino confitendi in articulo mortis.*

3 *Per interpretem confiteri non tenetur quis, niſi de peccatis mortalibus contritionem non habeat, vel ſaltem dubitet. Tunc enim etiam publicè tenetur confiteri.*

4 *Scripto quis confiteri haud tenetur ſi nutibus ſufficienter poſſit ſua peccata Confeſſario manifeſtare.*

5 *Confeſſio ſcripto fieri debet coram Sacerdote, ſi pœnitẽs aliter ſua peccata nequeat manifeſtare*

6 *Ad ſacramentalem confeſſionem tunc quis tenetur, cum commodè fieri poteſt.*

7 *Non ſolum in mortis articulo, ſed etiam extra, ad implendum præceptum annuæ confeſſionis, confeſſio ſcripto fieri debet coram Sacerdote,*

8 *Per interpretem confiteri nullo caſu obligatur quis, vbi nutu, vel ſigno poteſt Confeſſario manifeſtare peccatum aliquod veniale in ſpecie, licet non poſſit mortale.*

9 *Aut nunquam datur Caſus, quo quis per interpretem confiteri obligetur, aut nunquam datur caſus, quo quis nutibus manifeſtare valeat peccatum aliquod ſaltem veniale.*

1 IN hac re *Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, condit. 11. Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. Ledeſ. 2. par. 4. q. 8. art. 3. dub. 6.* volunt, poſſe aliquem confiteri per interpretem, ſed non teneri; quia Chriſtus noluit fideles obligare pluſquàm ad ſecretam confeſſionem, quæ fit ſoli Sacerdoti, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* qui modus ex communi Eccleſiæ vſu, ac traditione habetur ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 1.* Confeſſio autem per interpretem, vel per ſcripturã ſecreta non eſt: & licèt non ſit omninò publica, exponitur tamen periculo, vt publicatur, vt ſcriptura deperdatur, aut per interpretem peccata reuelentur: & eò magis, quia quando confeſſio fit per interpretem, non fit ſoli Sacerdoti; atque ideò nullo modo dici poteſt ſecreta. Hanc eandem ſententiam quoad interpretem, tenet *Victor. Ver. Confeſſio. nu. 173. Petr. Sot. lec. 5. de confeſſ.* & alij, quos refert, & ſequitur *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 6. nu. 3.* dum dicunt poſſe fideles confiteri ſi velint per interpretem; excuſari tamen ſimpliciter ab obligatione cuiuſcunque præcepti ſi velint.

Secun-

Google

Secunda ſententia eſt *Syl.* poſt alios *in ſum. ver. Confeſſio 1.q.15.* quem ſequitur *Can. 5. par. relect. de pœnit. fol. 132. §. Hanc ego*, qui diſtin-
2 guunt de præcepto Diuino confeſſionis, & præcepto Eccleſiaſtico, dicentes, quòd qui niſi per interpretem confiteri poteſt, excuſatur à præcepto Eccleſiaſtico confitendi ſemel in anno, de quo in noſtro canone; non tamen excuſatur à præcepto Diuino confitendi in articulo mortis. Probatur hæc opinio, quoad primam partem ex noſtro canone per dictionem illam, *Solus*, qua omnis fidelis ſemel ſaltem in anno obligatur ad confitendum ſolus; ergò non poteſt obligari per interpretem ſi aliter confiteri nequeat. Confirmatur, quia præcepta Eccleſiaſtica non obligant cum tanto onere. Quoad ſecundam partem patet hæc ipſa ſententia, quoniam tunc non concurrit difficultas, aut damnum ſufficiens ad excuſandum à tali præcepto; quia cùm interpres teneatur eadem lege præcepti, qua Sacerdos, & non timeatur confeſſionis reuelatio, non videtur graue damnum, vt duo audiant idem peccatum. Confirmatur; nam aliquando idem peccatum oportet duobus reuelare propter caſuum reſeruationem, conſilij, aut auxilij petendi gratia: ergò, & propter ipſum Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum. Circa verò confeſſionem nutibus, aut ſcripto faciendam, vbi aliter fieri non poſſet ipſe *Syl. loco citato*, quem etiam ſequitur *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 5.* cum alijs, quos allegat, putat obligari pœnitentem præcepto Eccleſiaſtico.

3 Tertia ſententia eſt *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 6. nu. 5. & ſeq. Vaſq. vbi ſupra, dub. 3. ſub nu. 4. 5. & 6.* negantium per interpretem quem teneri ad confitendum, etiam ſi in articulo mortis reperiatur conſtitutus; niſi videat de peccatis mortalibus contritionem non habere, vel ſaltem dubitet; quia tunc tenetur confiteri non ſolùm per interpretem; ſed etiam publicè, ſi aliter non poſſit: ſiquidem cùm abſolutè teneatur Deo ſatisfacere, meritò in dubio obligatur, vt alio modo iuſtificetur, ac Deo ſatisfaciat. Et id maximè ne æternæ damnationis periculo exponatur, quæ ſuper omnia mala vitanda eſt. Eſt tamen verum, ait ipſe *Suar.* quòd eo caſu poſſet pœnitens confiteri ea peccata, quæ cum minori infamia explicari poſſet, cùm non teneatur ad confeſſionem materialiter integram, vbi non poteſt aliter confiteri, niſi per interpretem: & propterea ſatis eſt ad ſuæ ſaluti conſulendum ſuſcipere Sacramentum pœnitentiæ, & tunc ex attrito poteſt fieri contritus. In eandem ſententiam videtur inclinare *Conynch. diſp. 1. de pœnit. ſub nu. 77. §. Dixi ex vi præcepti confeſſionis*, quem refert, & ſequitur *Molf. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 11. nu. 12.* dum ait, in periculo mortis teneri pœnitentem confiteri peccata venialia per interpretem, & deindè generaliter confiteri omnia mortalia. Hæc ſunt Doctorum placita in hac controuerſia, reſtat modò, vt quid nobis dicendum ſit videamus. Sit igitur.

PRIMA CONCLVSIO.

4 NOn tenetur quis confiteri ſcripto ſi nutibus poteſt ſufficienter ſua peccata Confeſſario manifeſtare. Hæc concluſio patet ex ijs, quæ ſupra diximus *ſec. 3. concl. 2.* Etenim nutus pro vocibus deſeruiunt, & hoc modo confeſſio dicitur ſecreta, vel ſaltem magis ſecreta, quàm per ſcripturam. Quæ concluſio locum ſibi vendicat non ſolùm in articulo mortis; ſed etiam in ordine ad præceptum confitendi ſemel in anno, & ad dignè ſumẽdum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, vt adnotauimus *in d. concl. 2. ampl. vnica, ex Sot.* & alijs; quibus adde *Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 15.* dum ait, quòd tenetur quis confiteri ſcripto, aut nutu ex præcepto Eccleſiæ, ſi aliter non poteſt. Et ſic cum alternatiuè loquatur per dictionẽ illam, *Aut*, vbi pœnitens non poteſt confiteri propria voce, nec aliter, niſi ſcripto, aut nutu, tunc ſatis eſt ſi cõfiteatur ſcripto, aut nutu; atque ideò ſi velit cõfiteri nutu, non tenetur cõfiteri ſcripto: quia in alternatiuis ſufficit alterius tantùm concurſus, vt in *cap. in alternatiuis*, & ibi latè *Dyn. de regul. iur. in 6.* & ſignanter quoad illam dictionem, *Aut*, eſt *tex. in l. ille, aut ille*, & ibi *Doctor. ff. de legat. 3.*

SECVNDA CONCLVSIO.

5 COnfeſſio debet fieri ſcripto coram Sacerdote, ſi pœnitens aliter ſua peccata ſufficienter manifeſtare non poſſit. Hæc concluſio eſt *D. Thomæ in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 3. ad 2. Palud. ibidem, q. 2. Maior q. 1. §. Tertiò arguitur, Ricahr. q. 1. art. 2. concl. 3. poſt med. Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, cond. 11. Syl. ver. Confeſſio 1. q. 15. Petr. Sot. lec. 11. de confeſ. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 91. art. 3. dub. 5. Suar. ibidem, diſp. 36. ſec. 6. nu. 7.* & aliorum contra *Ricchard. d. 17. art. 2. q. 1. Nauar. in Man. cap. 21. nu. 36. Victor. Med.*
6 *Sot.* & alios. Probatur hæc concluſio, quia ad confeſſionem ſacramentalem quis tenetur, quando commodè fieri poteſt; ſed quando pœnitens non poteſt aliter confiteri, quàm per ſcripturam, poteſt commodè per eam confeſſionem facere: ergò ad confeſſionem tenetur. Maior patet. Probatur minor; quoniam ſi confeſſio per ſcripturam aliquod incommodum tribueret pœnitenti, id aliud non eſſet, quàm periculum reuelationis confeſſionis per Confeſſarium; at hoc eſt falſum, nam idem periculum inſtaret, vbi quis verbis, aut nutibus confitetur. Quòd ſi hoc nõ eſt timendum, ergò nec illud, cùm vtrumque ſit contra ſigillum. Confirmatur, quia ſi pœnitens ſcripturam non ſubſcribat, & litteram aliquo modo mutet, nullum inſtat periculum: ergò non ob id excuſatur à confeſſione.

7 Ampliatur hæc concluſio, vt vera ſit non ſolùm in articulo mortis; ſed etiam extra mortis articulum ad implendum præceptum annuæ confeſſionis, & ad dignè ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum: quoniam eadem ratio militat in his omnibus; cùm idem ſit tradere Confeſſario ſcriptum, & voce reuelare eidẽ peccata, vt habetur ex *Vaſq. loco citato*, vbi etiam ait, non exigi ad hoc diligentiam illam, quam docet *Caiet. Petr. Sot. & Domin. Sot.* relati ab eo à *Suar. loco citato*; ſed ſatis eſt ſi Sacerdoti præſenti peccata ſcripta tradantur, exhibendo contritionis ſigna, & petendo ab eo penitentiam, iuxta ea, quæ ſupra diximus, *ſec. 3. concl. 3.*

TERTIA CONCLVSIO.

8 NVllo vnquam caſu obligatur quis confiteri per interpretem, vbi nutu, vel quolibet alio ſigno poteſt manifeſtare Confeſſario peccatum veniale in ſpecie, ſi non poſſit mortale, & generaliter ſe peccaſſe mortaliter, etiam ſi con-

Google

conſtitutus reperiatur in articulo mortis, & ſciat, vel dubitet non eſſe contritum. Probatur, quia ſi pœnitens in illo articulo obligaretur confiteri per interpretem, id non prouenirет ex inſtitutione Sacramenti, vel ex aliquo ſpeciali Dei præcepto; ſed ex iure naturali; quo quis tenetur ad contritionem, aut alio modo ſupplente contritionem reconciliari cum Deo, quod fit in hoc Sacramento, vt benè declarat idem *Vaſq. loco citato, dub. 3. ſub nu. 5. & 6.* Id autem ſufficienter adimpletur, cùm quis nutibus poteſt Confeſſario manifeſtare peccatum aliquod veniale, & in genere peccaſſe mortaliter; ergò non tenetur ita confiteri per interpretem: nam ſicut confeſſio per interpretem eo modo habita non diceretur materialiter integra; ſed Integra formaliter, vt ſupra diximus in relatione tertiæ ſentẽtiæ; ita etiam cenſeretur, ſi fieret tantùm nutibus: & inſuper vitarentur incommodum publicæ confeſſionis. Etenim confeſſio per interpretem reuera non eſt ſecreta, cùm non fiat ſoli Sacerdoti: & eò maximè, quia licèt interpres obligetur ad ſigillum; non tamen vinculo adeò arcto tenetur, ac Confeſſarius: ſiquidem non fungitur officio audientis, atque ideò Confeſſarij; ſed loquentis; & propterea ſe tenet ex parte pœnitentis. Vndè ſi interpres confeſſionem reuelet, quamuis veniat grauiter puniendus; non tamen pariter, ac Confeſſarius, qui ſigillum violauit, vt habetur traditis ex *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 6. circa finem,* quibus adde *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 6. nn. 6. 7. & 8.*

9 Ex quibus patet rarò, aut nunquam dari caſū, quo quis obligetur confiteri per per interpretem, cùm rarò, aut nunquam detur caſus, in quo quis nutibus manifeſtare nequeat peccatum aliquod ſaltem veniale. Poſſet tamen euenire caſus, vbi quis non habens copiam Confeſſarij, opus eſſet confiteri Confeſſario cæco: nam cùm cæcus nutibus peccata comprehendere non poſſit, neceſſariò pœnitens obligaretur confiteri per interpretem iuxta modum in tertia ſententia relatum, de quo etiam *Fagund. loco citato, num. 7.* qui allegat etiam *Conynck. diſp. 5. de Sacram. dub. 10. nn. 77. §. Dixi,* qui addit; imò omninò ſuadendum eſſe, vt quando aliud non timeretur incommodum, ſimpliciter omnia peccata ſua pœnitens confiteretur; ijs tamen tacitis, ex quorum reuelatione aliquod notabile detrimẽtum timet, ſi fortè interpres eſſet ſuſpectus: & idem dicendum eſſe quando vbi confeſſio nequit fieri, niſi alijs audientibus.

Ibi, *Semel ſaltem in anno*, De tempore, quo ſit adimplendum præceptum confeſſionis noſtri canonis.

DISP. V.

VIſum eſt ſupra de modo confeſſionis pro adimplendo eiuſdem præcepto in noſtro canone contento. Modò conſequenti ordine videndum eſt de tempore, in quo dictum præceptum ſit adimplendum: quapropter Concilium præfiniens tempus poſt deſignatum modum per dictionem illam, *Soluo*, ſic ait, *Semel ſaltem in anno, &c.*

An præceptum confeſſionis annuæ obliget in aliqua determinata parte anni, & qualiter annus ſit computandus.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum annuæ confeſſionis, an obliget in aliqua determinata parte anni.*

2 *Antiqua fuit conſuetudo confitendi in principio Quadrageſimæ, & recipiendi abſolutionem in Cœna Domini, & nu. 13.*

3 *Præceptum hoc per ſe, & ex vi ſua obligat ſemel in anno, non antè pro determinata parte anni.*

4 *Præceptum audiendi Miſſam die feſto, obligat tempore Matutino, non tamen in determinata hora illius.*

5 *Improbatur opinio* D. Anton. *exiſtimantis teneri fideles confiteri ſemel in anno in Paſchate.*

6 *Conſiderato hoc præcepto annuæ confeſſionis ratione ſui, & quatenus fieret contra ipſum præceptum affirmatiuum confitendi ſemel in anno, non obligat pro determinata parte anni, ſed quacunq; die confiteri poteſt, ſiuè in principio, ſiuè in fine.*

7 *Qui in principio anni confeſſus eſt, quamuis deindè ante Quadrageſimam lethalem culpam cõtraxiſſet, non tenetur iterum confiteri, nec in Quadrageſima, nec in alio anni tempore.*

8 *Qui in Quadrageſima, venialia tantum habens confeſſus Euchariſtiam ſumpſerit, ſi poſt communionem in mortalem culpam incidat, an teneatur intra illum annum confiteri.*

9 *Qui infra annum mortalia fuerit confeſſus: ſi tamen tempore Quadrageſimæ conſcius ſit noui peccati mortalis, non dum confeſſi, tenetur ad confitendum illo anno pro eo tempore.*

10 *Habens conſcientiam peccati mortalis in Quadrageſima, tenetur ad confitendum eo tempore, quamuis plures antea mortalia fuerit cõfeſſus.*

11 *Annus in hoc præcepto confeſſionis computandus eſt à Quadrageſima ad Quadrageſimam.*

12 *Omnes exiſtimant, obligationem hanc confitẽdi ſemel in anno, in Quadrageſima finiri.*

13 Tex. in c. in capite 50. d. *loquitur de confeſſione & pœnitentia publica, non verò de ſacramentali: Et quare fideles conſueuerunt antiquitus, in Quadrageſima confiteri.*

14 *An ex quo pueri in Quadrageſima confiteantur, ſatis ſint ad inducendam conſuetudinem.*

15 *Ex ſtatutis, & legibus prouincialibus non fuit, nec potuit præceptum introduci certum, & determinatum confeſſionis tempus. Et quare.*

16 *Cum quis vult ſe communicare, & conſcius ſit peccati mortalis ſemper confiteri tenetur. Nec Mendicantes prædicare poſſunt, Subditos non teneri ad confeſſionem in Paſchate cum proprio Sacerdote.*

1 IN hac difficultate pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt dicentium, præceptum confeſſionis annuæ obligare in aliqua determinata parte anni; verum diuiſi ſunt, quoniam *D. Anton. 3. par. tit. 14. cap. 14. §. 3.* arbitratur teneri fideles confiteri ſemel in anno, nempè in Paſcha, quando neceſsè habent communicare: quam ſententiam tribuit *D. Thomæ in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiun. 4. & quodl. 1. ar. 11.* & alijs. Vndè conſequenter videtur velle obliga-

tionem,

tionem, qua ligat Eccleſia ad confeſſionem ſemel in anno, eſſe ratione Euchariſtiæ, ad quam recipiendam obligat, atque ideò non per ſe, ſed per accidens. *Petr. Sot.* verò, *lec. 5. de confeſ.* opinatur, quòd ſicut præceptum annuæ communionis obligat pro determinata parte anni, nempè in Paſchate; ita quoque præceptum confeſſionis obligat pro tempore Quadrageſimæ, vel Paſchatis, non ſolùm per accidens ad dignam ſumptionem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti; ſed per ſe intra obligationem confeſſionis. Probatur
a hæc opinio primò, ex *tex. in c. in capite, 50. d.* vbi refertur antiqua conſuetudo confitendi in principio Quadrageſimæ, & recipiendi abſolutionem in Cœna Domini. Hæc eadem cõſuetudo confitendi in Quadrageſima adhuc viget in vniuerſali Eccleſia, & refertur in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* quæ ab eodem Concilio laudatur, & amplectitur his verbis, *Vndè iam in vniuerſa Eccleſia cum ingenti animarum fidelium fructu obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi ſacro illo, & maximè acceptabili tempore Quadrageſima, quem morem hæc ſancta Synodus maximè probat, & amplectitur tanquam pium, & meritò retinendum.* Confirmatur ex ſtatutis Prouincialibus, quibus puniuntur, qui non confitentur intra Quadrageſimam: pro qua re præcipitur Parochis, vt initio Quadrageſimæ, omnes qui confeſſi non ſunt, deſcribant, vt ad ſuperiores deferant. Denique probatur ex *Extrau. 2. de treg. & pac.* vbi decernitur, Parochianos teneri ad confitendum proprijs Parochis ad minus in Paſchate. In eandem opinionem videtur inclinare *Io. Medin. C. de Confeſ. q. 18. de confeſ. ſemel in anno agen.* in ſecunda illius parte, dum ait, quòd licèt ex vi noſtri canonis non obliget hoc præceptum pro determinato tempore anni; nihilominus ex communi Eccleſiæ conſuetudine factam iam eſſe talem determinationem, & obligationem inductam, pro qua re citat *D. Thom. loco citato*, qui re vera non loquitur de obligatione per ſe confeſſionis, ſed per accidens ratione Euchariſtiæ, vt rectè aduertit *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 3. nu. 1. in fine.*

3 Secunda ſententia eſt *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4. concl. 1. Ledeſ. 2. 4. quæſt. 5. art. 5. dub. 6. Can. relectione de pœnit. par. 5. non longè à fine, §. ad vltimum, & ſeq. Nauar. in Man. cap. 2. nu. 9. Suar. 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 3. n. 2. Vaſq. ibidem q. 90. art. 3. dub. 1. ſub nu. 5. 8. & 9. Reginal. lib. 6. ſuæ prax. nu. 33. & ſeq. Conynch. diſp. 5. de neceſ. confeſ. nu. 57. & 58. Molſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 10. nu. 23.* Et aliorum dicentium, præceptum hoc obligare ſemel in anno, non tamen pro determinata parte anni per ſe, & ex vi
4 ſua: ſicut præceptum audiendi Miſſam die feſto, obligat tempore matutino; non tamen determinata hora illius; ſed fidelium arbitrio remittitur: quam ſententiam communem eſſe teſtatur *Suar. Molſ.* & alij ſupra relati Doctores, & probabilem quoque eſſe inquit *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 3. nu. 50.* Quamuis diui ſi ſint inter ſe in computando anno. Nam quidam annum computant à tempore, quo quiſq; peccat mortaliter, ita vt nemo poſſit confeſſionem differre vltra annum à die, quo lethalem culpam contraxit. Alij computant annum ab vltima confeſſione. Alij denique a Quadrageſima ad Quadrageſimam, & hunc annum vocant Eccleſiaſticum. Et quoniam hæc opinio nobis videtur verior, idcircò pro eius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

5 Improbabilis omninò videtur opinio *D. Antonini* ſupra relata, exiſtimantis teneri fideles confiteri ſemel in anno in Paſcha ratione Euchariſtiæ dumtaxat; atque ideò non per ſe, ſed per accidens. Hæc concluſio eſt *Vaſq. loco citato, nu. 6.* & aliorum. Probatur, quoniam tunc ſequeretur, quòd qui toto anno ad confeſſionem non accederet, nec ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumeret, ex eo tantùm peccaret, quòd ad ſanctiſſimam communionem non acceſſit; non autem quia non fuiſſet confeſſus: quod eſt manifeſtè falſum; ſiquidem neceſſarium non erat ratione Euchariſtiæ recipiendæ modificari tempus confeſſionis: nam ſemper, & quocunq; tempore illa præmittenda erat, ſiuè in Paſchate, ſiuè extra Paſcha. Nec pro dicta ſententia *D. Antonini* poteſt afferri *D. Thom. loco citato*; quoniam ipſe *D. Thom.* ibi loquitur de obligatione per accidens, vt benè aduertit *Vaſq. ibidem ſub nu. 7. & Suar. nu. 1. in fine.*

SECVNDA CONCLVSIO.

6 SI præceptum confeſſionis annuæ conſideretur ratione ſui, quatenus omiſſionis culpa ſpecialis contrahitur contra ipſum præceptum affirmatiuum confitendi ſemel in anno, non obligat pro determinata parte anni, nempè in Quadrageſima, in Paſcha, aut in alio determinato tempore, ſed ſatis eſt confiteri quocunque die totius anni, ſiuè in principio, ſiuè in fine. Probatur ipſa concluſio ex noſtro canone, in illis verbis, *Semel ſaltem in anno, &c.* Vbi ſemel tantùm in anno præcipitur confiteri, nec deſignatur pars aliqua ipſius anni, in qua determinatè fideles debeant confeſſione vti: ergò ſatis eſt ad implendum dictum præceptum confiteri quocunque die totius anni: quoniam lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, & quando non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt.* Secundò in eodẽ noſtro canone duplex fertur præceptum, alterum ſcilicèt confeſſionis, & alterum communionis: at præceptum communionis eſt pro determinata parte anni, nempè ad minus in Paſcha; & præceptum confeſſionis indeterminatè conſtituitur, ideſt ſemel tantùm in anno: ergò ſi præceptum communionis obligat pro determinata parte anni, præceptum confeſſionis indeterminatè cenſetur conſtringere; atque ideò ſufficit, vt fideles confiteantur in quocunque die totius anni: Etenim canon ipſe ſi voluiſſet pro determinata parte anni fideles ad confitendum alligare, id expreſſiſſet; ſicut expreſsè voluit in Paſcha ad communicandum obligare. Et hoc non iniuria quidem; quoniam vſus ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti per ſe præcipitur, etiam ſi homo nunquam peccauerit: & propterea poteſt quoque præcipi ſpeciali, ac determinato anni tempore, etiam ſi fideles alijs temporibus voluntariè communicauerint. At vſus Sacramenti pœnitentiæ non per ſe præcipitur: ſed ſuppoſita lethali culpa: meritò indeterminatè præcipitur. His adde, quæ habentur ex *Alph. de Leone de officio, & poteſt. Confeſ. recoll. 18. nu. 22. cum plur. ſeq.*

7 Ex hac concluſione infertur ex *Vaſq. d. dub.*

ſub

ſub nu. 5. quòd qui in principio anni ad confeſſionem acceſſit, etiam ſi lethalem culpam ante Quadrageſimam contraxiſſet, non obligaretur iterum confiteri, nec in Quadrageſima, nec in alio anni tempore; quoniam iſte talis dicitur confeſſus ſemel in anno. Quod quidem verum putat idem *Vaſq. loco citato, nu.* 16. vbi quis pro præcepto adimplendo lethalem aliquam culpam fuerit confeſſus; aliàs ſecus: nam ad implendum huiuſmodi præceptum ſatis non eſt ſi ſemel in anno de venialibus tantùm confeſſionem faceret; quia non dum culpam lethalem contraxerat: & propterea ſi poſtea eo anno habuerit mortalia, tenetur toto illo anno ſemel confiteri. Vndè qui
8 in Quadrageſima venialia tantùm habens, confeſſus Euchariſtiam ſumpſerit, ſi poſt communionem in aliam culpam mortalem incidat, tenetur confiteri intra illum annum, non præcepto confeſſionis ad communicandum in Paſcha; quoniam iam ſupponimus illo tempore Euchariſtiam ſumpſiſſe; ſed præcepto confeſſionis ſecundum ſe. Quod verum putet ipſe *Vaſq.* etiam ſi talis aſſiduè fuerit de venialibus, vt ſupra confeſſus: nam ſi in medio, vel in fine, aut in qualibet alia parte anni mortaliter peccet, obligatur per ſe confiteri intra illum annum pro implendo confeſſionis annuæ præcepto. Ratio autem hæc eſt; quia cùm præceptum huiuſmodi ſit determinatio præcepti Diuini, quod obligat fideles poſt lapſum in lethalem culpam, hinc ſequitur adimpleri ſola mortalium confeſſione.

TERTIA CONCLVSIO.

9 QVi infra annum mortalia fuerit confeſſus; ſi tamen tempore Quadrageſimæ habeat conſcientiam noui peccati mortalis, non dum confeſſi tenetur ad confitendum illo anno pro eo tempore. Hæc concluſio eſt *Suar. d. diſp. 36. ſec. 3. nu. 9.* qui ſupponit annum, de quo loquitur noſter canon eſſe Eccleſiaſticum, atque ideò computari à Quadrageſima ad Quadrageſimam, comprehendendo omnes illos dies, in quibus poteſt communionis præceptum adimpleri. Probatur hæc concluſio ex eodem noſtro canone, vbi præcipiuntur confiteri omnia mortalia peccata in illo anno commiſſa, per dictionem illam, *Omnia*, ergò tenetur quis intra illum annum confiteri ea, quæ non eſt confeſſus. Confirmatur hæc concluſio ex communi Eccleſiæ conſuetudine; quoniam nullus fidelium contentus remanet confeſſione priori tempore facta, ſi tunc habeat conſcientiam peccati mortalis: & Paſtores Eccleſiæ eo tempore cogunt ad confeſſionem faciendam; ergò ita interpretandum eſt ſupradictum præceptum. Vndè iuxta hanc concluſionem, qui conſcientiam habet peccati mortalis in Quadrageſima, quamuis pluries fuerit confeſſus ante Quadrageſimam de mortalibus, ſi non confiteatur denuò illo tempore, & non communicet in Paſcha, duplicem culpam contrahit: alteram ratione præcepti communionis in Paſcha; & alteram ratione præcepti confeſſionis annuæ omnium præceptorũ non adimpleti: & ſic quicunque conſcientiam habet peccati mortalis in Quadrageſima, etiam ſi pluries antea mortalia fuerit confeſſus, per ſe nihilominus tenetur confiteri; & non tantùm per accidens ad dignam ſumptionem ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Qua concluſione ſic ſtante conciliat ipſe *Suar. ibidem nu.* 10. ſupradictas opiniones inter ſe: nam illa quæ ſe habet, hoc præceptum obligare determinatè pro tempore Quadrageſimæ, intelligenda eſt ſi fidelis conſcientiam habeat peccati mortalis non confeſſi; quoniam non eſt veriſimile, primæ ſententiæ Authores ſenſiſſe obligari hominem ad differendam confeſſionem vſque ad illud tempus, vel ad confitendum iterum peccatum ſemel confeſſum. Qui verò negant, hoc præceptum obligare in determinata parte anni, loquuntur per ſe; quia in quacunque parte anni homo confiteatur implet hoc præceptum quoad ea, quæ tunc confiteri poteſt: quapropter ſi hoc præceptum aliquando obligat in tempore Quadrageſimæ, id prouenit ex eo, quòd præceptum antea non fuerit integrè impletum.

10 Hæc concluſio re vera vera eſt dum ait, habentem conſcientiam peccati mortalis in Quadrageſima teneri ad confitẽdum eo tempore, quamuis pluries antea fuerit mortalia confeſſus, ſi maximè cõputetur annus à Quadrageſima ad Quadrageſimam, vt nobis probabilius videtur, & dicemus *concl. ſeq.* Verùm dum inquit teneri per ſe ad confitendum, id eſt contra communem ſententiam ſecundo loco relatam, & præſertim contra *Victor. in ſum. nu. 137. & Ledeſ. 2. par. 4. q. 6. art. 5. dub. 6.* qui videntur velle, quod qui intra annum confeſſus eſt, non tenetur ad confitendum tempore Quadrageſimæ per ſe, & ex vi præcepti confeſſionis annuæ, etiam ſi conſcientiam peccati mortalis habeat; ſed tantùm per accidens ad dignè communicandum, vt clarè colligitur ex *Molſ. par. 1. ſuæ ſum. Thol. tract. 7. cap. 10. nu. 23.* Etenim noſter canon dum vult, debere fideles omnia peccata ſemel in anno confiteri, non eſt neceſſarium intelligi de omnibus peccatis, quæ vſque ad finem anni committuntur; ſed de omnibus, quæ fidelis habet dum confitetur: quia præceptum confeſſionis ſemel in anno, vt ſupra probauimus, *diſp.* 1. *ſec.* 1. & alibi ſæpè diximus nihil addit præcepto Diuino; ſed eſt tantùm determinatio iuris Diuini, atque ideò illa verba, *Omnia peccata*, non addunt nouam determinationem: ſed tantùm explicant confeſſionem debere eſſe integram de iure Diuino. Quæ quidem *tex.* interpretatio cùm litteræ magis conueniant, non arbitror recedendum eſſe à communi opinione; ita vt qui fuit mortalia confeſſus ante Quadrageſimam, ſi in Quadrageſima deindè habeat conſcientiam peccati mortalis nunquam confeſſi, & eo tempore non confiteatur, nec ad communionẽ accedat in Paſcha, non duo, ſed vnum tantùm peccatum committit, ratione ſcilicet tranſgreſſionis præcepti communionis ſolùm, non autem confeſſionis; quoniam ad confeſſionem non tenebatur per ſe, cùm per præcedentem confeſſionem iam impleuerit præceptum confitendi ſemel in anno. Imò ſi ex aliqua iuſta cauſa excuſaretur à communicando in Paſcha, nullam culpam contraheret non confitendo, cùm iam confeſſionis præceptum impleuerit, nec abſit alia obligatio, niſi per accidens ad dignè communicandum.

QVARTA CONCLVSIO.

11 DVm vi noſtri canonis præcipitur confeſſio ſemel in anno, computandus eſt annus à Quadrageſima ad Quadrageſimam; atque ideò

ideò loquitur canon de anno Eccleſiaſtico. Hæc concluſio eſt *Suar. d. ſec. 3. nu. 8.* quam ſatis probabilem dicit eſſe *Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 3. nu. 53. & Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 1. cap. 4. nu.* 18. qui addit ex conſuetudine Eccleſiæ, & indulgentia Prælatorum, huiuſmodi annum in nonnullis Diœceſibus extendi vſque ad Dominicam in Albis, & in alijs vſque ad Dominicam Paſtoris boni. Probatur primò ipſa concluſio ex confutatione aliorum modorum computandi annum, quos ſupra retulimus in relatione ſecundæ ſententiæ. Nam primus modus, qui computat annum à tempore, quo quis peccat mortaliter, nullo innititur fundamento: & poſſet quis poſt Quadrageſimam, in qua confeſſus eſſet per quatuor, aut plures menſes non peccare mortaliter: & ſi deindè peccet lethaliter, poſſet expectare annum non confitendo in Paſcha ſequẽte, quod eſt inconueniens, & contra communem Eccleſiæ conſuetudinem. Non ſecundus cùm non ſit conformis verbis noſtri canonis, cùm eius verba non ſint, vt fideles intra annum, vel poſt annum confiteantur ab vltima confeſſione; ſed ſemel in anno: & abſurdum eſſet huiuſmodi tempus non dari certum, & fixum pro omnibus. Nec denique tertius, quia ſi ab initio Ianuarij vſque ad finem Decembris deberet annus computari, qui ab initio Ianuarij vſque ad Paſcha lethalem culpam non contraxiſſet, & tunc communicaret, ſi deindè mortalem culpam contrahat, teneretur confiteri per totum menſem Decembris; cùm tamen ex communi vſu Eccleſiæ poſſit expectare Quadrageſimam, & Paſcha ſequens: Ergò ex confutatione prædictorum modorum ſequitur annum ſupradictum eſſe computandum à Quadrageſima ad
12 Quadrageſimam. Confirmatur, quoniam huiuſmodi computatio eſt conformis Eccleſiæ conſuetudini, cùm omnes exiſtiment, hanc obligationem confitendi ſemel in anno eo tempore finiri non ſolùm in obligatione per accidens ratione communionis, ſed etiam per ſe. Siquidem etiam illi, qui non ſunt ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumpturi eo tempore confitentur exiſtimantes teneri. Vndè licèt ex verbis noſtri canonis id probari non poſſit; nihilominus, ſtante dicta conſuetudine, ita eſt intelligendus; quoniam cõſuetudo dicitur optima legum interpres, vt habetur ex *Panor. in cap. cum dilectus, ſub nu. 7. de conſuet.* vbi etiam addit, quòd quando lex eſt dubia recurrendum eſt ad conſuetudinem loci: & ſi de ea apparet, non eſt recedendum ab illo intellectu, quem conſuetudo tribuit, etiam ſi ex poſt facto appareat, quod talis intellectus in ſe non ſit bonus. Hæc ratio eſt *Suar.* qui loquitur conſequenter iuxta ſuam opinionem, ſe habentem præceptum annuæ cõfeſſionis obligare habentem conſcientiam peccati mortalis nunquam confeſſi in Quadrageſima, etiam ſi antea infra annum lethale fuerit confeſſus: & id non ſolùm per accidens, ſed etiam per ſe; cuius opinionem in hac re non ſequimur; eò magis, quia eſt contra communem, vt ſupra diximus. Quo circà dicimus, prædictam conſuetudinem probare quodammodo computationem anni eſſe faciendam à Quadrageſima ad Quadrageſimam, non autem eſſe omninò conuincentem, vt ex ſolutione argumentorum clarius patebit. Quibus adde quæ habentur ex *Fagund. loco citato*, & ex *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 18. nu. 24. cum plur. ſeq.*

Reſtat modo, vt ad contraria reſpondeamus.

13 AD primum ex *tex. in c. in capite, 50. d.* patet reſponſio: loquitur enim de confeſſione, ac pœnitentia publica pro publicis delictis; non autem de ſacramentali. Ad conſuetudinem verò vniuerſalis Eccleſiæ dicimus, ex ea nihil aliud colligi; niſi ideò fideles conſueuiſſe in Quadrageſima confiteri; quia præceptum habemus communionis in Paſcha; ad quam timorati maximè non audent accedere, etiam ſi conſcientiam non habeant peccati mortalis, niſi præmiſſa confeſſione. Cæterum ad annuam confeſſionem ſecundum ſe nemo tenetur in aliqua determinata parte anni, nec vigore præcepti, nec conſuetudinis. Nec ex eo quòd pueri in Quadra-
14 geſima confitentur, ſatis ſunt ad inducendam conſuetudinem; quoniam in ea ætate ſunt, vt diſcernere neſciant tempus huius obligationis; ſed id agunt, quòd ab alijs fieri vident, & quicquid vident, ignorant, *l. 1. §. impuberes, C. de falſ. moneta*. An *Conc. Trid.* rectè reſpondet *Vaſq. d. art. 3. dub. 1. n. 10.* dum ait, Concilium ibi tantùm voluiſſe ſignificare contra hæreticos retinendum eſſe morem illum confitendi; ſed quòd ſecundum ſe ratione præcepti confitendi ſemel in anno eo tempore obligaret, & ita in futurum conſuetudinem ipſam eſſe ſeruandam, non curauit: & propterea quando ait Concilium, *Quem morem, &c.* Ad illud refertur, quod dixerat, obſeruari morem in Eccleſia confitendi, de quo erat inſtitutum: quòd autem confeſſio fieret in Quadrageſima per ſe, vel per accidens in ordine ad communionem, id non determinauit.

15 Ad confirmationem ex ſtatutis, & legibus Prouincialibus reſpondetur, per ea non fuiſſe, nec potuiſſe introduci præceptum aliquod, quo determinetur certum confeſſionis tempus: quia determinare ius Diuinum confeſſionis ad hoc, aut illud tempus ad ſolam vniuerſalem Eccleſiã, vel ad Romanum Pontificem pertinet, vt benè declarat idem *Vaſq. loco citato*.

16 Ad vltimum ex *d. extrau. 2. de treg. & pace*, dicitur extrauag. illam loqui de confeſſione per accidens, quando quis vult communicare, & conſcientiam habet peccati mortalis. Præcipitur enim in *d. extrauag.* ne Mendicantes prædicent, ſubditos non teneri ad confeſſionem in Paſchate cum proprio Sacerdote; atque ideò non loquitur de eo tempore præcisè ratione confeſſionis per ſe; ſed ratione Euchariſtiæ, & ſic per accidens. Non tamen ob id intendimus approbare ſententiam *D. Antonini* ſupra relatam: nam ſi obligationem, qua ligat Eccleſia ad confeſſionem ſemel in anno, eſſet ratione Euchariſtiæ tantum, ad quam recipiendum in Paſcha obligat; tunc ſequeretur non dari præceptum confeſſionis ſecundum ſe: & qui toto anno non confiteretur, nec reciperet Euchariſtiam, tantùm peccaret, quia non communicauit, non autem quòd non fuerit confeſſus; quod eſt manifeſtò falſum, vt ſupra diximus, & benè explicat *Vaſq. ibidem, num. 6. & 12.*

An qui non impleuit præceptum Eccleſiaſticum confeſſionis intra annum, tenetur ſtatim conſiteri in ſequenti anno.

SEC. II.

SVMMARIVM:

1 *Qui præceptum annuæ confeſſionis non implet, peccat mortaliter; ad confitendum tamen non tenetur, niſi vſque ad ſequentem annum.*

2 *Ex communi vſu, & conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ fideles, præceptum confeſſionis non implentes, excommunicantur, nec ab ea abſoluuntur, donec confiteantur.*

3 *Præceptum affirmatiuum dupliciter conſiderari poteſt, quatenus non obliget elapſo tempore, & quatenus obliget elapſo tempore.*

4 *Tranſgreſſor præcepti annuæ confeſſionis grauiorem reddit culpam, donec præceptum ipſum impleat.*

5 *Præceptum confeſſionis annuæ, ac præceptum communionis ſunt modificatio præcepti Diuini.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *D. Antonini in ſua ſum. 3 par. tit. 14. cap. 19. §. 3. Syl. ver. Euchariſtia, 3. q. 15. Henr. de ſacram. pœnit. lib. 1. cap. 4. §. 6. in tex. & in Gloſ. litt. Q Valen. tom. 4. diſp. 9. 8. de vſu Euchariſt. pun. 4. verſ. Quartum eſt*, & & aliorum dicentium, quòd non implens infra annum præceptum annuæ confeſſionis, peccat quidem mortaliter, non tamen tenetur ad confitendum, niſi vſque ad ſequentem annum. Hanc eandem opinionem ſequi nonnullos ex *Theologis, ac Summiſt.* refert *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4. dub. vlt.* & communem eſſe teſtatur *Henr. loco citato*, quem refert etiam, & ſequitur *Megal. par. 1. Inſt. Peregr. lib. 5. cap. 3. q. 11.* & probabilem denique exiſtimat *Sot. d. dub. vlt. & Filliuc. tom. 1. qq. morat. tract. 7. de confeſ. cap. 3. nu. 54.* Mouentur ex eo, quòd præceptum affirmatiuum determinatè obligans aliquo tempore, ſi non ſeruetur infra prædictum tempus, non alligat amplius elapſo tempore: ſed præceptum annuæ confeſſionis eſt affirmatiuum; ergò ſi non ſeruatur infra annum, non obligat amplius elapſo anno; atque adeò non tenetur illud adimplere in ſequenti anno. Minor patet; Probatur Maior inductione in præcepto ieiunij, in præcepto audiendi ſacrum die feſto, recitandi horas canonicas, in præcepto communionis in Paſcha, &c. Et ratio eſt, quia huiuſmodi præcepta definiunt eorum obligationem ad tale tempus: ergò elapſo tempore, & violato præcepto, ceſſat eiuſdem obligatio. Confirmatur, quoniam aliàs talis tranſgreſſor continuè peccaret, quamdiù non confiteretur: quod tamen videtur abſurdum.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam arbitror de iure veriorem eſſe, quam tenet *Maior in 4. d. 17. q. 2. circa fin. Sot. ibidem d. 18. q. 1. art. 4. dub. vlt. Med. C. de confeſ. q. 18. de confeſ. ſemel in anno agen. Victor. in ſum. nu. 137. Nauar. in Man. cap. 21. nu. 45. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 3. nu. 2. Vaſq. ibidem, q. 90. art. 3. dub. 2. nu. 2. Reginal. lib. 6. ſua prax. nu. 37. Conynch. diſp. 5. de pœnic. nu. 61. & ſeq. Molf. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 10. nu. 32.* quam opinionem probabilem putat etiam eſſe *Filliuc. loco cit. nu. 55.* Probatur hæc concluſio ex communi vſu, ac conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ, qua excommunicantur fideles præceptum confeſſionis maximè non adimplentes, nec poſſunt ab excommunicationis vinculo abſolui, donec confiteantur: ergò clarè conſtat teneri ſtatim, ac continuè ad confeſſionem, donec præceptum impleatur. Secundò probatur ex forma, ac inſtitutione prædicti præcepti: ſiquidem præcipitur, vt ſaltem ſemel in anno confiteamur; atque adeò intentio præcepti eſt, vt confeſſio nimium, & vltra non differatur: ergò ita obligat confiteri intra annum, vt ſi tunc non impleatur, ſemper, & continuò duret eiuſdem obligatio, ne amplius differatur; & quo magis quis voluntariè confeſſionē differt eò magis peccat, ſicut quando quis obligatur in anno ſoluere debitum aliquod, multò magis remanet ad illius ſolutionem obligatus, elapſo anno, ſi non ſatisfecerit, *arg. tex. in l. Celſus, ff. de recepe. arbitr. cap. dudum*, & ibi *Panor. n. 12. de dol. & contum.* Quæ quidem concluſio vera eſt non ſolùm quando quis culpabiliter præceptum prædictum non impleuerit; ſed etiam ſi citra culpam non ſeruauerit. Vt quia Confeſſarij copiam non habuerit, aut ex alia iuſta, ac rationabili cauſa; quoniam adhuc tenetur cùm primum potuerit ad confeſſionem accedere ex vi huius præcepti confeſſionis annuæ, quod ſemper obligat, donec impletur, vt habetur ex *Vict. nu. 147. & Filliuc. loco citato, nu. 50.*

Ad contraria reſpondetur.

3 AD primum dicitur, quòd præceptum affirmatiuum poteſt dupliciter conſiderari: primò, vt definiens obligationem vſque ad determinatum tempus; ſecundò, vt differens obligationem vſque ad tale tempus. Præceptum affirmatiuum primi generis non obligat elapſo tempore; quia in eo habetur ratio temporis deſignati: huiuſmodi eſt præceptum ieiunij, præceptum recitandi horas canonicas, audiendi ſacrum, &c. At præceptum affirmatiuum ſecundi generis obligat, elapſo tempore; ſicut obligatus ad centum tali tempore ſoluendum, ſi elapſo tempore non ſoluat; non tamen ob id extinguitur obligatio, vt habetur ex Doctor. ſupra relatis.

4 Ad confirmationem patet reſponſio ex dictis: concedimus enim tranſgreſſorem præcepti confeſſionis annuæ continuè grauiorem reddere culpam donec præceptum ipſum impleat, ſicut ſupra diximus, agentes de peccato nō reſtituendi, *diſp. 4. ſec. 5. concl. 2.* nam peccatum continuatur actu, & non tantùm manet per modum habitus & interrumpi poteſt omiſſio non cōfitendi, ſicut peccatum non reſtituendi, vt benè declarat *Vaſq. in 3 par. tom 4 q 90. art. 3. dub. 2. ſub nu. 8 §. Notandum eſt, Suar. loco ſupra citato*, & alij Idem puto dicendum de præcepto communionis non adimpleto in Paſcha, vt habetur ex *Vaſq. loco citato, ſub num. 6. Molf par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 5. cap. 8 nu 29.* & alijs, contra *Medin. Sot. & Victor.* & id per rationes ſupra relatas: quia non communicantes in Paſcha excommunicantur pariter, ac non confitentes ſemel in anno: & in præcepto communionis ratio quoque habetur frequentiæ talis actus, per dictionem illam, *Ad minus*, in noſtro canone cōtentam. Et deniq; non tantum præceptum confeſſionis annuæ, ſed etiam præceptum communionis ſunt modificatio præ-

5 cepti Diuini. Etenim ſicut præceptum Diuinum

con-

confeſſionis extra neceſſitatis articulum erat, vt illud aliquando reciperemus, ſed non dum determinatum à Chriſto, ab Eccleſia tamen determinandum, vt ſupra oſtendimus, *diſp. 1. ſec. 1.* ita etiam præceptum Dininum communionis obligabat extra neceſſitatis articulum, iuxta illud, *Ioan. cap. 6. Niſi manducaueritis, &c.* Sed tempus non dum erat determinatum à Chriſto, eò quòd reliquerat determinandum ab Eccleſia; cùm igitur determinauit in Paſcha, illa determinatio dicitur modificatio iuris Diuini, atque ideò cùm vtrumque præceptum ſit Diuini præcepti modificatio, ſicut præceptum confeſſionis annuæ non adimpletum infra annum, obligat etiam poſt annum; ita etiam præceptum communionis in Paſcha non impletum eo tempote, obligat quoque poſt Paſcha. Niſi velimus dicere cum *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4. in fine*, præceptum communionis eſſe purè affirmatiuum; præceptum verò confeſſionis includere quoque negationem: ideſt, vt vltra annum nemo in inimicitia Dei permaneat, quòd videtur probabile etiam *Fillinc. loco citato, nu. 55. & Molſ. d. cap. 10. nn. 32.* cum alijs ab eo allegatis.

An qui diſtulit confeſſionem vſque ad diem Paſchatis dicatur ſatisfeciſſe præcepto confeſſionis annuæ per ſe.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Qui vſque ad diem Paſchatis confeſſionem differt, an impleat præceptum annuæ confeſſionis.*

2 *Ex communi Eccleſiæ conſuetudine annus obligationis confitendi in Quadrageſima, fuit ampliatus vſque ad Dominicam in albis.*

1 IN hac difficultate videtur negatiuè reſpondendum eſſe. Probatur ex noſtro canone, vbi duo traduntur diſtincta præcepta: alterum confeſſionis, & alterum communionis. De primo ſolum dicitur, cõfeſſionem eſſe faciendam ſemel in anno: & de ſecundo dicitur, ſuſcipiant omnes Euchariſtiam ad minus in Paſchate, & Eccleſia iam determinauit tempus primi præcepti à Quadrageſima in Quadrageſima, ex vi ſaltem communionis Eccleſiæ conſuetudine, vt ſæpè diximus, Quadrageſima autem finitur in die Paſchatis: ergò qui vſque ad diem Paſchatis differt confeſſionem, non implet præceptum confeſſionis annuæ per ſe.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veram, quam tenet *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 4. ſub nu. 19.* Rationem autem hanc eſſe ait, quia ex communi Eccleſiæ conſuetudine fuit ampliatus ille annus obligationis confeſſionis in Quadrageſima vſque ad Dominicam in Albis: & proptera qui confitetur in die Paſchatis dicitur implere præceptum confeſſionis annuæ ſecundum ſe, & ſic patet reſponſio ad argumentum.

An qui in præſenti anno confitetur initio Quadrageſimæ, & in ſequenti in fine ſatisfaciat præcepto annualis confeſſionis, in noſtro canone contento.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Qui in vno anno cõfitetur initio Quadrageſimæ, & in ſequenti in fine, an ſatiſfaciat præcepto.*

2 *Annus, pro quo præceptum obligat confitendi, dicitur Eccleſiaſticus, computandus à Quadrageſima in Quadrageſimam. Et vſque ad quam diem extendatur.*

1 IN hac re videtur prima facie negatiuè dicendum eſſe. Probatur, quoniam præceptum confeſſionis annuæ in noſtro canone contentum obligat ſemel in anno tempore Quadrageſimæ, vt ſæpè diximus: at ſi quis in vno anno confiteatur initio Quadrageſimæ, & in ſequenti in fine, iàm non confitetur ſemel in anno; ſed vltra annum, atque ideò non ſatisfacit præcepto noſtri canonis.

2 His tamen non obſtantibus, concluſionem affirmatiuam dicimus eſſe veram, quam tenet *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 4. nn. 18.* Patet hæc ſententia ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *præced. ſec.* Etenim annus, pro quo obligat huiuſmodi præceptum eſt Eccleſiaſticus, & ideò computandus eſt à Quadrageſima in Quadrageſimam, comprehendo omnes illos dies, in quibus poteſt præceptum annuale Euchariſtiæ adimpleri: & quoniam ex communi Eccleſiæ conſuetudine, & ex Prælatorum indulgentia extenditur huiuſmodi annus in nonnullis Diœceſibus vſque ad Dominicam in Albis, & in alijs vſq; ad Dominicam Paſtotis boni, qui confitetur hoc anno initio Quadrageſimæ, & in ſequenti in fine proculdubio dicitur implere præceptum confeſſionis ſecundum ſe, tàm in primò, quàm in ſecundo anno. Vndè cùm huiuſmodi annus ſit Eccleſiaſticus, & non ſolaris, & computetur à Quadrageſima in Quadrageſimam, & vſque ad Dominicam in Albis, & in quibuſdam locis etiã vltra, vt diximus, poterunt interdum inter vnam, & aliam cõfeſſionem decurrere treſdecim menſes, & interdum vndecim, quod non inconuenit, & docet Eccleſiæ conſuetudo, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 3.* & alijs apud *Fagund. loc citato*, & patet etiam ſolutio ad contrarium.

An qui confeſſionem præſentis anni diſtulit in principium anni ſequentis, poſſit vna, & eadem præcepto vtriuſque anni ſatisfacere.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Qui confeſſionem præſentis anni diſtulit in principium anni ſequentis, ſi deindè noua accurrat Materia, an teneatur in Quadrageſima ad confitendum.*

2 *Præceptum annuæ confeſſionis iuxta ſententiam magis communem non obligat in aliqua parte determinata anni.*

3 *Vnico actu poteſt quis duo præcepta implere.*

4 *Conſtitutus in ſacris recitare poteſt officium, & ſacrum audire die feſto eodem tempore.*

5 *Qui confeſſionem præſentis anni, in principium diſtulit anni ſequentis, tàm culpabiliter, quàm inculpabiliter, vnica confeſſione ſatisfacit præcepto vtriuſque anni.*

6 *Qui poſt confeſſionem in principio ſequentis anni in lethalem inciderit culpam, non tene-*

 tur

tur ex vi noſtri canonis iterum confiteri.

7 *Pœnitens vt in principio ſequentis anni, vtriuſq; præcepto ſatisfaciat, confiteri debet culpam lethalem, commiſſam in ſequenti anno, alias ſecus.*

8 *Pœnitens, qui poſt confeſſionem in principio ſequentis anni, conſcientiam habet peccati mortalis, per accidens illud confiteri tenetur ratione Communionis in Paſcha.*

9 *Fidelis differendo confeſſionem, continuò peccat, donec præceptum impleat.*

1 IN hac re *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 3. ſub nu. 5.* quem ſequitur *Fillint. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 3. ſub nu. 55. §. patet ſecundò*, partem negatiuam putat eſſe tutiorem, & veriſimiliorem; atque ideò qui confeſſionem præſentis anni diſtulit in principiũ anni ſequentis ſi deindè occurrat noua materia neceſſaria teneri ad confitendum in Quadrageſima: quia confeſſio præcedens pertinebat ad obligationem anni præteriti. Probat hanc ſententiam ex vſu, & conſuetudine Eccleſiæ; nam Paſtores ita exigunt confeſſionem, illi Quadrageſimæ debitam, vt nihilominus cenſeant manere hominem obligatum ad confitendum in ſequenti: & Propterea eodem modo, & vi eiuſdem excommunicationis exigunt deindè ſequentem confeſſionem. Confirmatur, quoniam aliàs poſſet fidelis confeſſionem illam differre quaſi per duos annos: nam non eſſet obligandus ad confitendum ſtatim poſt elapſum primum annum.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto probabiliorem eſſe. Probatur; quia nos ſupra *ſec. 2.* oſtendimus, præceptum confeſſionis annuæ non obligare in aliqua determinata parte anni iuxta ſententiam magis communem, quam tenent *Sot. Vaſq.* & alij Doctores ibi relati. Nec pœnitens tenetur confiteri alia mortalia commiſſa in reliqua parte anni poſt mortalium confeſſionem infra annum ex vi præcepti confeſſionis annuæ; ſed tantùm per accidens in ordine ad communionem in Paſcha, vt ibidem probauimus; ergò qui confeſſionem præſentis anni diſtulit in principium anni ſequentis, poteſt vna, & eadem confeſſione præcepto vtriuſque anni 3 ſatisfacere; quoniam vnico actu poteſt quis duo præcepta implere; maximè quando ſunt de eadẽ materia, & ob idem motiuum virtutis, vt poſt alios probat *Sanch. lib. 1. ſua ſum. cap. 14. nu. 8. & 9. & Molſeſ. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 3. cap. 17. nu. 37. & 38.* dum dicunt, quòd ſi feſtum alicuius ſancti veniat die Dominico, vnica Miſſa poteſt quis vtrique præcepto ſatisfacere; ſicut ſi vigilia alicuius ſancti veniat in Quadrageſima, vnico ieiunio ſatisfit vigiliæ, & Quadrageſimæ.

4 Imò aliqui volunt, conſtitutum in ſacris poſſe recitare officium, & audire ſacrum die feſto eodem tempore; quoniam vtrunque præceptum tendit ad eundem finem recognitionis Diuinæ; quam ſententiam putat veram, quando non adeò vni rei attendat, & alteri neceſſariam attentionem adimat, cùm nemo teneatur ex præcepto audire, & minus intelligere verba Sacerdotis celebrantis; aliàs illi tantùm præcepto ſatisfacit, cui attendit: & ſi neutro attendit, neutrum adimplet, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 21. nu. 8.* latè *Sanch. lib. 1. ſua ſum. d. c. 14. n. 11. Reginald. lib. 19. ſua prax. nu. 14.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Molſeſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 3. cap. 17. nu. 43. ubi nu. 44.* ſoluit contraria, *Syl.* & Angeli oppoſitum ſentientium, *& nu. 45.* poſt *Reginal. loco citato, nu. 14. in fine*, idem dicendum eſſe ait, dum quis audiendo Miſſam ſacramentaliter confitetur: nam ſatisfacit præcepto audiendi ſacrum; quia confeſſio ſacramentalis refertur etiam ad cultum Dei, & tanquam in finem tendit in recognitione Diuinæ Maieſtatis.

5 Ampliatur primò hæc concluſio, vt locum ſibi vendicet, vbi quis non ſolùm confeſſionem præſentis anni diſtulit culpabiliter in principium anni ſequentis; ſed etiam inculpabiliter; quoniam adhuc ſatisfacit præcepto vtriuſque anni, cùm militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

6 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt vera ſit etiam, ſi pœnitens poſt confeſſionem in principio ſequentis anni in lethalem culpam inciderit; quia non tenetur ex vi præcepti noſtri canonis confiteri omnia peccata, quæ infra vtrumq; annum commiſit: ſiquidem noſter canon dum præcipit confeſſionem omnium peccatorum, non intelligitur de omnibus peccatis, quæ vſque ad finem anni committuntur; ſed de omnibus, quæ pœnitens habet dum confitetur, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 1. concl. 3. verſ. Hæc concluſio.*

7 Sic ampliata limitatur primò hæc ipſa concluſio, vt locum habeat quando pœnitens in principio ſequentis anni confiteatur aliquam lethalem culpam commiſſam in ipſo ſequenti anno; aliàs non ſatisfaceret vtriuſque anni præcepto: & propterea ſi poſt confeſſionem huiuſmodi infra eundem ſequentem annum peccatum mortale committat, tenetur iterum confiteri pro adimplendo præcepto ſequentis anni; quia confeſſionis annuæ præceptum non impletur, niſi per confeſſionem mortalium peccatorum, nec ſatis eſt confeſſio venialium, vt ſupra adnotauimus, *d. ſec. 5. concl. 2.*

8 Secundò limitatur dicta concluſio, vt quamuis pœnitens poſt confeſſionem habitam in principio ſequentis anni, vt ſupra adimpleat præceptum confeſſionis vtriuſque anni; nihilominus ſi poſt dictam confeſſionem conſcientiam habeat peccati mortalis, licèt illud non teneatur confiteri per ſe, & pro adimplendo præcepto confeſſionis annuæ; tenetur tamen per accidens ad illius confeſſionem ratione communionis in Paſcha, iuxta ea, quæ adnotauimus, *d. ſec. 1. cõcl. 3.*

Ad contraria facilè reſpondetur.

AD conſuetudinem, & vſum Eccleſiæ patet reſponſio ex his, quæ diximus ſupra *d. ſec. 5.* in ſolutione argumentorum.

Ad confirmationem negatur conſequentia: & id, quod adducitur ad eam probandam; quoniam citra culpam fidelis non differret, cùm continuè peccet, donec præceptum impleat, iuxta ea, quæ ſupra diximus, *ſec. 2.*

An qui in confeſſione præſentis anni omittat aliqua peccata per obliuionem, aut ex alia iuſta cauſa, teneatur illa cõfiteri cùm primum poſſit: vel poſſit differre in ſequentem annum.

SEC. VI.

SVM.

SVMMARIVM.

1 *Qui in confeſſione præſentis anni aliqua omiſit peccata, ſi eorū recordetur, & poteſt intra eundem annū cōfiteri, ad confitendū, an teneatur.*

2 *Peccata oblita, & peccata cognita, ſed ex iuſta cauſa omiſſa, an & quando teneatur quis quamprimum confiteri.*

3 *Peccata, per obliuionem omiſſa in confeſſione præſentis anni, differri poſſunt vſque ad confeſſionem ſequentis anni.*

4 *Omiſſio confeſſionis totius anni, ex iuſta, & rationabili cauſa, haud excuſat omitentem, quin teneatur in ſequenti anno cum primùm potuerit confiteri.*

5 *Ex communi Eccleſiæ conſuetudine fideles, ſi poſt confeſſionem, habitam infra annum, conſcientiam habeant noui peccati mortalis in Quadrageſima, iterum ad confeſſionem accedere debent: Et quare.*

6 *Occurrente mortis periculo, vel neceſſitate communicandi, vel aliter vrgeat præceptum Diuinum, peccata, vt ſupra oblita, tenetur quis confiteri ratione præcepti Diuini.*

1 IN hac difficultate tres extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Ledeſ.* quem refert, ſed non ſequitur *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 36. ſec. 4. ſub nu. 6.* dicentis, quòd qui in confeſſione præſentis anni omiſit aliqua peccata, ſi eorum recordetur, & poteſt confiteri intra eundem annum, tenetur ad ea confitendum; quia non cenſetur impleuiſſe præceptum confitendi omnia peccata, quamuis excuſatus fuerit; & duret adhuc tempus, in quo poteſt implere. Si verò prædictorum peccatorum recordetur, elapſo anno, inquit, non teneri: quia arbitratur obligationem confeſſionis annuæ extingui cum ipſo anno. Sed hæc opinio meritò reijcitur. Nam quoad primū membrum dum quis lethalia confitetur infra annum, iam impleuit præceptum confeſſionis annuæ, etiam ſi alicuius lethalis culpæ fuerit oblitus: ſiquidem noſter canon dum vult omnes fideles debere omnia peccata ſemel in anno confiteri, non eſt neceſſe intelligi de omnibus peccatis, quæ vſque in finem anni committuntur; ſed de omnibus, quorum fidelis conſcientiam habet; atque ideò quæ memoriæ occurrunt, dum confitetur, facta diligenti diſcuſſione, & præuio examine iuxta ea, quæ habentur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* quoniam diſpoſitio noſtri canonis nihil addit præcepto Diuino, ſed eſt iuris Diuini determinatio. Quo verò ad ſecundum membrum nos ſupra ſatis probauimus, obligationem confeſſionis annuæ non extingui cum ipſo anno.

2 Secunda ſententia eſt *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4.* diſtinguentis inter peccata oblita, & peccata cognita, ex iuſta cauſa omiſſa. Nam hæc poſteriora ait, debere cōfiteri cùm primū fieri poterit: quoad priora inquit, quòd ſi obliuio fuerit inculpabilis, ceſſat obligatio; ſecus autem ſi fuerit culpabilis; quoniam tunc ſtatim ſunt Cōfeſſario aperienda. Hæc ipſa opinio meritò quoq; reijcitur: ſiquidem circa primam diſtinctionē eadem ratio eſt de peccatis oblitis, & omiſſis ex iuſta cauſa. Circa verò poſteriorem dicimus, quòd ſi obliuio fuerit ita culpabilis, vt Sacramentū fuerit nullū, tota confeſſio eſt iteranda: ſi autem fuerit validū, nihil intereſt, quòd culpa aliqua interceſſerit.

3 Tertia ſententia, quæ nobis probatur, eſt communis, quam tenent *Victor. de confeſ. num. 137. Nauar. in Man. cap. 2. nu. 10. Suar. loco ſupra relato, Conynch. diſp. 5. de pœnit. nu. 66. Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 10. nu. 38. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 1. cap. 4. nu. 17. & Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 3. nu. 57.* qui ſimpliciter negant ex vi canonis noſtri eſſe obligationem confitendi ſtatim huiuſmodi peccata, ſed poſſe vſque ad confeſſionem ſequentis anni differri. Et hanc opinionem inquit *Suar. d. nu. 6. in fine,* eſſe in praxi ſecuram, & vſitatam, & oppoſitam nimis rigoroſam. Probatur primò hæc ipſa ſententia ex confutatione aliarum opinionum: nam excluſio vnius eſt incluſio alterius, *arg. tex in cap. non ne de præſump.* Secundò probatur, quia nulla ratio concludit pro contraria ſententia: ergò pro noſtra iudicandum eſt cùm ſit mitior. Tertiò, quia in praxi eſt magis vſitata, & conſuetudo eſt optima legis interpres, ita vt quando lex eſt dubia recurrendum ſit ad conſuetudinem loci, & ſi de ea appareat, non eſt recedendum ab eo intellectu, quem conſuetudo tribuit, etiam ſi ex poſt facto appareat, quòd talis intellectus non ſit bonus, vt benè docet *Abb. in cap. cum dilectus, ſub nu. 7. de conſuet.* Quartò, quia præceptum annuæ confeſſionis ſufficienter impletur, & eius obligatio extinguitur per confeſſionem mortalium, quæ memoriæ occurrunt, ritè factam: quia præceptum tantùm obligat, vt teneamur confiteri omnia peccata, quæ præuia diligentia debita memoriæ occurrunt, & quæ tenemur tunc confiteri, iuxta ea, quæ habentur ex *Conc. Trid. loco citato.*

4 Nec obſtat ſi dicatur, quòd omiſſio confeſſionis totius anni ex iuſta, ac rationabili cauſa non excuſat omittentem, quin teneatur in ſequenti anno cùm primum potuerit confiteri: quapropter idem dicendum videtur de eo, qui omittit partem, quia eadem eſt ratio totius, & partis, *l. quæ de tota, ff. de reiuend.* quoniam reſpondetur negando conſequentiam: nam præceptum Eccleſiæ vi noſtri canonis obligat ad omnium peccatorum confeſſionem, quæ neceſſaria ſunt ad integritatem Sacramenti iuxta iuris Diuini obligationem, cui in hac parte nihil additur ab Eccleſiaſtico præcepto præter temporis determinationem, vt ſæpè diximus. Vndè qui nullam confeſſionem facit, cùm præceptum huiuſmodi non adimpleat, meritò obligatus remanet: at verò qui ſecundum ſuum poſſe, & vt debet confitetur intra annum, integrè, ac abſolutè implet præceptum Eccleſiaſticum annuæ confeſſionis; quapropter licèt ex accidenti aliquid omittat; non tamen remanet obligatus, niſi vſque ad ſequentem annum.

5 Et quamuis ex communi Eccleſiæ conſuetudine fideles poſt confeſſionem habitam infra annum, ſi conſcientiam habeant noui peccati mortalis in Quadrageſima iterum ad confeſſionem accedant; nihilominus id prouenit non ratione præcepti confeſſionis per ſe; ſed ratione communionis ad dignè communicandum in Paſcha. Et dato, & non conceſſo, quòd obligatio illa eſſet quoad præceptum confeſſionis per ſe; nihilominus oriretur ex Eccleſiæ vſu, ac conſuetudine, non autem ex vi verborum Eccleſiaſtici præcepti: quæ quidem conſuetudo licèt locum ſibi vendicauerit quoad peccata poſt confeſſio-

nem

nem aliquam commiſſa, & nullo modo, nec per ſe, nec per accidens per præcedentem confeſſionem deleta, non tamen introducta fuit circa peccata oblita, aut ex iuſta, & rationabili cauſa omiſſa; atque ideò per accidens deleta: quapropter non eſt opus, vt ſimilis adſit obligatio, vt habetur ex *Suar. loco citato, nu. 7. & 8.* Eſt ta-
6 men verùm, quòd ſi occurrat periculum mortis, aut neceſſitas communicandi, vel aliter vrgeat præceptum Diuinum, tunc pœnitens ratione præcepti Diuini obligaretur peccata, vt ſupra oblita confiteri, vt poſt *Victor. Conynch.* & alios ait *Molſ. d. cap. 10. nu. 38.*

An aliquo caſu teneantur fideles anticipare confeſſionem antequam annus compleatur.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Fideles ſacramentalem confeſſionem anticipare tenentur, ſi præuideant, fore, vt poſt occaſionem confitendi ſibi oblatam, toto anno confiteri non poſſe.*

2 *Præceptum confeſſionis non limitatur ad Quadrageſimam ad tollendam obligationem, ſed ne diutiùs differatur.*

3 *Qui certò ſcit fore, vt poſt horam nonam Miſſam non audiat in die feſto, anticipare tenetur; eamq; audire antè dictum tempus.*

4 *Qui præuidet fore non poſſe ieiunare in vigilia alicuius Sancti, ieiunium præmittere non tenetur: nec Miſſæ auditionem in vigilia, videlicet Sabbato, præuidens in feſtiuitate, vel die Dominico, ſe non poſſe audire ſacrum.*

5 *Fideles anticipare tenentur confeſſionem, antequam annus compleatur, ſi præuideant impotentiam in toto anno, ſiue talis impotentia ſit voluntaria, ſiuè inuoluntaria.*

6 *Habens peccata reſeruata, & hic, & nunc confiteri poſſit habenti Iuriſdictionem in illa, & probabiliter timeat, ſe in futurum carere copia talis Confeſſarij; anticipare tenetur cōfeſſionē.*

7 *Si quis præuideat fore in Paſcha ſe non ſumpturum ſanctiſſimam Euchariſtiam defectu Miniſtri, aut ob aliud impedimentum, communionem anticipare tenetur.*

8 *Præceptum nullum poſitiuum adeſt, totam obligans Eccleſiam, ad confitendum ante completum annū, exceptis Religioſis Sancti Benedicti.*

9 *Profecturus ad bellum, vel longam, & periculoſam nauigationem facturus, aut per Terram infidelium iter habiturus, anticipare tenetur confeſſionem: Et quando.*

10 *Dubitans de periculo obliuionis alicuius peccati, non tenetur Iure Diuino anticipare confeſſionem.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd quæſtio noſtra non eſt de obligatione anticipandi confeſſionem per accidens ad dignè ſcilicet communicandum, aut celebrandum: nam certum eſt, huiuſmodi obligationem ſæpè contingere poſſe antequàm annus compleatur; ſed controuerſia eſt de obligatione per ſe anticipandi confeſſionem, ſiuè obligatio oriatur ex vi præcepti Eccleſiaſtici, de quo habetur in noſtro canone, aut alterius Eccleſiæ præcepti; ſiuè ex vi ſolius Diuini iuris. Vndè qui præuidet, ſe fore impeditum in Quadrageſima propter aliquam nauigationem, vel longam peregrinationem per terras infidelium, vbi non habet copiam Confeſſarij, & fortè timeat ſe mori inconfeſſum, quæritur, an teneatur anticipare confeſſionem? Pro determinatione huius difficultatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 EX vi præcepti Eccleſiaſtici, de quo habetur in noſtro canone obligantur fideles confeſſionem ſacramentalem anticipare in quacunq; parte anni, ſi præuideat fore, vt poſt occaſionem confitendi ſibi oblatam non poſſit toto anno confiteri. Hæc concluſio eſt communis, quam tenent *D. Bonau. in 4. d. 17. 2. par. d. art. 2. q. 3. Duran. ibidem, q. 10. nu. 6. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 1. Ricchar. art. 3. q. 6. Maior, q. 2. art. 5. Palud. q. 2. art. 5. nu. 20. Sot. in 4. d. 18. q. 1. art. 4. Can. relect. de pœnit. 5. par. §. Sed ſunt tamen aliqui caſus, & §. Circa tertium, Petr. Sot. lect. 5. de confeſ. Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 2. n. 9. Nauar. in Man. cap. 2. nu. 10. Conynch. diſp. 5. de ſacram. nu. 58. Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 7. cap. 40. aliàs 30. q. vlt. Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 90. art. 3. dub. 2. nu. 9. cum plur. ſeq. Suar. ibidem, diſp. 36. ſec. 4. ſub nu. 2. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 1. cap. 4. nu. 16. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 3. nu. 56. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſ. recoll. 18. nu. 25.* & alij.

2 Probatur hæc concluſio ex eo quod præceptum confeſſionis non limitatur ad Quadrageſimam ad tollendam obligationem, & ſic ad finem anni; ſed obligat ad confitendum ſenel in anno peccata commiſſa, & non confeſſa: ergò ſicut obligat poſt Quadrageſimam ſi adimpletum non fuit vt ſupra oſtendimus, *ſec. 2.* ita obligabit ante illam quando præuidemus impedimentum, quo in illa illud implere non poſſumus. Confir-
3 matur, quia ſi quis certò ſciat fore, vt non audiat Miſſam poſt horam nonam in die feſto, tenetur anticipare, & audire illam ante dictum tempus, vt habetur ex *Fagund. loco citato, nu. 16.* & ex alijs: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, cùm militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Etenim ſicut præceptum audiendi ſacrum eſt determinatum ad diem feſtum, indeterminatum verò quoad horam, ita vt ſit ad libitum fidelium audire ſacrum hora prima, tertia, ſexta, vel nona: ita quoque præceptum confeſſionis annuæ eſt determinatum ad annum, indeterminatum autem quoad partes anni.

4 Nec obſtat ſi dicatur, quòd ſi quis præuideat fore non poſſe ieiunare in vigilia alicuius Sancti, non tenetur præmittere ieiunium; ſicut nec tenetur audire Miſſam in vigilia alicuius Sancti, vel in Sabbato, ſi præuideat in illius feſtiuitate, aut die Dominico fore, vt ſacrum non audiat, aut non ieiunet; quoniam reſpondetur, quòd in caſibus ſupradictis militat diuerſa ratio; quoniam in ij tempus eſt determinatum, & ſignatum in honorem diei, & ideò non tenetur præuenire, etiam ſi certò ſciat futurum impedimentum, vt non ieiunet, vel ſacrum non audiat. Sicut in ſacris conſtitutus quamuis præuideat, die Dominico eſſe impediendum à recitatione diuini officij, nihilominus non tenetur præuenire recitationem die Sabbato; quia recitatio horarum illius diei præciſè intra illum diem obligat, vt inquit *Vaſq. d. dub. 2. ſub nu. 12.* quamuis *Suar.*

loco

loco citato, ſub nu. 5. de hoc vltimo caſu dubitet. At in caſu noſtro tempus non eſt limitatum, & poteſt quis præceptum confeſſionis implere in qualibet parte anni, ſicut audire ſacrum die feſto licet ſit limitatum in die; non tamen eſt limitatum, ſeu ſignatum in tali hora diei, ſed liberum eſt fidelibus audire ſacrum in qualibet hora à mane vſque ad meridiem, & etiam poſt meridiem, ſi Sacerdos celebret, qui priuilegium habeat celebrandi poſt talem horam: meritò igitur tenetur anticipare confeſſionem fidelis, qui certò nouit non habiturum commoditatem adimplendi præceptum confeſſionis annuæ, aut audiendi Miſſam tali hora, niſi præueniat, vt ſupra.

5 Ampliatur primò hæc concluſio, vt fideles teneantur anticipare confeſſionem antequam annus compleatur, ſi præuideant, vt poſt talem occaſionem non poſſint in toto anno confiteri, vndecunque proueniat talis impotentia; atque ideò, ſiuè voluntaria ſit, ſiuè inuoluntaria: quia in vtroque caſu militat eadem ratio: ſiquidem ſi pro aliqua parte anni habeatur copia Confeſſarij, iam Eccleſia ſufficienter prouidet de Confeſſario prout fieri poteſt: & propterea accidentale eſt, quod impotentia voluntaria ſit, aut inuoluntaria, vt contra aliquos benè declarat *Suar. & Filliuc. locis citatis.* Vndè ſi quis iturus ad bellum, aut longam nauigationem facturus, aut per Terras Infidelium peregrinaturus voluntariè, aut coactè, timeat, vt ſi hic non confiteatur, fore vt non habeat copiam Confeſſarij in toto anno, proculdubio tenetur confeſſionem anticipare; aliàs incidit in pœnas in noſtro canone cõtentas. Sic etiam qui in aliquo oppido tempore Quadrageſimæ præuideat defuturum Parochum, atque ideò non habiturum copiam Confeſſarij in toto anno, ſi hic, & nunc non confiteatur, tenetur confeſſionem anticipare, aliàs non excuſabitur à violatione præcepti noſtri canonis. Idem dicendum eſt de eo, qui ſcit in loco Infidelium, ad quem eſt profecturus non eſſe, niſi Sacerdotem hæreticum, vel ſchiſmaticum iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *diſp. 1. ſec. 1. concl. 1.*

6 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt locum habeat in eo, qui exponitur periculo non habẽdi infuturum copiam Confeſſarij pro implendo præcepto confeſſionis annuæ; ſed etiam in eo, qui habens peccata reſeruata, & hic, & nunc poſſit confiteri habenti iuriſdictionem in illa, & probabiliter timeat, ſe infuturum amplius in illo anno copiam Confeſſarij habentis facultatem abſoluendi à reſeruatis; tunc enim is teneretur confeſſionem anticipare, cùm militet eadẽ ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

7 Tertiò ampliatur dicta concluſio, vt vera ſit non ſolùm quoad præceptum confeſſionis; ſed etiam quoad præceptum cõmunionis in Paſcha: nam ſi quis præuideat fore in Paſcha ſe nõ ſumpturum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ex defectu Miniſtri, aut ob aliud impedimẽtum, tenetur communionem anticipare; quoniam licèt præceptum deſignet tempus in die Paſchatis in honorem illius diei; nihilominus, quia modificatur etiam frequentiam tanti Sacramẽti, vt ad minus in Paſcha illud ſumamus, idcircò obligamur præuenire tempore ſi toto anno timemus non habituros commoditatem communicandi vſque ad præfinitum tempus ab Eccleſia: ſecus autem ſi periculum tantum inſtet non habituros huiuſmodi opportunitatem tempore Paſchali; benè tamen poſtea: nam tunc excuſaremur ab anticipatione; quia cùm ab eo tempore militet excuſatio frequentiæ Sacramenti, ſatiſfacere poſtea poterimus, vt benè declarat *Vaſq. d. dub. 2. ſub nu. 13. 14. & 15. & Suar. d. diſp. 36. ſec. 4. ſub num. 3.* qui ait, ſaltem infra illos quindecim dies à Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis, certum eſſe obligari aliquem anticipare, & communicare in die Dominica Palmarum, ſi præuideat, quòd in ſequentibus diebus communicare non poterit.

SECVNDA CONCLVSIO.

8 NVllum adeſt præceptum poſitiuum per ſe obligans totam Eccleſiam ad cõfitendum ante completum annum, exceptis Religioſis Sancti Benedicti, vt in *Clem. 1. de ſtatu Monac.* vbi præcipitur S. Benedicti Religioſis ad confitendum ſingulis menſibus: qui quidem *tex.* intelligendus eſt, etiam ſi peccata mortalia non habeant: quia non eſt veriſimile cogitaſſe Rom. Pontificem, Religioſos tantæ exemplaris vitæ, obſeruantiæ, ac ſanctitatis peccaturos mortaliter ſingulis menſibus: & eò maximè, quia præceptis, & regulis ibi poſitis intendit Rom. Pontifex cõſulere Religionis obſeruantiæ: quod quidem non eſſet; ſed potius relaxatio Religioſis, ſi tantùm poſt commiſſum peccatum mortale, & ſingulis menſibus ad confeſſionem obligarent. Non tamen *tex.* ille videtur obligare ſub letali culpa ad cõfeſſionem, vt latè probat *Suar. loco citato, nu. 2.* Item excipiuntur Moniales ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de Regular.* vbi admonentur moniales, vt ſingulis menſibus confiteantur; non tamen præcipitur; & ideò ſi omittant, non peccant: quia verbum admoneo, quo Concil. vtitur non eſt præceptiuum: omne autem peccatum eſt contra aliquod præceptum.

TERTIA CONCLVSIO.

9 SI intra annum occurrat mortis periculum ius Diuinum ad confeſſionem obligat, atque ideò ſi quis conſcientiam habeat peccati mortalis, & eſt ad bellum profecturus, aut longam, & periculoſam nauigationem facturus, aut per Terram Infideliũ iter habiturus, & probabiliter putet ſe non habiturum copiam Confeſſarij, quam nunc habet, non habiturũ tempore neceſſario, proculdubio tenetur anticipare confeſſionem. Probatur, quia vt ſupra oſtendimus, præceptum Eccleſiaſticum obligat fideles ad anticipandam confeſſionem in quacunque parte anni, ſi præuideant fore, vt poſt occaſionem illam non poſſint in toto anno confiteri, vt ſupra oſtendimus, *concl.* 1. ergò multo magis obligantur iure Diuino anticipare confeſſionem ratione periculi carendi Confeſſario, quem nunc habent non habituri in articulo, ſeu periculo mortis, cùm præceptum Diuinum in illis caſibus magis vrgeat, quàm præceptum confeſſionis ſemel in anno, vt latè de hac re egimus ſupra *diſp. 1. ſec. 1. concl. 3. verſ. Sed quicquid ſit: & verſ. Ex hoc infertur:* vbi idem dicendum eſſe oſtendimus de eo, qui ſciret in loco Infidelium, ad quem ſe velit conferre non eſſe niſi Sacerdotem hæreticum, vel ſchiſmaticum, & probabiliter timeat, non habiturum copiam Cõfeſſarij catholici tempore quo iure Diuino tenetur ad ſacramentalem con-

confeſſionem accedere. Adde hic etiam, quæ cumulauimus *d. concl. 5. verſ. Per accidens*, vbi in pluribus caſibus probauimus quoque extra periculum mortis, obligare præceptum Diuinum
10 confeſſionis. Non tamen hæc concluſio locum habet in eo, qui dubitat de periculo obliuionis alicuius peccati: nam ſi quis probabiliter timeat expectando finem anni omiſſurum multa peccata per obliuionem non tenetur iure Diuino anticipare confeſſionem; aliàs determinatio Eccleſiæ nihil ferè profuiſſet fidelibus, ſi incerti eſſent de tempore obligationis, neque haberent placatas conſcientias. Nec obſtat, quòd integritas confeſſionis eſt de iure Diuino; quia de iure Diuino non tenetur homo præuenire, & diligentiam adhibere, ne peccata memoria labantur; ſed tantùm tenetur, quando tempus obligationis occurrit morali vti diligentia, vt omnium recordetur, & integrè confiteatur: & hoc ſatis eſt moraliter loquendo, vt Confeſſor cognoſcat ſtatum pœnitentis, nec maior obligatio ex ſcriptura, & Eccleſiæ traditione colligi poteſt. Ita *Syl. ver. Confeſſ.* 1. *q.* 2. *Sot. in* 4. *d.* 18. *q.* 1. *art.* 4. & alij, quos refert, & ſequitur *Suar. in* 3. *par. diſp.* 36. *ſec.* 5. *nu.* 6. *tom.* 4.

Ibi, *Fideliter confiteatur*. De fidelitate confeſſionis annuæ, quatenus mendacium permixtum non habet.

DISP. VI.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentalis confeſſio dupliciter fieri poteſt infideliter, & dupliciter fideliter.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt eſt adnotandum, quod confeſſio ſacramentalis ex *Henr. Boich.* & ex alijs in explicatione noſtri canonis, *Hoſtien. in ſum. eo. tit. noſtro, §. Qualis*, & communiter ex *Theol. & Summiſt.* ſicut dupliciter dicitur infideliter fieri, ex defectu ſcilicet veritatis, & ex defectu debitæ contritionis; ita etiam dupliciter dicitur fieri fideliter: primò quando eſt vera nullam falſitatem, atque mendacium permixtum habens, ita vt pœnitens peccata Confeſſario manifeſtet, prout in conſcientia ea habet, nempè dubia dubiè, & certa certè, eadem non augens, nec minuens: & ſecundo quando ex cordis contritione, vel ſaltem attritione cõfeſſio ipſa prouenit, iuxta illud pſal. 37. *Rugiebam à gemitu cordis mei, &c.* Et pſal. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* In hac igitur diſputatione agemus de fidelitate cõfeſſionis mendacium permixtum non habentis, & in ſequenti *diſp.* Deo duce, tractabimus de eiuſdem fidelitate, quatenus ex cordis contritione, vel ſaltem ex attritione prouenit tanquam eiuſdem principio.

An mendacium in ſacramentali confeſſione prolatum, inualidam eam reddat.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Mendacium aliud eſt formale, aliud materiale. Et quodnam ſit formale; Et quot modis in confeſſione contingat proferri, ſiue formale ſit, ſiue materiale.*

2 *Mendacium prolatum de rebus, ac circumſtantijs, nullo modo ad confeſſionem pertinentibus, haud eſt cõtra valorem, & integritatem ipſius.*

3 *Qui in confeſſione negat ſe eſſe Diuitem, cum talis ſit, vel Petrum, quem vulnerauit, dentes nõ habere albos, cum albos habeat, cõfeſſionem non reddit nullam.*

4 *Mendacium de re, quæ non pertinet ad confeſſionem, tunc contra eius validitatem non eſt, cum eſt de re leui, ſecus ſi mendacium de ſuo genere eſſet mortale.*

5 *Iniuria tantò dicitur grauior, quantò is, cui infertur eſt dignior.*

6 *Mendacium ſi ſit lethale, & pœnitens illud confiteatur, an teneatur confiteri, ſe mendacium ipſum in confeſſione protuliſſe.*

7 *Mendacium circa Materiam Sacramenti pœnitentiæ non neceſſariam, contra valorem, vel integritatem confeſſionis non eſt, ſiue affirmatiuum ſit, ſiue negatiuum.*

8 *Per mendacium etiam circa materiam confeſſionis leuem, grauem iniuriam, an inferatur Sacramento.*

9 *Mentiens in quocunque leui, ſi iuramentum adhibeat, lethalem culpam contrahit.*

10 *Mendacium circa materiam, non neceſſariam pœnitentiæ, ſi non ſit totalis, vel integram confeſſionem non reddit nullam, ſecus ſi totalis ſit.*

11 *Nouitius ſi dum confitetur peccata, quæ commiſit, interrogatus à ſuo Magiſtro, an fuerit cum profeſſis loquutus, reſpondeat negatiuè, cum re vera ſit loquutus, nõ peccat mortaliter, nec confeſſionem reddit nullam.*

12 *Si quis in confeſſione interrogatus, an fuerit cum Nouitijs loquutus, & reſponderit affirmatiuè, cum re vera hoc peccatum veniale non commiſerit, non per hoc confeſſio nulla redditur, nec inualida.*

13 *Mendacium, circa materiam neceſſariam Sacramenti pœnitentiæ, prolatum eſt mortale, & confeſſionem ipſam nullam, & inualidã efficit.*

14 *Etiam, quod in confeſſione proferatur mendacium affirmatiuum, qui tamen ſit mortale, confeſſionem reddit inualidam.*

15 *Mendacium ſi dicatur circa peccati circumſtantias, mutantes ſpeciem peccati, vel aggrauantes notabiliter malitiam ipſius, reddit confeſſionem inualidam.*

16 *Qui furtum rei minimæ commiſit, ſi interrogatus in confeſſione, dicat, commiſiſſe furtum rei notabilis, mortaliter peccat, & confeſſionem efficit inualidam.*

17 *Si quis confiteatur peccatum mortale dubium, pro certo, vel certum pro dubio, eodemq; modo peccati circumſtantias dubias, lethalem culpam contrahit, & confeſſionem facit nullam.*

18 *Qui ſcienter confitetur maiorem, vel minorem numerum peccatorum, quàm commiſit, lethaliter peccat.*

19 *Qui ex inaduertentia, obliuione, vel ex probabili ignorantia lethalem culpam negauerit, quam commiſit, vel confeſſus fuerit, quam non commiſit, mortaliter non peccabit, & proindè confeſſio erit valida.*

20 *Eorum, quæ contra ius naturale ſunt, dari poteſt ignorantia inuincibilis, ita vt agens contra illud, haud peccet: Et quotuplicia ſint præcepta naturalia.*

21 *Contra præcepta naturalia primi generis nunquam datur excuſatio ex capite ignorantiæ, ſed contra præcepta Decalogi pertractantes, ad breue tempus, excuſari poſſunt.*

22 *Circa præcepta naturalia tertij generis dari poteſt ignorantia inuincibilis, ſaltem in rudioribus, etiam longo tempore.*

23 *Pœnitens interrogatus, ſi neget peccatum mortale commiſiſſe, quòd verè commiſit, eo quod iuſtam habeat cauſam occultandi illud, non peccat, nec inualidè confitetur.*

24 *Pœnitens, interrogatus à Confeſſario de lethali culpa, quam aliàs ritè fuit confeſſus, & abſolutus, ſi negauerit, eam commiſiſſe, non facit confeſſionem inualidam, nec peccat venialiter quidem.*

25 *Quid ſi Confeſſarius vellet cognoſcere ſtatum pœnitentis, ad hoc, vt ſciat, quodnam remedium applicare debeat: Et quid ſi pœnitens æquiuocatione non vtatur, an ſaltem venialiter peccet.*

26 *Accuſare ſe in ſpeciali de peccato, quod non commiſit, erit grauis culpa, ſecus ſi accuſet in generali.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd mendacium diuiditur in formale, & in materiale. Mendacium formale eſt falſa ſignificatio cum intentione fallendi, ſiuè voce, ſiuè nutu, ſiuè ſignis fiat. Materiale verò eſt falſa ſignificatio citra intentionem fallendi, vt cùm quis putans dicere veritatem dicit falſum. Mendacium autem, ſiuè formale ſit, ſiuè materiale duobus modis contingit in confeſſione proferri. Primò negando, quod factum eſt, quod appellatur negatiuum: ſecundò dicendo, quod factum non eſt, & iſtud dicitur affirmatiuum. Vtrunque verò mendacium, vel dicitur de rebus, aut earum circumſtantijs, quæ nullo modo ad confeſſionem pertinent. Vel circa res, & circumſtantias ad confeſſionem pertinentes: & tunc, vel circa materiam non neceſſariam, vt peccata venialia, & mortalia alias ritè confeſſa, & remiſſa, & eorum circumſtantias. Vel circa materiam neceſſariam, vt ſunt peccata mortalia, & eius circumſtantiæ mutantes ſaltem peccati ſpeciem, quæ, & quas hic, & nunc tenetur pœnitens confiteri. Vel denique mendacium eſt circa materiam neceſſariam, atque ideò circa peccata mortalia, & eorum circumſtantias, quæ à pœnitente ex iuſta, ac legitima cauſa poſſunt in cōfeſſione prætermitti. His breuiter adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 MEndacium prolatum de rebus, ac circumſtantijs, quæ nullo modo pertinent ad materiam confeſſionis non eſt contra valorem, ac integritatem eiuſdem. Hæc concluſio eſt *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 10. nu. 3. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 2. ſub nu. 6. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 4. nu. 551. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. nu. 73.* & aliorum communiter. Probatur, quoniam tale mendacium concomitanter tantum ſe habet in Sacramento pœnitentiæ, & non ſit materia ipſius; ergò non eſt contra valorem, & integritatem confeſſionis; ſiquidem non continet grauem iniuriam. Vndè ſi in confeſſione quis dicat ſe eſſe nobilem, cùm ſit ignobilis: vel ante prandium occidiſſe hominem, cùm tamen eum occiderit poſt prandium, mendacia huiuſmodi non reddunt confeſſionem inualidam.

3 Ampliatur hæc concluſio, vt locum habeat non ſolùm in mendacio affirmatiuo, de quo in exemplis ſupra relatis; verùm etiam in mendacio negatiuo; quia militat eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Vndè ſi quis neget in confeſſione eſſe diuitem cum diues ſit: aut Petrum, quem vulnerauit non habere dentes albos, cùm tamen albos eos habeat, ob eiuſmodi mendacia non reddit confeſſionem nullam.

4 Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt ita
demum mendacium de re, quæ non pertinet ad
materiam confeſſionis non ſit contra eiuſdem
validitatem, quando mendacium eſt de re leui:
ſiquidem mendacium de re leui ſecundum ſe
conſideratum non eſt pluſquam peccatum veniale;
quamuis prolatum in confeſſione ſit veniale grauius,
quam ſi extra eam fuerit dictum;
quoniam hæc ipſa concomitantia eſt aliqualis
indecentia contra Sacramentum pœnitentiæ,
cuius actus eſt dignior quocunq; alio actu extra
5 Sacramentum: & iniuria dicitur grauior, quanto
is, cui infertur eſt dignior, vt in *l. atrocem, C.
de iniur.* ſecus autem dicendum eſt vbi mendacium
eſſet ex ſuo genere mortale; quia licèt ad
confeſſionem non pertineat, inualida tamen
redditur confeſſio; ſi peccatum huiuſmodi pœnitens
in confeſſione non aperiat; nam confeſſio
non eſſet integra, nec cum debita diſpoſitione
habita. Vndè mendacium de re ad confeſſionem
non pertinente erit mortale, vel veniale, ſi in ea
proferatur, iuxta materiam mendacij, prout eſſet
ſi extra confeſſionem diceretur, vt ex communi
omnium ſententia ait *Fagund. loco citato, &
Alph. de Leone d. recoll. 18. ſub nu. 73. verſ. Dixi
6 ex ſuo genere.* Vbi ait, quod ſi mendacium ſit
lethale, & pœnitens illud confiteatur, non tenetur
confiteri mendacium ipſum confeſſione protuliſſe,
ad quòd allegat *Conynch. de ſacram. diſp.
6. dub. 3. in princ. Azor. tom. 3. Inſt moral. lib. 3.
cap. 1. dub. 3. in fine*, licèt contrarium videatur
tenere *Megal. par. 1. Inſt. Peregr. lib. 5. cap. 7.
ſub nu. 8.*

SECVNDA CONCLVSIO.

7 MEndacium circa materiam Sacramenti pœnitentiæ non neceſſariam, ſiuè negatiuum ſit, ſiuè affirmatiuum, non eſt contra valorem, nec contra integritatem confeſſionis ſacramentalis. Hæc concluſio eſt *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 4. & in opuſc. de ſecr. tegen. mem. 2. q. 7. ac lib. 5. de Inſt. & iur. q. 5. art. 4. Petri Sot. lect. 10. de pœnit. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 10. nu. 4. & 7. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 5. dub. 7. ſub num. 4. Conynch. diſp. 6. de qualit. Confeſ. dub. 9. concl. 2. Couar. lib. 2. var. reſol. cap. 1. n. 2. Nauar. in Man. cap. 21. nu. 37. Sa ver. Confeſſio nu. 12. Molſ. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 11. nu. 17. & 18. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. de confeſ. cap. 4. q. 9. nu. 512. Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 8. Angel. eo. ver. nu. 6. & 7.* & hanc ſententiam communem eſſe teſtatur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 2. nu. 9. Leſſ. lib. 2. de Inſt. & iur. cap. 4. ſub nu. 59. in reſp. ad 3. arg. Azor. par. 1. Inſt. moral. lib. 5. cap. 18. & 3. par. lib. 13. cap. 1. dub. 3.* & aliorum: quamuis

contrarium teneat *Caiet. 22. q. 96. art. 1. & in ſum. ver. Confeſſio, cond. 4.* quem ſequitur *Armil. in ſum. ver. Confeſſio 5. Ledeſ. 2. par. 4. q. 5. art. 5. dub. 4.* exiſtimantes quòd eo ipſo, quòd pœnitens aſſumit peccatum veniale, vt materiam confeſſionis facit illius confeſſionem materiam Sacramenti, ac iudicij; atque ideò tenetur facere actum illum veracem, aliàs grauem iniuriam inferret Sacramento, & iudicio, tollens quantum in ſe eſt vtriuſque veritatem. Probatur modò noſtra concluſio, quia poſt mendacium negatiuum peccati venialis non eſt pluſquam venialis culpa, cùm peccatum veniale non ſit materia neceſſaria Sacramenti; atque ideò pœnitens non tenetur illi confiteri: & mendacium non eſt perniciosſum, cùm non ſit in damnum alterius: nec per ipſum decipitur Cõfeſſarius in re graui. Quo verò ad mendacium affirmatiuum de peccato veniali, & ſic circa materiam non neceſſariam patet etiam concluſio, quia materiæ leuitas excuſat à lethali culpa in quocunque præcepto iuxta ea, quæ habentur ex *D. Thoma 1. 2. q. 88. art. 5. & 6.* at ſubijcere clauibus aliquod veniale, quod quis non commiſit, leuis eſt materia, vt idem *Caiet.* fatetur. Confirmatur, quia confiteri aliquod peccatum veniale abſque propoſito non committendi illud de cætero, & abſque debito dolore, non eſt pluſquam leuis culpa, quando materia non eſt integra: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, cùm militet eadem ratio; quoniam etiam illa materia eſt ſuo modo falſa, non apta informari per ſacramentalem formam. Et ſic in priori caſu licèt in priori caſu committatur ſacrilegium; ratione tamen leuitatis materiæ culpa eſt leuis: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro. Præterea per huiuſmodi mendacium non decipitur Confeſſarius in re graui: ergò idem dicendum eſt de iſto mendacio, quod diximus de negatiuo.

8 Nec obſtat quod dicitur per Aduerſarios, nempè quod per mendacium etiam circa materiam leuem grauis iniuria infertur Sacramento, cùm efficiat, vt forma huins Sacramenti ex parte ſit falſa; quoniam reſpondetur quòd forma directè cadit ſuper pœnitentem, vt patet ex illis forma verbis, *Abſoluo te.* Non autem ſuper materiam, vt rectè declarat *Alph. de Leone d. recoll. 18. nu. 75. verſ. Ad rationem in contrarium,* vbi etiam *nu. 76.* reſpondet ad aliud argumentum, quod faciunt de conſecrante plures hoſtias, inter quas vna eſt hordeacea: nam ideò peccat mortaliter ita conſecrans; quoniam forma conſecrationis cadit directè ſuper hoſtias omnes dicendo, *Hoc eſt corpus meum.* Etenim Ly. *Hoc,* deſignat totam materiam præſentem, de qua falſo dicitur eſſe corpus. At dicere mendacium in confeſſione, quando mendacium eſt leue, idcircò non efficit, vt forma Sacramenti ſit ex parte falſa; quoniam forma, vt diximus directè cadit ſuper perſonam pœnitentis, non autem ſuper mate-
9 riam. Neque denique obſtat ſi dicatur, quòd mentiens in quocunq; leui, ſi iuramentum adhibet; lethalem culpam contrahit; quia non valet argumentum à ſimili de iuramento; ſiquidem in iuramento quamuis materia ex ſuo genere ſit leuis, nihilominus eo ipſo, quòd Deus vocetur in teſtem falſitatis cùm ſit ipſa veritas grauiter læditur, & ſic materia efficitur grauis: at in caſu de quo agitur, mendacij leuitas, nec Sacramento, nec Sacerdoti grauem infert iniuriam, cùm non impediatur Sacramenti effectus, nec Sacerdos decipiatur in re graui. Vndè falſum eſt id, quod *Caiet.* aſſumit, quòd mentiens in quocunq; leui in iudicio peccat mortaliter: nam id verum eſt ſi iuramentum adhibeat, & non poteſt adduci in argumentum contra caſum noſtrum, vt ſupra
10 diximus. Eſt tamen verum, quod noſtra concluſio limitatur, vt vera ſit, quando mendacium circa materiam non neceſſariam non eſt totalis, & integra, vt cùm quis peccatum veniale non commiſſum ſubijcit confeſſioni, vt partem materiæ, ita vt cùm tali peccato veniali non commiſſo confiteatur alia peccata venialia, vel mortalia verè commiſſa: ſecus autem ſi mandacium illud affirmatiuum eſſet materia totalis confeſſionis, vt quia alia peccata ipſe pœnitens non confiteatur cum illo peccato veniali mendaciter affirmato: nam tunc procul dubio ſacrilegium lethale committeretur ex defectu materiæ, & Sacramentum efficeretur inualidum. Ita *Suar. d. ſec. 10. nu. 7. & 11. Vaſq.* & alij ſupracitati Doctores.

11 Ex ſupradictis infertur primò, quòd ſi Nouitius dum confiteretur peccata, quæ commiſit, interrogatus à ſuo Magiſtro, an fuerit locutus cum Profeſſis, reſpondeat negatiuè mentiendo, cùm veritas ſit, eum cum Profeſſis fuiſſe locutum; ob huiuſmodi tamen mendacium lethalem culpam non contrahit, nec confeſſionem reddet inualidam: ſiquidem huiuſmodi mendacium non eſt perniciosſum, nec grauem iniuriam infert Sacramento pœnitentiæ; ſed culpam contrahit venialem, cùm aliqualem irreuerentiam inferat ipſi Sacramento. Imò ſi quis ſciat prudenter reſpondere, facilè poſſet mendacium deuitare, atque ideò nec peccare venialiter. Etenim Confeſſarius non dicitur iuridicè interrogare pœnitentem de venialibus, cùm venialia non ſint materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ: & propteria cùm Confeſſarius ſit Iudex, vt in *cap. verbum, de pœnit. d. 1.* pœnitens poteſt æquiuocè reſpondere: quoniam Iudex quando veridicè non interrogat, non mentitur interrogatus negando factum, etiam ſi illud fecerit: eo quod non cenſetur ſimpliciter negare ſe feciſſe; ſed negare ita feciſſe, vt teneatur in eo foro illud reuelare, vt ſupra adnotauimus, & habetur etiam ex *Suar. loco citato ſub nu. 5.* & ex alijs, apud *Alph. de Leone d. recoll. 18. nu. 78.*

12 Secundò infertur, quòd ſi quis in confeſſione interrogatus fuerit, an locutus fuerit cum Nouitijs, quod ad ſummum non eſt pluſquam peccatum veniale apud Religioſos, aut rem leuem fuerit furatus, & ille reſponderit dicta peccata venialia commiſiſſe, cum re vera non commiſerit, non redditur ob huiuſmodi mendacia affirmatiua confeſſio nulla, & inualida; quoniam iſte talis non peccauit mortaliter, ſed tantùm venialiter, cùm mendacium circa materiam venialem ſit veniale, vt ſupra diximus: quod verum oſtendimus, ſi mendacia illa affirmatiua ſint materia partialis; ſecus autem ſi ſit totalis, quoniam tunc mentiens peccaret mortaliter: eo quòd ſacrilegium committeret ex defectu materiæ.

TERTIA

TERTIA CONCLVSIO.

13 MEndacium circa materiam neceſſariam Sacramenti pœnitentiæ eſt peccatum mortale; atque ideo in ſacramentali confeſſione prolatum ipſam nullam, ac inualidam efficit. Hæc concluſio eſt communis, quam tenent *Sot. in 4. d. 18. q. 12. art. 4. Conynch. de ſacram. diſp. 6. dub. 7. nu. 11. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 22. ſec. 10. nu. 4. Azor. tom. 1. Inſt. moral. lib. 5. cap. 7. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 3. cap. 2. nu. 12.* & alij communiter. Probatur ipſa concluſio, quoniam deceptio cum fiat in materia neceſſaria, grauis iniuria infertur Sacramento pœnitentiæ. Confirmatur, quia mendacium in omni iudicio prolatum circa ea, quæ pertinent ad ſubſtantialem cauſam decipiendo iudicem eſt lethalis culpa.

14 Ampliatur hæc concluſio primò, vt vera ſit non ſolùm quando in cōfeſſione profertur mendacium negatiuum, vt cùm quis interrogatus de peccato mortali, quod commiſit, negat illud commiſiſſe; quod eſt citra omnem controuerſiam, cùm tale mendacium directè tollat integritatem confeſſionis: ſed etiam quando in confeſſione profertur mendacium affirmatiuum, vt cùm quis ſe accuſat de peccato mortali, quod non commiſit, ſiuè materia totalis ſit, ſiuè partialis, vt habetur ex *D. Bonau. in 4. d. 17. q. vlt. Sot. ibidem d. 18. q. 2. art. 4. & lib. 5. de Iuſtit. & iur. q. 6. art. 1. & q. 10. art. 4. Suar. in 3. par. diſp. 22. ſec. 10. nu. 10. Vaſq. ibidem, q. 91. art. 1. dub. 7. ſub nu. 10. poſt Angel. ver. Confeſſio 1. nu. 6. Sylueo. ver. q. 8. & alios. Conynch. diſp. 6. de qualit. confeſ. dub. 3. con. 1. nu. 8. & 11. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 3. cap. 2. n. 12. Reginal. lib. 6. ſua prax. ſub nu. 77. Molf. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 11. ſub nu. 15. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. cap. 4. q. 9. con. 4. nu. 113.* & ex alijs. Etenim in materia graui in vtroque caſu ſpiritalis iudex decipitur, eiuſdemq; iudicium peruertitur; atque ideò ſacrilegium committitur. Confirmatur, quia notitia, quæ per talem confeſſionem habetur, eſt omninò falſa, cum pœnitens confiteatur, ſe eſſe Dei inimicum, cùm talis non ſit, ſi peccatum lethale non habeat: & eſto quòd aliud peccatum mortale quod commiſit fuerit confeſſus, clauium iudicium illudit.

15 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt locū ſibi vendicet non ſolùm quando mendacium profertur circa peccatum mortale; ſed etiam quando dicitur circa circumſtantias peccati mutantes peccati ſpeciem, vel aggrauantes notabiliter malitiam peccati intra eandem ſpeciem, iuxta ſententiam eorum, qui tenent, circumſtantias notabiliter aggrauantes pertinere ad integritatem confeſſionis: quia in iſs militat eadem ratio, cùm decipiatur Confeſſarius in re graui, ita vt non poſſit rectum ferre iudicium per ea, quæ habentur ex *Syl. loco ſupra relato*. Vndè ſi quis confiteatur furto ſubtraxiſſe rem ſacram, cùm fuerit profana, aut profanam cum ſit ſacra, lethalem culpam contrahit, & confeſſionem reddit inualidam. Idem dicendum eſt de eo, qui habuit rem cum conſanguinea in primo gradu, & dixerit habuiſſe rem cum conſanguinea in ſecundo gradu. Vel inceſtum commiſerit in ſecundo gradu, & dixerit commiſiſſe inceſtum in primo. Non tamen dicens mendacium affirmatiuum in materia neceſſaria dicitur lethalem culpam contrahere ex eo, quòd ſe ipſum infamat apud Confeſſarium, vt *Syl. loco citato*, arbitratur; quia talis accuſatio in confeſſione nō habet rationem infamiæ, & multoties miles publicè ſe iactat interfeciſſe hominem, & nullam contrahit infamiam; ſed culpam contrahit per rationes ſupra relatas: quoniam ſcilicet confeſſionis iudicio iniuriam infert, illudque cenſetur illudere, & Confeſſarius in materia neceſſaria cùm deciperetur, non poſſet rectum iudicium ferre, vt rectè declarat *Vaſq. d. dub. 7. ſub nu. 11. & 12.*

16 Tertiò ampliatur ſupradicta concluſio, vt locum habeat non ſolùm quando mendacium profertur circa peccata mortalia, & eorum circumſtantias mortales mutantes ſpecies, aut notabiliter aggrauantes vt ſupra: ſed etiam circa circumſtantias ita minuentes malitiam peccati, vt ex mortali faciant veniale, aut omninò tollant eiuſdem malitiam. Vndè qui rei minimæ furtum commiſit, ſi interrogatus in confeſſione de furti quantitate, dicat, commiſiſſe furtum rei notabilis, procul dubio mortalem culpam contrahit; quia decipit Confeſſarium in re graui, ita vt rectum iudicium ferre non poſſit. Sic etiam ſi quis aliquem occiderit ad ſui defenſionem, & de hac circumſtantia interrogatus eam ſcienter negauerit, multo magis peccat; quoniam negat circumſtantiam, quæ omninò tollit malitiam peccati, & quam ſcienter tacendo in confeſſione inualidam eam redderet.

17 Quartò ampliatur in proferente mendacium circa peccata mortalia dubia, & eorum circumſtantias ſupradictas dubias. Vndè ſi quis interrogatus confiteatur peccatum mortale dubium pro certo: aut certum pro dubio, & eodem modo peccati circumſtantias, lethalem culpam contraheret: ſiquidem lethaliter quoque peccaret, ſi ita confiteretur, etiam non interrogatus, cùm Confeſſarius deciperetur in re graui, ac illuderet ſacramentale iudicium circa materiam neceſſariam, vt habetur per *Vaſq. d. dub. 7. nu. 12. in fine*, & ante ipſum *Syl. in ſum. Confeſſio 1. q. 8.* vbi ait, hoc caſu, pœnitentem excuſari, ſi in caſu dubio plus iuſto aliqualiter ſe aggrauet ad tutamen conſcientiæ: vel ſi bona fide peccatum mortale dubium confiteretur pro certo, exiſtimans benefacere eligendo tutiorem partem. Etenim vt ſupra diximus in *explic. tit. 9.* mendaciū ad eius eſſentiam non ſolùm exigit falſitatem, verum etiam intentionem fallendi, vt habetur ex *Caiet. in ſum. ver. Confefeſſio, cond. 5. Petr. Sot. lect. 10. de confeſ.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Molf. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 11. cap. 11. à nu. 26.*

18 Quintò ampliatur ipſa concluſio, vt non ſolùm quis peccet ſcienter negando peccatum mortale, quod commiſit; aut confitendo lethale, quod nō commiſit; aut mentiendo circa alicuius peccati circumſtantias ſupra relatas; ſed etiam ſcienter confitendo maiorem numerum peccatorum, vel minorem quàm commiſit; quoniam huiuſmodi mendacium eſt de re graui circa materiam neceſſariam, variat ſacramentale iudicium, & infert iniuriam Sacramento, vt benè declarat *Vaſq. loco citato, ſub nu. 11.*

19 Sic ampliata limitatur præfata concluſio, vt non procedat, vbi quis ex inaduertentia, obli-

nione, aut ex probabili ignorantia negauerit lethalem culpam quam commiſit, aut confeſſus fuerit peccatum mortale, quod non contraxit: quoniam tunc huiuſmodi mendacium non eſt formale, ſed materiale tantùm: ſiquidem mendacium formale, vt ſupra diximus non ſolùm continet falſitatem, ſed etiam voluntatem fallendi. Idem dicendum eſt de Rudibus, ac ſimplicibus, qui vt eligant tutiorem partem ſolent maiorem numerum peccatorum exprimere, quàm commiſerint, vt habetur ex *Suar.* poſt alios *d. ſec.* 10. *nu.* 11. quem ſequitur *Filliuc. tom.* 1. *qq. moral. tract.* 7. *cap.* 4. *q.* 9. *con.* 4. *nu.* 113. *Azor. tom.* 3. *Inſt. moral. lib.* 13. *cap.* 1. *dub.* 3. *& Alph. de Leone d. recoll.* 18. *ſub nu.* 85. *verſ. Limitat hanc doctrinam*, vbi refert doctrinam *P. Megal.* dicentis ſe feciſſe iterari plures confeſſiones à quadam Moniali, quæ in confeſſione ſe accuſauit de grauiſſima quadam culpa non alio fine, niſi vt grauem à ſuo Confeſſario pœnitentiam ſubiret. Mouetur ipſe *Megal.* ex eo, quod cùm mendacium illud ſit lethalis culpa de per ſe, non potuit Monialem illam ab illo excuſare, nec eius ſimplicitas, nec bona fides. *Alph.* autem *Megal.* doctrina non probatur, inquiens quod licèt ſimplicitas, ac bona fides prædicta non excuſent mendacium à lethali culpa; nihilominus non ob id ſequitur illam confeſſionem, & alias ſubſequentes eſſe inualidas: ſiquidem ait, ſatis eſſe, vt quis inuincibiliter tunc cùm confitetur, putet aliquod non eſſe peccatum mortale ad hoc, vt illud omittendo in confeſſione faciat confeſſionem validam, nec tenetur iterare.

20 Hæc re vera *Alph.* impugnatio nobis videtur valdè rationabilis; tantò magis, quod eorum quæ ſunt contra ius naturale poteſt aliquando dari inuincibilis ignorantia, ita vt agens contra illud ex probabili ignorantia non peccet. Etenim præcepta naturalia ſunt in triplici differentia: nam quædam ſunt principia ipſa naturalia, vt bonum eſt faciendum, & malum fugiendum. Quod tibi non vis, alteri ne feceris; & alia, de quibus *D.* 1. 2. *q.* 94. *art.* 6. Secundò præcepta naturalia dicuntur, quæ deducuntur ex primis principijs, vt legis præcepta. Etenim præcepta Decalogi ex illo principio, ſummum bonum eſt diligendum, colligitur quòd Deus cùm ſit ſummè bonus ſit diligendus. Reliqua negatiua præcepta, vt non adulterabis, non falſum teſtimonium dices, non furaberis, &c. deducuntur ex illo principio. Quod tibi non vis, alteri ne feceris. Tertiò, & vltimo præcepta naturalia remotius à primis principijs, & à legis præceptis deducuntur, vt eſt ſimplex fornicatio, delectatio moroſa, vſura, & cætera eiuſmodi. Contra præcepta naturalia
21 primi generis perpetrantes, licèt nnnquam excuſari poſſint à peccato ex capite ignorantiæ; quoniam in his dari non poteſt antecedens, & inuincibilis, ſeù probabilis: nam cognitis terminis, lumine naturali cognoſcitur, bonum eſſe faciendum, & malum fugiendum, &c. nihilominus contra præcepta Decalogi facientes ex capite ignorantiæ aliquando per breue tempus excuſari poſſunt à peccato, quoniam donec ſe ipſos conſulentes intelligerent non eſſe licitum facere in alium id quod in ſe ab alio fieri nollent, laborant ignorantia inuincibili: quapropter à peccato
22 excuſantur. Circa verò præcepta naturalia tertij generis poteſt in eis dari ignorantia inuincibilis ſaltem in rudioribus etiam longo tempore, huiuſmodi ignorantia à peccato excuſat: quoniam hæc, & alia ſimilia non ſunt adeò manifeſta, nec facilè à quouis ex primis principijs colligi poſſunt, cùm videmus etiam ſapientiſſimos Phyloſophos in his rebus hæſitaſſe, & erraſſe, vt benè notat *Sayr. lib.* 2. *Theſ. cap.* 9. *de ignorantia propoſ.* 4. *&* 5. *tom.* 2. Cum igitur mendacium, de quo agitur ſit contra præcepta naturalia tertij generis, cùm deducatur ex illo præcepto, Non falſum teſtimonium dices, tanta potuit eſſe ſimplicitas, ruditas, ac bona fides præfatæ Monialis in accuſando ſe de grauiſſimo illo peccato, quod non commiſit, ad finem tantùm vt grauiorem pœnitentiam à Confeſſario reportaret, vt nullam culpam commiſerit, ex capite inuincibilis ignorantiæ; atque ideò tam primam confeſſionem de alijs peccatis, quæ commiſit, quàm ſequentes fuiſſe validas, & non potuiſſe compelli ad eas repetendas: ſiquidem pœnitens ea tantùm peccata tenetur confiteri, quæ habet in ſua conſcientia iuxta *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *de confeſ. cap.* 5.

23 Secundò limitatur quoad mendacium negatiuum circa materiam neceſſariam, quando pœnitens interrogatus negat peccatum mortale commiſiſſe; eo quòd habeat iuſtam cauſam occultandi illud, vt quia ſi ipſum confiteretur probabiliter timeat nocumentum aliquod graue in propria perſona, vel alterius, aut in bonis; quoniam tunc poteſt negare tale peccatum commiſiſſe, æquiuocando. Etenim Iudex quando non interrogat iuridicè, non mentitur aliquis negando factum quod fecit: ſiquidem non cenſetur ſimpliciter negare ſe feciſſe; ſed negare ita feciſſe, vt teneatur in illo foro reuelare, vt ſupra diximus, *concl.* 2. *verſ. Ex ſupradictis*: quibus adde, quæ habentur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.* 2. *lib.* 3. *cap.* 2. *nu.* 11.

24 Tertiò limitatur quod idem mendacium negatiuum quando pœnitens interrogatus à Confeſſario de lethali culpa, quam alias ritè fuit confeſſus, & abſolutus, negauerit eam commiſiſſe: quoniam tunc huiuſmodi mendacium non redderet confeſſionē inualidam: imò non peccat, nec venialiter quidem, & poteſt æquiuocando ſimpliciter negare commiſiſſe talem culpam, cùm Confeſſarius non habeat poteſtatem de peccato mortali aliàs confeſſo interrogandi pœnitentem, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in proxima limitatione. Eſt tamen verum, quòd *Henriq. lib.* 2. *de pœnit. cap.* 9. *nu.* 2. quem refert, & ſequitur *Fagund. loco citato*, hanc limitationem ſublimitat, quando fortè Confeſſarius velit ſcire, an iam aliquoties pœnitens illud peccatum commiſerit, vt cognoſcat illius ſtatum, & ſciat quod nam remedium debeat applicare. Quòd ſi
25 pœnitens æquiuocatione nō vtatur in priori caſu intelligendo ſcilicet in mente ſua talem culpam non commiſiſſe poſt confeſſionem, vel non commiſiſſe, vt illam iterum teneatur confiteri, tunc ait *Molf. par.* 1. *ſuæ ſum. Theol. tract.* 7. *cap.* 11. *nu.* 16. & poſt alios *Conynch. diſp.* 6. *de qualit. Confeſ. dub.* 3. *con.* 2. *ſub nu.* 8. huiuſmodi pœnitentem ratione mēdacij peccare venialiter: quòd quidem videtur nobis non citra difficultatem aliquam; ſiquidem pœnitens dum ſemel ritè confeſſus fuit peccatum poteſt iuridicè, ac ſimpliciter

citer negare illud commiſiſſe; quia per præcedentem confeſſionem fuit remiſſum, nec tenetur iterum confiteri. Vndè *Fagund.* vbi ſupra excuſat pœnitentem à mendacio, & leui culpa in præfato caſu ſimpliciter, nulla mentione facta de æquiuocatione.

26 Quartò limitatur ſupradicta concluſio quoad mendacium affirmatiuum, vt locum habeat quando quis ſe accuſat in ſpeciali de peccato mortali, quod non commiſit: tunc enim erit grauis culpa: ſecus autem ſi quis in confeſſione ſe accuſet in genere eſſe peccatorem magnum, cùm re vera non ſit; quoniam tale mendacium non eſt graue peccatum, cùm etiam ſancti ſe reputent magnos peccatores, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 8. circa finem.*

An accedens ad Confeſſarium, cui dicat velle omnium ſuorum peccatorum generaliter confeſſionem facere: & inter confitendum ab eo interrogatus, an hoc, vel illud peccatum mortale aliàs fuerit confeſſus, affirmatiuè mentiendo reſpondeat, confeſſionem inualidam faciat.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens verum faterì ſub lethali culpa non tenetur Confeſſario, iuſtè non interroganti.*

2 *Peccatum, iam confeſſum, eſt materia confeſſionis voluntaria, & ſufficiens; Et quale mendacium confeſſionem reddat inualidam.*

3 *Pœnitens non tenetur per ſe diſtinguere inter peccata alias confeſſa, & non confeſſa, nec ex ſe dicere, quando dubitat, an ſit mortale, an non, niſi quando de hoc à Confeſſario interrogatur.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt negans, quā tenet *Megal. par. 1. Inſtit. Peregr. lib. 5. cap. 7. ſub nu. 9.* & eam probabilem quoq; tenet *Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recoll. 18. ſub num. 81.* Mouentur ex eo, quòd non tenetur pœnitens ſub lethali culpa verum fateri Confeſſario, quando iuſtè non interrogat, at in caſu, de quo agitur, iniuſtè interrogat pœnitentem: ſiquidem interrogatio huiuſmodi non pertinet ad cognitionem materiæ, cùm non ſit eiuſdem circumſtantiæ: neque ad diuerſitatem iudicij; quoniam eodem modo Confeſſarius grauem pœnitentiam poteſt imponere pœnitenti pro peccatis aliàs confeſſis, ac pro non aliàs confeſſis.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto probabiliorem, vt arbitratur etiam idem *Alph. loco citato*. Etenim peccatum confeſſum eſt materia voluntaria, & ſufficiens; peccatum verò nō confeſſum eſt materia neceſſaria: mendacium autem circa materiam neceſſariam confeſſionis eſt peccatum mortale, & confeſſionem reddit inualidam, cùm ſit de re graui, vt ex communi ſententia Doctorum ſupra adnotauimus, *ſec. 1. concl. 3.* quibos adde ipſum *Alph. d. recoll. 18. nu. 83. & Bonac. de Sacram. diſp. 51. q. 5. ſec. 2. par. 2. § 2. nu. 7.* vbi *nu.* 8. idem dicendum eſſe ait, quando pœnitens negat peccatum aliàs ritè confeſſum, ſi Confeſſarius inquirat ex iuſta cauſa, nempè ad cognoſcendum pœnitentis ſtatum circa adhibenda remedia; quia tunc tenetur reſpondere; aliàs eſt mendacium in materia neceſſaria. Vndè ex dictis patet reſponſio ad contrarium: ſiquidem pœnitens licèt non te-

3 neatur per ſe diſtinguere inter peccata aliàs confeſſa, & non confeſſa, nec ex ſe dicere quando dubitat de aliquo peccato, an ſit lethale, vel non; nihilominus vbi de hoc interrogatur à Confeſſario, obligatur verum reſpondere: nam quando Confeſſarius vult diſcernere inter materiam neceſſariam, & ſufficientem, ac voluntariam, & auxilium expoſtulat à pœnitente, qui dare illud poteſt, & ad id tenetur.

An pœnitens faciat contra fidelitatem confeſſionis, ac mortaliter peccet, confitendo venialia peccata ordinario Confeſſario, & mortalia alteri.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Confiteri venialia Confeſſario Ordinario, & mortalia Extraordinario, an, & quando ſit lethalis culpa.*

2 *Confiteri Extraordinario Confeſſario grauem culpam, & Ordinario leuiores, non eſt peccatum mortale, quamuis ſæpius quis hoc modo confiteatur.*

1 IN hac re difficultate dum ſunt opiniones: nam prima opinio eſt *Syl. in ſum. ver. Confeſſio, nu. 8. & Victor. de confeſ. nu.* 196. docentium partem affirmatiuam, atque ideò id volunt eſſe lethalem culpam, non quia ſit contra integritatem Sacramenti, ſed quoniam committit peccatum hypocriſis, & virtuale profert mendacium. Eſt tamen verum quòd Victoria addit hoc verum eſſe, modo id faciat pœnitens animo perſeuerandi in eadem conſuetudine, ſecus autem ſi ſemel tantùm, aut bis ita faciat ex imbecillitate, aut fragilitate quadam humana.

Oppoſitam ſententiam tenendā eſſe tanquam veriorem docent *Nauar. in ſum. cap. 21. nu. 40. Suar. 3 par. tom. 4. de pœnit. diſp. 22. ſec. 1. nu. 13. Henr. de pœnit. tom. 1. lib. 2. cap. 16. n. 6. Conynch. de qualit. confeſ. diſp. 6. dub. 4. nu. 13. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 8. ſub nu. 14. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 3. ſub nu.* 14. dicentes per ſe loquendo non eſſe

2 peccatum mortale confiteri extraordinario Confeſſario grauem culpam, & ordinario leuiores: imò *Henr.* putat id aliquando expedire: & *Conynch.* id verum eſſe ait, etiam ſi quis ſæpius hoc modo confiteatur. Rationem autem hanc eſſe volunt; quoniam hoc neque eſt contra integritatem Sacramenti, cum vtraque confeſſio fiat integrè: neque eſt vera hypocriſis; nam non apparet hic grauis aliqua deformitas, cùm conſeruatio bonæ famæ apud ordinarium Confeſſarium non ſit per ſe mala, & velle eam hoc modo conſeruare per ſe loquendo, aut nullam, vel ſaltem grauem inordinationem non continet: neq; dici poteſt mendacij ſpecies; quoniam huiuſmodi pœnitens nihil falſum confitetur: & quamuis fortè facto ipſo permittat alium decipi; id tamen non eſt per ſe mortale peccatum, quia illud non intendit; ſed ſuam tantùm bonam famam apud ordinarium Confeſſarium intendit

con-

Digitized by Google

conſeruate. Eſt tamen verum, quòd ſi ob hanc cauſam pœnitens maneret in aliqua occaſione peccandi lethaliter, aut periculo exponeretur ſæpius labendi in lethalem culpam, huiuſmodi confitendi modus non eſſet citra culpam mortalem, vt haberur ex *Victor. & Fagund. locis cit.*

De fidelitate confeſſionis annuæ, quatenus ex cordis dolore prouenit, atque ideò de contritione, & attritione.

D I S P. VII.

VIſum eſt ſupra de fidelitate, quam exigit confeſſio annua vi noſtri canonis, nempè quòd ſit vera, nullam falſitatem, atque mendacium permixtum habens; modo competenti ordine reſtat videndum de eiuſdem fidelitate, quatenus confeſſio ipſa prouenit ex cordis dolore, ac contritione, tanquàm eiuſdem principio. Et quoniam prior natura eſt diuiſio, quàm definitio, vt rectè docet *Porphyr. in ſuis prædicab. cap. de genere*; idcircò ad euitandam æquiuocationem, contritionem ipſam prius diuidendam, & deindè definiendam duximus.

De Diuiſione contritionis.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Contritio quædam imperfecta, quædam verò perfecta dicitur: Et quomodo appellatur alio vocabulo imperfecta contritio.*

2 *Attritio, ſeù contritio imperfecta, tunc dicitur cum peccatum deteſtamur ſuper omne deteſtabile, cum propoſito cauendi omnia mortalia in futurum, ac confitendi illud ex motiuo ſupernaturali.*

3 *Contritio dupliciter conſideratur, vel ſecundum ſe, vel in ordine ad Sacramentum: Et quid ſit primo modo conſidarata, ac ſecundo modo ſumpta.*

4 *Materia Sacramenti pœnitentiæ moraliter diuiditur circa quam, ex qua, & in qua, ſeù in remotam, & proximam.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter quòd ſumma contritionis diuiſio hæc eſt, quòd contritio quædam dicitur imperfecta; & quædam perfecta. Imperfecta contritio eſt actus imperfectus per ſe ſufficiens ad remiſſionem peccati in ratione diſpoſitionis ad gratiam abſque reali perceptione Sacramenti: quæ quiddem imperfecta contritio alio vocabnlo appellatur attritio; quæ diuiditur in attritionem naturalem, & ſupernaturalem. Prior dicitur cùm peccatum deteſtamur præcisè, vt eſt cauſa pœnæ temporalis, infamiæ, ægritudinis, pœnæ æternæ, vt gehennæ, vel quod morali honeſtati repugnet & in ea ratione deteſtandi ſiſtamus, & nullo modo, nec etiam virtualiter noſtra deteſtationis voluntas tranſit in Deum authorem gratiæ, qui nos iuſtiſſimè propter peccatũ poteſt priuare gloria, & ſupradictis, & alijs pœnis punire, vt rectè declarant *Victor. in relect. de poteſt. Eccl. q. 2. n. 9. §. 2. ſi talis, D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 3. queſtiunc. 1. ad 4. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 20. ſec. 4. nu. 10. Nauar. in Man. cap. 1. nu. 7. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 1. nu. 9. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 5. nu. 2. Tolet. lib. 3. ſua ſum. cap. 4. §. 1.* &
2 alij. Poſterior autem attritio, ſeù contritio imperfecta, quæ dicitur ſupernaturalis eſt quando peccatum deteſtamur ſuper omne deteſtabile cum propoſito cauendi omnia mortalia in futurum, & confitendi illud ex motiuo non merè humano, ac naturali, ſed ex motiuo ſupernaturali per fidem apprehenſo, puta, quia non ſolum eſt cauſa ſupradictarum pœnarum, verùm etiam, quia tanquam Dei offenſa pœnam æternam meretur, & inſuper deteſtatio huiuſmodi debet eſſe cum ſpe veniæ à Deo obtinendæ: quæ quidem attritio meritò à *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3.* appellatur donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti; non dum quidem inhabitantis, ſed ad iuſtitiam comparandam excitantis, & mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat. Ob id legitur *Prouer. cap. 1. Initium ſapientiæ timor Domini, Eccleſ. cap. 25. Timor Domini initium dilectionis. Et cap. 1. Qui ſine timore eſt non poteſt iuſtificari.* Vndè quamuis naturalem attritionem habere poſſimus cum deteſtatione peccati commiſſi ſuper omne deteſtabile, cum propoſito omnia mortalia cauendi in futurum, & confitendi illud, vt eſt animæ fedatio, morali honeſtati repugnans, vel quia cauſa ſit alicuius mali temporalis in hac vita, & æternæ pœnæ in alia; nihilominus ſupernaturalem attritionem vllo vnquam tempore habere poterimus, donec peccatum ipſum inſuper deteſtemur, quòd tanquam Dei offenſa, pœnam æternam meretur, voluntatem, & affectum peccandi excludentes cum ſpe veniæ à Deo obtinendæ, vt benè declarant Doctores ſupra relati, præſertim *Fagund. & Laym.* & infra latius, Deo duce, dicemus.

3 Contritio verò perfecta dupliciter conſideratur. Primò ſecundum ſe, prout erat ante legem Euangelicam: ſecundò in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, poſt legem Euangelicam inſtitutum, prout eſt pars illius. Primo modo conſiderata contritio perfecta nihil aliud eſt, quàm virtus pœnitentiæ, ſeù pœnitentiæ virtus: ſecundo modo ſumpta pars eſt materialis Sacramenti pœnitentiæ. Etenim Sacramentum huiuſmodi conſtat ex materia, & forma, ſicut & alià Sacramenta: nam Sacramenti pœnitentiæ forma conſiſtit in illis verbis, *Abſoluo te*. Quibus Sacerdos vtitur in impendenda abſolutionis forma, vt latius infra ſuo loco, Deo duce, dicemus. Eiuſdem autem Sacramenti materia eſt multiplex ad inſtar materiæ phyſicæ, quæ multipliciter diuiditur, vt ſupra explicauimus, *diſp. 2. ſec. 7.* Vndè ſicut materia in naturalibus partitur in materiam circa quam, ex qua, & in qua, in remotam, ac proximam; ita, ac eodem modo materia Sacramenti pœnitentiæ moraliter diuidi poteſt: Siqui-
4 dem materia, circa quam, præfati Sacramenti poſſunt dici peccata pœnitentis; nam Sacramentum pœnitentiæ verſatur circa peccata; quæ quidem dicuntur quoque materia remota, non quia ex ipſis directè fiant actus pœnitentis, qui ſunt materia proxima, vt mox dicemus, ſicut ex aqua, & terra concelatur metallum, qnod eſt materia ſtatuæ, aut ſicut ex tritico fit maſſa, quæ eſt materia proxima panis; ſed peccata dicuntur materia remota reſpectu eſſentialium partium, ex quibus proximè conficitur hoc Sacramentum

quo

que circà peccata ſunt obiecta eorundē actuum, non facienda, vt ſunt obiecta virtutum, ſed vt expellenda, reprobanda, ac deſtruenda; ſicut ſtuppa eſt materia ignis; quoniam ignis verſatur circa ſtuppam ad comburendam, ac deſtruendam illam. Materia verò ex qua, ſeù in qua Sacramenti pœnitentiæ, ſuper quam impenditur forma, & ex qua conſtat Sacramentum, ſunt actus pœnitentis, ſuper quibus forma impenditur, & ex quibus pœnitentiæ Sacramentum conſtare dicitur, nempè contritio, confeſſio, & ſatisfactio; qui quidem pœnitentis actus dicuntur quoque materia proxima pœnitentiæ: nam ſuper illos proximè, ac immediatè impenditur forma abſolutionis. Ita *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 2.* & alij apud *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 18. ſec. 1.* Eſt tamen verùm quòd licèt dictæ partes ſe teneant ex parte materiæ dicti Sacramenti, quæ eſt eiuſdem pars eſſentialis; non tamen ſunt partes eſſentiales, ſed partes integrales, ſeù integrantes ipſam materiam; quæ partes alio modo appellantur partes quantitatiuæ, vt latius nos declarauimus ſupra *d. diſp. 2. ſec. 7. not. 2.* Hæc de diuiſione contritionis, reſtat modo, vt videamus de eiuſdem definitione. Et quoniam definitio apud Dyalecticos eſt duplex, quid nominis ſcilicet, quæ eſt nominis, ethymologia, ſeù deriuatio; & quid rei, quæ eſt rei eſſentia, ac quiditas, idcircò de vtriuſque contritionis definitione verba facturi, primò agemus de definitione contritionis ſecundum eiuſdem nomen, & ethymologiam; & deindè de ipſius definitione ſecundum rem, eſſentiam, ac quiditatem, iuxta ea, quæ adnotauimus in noſtro *tract. de ſociet. lib. 1. cap. 1.*

De Definitione quid nominis contritionis, tàm perfectæ, quàm imperfectæ, ante, & poſt legem Euangelicam conſideratæ.

S E C. II.

S V M M A R I V M.

1 *Contritio, ſiuè conſideretur ſecundum ſe, ſiuè vt pars Sacramenti pœnitentiæ, deriuatur à verbo, Contero.*

2 *Attritio, quæ imperfecta dicitur contritio, deriuatur à verbo, Attero.*

1 AD hanc difficultatem paucis reſpondentes dicimus, quòd contritio perfecta, ſiuè conſideretur ſecundum ſe prout erat ante legem Euangelicam; ſiuè conſideretur vt pars Sacramenti pœnitentiæ, poſt legem Euangelicam instituti, deriuatur à verbo Contero: ſiquidem conterere denotat rem aliquam duram in minutiſſimas partes diuidere, ac comminuere: peccatum autem ſolet peccatoris cor obdurare, & propterea perfecta diuiſio cordis, deſtructio malæ voluntatis, in corde exiſtentis, & auerſio à peccato contritio nuncupatur. Vndè contritio dicitur quaſi ſimul tritio; quia totum cor quaſi teritur, & ſcinditur præ nimia anguſtia, dolore, ira, & indignatione, quam concipit contra peccata. Hinc *Ioel. cap. 2.* legitur, *Scindite corda veſtra, &c. Et gloſ. ſuper pſal. 50. in illum verſiculum pſalmi, Sacrificium Deo ſpiritus, &c.* Punge igitur, & percute cor tuum, ſi neceſſe fuerit, ſpinis, clauis, & lancea, & alijs, quibus Chriſtus fuit per te punctus. *In pſal. 46.* habetur quoque, *Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Et D. Auguſt. Tritura cordis, inquit, pietas, humilitas, qui ſe conterit, iraſcitur ſibi, ſe habet iratum, vt Deum habeat propitium. D. Bernard. pariter ſer. 12.* in cantica ſic ait, *Optimum vnguentum contritio, quod ex recordatione peccatorum conficitur.* Cùm enim per actum contritionis homo ad meliorem vitam animi mutatione ſe conuertit, & ad iuſtitiam accedit, oportet, vt non tantùm nouæ vitæ propoſitum concipiat, atque adeò reſipiſcat; verum etiam vitam veterem, & peccata præterita deteſtetur, ac de eis doleat: ſiquidem omnis mutatio duos terminos requirit, vnum, à quo recedatur, & alterum ad quem accedatur. Quare *D. Auguſt. lib. 50. homil. 27. cap. 1. Nemo eligit vitam nouã, niſi quem veteris pœnitet. Et homil. vlt. in fine,* inquit pariter, *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; niſi etiam de ijs, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.*

2 Attritio autem, quæ dicitur contritio imperfecta de qua ſupra egimus *ſec. præcedenti* deriuatur à verbo Attero: quoniam, vt ait *Ariſt. 4. ethic.* dum res in partes groſſiores franguntur, dicuntur atteri; dum verò commoliuntur, dicuntur conteri. Hæc metaphora transfertur ad cor: nam dum homo imperfectè deteſtatur peccatum, dicitur atteri; quando verò perfectè dicitur conteri. Vndè attritio in duobus præcipuè differt à contritione: primò, quia attritio eſt dolor imperfectus de peccato, contritio autem dolor perfectus: ſecundò attritio eſt dolor ſine gratia gratum faciente; contritio verò eſt dolor cum gratia, gratum faciente: atque ideò contritio, & attritio materialiter idem ſunt, ſicut domus obſcura, & illuminata, vt latè *Syl. in ſum. ver. Contritio, nu. 1.* Hæc breuiter de definitione nominis contritionis, tùm ſecundum ſe, tùm in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ, & vt eſt pars illius conſideratæ, perfectæ, ac imperfectæ.

De Definitione eſſentiali prefectæ contritionis ſecundum ſe, & ante legem Euangelicam conſideratæ.

S E C. III.

S V M M A R I V M.

1 *Contritio conſiderata ſecundum ſe, eſt pœnitentia virtus. Eſtq; deteſtatio voluntaria, ac animi dolor de peccato, quatenus eſt offenſa, & iniuria Dei, cum propoſito præcauendi omnia peccata in futurum, ac iniuriam abolendi, & compenſandi.*

2 *Deteſtari peccatum, ac de eo dolere, quatenus præcisè eſt malũ moris, ac rationi repugnãs ad quid ſpectet generaliter, & ad quid ſpecialiter.*

3 *Pœnitens ſi cognoſcat ſe deteſtari peccatum, non vt eſt Dei offenſa, ſed præcisè tantum, vt eſt malum moris, ac rationi repugnans, vel vt eſt præcisè alicuius mali temporalis cauſa, actus erit tantum naturalis, inſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ.*

4 *An huiuſmodi propoſitum eſſe poſſit, cum probabili timore peccandi de cætero.*

5 *Propoſitum efficax non peccandi in futurum quod nam ſit.*

6 Occa-

Digitized by Google

6 *Occaſionem proximam peccandi, an, & quando teneamur vitare, eandemq; tollere.*

7 *An ſint abſoluendi, qui officio, & negotiatione è domo, in qua peccandi periculum proximè imminet, nolunt diſcedere.*

8 *Occaſio peccandi, in ſe peccatum non eſt, neque neceſſitatem infert, vel animi libertatem tollit.*

9 *Pœnitentia pars eſt Iuſtitia commutatiua, qualis inter Deum, & hominem intercedere poteſt.*

10 *Iniuriam, homini illatam poſſumus, vt plurimum ad æqualitatem compenſare: Deo vero, quæ infertur, non item.*

11 *Contritio, vt pœnitentia virtus, non modo eſt pars Iuſtitia commutatiua, verum, & ſpecies virtutis religionis.*

1 CONtritio ſecundum ſe conſiderata, & ante legem Euangelicam, non eſt aliud niſi virtus pœnitentiæ, ſeù pœnitentiæ virtus, quæ, vt colligitur ex *D. Thoma 3. par. q. 85. aliàs 16. art. 1. ad 3. & art. 3. in corpore, Fagund. de præcep. Decal. præcep. 2. lib. 2. cap. 3. ſub nu. 6. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 1. de ſacram. pœnit. nu. 2.* & ex alijs, eſt deteſtatio voluntaria, ac dolor animi de peccato commiſſo ſuper omnia; quatenus eſt offenſa, & iniuria Dei, cum propoſito omnia peccata præcauendi infuturum, & iniuriam abolendi, ac compenſandi. Dixi, *Deteſtatio*, loco generis, quia cùm deteſtatio ſit actus pœnitentiæ, & pœnitentia haberi poſſit non modo de peccatis, ſed etiam de actibus bonis, quo circa pœnitentia diuiditur in bonam, & malam; ita etiam deteſtatio poteſt dici bona, vel mala: bona ſi deteſtetur malum: mala ſi deteſtetur bonum. Dixi quoque, *Deteſtatio*, quoniam contritio cùm ſit proprijſſimus, & perfectiſſimus actus pœnitentiæ, talis actus in deteſtatione propriè conſiſtit: ſiquidem actus pœnitentiæ elicitus, formaliter eſt ipſa diſplicentia, fuga, & receſſus animi à malo peccati. Dixi, *Voluntaria*. Quia deteſtari peccatum ad actum voluntatis ſpectat: tunc enim deteſtamur peccatum, cùm voluntas ex conſideratione præteriti peccati à ſe commiſſi in hunc actum doloris prorumpit, *Nollem peccaſſe*. Dixi; *Ac dolor animi*, ſi nó formaliter, ſed effectiuè; quoniam dolor animi eſt effectus deteſtationis: ſiquidem ex odio, ac deteſtatione peccati, cuius reatus adhuc præſens eſt neceſſariò ſequitur dolor animi; ſicut è contrario ex apprehenſione, & amore magni boni præſentis gaudium oriri ſolet: imò pœnitentiæ nomen per ſe ſignificat dolorem, ſeù triſtitiam, & afflictionem animi de peccato, iuxta illud *Baruch. cap 2. Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, &c. & Apoſt 2. ad Corinth 7. Gaudeo non quia contriſtati eſtis; ſed quia contriſtati eſtis ad pœnitentiam*. Vndè meritò *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* contritionem per deteſtationem, & dolorem definiens ſic ait, *Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio, &c.* Dixi. *De peccato*, ad denotandum deteſtationem, de qua agitur, eſſe bonam, cùm ſit de peccato, & ſic de malo; ad differentiam deteſtationis alicuius boni, quæ dicitur mala, vt ſupra diximus. Dixi, *De peccatu commiſſo*. Nam homo cùm per actum virtutis pœnitentiæ ad meliorem vitam, animi mutatione ſe conuertat, & ad iuſtitiam accedat, neceſſe eſt, vt non tantùm nouæ vitæ propoſitum concipiat, atque ideò reſipiſcat; verum etiam vitam veterem, & ſic peccatum tanquam malum abolendum deteſtetur, ac de eo doleat: ſiquidem omnis mutatio duos terminos exigit, alterum, à quo recedatur; alterum verò ad quem accedatur: iuxta illud *D. Auguſt. lib. 50. homil. 27. cap. 1. Nemo eligit vitam nouam, niſi quem veteris pœnitet*. Dixi, *Super omnia*, quoniam deteſtatio debet eſſe omnium maxima appretiatiuè, vt ſuo loco dicemus: ſiquidem qui verè pœnitens, & contritus eſt, magis vult quodcunque malum ſubijſſe; quàm Deum offendiſſe: & quodcunq; malum ſubire, quàm Deum offendere. Dixi, *Quatenus eſt offenſa, & iniuria Dei*, quia, vt ait, *D. Thom. d. q. 16. ſeù 85. art. 2. & 3.* proprium & formale obiectum virtutis pœnitentiæ, ex quo ipſa ſpeciem ſuam, & dictionem accipit à reliquis virtutibus, eſt malum peccati, quatenus eſt

2 offenſa Dei, ab homine, mediante Dei auxilio, delenda, & compenſanda. Etenim deteſtari peccatum, & de eo dolere, quatenus præcisè eſt malum moris, & rationi repugnans generaliter ad generale propoſitũ virtutis, ac honeſtatis ſpectat, & ſpecialiter ad ſpeciales virtutes, quibus ſingula peccata opponuntur: ſiquidem eiuſdem virtutis eſt proſequi bonum, & fugere malum ipſi contrarium, vt rectè declarat *Laym. loco citato, cap. 1. ſub nu. 2.* Vndè talis deteſtationis actus ſatis non eſt ad veram, ac perfectam contritionem, de qua loquimur, imò non eſt ſatis ad attritionem, quæ ſimul cum Sacramento pœnitentiæ ſufficit ad collationem primæ gratiæ, ac ad iuſtificationem peccatoris, vt infra, Deo duce, dicemus de definitione attritionis agentes. Quo circa

3 ſi pœnitens cognoſcat ſe deteſtari peccatum, non vt eſt Dei offenſio; ſed præcisè, tantùm vt eſt malum moris, & rationi repugnans, vel vt eſt præcisè alicuius mali temporalis cauſa, nempè infamiæ, ægritudinis, &c. Et vt mala à Deo inflicta, vt auctor eſt rerum naturalium, licèt actus bonus ſit; non tamen eſt actus ſupernaturalis; ſed naturalis dumtaxat, inſufficiens ad Sacramentum pœnitentiæ, nec eſt congrua diſpoſitio illius, & qui ſic accederet ad confeſſionem, lethalem culpam contraheret, & vltra ſacrilegium, confeſſionem inualidam faceret, vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2 cap. 3. ſub nu 7. ex D. Thom. in 4. d. 17. q 1. ad. 4. Tol. lib. 3. ſum. cap. 4. nu. 5. §. Prima, & Nauar. in Man. cap. 2. nu. 7.* qui quidem *Fagund.* & alij addunt, talem fuiſſe pœnitentiam Iudæ, & Antiochi, vt *cap. Iudas, & cap. ſcelератior, de pœnit. d. 3.* & ideò talis actus eis nihil profuit. Dixi, *Cum propoſito omnia peccata præcauendi infuturum, quoniam verè pœnitens, & contritus non ſolum velle debet quodcunque malum ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe; ſed etiã infuturum, quodcunq; malum ſubire, quàm Deum offendere, vt ſupra diximus.*

† Eſt tamen verum, quòd huiuſmodi propoſitum poteſt eſſe cum probabili timore peccandi

4 de cætero: ſiquidem habere propoſitum non peccandi, & timere ſe peccaturum coincidunt; nam qui timet peccare videtur nolle peccare, vt habetur ex *Conynch. diſp. x. de ſacram. num. 19. Henriq lib. 4. cap. 24. nu. 3. Lop. 1. par. ſui inſtr. cap. 13. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 4. nu. 8. & 9.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur

quitur *Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. recol. 19. nu. 89. & 90.* qui id limitant in eo, qui reperitur in occaſione proxima peccandi: nam ſi timeat probabiliter ſe peccaturum non eſt abſoluendus, niſi occaſionem tollat. Vide *Bonac. diſp. 5. q. 5. ſec. 1. par. 3. nu. 3.* qui declarat quomodo poſſit ſtare propoſitum efficax non peccandi de cætero cum formidine peccandi. Eſt autem pro-
5 poſitum efficax non peccandi in futurum non ſolum quando quis proponit non peccare de cætero, ſed etiam debet propoſitum habere relinquendi proximas occaſiones peccandi, reſtituendi, ac non dandi ſcandalum, vt habetur ex *Lop. loco citato, cap. 11. verſ. Secundò dicitur*, *Reginald. lib. 5. ſua ſum. nu. 61. & ſeq.* cum alijs, quos allegat *Alph. de Leone d. recol. 19. nu. 82.* vbi *nu. 83.* loquens de attritione, vt eſt pars Sacramenti pœnitentiæ probat ex *Suar. Reginald.* & alijs, quod dictum propoſitum debet etiam includere propoſitum confitendi, & obediendi in omnibus, quæ ſunt neceſſaria ad conſcientiæ
6 ſuæ medicinam. Excipit tamen *Laym. d. nu. 9. verſ. Excipe*: vt ita demum occaſionem proximam peccandi teneamur vitare iuxta ea, quæ ſupra diximus, eandemq; tollere cùm ſine graui incommodo corporis, famæ, vel fortunarum vitari, ac tolli poteſt: aliàs licèt de conſilio poſſemus talem occaſionem proximam tollere, ac vitare, minorem illam iacturam maiori bono ſecuritatis animæ poſtponentes; non tamen tenemur
7 de præcepto. Vndè ait abſoluendos eſſe, qui officio, aut negotiatione è domo, in qua peccandi periculum proximè imminet, nolunt diſcedere, eo quòd citra maximam difficultatem ex ea proficiſci nequeant, ſi interim parati ſint adhibere remedia præſertim à Confeſſario præſcripta. Pro qua ſententia allegat *Nauar. in Man. cap. 3. nu. 16. Caiet. in ſua ſum. ver. Periculum, Sanch. lib. 1. moral. cap. 8. tom. 1. Henr. lib. 4. de pœnit. cap. 24. nu. 4. & Sà ver. Abſolutio, nu. 16.* Rationem
8 autem hanc eſſe volunt; quoniam occaſio peccandi in ſe peccatum non eſt, neque neceſſitatem infert, vel animi libertatem tollit: quapropter cum ea conſiſtere poteſt peccatorum deteſtatio, & abſolutum propoſitum adhibendi operam, & conatum, vt in poſterum peccata vitentur; quamuis interim adiuncta ſit peccandi formido, vt ſupra. Confirmatur: quia ſi daremus adeſſe præceptum declinandi occaſiones proximas peccandi, huiuſmodi præceptum, vel eſſet affirmatiuum, & tunc non obligat in dicta neceſſitate, quia præcepta affirmatiua non obligant ſemper ad ſemper, & vt plurimum cum magno detrimento corporis, bonorum, &c. Vel eſt præceptum negatiuum, non adeundi ſcilicet periculum, vel in eo nō perſiſtendi, & tunc præceptū intelligendū eſſet, ne quis vltrò, ac voluntariè in peccati periculū ſe conijciat, aut in eo perſeueret *arg. tex. in c. conſultationi, de frigid. & malefic.* idque non extenditur ad occaſionem proximam concubinarij, cum ſit propoſitio 41. damnata ab Alex. VII. ſub die 18. Martij 1666.

Dixi denique, *Et iniuriam abolendi, & compenſandi*, nam aliàs ſola charitas erga Deum ſatis eſſet ad dolendum de malo peccati, quatenus repugnat Deo: quod tamen non admittitur à *D. Thom. d. art. 3. in corp.* & ab alijs; quia dolere de commiſſo peccato, quatenus eſt offenſa Dei cum propoſito emendationis, ac compenſationis, id proprium eſt virtutis pœnitentiæ. Imò pœni-
9 tentiæ pars eſt iuſtitia commutatiua, non ſimpliciter dictæ, ſed qualis inter Deum, & hominem intercedere poteſt. Etenim ſicut in humanis, qui alicuius ius, vel honorem læſerit ad iuſtitiam commutatiuam pertinet compenſare, & ſatisfacere; ita quoque quoniam peccatum omne repugnat honori, & auctoritati Dei tanquam vniuerſalis auctoris noſtri, Legiſlatoris, & Iudicis, iuſtitia expoſcit, & læſus Dei honor, & auctoritas quoad fieri poteſt emendetur, ac compenſe-
10 tur. Eſt tamen verum, quòd iniuriam homini illatam ad æqualitatem plerumq; compenſare poſſumus: at iniuriam Deo illatam non item; quia per peccatum iniuria infertur Deo, qui eſt obiectum infinitum, & ideò peccator Dei infiniti offenſam re ipſa compenſare non poteſt; ſed cùm Dei auxilio affectum compenſandi exhibet, quem quaſi pro facto Deus reputans, peccatum ex miſericorddia gratis remittit, & delet, ac hominem per gratiæ ſanctificantis infuſionem ſibi conciliat, & cùm læſio per peccatum præcipuè per internum voluntatis actum fiat, in interna animi motione, ac dolore præſertim conſiſtit. Hinc meritò *D. Auguſt. lib. 50. homil. vlt. in fine*, ita inquit, *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere; niſi etiam de his, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſynis.*
11 Eſt contritio, de qua agimus, atque adeò pœnitentiæ virtus non modo pars quædam iuſtitiæ commutatiuæ, vt ſupra explicauimus; verum etiam eſt ſpecies virtutis Religionis erga Deum, vt rectè docet *Caiet. in d. q. 85. ſeu 26. art. 2.* ſiquidem hæc virtus latè patens eſt, & generali ratione, ſeù habitudine reſpicit honorem, ſeù cultum Deo tanquam vniuerſali auctori reddendum. Modi autem honorem Deo reddendi, atq; ideò Religionis ſpecies multæ ſunt, inter quas eſt etiam pœnitentiæ virtus, vt latè *Conynch. in 3. p. tom. 2. de pœnit. diſp. 1. dub. 4. aſſert. 5.* Hinc *D. Thom. 2. 2. q. 80. art. 1.* iuſtitiam, quæ eſt ad Deum, Religionem vocat: at pœnitentia eſt iuſtitia quædam erga Deum, vt ſupra oſtendimus; ergò virtus pœnitentiæ ad Religionem pertinet: quod quidem non obſcurè colligitur ex *pſal. 50.* ibi, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Et Baruch. cap. 2. Anima, quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, &c. dat tibi gloriam, & iuſtitiã.*

De Definitione eſſentiali contritionis perfectæ, vt pars eſt Sacramenti pœnitentiæ, & poſt legem Euangelicam conſideratæ.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Contritio, vt pars Sacramenti pœnitentiæ conſiderata, quid ſit.*

2 *Pœnitens, vt ſit attritus, habere quoque debet propoſitum agendi pœnitentiam à Confeſſario impoſitam, & pro pœna, quam culpam meretur ſaltem ſatisfacere in Purgatorio.*

1 DEfinitio contritionis præſentis controuerſiæ in paucis differt à contritionis definitione ante legem Euangelicam conſideratæ, de qua ſupra egimus in *præcedenti ſec.* Vndè ſi addantur ei hæc verba, *Cum propoſito peccata commiſſa confitendi*, optima erit definitio, ſeù de-

ſcriptio contritionis, quæ ſit pars Sacramenti pœnitentiæ, & poſt legem Euangelicam conſideratur. Eſt igitur huiuſmodi contritio vera, ac perfecta, *Deteſtatio voluntaria, & animi dolor de peccato commiſſo ſuper omnia, quatenus eſt Dei iniuria, ac offenſa, cum propoſito omnia peccata præcauendi in futurum, iniuriam abolendi, & compenſandi, ac omnia peccata commiſſa confitendi.* Dixi, *Deteſtatio, & animi dolor.* Quoniam vtraque contritio eſt formaliter deteſtatio, ſeù actus deteſtationis, & odij, quo quis nollet peccaſſe: dolor autem ſequitur ex ipſa deteſtatione, ac indiuiduus comes eſt ipſius deteſtationis, Vndè contritio non eſt formaliter dolor de peccato commiſſo, ſed eſſentialiter deteſtatio. Etenim ex eo quòd intellectus fide illuſtratus conſiderat peccatum, vt Dei offenſionem, & vt malum, quod non poteſt fieri infectum, ſequitur dolor, & triſtitia in voluntate; eo quòd Deum immeritò offenderimus: qui dolor, & triſtitia ex eo, quòd mouet ſenſum, hinc ſequitur proruptio in lacrimas, & gemitus, vt rectè declarat *Tolet. lib. 3. ſua ſum. cap. 4. nu. 3.* quem ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 4. ſub nu. 1. Suar.* & alij, & ſupra nos quoque diximus *ſec. præced.* Dixi, *Voluntaria*, tùm quia actus deteſtationis ſi non ſit voluntarius, non poteſt eſſe liber, ac moralis; atque ideò qui in ſomnis deteſtaretur peccatum commiſſum, aut metu tormentorum, talis deteſtatio non eſſet contritio; tùm etiam quoniam deteſtari peccatum ad actū voluntatis pertinet, vt diximus *d. ſec. præced.* Dixi, *De peccato*, ad excludendam deteſtationem malam, quæ eſt de aliquo bono. Dixi, *Commiſſo*; nam vt diximus, *ſec. prædicta*, ad contritionem exigitur non ſolùm propoſitum nouæ vitæ; ſed etiam vitæ veteris deteſtatio. Dixi, *Super omnia.* Quoniam, vt diximus loco citato, deteſtatio debet eſſe omnium maxima appretiatiuè. Dixi, *Quatenus eſt Dei offenſa, ac iniuria.* Siquidem proprium, & formale obiectum pœnitentiæ, ac perfectæ contritionis eſt malum peccati, vt eſt Dei offenſa, vt ſupra declarauimus *ſec. dicta.* Dixi, *Cum propoſito omnia peccata præcauendi in futurum.* Quia vera, ac perfecta contritio duplicem actum expoſtulat, alterum, quo velit, quodcunq; malum ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe, & alterum quo velit, quodcunque malum ſubire, quam Deum offendere. Dixi, *Et iniuriam abolendi, & compenſandi.* Nam verè pœnitens debet habere animum ſatisfaciendi, tùm Deo eo modo quo poteſt, vt in *d. ſec.* oſtendimus, tùm etiam hominibus ſi eos læſerit in fama, in perſona, vel in bonis.

† Debet etiam habere propoſitum agendi pœ-
2 nitentiam impoſitam à Confeſſario, & pro pœna quam meretur culpa ſaltem ſatisfacere in Purgatorio, aliàs non eſſet, nec attritus quidem, vt habetur ex *Conynch. diſp. 1. de ſacra. n. 61. & Aph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recol. 19. n. 91. & 92.* vbi rem hanc optimè declarat.

Dixi deniq; *Et omnia peccata commiſſa confitendi.* Ad differentiam contritionis ante legem Euangelicam conſideratæ, quæ citra vllum ordinem ad Sacramentum pœnitentiæ ex ſe ſatis erat ad iuſtificationem peccatoris: at contritio de qua loquimur, vt eſt pars Sacramenti poſt legem Euangelicam, neceſſariò includit Sacramenti votum: ſiquidem hodie peccatum mortale non remittitur, niſi Sacramento pœnitentiæ, vel Sacramenti voto, nempè per contritionem cum propoſito ſaltem virtuali confitendi, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.*

De Definitione eſſentiali contritionis imperfectæ atque ideò attritionis.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Attritio, quæ imperfecta nuncupatur Contritio, quid ſit.*

2 *Attritio, etiam cognita, ſufficiens eſt diſpoſitio ad gratiam, mediante Sacramento pœnitentiæ. Eſtque contra Caiet.*

3 *Attritio in quo differat à perfecta Contritione: Et vt ſatis ſit ad Sacramentum pœnitentiæ, quid continere debeat.*

4 *Attritio, vt poſſit eſſe vltima diſpoſitio ad gratiam, mediante Sacramento pœnitentiæ, debet eſſe ſupernaturalis, nec naturalis ſufficit.*

5 *Qui cum attritione naturali ad confeſſionem accederet, ſacrilegium committeret, & confeſſionem repetere teneretur.*

6 *Attritio, proueniens ex metu gehennæ, aut alterius pœnæ temporalis, ex metu infamiæ, vel ægritudinis, aut ex conſideratione fœditatis peccati, an nullo modo dici poſſit ſupernaturalis, vt propterea nullo modo detur attritio, vel ſi detur, ſufficiat ad iuſtificationem peccatoris, naturalis.*

7 *Metus gehennalis pœnæ eſt quidem ſeruilis, & turpis, ſed ſupernaturalis, & quare.*

8 *Fuga gehennæ quamuis ſit actus concupiſcentiæ, non ex hoc deſinit eſſe ſupernaturalis.*

9 *Deteſtatio, & animi dolor de peccato, licet non proueniat ex conſideratione peccati, tanquam ſummi mali, repugnantis ſummo bono, vtilis talis attritio ad ſalutem: Et quot ſint actus Contritionis.*

10 *Illa attritio eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, quæ abſolutam includit, ac firmam voluntatem non peccandi.*

11 *Ad habendam verā, & ſupernaturalem attritionem, non exigitur, vt peccatum deteſtetur ſuper omne deteſtabile, vel vt vitetur ſuper omne vitabile: Et duas tamen requirit conditiones ſupernaturalis attritio, & quas.*

12 *Propoſitum non peccandi de cætero, ſatis eſt, quamuis ſit cum formidine peccandi in futurā.*

13 *Attritio duplex eſt, & ad ipſas duas ſpecies omnes aliæ reducuntur.*

1 ATtritio, quæ contritio imperfecta nuncupatur, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 4. Suar. 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 20. ſec. 4. nu. 10. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 5. Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 1. de ſacram. pœnit. nu. 9.* & ex alijs, eſt *Præteriti peccati voluntaria deteſtatio ex conſideratione turpitudinis illius, vel gehennæ, & pœnarum metu proueniens cum ſpe veniæ, & propoſito amplius non peccandi, ex ſe inſufficiens ad gratiæ infuſionem, ſufficiens autem cum pœnitentiæ Sacramento.* Dixi, *Deteſtatio.* Tùm loco generis, tùm etiam, quia verè attritus, & ſupernaturalem attri-

Digitized by Google

attritionem habere volens tenetur obicem, ac
impedimentum tollere: quod citra deteſtationem
peccati fieri nequit: non tamen exigitur, vt pec-
catum deteſtetur ſuper omne deteſtabile; atque
adeò opus non eſt, quòd pœnitens ad habendam
veram, ac ſupernaturalem attritionẽ velit quod-
cunq; malum ſubijſſe, quàm peccaſſe; ſed ſatis
eſt, quòd peccatum deteſtetur, & abominetur,
velit non peccaſſe, & doleat de peccato metu
gehennæ, &c. Etenim *Conc. Trid. loco citato*,
duas tantùm conditiones exigit in actu attritio-
nis, vt ſit ſupernaturalis, ac legitima diſpoſitio
ad comparandam gratiam cum Sacramento pœ-
nitentiæ, alteram vt ſit deteſtatio peccatorum: &
alteram, propoſitum amplius non peccandi, nec
requirit, vt peccatum ſit vitandum ſuper omne
vitabile, vt rectè declarat *Fagund. d. cap. 5. nu. 3.*
poſt *Tolet. lib. 3. ſua ſum. cap. 4. §. ſecunda, &
cap. 10. nu. 5. §. Tertius caſus, Victor. in relect.
de poteſt. Eccl. q. 2. nu. 9. §. Quarto ſi putat*, &
2 alios. Et hanc attritionem etiam ſi cognita ſit,
eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam, me-
diante Sacramento pœnitentiæ, probat idem
Fagund. loco citato, contra *Caiet. tom. 1. opuſc. 4.
q. 1. & opuſc. 5. q. 1.* qui ait, quòd qui cognoſcit
ſe cum huiuſmodi attritione ad Sacramentum
pœnitentiæ accedere, validum Sacramentum
efficit; non tamen recipit gratiam, & ſic erit in-
forme: atque ideò quamuis pœnitens non tenea-
tur confeſſionem repetere; nihilominus tenetur
obicem, ac impedimentum tollere, & ſupplere
defectum: quæ quidem *Caiet.* ſententia meritò
reijcitur. Vndè inter alia in hoc differt contritio
perfecta à contritione imperfecta, & ſic ab attri-
tione, quòd illa exigit deteſtationem peccati
ſuper omne deteſtabile; attritio verò ſatis eſt, vt
habeat ſimplicem peccati deteſtationem.
3 Dixi, *Ex conſideratione turpitudinis illius,
vel gehennæ, ac pœnarum metu proueniens*. Ad
differentiam quoque contritionis veræ, ac per-
fectæ, quæ eſt deteſtatio, ac dolor animi de pec-
cato, principaliter, & per ſe primò, vt eſt Dei
offenſa, vt ſupra oſtẽdimus, *ſec. 4. & 5.* At attritio
ſatis eſt ſi contineat peccati deteſtationem ob
illius turpitudinem, gehennæ, vel pœnarum
temporalium metum: & vt eſt Dei offenſa aliquo
modo, ita vt ſaltem virtualiter noſtra deteſtatio-
nis voluntas tranſeat in Deum authorem gratiæ,
qui nos iuſtiſſimè his, & alijs pœnis punire po-
teſt pro noſtris peccatis: ſecus autem ſi deteſtatio
fieret peccati, & voluntas ſiſteret in deteſtatione
peccati, vt eſt mali alicuius temporalis cauſa in
hac vita, & fœdationis animæ; at cauſa pœnæ
æternæ in alia, & nullo modo, nec quidem vir-
tualiter noſtra deteſtationis voluntas tranſiret in
Deum authorem gratiæ modo ſupra explicato;
quoniam tunc non conciperetur, nec procederet
huiuſmodi attritio, ac deteſtatio ex motiuo ali-
quo ſupernaturali, ſaltem virtualiter; ſed ex mo-
tiuo merè naturali, atque ideò non eſſet actus
ſupernaturalis, ſed merè naturalis; qui quamuis
in ratione actus naturalis ſit bonus, nihilo-
minus non eſt diſpoſitio conueniens, & requiſita,
ac neceſſaria ad Sacramentum pœnitentiæ: ſiqui-
dem vltima diſpoſitio eiuſdem ordinis debet eſſe
cum forma: quo circa cùm gratia iuſtificans ſit
ſupernaturalis, & obtineat vicem formæ ſuper-
naturalis, attritio, vt poſſit eſſe vltima diſpoſitio
4 ad gratiam, mediante Sacramento pœnitentiæ,
debet eſſe quoque ſupernaturalis, nec ſatis eſt
naturalis, vt patet ex *Conc. Trid. loco citato*, &
clarius ex *Conc. Arauſicano 1. can. 7.* ita ſe ha-
bente, *Si quis dixerit, per naturæ vigorem bonum
aliquod, quod ſalutem pertinet vitæ, cogitare,
aut eligere, ſeu ſalutari prædicatione conſentire
poſſe confirmat abſque illuminatione, & inſpira-
tione Spiritus Sancti, hæretico fallitur ſpiritu.*
5 Vndè qui cum tali attritione naturali ad confeſ-
ſionem accederet, ſciens, & non ignorans ſe præ-
ciſè ob præfatas cauſas, aut quamlibet illarum
peccatum deteſtari, imparatus accederet, ſacri-
legium committeret, & confeſſionem repetere
teneretur. Ita *D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 3.
quæſtiun. 1. ad 4. Victor. in relect. de poteſt. Eccl.
q. 2. nu. 9. §. Secundo talis, Tolet. lib. 3. ſua ſum.
cap. 4. §. 1. Nauar. in Man. cap 1. nu. 7. Suar.
3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 20. ſec. 4. n. 10. Fagund.
de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 5. ſub nu. 2.
Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 8. cap. 1.
nu. 9.* qui ob id ait, non eſſe audiendos *Sot. in
4. d. 17. q. 2. art. 5. & lib. 2. de natura, & grat.
cap. 14. & 15. & can. relect. 3. de pœnit.* aſſeren-
tes, attritionem, quæ eſt dolor peccati ob horro-
rem nocumenti temporalis, atque ſolius naturæ
viribus elici poteſt, Sacramenti baptiſmi, vel
pœnitentiæ ſuſceptione, ſufficere ad conſequen-
dam iuſtificationem.
6 Nec obſtat ſi dicatur, quod attritio modo ex-
plicato cùm proueniat ex metu gehennæ, aut
alterius pœnæ temporalis, ex metu infamiæ, egri-
tudinis, aut ex conſideratione fœditatis peccati,
nullo pacto poteſt dici ſupernaturalis, & prop-
terea dicendum videtur, vel non dari attritio-
nem naturalem ad iuſtificationem peccatoris,
mediante Sacramento pœnitentiæ. Etenim me-
tus pœnæ gehennæ eſt metus ſeruilis, metus autẽ
ſeruilis turpis eſſe videtur, naturalis, & inutilis,
ac inſufficiens ad effectum ſupernaturalem attri-
tionis: imò talis metus implicitè includit hanc
voluntatem conditionalem, *Si peccatis non eſſet
pœna gehennæ impoſita, illa non deteſtarer*. Si-
quidem quando tota cauſa, & ratio deteſtandi
eſt ipſa pœna peccatis impoſita, ea non deteſta-
remur, niſi pœna eiſdem eſſet impoſita. Præterea
qui peccatum deteſtatur ob pœnam, magis odit
pœnam, quàm peccatũ; ergò omninò talis actus
ſeruilis eſt, & naturalis, cùm ad pœnam præciſè
terminetur, & ex illius conſideratione proue-
niat. Rurſus fugere pœnam gehennæ, vel tempo-
ralem, ad commoditatem naturalem tantùm per-
tinet, cùm ſit actus concupiſcentiæ; ergò illa
fuga ſupernaturalis eſſe nequit: ſicut & ſuperna-
turalis eſſe non poteſt deteſtatio peccati ex con-
ſideratione illius fœditatis, ex metu pœnæ tem-
poralis, egritudinis, vel infamiæ, cùm fœditas
peccati, egritudo corporalis, infamia, & pœnæ
temporales ſint res merè naturales, atque ideò
actus attritionis ex huiuſmodi cauſis prouenientes
7 merè naturales erunt. Quoniam reſpondetur,
metum gehennalis pœnæ eſſe quidem ſeruilem;
verùm indè non ſequitur eſſe turpem, ac natura-
lem, ſed ſupernaturalem, cùm ſit timor quidam
fuga, & odium pœnæ, vndè ſumit ſuam honeſta-
tem, & bonitatem ex bono, cui tale malum
pœnæ opponitur: bonum autem, cui gehennæ
malum opponitur, eſt gloria æterna, quam ſpe-

ramus, & propterea virtus ſpei cum ſit ſupernaturalis, hinc ſequitur, quòd timor gehennæ, quæ nos priuat ipſa gloria, & ſupernaturali beatitudine, quam ſperamus ſupernaturalis quoque ſit. Nec in actu attritionis orto ex metu gehennalis pœnæ continet virtualem illam voluntatem conditionatam, *Si peccatis non eſſet talis pœna annexa, non illa deteſtarer.* Siquidem motiuum illud pœnarum gehennæ non eſt finis vltimus, in quo voluntas ſiſtit; ſed eſt finis proximus, qui ordinatur ex ſua natura ad finem vltimum: quoniam deteſtatio peccati licèt ex fuga pœnæ proximè oriatur; non tamen excludit, quin potius includit virtualiter finem vltimum ſupernaturalem, qui eſt Deus author gloriæ. Et quamuis fateamur, hominem per actum timoris gehennæ magis deteſtari pœnam, quàm culpam; nihilominus id non impedit, quo minus homo abſolutè loquendo ob ammiſſionem gloriæ, quæ prouenit ex culpa, & propter alias rationes magis culpam deteſtetur, quàm pœnam. Neque ex eo,
8 quod fuga pœnæ gehennæ ſit actus cócupiſcentię definit eſſe ſupernaturalis; nam malum gehennæ opponitur bono gloriæ, quam ſperamus iuxta ea, quæ ſupra diximus: & cùm homo fide reuelata, & ſupernaturali credat animas ornandas, & veſtiendas eſſe à Deo lumine gloriæ, & dotibus ſupernaturalibus, timorem pœnæ, & metum fœditatis peccati, quo fœdatur, & deturpatur anima, ex quo conſurgit voluntas peccatoris ad eliciendum actum attritionis, proculdubio dicimus eſſe ſupernaturalem, cùm ordinetur ad finem vltimum, nempè ad Deum, authorem dotium ſupernaturalium, & luminis gloriæ, quibus ornanda eſt anima in gloria. Sic etiam timor infamiæ, ægritudinis temporalis, aut mortis licèt ſint merè naturales actus, ſi in eis voluntas ſiſtat; ſunt tamẽ ſupernaturales quando voluntas in eis non ſiſtit, ſed indè virtualiter ſaltem tranſit in Deum authorem gratiæ, qui iuſtiſſimè his, & alijs pœnis temporalibus poteſt punire peccatores ob eorum culpas, amiſſionem gratiæ, ac amicitiæ ſuæ, qua ſe per peccatum voluntariè priuauerunt, & obnoxios pœnis temporalibus fecerunt, vt rectè declarat *Fagund. loco citato, cap. 4. à nu. 6. ad 10.* Vbi ponit exemplum pœnitentiæ Niniuitarum ad Ionæ prædicationem.

9 Dixi, *Cum ſpe veniæ.* Obtinendæ ſcilicet à Deo per Chriſtum: quoniam deteſtatio, & animi dolor de peccato, licèt non proueniat ex conſideratione peccati tanquam ſummi mali, repugnantis ſummo bono; tamen ſi concipiatur ex motiuo ſupernaturali per fidem apprehenſo, nempè quia tanquam Dei offenſa pœnam æternam meretur, ac voluntatem, ſeu affectum peccandi excludat cum ſpe veniæ, vtilis eſt talis attritio ad ſalutem, atque donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti, non dum quidem inhabitantis, ſed ad iuſtitiam comparandam excitantis, & mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat: ſiquidem *D. Thom. 3. par. q. 85. ſeù 26. art. 5.* enumerans actus contritionis, ſic ait, *Primum principium eſt Dei operatio conuertentis cor, ſecundum illud Thren. vlt. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur. Secundus actus eſt motus fidei. Tertius eſt motus timoris ſeruilis, quo quis timore ſuppliciorum à peccatis retrahitur. Quartus eſt motus ſpei, quo quis ſub ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi. Quintus eſt motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſe ipſum, quatenus eſt offenſa Dei, & non principaliter propter ſupplicia. Sextus eſt motus timoris filialis, quo propter reuerentiam Dei, aliquis emendam Deo voluntarius offert.* Vndè antequam quis fiat verè, ac perfectè contritus per quintum, & ſextum motiuum, efficitur attritus ſupernaturaliter per gratiam excitantem, per motum fidei, per timorem pœnarum, per motum ſpei, & per voluntatem non peccandi infuturum. Hoc idem ferè habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* ita ſe habente, *Diſponuntur peccatores ad iuſtificationem, dum excitati Diuina gratia, & adiuti, fidẽ ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum credentes vera eſſe, quæ Diuinitus reuelata, & promiſſa ſunt, atque illud in primis, à Deo iuſtificari impium per gratiam eius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & dum peccatores ſe eſſe intelligentes à Diuinæ iuſtitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe conuertendo in ſpem eriguntur, Deum ſibi propter Chriſtum propitium fore; illumque tanquam omnis iuſtitiæ fontem, diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem.* Idem *Conc. ſeſſ. 14. cap. 4.* loquens in ſpecie de attritione ſupernaturali ſic ait, *Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex metu gehennæ, & pœnarum concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat, cum ſpe veniæ, declarat donum Dei eſſe, & Spiritus Sancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantum mouentis, quo pœnitens adiutus viam ſibi ad iuſtitiam parat, & quamuis ſine Sacramento pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem peccatorem, perducere non poſſit, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam, diſponit.*

10. Dixi, *Cum propoſito amplius non peccandi, ex ſe inſufficiens ad gratiæ infuſionem; ſufficiens autem pœnitentiæ Sacramento.* Quoniam illa attritio eſt de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, quæ includit abſolutam, & firmam voluntatem non peccandi, vt ex *Conc. Trid. loco proximè citato*, in illis verbis, *Si voluntatem peccandi excludit, &c.* Non excluditur autem voluntas peccandi à ſola velleitate non peccandi: imò hæc duo poſſunt ſimul ſtare, nempè voluntas peccandi, & velleitas non peccandi. Dolor igitur citra efficacem peccati deteſtationem non eſt ſatis: efficax autem deteſtatio illa dicitur, quæ formaliter, aut virtute includit propoſitum non peccandi: etenim talis attritio debet ſaltem tollere obicem, qui poſitus eſt per affectum peccati, & moraliter manet quamdiù non retractatur. Non tamen tale propoſitum non peccandi debet eſſe ſuper omnia, nempè quod pœnitens velit quodcunq; malum ſubire, quam de cætero peccare, ſed ſatis eſt, vt firmum propoſitum habeat non peccandi: quoniam vt ſupra adnotauimus ex *Fagund. d. cap. 5. n. 3.* ſicut ad habendam veram, & ſupernaturalem attritionem, non exigitur, vt peccatum deteſtetur ſuper omne deteſtabile; ita non requiritur, vt peccatum ſit vitandum ſuper
11 omne vitabile, Concilium enim *d. cap. 4.* ad veram, ac ſupernaturalem attritionem duas tantùm condi-

Digitized by Google

conditiones exigit, nempè, quòd deteſtetur peccatum, vt eſt Dei offenſa ſaltem virtualiter: & quòd proponatur efficaciter non peccare amplius infuturum: nec adeſt aliud Concilium, nec aliquis ſcripturæ locus, nec vllus Pontifex declarauit hactenus, opus eſſe ad verum actum attritionis deteſtari peccatum ſupra omne deteſtabile, & vitare illud tanquam maximè vitabile, vt benè declarat *Fagund. loco citato*, qui ob id ait quòd pauci ſunt pœnitentes, qui eo modo peccatum deteſtentur, dum attritionis actum faciunt, & pauciſſimi Cõfeſſarij hoc illi ſuadent: & propterea non eſt illis onus huiuſmodi imponendum. Qualiter autem attritus dicatur virtualiter ſaltem deteſtari peccatum, vt eſt offenſa Dei licèt moueatur ex metu pœnarum, & ex conſideratione fœditatis peccati, latè ſupra declarauimus, *verſ. Nec obſtat*.

† Adde, quòd propoſitum non peccandi de
12 cætero, ſatis eſt etiam, ſi ſit cum formidine peccandi in futurum, eo quod expertus ſit pœnitens aliàs ſuccubuiſſe tentationibus, dummodo ſperet cum Dei auxilio illas ſe de cætero ſuperaturum, vt habetur ex *Henriq. l. 4. cap. 24. nu. 3. Conynck. diſp. 2. de Sacram. nu. 19. Nauar. Cord. Lop. Bonac.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. ſub nu. 89.* & rationem eam eſſe volunt, nam differunt inter ſe non habere propoſitum peccandi, & timere ſe peccaturum: ſiquidem ſic timens videtur nolle peccare, quia quæ volumus non timemus. Limitat tamen hanc propoſitionem *Lopez 1. par. cap. 13.* quando quis reperitur in occaſione proxima peccandi, quoniam ſic timens non debet abſolui, niſi occaſionem tollat. Vide quæ ſupra adnotaui, *ſec. 3. verſ. Dixi cum propoſito, & ſec. 4. propè finem.*

13 Ex ſupradicta definitione, ſeù deſcriptione attritionis, & ex *Conc. Trid. d. cap. 4.* colligitur attritionem eſſe duplicem; alteram ſcilicèt, quæ prouenit ex conſideratione fœditatis peccati: & alteram quæ concipitur ex metu gehennæ, & pœnarum: quæ quidem attritionis diuiſio ſufficiens nam ad ipſas duas attritionis ſpecies omnes aliæ reducuntur. Etenim deteſtatio, & dolor de peccato eo quòd eſt contra iuſtitiam reducitur ad attritionem, quæ concipitur ex conſideratione fęditatis peccati: & deteſtatio peccati ex amore æternæ gloriæ comprehenditur ſub illa, quæ eſt metu gehennæ, & pęnarum: ſiquidem amor, & timor eum proportione ſumpti connexi ſunt: & propterea paria ſunt fugere peccatum ex amore conſequendi gloriam, & ex timore amittendi illam. Ad eandem attritionis ſpeciem reducitur deteſtatio peccati proueniens ex metu infamiæ, ægritudinis, aut alterius mali: quoniam *Conc. Trid. d. cap. 4.* vtrunque coniunſit, ex metu gehennæ, & pęnarum. His adde, quæ optimè cumulauit *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. à nu. 30. ad 61.* Vtramque autem contritionem ab ipſo Conc. traditam honeſtam eſſe, atque adeò actus per ſe honeſtos, & bonos clariſſimè patet: ſiquidem intentio finis bona eſt ex obiecto ſuo: quod quidem quoad primam attritionis ſpeciem non indiget probatione, cùm ex ſe pateat, & ſupra ſufficienter declarauimus, *verſ. Nec obſtat.* Quo verò ad alteram attritionis ſpeciem multa quoque diximus ſupra loco citato: quibus adde, quòd ſicut fugere, & deteſtari peccatum propter ſuam fęditatem eſt ex obiecto bonum, ita etiam deteſtari peccatum ad fugiendam pęnam; quoniam pęna eſt ex ſe odio digna: & nullum medium eſt aptius ad vitandam pęnam, quàm deteſtatio, & vitatio culpæ. Et quamuis culpa ſit malum altioris rationis, quàm pęna, non tamen ob id inordinatum eſt, aut malum ordinare deteſtationem peccati ad fugam pęnæ: ſiquidem illud eſt finis proximus, & non excludit finem vltimum, qui eſt Deus, ad cuius gloriam totum hoc referibile eſt: & quandiù non excluditur, ex ſe in illum tendit. Sic Deus ordinauit Incarnationem, & paſſionem Chriſti ad gloriam noſtram; quia licèt ordinetur maius bonum ad minus bonum; non tamen maius bonum priuatur ſua excellentia, cum vtrunque tendat ad finem vltimum, & ſic ad Dei gloriam.

De quantitate contritionis, tàm perfectæ, quàm imperfectæ.
SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Contritionis quantitas tripliciter conſiderari poteſt, & quomodo.*

2 *Contritio nullam requirit intenſionem, quocunq; modo conſideretur; Et neque Attritio.*

3 *Contritio imperfecta, & ſic attritio non expoſtulat neceſſariò deteſtationem, ac dolorem omnium maximum appretiatiuè.*

4 *Nulla contritio tàm perfecta, quàm imperfecta, requirit quantitatem deteſtationis extenſiuam, atque adeò temporis durationem, poteſt enim haberi in inſtanti temporis.*

1 TRactauimus hucuſq; de contritione ſecundum eius ſubſtantiam aſſignantes definitionem eſſentialem ipſius contritionis, tàm perfectæ ante, & poſt legem Euangelicam conſideratæ; quàm imperfectæ, atque adeò attritionis, & concluſimus eſſe peccati deteſtationem: modo competenti ordine ſequitur videndum de eiuſdem quantitate. Et quoniam contritionis quantitas tripliciter conſiderari poteſt, intenſiuè ſcilicèt, extenſiuè, & obiectiuè. Intenſiuè, an maxima debeat eſſe contritio, & ſic peccati deteſtatio, quàm per naturam haberi poſſit: extenſiuè, per quot tempus ſit habenda: & obiectiuè, an ſcilicèt cadat in ſingula peccata diſtinctè recogitata, idcircò de his omnibus duximus diſcutiendum. Ad cuius rei determinationem duo faciemus, primò certa ab incertis ſeparabimus, ſecundò quæ dubia ſunt per propriam quæſtionem definiemus.

2 Circa primum dico primò certum eſſe ferè apud omnes contritionem nullam requirere intenſionem; ſed ad eam ſubſtantiam tantùm actus ſufficere, ſiuè agatur de contritione perfecta, ante, vel poſt legem Euangelicam conſiderata: ſiuè agatur de contritione imperfecta, & ſic de attritione. Etenim ad contritionem perfectam ſatis eſt deteſtatio omnium maxima appretiatiuè, nempè, quòd homo malit quodcunq; malum ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe: & quodcunque malum ſubire, quàm Deum offendere; nec opus eſt ad particularia mala deſcendere, dicendo, velim filium vnicum perdidiſſe, ignem, ac præcipi-

cipitium ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe: quin potius ſtultè ageret, qui ſe, vel alium ſuper huiuſmodi actus ſollicitaret, vt rectè docet *Petr. de Pal.* quem refert, & ſequitur *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll.* 19. *nu.*69. Etenim quemadmodum delectabilia magis delectant ſpecialiter conſiderata, quam generaliter; ita terribilia magis terrent in ſpecie conſiderata, quàm in genere. Adde hic, quæ habentur ex *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep.2.lib.2.cap.6.* qui ſpecialiter loquitur de attritione, & latè *Laym. in ſum. lib.5. tract.6. cap.4. n.1.* vbi quamplurimos allegat. Quod dixi de deteſtatione peccati, idem dicendum eſt de eiuſdem dolore, qui eſt deteſtationis effectus: non enim dolor ille debet eſſe ſummè intenſus: ſiquidem rarus, aut nullus dari poteſt dolor, qui non poſſit magis intendi, vt experientia docet, quæ eſt rerum magiſtra, *cap. quam ſit de elect. in 6.* ſed ſatis eſt, quòd dolor ſit omnium maximus appretiatiuè, ideſt quòd quis malit ſubijſſe quodcunq; malum, quàm mortiferè peccaſſe: qui quidem dolor cùm ſit intellectualis in re non diſcrepat à deteſtatione. Dolor autem ſenſibilis, qui eſt effectus conſequens dolorem voluntatis ex neceſſitate naturæ eo modo, quo vires ſuperiores redundantes in inferiores mouent illas, vel ex electione voluntatis illum excitantis ad contritionem, non exigitur neceſſariò; ſed tantùm ad benè eſſe, cùm non ſit in noſtra facultate: & propterea non oportet illum eſſe omnium maximum: quin potius nimius eſſet vitioſus, ſicut afflictio exterior, nempè ieiunium, diſciplinatio, &c. Siquidem in his omnibus pro regula accipienda eſt conſeruatio ſubiecti, & bona habitudo ad operandum ea, quæ ſibi incumbunt ſecundum proprium ſtatum. Ita *D. Thom. 3. p. q.46. art.6. ad 4. & q. 48. art.2. Syl. loco citato, nu.2. & 3. Nauar. in ſum.*
3 *cap.* 1. Imò contritio imperfecta, & ſic attritio neceſſariò non expoſtulat deteſtationem, ac dolorem omnium maximum appretiatiuè: ſiquidem ad ſupernaturalem attritionem neceſſariò non exigitur, vt peccatum deteſtetur ſuper omne deteſtabile, nec vt ſit vitandum ſuper omne vitabile, vt diximus ſupra *ſec.5. verſ. Dixi cum propoſito.* Etenim idem eſt deteſtari peccatum appretiatiuè, & diligere appretiatiuè, quàm deteſtari ſupra omne malum, vel diligere ſuper omnia, vt rectè declarat *Conynch. q.62. art.1. n.25. & diſp. 2. nu.64. & 69. Reginald. lib.5. ſuæ ſum. nu.75. Nauar. d. cap.1.* & alij apud *Alph. de Leone d. recoll. 19. nu.62. cum plurib. ſeq. & nu.71. contra Sot.* docentem in attritione requiri, vt quis deteſtetur peccatum commiſſum ſupra omne deteſtabile ſicut in contritione vera, ac perfecta motus ex eo, quòd peccatum ſit ſummum malum, cùm opponatur Deo, qui eſt ſummus bonus, & ſumma bonitas; atque ideò deleri non poſſit, niſi etiam per ſummum dolorem: quæ quidem *Soti* ſententia communiter reijcitur; quoniam aliàs nulla eſſet differentia inter contritionem, & attritionem, & fruſtra concederetur à *Conc. Trid.* attritionem cum confeſſione ſatis eſſe ad gratiam impetrandam. Nec *Soti* argumentum vim habet, quoniam Sacramentum pœnitentiæ ſupplet quod vera contritio expoſtulat ad delendam lethalem culpam. Eſt tamen verum, quòd ſi quis expreſſè, ac poſitiuè formaret hunc actum dicens, nolo dolere de peccato ſupra omne odibile, iſte talis non diceretur ſufficiens attritus: ſiquidem videretur velle potius voluiſſe peccare, quàm voluiſſe incidere in aliquod malum ſibi odibile, vt declarat *Lopez in ſuo inſtr. par.1. cap. 15. & Alph. de Leone loco citato, nu.66.*

4 Dico ſecundò certum eſſe, nulla contritionem, tàm perfectam, quàm imperfectam requirere quantitatem deteſtationis extenſiuam, atque adeò temporis durationem, & ſic in inſtanti temporis poteſt haberi, iuxta illud *Ezec. cap.* 18. de quo in *cap. ponderet,* 50. *d.* vbi remiſſio peccatorum promittitur in quacunq; hora ingemuerit peccator. Vndè *Leo Papa epiſt.* 91. ſic ait, *Nec miſericordiæ menſuras poſſumus ponere, nec tempore definire apud quem nullas patitur moras vera conuerſio.* Ita poſt *D. Thom. Suar. in 3. par. tom.4. de pœnit. diſp.4. ſec.5. Reginald. lib.5. ſuæ ſum. nu.51. Conynch. loco citato, nu.72. Bonac. diſp.5. de pœnit. q.5. ſec.1. par.7. nu.2. D. Bonau. in 4. d. 16. par. 1. art. 3. q. 1. Laym. in ſua ſum. Theol. lib.5. tract.6. cap.4. nu.2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Alph. de Leone d. recoll. 19. nu. 72.* qui *nu.* 73. id intelligit quoad deletionem culpæ, & pœnæ æternæ, non autem quoad deletionem pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam: ſiquidem maior pars pœnæ temporalis remittitur ei, qui habet contritionem magis intenſam, ſiuè contritio perfecta ſit, ſiuè imperfecta, & ſic attritio. Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant: tota difficultas modo remanet de quantitate contritionis obiectiua. Vndè quæritur.

An de ratione contritionis ſit, vt deteſtatio cadat in omnia peccata diſtinctè recogitata, ſiuè contritio perfecta ſit, ſiuè imperfecta, & ſic attritio.

S E C. VII.

S V M M A R I V M.

1 *Contritio, & attritio debet eſſe de omnibus peccatis, in memoriam adductis, & reuocatis.*

2 *Ex parte voluntatis non exiguntur ſingula contritiones iuxta peccatorum numerum, ſed ſatis eſt ſimplex motus voluntatis, omnia peccata reſpiciens, ac deteſtans.*

3 *Nemo tenetur habere explicitè Maiorem attritionem de vno, quàm de alio peccato minus graui, niſi comparatio fiat à pœnitente inter peccata.*

4 *Ex parte Intellectus requiritur ad Contritionem aliqua recognitio de peccatis commiſſis.*

5 *Vt homo diſtinctè recogitet peccata ſua omnia, tam quo ad ſpecies ſingulas, quàm quoad numerum, an ſit per ſe neceſſarium.*

6 *Ad contritionem neceſſaria non eſt diſtincta omnium peccatorum recogitatio, ſed ſat eſſe cõfusè, & indiſtinctè omnia peccata deteſtari.*

7 *Contritio dupliciter conſideratur, & quomodo.*

8 *Neceſſitas recogitationis peccatorum tripliciter conſideratur.*

9 *Peccator in eo inſtanti, quo contritionem elicit, tripliciter ſe habere poteſt ex parte intellectus.*

10 *Contritio ſi conſideretur in ordine ad confeſſionem faciendam, ſiuè perfecta, ſiuè imperfecta ſit ſemper præexigit ſingulorum peccatorum Diſcuſſionem, ſeu recogitationem.*

11 *Dolor*

Digitized by Google

11 *Dolor internus de peccato, vt ſufficiens ſit ad obtinendam gratiam in Sacramento pœnitentia, ſaltē eſſe debet attritio ſupernaturalis.*

12 *Si quis doleat, quod non ſatis doleat, an ſit ſufficiens dolor cum Sacramento.*

13 *Si quis dicat, ſe non habere dolorem ſatis proportionatum magnitudini ſuorum peccatorum, ſatis dolet; & abſolutionem meretur.*

14 *Si quis non poſſit omnia peccata recogitare, vt quia in mortis periculo reperitur, ſatis erit, ſi aliqua peccata recogitet. Quod ſi nullo modo poterit, ſufficit, accuſare ſe peccaſſe mortaliter.*

15 *Habens mortalia, & venialia peccata, recogitare poterit mortalia tantum, omiſſa recogitatione venialium.*

16 *Contritio ſi conſideratur ſecundum ſe, vt virtus pœnitentia ſine actuali ſuſceptione Sacramenti nullam requirit actualem, ac diſtinctam peccatorum recogitationem, vt ex ſe ſufficiens ſit ad peccatorum remiſſionem extra Sacramentum pœnitentia.*

17 *Peccatorum actualis, & diſtincta recogitatio ex vi, ac pracepto contritionis non requiritur in ipſo actu, in quo voluntas actum elicit contritionis, nec ante, nec poſt.*

18 *Attritio per ſe ſumpta deſeruit ad delenda venialia extra Sacramentum pœnitentia, nec per ſe requirit infuſionem gratia, nec diſtinctam venialium recogitationem.*

19 *Qui attritus accedit ad Sacramētum baptiſmi, gratiam conſequitur iuſtificantem, & peccatorum, tùm venialium, tùm mortalium, atque etiam peccati originalis indulgentiam, facitq; hominem de attrito contritum, ſicut Sacramentum pœnitentia. Et quare.*

20 *In ſuſceptione aliorum Sacramentorum attritio cognita ad gratiam iuſtificantem ſufficiens diſpoſitio non eſt, ſed requiritur contritio, ſeu attritio, putata contritio.*

21 *Baptiſmus, & Pœnitentia conferunt primam gratiam, quia dicuntur Sacramenta mortuorum: Alia vero Sacramenta dicuntur viuorum, & maiorem exigunt in peccatore diſpoſiteonem, & per accidens dicuntur conferre primam gratiam.*

22 *Attritio, exiſtimata contritio, homini habenti conſcientiam peccati mortalis, & dum rapitur ad Martyrium, copiam non habeat Confeſſarij, confert primam gratiam.*

23 *Attritio cognita ex ſe ſufficiens non eſt, conferre Martyri primam gratiam in Martyrio.*

24 *Adultus, raptus ad Martyrium, ſi non ſit baptizatus, & poteſt commodè ante Martyrium baptiſmum ſuſcipere, ad id tenetur; Si verò ſit baptizatus, & conſcientiam habeat peccati mortalis, confiteri ſacramentaliter tenetur, ſi poſſit, antequam Martyrium compleat.*

25 *Adultus, habens conſcientiam peccati, dum rapitur ad Martyrium, tenetur illius formalem, & veram contritionem habere, nec excuſatur, niſi ob ignorantiam Iuris, vel facti.*

26 *Baptiſmus aqua licet conferat primam gratiam; aliter tamen dicendum eſt de baptiſmo Sanguinis, & ſic de Martyrio.*

37 *In negotio, ex quo pendet aterna ſalus, tenetur homo eligere, medium, omnino certum, ac ſecurum ſecundum catholicam fidem.*

28 *Qui plura peccata commiſit, & de vno tantùm cogitet, veram, & perfectam contritionem habebit, ſi illud ex perfectiſſimo motiuo pœnitentia deteſtetur: Et an, & quando gratiam iuſtificantem conſequetur abſque reali ſuſceptione Sacramenti.*

29 *Qui plura mortalia commiſit, & actu de illis cogitet, non poteſt formaliter habere contritionem, & deteſtationem de vno, & nō de alio.*

30 *Sancti non ſolum operantur, quod eſt ad ſalutem neceſſarium, ſed etiam quod perfectum eſt, prout Sanctos decet. Et reſpondetur ad loca ſacra ſcriptura, & ad authoritates Sanctorum Patrum.*

IN hac difficultate ſex faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus. Secundò punctum difficultatis proponemus. Tertiò Doctor. ſententias referemus. Quartò aliqua adnotabimus. Quintò rem ipſam determinabimus. Vltimò contraria diluemus.

1 Circa primum eſt annotandum, primò certum eſſe apud omnes, contritionem, tàm perfectam, quàm imperfectam, & ſic attritionem debere eſſe de omnibus peccatis in memoriam adductis, & reuocatis. Hæc concluſio eſt communis, & patet tùm auctoritate ſacræ ſcripturæ, quæ de omnibus peccatis dolorē exigit, vt patet *Ezech. cap. 18. & 33.* tùm etiam ex Patrum teſtimonijs, de quibus habetur in *cap. non poteſt quis, & cap. quem pœnitet, de pœnit. d. 1. cap. ſunt plures, & cap. conſideret, d. 6.* & latè *D. Auguſt. de vera, & fal. pœnit, cap. 9.* Tùm denique probatur ratione ſiquidem contritio eſt vltima diſpoſitio ad gratiam, quæ obtineri non poteſt citra conuerſionem in Deum, & auerſionem ab omnibus peccatis mortalibus.

2 Secundò eſt adnot. certum eſſe ex parte voluntatis non exigi ſingulas contritiones iuxta peccatorum numerum, ſed ſatis eſſe ſimplicem motum voluntatis, omnia peccata reſpicientem, & deteſtantem. Ita *Caiet. in ſuis opuſc. tom. 1. tract. 4. q. 2. & in ſua ſum. ver. Contritio, Medin. C. de pœnit. q. 3. §. Noto autem Nauar. in Man. cap. 1. nu. 22. Tol. in ſum. lib. 3. cap. 5. n. 2. Henriq. lib. 4. de pœnit. cap. 27. nu. 2. D. Bonau. in 4. d. 16. par. 1. art. 4. q. Petr. Sot. lec. 13. de pœnit. Binsfeld. in Enchiridio de contrit. Fagund. de pracept. Eccl. pracep. 2. lib. 2. cap. 6. ſub nu.* 8. *Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 4. de ſacram. pœnit. nu. 3. Conynch. de Sacram. diſp. 2. dub. 8.* & alij contra *Angel. ver. Contritio, & Adrian. q. 3. de Baptiſ.* Etenim ſi ſingulorum peccatorum contritiones ſingulæ in particulari neceſſariæ forent, non valeret homo conuerti, ac ſaluari quocunq; temporis momento contra id quod ſupra concluſimus, *concl. pracedenti.* Etenim opus eſſet longo tempore: ſiquidem tot actus contritionis vno momento elici non poſſent. Et quamuis ſupra relati Doctores loquantur de contritione; nihilominus idem proportionaliter dicendum eſſe de attritione, *Reginald. in ſua ſum. lib. 5. nu. 53. & Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recol. 19. nu. 74.* vbi *nu. 75. & 76.* Ex hoc infert neminem

3 teneri habere explicitè maiorem attritionem de vno peccato grauiori, quàm de alio minus graui, cùm ſit vnus actus pro omnibus: quod verum quando non ſit comparatio inter alia peccata; aliàs ſecus: ſiquidem quando ſit comparatio à pœni-

pœnitente inter peccata, ſit neceſſaria deteſtatio de grauiori, quàm de minus graui: nam vbi eſt maius motiuum maior debet eſſe deteſtatio, vt habetur ex *Bonacina diſp. 5. de ſacr. pœnit. q. 5. ſec. 2. par. 5. nu. 1. & Alph. de Leone loco citato*, cum alijs, quos allegant. Vbi ſubdunt, quòd eo caſu explicitè deteſtans magis peccatum leuius, quàm grauius lethalem culpam contrahit: ſiquidem qui ex duobus malis maius eligit facit cõtra ius naturale, atque ideò grauiter peccat. Eſt tamen verum, quòd *Lopez par. 1. cap. 15.* poſt *Sot.* inquit, non ſemper peccare eum qui magis deteſtatur peccatum aliquod minus graue in comparatione grauioris, vt ſi quis dicat, ſi ex neceſſitate deberem committere furtum, vel homicidium, potius committerem homicidium quod eſt grauius furto; dummodo talis firmum habeat animum neutrum committendi. Adde quòd *Bonac. nu. 2.* quem ſequitur *Alph. de Leone vbi ſupra, nu. 77.* cum communi docet, quòd ſi quis habeat peccata mortalia, & venialia, non tenetur vno actu deteſtari mortalia, & venialia.

4 Tertiò eſt adnot. certum eſſe ex parte intellectus requiri ad contritionem recogitatio aliqua de peccatis commiſſis. Vndè non ſufficit conſiderare in genere peccatum, & malitiam eius, ſed oportet recogitare illum, vt à me commiſſum vt patet ex illo *Ezech. cap. 18.* ibi, *Conſiderans enim peccata ſua, &c.* Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant; tota difficultas modo remanet in cognoſcendo quantitatem, & qualitatem recogitationis peccatorum, an ſcilicet recogitatio ipſa debeat eſſe diſtincta, vel ſufficiat confuſa.

5 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *D. Thom. 3 par. q. 87. art. 1. & 1. q. 113. art. 5. ad 3. & in 4. d. 27. q. 2. art. 2. quæſtiun. 6. Alen. 4. q. 69. mem. 8. art. 2. Sot. in 4. d. 17. q. 2. art. 2 Philiarc. de offic. Sacerd. p. 2. lib. 2. de pœnit. cap. 20. Syl. in ſum. ver. Contritio, n. 5.* & aliorum, dicentium per ſe neceſſarium eſſe, vt homo diſtinctè recogitet peccata ſua omnia, tàm quoad ſpecies ſingulas, quàm quoad numerum, & ita ea deteſtetur, ac de eiſdem doleat. Hæc ſententia probatur, tùm ſcripturæ auctoritate; tùm Patrum teſtimonio; & denique ratione. Auctoritate ſcripturæ probatur primò ex illo, *Iſaiæ cap. 43.* dicentis, *Dic tu peccata tua, vt iuſtificeris.* Quæ verba *D. Chriſ. lib. 1. de compun. cord.* Exponit de interiori confeſſione, quæ niſi per peccatorum recogitationẽ fieri nequit. Confirmatur ex *Ezech. cap. 18. & 33.* vbi poſtulatur pœnitentia de omnibus peccatis, ſicut & obſeruantia omnium, & ſingulorum præceptorum: At ſingula præcepta obſeruantur diſtinctè cum recogitatione ipſorum, ergò eodem modo pœnitentia fieri debet. Patrum teſtimonio hæc ipſa ſententia patet ex *D. Chriſoſt. homil. 9. ad Hebr. circa finem*, vbi ait, *Si quis recognoſcat ſe peccaſſe, & non ad ſingulas ſpecies deſcendat, nunquam ceſſabit. D. Ambr. quoque in præfat. in pſal. 37.* definiuit pœnitentiam eſſe commemorationem delictorum, vt ea vnuſquiſque in ſe caſtiget, & condemnet. Idem ait *D. Auguſt. de vera, & fal. pœnit. cap. 17. & Greg. 4. moral. cap. 15. & lib. 8. cap. 10.* Denique probatur eadem ſententia ratione, etenim homo peccando auertitur à Deo per plures auerſiones iuxta numerum peccatorum; ergò debet per plures conuerſiones conuerti ad Deum pœnitendo iuxta numerum peccatorum diſtinctè recogitatorum.

6 Secunda ſententia, quæ nobis videtur probabilior eſt *Caiet. in D. Thom. 3. par. q. 87. art. 1. Maior. in 4. d. 17. q. 3. Veg. in Conc. Trid. lib. 14. cap. 24. Victor. in ſum. de pœnit. nu. 116. Nauar. in Man. cap. 1. n. 23. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 4. ſec. 6. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 4. nu. 3. Petr. Sot. lec. 13. de pœnit.* & aliorum, exiſtimantium, ad contritionem non eſſe neceſſariam recogitationem diſtinctam omnium peccatorum; ſed ſatis eſſe confusè, ac indiſtinctè omnia peccata deteſtari. Pro cuius rei explicatione.

7 Eſt adnot. primò, quòd contritio conſideratur dupliciter, primò ſecundum ſe, & prout eſt pœnitentiæ virtus: ſecundò in ordine ad confeſſionem faciendam, ſiuè contritio perfecta ſit, ſiuè imperfecta, atque adeò attritio.

8 Secundò eſt adnot. neceſſitatem recogitationis peccatorum tripliciter conſiderari poſſe. Primò, quòd tota actualis conſideratio, & diſtincta ſingulorum peccatorum recogitatio ſit intellectu in eo inſtanti, in quo voluntas actum contritionis elicit: ſecundò, quod recogitatio ipſa contritionis actum præceſſerit: tertiò quòd fuerit conſecuta, & conſequenter quòd de recognitione peccatorum habeatur votum, ſeù propoſitum in contritione ipſa incluſum.

9 Tertiò eſt adnot. quòd peccator tripliciter quo ſe poteſt habere ex parte intellectus in eo inſtanti, in quo elicit contritionem. Primò, vt actu, ac diſtinctè recogitans omnia peccata, quæ commiſit: ſecundò, vt confusè peccata recogitans; nempè vt conſiderans ſe ſæpius offendiſſe Deum, & per voluntatem omnia peccata deteſtans: Et tertiò, vt actu conſiderans de vno, vel altero peccato commiſſo in particulari, non autem vniuersè de omnibus, nec diſtinctè, nec confusè. His adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

10 SI conſideretur contritio in ordine ad confeſſionem faciendam, ſiuè contritio perfecta ſit, ſiuè imperfecta, atque ideò attritio ſemper præexigit ſingulorum peccatorum diſcuſſionem, ac recogitationem. Hæc concluſio eſt communis, & citra omnem controuerſiã tenet *Laym. d. cap. 4. ſub n. 3. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 6. nu. 9.* & alij, & patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 15.* dum præcipit confeſſionem ſacramentalem eſſe habendam poſt diligentem diſcuſſionem, his verbis, *Oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habent in confeſſione recenſeri, &c.* Vndè ex defectu diligentiæ in memorandis peccatis, confeſſionem nullam eſſe, ac iterandam, latè nos oſtendimus ſupra *diſp. 3. ſec. 1. concl. 5. verſ. Ex hoc infertur, circa medium, & verſ. Et quamuis.* Eſt tamen verum, quòd ad iuſtificationem per Sacramentum pœnitentiæ, non oportet de ſingulis peccatis mortalibus in memoriam reuocatis, & confitendis ſigillatim dolere; ſed ſatis eſt vnus ſimplex dolor contritionis, vel attritionis, ex generali motiuo conceptus, qui virtualiter, & implicitè ad omnia peccata ſe extendat, vt habetur ex *Nau. in Man. cap. 1. nu. 22. Suar. in 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 20. ſec. 4.*

ſec.4.num.28. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. *nu.* 74. vbi plures allegat, & *Laym. d. cap.* 4. *nu.* 3. *in fine,* vbi *nu.* 4. probat etiam ad valorem Sacramẽti pœnitentiæ requiri, vt dolor internus aliquo modo antecedat confeſſionem externam: ſiquidem externa peccatorum confeſſio, vt ſit pars Sacramenti debet procedere ab interna pœnitentia, vt ſufficienter etiã explicat *Conynch. diſp.* 4. *dub.* 6. Etenim ob id pœnitentes antequã incipiant confeſſionem ſacramentalem præmittunt confeſſionem generalem, vt ſi ante dolor ex generali motiuo conceptus non erat, ſaltem tunc concipiatur.

11 Imò talis dolor debet eſſe ſaltem attritio ſupernaturalis, vt ſufficiens ſit ad obtinendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ; nempè quod proueniat ex motiuo ſupernaturali, itaut licèt formaliter quis moueatur ad dolendum de peccatis ex metu pœnæ, aut ex conſideratione turpitudinis peccati; tamen dictus dolor habet aliquem reſpectum ad Deum, ideſt quia cogitat, quòd ideò peccata mereantur dictam pœnam, aut ideò contineant illam fœditatẽ, quia ſunt offenſa Dei, vel quia à Deo permittuntur dicta mala in pœnam peccatorum, vt habetur ex *Valen. tom.* 4. *q.*8. *diſp.*7. *par.*4. *verſ. Animaduertendum, Reginald. lib.*5. *n.*71. & 72. *Alph. de Leone d. recol.* 19. *n.*35. *cum plurib. ſeq.* vbi etiã declarat, qualiter attritio concipiatur ex amore vitæ æternæ, ex expectatione bonorum temporalium à Deo cum reſpectu ad vitam æternam, ac timore iuſtitiæ in ordine ad Deum, & latè ſupra *ſec.*5. *circa fin.* nos adnotauimus. Vndè non videtur admitti poſſe ſententiam, *Syl. ver. Confeſſio* 1. *q.*21. *Nauar. in Man. cap.*1. *nu.*18. & *cap.*10. *nu.*4. *Sà ver. Contritio, nu.*5. & aliorum dicentium, ſufficientem

12 dolorem eſſe cum Sacramento, ſi quis dolet, quòd non ſatis doleat: etenim talis dolor non poteſt dici attritio, ſed decarentia attritionis, nec eſt ſupernaturalis requiſitus ad effectum Sacramenti, vt poſt *Medin.* docet *Lopez par.* 1. *Inſtr. cap.*14. *Bonac. de Sacram. diſp.* 5. *q.* 5. *ſec.*2. *par.* 3. *nu.* 7. vbi alios allegat, & *Alph. de Leone loco citato, nu.*55. Qui tamen *nu.* 56. id limitat in eo, qui dolet non habere contritionem perfectam; quia ſignum eſt, talem eſſe ſufficienter attritum, & ita intelligit *Nauar. d. cap.* 1. *nu.* 13. *verſ. Si verò intellexerunt,* & *d. cap.*10. *nu.*4. *Tolet. lib.*3. *cap.*4. *verſ. Quorum ſufficeret, P. Megal.* & *Carb.* Sed re vera ſi pœnitens non habeat attritionem ſaltem ſupernaturalem modo ſupra explicato; quantumuis doleat ſe non habere contritionem, & in re vera contritionem nõ habeat, nunquam iuſtificabitur in Sacramento pœnitentiæ. Eſt tamen verùm, quòd *Laym. in ſua ſum. lib.* 5. *tract.*6. *cap.*4. *n.*5. ait, quòd doctrina illa *Nauar.*

13 & ſequacium in bono ſenſu intellecta vera eſt: ſi quis dicat, quòd magnitudini peccatorum non ſatis proportionatum dolorem habeat; quoniam ſignum eſt, eum ſatis dolere, & abſolutionem mereri. Idem dicendum putat de eo, qui exiſtimat, ſe non ſatis dolere, cùm tamen ex animo cupiat; dummodo actualem effectum erga lethalem culpam non habeat. Ego autem arbitror, huiuſmodi dolorem eſſe ſufficientem ad obtinendam abſolutionem, ita vt negari nequeat à Confeſſario; nunquam tamen pœnitens obtinebit gratiam, niſi ſaltem attritionem habeat ſupernaturalem. Dixi, *Nunquam tamen pœnitens obtinebit gratiam.* Quoniam licèt talis dolor ſit inſufficiens ad producendum effectum Sacramẽti, & ſic gratiam; ſufficeret tamen ad valorem Sacramenti iuxta opinionem eorum, qui tenent, dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, de qua res nos latè ſupra, *diſp.* 2. *à ſec.* 3. *vſque ad* 7. Ita *Alph. de Leone d. recoll.* 19. *ſub nu.*55. qui *nu.*46. idem dicendum ait de habente attritionem naturalem, quia licet huiuſmodi attritio ſit inſufficiens ad obtinendam gratiam; eſt tamen ſatis ad valorem Sacramenti, cùm ipſe quoque doceat, dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe.

14 Limitatur tamen hæc concluſio, vt ita demum quis in ordine ad confeſſionem faciendam teneatur præmittere recogitationem omnium peccatorum, quando poteſt: aliàs ſi nõ poſſit omnia, vt quia reperiatur in articulo mortis cum formidine non recipiendi abſolutionem, tunc ſatis eſt ſi recogiter aliqua peccata, & illa confiteatur, vt abſolutionem obtineat. Et ſi ex defectu temporis, vel timore inſtantis mortis nullo modo recogitare poſſit peccata, tunc ſatis eſt ſi ſe peccaſſe mortaliter accuſet, & ſi nec id exprimere valeat, tunc ſufficit ſi pectus ſuum percutiat, vel alijs ſignis oſtendat dolorem ſuorum peccatorum, ad effectum conſequendi ſacramentalem abſolutionem, vt patet ex ijs, quæ ſupra latè cumulauimus, *diſp.*3. *ſec.*1. *concl.*5. *limit.* 2. *per totam,* & *ſec.*2. *concl.*2. *limit.*1.

15 Secundò limitatur, vt ſi quis habeat mortalia, ac venialia peccata, poſſit recogitare mortalia tantùm, ommiſſa recogitatione venialium. Etenim nos non tenemur eodem actu deteſtari mortalia, ac venialia, ſed ſatis eſt deteſtari mortalia, vt habetur ex *Bonac. de Sacram. diſp.* 5. *ſec.* 1. *par.*5. *nu.*2. & *Alph. de Leone d. recoll.* 19. *nu.*77. ergò ſi quis habeat mortalia, & venialia, in ordine ad confeſſionem tenetur recogitare mortalia dumtaxat, non autem venialia: ſiquidem recogitatio fit per deteſtationem, quæ informare debet ſacramentalem confeſſionem: nam externa peccatorum confeſſio, vt ſit pars Sacramenti pœnitentiæ debet procedere ab interna, atque ideò à deteſtatione peccatorum, ob id enim confeſſio ſacramentalis debet eſſe doloroſa, vt ſupra declarauimus in hac ipſa concluſione circa prin. Confirmatur; quoniam habens mortalia, & venialia poteſt confiteri mortalia tantùm, ommiſſis venialibus; quia mortalia dumtaxat ſunt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ, non autem venialia, vt diffusè nos ſupra probauimus, *diſp.*3. *ſec.*1. *concl.*3. ergò habens mortalia, & venialia, non tenetur recogitare venialia, ſed tantùm mortalia in ordine ad confeſſionem: nam recogitatio peccatorum fit ob confeſſionem ſacramentalem faciendam, vt ſupra oſtendimus.

SECVNDA CONCLVSIO.

16 SI conſideretur contritio ſecundum ſe, vt eſt virtus pœnitentiæ ſine actuali ſuſceptione Sacramenti, ad eius perfectionem nulla requiritur actualis, ac diſtincta peccatorum recogitatio, vt ex ſe ſit ſufficiens ad remiſſionem peccatorum extra Sacramentum pœnitentiæ. Hæc concluſio eſt *Caiet. in* 3. *par. q.*81. *art.*1. & *in ſum. ver. Contritio, Nauar. in Man. cap.* 1. *nu.*22. *Binsfeld. in Enchirid. de contrit. Suar. in*

Digitized by Google

3.par.tom.4. de pœnit.diſp.4.ſec.6.Conynch. de pœnit. diſp.2. dub.8. Laym. lib.5.tract.6.cap.4. ſub nu.3.verſ. Addo, & aliorum. Probatur: quia homo ex præcepto contritionis, ſeù virtutis pœnitentiæ, non obligatur ad peccata ſua in memoriam reuocanda: ſiquidem citra memorationem huiuſmodi per contritionem in momento temporis ad Deum perfectè conuerti, ac iuſtificari poteſt, vt ſupra adnotauimus. Vndè ſecluſa obligatione confitendi, vt in lege veteri: vel etiam in noua, ſi confeſſio impoſſibilis ſit ob inopiam Confeſſarij, non adeſt præceptum recogitandi peccata ad veram, ac perfectam contritionem habendam ex ſe ſufficientem ad remittenda
17 peccata. Confirmatur hæc ipſa concluſio, quia talis peccatorum recogitatio ex vi, ac præcepto contritionis, non exigitur in ipſo actu, in quo voluntas elicit actum contritionis, nec ante, nec poſtea: ergò nullo modo requiritur. Conſequetia patet ex ſufficienti partium enumeratione. Antecedens probatur, quia non poteſt dici primum, quoniam alias contritio eſſet humano modo impoſſibilis: ſiquidem multitudo, & varietas peccatorum ſæpè eſt multiplex, & propterea nequit intellectus humanus ſimul ad omnia illa diſtinctè attendere, dum voluntas elicit actum contritionis. Non poteſt dici ſecundum, atque adeò ad contritionem perfectam non exigitur, vt peccatorum recogitatio præcedat tempore illud inſtans, quo voluntas elicit actum contritionis: quoniam ſi recogitatio ipſa non requiritur in actu, quo voluntas elicit contritionem, nec etiam exigitur, vt illum actum præcedat: etenim in illo inſtanti, quo habetur contritio, iam non manet in intellectu, niſi confuſa quædam repreſentatio, & memoria peccatorum: ergò ſi hæc eadem præceſſiſſet, ſatis eſſet: tanto magis, quia iuſtificatio hominis in inſtanti, & in quocunque temporis momento fieri poteſt, iuxta 18. *In quacunque hora ingemuerit, &c.* Nec etiam poteſt dici tertium; quoniam nullum adeſt præceptum recogitandi peccata poſt actum contritionis, nec adeſt ratio aliqua illa recogitandi: ſiquidem antè talem recogitationem contritionis actum ſubſequentem, non poſſet dici perfecta contritio; quod eſt manifeſtè falſum, vt ſupra oſtendimus, cùm per ſe ſufficiat vniuerſalis deteſtatio peccatorum confusè tantùm recogitatorum. Nec ex aliquo præcepto neceſſaria eſſe poteſt: quoniam tale præceptum non eſt iuris naturalis, nam ex nullo principio neceſſariò infertur: neque erat in ſtatu legis naturæ, in quo tantum erant præcepta connaturalia gratiæ: nec demum ex ſcriptura, quia teſtimonia ſcripturæ non adſunt quæ id probent, vt infra dicemus. Non igitur recogitationem diſtinctam peccatorum exigit contritio ſecundum ſe conſiderata, & non in ordine ad confeſſionem ſacramentalem faciendam.

18 Quod diximus de contritione perfecta per ſe ſumpta, non ordinata ad confeſſionem faciendam, extendimus etiam ad contritionem imperfectam, atque ideò ad attritionem. Etenim huiuſmodi attritio ſi ſupernaturalis ſit deſeruit ad delenda peccata venialia extra Sacramentum pœnitentiæ; tanto magis, quia nonnulli volunt, quòd ad remiſſionem venialium per ſe non requiritur infuſio gratiæ, vt nos adnotauimus ſupra *diſp.3.ſec.1.concl.3.* & propterea ad attritionem extra Sacramentum pœnitentiæ ſi quis habeat tantùm venialia, non exigitur diſtincta ſingulorum venialium recogitatio. Et quòd ſola attritio, ſeù dolor de peccatis venialibus conceptus propter pœnas Inferni, ſeù Purgatorij ſit eorumdem deletiuus, extra Sacramentum pœnitentiæ tanquam probabile defendit *Suar. in 3. par. tom.4. de pœnit. diſp. 11. ſec. 3. nu. 7. & Conynch. de pœnit. diſp.2. dub.14.nu.123.* Eſt tamen verum, quòd contrariam ſententiam tenent *Vaſq. in 3.p. tom.4.diſp.87.art.1.dub.1.nu.61.* quem refert, & ſequitur *Laym. in ſua ſum. Theol. lib.5.tract.6. cap.4. nu.14. cum plur. ſeq.* Etenim putant, peccatum veniale eſſe aliquo modo contra Deum, atque ideò auerſio aliqua, & receſſus à Deo; ergò extra Sacramentum remitti non poteſt, niſi per veram, & perfectam contritionem, per quam homo conuertitur ad Deum. Confirmatur, quia, vt docent *D. Bonau. in d.21.p.1.art.1.q.1. Alenſ. par.4.q.65.memb.3.art.4. §.1.* Et alij peccatum veniale non remittitur, niſi ſimul infundatur gratia ſanctificans tanquam per ſe remiſſiua peccati: at gratia ſanctificans homini extra Sacramentum non infunditur citra actum charitatis formalis, aut virtualis: ergò cùm attritio ex charitate non procedat, ſed tantùm contritio, ſequitur per attritionem in homine iuſto non remitti venialia extra Sacramentum. Hæc opinio probabilis eſt: ſed prior probabilior, & magis pia eſt. Etenim quòd infuſio gratia non exigatur ad remiſſionem venialium eſt ſententia magis communis, vt patet ex ijs, quæ nos ſupra cumulauimus *diſp.3.ſec.1.concl.3.* Et attritus habet voluntatem ſufficienter auerſam à peccato.

19 Sed quicquid ſit de hac opinione, illud tamen certũ eſt ferè apud omnes; quòd qui attritus accedit ad Sacramentũ Baptiſmi gratiam conſequitur iuſtificantem, & non ſolum peccatorum venialium, ſed etiam mortalium actualium cum remiſſione peccati originalis, indulgentiam percipit: ſiquidem Sacramentum Baptiſmi ex attrito facit hominem contritum, non ſecus, ac Sacramentum pœnitentiæ: etenim hæc duo Sacramẽta ex Chriſti inſtitutione non viuorum, ſed mortuorum remedia ſunt; nempè per ſe, ac directè inſtituta, vt homini ſpiritualem vitam, & ſic remiſſionem peccatorum, & gratiam iuſtificantem, ſeù reconciliationem cum Deo afferant. Ita *Henriq. de pœnit.cap.26.nu.3. & 5. Suar. in 3.par.tom.4. de pœnit. diſp.20.ſec.9. nu. 9. Can. in relect. de pœnit.cap.3. D. Thom. in 4.d.17.q.3. Palat. ibidem, q.1. Nauar. in Man.cap.1.nu.43. §. Quartam Bellarm.lib.2.de pœnit.cap.17. Laym. in ſua ſum. Theol. lib.5.tract.6.cap.2. ſub nu.2. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep.2.lib.2.cap.5. n.11.* Qui omnes loquuntur de attritione etiã cognita. Vndè accedens ad Sacramentum Baptiſmi cum attritione; & ſi cognita, recipit non ſolùm Sa-
20 cramentum, ſed etiam rem, & virtutem Sacramenti, atque adeò gratiam iuſtificantem, & ſic primam gratiam, ſicut in Sacramẽto pœnitentiæ. In ſuſceptione verò aliorum Sacramentorum attritio cognita non eſt ſufficiens diſpoſitio ad gratiam iuſtificantem: quò circa cognoſcens ſe attritum tantùm, & ſuſcipiens Sacramentum Euchariſtiæ, vel ordinis habens conſcientiam peccati mortalis, non conſequitur primam gratiam; quia licèt omnia Sacramenta per ſe conferant

ferant

ferant gratiam, & ſic augmentum gratiæ; non
tamen omnia Sacramenta attrito conferunt pri-
mam gratiam, & ſic gratiam iuſtificantem; ſed
id tantùm conferunt Baptiſmus, & Sacramentum
pœnitentiæ: ſiquidem huiuſmodi Sacramenta
ſunt mortuorum: & alia verò Sacramenta ſunt
21 viuorum, idcircò maiorem diſpoſitionem exi-
gunt in peccatore, contritionem ſcilicèt, vel
attritionem exiſtimatam contritionem: quo caſu
dicuntur conferre primam gratiam per accidens,
vt habetur ex *Laym. Fagund.* & ex alijs, locis
ſupra citatis, quibus adde, quæ cumulauit *P.
Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recol. 19.
nu. 102. verſ. Secunda pars: & verſ. Ly. per
accidens.* Et cùm recogitatio peccatorum neceſ-
ſaria ſit in ordine ad confeſſionem ſacramenta-
lem dumtaxat, attritus ſuſcipiens Sacramentum
Baptiſmi ſuſcipit primam gratiam, etiam ſi im-
memor ſuorum peccatorum illa non recogitet,
vt poſt *Conynch.* expreſsè docet *Laym. d. cap. 2.
nu. 3.* Etenim ſatis eſt ſi Baptizandus in illo in-
ſtanti, in quo elicit actum attritionis, vel ante
ipſum actum habeat confuſam quandam repre-
ſentationem, & memoriam peccatorum, nec
exigitur eorum diſtincta recogitatio, ſicut ſupra
diximus de vera, ac perfecta contritione.
22 Adde quòd attritio exiſtimata contritio ho-
mini habenti cóſcientiam peccati mortalis, dum
rapitur ad martirium, & non habet Confeſſarij
copiam, cui ſacramentaliter confiteatur, ſi eſt
Baptizatus confert primam gratiam, ita vt mar-
tirium ex attrito faciat contritum, ideſt eundem
effectum producit, ac contritio, nempè primam
gratiam, quæ peccatorem iuſtificat, vt latè ha-
betur ex *Suar. in 3. par. tom. 3. diſp. 29. ſec. 3. Fa-
gund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 4 cap. 1. nu. 7.*
& alij: & patet ex *tex. in cap. Baptiſmi vicem de
conſecr. d. 4.* vbi habetur, quòd martirium obti-
net locum Baptiſmi: quod probat *Cypr.* exemplo
boni Latronis, cui non dum baptizato dixit Do-
minus, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Sed bap-
tizato non ſatis eſt ſuorum peccatorum attritio
ad cóſequendam primam gratiam, & ſic gratiam
iuſtificantem; & Martiri. Confirmatur, quia
martirium ex priuilegio habet promiſſionem
gratiæ vltra meritum operantis, vt patet in mar-
tirio paruulorum Innocentium, qui præter vllum
eorum meritum ſalui facti ſunt: ergò ſemper dat
illam, non ponenti obicem; ſiquidem omne opus
quod habet virtutem dandi gratiam ex ſe præter
meritum operantis, ſemper dat illam, quando
non ponitur obex; nam ob id omnia Sacramenta
conferunt gratiam non ponenti obicem: ergò
martiriũ ex ſe eſt ſufficiẽs cóferre gratiam iuſti-
ficantem attrito; quoniam peccator per attritio-
nem æſtimatam contritionem habet voluntatem
ſufficienter auerſam à peccato.
23 Dixi, *Quòd attritio exiſtimata contritio, &c.*
Quia attritio cognita ex ſe non eſt ſufficiens con-
ferre primam gratiam Martiri in Martirio. Ete-
nim regulariter, & per ſe loquendo, tenetur
homo in peccato mortali exiſtens, inſtante ne-
ceſſitate moriendi pro Chriſto, ac ſubeundi
martirium, præmittere formalem deteſtationem
peccati: vndè raptus ad martirium ſi conſcien-
tiam habet peccati mortalis, & illius deteſtatio-
nem voluntariè omittat, non ſaluabitur per mar-
tirium. Martirium enim non tollit obligationem
adhibendi media neceſſaria ad ſalutem, quando
adhiberi poſſunt, ſiquidem martirium non eſt
per ſe medium inſtitutum ad tollendum pecca-
tum, ſed potius ex ſe ſupponit hominem bene
diſpoſitum ad tranſitum ex hac vita; atque ideò
quantum in ſe eſt, expoſtulat, vt prius homo
ſeruet omnia neceſſaria, & à Deo inſtituta ad
gratiam, & gloriam conſequendam. Vndè adul-
24 tus ad martirium raptus, ſi non eſt baptizatus, &
commodè baptiſmum ſuſcipere poteſt ante mar-
tirium, ad id tenetur: & ſi baptizatus ſit, & con-
ſcientiam habeat peccati mortalis, & confiteri
ſacramentaliter, confeſſionem præmittere debet
antequam martirium compleat: nam ſicut Bap-
tiſmus, ita confeſſio ſunt remedia neceſſaria ad
ſalutem. Sic etiam Parentes obligantur ad bapti-
zandos ſuos paruulos infantes, etiam ſi ſciant
ſtatim fore pro Chriſto occidendos. Quo circà
moraliter loquendo à ſupradicta obligatione
non poteſt excuſari homo, nempè à formali de-
teſtatione peccati mortalis, cuius conſcientiam
habet, cùm rapitur ad martirium ob ſubitam
mortis occaſionem: ſiquidem ſi in ea occaſione
quantumuis ſubita, & momentanea recordare-
tur ſui ſtatus, ſeù peccati mortalis conſcientiam
habeat, ſimul etiam poteſt illud ſtatim deteſtari,
& vnico momento, & actu morali in Deum con-
uerti per veram, ac perfectam contritionem.
Dixi, moraliter loquendo; quoniam quod dixi-
mus intelligendum eſt de eo, qui actu cogitat ſui
ſtatus, & exiſtentiæ in peccato mortali, dum ad
martirium rapitur; nam ſi ex naturali inconſide-
ratione, & inculpabili obliuione de peccato non
cogitet, tunc ſatis eſt virtualis deteſtatio peccati,
contenta ſub formali illa dilectione, & voluntate
moriendi pro Chriſto.
25 Vndè cùm Adultus habens conſcientiam pec-
cati mortalis regulariter teneatur illius forma-
lem, & veram contritionem habere dum rapitur
ad martirium; nec poteſt excuſari propter impo-
tentiam ſimpliciter, cùm ſit in poteſtate hominis
habere contritionem mediante diuina gratia;
tunc ad hoc vt attritio ſit ſufficiens, neceſsè eſt, vt
excuſetur propter ignorantiam iuris, aut facti,
ideſt, quòd probabiliter exiſtimet ſe eſſe verè
contritum, cùm in re non ſit: aut probabiliter
putet, ſe non teneri ad habendam meliorem di-
ſpoſitionem, vel ſaltem omninò non aduertat ſe
26 adhoc obligari. Nec obſtat ſi dicatur, quòd Bap-
tiſmus aquæ confert gratiam iuſtificantem, & ſic
primam gratiam attrito cognoſcenti, & aduer-
tenti ſe talem eſſe; quoniam licèt id verum ſit de
Baptiſmo aquæ; nihilominus aliter dicendum
eſt de Baptiſmo ſanguinis, & ſic de martirio: ſi-
quidem Baptiſmus ſanguinis ſemper conſtituit
hominem in articulo mortis, quo tempore præ-
ceptum charitatis propriæ maximè vrget; Bap-
tiſmus autem aquæ non item; niſi baptizetur ali-
quis in articulo mortis conſtitutus, quia tunc
tenetur habere contritionem veram, vel æſtima-
tam, non quia ſit neceſſaria diſpoſitio illa ad
Baptiſmum; ſed quia eſt neceſſaria ad mortem
propter obligationem charitatis ſalutis propriæ.
Etenim non eſt res omninò indubitata, & certa
Baptiſmum facere ex attrito contritum, præſer-
tim quando attritio eſt cognita. Vndè in negotio
27 ex quo pendet æterna ſalus tenetur homo eligere
medium omninò certum, & ſecurum ſecundum

 catho-

catholicam fidem quantum in ſe eſt. Tanto magis, quia huiuſmodi obligatio c tur per ſe ex præcepto contritionis in articulo mortis, vel diligendi Deum eo tempore maximè ſuper omnia, vt infra *ſec.* 10. de neceſſitate contritionis latius dicemus. Secundò reſpondetur, quod Baptiſmus aquæ eſt per ſe inſtitutus ad delēdum peccatum, & ad conferendam gratiam iuſtificantem, & ideò ex propria ratione non exigit contritionem ante ſuum effectum: at verò Baptiſmus ſanguinis licèt excellentior ſit, & efficacior; non tamen eſt ordinatus per ſe primò ad talem effectum, ſed ſolùm eſt quidam excellens actus virtutis, cui ex Diuina liberalitate adiuncta eſt promiſſio plurium effectuum gratiæ, & gloriæ præter id, quod ex condigno reſpondet merito operantis: hæc autem promiſſio non tollit obligationem conuenienti modo operandi talem actum, & ex ſe præparandi ad mortem, quæ in illo includitur: & ideò cùm diuerſa ratio ſit in vno, ac in alio, diuerſa quoque erit diſpoſitio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. cap. dudum* 162. *de elect.* Et hæc ratio eſt fortior: nam prior non videtur vera per ea, quæ infra dicemus, *ſec.* 10. *concl.* 4. *lim.* 2.

TERTIA CONCLVSIO.

28 QVI plura peccata commiſit, & de vno tantùm cogitet, ſi illud ex perfectiſſimo motiuo pœnitentiæ deteſtetur, veram, & perfectam contritionem habebit, & gratiam iuſtificantem conſequetur abſque reali ſuſceptione Sacramenti pęnitentiæ ob defectum Confeſſarij, vel ex alia legitima cauſa: quoniam illa perfecta deteſtatio vnius peccati, vera, & formalis, eſt virtualis deteſtatio omnium peccatorum, & contritio ſecundum ſe conſiderata non exigit recogitationem peccatorum diſtinctam, ſed ſatis eſt ſimplex motus voluntatis omnia peccata, vt à pœnitente commiſſa reſpiciens, & deteſtans, vt ſupra adnotauimus in ſecundò, & tertiò *not.* & *concl.* 2. Eſt tamen verum, quòd *D. Bonan. in* 4. *d.* 14. *q.* 1. putat, eo caſu hominem deteſtari debere ſaltem ſub conditione alia peccata, ſi fortè illa commiſit: quod tamen de conſilio, non de præcepto verum eſſe teſtatur, *Suar. in* 3. *par. tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 4. *ſec.* 6. *concl.* 3. *n.* 16. Non tamen
29 qui plura mortalia commiſit, & actu de illis cogitat poteſt formaliter habere contritionem, ſeù deteſtationem de vno, & non de alio, vt rectè probat *Corduba*, quem refert *Suar. loco citato*, contra *Medin. de pœnit. q.* 25. Etenim formalis omnium peccatorum pęnitentia neceſſaria eſt ad ſalutem: quando haberi poteſt; ergò non ſufficit virtualis. Vndè quamuis regulariter non teneatur homo actu deteſtari peccata quoties de illis cogitat; nihilominus ſuppoſito quòd velit efficaciter deſtruere aliquod eorum, & à ſe expellere per iuſtificationem, opus eſt, vt de omnibus doleat: ſiquidem eadem ratione peccator, qui actu cogitat de ſuo ſtatu in peccato mortali non poteſt diligere Deum ſuper omnia, quin ſimul peccata deteſtetur. Quòd ſi peccat in genere cogitat ſe eſſe in peccato mortali, & de ſingulis peccatis diſtinctè non habet memoriam, tunc ad contritionem per ſe ſumptam, vt ſupra ſatis eſt ſimplex actus voluntatis peccata in genere deteſtans, vt à ſe tamen commiſſa, iuxta ea quæ ſupra cumulauimus, *not.* 3. & *concl.* 2.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

30. AD loca ſcripturæ reſpondetur, quòd in eis nihil præcipitur; ſed tantùm ſanctorum facta narrantur; qui non ſolùm operantur quod neceſſarium eſt ad ſalutem, ſed quod perfectum eſt quoque, prout decet ſanctos. Vel ſecundo reſponderi poteſt, quòd eſtò loca illa præceptum aliquod indicent, illud tamen præceptū eſt deteſtandi omnia peccata, quod ſeruari poteſt citra talem recogitationem. Eodē modo reſpondetur ad auctoritates Sanctorum Patrum: ſiquidem, aut non vtuntur verbis, quæ neceſſitatem importent: vel ſi aliquando loquuntur de huiuſmodi recogitatione, vt de re neceſſaria, eſt in ordine ad aliquem effectum futurum, nempè quando peccatum habet reſtitutionem annexam: quapropter ad reſtitutionem rei furtiuæ, v.g. neceſſaria eſt recogitatio, ſic etiam vbi agitur de aliqua occaſione tollenda, vel de aliquo remedio adhibendo ad præcauenda peccata: ſiquidem ad hæc homo obligatur ex vi contritionis, & non valet ea præſtare circa ſpecialem peccatorum recogitationem. Idem dicendum eſt, vbi tractatur de condigna peccatorum ſatisfactione quoad pœnæ reatum. Ad rationem denique in contrarium allatam patet reſponſio. Etenim vna perfecta, & vniuerſalis cōuerſio omnes à Deo auerſiones delet: aliàs non ſolùm in intellectu, ſed etiam in voluntate eſſent multiplicandæ contritiones, quot fuerunt peccata mortalia: quod tamen eſt falſum, vt ſupra oſtendimus.

An ad contritionem exigatur formalis peccatorum deteſtatio, vel ſatis ſit virtualis.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Formalis peccatorum deteſtatio dicitur expreſſa eorum abominatio, ac odium. Et quæ nam ſit virtualis eorundem deteſtatio.*

2 *Formalis peccatorum deteſtatio in contritione perfecta, quæ nam ſit. Et quæ virtualis.*

3 *Ad contritionis eſſentiam, tùm perfecta, tùm imperfecta, quocunq; modo conſiderata, ſatis eſt formalis peccatorum deteſtatio.*

4 *Sola Charitas non eſt ad perfectam contritionem, præter quam in Martyrio.*

5 *Communis eſt opinio, quod ad perfectam contritionem ſufficiat virtualis peccatorum deteſtatio.*

6 *In homine, conſcientiam habente peccati mortalis, omninò requiritur formalis illius deteſtatio.*

7 *Adultus ſi baptizetur, vel baptizatus accedat ad Sacramentum pœnitētiæ, & confeſſus ſit peccati mortalis, non ei ſufficit virtualis illius deteſtatio, ſed requiritur formalis: ſic etiam ſi rapiatur ad Martyrium.*

8 *Quod diximus de contritione perfecta, dicimus etiam de imperfecta, ſcilicet de attritione quotunque modo conſiderata; In vtraq; enim requiritur formalis peccati deteſtatio in habente conſcientiam peccati mortalis.*

9 *In homine, haud conſcio peccati mortalis, vt quia ad peccatum non cogitat inculpabiliter, vel quia de peccato ipſo fuerit oblitus, non exigitur eiuſdem formalis deteſtatio.*

10 *Dilectio Dei ſuper omnia, an ſatis ſit ad iuſtifi-*

tatio-

Digitized by Google

cationem abſque formali peccatorum deteſtatione.

11 *Ad ſalutem non ſufficit fides virtualis, ſed formalis exigitur.*

12 *Diuerſa eſt ratio de amore erga hominem, ac de amore erga Deum. Et defenditur concluſio ab hæreſi Lutheri.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd formalis peccatorum deteſtatio dicitur expreſſa eorum abominatio, ac odium; itaut quis potius velit quodcunq; malum ſubijſſe, quàm peccaſſe; nihilque magis abhorreat, quam Deum offendiſſe. Virtualis verò deteſtatio appellatur, quæ nullo expreſſo actu abominationis peccatorum elicitur; ſed tacitè includitur in aliquo actu dilectionis Dei ſuper omnia, qualis eſt actus illius, qui potius vult mortem ſubire, quàm Deum offendere: aut cùm quis rapitur ad martirium, & de peccatis non cogitat, quamuis mortalia commiſerit. Eſt autem martirium teſtificatio Chriſtianæ veritatis, aut doctrinę. Hinc Martir græcè, latinè dicitur teſtis: vndè ad martirium tria requiruntur, vt tale dici poſſit. Primò requiritur pœna quæcunq; quæ ſit mors, vel ex qua mors ipſa ſequatur. Secundò requiritur veritas fidei, aut virtutis opus; ita vt dicta pœna ſubſtineatur pro confeſſione fidei, aut pro quocunque bono opere faciendo, vel peccato vitando. Tertiò voluntas, vt ſcilicèt voluntariè prædicta pœna ſubſtineatur. Hinc ſequitur quòd Innocentes, qui rationis vſu carebunt, dicuntur Martyres ex gratia tantùm, vt rectè docet *D. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad primum, & Petr. de Palud. in 4. d. 49.* qui refert *Syl. in ſum. in ver. Martirium in prin.*

Secundò eſt adnot. quòd dum quærimus, an ad contritionem exigatur formalis peccatorum deteſtatio; vel ſufficiat, quæſtio noſtra eſt, tàm de contritione vera, ac perfecta, quàm imperfecta, & ſic de attritione: ſiue conſideretur in ordine ad confeſſionem ſacramentalem faciendam; ſiuè conſideretur ſecundum ſe citra actualem ſuſceptionem Sacramenti pœnitentiæ. Eſt
2 autem deteſtatio formalis peccatorum in contritione perfectá, cùm quis abominatur peccatum ſuper omne deteſtabile, & abominabile, quatenus eſt Dei offenſa expreſsè: ſicut & formalis attritio dicitur expreſſa deteſtatio peccati, ex conſideratione fęditatis peccati, vel ex metu pœnarum, quatenus à Deo permittuntut dicta mala in pœnam peccatorum: aut quia peccata dictam fęditatem, & pœnam merentur, quia ſunt Dei offenſa. Virtualis autem deteſtatio peccatorum in contritione tàm perfecta, quàm imperfecta eſt firmum propoſitum non peccandi infuturum; cum hac tamen differentia, quòd perfecta exigat actum dilectionis Dei ſuper omnia, ita vt quis velit potius quodcuuq; malum ſubire, quam deinceps Deum offendere: imperfecta verò ſatis eſt quòd contineat firmum propoſitum nó peccandi infuturum propter fęditatem peccati; aut metum pœnarum modo ſupra explicato. Eſt tamen verum, quòd de ratione attritionis ſupernaturalis non eſt propoſitum vitandi peccatum ſuper omne vitabile: nec deteſtatio eiuſdem ſuper omne deteſtabile. vt diximus ſupra, *ſec. 5. ver. Dixi, cum propoſito, &c.*

3 Tertiò eſt aduot. certum eſſe ad contritionis eſſentiam tàm perfectæ, quàm imperfectæ: ſiuè conſideretur ſecundum ſe, ſiuè in ordine ad ſacramentalem confeſſionem, ſatis eſſe peccatorum deteſtationem formalem. Tota difficultas modo eſt de deteſtatione virtuali, quam ſupra explicauimus, an ſufficiat ad contritionem perfectam, & imperfectam, & ſic ad attritionem.

In hac difficultate pugnantes extant opiniones: nam prima ſententia fuit *Soti in 4. d. 15. q. 1. art. 2. & lib. 2. de nat. & grat. cap. 16.* dicentis
4 citra formalem præteritæ vitæ deteſtationem ſatis nó eſſe ſolam charitatem ad perfectam contritionem; præterquam in martirio. Ait enim, quòd quotieſcunq; quis rapitur ad martirium, etiam ſi actu non cogitat de peccato, iuſtificatur per virtualem deteſtationem illius contentam ſub illo formali actu dilectionis Dei ſuper omnia quo quis rapitur ad martirium. Hanc eandem ſententiam tenet *Henriq. lib. 1. de pænit. cap. 2. nu. 3.* ſiquidem putat, nunquam poſſe dari perfectam charitatem ſine contritione; & cui Deus vult donum charitatis dare, ſimul donum contritionis infundit. Imò *Can. relec. de pænit. p. 3.* ita mordicus hanc opinionem tuetur, vt dicat, poſſe eſſe actum dilectionis Dei ſuper omnia in homine permanente in peccato mortali; licèt *Petr. Soc. lec. 4. & 5. de pænit.* neget, hominem exiſtentem in peccato poſſe habere verum actum dilectionis ſuper omnia. Hæc ſententia probatur primò auctoritate ſcripturæ ex illo *Lucæ cap. 13.* vbi habetur, quòd niſi peccatores pœnitentiam egerint, omnes ſimul peribunt. Ergò ad perfectam contritionem, quæ ſatis ſit ad gratiam iuſtificantem aſſequendam, omninò requiritur pœnitentia, ſeù peccatorum deteſtatio formalis, nec virtualis comprehenſa ſub formali dilectione Dei ſuper omnia. Etenim ſcripturæ ſimpliciter loquentis proprietas hæc eſt, vt intelligatur in proprio ſenſu ſi commodè poteſt. Confirmatur, quia ſcriptura ad ſignificandam formalis deteſtationis neceſſitatem, vtitur varijs nominibus illam indicantibus; nempè doloris, triſtitiæ, gemitus, &c. Quæ omnia ſunt effectus deteſtationis formalis. Hinc *D. Auguſt. conc. 1. in pſal. 30.* loquens de confuſione pro peccato commiſſo, dicit *Hanc confuſionem non formidat Chriſtianus: imò ſi hanc non habeat, æternam habebit. Et lib. de med. pæn. cap. 5.* Sic ait, *Non ſatis eſt mores in melius mutare, ſed oportet ſatisfacere etiam Deo per pænitentiæ dolorem. In epiſt. quoque 50. circa finem,* inquit *Niſi pænitentiam egeris, ſaluus eſſe non poteris: quomodo enim gaudebis fuiſſe correptum, niſi doleas fuiſſe peruerſum. D. Ambr.* pariter ait *lib. 5. epiſt. 28. Peccatum non tollitur, niſi lacrimis, & pænitentia.* Quæ omnia ſunt effectus formalis deteſtationis, non autem virtualis: nam qui virtualiter deteſtatur peccatum, non dolet, non confunditur, non lacrimatur; ſed tantùm actum amoris elicit erga Deum ſuper omnia dilectum non cogitans de peccato. Præterea hoc ipſum colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* vbi poſt definitam contritionem ſubdit, *Fuit omni tempore neceſſarius hic motus ad obtinendã peccati veniã.* Vbi de pœnitentia, ſeù deteſtatione formali neceſſitaté imponi clariſſimè conſtat: ergò non ſufficit deteſtatio virtualis ad iuſtificationem peccatoris. Et re vera

hæc

hæc ſententia ex præfatis, & alijs ſacræ ſcripturæ, & Patrum, ac Conciliorum locis ſatis probatur: nam cùm in omnibus pœnitentia palam exigatur tanquam finis neceſſarius ad ſalutem, qui gloſat illam dicens, ſatis eſſe virtualem deteſtationem, videtur manifeſtam committere fugam: ſiquidem pari modo, vbi ait *D. Paulus*, quòd ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, poſſit gloſare, ſufficere fidem virtualem. Sic etiã dicere poſſet, quòd dare eleemoſynam, & remittere iniurias eſſet pœnitentia virtualis; quoniam illi quoque actus pertinent ad charitatem: quod quidem aſſerere, eſſet hæreticum. Rurſus charitas ſecundum ſe non eſt pœnitentia virtualis; ergò non eſt ſufficiens iuſtificare impium. Clara conſequentia: probatur antecedens: nam quamuis ille, qui inimicum ſuum iniuria affecit, dicat, & verè dicat, deinceps illum ex intimo cordis affectu amore proſecuturum, & in omnibus, & obedire proponat; nihilominus charitas hæc non ob id præteritæ iniuriæ pœnitentiam neceſſariò continet: etenim cum dilectione illa ſtare poteſt, vt non eum illatæ iniuriæ pœniteat; ſed quia animo ſuo ſatisfecit, vult eſſe deinceps amicus, alioquin non eſſet. Ergò dilectio Dei ſuper omnia non includit neceſſario virtualem deteſtationem peccati, & poteſt ſtare ſine illa.

5 His tamen, & ſimilibus, quæ incontrarium adduci poſſent non obſtantibus incontrarium eſt communis opinio, quam tenet *Scot. in 4. d. 14. q. 1. art. 3. Med. C. de pœnit q. 2. ad 3. Nauar. in Man. cap. 1. nu. 10. Vega lib. 6. in Trid. cap. 33. & 34. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 9. ſec. 1. nu. 6.* & alij dicentes ad perfectam contritionem ſufficere virtualem peccatorum deteſtationem. Pro cuius rei determinatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO

6 IN homine habente conſcientiam peccati mortalis omninò requiritur formalis illius deteſtatio, ſi perfectè conteri velit, nec ſatis eſt virtualis. Hæc couclusio probari poteſt ſcriptura, ac Sanctorum Patrum teſtimonijs pro prima opinione allatis. Confirmatur etiam ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, *ſec. 7. concl. 2.* dum oſtendimus, quòd cum Adultus rapitur ad martirium, & conſcientiam habet peccati mortalis, tenetur formalèm illius deteſtationem præmittere ſi poteſt; nec ſufficit virtualis comprehenſa ſub illa maxima charitate moriendi pro Chriſto ergò ad iuſtificationem regulariter requiritur formalis deteſtatio peccati.

7 Ampliatur hæc concluſio, vt locum ſibi vendicet nô ſolùm in contritione perfecta, ſed etiam in contritione imperfecta, atque adeò in attritione. Vndè ſi Adultus Baptizetur, aut accedat ad Sacramentum pœnitentiæ iam baptizatus, & conſcientiam peccati mortalis habeat, nô ſufficit habere virtualem deteſtationem illius comprehenſam ſub formali actu, quo metu pœnarum, vel ex conſideratione fęditatis peccati modo ſupra explicato, proponat firmiter infuturum ſe non peccaturum mortaliter; ſed oportet etiam, vt illius peccati formalem deteſtationem habeat: & idem dicendum de Adulto, qui rapitur ad martirium: nam ſi is cogitat de ſuo ſtatu, & conſcientiam habeat peccati mortalis, non eſt ſatis habere de eo deteſtationem virtualem contentam ſub illo maximo charitatis actu, quo vult mori pro Chriſti fide, aut pro non committendo lethalem culpam; ſed omninò debet habere formalem deteſtationem peccati ex conſideratione fęditatis eius, vel ex metu pœnarum, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *d. ſec. 7. concl. 2. verſ. Dixi, quòd attritio exiſtimata, &c.* Et in hac *ſec. 8. not. 1. 2. & 3.*

8 Secundò ampliatur hæc eadem concluſio, vt procedat in contritione, & attritione, ſiuè conſiderentur ſecundum ſe, ac ſecluſo Sacramento pœnitentiæ; ſiuè in ordine ad ipſum Sacramentum, & ſic ad confeſſionem ſacramentalem. Etenim in vtroque caſu militat eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Vndè habens conſcientiam peccati mortalis, & volens accedere ad ſacramentalem confeſſionem cum perfecta contritione, vel ſaltem cum imperfecta, & ſic cum attritione, non ſufficit ſi habeat virtualem peccati deteſtationem modo ſupra explicato; ſed illius debet habere expreſſam, & formalem; aliàs non iuſtificabitur. Idem dicendum eſt de eo, qui non eſt baptizatus, & vult baptizari: nam non eſt ſatis ſi virtualem tantùm peccatorum deteſtationem habeat, quorum habet conſcientiam; ſed ad conſequendum effectum Sacramenti, & ſic primam gratiam, debet eorum formalem habere deteſtationem. Imò ſi baptizandus ſit conſtitutus in articulo mortis non ſufficit habere attritionem cognitam, ſed debet habere talem attritionem, quæ æſtimetur contritio, & id ob obligationem charitatis propriæ iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus de rapto ad martirium, *ſec. 7. concl. 2. verſ. Vndè Adultus.*

SECVNDA CONCLVSIO.

9 IN homine non habente conſcientiam peccati mortalis, vt quia ad peccatum non cogitat inculpabiliter ex eo, quòd ad aliud obiectum fuerit raptus: vel quia inculpabiliter de peccato ipſo fuerit oblitus, eiuſdem non exigitur formalis deteſtatio; ſed ſatis eſt virtualis. Hæc concluſio patet ex eo, quòd illis caſibus excuſatur homo ab obligatione agendi pœnitentiam: ſiquidem pœnitentiæ præceptum non alligat, niſi ſuppoſita conſcientia peccati mortalis: ſicut confiteri nemo compellitur, niſi ea tantùm peccata, quorum conſcientiam habet, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* Confirmatur ipſa concluſio, quoniam aliàs homo ille adimplendo omnia præcepta, quæ illi poſſunt occurrere, vt neceſſaria ad ſalutem, & habens fidem, ac ſpem, adhuc maneret extra ſtatum ſalutis: quod eſſet magnum inconueniens: poſtquam homo nunquam moraliter poſſet eſſe quietus; ſed deberet ſemper iterare actum pœnitentiæ, ne fortè oblitus fuerit alicuius lethalis culpæ. Ratio autem fundamentalis ea eſſe videtur. Nam homo per formalem actum amoris Dei ſuper omnia ſtatim iuſtificatur: ergò ad iuſtificationem ſufficit deteſtatio virtualis peccati comprehenſa ſub formali dilectione Dei ſuper omnia. Clara conſequentia. Probatur modo antecedens, ex illo *Ioan. cap. 14.* vbi ait Dominus, *Qui diligit me diligetur à Patre meo. Et Prouerb. cap. 8. & 10. Ego diligentes me diligo, & vniuerſa delicta operit charitas.* Modo dilectio Dei, iuſtificatio eſt hominis. Vndè *D. Bernard. epiſt. 170.* ita inquit, *Nemo ſe amari diffidat, ſi iam amat: neq; enim redamare pigebit eum, qui nos amauit,*

nec dum amantes. Si igitur qui amat Deum ſuper omnia eſſe poteſt citra actualem peccati deteſtationem, conſequenter fit, poſſe aliquem per ſolùm actum dilectionis Dei ſuper omnia, ſuppoſita inculpabili obliuione, ac naturali inconſideratione iuſtificari. Pro hac eadem concluſione facit etiam auctoritas Apoſtoli Petri, dicentis, *Charitas operit multitudinem peccatorum*, Et illud *Lucæ, cap. 7. Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit mundum*.

Reſtat modò, vt ad rationes in contrarium reſpondeamus: poſtquam auctoritates ſcripturæ, & Patrum diximus eſſe intelligendas iuxta primam concluſionem.

10 AD primam rationem *Henriq.* exiſtimantis, perfectam charitatem non poſſe eſſe ſine formali contritione; ergò dilectio Dei ſuper omnia ſatis nō eſt ad iuſtificationem abſq; actuali, ſeù formali peccatorum deteſtatione, reſpondetur negando antecedens: nam aut perfecta charitas non poteſt eſſe ſine formali peccatorum deteſtatione ex Dei inſtitutione: vel propter neceſſariam connexionem inter pœnitentiam, & charitatem; neutro modo, ergò, &c. Non poteſt dici primum, quoniam huiuſmodi præceptum non reperitur. Nec ſecundum, quia ſi hoc eſſet, vel eſſet, quòd formalis deteſtatio requiritur, vt diſpoſitio ad actum dilectionis Dei ſuper omnia, & hoc eſt falſum; nam dilectio Dei non oritur ex peccati dolore, ac dolore; ſed è contra: aut eſt connexio, quoniam contritio neceſſario ſequitur dilectionem, & id etiam non eſt verum: ſiquidem hoc eſſet ſuppoſita cogitatione bonitatis Dei, & cogitatione peccatorum ſuorum: at vna cogitatio poteſt reperiri ſine alia; ergò ſtat amor Dei ſuper omnia citra formalem peccati deteſtationem.

11 Ad ſecundam dicimus non committere fugam dicentem in caſu, de quo agitur ſatis eſſe deteſtationem virtualem: & ad inſtantiam de fide reſpondetur, quòd ideò ad ſalutem non ſufficit fides virtualis, ſed exigitur expreſſa, ac formalis: ſiquidem abſque obiecto aliquo explicito non poſſumus moueri. Vndè meritò fides dicitur fundamentum omnis diſpoſitionis ad iuſtificationem.

12 Ad tertiam negatur antecedens: & ad probationem dicimus, diuerſam rationem eſſe de amore erga hominem, & de amore erga Deum. Imò ſi amor erga hominem eſt perfectus adhuc habet adiunctā diſplicentiam de iniuria ei illata. Nec noſtra concluſio ſapit hæreſim Lutheri; quoniam nos loquimur quando defectus temporis, vel inculpabilis conſideratio fuit in culpa, ne formaliter quis ſua peccata deteſtetur: at Lutherus vtramq; negat, & formalem, ac virtualem.

An ad contritionem tàm perfectam, quàm imperfectam, & ſic ad attritionem exigatur propoſitum formale non peccandi infuturum, vel ſufficiat virtuale.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Formale propoſitum amplius non peccandi, quando dicatur: Et quodnam propoſitum ad attritionem exigatur.*

2 *Propoſitum cauendi de cætero omnia peccata mortalia, debet eſſe formaliter in contritione expreſſum, nec ſat erit virtuale. Et nu. ſeq.*

3 *Magis in hoc probatur contraria ſententia.*

4 *Tùm in contritione, tùm in attritione, quocunq; modo conſiderentur, homo deteſtando peccata, poteſt dupliciter ſe habere.*

5 *Ad veram, & perfectam contritionem, non ſufficit propoſitum virtuale vitandi peccata infuturum, comprehenſum ſub formali peccatorum deteſtatione.*

6 *Id non ſolum locum habet in contritione, conſiderata ſecundum ſe, ſed etiam in ordine ad ſacramentalem confeſſionem faciendam.*

7 *Tùm in contritione, tùm in attritione noſtra procedit Concluſio.*

8 *Qui reperitur in articulo mortis, ſi de peccatis futuris cogitet, habere debet formale propoſitum, amplius non peccandi.*

9 *Ad contritionem, & attritionem propoſitum exigitur non peccandi, ne dum abſolutum, ſed etiam efficax.*

10 *Ad contritionem, & attritionem ſatis non erit propoſitum vitandi peccata exiſtimatum, & putatiuum, ſed requiritur verum, & reale.*

11 *Cum propoſito formali vitandi peccata infuturum, ſtare an poſſit probabilis timor pœnitentis, ſe infuturum peccaturum mortaliter.*

12 *Qui omnino reperitur in articulo mortis, ſatis erit ſi habeat, propoſitum virtuale non peccandi in futurum, quale eſt illud quod includitur in formali peccatorum deteſtatione.*

13 *Qui bona fide deteſtatur peccatum ſuper omnia, illudq; confitetur abſque formali propoſito non peccandi de cætero, validum ſuſcipit Sacramentum.*

14 *Virtuale propoſitum non peccandi in futurum, ſat erit ad veram, & perfectam contritionem, quando temporis penuria, vel inculpabilis inconſideratio aliud non permittit.*

15 *Volens potius quodcunq; malum ſubire, quàm Deum offendere, cenſetur tacitè, & virtualiter velle quodcunque malum ſubiſſe, quam Deum offendiſſe.*

16 *Ad horas Canonicas rectè recitandas, ſufficit virtuale propoſitum attendendi, & intendendi*

17 *In attritione ſufficit quoque virtuale propoſitum non peccandi de cætero, ſi tēporis penuria, vel inculpabilis inconſideratio ſit in Cauſa, quominus formale propoſitum habeatur.*

18 *Virtuale propoſitum non peccandi in futurum quod continetur in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, ſatis non eſt ad ritè faciendum hoc Sacramentum.*

19 *Quamuis ad contritionem tàm perfectam, quàm imperfectam non ſufficere virtuale propoſitum non peccandi in futurum, ſit opinio æquè probabilis, in praxi tamen ſemper eſt conſulendum propoſitum formale, & expreſſum.*

20 *Confeſſarius quamuis non teneatur explorare pœnitentes de formali propoſito, id locum non habet in ruſticis, & ſimplicibus idiotis, maximè pueris, puellis, & mulieribus.*

21 *Concilia, quæ generaliter loquuntur de propoſito ſeruandi mandata, & non peccandi de cætero, intelligenda ſunt tàm de propoſito formali, quam virtuali.*

22 *Doctores antiqui licet loquantur de propoſito formali; non tamen excludunt virtuale comprehen-*

Digitized by Google

prehenſum ſub formali peccatorum deteſtatione, quando temporis penuria, vel inculpabilis inconſideratio in cauſa fuerint quominus quis formale propoſitum habeat.

23 *Ad contritionem ſecundum D. Thom. non requiritur alius actus Charitatis, quam odium peccati.*

DEfiniuimus ſupra contritionem, tàm perfectam, quàm imperfectam per deteſtationem peccati, & propoſitum non peccandi in futurum, vt patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec.* 4. *&* 5. Etenim diximus, quòd contritio eſt deteſtatio peccati, quæ contritionis ſubſtantiam indicat: & ſuper omnia, quæ quantitatem perfectæ contritionis denotat: & propoſitum futura peccata ſuper omnia vitandi, quod ad eiuſdem contritionis qualitatem pertinet; merito de hac re hoc loco ſequitur diſcutiendum.

1 Pro cuius rei determinatione eſt adnot. quòd formale propoſitum amplius non peccandi ſuper omnia dicitur, quando propoſito ex vna parte quocunq; malo, & ex alia parte offenſa Dei, proponat quodcunque ſupplicium ſubire, aut temporale commodū ammittere, quàm Deum offendere. Propoſitum autem non peccandi virtuale eſt tacitum propoſitum ſuper omnia non peccandi comprehenſum ſub formali deteſtatione peccati: etenim ex eo quòd vult homo quodcunque malum ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe; habet tacitum, ac virtuale propoſitum volendi quodcunq; malū ſubire, quàm Deum offendere: ſicut & qui habet formale, & expreſſum propoſitum volendi quodcunq; malum ſubire, quàm Deum offendere, habet quoque tacitam peccatorum deteſtationem, ita vt virtualiter velit quodcunq; malum ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe: quæ omnia requiruntur ad veram, ac perfectam contritionem. Quo verò ad imperfectam contritionem, & ſic attritionem; ſub formali deteſtatione peccatorum proueniente ex metu gehennæ, ac pœnarum, & ex conſideratione illorum fœditatis continetur virtuale propoſitum non peccandi in futurum iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec.* 8.

Secundò eſt adnot. quod noſtra controuerſia eſt de contritione, & attritione, ſiuè conſiderentur ſecundum ſe abſque vllo ordine ad ſacramentalem confeſſionem: ſiuè conſiderentur in ordine ad ipſam confeſſionem faciendam.

In hac difficultate pugnantes extant opiniones: nam prima ſententia eſt *D. Thomæ 3. p. q. 90. art. 4. Alenſ. 4. par. memb. 9. q. 69. art. 2. Duran. in 4. d. 17. q. 2. Medina in ſua ſum. fol. 4. p. 1. Tol. lib. 3. ſuæ ſum. cap. 4. §. Quinta eſt*: & aliorum, dicentium, in contritione, propoſitum cauendi de cætero omnia peccata mortalia, debere eſſe formaliter expreſſum, nec ſatis eſſe virtuale incluſum in formali eorum deteſtatione. Hanc ſententiam communiorem, & ſecuriorem eſſe teſtatur, *Fagund. de precep. Eccleſ. precep. 2. lib. 2. cap. 3. n.* 13. Mouentur præcipuè ex *Conc. Floren. ſeſſ. 6. art. 6.* vbi habetur in contrito neceſſarium eſſe propoſitum obſeruandi Diuina mandata; atque ideò non peccandi de cætero: quod Concilium cùm exigat ſimpliciter propoſitum huiuſmodi, intelligendum eſt de formali, non autem virtuali: ſiquidem diſpoſitionis ſimpliciter loquentis proprietas eſt, vt intelligatur in proprio ſenſu, ſi commodè poteſt. Eandem opinionem probabilem eſſe docet *Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 5. ſec. 1. p. 8.* & veram *Lopez par. 1. Inſtr. cap. 7.* qui rationes recenſet. Et quamuis præfati Doctores loquantur de contritione perfecta; nihilominus de contritione etiam imperfecta, & ſic in ſpecie de attritione, loquitur *Bonac. loco citato, par. 3. nu. 3. verſ. Verumtamen eſt Megall. 1. par. ſuæ ſum. lib. 4. cap. 6. nu. 2. & Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. ſub nu. 88. verſ. Et ſi in materia.* Adde quòd *Lopez loco citato, verſ. Cæterum, concl. 2.* Adeò dictam opinionem tuetur, vt probet, huiuſmodi propoſitum virtuale, nec per accidens quidem ſatis eſſe ad iuſtificationem, nempè ratione anguſtiæ temporis, aut conſiderationis defectus: & etiam ſi hominem taliter pœniteret de peccatis præteritis, quòd ſi animaduerteret ad futura, proponeret ea cauere: & vltra rationes, quas affert, pro hac re allegat *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* quod ſimpliciter exigit propoſitum non peccandi de cætero, & non diſtinguit de formali, & virtuali; ergò nec nos diſtinguere debemus, *l. de pretio, ff. de public. in rem act.* & propterea intelligendum eſt de expreſſo, & formali propoſito, non autem virtuali. Limitat tamen ipſe *Lopez poſt Gabr. Sot. & Metin.* hanc ſententiam in duobus tantùm caſibus, quorum alter eſt, quando ſubitò Martir rapitur ad martirium, vbi pœnitendi locus non ſupereſt, aut tempus: alter vero caſus eſt, cùm quis poſt examen conſcientiæ, obliuione naturali captus nullius reminiſcitur peccati: nam in his duobus caſibus per actum dilectionis Dei ſuper omnia iuſtificabitur.

3 Secunda ſententia, quæ nobis magis probatur, eſt *Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, nu. 12. Nauar. in Man. cap. 1. n. 6. Veg. lib. 13. cap. 21. de Iuſtific. Pitiguan. 2. p. d. 14. q. 3. art. 8. Suar. in 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 4. ſec. 3. nu. 6. & diſp. 20. ſec. 4. n. 32. Conynch. de pœnit. diſp. 2. dub. 6. concl. 5. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. Theol. tract. 6. cap. 4. ſub nu. 5. aſſer. 6. Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 5. ſec. 1. pun. 3. ſub nu. 10. verſ. Obſerua tamen, Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſarij, recoll. 29. ſub nu. 88. verſ. Et ſi in materia*: & aliorum, oppoſitam ſententiam docentium. Pro cuius rei explicatio-
4 ne eſt adnot. quòd in contritione tàm perfecta, quàm imperfecta, & ſic in attritione, ſiuè conſiderentur ſecundum ſe, ſiuè in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ homo deteſtando peccata præterita poteſt dupliciter ſe habere: primò vt ita peccata præterita deteſtetur, vt etiam actu cogitet de peccatis futuris: ſecundò vt ita deteſtetur præterita, vt non cogitet de futuris, vt quia penuria temporis, vel inculpabilis inconſideratio fuerit in cauſa, quominus de illis cogitet, & formale propoſitum habeat ea vitandi in futurum. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

5 AD veram, ac perfectam contritionem non ſufficit propoſitum virtuale vitandi peccata in futurum comprehenſum ſub formali deteſtatione peccatorum, cùm quis cogitat de peccatis futuris; ſed per ſe loquendo exigitur propoſitum formale vitandi peccata. Hæc concluſio probatur ex ijs, quæ ſupra cumulauimus pro prima ſententia, & ex alijs de quibus *Lopez*

loco

loco citato. Confirmatur hæc opinio ex eo quòd ab homine cogitante de peccato mortali, in quo reperitur, ſi vult verè, ac perfectè conteri exigitur illius deteſtatio formalis; nec ſatis eſt virtualis comprehenſa ſub formali actu dilectionis Dei ſuper omnia, vt ſupra oſtendimus *ſec. 8. concl. 1.* ergò quando quis actu cogitat de peccatis futuris debet habere formale, ac expreſſum propoſitum non peccandi de cætero, & infuturum; aliàs non iuſtificabitur. Conſequentia patet, quia non poteſt aſſignari diuerſitatis ratio, cur requiratur formalis deteſtatio peccati ab homine de eo cogitante, nec ſufficiat virtualis comprehenſa ſub formali actu dilectionis Dei ſuper omnia; & quòd non exigitur formale propoſitum non peccandi ab homine cogitante de peccatis futuris, & quòd ſatis ſit virtuale comprehenſum ſub formali peccatorum deteſtatione. Cùm igitur eadem ratio in vtroque caſu, idem iudicium de vtroque eſt faciendum, *arg. tex. in l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patr. l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

6 Ampliatur hæc concluſio, vt locum ſibi vendicet non ſolùm in contrione ſecundum ſe conſiderata; verum etiam in contritione ordinata ad ſacramentalem confeſſionem faciendam. Probatur, quoniam in vtroq; caſu militat eadem ratio. Confirmatur, quia cogitans de peccato commiſſo tenetur illud deteſtari formaliter, ſiuè agatur de contritione ſecundum ſe conſiderata, ſiue agatur de contritione in ordine ad ſacramentalem confeſſionem faciendam, vt ſupra probauimus, *ſec. 8. concl. 1. ampl. 2.* ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro cum non poſſit aſſignari diuerſitatis ratio, vt ſupra oſtendimus.

7 Secundò ampliatur ipſa concluſio, vt procedat tàm in contritione perfecta, quàm in contritione imperfecta, & ſic in attritione: Vndè ſi quis cogitet de peccatis futuris, & non proponat formaliter, ac expreſsè vitandi peccata mortalia infuturum, quamuis formaliter deteſtatus fuerit peccata præterita, & cum tali deteſtatione ad confeſſionem ſacramentalem accedat, & abſolutionem recipiat; nihilominus non iuſtificabitur, vt patet ex ijs, quæ adnotauimus, *d. ſec. 8. concl. 1. ampl. 1.*

8 Tertiò ampliatur, vt locum habeat etiam in eo, qui conſtitutus reperitur in articulo mortis: nam ſi de peccatis futuris cogitet, debet habere formale propoſitum non peccandi, conditionatum, ſi viuet: nec ſatis eſt ſi propoſitum huiuſmodi ſit virtuale comprehenſum ſub formali deteſtatione peccatorum. Et ita putò intelligendū eſſe *Conynch. de pænit. diſp. 2. dub. 6. ſub nu. 58.* Quod quidem verum puto, ſiuè agatur de contritione perfecta, ſiuè imperfecta, & ſic de attritione, vt habetur ex *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. nu. 86.* quod tamen limita, vt infra *lim. 2.* eſt tamen verum, quòd in attritione quæ exigitur in Sacramento Baptiſmi, & pœnitentiæ ad aſſequendam gratiam iuſtificantem non eſt neceſſarium propoſitum vitandi peccatum ſuper omne vitabile, ſicur requiritur in vera, ac perfecta contritione, vt ſupra probauimus, *ſec. 6. verſ. Circa primum*: & latius *ſec. 5. verſ. Dixi, cum ſpe venia.*

9 Quartò ampliatur, vt ad contritionem, & attritionem non ſolum exigatur propoſitum non peccandi abſolutum, ſed etiam efficax; ita vt dum talis animi diſpoſitio, ſeù voluntatis propoſitum durat, re ipſa moueatur homo ad occaſiones peccatorum remouendas, & omnem aliam operam adbibendam, quæ ad euitanda peccata neceſſaria videtur. Etenim propoſitum finis ſi firmum, abſolutum, & efficax ſit, ſtatim mouet voluntatem ad quærenda, & amplectenda media neceſſaria. Ita *Laym. loco citato, ſub nu. 7. Reginald. lib. 5. ſua ſum. nu. 61. & ſeq. Lopez 1. p. ſui Inſtr. cap. 13. verſ. Secundo dicitur: & P. Alph. de Leone d. recoll. 19. nu. 82.* qui in ſpecie loquitur de attritione.

10 Quintò ampliatur, vt ad contritionem, & attritionem ſatis non ſit propoſitum vitandi peccata exiſtimatam, & putatiuam, etiam ſi credat pœnitens inuincibiliter ſe habere dictum propoſitum; ſed exigitur propoſitum verum, ac reale, vt habetur ex *Suar. d. diſp. 4. ſec. 2. ſub nu. 6. verſ. Atque hinc fit: & P. Alph. loco citato, num. 84.* qui loquens de attritione inquit, quod ad hoc, vt attritio ſit diſpoſitio ad gratiam, & vna cum Sacramento per eam conferatur, debet eſſe vera, & non putata. Imò hanc ampliationem extendit etiam ſi pœnitens doleat non habere verum propoſitum, ex *Nau. in Man. cap. 16. nu. 4.* & etiam ſi pœnitens confiteretur, & accuſaret ſe non habere tale propoſitū: quoniam nō eſt abſoluendus. Ita *Henriq. lib. 4. de pænit. cap. 24. §. 2. Suar. diſp. 20. ſec. 4. nu. 5. Nauar. in Man. cap. 9. nu. 13. Tol. lib. 3. cap. 4. & P. Alph. d. recol. 19. no. 85.*

11 Sic ampliata limitatur primò eadem cōcluſio, vt quamuis ad contritionem tàm perfectam, quàm imperfectam exigatur in pœnitente cogitante de peccatis futuris formale, & efficax propoſitum ea vitandi infuturum, nec probabiliter ſufficiat virtuale; nihilominus cùm hoc propoſito firmo, & efficaci ſtat, vt pœnitens probabiliter putet ſe infuturum peccaturum mortaliter, conſiderans maximè ſuam fragilitatem: vt quia expertus eſt alias ſuccubuiſſe tentationibus: ſiquidem propoſitum nō peccandi de cætero, cum probabili timore peccandi infuturum, eſt verum propoſitum dummodò mediante Dei gratia ſperet, ſe tentationes huiuſmodi ſuperaturum, & nō peccaturum de cætero. Ita *Henriq.* cum alijs, quos allegat, *lib. 4. de pænit. cap. 24. n. 3. Conynch. diſp. 2. de ſacram. nu. 19. Lopez in ſuo Inſtr. 1. p. cap. 13. verſ. Præterea quia, Bonac. loco ſupra citato pun. 8. nu. 3.* & nos latè ſupra *ſet. 3. verſ. Dixi cum propoſito, & ſec. 5. eo. verſ.* vbi id limitauimus, vbi quis reperitur in occaſione proxima peccadi: & *d. ſec. 3. verſ. Dixi cum propoſito,* latè quoque tractauimus, an & quando quis teneatur, vel non teneatur occaſiones proximas peccandi vitare.

12 Secundò limitatur ipſa concluſio in eo, qui omninò reperitur in articulo mortis, qualis eſt raptus ad martirium, condemnatus ad mortem mox capite plectendus, ſuſpendendos, aut alio mortis genere interimendus, ita vt eius deſperata ſit ſalus: vel quando quis eſt omninò in extremæ vitæ articulo, ita vt attento naturæ ordine, mox ac omninò eſt moriturus: tunc enim ſatis eſt propoſitum virtuale comprehenſum ſub formali deteſtatione peccatorum, vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 3. ſub nu. 13.* cum alijs, quos allegat. Sed re vera ſi *Fagund.* & alij rectè perpendantur, locuntur quando in

Digitized by Google

dictis caſibus pœnitens ex defectu conſiderationis non habuit formale propoſitum. Eſt tamen hæc limitatio probabilis, cùm pœnitens reperiatur illis caſibus in tali ſtatu, in quo vix poteſt peccare. Sed quamuis id ſit verum; nihilominus eum in illo ſtatu poſſit mereri, ac demereri, atque adeò peccare, non video quonam pacto cogitans de peccatis futuris non teneatur habere propoſitum formale non peccandi de cætero, nec ſatis ſit virtuale, etiam ſi quis rapiatur ad martirium, vt patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, *ſec. 7. concl. 2. & ſec. 8.* quamuis contrariũ nonnulli doceant.

13 Tertiò limitatur in eo, qui bona fide deteſtatur peccatum ſuper omnia, illudque confitetur abſque formali propoſito non peccandi de cætero, tunc validum ſuſcipit Sacramentum, etiam ſi cogitet de peccatis futuris, vt habetur ex *Suar. d. diſp. 20. ſec. 4. nu. 3. Henriq. Vaſq. Reginald. locis citatis, Pitignan. lib. 2. cap. 6. ad fin. & Bonac. d. pun. 8. verſ. Vtraque*: & ex alijs. Sed hanc limitationem puto intelligẽdam eſſe quoad valorem Sacramenti tantùm, non quoad effectũ, & ſic quoad gratiam iuſtificantem aſſequendam: eo quòd nonnulli volunt dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, vt latè ſupra de hac re egimus, *diſp. 2. ſec. 2. cum plur. ſeq.*

SECVNDA CONCLVSIO.

14 Satis eſt virtuale propoſitum non peccandi in futurum ad veram, ac perfectam contritionem, quando penuria temporis, vel inculpabilis inconſideratio fuerit in cauſa quominus quis cogitauerit de peccatis futuris, ac formale propoſitum habuerit ea in futurum vitandi. Hanc concluſionem docent omnes Doctores, quos allegauimus pro ſecunda ſententia. Probatur primò, quoniam ad contritionem ſufficit deteſtatio virtualis peccati ſub formali propoſito non peccandi de cætero, quando defectus temporis, inculpabilis obliuio, aut naturalis inconſideratio fuerint in cauſa quominus quis de peccato cogitauerit, & eiuſdem habuerit formalem deteſtationem, vt patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 8. concl. 2.* ergò è contra idem dicendum eſt de propoſito virtuali non peccandi contento ſub formali deteſtatione peccati. Con-
15 ſequentia patet: nam ſicut quis volens quodcunq; malum ſubire, quàm Deum offendere, cenſetur tacitè, ac virtualiter velle quodcunq; malũ ſubijſſe, quàm Deũ offendiſſe, vt in *d. ſec. 8.* probauimus in *reſponſ. ad 3.* ita quoq; & è conuerſo volens quodcunq; malum ſubijſſe, quàm Deum offendiſſe, cenſetur tacitè, ac virtualiter velle quodcunq; malum ſubire, quàm Deum offendere. Siquidem verum odium, ac deteſtatio mali ex ſui natura excitat in homine voluntatem, ac propoſitum illius declinandi, vt rectè declarat *Laym. d. c. 4. ſub n. 5. aſſer. 6.* Cõfirmatur ex perfecto amore alicuius erga illum, quem offendit. Etenim quemadmodum dilectio alicuius erga hominem, quem offendit, ſi eſt perfecta virtuale, ac tacitum includit offenſionis odium, & abominationem, vt oſtendimus, *d. ſec. 8. in reſp. ad 3.* ita, & eo magis, qui hominem offendiſſe perfectè dolet, ac deteſtatur, tacitè, ac virtualiter proponit eundem amplius non offendere. Ergò, & multo magis idem dicendum de perfecto amore erga Deum, & perfecta deteſtatione peccati propter Deum, cùm huiuſmodi actus ſint ſupernaturales. Rurſus tacitum, & expreſſum, & virtuale, ac formale exequantur; ſed taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cum quid, ff. ſi certũ petat.* Ergò, & virtualis, & formalis; atque adeò ſicut propoſitum expreſſum, ac formale non peccandi de cætero ſatis eſt ad veram, ac perfectam contritionem; ita etiam tacitum, ac virtuale.

16 Præterea ad horas canonicas rectè pronunciandas expoſcitur propoſitum attendendi, & intendendi, & tamen hæc omnia ſufficiunt, ſi virtualiter habeantur, vt latè probat *Nauar. de orat. & hor. canon. cap. 13. nu. 17.* Ergò idem dicendum eſt de propoſito amplius non peccandi. Denique ad conficienda Sacramenta maximæ ſanctiſſimæ Euchariſtiæ maxima intentio, & attentio requiruntur in eis cõficiendis, & tamen hæc omnia ſufficiunt, ſi virtualiter habeantur: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro.

17 Ampliatur hæc concluſio, vt quæ diximus de contritione vera, ac perfecta, vt in ea ſatis ſit virtuale propoſitum non peccandi de cætero, quando penuria temporis, vel inculpabilis inconſideratio fuerint in cauſa quominus quis formale propoſitum habuerit, extendantur ad contritionem imperfectam, atque ideò ad attritionem, vt in ſpecie habetur ex *Bonac. loco ſupra relato, pun. 3. n. 3. verſ. Verumtamen eſt, & ex P. Megal. relato à P. Alph. de Leone d. recoll. 19. ſub nu. 88. verſ. Et ſi in materia contritionis.* Pro quare affertur, *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* vbi licèt exprimat in contritione neceſſarium eſſe propoſitum non peccandi infuturum; in fine tamen dum loquitur de attritione ait, quòd illa eſt, quæ prouenit ex metu gehennæ, vel turpitudinis peccati cogitatione, & voluntatem peccandi excludit cum ſpe veniæ: ergò non exigitur formale in ea propoſitum non peccandi infuturum, ſed ſatis eſt virtuale. Hæc ampliatio vera eſt de attritione, ſiuè conſideretur ſecundum ſe, ſiue conſideretur in ordine ad confeſſionem ſacramentalem; ſicut diximus de contritione vera, ac perfecta. Etenim qui perfectè deteſtatur peccata, de quibus actu cogitat; ſi menti occurrerent peccata futura, firmum eliceret propoſitum illa præcauendi infuturum: ſiquidem aliquis poteſt efficaciter dolere de peccatis cum propoſito virtuali nõ aduertens ad peccata infuturum, vt habetur ex *Caiet. in ſum. ver. Confeſſio, nu. 12. Nauar. in Man. cap. 1. nu. 6. Vega lib. 13. cap. 21. de Iuſtif. Pitign. 2. par. d. 14. q. 3. art. 8. Bonac. vbi ſupra, pun. 3. ſub nu. 10. verſ. Obſerua tamen, qui in ſpecie loquitur de attrit.*

18 Sic ampliata limitatur ipſa concluſio, vt non procedat in virtuali propoſito non peccandi infuturũ, quod continetur in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ, quaſi illa Sacramenti ſuſceptio ſit tacitum, ac virtuale quodam propoſitum: etenim nec virtualis illa peccatorum deteſtatio, quæ comprehenditur ſub illa Sacramenti ſuſceptione, ſufficiens eſt ad iuſtificationem; quoniam deteſtatio peccatorum, quæ continetur in voluntate ſuſcipiendi Sacramentum, non eſt attritio. Ita *Vaſq. in 3. par. tom. 4. de pœnit. q. 91. art. 1. dub. 1. nu. 2. Pitign. 2. par. d. 14. q. 4. art. 7. verſ. Dixi etiam, Bellar. lib. 2. de pœnit. cap. 6. Bonac. d. pun. 3. nu. 5.* & alij. Imò contrarium aſſerere temerarium eſſe docet *Suar. de pœnit. diſp. 20. ſec. 1. nu. 1. & 2.* nam id videtur

expreſsè

Digitized by Google

expreſsè definitum in *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. *& ſeſſ.* 6. *cap.* 14. vbi habetur Sacramentum pœnitentiæ non conferre gratiam ſine proprio motu pœnitentis.

TERTIA CONCLVSIO.

19 QVamuis ſupradicta concluſio, qua concluſimus, ſatis eſſe ad contritionem tàm perfectam, quàm imperfectam virtuale propoſitum non peccandi infuturum, ſit valdè probabilis; ſicut, & æquè probabilem opinionem oppoſitã, ac negatiuam teſtatur eſſe *Bonac. d. pun.* 8. *verſ. Vtramque*; nihilominus in praxi ſemper conſulendum eſt propoſitum non peccandi formale, ac expreſſum, & per Confeſſarium à pœnitente ſemper exigendum; quoniam oppoſita, ac negatiua ſententia, quòd non ſufficiat propoſitum virtuale, & omninò requiratur formale, eſt per ſe communior, ac ſecurior, vt teſtatur *Fagund. de precep. Eccl. precep.* 2. *lib.* 2. *cap.* 3. *ſub nu.* 13. *& Laym. lib.* 5. *ſua ſum. tract.* 6. *cap.* 4. *ſub nu.* 5. *aſſer.* 6. vbi ait, quòd rectè agunt Confeſſarij, qui huiuſmodi propoſitum formale expreſsè, ac formaliter exigunt à pœnitentibus, eoſque alia ratione abſoluere nolint. Etenim ſi pœnitens requiſitus de formali, ac expreſſo propoſito non peccandi de cætero, recuſet talem actum elicere, ſignum eſt eius deteſtationem, ac dolorem generalem non eſſe, neque ad omnia peccata ſe extendentem; atque adeò non ſufficientem ad gratiam iuſtificantem aſſequendam.

20 Imò Confeſſarius quamuis viros Doctos in Theologia, & in caſibus conſcientiæ maximè, non teneatur explorare pœnitentes de formali propoſito, vt ſupra, ac de formali peccatorum deteſtatione; nihilominus perſonas ſimplices, & idiotas, maximè ruſticos, pueros, puellas, & mulieres, antequam eis abſolutionem impendat, tenetur eoſdem interrogare de requiſitis ad contritionem, & ad attritionem, & ad debitam diſpoſitionem inducere, vt diſpoſiti efficiantur ad aſſequendam gratiam: aliàs non eſt tutus in conſcientia, & in ſuo munere deficit.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

21 AD *Concil. Florent. & Trid.* pro prima ſententia relata, reſpondetur quòd cum illa cõcilia generaliter loquantur de propoſito ſeruandi mãdata, & nõ peccãdi de cætero, generaliter debẽt intelligi de propoſito tàm formali, quàm virtuali: quoniã lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, *l. generali lege, C. de ſecũd. nupt. l. generaliter, C. de Epiſ. & Cler. & l.* 1. *§. generaliter, ff. de legat. praſt.* Etenim propoſitum virtuale, & implicitum non peccandi infuturum, dicitur etiam propriè propoſitum, ſed implicitum, vt poſt alios reſpondet *Bonac. d. pun.* 8. *verſ. Secunda ſententia*: & ita Concilia ipſa dicuntur intelligi in proprio ſenſu, cùm propoſitum prædictum per ſe ſumptum diuidatur in formale, & virtuale.

22 Ad argumenta, & ad loca ſcripturæ, quæ afferuntur à *Lopez* pro contraria ſententia patet reſponſio: quoniam quamuis Doctores antiqui loquantur de propoſito formali; non tamen excludunt propoſitum virtuale comprehenſum ſub formali deteſtatione peccatorum, quando penuria temporis, vel inculpabilis inconſideratio fuerint in cauſa, quominus quis formale propoſitum habuerit: & ita etiam reſpondetur ad loca ſcripturæ: aliàs pœnitens adimplendo omnia præcepta, quæ illi poſſunt occurrere, vt neceſſaria ad ſalutem, & habens fidem, & ſpem, adhuc eſſet extra ſtatum ſalutis: quod non eſt dicendum, vt diximus ſupra *ſec.* 8. *concl.* 2. de virtuali deteſtatione agentes, comprehenſa ſub formali actu dilectionis Dei ſuper omnia. Et re vera non deſunt loca ſcripturæ, in quibus propoſitum virtuale non peccandi comprehenſum ſub formali deteſtatione peccati ſatis eſſe indicatur, vt patet ex illo *Ezech. cap.* 33. vbi habetur, *Si auerterit ſe peccator ab iniuſtitia ſua, eius iniquitatum non recordabor amplius*. Modò auerſio ab iniuſtitia nihil aliud denotat, quàm deteſtationem, cùm deteſtatio ſit fuga quædam, vt aliàs diximus. Si igitur Propheta ad veram, ac perfectam contritionem per ſe ſufficientem ad aſſequendam primam gratiam, nihil aliud exigit, quàm peccatorum deteſtationem, ergò ſatis eſt ad contritionem ipſam propoſitum virtuale non peccandi infuturum, comprehenſum ſub formali deteſtatione peccatorum. Confirmatur ex pſal. 31. vbi Propheta ſic ait, *Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei*. Quæ verba ſignificant recognitionem culpæ, & ſic formalem deteſtationem. Patet etiam ex illo 2. *Reg. cap.* 12. vbi legimus ſolùm dixiſſe Dauid, *Peccaui Domino*. Et Natan ſtatim ſubdit, *Et Dominus quoq; tranſtulit peccatum tuum*. Et tamen verba illa Dauid ſolum ſignificant recognitionem, & odiũ culpæ contra Deum commiſſæ, & per conſequens deteſtationem: ergò ille tantùm actus deteſtationis formalis ſufficit ad iuſtificationem, cum propoſito virtuali non peccandi de cætero, comprehenſo ſub ipſo actu deteſtationis peccati.

23 Hanc opinionem videtur tenere *D. Thom. in* 4. *ſent. d.* 14. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 2. & apertè docet *Sot. ibidem, q.* 2. *art.* 5. *ad* 4. dum ait, non requiri ad contritionem alium actum charitatis præter odium peccati, per odium, deteſtationem intelligens; quod clarius docuit *lib.* 1. *de nat. & grat. cap.* 6. *&* 17. Hoc idem tenet *Vega lib.* 13. *in Conc. Trid. cap.* 21. & omnes alij Doctores docentes, ad veram contritionem non requiri neceſſariò formalem dilectionem Dei ſuper omnia; ſed ſufficere virtualem. Etenim odium mali eſt virtualis amor boni: & formalis deteſtatio peccati licèt dicat receſſum à peccato, dicit tamen virtualem quoque acceſſum ad Deum ſummè dilectum. Et quamuis in naturalibus maius dignum non poſſit eminenter, ac virtualiter contineri in actu minus perfecto; id tamen in moralibus non eſt ſemper verum; quoniam dignius eſt Sacramentum pœnitentiæ contritione, & tamen contritio virtualiter illud continet: nimirum igitur ſi dilectio Dei ſuper omnia virtualiter contineri poſſit in formali actu deteſtationis peccati. Et re vera hæc opinio videtur valdè conformis ſuauitati Diuinæ prouidentiæ, & humanæ conditioni; quia non poteſt homo citra magnam difficultatem ad plura ſimul aduertere, & circa illa operari, præſertim in re tàm graui, & ardua.

De neceſſitate contritionis, tàm perfectæ, quàm imperfectæ, & ſic attritionis.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Summa contritionis diuiſio hæc eſt, nam alia dicitur imperfecta, alia verò perfecta.*

2 *Peccatum licet multipliciter diuidatur, ex æquo tamen diuiditur in originale, & actuale: Et quidnam ſit originale.*

3 *Peccatum actuale quid ſit.*

4 *In homine haud habente conſcientiam peccati mortalis, neceſſaria non eſt contritio ſecundum ſe conſiderata, ad obtinendam remiſſionem peccati originalis, & gloriam ſempiternam.*

5 *Diſplicentia de peccato originali, an ſit habenda per totam iſtam vitam.*

6 *Adultus cum iuſtificatur per proprium actum, ſemper habet virtualiter diſplicentiam peccati originalis.*

7 *Beatam Virginem, ex quo nunquam actualiter peccauit non leuiter quidem, conteri nunquam oportuit.*

8 *Adultus non baptizatus, qui citra culpam, ſed tantum cum venialibus baptiſmum ſuſcepit, contritione non indiget ad gratiā conſequendā*

9 *Qui Deum tanquam ſummum bonum ſuper omnia diligit, paratus per conſequens eſt ad deteſtandum, & abolendum peccatum, tali bono dilecto contrarium.*

10 *Si daretur Adultus non baptizatus, qui nec mortaliter, nec venialiter peccauerit, ad contritionem, vel attritionem non teneretur pro obtinenda gratia iuſtificante, ac remiſſione peccati originalis.*

11 *Contritio ſecundum ſe conſiderata, abſque ſuſceptione actuali Sacramenti, eſt neceſſaria neceſſitate medij homini, habenti conſcientiam peccati mortalis ad iuſtificationem aſſequendā*

12 *Non ſolùm neceſſitate medij, ſed etiam præcepti hæc contritio huiuſmodi homini neceſſaria eſt.*

13 *Contritio per ſe ſumpta, vera, & perfecta hominibus lapſis in lethalem culpam omni lege, tàm veteri, quàm noua neceſſaria fuit ad ſalutem.*

14 *In homine, non habente conſcientiam peccati mortalis, non exigitur formalis contritio, ſed ſufficit virtualis.*

15 *Contritio perfecta in lege noua eſt neceſſaria ad iuſtificationem neceſſitate medij, ſed non ſimpliciter, vt in lege veteri.*

16 *Præceptum veræ, ac perfectæ contritionis extra Sacramentum pœnitentiæ non obligat ſtatim poſt commiſſam lethalem culpam, ita vt ob eius tranſgreſſionem nouum impœnitentiæ peccatum contrahatur.*

17 *Illud Eccleſ. cap.* 5. Non tardes conuerti ad Dominum, &c. *Non eſt præceptum, ſed conſilium. Et ponderantur verba Diui Auguſt. ſerm.67. de tempore.*

18 *Præceptum contritionis veræ, ac perfectæ ſecundum ſe, ac extra Sacramentum, obligat in articulo, vel periculo mortis.*

19 *Præceptum prædictum perfectæ contritionis obligat etiam per accidens in multis alijs caſibus extra periculum, vel articulum mortis ijque connumerantur.*

20 *Si quis in mortis articulo, vel periculo, vel in alijs caſibus ſupradictis voluntariè, ac directè nolit conteri, nouum impœnitentiæ peccatum committit.*

21 *Impœnitentia, directè volita, eſt peccatum ſpeciale diſtinctum, non verò impœnitentia volita indirectè.*

22 *In eo qui rapitur ad Martirium, & conſcientiam habeat peccati, ſi de illo cogitet, ſatis eſt attritio, exiſtimata contritio.*

23 *Conſtitutus in articulo, ſeu periculo mortis, ſi copiam habens Confeſſarij, accedat ad confeſſionem cum ſola attritione, etiam cognita, & abſolutionem conſequatur, ſatis eſt ad iuſtificationem, & primam gratiam obtinendam.*

24 *Ad obtinendam primam gratiam in Sacramento pœnitentiæ ſatis an ſit attritio, æſtimata vera, & ſupernaturalis, quamuis talis non ſit.*

25 *Attritio donum Dei dicitur, & Spiritus Sancti impulſio.*

26 *Sola voluntas habendi attritionem, non eſt attritio: Nec qui deſiderat habere veram contritionem, eamq; procurat habere, ſed adhuc dubius eſt, dicitur rectè diſpoſitus ad obtinendam abſolutionem.*

27 *In iudicio humano ſatis eſt, vt Reus maneat abſolutus, facta morali diligentia, in iudicio vero Diuino requiritur vera, & ſupernaturalis diſpoſitio.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd ſumma contritionis diuiſio hæc eſt, quòd contritio quædam dicitur imperfecta, & quædam perfecta. Prior eſt actus imperfectus per ſe inſufficiens ad remiſſionem peccati in ratione diſpoſitionis ad gratiam abſque reali ſuſceptione Sacramenti; quæ alio vocabulo dicitur attritio, & eam definiuimus ſupra *ſec.* 5. Poſterior verò, atque adeò perfecta contritio dupliciter conſideratur: primò ſecundum ſe, prout erat ante legem Euangelicam: ſecundò in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ poſt legem Euangelicam inſtitutam, prout pars illius. Prima dicitur virtus pœnitentiæ: ſecunda dicitur pars materialis Sacramenti pœnitentiæ: quæ aliquando repetitur cum reali ſuſceptione Sacramenti: & aliquando cum voto tantùm ſuſcipiendi Sacramentum abſque reali ſuſceptione illius. Has autem definiuimus ſupra *ſec.* 3. *&* 4. & diximus in hoc differre contritionem, vt eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, à contritione, vt eſt pœnitentiæ virtus, quòd illa debet ſaltem includere propoſitum confitendi, ac ſatisfaciendi; non autem iſta.

2 Secundò eſt adnot. quòd licèt peccatum multipliciter diuidatur, vt videre eſt apud *Nauar. in Man. prælud.* 8. *Sayr. lib.* 2. *Clau. Reg. cap.* 5. *n.* 5. *Azor. tom.* 1. *Inſt. moral. lib.* 4. *cap.* 2. *Molf. in ſua ſum. Theol. tract.* 1. *cap.* 8. *& tract.* 3. *cap.* 6. & apud alios; nihilominus quoad rem noſtram attinet, peccatum ex æquo diuiditur in originale, & actuale: & actuale in mortale, ac veniale. Peccatum originale eſt peccatum primi parentis transfuſum in nos ex vi generationis: quod quidem alio vocabulo appellatur peccatum naturæ, & imputatiuè dicitur vniuſcuiuſq; noſtrum, iuxta illud *Apoſt. ad Rom. cap.* 5. vbi habetur nos omnes in Adam peccaſſe; atque adeò ammiſiſſe iuſtitiam originalem quoad hoc ſæculum, beatitudinem æternam quoad aliud. Peccatum

verò

3 verò actuale dicitur peccatum perſonæ, quod quis ex propria perſona contrahit, furando, occidendo, fornicando, &c. Vndè peccatum comeſtionis ligni vetiti commiſſi à noſtris primis parentibus licèt vocetur originale reſpectu noſtri; eorum tamen reſpectu dicitur actuale; quoniam ab ipſis actu fuit commiſſum. Mortale, & actuale peccatum ex *D. Auguſt. contra Fauſtum, & Manich. cap. 27. & D. Thom. 1. 2. q. 71. art. vlt.* Eſt dictum, factum, & concupitum contra legem Dei æternam, ſeù ex *Toleto in ſua ſum.* quem ſequuntur *Say. loc. citato, cap. 13. nu. 3.* & alij, eſt receſſus voluntarius à regula Diuina, priuans peccantem Dei gratia, & eum adiudicans morti æternæ. Veniale denique eſt actus humanus inordinatus faciens peccantem reum pœnæ tantùm temporalis. Vndè peccatum mortale eſt contra legem; veniale verò præter legem. Primum priuat vltimo fine: ſecundum non priuat, ſed deuiat aliquantulum ab illo. Illud eſt contra finem; hoc eſt contra media, vt rectè poſt alios declarat *P. Alph. de Leone, de offic. & poteſt. Confeſſ. recoll. 7. ſub nu. 8. verſ. Differentia.* His breuiter ſic adnotatis, ſit

PRIMA CONCLVSIO.

4 Contritio perfecta, & ſecundum ſe conſiderata in homine non habente conſcientiam peccati mortalis, & ſic actualis contritio non eſt neceſſaria ad obtinendam remiſſionem peccati originalis, & gloriam æternam. Hæc concluſio patet: ſiquidem contritio ſuit præordinata ad delendum peccatum actuale dumtaxat atq; ideò ad Deo ſatisfaciendum ex lege iuſtitiæ propter actualem offenſionem, & iniuriam eidē à nobis illatam: non ergò contritio neceſſaria eſt homini non habenti conſcientiam peccati mortalis. Confirmatur, quia contritio ſecundum ſe conſiderata nihil aliud eſt, niſi virtus pœnitentiæ, vt ſupra diximus in 1. *not.* at obiectum, ac materia circa quam, virtutis pœnitentiæ ſunt peccata actualia, non autem peccatum originale: nam contritio verſatur circa peccata actualia, non facienda, vt ſunt obiecta virtutum; ſed expulſa, ac reprobata. Sic ſtuppa eſt materia circa quam ignis, quoniam ignis verſatur circa ſtuppam ad comburendam, & deſtruendam illam. Ita *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 2.* & alij, quos refert *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 58. ſec. 1.* Denique ad remiſſionem peccati originalis non eſt neceſſaria pœnitentia virtus: ergò non eſt neceſſaria contritio, de qua agitur in homine non habente conſcientiam peccati mortalis. Clara conſequentia, quia pœnitentia virtus eſt formaliter contritio. Antecedens probatur, quoniam de peccato originali non eſt pœnitendum, cùm peccatum originale non ſit materia pœnitentiæ, vt virtus eſt, quatenus eſt diſplicentia quædam de peccato præterito, & conſequenter non eſt eiuſdem obiectum. Etenim ſi eſſet pœnitendum, & habenda diſplicentia de peccato originali, id vtique eſſet ex vi alicuius præcepti: vel ad finem conſequendi veniam illius. Non primum, quia præceptum ſe extendit ad peccata actualia mortalia dumtaxat, vt infra latius dicemus. Nec poteſt dici ſecundum, nam per Baptiſmum, vel per actum charitatis ſufficienter deletur peccatum originale; ergò, &c. Hinc probabiliſſimum putat *Innoc. in cap. maiores, de Baptiſ.* pro peccato originali non deberi pœnam ſenſus. Ita *Medina de pœnit. q. 3.* & alij contra nonnullos.

5 Nec obſtat id quod habetur ex *D. Thoma in 4. d. 16. q. 1. art. 2. & ex D. Auguſt. de pœn. med. cap. 2.* dicentibus, diſplicentiam de peccato originali eſſe omninò habendam per totam iſtam vitam, quia eſt impedimentū aſſequendæ gloriæ. Quoniam reſpondetur, præfatos Doctores loqui de diſplicentia peccati originalis iam remiſſi, quatenus cauſa fuit corruptionis huius vitæ, ac peccati fomitis, qui dicitur effectus peccati originalis: nec ſemper nobis eſt dolendum de eo, quod eſt impedimentum æternæ gloriæ; nam ſequeretur etiam nos dolendos eſſe de hac vita, quæ adhuc nobis impedimentum eſt ad gloriam aſſequendam. Neque deniq; refragatur id quod legitur pſal. 50. de Dauide, qui videtur de peccato originali dolere dum ait, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Etenim Propheta verba illa non protulit pœnitendo, ſed ſuam miſeriam Deo re-
6 præſentando. Eſt tamen verum, quòd Adultus cum iuſtificatur per proprium actum ſemper habet virtualiter diſplicētiam peccati originalis: ſiquidem non poteſt iuſtificari per proprium actum, niſi per veram dilectionem Dei ſuper omnia: ex qua neceſſariò ſequitur diſplicentia inimicitiæ Dei, quale eſt peccatum originale. Et quamuis nos negemus pœnitentiam, ac contritionem peccati originalis; non tamen ob id concedimus licitam eſſe illius complacentiam: nam ſi adultus complacentiam haberet peccati originalis, procul dubio lethalem culpam contraheret; quoniā eo caſu complaceret ſe de obiecto malo, atque adeò complacentiam haberet eſſe Dei inimicum.

7 Ex dictis in hac concluſione infertur primò, Beatam Virginem ex quo nunquam actualiter peccauit, nec leuiter quidem, nunquam oportuit conteri: & cùm præſeruata fuerit, & concepta libera à peccato originali ſecundum ſententiam magis piam, ac magis receptam, plenitudinem gloriæ, quam ſupra omnes creaturas potitur, citra vllum impedimentum fuit aſſecuta: ſicut etiam aſſecuta fuiſſet, dato, & non conceſſo, quòd in vtero Matris ſanctificata foret: quoniam Baptiſmum ſuſcipere opus non fuiſſet pro remiſſione peccati originalis, per eius ſanctificationem ſibi remiſſi. Sic etiam Beatus Ioannes, qui fuit ſanctificatus in vtero Matris ſuæ, atque ideò ablutus à peccato originali, dato, quòd leuem aliquam culpam viuens contraxerit; non indiguit contritione ad gloriam, quam poſſidet conſequendam: ſiquidem peccata venialia non priuant gratia, ac amicitia Dei, & multis modis remitti poſſunt citra contritionem veram, ac perfectam, vt habetur ex *D. Auguſt. in Enchirid. cap. 71. & lib. 50. homiliar. homil. vlt. cap. 3.* nempè per eleemoſynam, ieiunium, & quoduis opus bonum, ſi ea intentione fiant, vt per id peccatorum remiſſionem mereamur: dummodo fiant propter amorem Dei, ſeù ex charitate Dei, vt rectè declarat *Laym. lib. 5. ſua ſum. Theol. tract. 6. cap. 4. ſub nu. 15. verſ. Corollarium.*

8 Secundò infertur, quòd Adultus non baptizatus, qui citra culpam mortalem, ſed cum venialibus tantùm Baptiſmum ſuſcepit, non indiget contritione ad gratiam conſequendam: ſiquidem obiectum

Digitized by Google

obiectum contritionis perfectæ proprium,& peculiare ſunt peccata actualia mortalia, quibus gratia amittitur, & per ipſam contritionem recupetatur: peccata verò venialia per ſolam attritionem vno cum peccato originali in Baptiſmo remittuntur; ſicut etiam & mortalia, ſi mortalia haberet; quoniam Sacramentum Baptiſmi, ſicut & Sacramentum pœnitentiæ conferunt gratiam iuſtificantem, & ſic primam gratiam ei qui ſuorum peccatorum ſolam attritionem habet: ſiquidem attritus per attritionem cum Sacramento Baptiſmi, vel pœnitentiæ perindè iuſtificatur,ac per veram contritionem extra Sacramentum, & hoc modo ex attrito quis dicitur fieri contritus; non autem quòd actus attritionis tranſeat in actum contritionis, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 17. q. 2. art. 1. quæſtiun. 3. Ricchard. ibidem, art. 3. q. 8. ad 5. Laym. loco citato, cap. 2. ſub nu. 2.* & ex alijs. Imò idem *Laym. ex Conynch. q. 62. art. 1. dub. 2. nu. 35.* putat ſolā ſpem conſequendi à Deo æternam gloriam eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad gratiam Baptiſmalem recipiendam. Etenim ſicut virtualis contritio contenta ſub formali dilectione Dei ſuper omnia ſatis eſt extra Sacramentum ad primam gratiam aſſequendam ab eo, qui immemor eſt, ſeù conſcientiam non habet ſuorum peccatorum, vt habetur per *Scot. in 4. d. 14. q. 1. art. 3. §. Ex his, Gabr. ibidem, concl. 12. Medina, C. de confeſ. q. 2. Suar. in 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 5. ſec. 1. nu. 9. Nauar. in Man. cap. 1. nu. 5.* & alios, & nos latè oſtendimus ſupra *ſec. 8. concl. 2.* ita quoque ſatis videtur ad obtinendam gratiam baptiſmalem attritio virtualis contenta ſub formali actu ſpei, qui

9 efficax eſt, & ſupernaturalis. Vndè quemadmodum qui Deum tanquam ſummum bonum ſuper omnia diligit, per conſequens paratus eſt ad deteſtandum, & abolendum peccatum tali bono dilecto contrarium; ita etiam, qui æternam felicitatem deſiderat, & à Deo ſupernaturalium bonorum auctore aſſequendam ſperat, conſequenter paratus efficitur ad deteſtandum, & abolendum peccatum, quòd à conſecutione æternæ felicitatis impedire per fidem cognouit. Ita *Laym. loco citato*, qui aliter dicendum fore arbitratur de Sacramento pœnitentiæ, ad quod, inquit, neceſſariò exigi actum formalem, & explicitum pœnitentiæ ſaltem imperfectæ, atque adeò attritionis, cùm iſta ſit pars eſſentialis materiæ præfati Sacramenti.

10 Tertiò infertur, quòd ſi daretur Adultus non baptizatus, qui nec mortalis, nec venialis culpæ conſcientiam habeat, atque ideò nec venialiter quidem peccauerit: eo quòd ab infantia fuerit amens, v. g. & rationis compos factus ſtatim baptizari petijt, & Baptiſmum ſuſcepit; is procul dubio ad obtinendam gratiam iuſtificantem, ac remiſſiuam peccati originalis, ad contritionem aliquam eliciendam, tàm perfectam, quàm imperfectam, & ſic ad attritionem obligatus non fuiſſet. Etenim obiectum contritionis tùm perfectæ, tùm etiam imperfectæ ſunt peccata actualia, non autem peccatum originale, cum de eo non detur pœnitentia, atque adeò nec contritio, nec attritio, vt ſupra aduotauimus.

SECVNDA CONCLVSIO.

11 Contritio perfecta ſecundum ſe conſiderata abſque actuali ſuſceptione Sacramenti, eſt neceſſaria homini habenti conſcientiam peccati mortalis, neceſſitate medij ad iuſtificationem,& ſalutem æternam aſſequendam. Hæc concluſio eſt communis: & patet ex illo *Lucæ cap. 13. Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Per pœnitentiam eo loco omnes intelligunt veram, ac perfectam contritionem: quoniam contritio nihil aliud eſt, quàm virtus pœnitentiæ, vt ſupra adnotauimus, *not. 1. & concl. 1.* Confirmatur etiam ratione; nam illud dicitur neceſſarium neceſſitate medij, quo prætermiſſo etiam inculpabiliter, & inuiolabiliter, ſalus non obtinebitur: ſed poſt peccatum mortale contractum extra Sacramentum ſalus, ac iuſtificatio obtineri non poteſt prætermiſſa vera, ac perfecta contritione etiam inculpabiliter, vt infra patebit: ergò contritio ipſa neceſſaria eſt neceſſitate medij.

12 Ampliatur hæc concluſio, vt contritio, de qua agitur, non ſolùm neceſſaria ſit neceſſitate medij, ſed etiam neceſſitate præcepti, vt habetur ex *Valen. diſp. 7. q. 8. par. 3. Bellarm. de pœnit. lib. 2. cap. 8. Conynch. diſp. 3. dub. 2. Suar. in 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 15. ſec. 1. Nung. de part. pœnit. art. 3. dub. 2. Pitign. 2. par. diſt. 14. q. 1. art. 3. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 6. cap. 2. nu. 4. Bonac. de pœnit. diſp. 5. ſec. 1. pun. 2. nu. 4.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 2. cap. 6. ſub nu. 1.* qui hanc ſententiam vti veram ſupponit cum Theologis, & præſertim *D. Thoma in 3. par. q. 84. art. 7.* Etenim patet nō ſolùm ex quamplurimis ſcripturæ locis, vt ex illo *Ezech. cap. 18. Conuertimini, & agite pœnitentiam, &c. Ex d. cap. 13. Lucæ ſupra relato*, & ex alijs; ſed etiam ratione: ſiquidem ex lege iuſtitiæ tenetur vnuſquiſque ſatisfacere pro iniuria alteri illata: cùm igitur per lethalem culpam inferatur Deo iniuria; meritò per contritionem erit Deo à nobis ſatisfaciendum. Etenim contritio à verbo contero deriuatur: nam conterere ſignificat rem aliquam duram in minutiſſimas partes diuidere, & comminuere: peccatum autem ſolet cor peccatoris obdurare, & propterea perfecta diuiſio cordis, deſtructio malæ voluntatis in corde exiſtentis, & auerſio à peccato contritio nuncupatur. Vnde contritio dicitur quaſi ſimul tritio; quoniam totum cor quaſi teritur, & ſcinditur præ nimia anguſtia, dolore, ira, & indignatione, quam concipit contra peccata. Hinc *Ioel. 2.* legitur, *Scindite corda veſtra, &c. Gloſ. in pſal. 40. verſ. Sacrificium Deo ſpiritus, &c. Punge igitur, & percute cor tuum, ſi neceſſè fuerit, ſpinis, clauis, & lancea, & alijs, quibus Chriſtus fuit per te punctus. In pſal. quoque 46.* inquit *Regius Vates, Qui ſanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Et D. Auguſt. in pſal. 74. Qui ſe conterit, iraſcitur ſibi, ſe habet iratum, vt Deum habeat propitium.* Denique *D. Bernar. in Cant. ſerm. 12.* ſic ait, *Optimum vnguentum contritio, quod ex recordatione peccatorum conficitur.* Secundò probatur hæc ipſa ampliatio ex lege, ac præcepto charitatis Diuinæ, quæ ſicut obligat ad diligendum Deum ſuper omnia; ita etiam obligat hominem, vt quod in ſe eſt faciat ad recuperandam amicitiam Diuinam, ſi illam perdidit, ac ad habendum Deum pro vltimo fine. Tertiò, cæteris prætermiſſis, probatur ex præcepto, ac lege charitatis propriæ, qua homo tenetur ad habendam curam

animæ

Digitized by Google

animæ ſuæ; atque ideò ad adhibenda omnia media, ne in æternum pereat, ita *Suar. d. diſp. 55. ſec. 3. ex D. Thoma, Duran. Vega*, & ex alijs.

13 Secundò ampliatur, vt contritio per ſe ſumpta, vt ſupra, vera, ac perfecta, hominibus lapſis in lethalem culpam fuerit in omni lege tàm veteri, quàm noua neceſſaria ad ſalutem, atque ideò ad iuſtificationem aſſequendam. Hæc concluſio eſt communis, quàm docent *Tertul. lib. de pœnit. cap. 4. D. Auguſt. epiſt. 48. ad Vincentium, D. Thom. in 3. par. q. 86. art. 2. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 15. ſec. 1. Fagund. de precep. Eccl. pracep. 2. lib. 2. cap. 5. Laym. lib. 5. ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 2. nu. 1. & ſeq. Bonac. de pœnit. diſp. 5. ſec. 1. pun. 2.* & alij communiter, & vltra ſcripturæ loca patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* vbi habetur, quòd fuit quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum contritionis motus neceſſarius. Eſt tamen verum, quòd contritio de qua agitur, in lege noua differt à contritione legis veteris in hoc, quòd contritio in lege veteri non includebat votum confitendi; at in lege noua cõtritio huiuſmodi votum debet includere ſaltem virtualiter, ac implicitè, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 17. ſec. 3. n. 3. Filliuc. tract. 3. de pœnit. nu. 46. Valen. tom. 4. diſp. 7. q. 1. nu. 2. in 3. aſſert. Molfeſ. tract. 7. de pœnit. cap. 5. nu. 6. Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 2. par. 3. nu. 8.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 3. nu. 16. cum plurib. ſeq.* vbi rem hanc optimè declarat, & probat, quando votum prædictum debeat eſſe explicitum, ac virtuale, & quomodo per hoc Sacramentum in voto remittantur peccata.

14 Sic ampliata limitatur ipſa cõcluſio, vt quamuis in homine habente conſcientiam peccati mortalis, & de eo cogitante, neceſſaria ſit contritio formalis, & expreſſa, vt latè oſtendimus ſupra, *ſec. 8. concl. 1.* nihilominus in homine non habente conſcientiam peccati mortalis, vt quia de peccato nõ cogitat inculpabiliter; ex eo quòd ad aliud obiectum fuerit raptus: vel quia inculpabiliter de peccato ipſo fuerit oblitus, eiuſdem non exigitur formalis contritio; ſed ſufficit virtualis comprehenſa ſub formali actu dilectionis Dei ſuper omnia. Ita *Valen. tom. 4. diſp. 7. q. 3. pun. 2. verſ. Cæterum, Medinn q. 2. de pœnit. Nauar. in Man. cap. 1.* & alij apud *Bonac. de pœnit. diſp. 5. q. 5. ſec. 1. pun. 2. ſub nu. 1. verſ. Quod homo*, & nos latius *d. ſec. 8. concl. 2.* probauimus. Eſt tamen verùm, quòd *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 4. ſec. 6. aſſer. 3. nu. 56. & diſp. 15. ſec. 1. n. 5. Reginal. lib. 5. ſua ſum. nu. 55. Henriq. lib. 4. de pœnit. cap. 6. nu. 5. & cap. 28. nu. 4. Conynch. diſp. 3. dub. 4. ad fin. Bonac. loco citato verſ. Obſcura*, & alij volunt, eum, qui fuit iuſtificatus, per contritionem virtualem, atque adeò per actum dilectionis Dei ſuper omnia, teneri dolere, & contritionem habere formalem de peccatis mortalibus, quando venerint in memoriam: ſicut, qui per obliuionem in confeſſione prætermiſit aliqua peccata mortalia, tenetur ea ſuo tempore confiteri: quæ quidem ſententia licèt communis ſit, vt teſtatur *Bonac. ibidem*, nihilominus probabilis nobis videtur opinio, *Vaſq. in 3. par. tom. 4. de pœnit. q. 86. art. 2. dub. 2. nu. 11. Cord. lib. 1. q. 2. dub. 2.* & aliorum exiſtimantium, iuſtificatum per contritionem virtualem, non teneri poſtea actum doloris elicere, de peccatis, etiam ſi in mentem venerint; niſi fortè velint Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipere, aut niſi alio titulo teneatur contritionem habere. Etenim nullum adeſt præceptum poſitiuum Diuinum, aut naturale, quibus ad id obligemur.

15 Secundò limitatur dicta cũcluſio, vt contritio perfecta in lege noua eſt neceſſaria neceſſitate medij ad iuſtificationem, non ſimpliciter, ſicut neceſſaria erat in lege veteri, eo quòd nullus Adultus à lethali culpa liberari, ac iuſtificari poterat ante legem gratiæ, niſi per veram contritionem includentem charitatem Dei ſuper omnia: ſed tantùm neceſſaria eſt ex ſuppoſitione, cùm aliquis iuſtificari vult extra vſum Sacramenti; ſiquidem ad iuſtificationem extra Sacramentum requiritur contritio formalis, aut virtualis, vt ſupra oſtendimus, & ad iuſtificationem intra Sacramentum ſatis eſt contritio imperfecta, & ſic attritio, vt rectè declarat *Laym. lib. 5. ſua ſum. Theol. tract. 6. cap. 2. de ſacram. pœnit. nu. 1. & 2. Pitign. tom. 2. diſt. 14. q. 2. art. 6. Bonac. diſp. 5. q. 5. pun. 1. nu. 1.* & alij, & nos infra latius, Deo duce, dicemus.

TERTIA CONCLVSIO.

16 PRæceptum veræ, ac perfectæ contritionis extra Sacramentum pœnitentiæ conſideratæ, per ſe, & ex vi ipſius præcepti, non obligat ſtatim poſt commiſſam lethalem culpã, itaut ob illius transgreſſionem nouum peccatum impœnitentiæ contrahatur. Hæc concluſio eſt *Valent. Angl. Peſant.* & aliorum apud *Vaſq. in 3 par. tom. 4. q. 86. art. 2. dub. 5. nu. 9. Zerola de pœnit. cap. 7. q. 3. & 24. Reginal. lib. 5. ſuæ ſum. nu. 16. Laym. lib. 5. ſua ſum. Theol. tract. 6. cap. 2. num. 5.* cum alijs quam plurimis, quos allegat *Fagund. de pracep. Eccleſ. pracep. 2. lib. 2. cap. 4. ſub nu. 2. Bonac. poſt Conynch.* & alios, *diſp. 5. de ſacram. q. 5. ſec. 1. pun. 2. ſub nu. 5.* contra nonnullos Doctores contrarium ſentientes, quorum ſententiam communiter reijci, teſtatur *Fagund. loco citato*. Probatur hæc concluſio primò, quoniam præceptum contritionis eſt affirmatiuum: ergò nõ obligat ſtatim poſt commiſſam culpam: quia præcepta affirmatiua per ſe non obligant ſtatim, ac ſemper. Secundò, ſi ſtatim quis teneretur de peccato mortali conteri, vt ſupra, ſequeretur obligari homines, data copia Confeſſarij, ſtatim poſt lethalem culpam confiteri: ſiquidem actus veræ contritionis includit in ſe in lege gratiæ propoſitum confeſſionis, habita copia Confeſſarij: quod tamen eſt falſum, vt oſtendimus ſupra *diſp. 1. ſec. 1. concl. 5.* Etenim Eccleſia ſolùm obligat ad confeſſionem ſacramentalem, ſemel in anno faciendã tempore Quadrageſimæ,

17 Ne obſtat illud *Eccleſiaſt. cap. 5. Non tardes conuerti ad Dominum, ne tardes de die in diem, ſubito enim veniet ira eius*. Quoniam illud non eſt præceptum, ſed conſilium, ne tardè, & non ſubitò pœnitentiam de ſuis peccatis agere volens periculo ſe exponat moriendi impœnitens. Vndè *D. Auguſt. ſerm. 67. de tempore*, ſic ait, *Datur quidem in extremis pœnitentia; quia negari non poteſt: ſed auctores tamen eſſe non poſſumus, quod qui ſic petierit mereatur abſolui. Quomodo enim agit pœnitentiam lapſus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus conſtitutus? Quomodo pœnitentiam agere poſſit, qui nulla tam*

pro ſe

pro ſe opera ſanctificationis operari poteſt. Et homil. 41. ex 50. Vis ergò à dubio liberari? Vis quod incertum eſt euadere? Age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi quòd ſecurus es; quia pœnitentiam egiſti eo tempore, quo, & peccare potuiſti. Si autem vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes peccata te dimiſerunt, non tu illa. Intelligendum eſt igitur illud Eccleſiaſt. de pœnitentia ſera iuxta ſupradicta verba, *D. Auguſt.* quam conſulit non eſſe differendam, vt per *Vaſq. Bonac. locis citatis*, qui reliqua contraria ſoluunt, & id ampliant adeò verum eſſe, vt nec peccator contritionem habere teneatur de peccatis quoties memoriæ occurrũt: ſiquidem nulla concludenti ratione id probari poteſt: eo maximè, quia præceptum contritionis, & ideò non obligat ſtatim, & ſemper, vt ſupra diximus: & re vera tale præceptum eſſet valdè durum, vt habetur ex *Reginald. Pitign.* & alijs apud eundẽ *Bonac.* ibi, quibus adde, quæ habentur ex *Laym. d. c. 2. ſub nu. 5. & 6.* dum probat ex *D. Thoma*, & alijs, quòd differre pœnitentiam longo tempore, aut vſque ad finem vitæ, vel tamdiù differendi propoſitum concipere, videtur eſſe nonum peccatum mortale: quod an, & quomodo verum ſit, ex infra dicendis patebit.

QVARTA CONCLVSIO.

18 PRæceptum contritionis veræ, ac perfectæ ſecundum ſe, ac extra Sacramenum conſideratæ, per ſe, & vi ipſius præcepti obligat in articulo, vel in periculo mortis. Hæc concluſio eſt *D. Thom. in 4. d. 17. q. 1. art. 4. Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 15. ſec. 6. nu. 2. Valent. q. 8. pun. 4. Nauar. cap. 1. nu. 27. Tol. lib. 3. ſua ſum. cap. 5. nu. 3.* & ibi ad eum addentes, qui pro eadem concluſione allegant *D. Bonau. Sot. Petr. Sot. & alios: Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 6. nu. 5. Laym. loco ſupra relato, nu. 4. & 6. verſ. Tertium certum eſt*, cum alijs, quos allegat. Probatur ipſa concluſio; quoniam præceptum cõtritionis eſt affirmatiuum: at præcepta affirmatiua licèt non obligent ſemper ad ſemper; obligant tamen per ſe in extrema neceſſitate: nulla autem maior neceſſitas conſiderari poteſt, quàm in articulo, ſeù periculo mortis, in quo homo poteſt mereri, vel demereri vitam æternam. Vndè ſi quis reperiatur in acutiſſima infirmitate, in periculo naufragij, belli, &c. Et conſcientiam habeat peccati mortalis, & copia Confeſſarij careat tenetur conteri ex intrinſeca natura, & obligatione huius præcepti, vt habetur per Doctores ſupra relatos.

19 Ampliatur dicta concluſio primò, vt præceptum contritionis veræ, ac perfectæ extra Sacramentum pœnitentiæ, vt ſupra, licèt per ſe, & ex intrinſeca ſui natura obliget in articulo, aut in periculo mortis; nihilominus per accidens in multis alijs caſibus ſimiliter obligat extra mortis articulum, ac periculum habentem conſcientiam peccati mortalis. Primus caſus eſt, ſi Sacramentum aliquod ex ijs, quæ viuorum propria ſunt, qualia ſunt Sacramenta ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ordinis, confirmationis, &c. Neceſſariò quis ſuſcipere, vel quodcunq; Sacramentum ex officio adminiſtrare velit, nec adſit copia Confeſſarij, cui confiteri poſſit, tunc tenetur conteri, antequam Sacramentũ ſuſcipiat, vel adminiſtret: vel ſaltem debet præmittere attritionem, exiſtimatam tamen contritionem, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 7. concl. 2. verſ. Sed quicquid ſit: & verſ. Adde*, & latè *Vaſq. in 3. par. tom. 4. diſp. 86. art. 2. dub. 9. nu. 7. Valen. tom. 4. diſp. 7. q. 8. pun. 4. aſſer. 5. Zerola de pœnit. cap. 7. quæſito 24. Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 5. ſec. 1. pun. 2. verſ. Primò quando quis, & Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. cap. 2. ſub nu. 4.* Secundus caſus eſt quando quis eſt in probabili periculo incidendi in aliquam lethalem culpam ſi contritionis actũ non eliciat de peccatis præteritis, iuxta illud *D. Gregor. Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, &c.* Vt habetur ex *Valent. & Laym. locis citatis, Reginaldo lib. 5. ſua ſum. num. 20. Bonac. d. pun. 2. verſ. Secundò*, cum alijs, quos allegat. Tertius caſus, cùm ob alicuius peccatum, puta Principis, vel alterius communitas aliqua reperitur expoſita periculo à Deo grauiter puniendi, ſicut euenit in peccato Achan, Ioſue 7. Dauidis 2. *Reg. cap.* 24. tunc enim peccator, qui cauſa fuit imminentis mali, obligatur ad agendam pœnitentiam de ſuis peccatis, & ad habendam de eis veram contritionem, ſi copiam Confeſſarij non habeat, pro communi periculo auertendo, vt rectè declarat *Laym. d. cap. 2. ſub nu. 4.* Sunt nonnulli, qui addunt duos alios caſus; nempè, vt præceptum contritionis obliget die feſto, & quando facienda eſt publica oratio. Sed contraria opinio eſt probabilior, quam tenent *Vaſq. in 3. par. tom. 4. q. 86. art. 2. dub. 6. nu. 4. & 6. Reginald. lib. 5. ſua ſum. nu. 24. Valent. d. pun. 4. aſſer. 3. Pitign. 2. par. d. 14. verſ. Dico quartò: Peſant. in addit. ad 3. par. q. 10. diſp. 3. Suar. in 3. par. tom. 4. d. 15. ſec. 4. nu. 11. Bonac. loco ſupra relato*, & alij: qui mouentur ex eo, quòd nullibi extat tale præceptum.

20 Secundò ampliatur, vt præceptum contritionis adeò obliget in caſibus ſupra relatis in articulo, vel in periculo mortis, aut extra eiuſdem articulum, ſeù periculum, vt ſi quis tunc voluntariè, ac directè nolit conteri committat nouum impœnitentiæ peccatum ab alijs diſtinctum, vt apertè habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 14. art. 2.* dum ait, impœnitentiam prout numeratur inter ſpecies peccati in Spiritum Sanctum, non dicere ſolam permanentiam in peccato; ſed etiam propoſitum non pœnitendi. Hanc eandem ſententiam ſequitur *Suar. d. diſp. 15. ſec. 1.* qui teſtatur eſſe communem omnium Theol. Etenim præceptum contritionis, de qua agitur, ſeù pœnitentiæ, quatenus virtus eſt, eſt ſpeciale præceptũ, vt ſupra oſtendimus, *concl. 2. ampl. 1.* Ergò violatio dicti præcepti eſt ſpeciale peccatum: ſiquidem omne peccatum eſt contra præceptum, & ſingula peccata ſpecie diſtincta ſunt contra ſingula præcepta ſimiliter ſpecie diſtincta: nam ob id peccatum dicitur tranſgreſſio legis Diuinæ, vt ſupra oſtendimus in ſecundo not. Ergò tunc maximè eſt ſpeciale peccatum impœnitentiæ talis tranſgreſſio, cùm voluntaria erit directè per expreſſum actum, ac propoſitum voluntatis non conterendi tempore debito. Confirmatur, quia propoſitum illud eſt ſpecialis actus tendens in obiectum habens ſpecialem malitiam: ergò eſt ſpeciale peccatum. Quæ diximus de tranſgreſſione voluntaria directè dicti præcepti, extendimus ad eundem tranſgreſſionem voluntariam indirectè, ſeù interpretatiuè; quando ſcilicet ex

negli-

negligentia culpabili actus contritionis prætermittitur tempore debito, aut ex ignorantia vincibili, vel ex certa ſcientia citra voluntatem directam omittendi eum, cum voluntate tamen agendi, vel retinend aliquid incompoſſibile præcepto. Impœnitentia enim huiuſmodi indirectè volita adhuc eſt ſpeciale peccatum ab alijs diſtinctum: ſiquidem in omni alia omiſſione ſpecialis præcepti illud voluntarium ſatis eſt ad ſpecialem malitiam committendam, & in caſu de quo agitur militat eadem ratio: quoniam indirectum, & directum ſe habent ſicut tacitum, & expreſſum; at taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cum quid, ff. ſi cert. petat.* ita contra nonnullos *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 15. ſec. 2. nu. 7. & ſeq.*

21 Et quãuis *D. Thom. 2. 2. q. 14. art. 1.* ad tertiũ, videatur docere contrarium, dum exponens *D. Auguſt.* dicentem, peccatum in Spiritum Sanctũ eſſe finalem impœnitentiam, inquit huiuſmodi impœnitentiam finalem non eſſe ſpeciale peccatum: quòd ſi hoc verum eſt de impœnitentia in fine, à fortiori poſſet dici quòd locum ſibi vendicet in omni alia impœnitentia, quocunque tempore habeatur: Nihilominus ſi ipſe *D. Thom.* perpendatur non loquitur de impœnitentia directè volita; ſed de impœnitentia volita indirectè, quam dicit, non eſſe peccatum diſtinctum ab alijs, ſed eorum circumſtantiam: quando enim vnum peccatum habet plures circumſtantias addentes malitias ſpecie diuerſas, non appellantur à *D. Thoma* plura peccata; ſed vnum, quod ex obiecto eſt vnius ſpeciei: habet tamen plures circumſtantias; quia ſuppoſita circumſtantia temporis neceſſarij ad pœnitentiam, additur ſpecialis malitia. Nec dici poteſt, quòd peccatum impœnitentiæ ſi eſſet diſtinctum ab alijs, daretur proceſſus in infinitum in peccatis; nam ſi impœnitentia de primo peccato eſt ſecundum peccatum, impœnitentia de hoc ſecundo erit tertium: & de tertio erit quartum, & ſic daretur proceſſus in infinitum. Quoniam negatur ſequela: ſiquidem impœnitentia plurium peccatorum non eſt multiplex, ſed vna; atque adeò licèt aliquis ſit furti impœnitens, & impœnitens ipſius peccati impœnitentiæ; non tamen ob id multiplicatur: quoniam vna tantùm eſt omiſſio vnius actus præcepti, Ita *Suar. loco citato*, qui alia contraria ſoluit. Eſt tamen verum quòd idem *Suar.* ibi docet, quòd ſi contingat aliquem omittere pœnitentiam tempore mortis, aut quocunque alio debito tempore ex inuincibili ignorantia, naturali obliuione, inconſideratione, aut alia ſimili impotentia, cùm talis impœnitentia ſit inuoluntaria, atque adeò, nec directè, nec indirectè volita, non eſt peccatum ab alijs diſtinctum: nam peccatum in tantum dicitur peccatum, in quantum eſt voluntarium.

22 Sic ampliata limitatur hæc ipſa concluſio, vt quamuis præceptum contritionis veræ, ac perfectæ ſecundum ſe, & extra Sacramentum conſideratæ obliget in periculo, ac in articulo mortis; nihilominus in eo, qui rapitur ad martirium, & habet conſcientiam peccati, & de illo cogitat, ſatis eſt attritio, & ſic imperfecta contritio, æſtimata tamen comuniter vera, ac perfecta, vt latè de hac re ſupra egimus, *ſec. 7. concl. 2. verſ. Adde: verſ. Dixi: & verſ. Vnde.* Vbi oſtendimus, cur eo caſu neceſſariò exigatur attritio æſtimata contritio, & non ſufficiat attritio cognita.

23 Secundò limitatur eadem concluſio, vt licèt præceptum contritionis, de qua agitur, obliget in articulo mortis, vel in eiuſdem periculo; attamen in articulo, ſeù periculo mortis conſtitutus, ſi copiam Confeſſarij habens accedat ad ſacramentalem confeſſionem cum ſola attritione, etiam cognita, & abſolutionem conſequatur, hæc ſatis eſt ad iuſtificationem, ac primam gratiam obtinendam, vt contra *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 14. ſec. 4. nu. 17.* probat *Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 2. lib. 2. cap. 4. nu. 13. & 14. cap. 5. ſub nu. 14. & cap. 6. ſub nu. 5. Laym. lib. 5. ſua ſum. Theol. tract. cap. 2. ſub nu. 6. verſ. Verum: Henr. de pœnit. lib. 1. cap. 26. nu. 16.* cum alijs quampluriмis ad ipſum ibidem additis, *lit. R.* Etenim per Sacramentum confeſſionis cum attritione ex attrito fit homo contritus, vt ſæpè diximus, & tunc ſatis ſuppletur vis, & obligatio præcepti contritionis per aliquid æquiualens, nempè per attritionem, & ſuſceptionem Sacramenti. Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* vbi generaliter inquit attritionem cum Sacramento pœnitentiæ ſatis eſſe ad ſalutem: nec ex ſacra pagina, neque ex alio Concilio conſtat de præcepto naturali charitatis erga nos ipſos in articulo mortis; ſeù in eiuſdem periculo efficiendi amplius ad ſalutem, quàm adhibendi ea remedia, ac media, quæ Eccleſia edocta à Spiritu Sancto docet ad eandem ſalutem eſſe neceſſaria. Non igitur in articulo, ſeù periculo mortis cum Sacramento pœnitentiæ exigitur contritio vera, ac perfecta, aut attritio exiſtimata contritio, vt rectè ex communi Doctorum ſententia probat idem *Fagund. d. cap. 4. ſub nu. 14.* reijciendo ſententiam *Suar.* tanquam nouam, & laqueos inijcientem conſcientijs in re graui. Eſt tamen verum, quòd *Laym. d. cap. 2. nu. 7.* licèt fateatur, attritionem ipſam ſemper eſſe ſufficientem diſpoſitionem ad iuſtificationem in Sacramento pœnitentiæ; nihilominus talem pœnitentiam in articulo, ſeù periculo mortis conſtituto, & non conante in ſe excitare perfectum dolorem de peccatis, atque adeò veram, & perfectam contritionem, eſſe valdè ſuſpectam, ne fortè vera ſupernaturalis attritio non ſit. Quæ diximus de attritione cum Sacramento pœnitentiæ, quòd ſufficiat ad iuſtificationem, etiam ſi cognita ſit, extendimus ad attritionem in Sacramento Baptiſmi, vt habetur ex eodem *Fagund.* vbi ſupra *cap. 5. nu. 11. & 12. Laym. loco citato*, & ex alijs. Siquidem hæc duo Sacramenta cum attritione etiam cognita ſatis ſunt ad conferendam primam gratiam, & ſic gratiam iuſtificantem: non ſic alia Sacraméta; quoniam exigunt attritionem ſaltem æſtimatam contritionem: nam priora dicuntur Sacramenta mortuorum; reliqua verò viuorum, quæ dicuntur conferre gratiam per accidens, vt latè ſupra explicauimus, *ſec. 7. cõcl. 2. verſ. Sed quicquid ſit.*

24 Imo non deſunt, qui velint, ad obtinendam primam gratiam in Sacramento pœnitentiæ ſatis eſſe attritionem æſtimatam veram, ac ſupernaturalem, quamuis talis non ſit: aliàs eſſet ſcrupulos conſcientijs inijcere, cum nemini in hac vita conſtare poſſit certò, an habeat veram, ac ſupernaturalem attritionem: & cùm quis exiſtimat inculpabiliter ſe eſſe attritum, & non ſit, facit id,

quod eſt in ſe; at facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam: tantò magis, quoniam qui culpa ſua lethali committit eſſentialē defectum in huiuſmodi Sacramento facit confeſſionem nullam: ergò è contrario qui facit quod in ſe eſt, & putat ſe habere veram attritionem, facit id, quod eſſentialiter exigitur ad valorem, ac fructum Sacramenti. Et re vera ſi in iudicio humano ſententia abſolutionis lata ad fauorem Rei, poſt adhibitam moralem diligentiam, eſt valida, quamuis abſolutus ſit culpabilis: non video, cur exiſtimans ſe attritum in caſu de quo agitur, non cenſeatur verè abſolutus. Hanc ſententiam videtur docere *D. Thom. in 4. d. 14. q. 3. art. 4. ad 1.* & expreſsè *Henriq. lib. 1. de pœnit. cap. 26. ſub nu. 3. Victor. in relect. de poteſt. Eccl. q. 2. nu. 9. §. Præterea dico: Nauar. in Man. cap. 9. nu. 13.* & alij.

Oppoſitam tamen ſententiam, his non obſtantibus puto veram, quam tenet *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 20. ſec. 4. nu. 13. & 16.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de praecep. Eccl. pracep. 2. lib. 2. cap. 5. nu. 5. & 6.* Probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* Vbi attritio vocatur
25 donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus, & iſtam exigit ad conferendam gratiam iuſtificantem in Sacramento pœnitentiæ: ergò vera, & ſupernaturalis attritio requiritur, nec ſatis eſt exiſtimata talis, cùm in re vera non ſit. Confirmatur, quoniam Deus à nobis non expoſtulat exiſtimatā pœnitentiam, & dolorem noſtrorū peccatorum, iuxta illud *Ioel. Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, in fletu, & planctu: & ſcindite corda veſtra, &c. Et Matth. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ. In pſal. 50.* pariter, *Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, & lacrimis meis ſtratum meum rigabo.* Quæ ſcripturę loca loquuntur de pœnitentia vera, de dolore, & lacrimis veris, non autem exiſtimatis. Rurſus vera attritio requiritur tanquam pars eſſentialis huius Sacramenti: ergò ſemper illud præcedere in re, & non in exiſtimatione. Denique in Euchariſtiæ Sacramento pro materia expoſtulatur vinum, nec ſatis eſt acetum vinum æſtimatum: ergò dum pro materia Sacramenti pœnitentiæ expoſtulatur attritio, illa vera eſſe debet, nec ſatis eſt æſtimata: ſiquidem cogitatio humana non poteſt mutare Sacramenti materiam, cùm pendeat ab inſtitutione Diuina. Ita *Fagund.* ibi, qui alijs quoque rationibus hanc ſententiam confirmat: & inſuper addit, *nu. 13.* quòd ſi quis doleat, quòd veram attritionem, & diſpoſitionem habere non poſſit, dicens: *Doleo, & me valdè pœnitet, quòd me de meis peccatis non pœnitet vt decet, & oportet.* Non eſt abſoluendus; quoniam
26 ſola voluntas habendi attritionē non eſt attritio: ſicut nec quidem rectè diſpoſitus ad obtinendam abſolutionem ſacramentalem dicitur is, qui deſiderat habere veram contritionem, & procuret ipſam habere, & adhuc tamen dubius eſt, an habeat: ſiquidem iſte talis non eſt abſoluendus, niſi dubium deponat, [illegible] ſcrupuloſè dubitet, vt rectè declarat ipſe *Fagund. d. cap. 5. nu. 15.* qui etiam probat, *nu. 16.* non eſſe ſatis ad attritionem prouenientem ex motiuo naturali, ſed motiuus debet eſſe ſupernaturalis. Vnde meritò reijcit opinionem *Nauar. in Man. cap. 10. nu. 40. Sayer. Aſſol* [illegible] *n. 15 Palud. in 4. d. 17. q. 1. art. 4. concl. 5.* & aliorum dicentium, eum, cui diſplicet, quòd pœnitere non poſſit, diſpoſitum eſſe, & eorum rationes rectè reſpondet. Etenim oppoſitam ſententiam, quam nos ſequimur non poteſt dici inquietare conſcientias; quoniam non eſt bona pax, quæ in errore fundatur. Fateor tamen eum, qui ſi ille in caſu de quo agitur, fecit quod in ſe eſt ad habendam veram, & ſupernaturaliter attritus: & falſum eſt dicere eum habuiſſe non veram, ſed æſtimatam tantùm attritionem: ſed ſi verè putat, ſe illam habere cùm non habeat, non facit quod in ſe eſt. Ad vltimum
27 denique reſpondetur diuerſam eſſe rationem iudicij humani: nam in iudicio humano ſatis eſt, vt reus permaneat abſolutus, facta morali diligentia ad inquirendam veritatem: at in iudicio Diuino hoc non ſufficit, cùm Chriſtus ex inſtitutione ſua requirat iſtam veram, & ſupernaturalem diſpoſitionem, & non putatiuè veram, & putatiuè ſupernaturalem. His adde, quæ cumulauit *P. Alph. de Leone, de offic. & poteſt. Confeſſ. recoll. 19. nu. 55. & 56.* qui contra *Fagund. d. cap. 5. nu. 14.* & iuxta opinionem eorum, qui volunt dari Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, in illis caſibus inquit confeſſionem eſſe validam, ſed non recipi gratiam. Imo putat, eum qui dolet non habere contritionem perfectam indicare eſſe ſufficienter attritum, & in hoc approbat ſententiam *Nauar. in Man. cap. 1. nu. 18. verſ. Si vero, & cap. 10. n. 4.* & aliorum, quos allegat.

Contritio perfecta, & imperfecta, ſic attritio in quibus inter ſe conueniant, & in quibus differant.

S E C. XI.

S V M M A R I V M.

1 *Tam contritio per ſe ſumpta abſque actuali ſuſceptione Sacramenti, quam attritio in Sacramento pœnitentiæ ſatis ſunt ad peccatoris iuſtificationem, peccati mortalis conſcientiam habentis.*

2 *Tum per contritionem, tum per attritionem cum Sacramento pœnitentiæ, vel baptiſmi peccata non ſopiuntur, ſed penitus extinguntur.*

3 *Sicut ad veram contritionem ſatis eſt deteſtatio peccati ſecundum ſubſtantiam actus, ita etiam ad attritionem.*

4 *Nec vera Contritio, nec Attritio quantitatem exigunt extenſiuam deteſtationis, & ſic aliquam temporis durationem.*

5 *Tum ad veram contritionem, quàm ad attritionem, abſolute neceſſarium non eſt, magis conteri, vel atteri de vno peccato, quam de alio.*

6 *Sicut ex parte voluntatis non exiguntur ſingulæ contritiones iuxta peccatorum numerum, ita nec attritiones.*

7 *Quemadmodum ad Contritionem ſatis non eſt, vt quis doleat, quod ſatis non doleat, ita nec ad attritionem.*

8 *Sicut non ſufficit æſtimata contritio, cum talis non ſit, ita nec æſtimata attritio ad gratiam conſequendam.*

9 *Tum contritionis, tum attritionis motiuus eſſe debet ſupernaturalis ad gratiam iuſtificantem conſequendam.*

10 *Sicut*

Digitized by Google

10 *Sicut ſufficit contritio, moraliter cognita ad gratiam obtinendam, tùm extra, tùm intra Sacramentum: ita attritio moraliter cognita cum Sacramento pœnitentiæ, vel baptiſmi.*

11 *Tùm in contritione, tùm in attritione ſatis eſt ſi propoſitum non peccandi in futurum virtualiter habeatur.*

12 *Contritionis, & Attritionis eſſentia non conſiſtit in dolere formali de peccatis commiſſis, ſed in deteſtatione, & odio peccati.*

13 *Tùm in contritione, tùm in attritione requiritur ſpes veniæ.*

14 *Tùm contritio, tùm attritio hodie in lege noua non ſolum exigit propoſitum non peccandi de cætero, ſed etiam propoſitum confitendi, ac ſatisfaciendi, & obediendi in omnibus, ad conſcientiæ medicinam neceſſarijs.*

15 *Sicut præceptum contritionis veræ ob inopiam Confeſſarij, per ſe obligat in periculo, vel in articulo mortis, ita præceptum attritionis in Sacramẽto pœnitentiæ, ſi adſit copia Cõfeſſarij.*

16 *Tàm contritio in ordine ad confeſſionem ſacramentalem faciendam, quàm attritio præexigunt peccatorum recogitationẽ, & diſcuſſionẽ.*

17 *Tùm contritio vera abſque actuali Sacramenti ſuſceptione, tùm Attritio extra Sacramentum ſufficiunt ad remiſſionem peccatorum, illa ſcilicet mortalium, hæc venialium.*

18 *Tàm Contritio, quàm Attritio debet eſſe voluntaria.*

19 *Et vtraque verſatur circa peccata tãquam materia eorum.*

20 *Contritio, & attritio conueniunt inter ſe, tùm in cauſa efficienti, tùm materiali, tùm in cauſa formali, tùm deniquè in cauſa finali.*

21 *Vera contritio extra Sacramentum pœnitentiæ in quo differat ab attritione in ordine ad Sacramentum.*

22 *Motiuum contritionis primariè, & principaliter eſt peccatum deteſtatum, vt Dei offenſio, attritionis verò eſt ipſum peccatum, quatenus fœdat animam, & reddit eam Diabolo ſeruã.*

23 *Contritio vera, & perfecta ſecundum ſe conſiderata abſque actuali Sacramento ſufficiens eſt ad iuſtificationem, attritio verò omninò exigit Sacramentum.*

24 *Actus contritionis in quo differat ab actu attritionis.*

25 *Attritio æſtimata, cum talis non ſit, haud ſatis eſt ad iuſtificationem, etiam cum Sacramento, quod ſecus eſt in contritione, etiam extra Sacramentum, & in multis caſibus.*

26 *Contritio exigit peccati deteſtationem ſuper omne deteſtabile, & vitationem peccati in futurum ſuper omne vitabile, quod ſecus eſt in attritione.*

27 *Contritio in quo ab attritione differat in cauſa efficienti ex parte Dei.*

28 *Eadem fidelitas exigitur in confeſſione pro adimplendo præcepto Eccleſiaſtico, ac exigitur pro adimplendo præcepto Diuino.*

HAEC controuerſia eſt valdè vtilis ad cognoſcendas naturam, effectus, ac proprietates tàm contritionis veræ, ac perfectæ, ſecundum ſe conſideratæ, quam contritionis imperfectæ, & ſic attritionis, ſiuè conſideretũ in Sacramento, ſiuè extra Sacramentum pœnitentiæ: quo circa ad huius rei explicationem, ac determinationem primò videbimus, in quibus contritio, & attritio conueniant; & deinde in quibus differant inter ſe.

1 Conueniunt igitur primò contritio, & attritio; quoniam tàm contritio per ſe ſumpta abſque actuali ſuſceptione Sacramenti, quàm attritio in Sacramento pœnitentiæ ſatis ſunt ad iuſtificationem peccatoris, peccati mortalis conſcientiam habentis, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.* Etenim attritus virtute Sacramenti pœnitentiæ, vel Baptiſmi fit contritus, non quòd actus attritionis tranſeat in actum contritionis, vel aliqua fiat mutatio intrinſeca in pœnitente; ſed quod peccator per attritionem cum Sacramento Baptiſmi, vel pœnitentiæ perindè iuſtificetur, ac per veram contritionem extra Sacramentum, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 1. quæſt. un. 3. Ricchar. ibidem, art. 3. q. 8. ad 5. Henriq. lib. 4. ſua ſum. cap. 17. nu. 4. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 5. ſec. in fine, Melſ. tract. 7. cap. 8. nu. 31. Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 2. ſub num. 2. Bonac. diſp. 5. q. 4. pun. 3. nu. 11. in fine. P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. ſub nu. 99.* qui teſtatur de communi, & ex alijs. Eſt tamen verum, quòd in lege noua poſt cõtractam lethalem culpam, qui vult conteri extra Sacramentum pœnitentiæ debet habere propoſitum confitendi: nam licèt huiuſmodi propoſitum in lege veteri in contritione non erat neceſſarium, cum Sacramentum confeſſionis, & alia Sacramenta fuerint à Chriſto tantum in noua lege inſtituta; nihilominus hodie peccatum mortale non remittitur, niſi Sacramento, vel Sacramenti voto, vt apertè fuit definitum in *Conc. Trid. loco citato*, in illis verbis, *Docet præterea ſancta Synodus, etſi contritionem aliquando charitate perfecta eſſe contingat, hominemq; Deo reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur, ipſam nihilominus reconciliationem ipſi contritioni, ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam.* Huiuſmodi autem ſatis eſt ſi ſit implicitum, ac virtuale, nec ſemper opus eſt, vt ſit explicitum, ac formale, vt ſupra declarauimus, *ſec. 10. concl. 2. ampl. 2.*

2 Secundò conueniunt inter ſe contritio, & attritio cum Sacramento pœnitentiæ, vel Baptiſmi, quoniam per eas peccata non ſopiuntur, ſed penitus extinguuntur: ſiquidem per vtramque vera, ac ſufficiens pœnitentia de peccatis agitur: at per veram pœnitentiam peccata non ſopiuntur, ſed omninò delentur, iuxta illud Act. *cap. 3. Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata veſtra.* Vndè Theologi communiter docent, Bonorum operum merita per pœnitentiam reuiuiſcere: pro qua re eſt *tex. in cap. pium eſt, de pœnit. d. 3.* ſiquidem priuatio gloriæ æternæ tanquam mercedis debitæ fundatur in peccato: ergò eo per pœnitentiam ſublato, recuperatur meritum, ac ius ad cæleſtem gloriam, vt rectè *Magiſt. in 4. d. 14. D. Thom. 3. par. q. 89. art. 5. & Laym. lib. 5. tract. 6. cap. 4. de Sacram. pœnit. ſub nu. 21.* qui contra *Grat. de pœnit. d. 4. in prin.* & alios, negat verſa vice cum *Alber. in 4. d. 22. art. 1. D. Thom. q. 1. art. 4. D. Bonau. art. 1. q. 2. Ricchar. & Duaren.* peccata per pœnitentiam, vel Baptiſmum ſemel deleta, ac remiſſa reuiuiſcere in relapſu: etenim ꝙ ſemel abſolutè

deletum, ac ſublatum eſt, amplius non reuiuiſcit.

3 Tertiò conueniunt; quia ſicut ad veram contritionem certus intenſionis gradus non exigitur, ſed ſatis eſt deteſtatio peccati ſecundum ſubſtantiam actus; ita etiam ad attritionem. Eſt tamen verum, quòd licèt in contritione exigatur deteſtatio peccati omnium maxima appretiatiuè: talis tamen deteſtatio non requiritur in attritione, vt latè ſupra declarauimus, *ſec.6. verſ. Circa primum*; quibus adde, quæ habentur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 7. ſec. 1. nu. 6. in fine*, *& Alph. de Leone de officio, & poteſt. Confeſ. recoll. 19. nu. 71.*

4 Quartò conueniunt, quoniam neutra, atque ideò, nec vera contritio, nec attritio exigunt quantitatem deteſtationis extenſiuam, & ſic aliquam temporis durationem, cum in inſtanti temporis haberi poſſint, vt oſtendimus ſupra *d. ſec. 6. verſ. Dico ſecundo.*

5 Quintò conueniunt, quoniam tàm ad veram contritionem, quàm ad attritionem non eſt abſolutè neceſſarium de vno peccato magis conteri vel atteri, quàm de alio, cùm neutra expoſtulet certum deteſtationis gradum, vt ſupra oſtendimus, *conuen. 3.* & quamuis Doctores loquantur de vera contritione; nihilominus eadem ratio militat etiam in attritione, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Eſt tamen verum, quòd valdè expedit, vt de commiſſis peccatis vehementer, ac ſæpius quis doleat, & eò magis, quò grauiora ſunt, vt copioſior gratia ſanctificans ipſi infundatur: & pro pœna peccatis debita plenius ſatisfiat, vt in *cap. menſuram, de pœnit. d. 1. Nauar. in cap. ſi peccatum, ead. d.* latè *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. cap. 4. ſub nu. 1. P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. nu. 73. 74. 75. & 76.* qui in ſpecie loquitur de attritione, & alios Doctores allegat: & limitat quod diximus, quando fit comparatio à pœnitente inter peccata; nam tunc neceſſaria eſt maior deteſtatio de grauiori, quàm de minus graui. Imò *Bonac. diſp. 5. de pœn. q. 5. ſec. 1. pun. 7. nu. 6.* ſubdit, peccare mortaliter, qui explicitè deteſtatur magis peccatum leuius, quàm grauius: quod quidem, an ſit indiſtinctè verum, rectè declarat idem *P. Alph. loco citato, nu. 76.* & nos latius ſupra *ſec. 7. verſ. Secundò eſt adnot. circa med.*

6 Sextò conueniunt; nam ſicut ex parte voluntatis non exiguntur ſingulæ contritiones iuxta peccatorum numerum; ſed ſatis eſt ſimplex motus voluntatis omnia peccata reſpiciens, ac deteſtans; ita non requiruntur ſingulæ attritiones, vt ſupra probauimus, *ſec. 7. verſ. Secundò eſt adnot.*

7 Septimò conueniunt; quia quemadmodum ſatis non eſt ad contritionem, vt quis doleat ad contritionem habendam; ita ſatis non eſt ad attritionem, ſi quis doleat, quòd non ſatis doleat ad veram attritionem habendam, vt latè declarauimus ſupra *ſec. 7. concl. 1. verſ. Imò talis dolor.*

8 Octauò conueniunt, quòd ſicut non ſufficit æſtimata contritio, cùm talis non ſit ad obtinendam gratiam iuſtificantem extra Sacramentum; ita quoque ſatis non eſt æſtimata attritio in Sacramento ad ipſam gratiam aſſequendam, cùm vera attritio nõ ſit, vt adnotauimus, *ſec. 10. concl. 4. limit. 2. verſ. Oppoſitam tamen.*

9 Nonò conueniunt, quòd tàm contritionis, quàm attritionis motus debet eſſe ſupernaturalis ad gratiam iuſtificantem aſſequendam, vt diximus *d. ſec. 10. concl. 4. limit. 2. verſ. Oppoſitam ſententiã*: quibus adde, quæ habentur ex *Fagũd. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 4. nu. 5. & c. 6. nu. 13.* & quæ latè cumulauimus ſupra, *ſec. 5.*

10 Decimò conueniunt, quoniam ſicut contritio moraliter cognita ſatis eſt ad gratiam obtinendam tàm extra, quàm intra Sacramentum; ita quoque ſufficit attritio cognita, vt vna cum Sacramento pœnitentiæ, vel Baptiſmi obtineatur gratia iuſtificans, etiam ſi pœnitens ſit conſtitutus in periculo, aut in articulo mortis, vt ſupra explicauimus, *ſec. 10. concl. 4. limit. 2.*

11 Vndecimò conueniunt, quòd licèt tàm in contritione, quàm in attritione exigantur deteſtatio peccatorum, & propoſitum non peccandi in futurum; huiuſmodi tamen deteſtatio, & propoſitum ſatis eſt ſi virtualiter habeantur, vt latè ſupra declarauimus, *ſec. 8. concl. 1. & 2. & ſec. 9. concl. 1. 2. & 3.* vbi ſufficienter oſtendimus, an & quando ſufficiant deteſtatio virtualis, & propoſitum virtuale, & quando in prædictis actibus exiguntur formalis deteſtatio, & formale propoſitum.

12 Duodecimò conueniunt, quoniam nec contritionis, nec attritionis eſſentia conſiſtit in formali dolore de peccatis commiſſis, ſed vtramq; eſſe eſſentialiter deteſtationem, & odium peccati: nam actus pœnitentiæ elicitus formaliter eſt ipſa diſplicentia, fuga, & receſſus animi à malo peccati: dolor autem animi eſt effectus deteſtationis: ſiquidem ex odio, ac deteſtatione peccati, cuius reatus adhuc præſens eſt, neceſſario ſequitur dolor animi, vt ſupra declarauimus, *ſec. 3.* de eſſentiali definitione contritionis agentes. & *ſec. 5.* quibus adde, quæ latè habentur ex *Fagũd. de præcep. Eccl. præcep. 2. cap. 4. nu. 1. & ſeq.*

13 Tertiodecimò conueniunt: quoniam in vtraq; requiritur ſpes veniæ, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 6.* vbi habetur, non ſolùm fidem, ſed etiam ſpem eſſe neceſſariam ad iuſtificationem: ergò tàm contritio, quàm attritio debent includere ſpem veniæ ad obtinendam per eas gratiam iuſtificantem. Probatur etiam ratione, quia deſperatio, ſeù diffidentia eſt peccatum mortale, vt habetur ex *Valen. de pœnit. diſp. 3. Reginaldo lib. 5. ſua ſum. nu. 76. & Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſ. recoll. 19. nu. 79.* qui ſpecialiter loquens de ſpe veniæ requiſita in attritione in Sacramento pœnitentiæ, inquit eam formaliter conſiſtere in hoc, vt quis ſperet cum ipſa attritione, & Sacramenti ſuſceptione conſequi gratiam iuſtificantem, & ſic remiſſionem peccatorum. Eſt tamen verum, quòd & ſi talis ſpes habeatur formaliter; nihilominus ſatis eſt ſi habeatur virtualiter, quando ſcilicet pœnitens credit habere ſufficientem dolorem, vt cum Sacramẽto conſequatur fructum Sacramenti, vt habetur ex *Reginal. & Alph. de Leone locis citatis*, quibus adde. quæ latius cumulauimus ſupra *ſec. 5. verſ. Dixi cum ſpe veniæ.*

14 Quartodecimò conueniunt cõtritio, & attritio: nam vtraq; hodie in lege noua non ſolùm exigit propoſitum non peccandi de cætero; verum etiam propoſitum confitendi, ac ſatisfaciendi, ac obediendi in omnibus, quæ neceſſaria ſunt ad conſcientiæ ſuæ medicinam, vt habetur ex *Suar.*

in 3.

in 3. par. tom. 4. diſp. 20. ſec. 4. nu. 34. verſ. Vltimò expedit: & Reginal. lib. 8. ſua ſum. nu. 79. Quo circa ex carentia huiuſmodi propoſiti Doctores volunt confeſſionem reddi inualidam, & contritionem nullam vim habere, etiam ſi quis credat inuincibiliter habere dictum propoſitum, ac etiam ſi confiteretur, & ſe accuſaret non habere tale propoſitum, vt per eundem *Suar. loco citato, diſp. 4. ſec. 2. ſub nu. 6. & diſp. 9. ſec. 1. nu. 5. ac diſp. 20. ſec. 4. nu. 5. Nauar. in Man. cap. 5. n. 34. cap. 9. nu. 13. & cap. 10. nu. 4. Tolet. lib. 3. ſua ſum. cap. 4. verſ. Tertiò attritio*, & per alios, quos refert, & ſequitur *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 19. nu. 83. cum plurib. ſeq.* vbi id ampliat in articulo mortis, & etiam quoad remiſſionem venialium, *& nu.* 88. probat, ſatis eſſe huiuſmodi propoſitum virtuale: quibus adde quæ ſupra diffuſè cumulauimus *ſec. 9. per totam.*

15 Quintodecimò conueniunt, quòd ſicut præceptum contritionis verę ob inopiam Confeſſarij per ſe obligat in periculo, aut in articulo mortis, itaut ſi quis in articulo, vel in periculo mortis conſtitutus, & habens conſcientiam peccati mortalis ſi de eo contritionem habere nolit, nouum peccatum impœnitentiæ contrahat, vt latè ſupra oſtendimus *ſec. 10. concl. 4. & ampl. 2.* Ita quoque dicendum eſt de attritione in Sacramento pœnitentiæ ſi adſit copia Confeſſarij, & ſic conſtitutus nolit ſacramentaliter confiteri: ſiquidem in nouum peccatum impœnitentiæ incidit, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *diſp. 1. ſec. 1. concl. 5.*

16 Sextodecimò conueniunt; quoniam ſicut contritio in ordine ad ſacramentalem confeſſionem faciendam præexigit peccatorum recogitationem, ac diſcuſſionem; ita quoque attritio antequam pœnitens accedit ad ipſam confeſſionem, vt latè ſupra probauimus, *ſec. 7. concl. 1.*

17 Septimodecimò conueniunt: quoniam tàm contritio vera abſque actuali ſuſceptione Sacramenti, quàm attritio extra Sacramentum ſufficiunt ad remiſſionem peccatorum: contritio ſcilicet ad remiſſionem mortalium, ac venialium: & attritio venialium duntaxat citra vllam peccatorum recogitationem: quod tamen quomodo procedat, latè ſupra declarauimus *ſec. 7. concl. 2.*

18 Decimooctauò conueniunt; quia vtraque debet eſſe voluntaria, vt ſupra declarauimus *ſec. 3. & 5.* atque ideò tàm contritio, quàm attritio debent prouenire ex libera voluntate pœnitentis, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Soto in 4. diſp. 15. q. 2. art. 5. Henriq. Suar. Bonac.* & alijs, quos refert *P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſ. recol. 18. ſub nu. 27.*

19. Decimononò conueniunt, quia vtraq; verſatur circa peccata tanquam materiam, & obiectum eorum, vt habetur ex Doct. paulò ſupra citatis.

20 Vigeſimo conueniunt in cauſa efficienti ex parte pœnitentis, quoniam vtraque debet eſſe libera, vt ſupra adnotauimus *conuenien.* 18. item in cauſa materiali, vt ſupra diximus *conuen.* 19. Rurſus conueniunt in cauſa formali, quoniam tàm contritio, quàm attritio debet eſſe informata à dolore, cum definiatur per deteſtationem, vt ſupra declarauimus *conuen.* 12. Denique conueniunt in cauſa finali; ſiquidem vtraque intendit iuſtificationem pœnitentis: vt patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus *conuen.* 1. & tradita fuerunt ex *Alph. de Leone d. num.* 27. & ex alijs ab eo allegatis.

Differunt quoque inter ſe contritio, & attritio in multis.

21 PRimò, quoniam in contritione vera extra Sacramentum pœnitentiæ non exigitur ſingulorum peccatorum recogitatio, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 7. concl.* 2. At in attritione in ordine ad Sacramentum, ſicut etiam in contritione ad ipſum Sacramentum ordinata omninò prærequiritur, vt in *d. ſec. 7. concl.* 1. latè declarauimus.

22 Secundò differunt: quia motiuum contritionis ſemper eſt peccatum primariò, & principaliter deteſtatum, vt eſt Dei offenſio; ſecundariò verò, & minus principaliter, vt eſt cauſa infamiæ, aut mali temporalis, vel vt eſt malum quoddam fędans animam, ac reddens eam Diabolo ſeruam: vel quoniam eſt malum, cui debetur pœna æterna, ac etiam temporalis: attritionis autem motiuum eſt ipſum peccatum mortale à ſe commiſſum, non quia eſt Dei offenſio, & iniuria, ſed quoniam fędat animam, eamq; priuat gratia, ac Beatitudine, & cauſa eſt non ſolùm pœnæ æternæ; ſed etiam temporalis, veluti infamiæ, ægritudinis, &c. Ita *D. Thom. 1. 2. q. 74. nu. 8. ad 2. Bellarm. lib. 2. de pœnit. cap. 17. Tol. lib. 3. ſuæ ſum. cap. 4. §. Ex parte obiecti, Nauar. in Man. cap. 1. nu. 36. Fagund. de precep. Eccl. lib. 2. cap. 4. n. 2. precep* 2. cum alijs quos allegat. Quod tamen quomodo procedat, latè ſupra declarauimus, *ſec. 5. verſ. Dixi ex conſideratione.* Et latius *ſec. 3. & 4.*

23 Tertiò differunt: ſiquidem contritio ſecundũ ſe conſiderata, vera ac perfecta ſine actuali ſuſceptione Sacramenti pœnitentiæ eſt ſufficiens ad iuſtificationem impij: non ſic attritio, ſed omninò exigit Sacramentum ad impetrandam gratiam iuſtificantẽ, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. Fagund. loco citato, nu.* 3. & nos ſupra oſtendimus *conuen.* 1. Quibus adde, quæ habentur ex *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 18. ſub nu. 28.*

24 Quartò differunt, quoniam actus contritionis ſemper includit formaliter, vel virtualiter actum dilectionis Dei ſuper omnia, & ab illo procedit: actus autem attritionis formaliter prouenit, vel metu gehennæ, vel pœnarum temporalium, vel ex conſideratione fęditatis peccati animam deturpantis, ac priuantis gratia, ac gloria, quæ mala à Deo nobis poſſunt infligi, vt auctor eſt gratiæ, & gloriæ, vt colligitur ex *Conc. Trid. d. ſeſſ. 14. cap. 4. Fagund. d. cap. 4. nu.* 4. & nos latè declarauimus ſupra *ſec. 5. verſ. Dixi ex conſideratione.*

25 Quintò differunt, quoniam attritio æſtimata, non tamen talis etiam cum Sacramento nunquã ſatis eſt ad iuſtificationem, vt contra nonnullos ſupra oſtendimus, *ſec. 10. concl. 4. limit. 2. verſ. Oppoſitam tamen:* Contritio verò æſtimata, cum tamen non ſit talis, ſed tantùm attritio, in multis caſibus etiam extra Sacramentum pœnitentiæ ſufficit ad obtinendam gratiam iuſtificantem, vt ſupra declarauimus, *ſec. 7. concl. 1. verſ. Imò, & concl. 2. verſ. Sed quicquid ſit: & verſ. Adde quod attritio.*

26 Sextò differunt, quia contritio exigit deteſtationem peccati ſuper omne deteſtabile, & vitationem

tionem peccati infuturum ſuper omne vitabile. Non ſic attritio vt ſupra oſtendimus, *ſec. 3. & 4.* de contritionis definitione agentes: & *ſec. 5. circa prin. & verſ. Dixi cum propoſito*, & *ſec. 8. in 2. not.* dum de attritione tractauimus.

27 Septimò differunt in cauſa efficienti ex parte Dei: ſiquidem contritio eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti inhabitantis: attritio verò eſt donum Dei, & impulſus Spiritus Sancti, non tamen habitantis, ſed mouentis, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4.*

Ex his quæ hucuſque diximus de fidelitate, quam exigit ſacramentalis confeſſio per ſe ſumpta *tum in 6. tùm etiam in 7. diſp.* Patet modò quid dicendum ſit de fidelitate, quæ exigitur in confeſſione ad implendum præceptum confitendi ſemel in anno, in noſtro canone contento. Etenim cum huiuſmodi præceptum ſit determinatio temporis, quo obliget præceptum Diuinum confeſſionis, & nihil eidem addit, vel detrahit, vt ſupra oſtendimus, *diſp. 1. ſec. 1. concl. 8. & diſp. 2. ſec. 2. verſ. His tamen*; Hinc ſequitur, quòd

28 eadem fidelitas exigitur in confeſſione pro implendo præcepto noſtri canonis, quæ expoſtulatur in confeſſione pro implendo præcepto Diuino. Vndè in hac re nihil aliud nobis reſtat dicendum circa fidelitatem, quam requirit confeſſio ab Eccleſia præcepta ſemel in anno, quàm quæ cumulauimus in hac *diſp. 7. & ſupra diſp. 6.* agentes de fidelitate confeſſionis ſecundum ſe conſideratæ.

Ibi, *Proprio Sacerdoti*. De Miniſtro confeſſionis annuæ vi noſtri canonis præceptæ.

D I S P. VIII.

S V M M A R I V M.

1 *Confeſſio duas requirit conditiones, quod ſcilicet ſit integra, & fidelis.*

2 *Confeſſio eſt facienda proprio Sacerdoti; Et vndè proprio Sacerdoti confitendum.*

1 TRactauimus hucuſq; de præcepto confeſſionis ſemel ſaltem in anno vi noſtri canonis faciendæ, & de conditionibus, quas exigit, inter quas duas oſtendimus eſſe præcipuas; nempè quòd confeſſio ſit integra, & fidelis; atque adeò, vt non ſolùm integra ſit omnium peccatorum, & nullum permixtum habeat mendacium; ſed etiam, quòd ex toto corde proueniat ita vt informata ſit debita cordis contritione, vel ſaltem attritione. Egimus etiam de perſonis, quas dictum præceptum obligat, vt patet ex ijs, quæ cumulauimus *diſp. 1.* cum alijs ſequentibus vſq; ad *diſp. 7.* incluſiuè, explicantes verba illa noſtri canonis, *Omnis vtriuſq; ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur.* Et quoniam dubitari poterat de perſona, cui facienda ſit ipſa confeſſio, idcircò Concilium eam exprimens ſtatuit faciendam eſſe proprio Sacerdoti, vt patet ex illis verbis, quæ immediatè ſequuntur ſupradicta, videlicet, *Proprio*

2 *Sacerdoti*. Ad cuius rei intelligentiam eſt aduot. ex *gloſ. in cap. 2. eo. tit. noſtro in 6.* Quòd licèt olim Sacerdotes omnes eandem poteſtatem fuerint conſecuti, ita quod Parochiæ non erant diſtinctæ; tamen propter quaſdam diuiſiones intèr Apoſtolos, ac diſcipulos, & poſtea inter alios Sacerdotes exortas, fuerunt diuiſæ, ac diſtinctæ Parochiæ, & territoria in foro pœnitentiali partita, ſicut in foro contentioſo. Poſt verò factam huiuſmodi diſtinctionem fuit decretum, vt quilibet proprio Sacerdoti confiteatur, & non alteri; aliàs nulla ſit abſolutio, cùm talis ſit ſententia à non ſuo Iudice prolata, *cap. at ſi clerici de Iudic.*

Ex dictis igitur patet, quòd præceptum confeſſionis annuæ in noſtro canone contentum ex parte perſonæ, cui confeſſio ipſa facienda eſt, exigit duo. Primum, vt ſit Sacerdos: ſecundum, vt ſit proprius Sacerdos. Hæc autem an indiſtinctè vera ſint, & quomodo procedant, per ſequentes ſectiones explicabimus.

An aliquo caſu non ſolùm Sacerdoti, ſed etiam Diacono, Subdiacono, vel Laico confeſſio fieri poſſit ad implendum præceptum noſtri canonis.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Ex Panorm. in caſu neceſſitatis non ſolum licitum eſt Laico confiteri, ſed etiam ab eo abſolui.*

2 *An idem ſit in mortis periculo.*

3 *Vera, & Catholica definitio eſt in contrarium, nam ſolis Sacerdotibus tributa fuit poteſtas ligandi, & abſoluendi.*

4 *Per Pontificem fieri non poteſt, vt quis aliquo caſu alij, quam Sacerdoti confiteri valeat peccata ſua.*

5 *Laico nedum in articulo, vel periculo mortis prohibitum eſt à peccatis abſoluere, ita vt abſoluendo, nihil faciat, ſed etiam à Cenſuris: Et an in tali caſu facultatem abſoluendi à Cenſuris habeat Clericus ſaltem primæ tonſuræ, quamuis irregularis, vel degradatus exiſtat.*

6 *Laicus abſoluere non poteſt aliquem à peccatis in articulo mortis, & in quocunq; alio caſu, quamuis ex communi errore reputetur Sacerdos.*

7 *Non baptizatus, etiam ſi fuerit ordinatus Sacerdos, abſoluere non poteſt, licet concurrat communis error, & quare.*

8 *An valeat abſolutio ab excommunicatione impartita per Laicum, ſi nulliter fuerit ordinatus ex defectu alicuius ſubſtantialis requiſiti, ex parte Ordinantis.*

9 *Confeſſio facta Laico, vel Clerico, qui Sacerdos non ſit, licet non ſit ſacramentalis, nec materia Sacramenti pœnitentiæ, in defectum tamen Confeſſarij in articulo, vel periculo mortis poteſt eſſe valdè vtilis.*

10 *Neceſſitas, quo ad ea, quæ ad Clericos ſpectat non facit licitum Laicis, quod alias eis eſſet illicitum, niſi eis ſpecialiter à Iure fuerit indultum.*

11 *Quamuis Laico poſſit fieri peccatorum confeſſio in caſu neceſſitatis, ad contritionem excitandam; tamen Laicum non poteſt ſacramentaliter confeſſum abſoluere: & quare.*

12 *Hiſtoria, de qua in cap. non ſanctum de conſecr. d. 4. authentica non eſt: vel ſi ſit authentica, intelligitur de reconciliatione publica, non per ſacramentalem confeſſionem.*

13 *Confeſſio facta Diacono, an ſit ſacramentalis.*

14 Laicum

14 *Laicum non poſſe ab excommunicatione abſoluere, magis receptum ſit.*
15 *Diuus Iacobus in cap. 5. non loquitur de confeſſione, Laico facienda, ſed cum Sacerdotibus.*

1 IN hac re Addentes ad *Panorm. in cap. quod non poteſt, de regul. iur. lib. 5.* dicunt, quòd in caſu neceſſitatis non ſolùm licitum eſt Laico confiteri, ſed etiam ab eo abſolui, ac ſi eſſet Sacerdos: & hoc etiam ſi is cui facienda eſſet confeſſio eſſet Iudæus: etenim neceſſitas facit aliquid licitum, quod aliàs eſſet illicitum, vt in *d. cap. quod non poteſt*, & probabile, quod aliàs non eſſet, *l. qui potuerunt. ff. de manumiſ. teſtam.* Hinc eſt, quòd non dicitur voti violator, qui propter neceſſitatem illud violat, vt habetur in *d. cap. quod non poteſt*, & ibi *Panor.* Imò pro hac re adeſt *tex. in cap. quem pœnitet, de pœnit. d. 1.* vbi habetur, quòd pœnitens in articulo mortis conſtitutus poteſt ſua peccata Laico confiteri, & in *cap. ſanctum eſt, de conſecr. d. 4.* quidem naufragus in articulo mortis refertur per Laicum reconciliatus, & denique videtur clarè hoc definitum in *cap. fures, de furtis*; ibi, *Si autem Presbytero, vel Diacono confeſſus fuerit, communione non priuetur.* His adde, quæ habentur ex eodem *Panorm. in cap. à nobis, il 2. nu. 10.* vbi etiam *Gloſ. ver. Non potuerit, de ſent. excom. Syl. in ſum. ver. Abſolutio, 2. nu. 8. Armil. co. ver. nu. 40.* & ex alijs, exiſtimantibus, Laicum in articulo mortis poſſe abſoluere quemcunque excommunicatum. In eandem ſententiam inclinat *Rip. in tract. de peſte, cap. de priuil. iudic. can. peſt. n. 46.* qui teſtatur Modernos ita tenere.

2 Quòd ſi hæc locum ſibi vendicant in articulo mortis, verificantur quoque in mortis periculo, cùm militet eadem ratio, vt ſupra oſtendimus, *diſp. 1 ſec. 1. concl. 5. verſ. Probatur modò.* Vndè ſicut ibi probauimus, *& verſ. Sed quicquid ſit*: quòd in mortis articulo conſtitutus per cauſam naturalem, vel violentam tenetur confiteri Sacerdoti ſi copiam habeat Confeſſarij, & in periculo mortis, nempè in graui morbo, in certaminis conflictu, ſenio valdè confectus, & in alijs ſimilibus caſibus conſtitutum oſtendimus iure Diuino teneri ad cõfeſſionem peccatorum mortalium ratione periculi carendi Confeſſario, quẽ nunc habet tempore neceſſariò non habiturum, cùm præceptum confeſſionis annuæ non ſolùm ſit Eccleſiaſticum, ſed etiam Diuinum, vt diximus, *d. ſec. 1. concl. 8.* ita quoque in præfatis ſaltem caſibus, ſi quis non habeat Sacerdotem, cui confiteatur, ad implendum præceptum noſtri canonis videtur, quòd poſſit confiteri Laico, & multo magis Diacono, Subdiacono, vel alij Clerico prima tantum tonſura initiato, *arg. tex. in auth. multo magis, C. de Epiſc. & Cler.* Confirmatur hæc ſententia ex illo *Apoſt. Iacobi cap. 5.* vbi præcipit peccata alterutrum confiteri, ita inquiens, *Confitemini alterutrum peccata veſtra vt ſaluemini.* Et non diſtinguit inter Sacerdotem, & Laicum: ergò ſaltem in caſu neceſſitatis non habens copiam Sacerdotis poteſt confiteri Laico, aut cuilibet alij Clerico.

3 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt vera, & Catholica definitio, *Concil. Floren. in Decreto Eugenij, & Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 6. & can. 10.* Probatur ex illo *Ioan. cap. 20.* Vbi Chriſtus Dominus in diſcipulos ſuos inſufflauit, dicens, *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis retenta ſunt.* Quibus verbis clarè patet, poteſtatem remittendi peccata, ligandi, atque ſoluendi ſolis Sacerdotibus fuiſſe tributam, quippe qui per ſpecialem ordinationem, & Spiritus Sancti gratiam ad id deputantur; & in quorum ordinatione eadem verba proferuntur. Confirmatur, quia citra poteſtatem clauium nullus poteſt eſſe Miniſter Sacramenti pœnitentiæ, nec verè proferre formam abſolutionis: poteſtas autem clauium fundatur in charactere Sacerdotali; ſiquidem ſolis Sacerdotibus dicta fuerunt verba prædicta, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Etenim dicta fuerunt ſolis Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus: ergò ſolos Sacerdotes Chriſtus Dominus inſtituit miniſtros dicti Sacramenti. Et re vera id maximè congruit: ſiquidem poteſtas dimittendi peccata eſt ſupernaturalis, & miniſter Sacramenti pœnitentiæ immediatè ſuſtinet perſonam Dei, & loco Dei ſoluit, ac ligat: ergò nulli alij decebat poteſtatem illam committi, quàm Sacerdotibus, qui ad hoc munus ſingulariter ſunt electi, ac conſecrati. Confirmatur magis hæc catholica, & de fide concluſio ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione, ac ſenſu, quæ ſemper docuit, ſolis Sacerdotibus illa verba, *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* fuiſſe à Domino dicta: & proinde in antiquiſſimis Ritualibus in Sacerdotis tantùm ordinatione proferuntur; non autem in ordinatione Diaconi, vel Subdiaconi. Denique patet ex communi ſenſu, ac SS. Patrum, nempè *D. Ambroſ. ſerm. 10 in pſal. 118. D. Auguſt. de vera, & fal. pœnit. cap. 10.* relati in *cap. quem pœnitet, de pœnit. 1. D. Chryſ. lib. 3. de Sacerd. col. 4. D. Hieronymi in Matthæum, cap. 18. D. Cypriani, lib. de lapſ. circa finem*, & aliorum. Hæc ſententia adeò vera eſt, vt contraria ſit omninò hæretica, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 24. ſec. 2. n. 8. Henr. lib. 3. de pœnit. cap. 2. Conynch. diſp. 8. de ſacram. nu. 4. Nauar. in Man. cap. 1. de pœnit. d. 1. nu. 72. Layma. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. cap. 19. de ſacram. pœnit. miniſtro, nu. 1. Fagund. de precep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. cap. 1. in prin. Fillinc. tract. 7. nu. 182.* & alij communiter. Cum igitur ſolus Sacerdos Miniſter Sacramenti pœnitentiæ ex Diuina inſtitutione, neceſſariò ſequitur non poſſe aliquem confiteri non ſolùm Laico, ſed nec quidem Diacono, in quocunq; neceſſitatis caſu, etiam in articulo, vel periculo mortis conſtitutum, ad obtinendam validè ſacramentalem abſolutionem.

4 Ampliatur hæc concluſio, vt nec per Roman. Pontificem, mediante diſpenſatione aliqua fieri poſſit, vt quis aliquo caſu alij quàm Sacerdoti peccata ſua ſacramentaliter cõfiteri poſſit, ſiquidem Sacerdotes ſoli cum ex Chriſti Domini inſtitutione ſint huius Sacramenti Miniſtri, Eccleſia mutare non poteſt, nec per vllam diſpenſationem, vt alius quàm Sacerdos illud validè adminiſtret, vt habetur ex *Fagund. loco citato, ſub nu. 1. Molf. in ſua ſum. Theolog. tract. 7. cap. 14. nu. 19. & ſeq.* contra hæreticos, quos reijcit, & rectè quoque declarat *Alph. de Leone, par. 2. caſuum conſc. recoll. 3. nu. 13. & 14.* Nec diſtinguendum eſt inter Sacerdotes bonos, & malos; quo-

quoniam tàm probi Sacerdotes, quàm mali, iniqui, & qui in Dei gratia non ſunt, idonei Miniſtri ſunt huiuſmodi Sacramenti, vt contra hæreticos fuit definitum ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. can. 10.* in illis verbis, *Si quis dixerit, Sacerdotes, qui in peccato mortali ſunt, poteſtatem ligandi, & abſoluendi non habere, aut non ſolos Sacerdotes eſſe Miniſtros abſolutionis, &c. anathema ſit. Et cap. 6. Docet quoque ſancta Synodus, Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur per virtutem Spiritus Sancti in ordinatione collatam, tanquàm Chriſti Miniſtros functionem remittendi peccata exercere, &c.* Rationem autem à priori eam eſſe ait, *Fagund. vbi ſupra ſub nu. 2.* Quoniam hoc miniſterium non fundatur in ſanctitate Miniſtri, ſed in poteſtate illi in ordinatione conceſſa, quæ propter peccatum non amittitur. Vndè rectè inſuper addit, cautè legendum eſſe *D. Auguſtin. lib. 3. de Baptiſ. cap. 18. & lib. 5. cap. 21. & lib. 6. cap. 3. & lib. 7. cap. 51.* Vbi dicit, poteſtatem dimittendi peccata datam eſſe Eccleſiæ, prout ex iuſtis, & ſanctis conſtat: etenim *D. Auguſt.* in dictis locis non videtur loqui de poteſtate remittendi peccata ſacramentaliter, ſed de poteſtate impetiandi alijs peccatorum remiſſionem: & quamuis loqueretur de poteſtate remittendi peccata; intelligendus tamen eſt, hanc poteſtatem in ſola Eccleſia eſſe, in qua eſt vera ſanctitas, vt benè explicat, *Suar. in 3. par. tom. 4. de pænit. diſp. 24. ſec. 1. nu. 6. ad fin.*

5 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt Laico non modo in articulo, vel in periculo mortis prohibitum ſit aliquem ſacramentaliter à peccatis abſoluere, ita vt abſoluendo nihil faciat; ſed nec quidem illis caſibus, vel in alijs ſimilibus Laicum validè poſſe excommunicatum ab excommunicatione abſoluere. Etenim abſolutio à cenſuris conceditur in articulo mortis, vt quis à peccatis abſolui valeat: at Laicus in articulo mortis nõ poteſt à peccatis abſoluere, vt ſupra oſtendimus; ergò nec ab excommunicatione. Ita *Palud. in 4. d. 20. q. 1. art. 2. Couar. in cap. Alma mater, par. 1. §. 11. nu. 9. de ſent. excom. in 6. Nauar. in Man. cap. 26. nu. 26. verſ. Dixi presbyter*, & alijs, quos retulimus, & ſequuti fuimus in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 5. nu. 7. cum plur. ſeq. vbi nu. 10.* Quamuis hanc facultatem non habeat Laicus; nihilominus cum quilibet Eccleſiaſticus ſit capax iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, etiam ſi Clericus prima tantùm tonſura ſit initiatus, poterit quilibet Sacerdos in articulo mortis excommunicatum abſoluere ab excommunicatione, etiam ſi irregularis exiſtat, degradatus, excommunicatus, hæreticus, Schiſmaticus, &c. quod tamen quomodo procedat, ibidem declarauimus, *nu. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.* Laicis autem hæc potiſſima ratione id negamus: quoniam in his, quæ ad Clericos ſpectant, id ſolum licitum eſt Laicis, quod conceſſum eis à iure ſpecificè reperitur: ſiquidem quando Eccleſia Laicum, aliquod Eccleſiaſticum exercere poſſe voluit, id expreſſit, vt patet in Baptiſmo, *cap. in neceſſitate de conſecr. d. 4.* An autem ſimplex Clericus maximè iuriſdictionem habens, P. Vicarius, qui Sacerdos non ſit poſſit abſoluere excommunicatum in articulo mortis, latè nos diſputauimus, *dict. §. 2. quæſt. 6.* vbi partem negatiuam cenſuimus eſſe probabiliorem, quamuis affirmatiua non ſit improbabilis.

6 Tertiò ampliatur hæc ipſa concluſio, vt Laicus non poſſit abſoluere à peccatis aliquem in articulo mortis, & in quocunque alio caſu, etiam ſi ipſe Laicus ex communi errore fuerit exiſtimatus Sacerdos, vt contra *Alber. & Iaſon. in l. Barbarius, ff. de offic. Prætor.* & alios, probat *Sanch. lib. 5. de matrim. diſp. 22. nu. 27. Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 14. Maſcard.* & alij, quos refert, & ſequitur *Alph. de Leone, par. 2. caſ. conſc. recoll. 3. nu. 31. & ſeq.* Etenim ſolus Sacerdos eſt Miniſter Sacramenti pœnitentiæ, vt ſupra oſtendimus: & hæc poteſtas eſt poteſtas clauium, quæ pendet, & datur cum poteſtate ordinis, quæ eſt de iure Diuino. Nec *tex. in d. l. Barbarius*, cui fundatur contraria ſententia, aduerſatur huic ampliationi; quoniam tunc ibi ſuppletur iuriſdictio ex communi errore, ac titulo, quando inhabilitas fuerit de iure poſitiuo, ſuper quod Populus Romanus poterat diſpenſare, vt patet ex illis verbis, *Populus Romanus, etiam ſeruo potuiſſet decernere hanc poteſtatem.* At inhabilitas carentiæ poteſtatis ordinis, non eſt iuris poſitiui, ſed Diuini, vt ſupra probauimus: ergò non ſuppletur in caſu, de quo agitur per communem errorem. Vndè ex hoc inferunt ſupra relati Doctores non valere geſta per Pontificem inhabilem iure Diuino, vt quia eſſet fœmina, etiam ſi concurrat titulus putatiuus, & cõmunis error: ſecus autem ſi inhabilis eſſet iure humano, vt quia eſſet vir baptizatus, nulliter tamen ad Pontificatum electus ratione vitij occulti; ſiquidem hoc caſu iuriſdictionem haberet ab Eccleſia, quoniam licèt Eccleſia non ſit ſupra verum Pontificem; eſt tamen ſuper hunc, qui verus non eſt, vt rectè *Sanch. d. diſp. 22. ſub nu. 28. in fine.* Quæ
7 diximus de non Sacerdote, quia non fuerit ordinatus, extendimus ad non baptizatum, etiam ſi fuerit ordinatus Sacerdos: quia is non recepit characterem, & per conſequens neque erit Sacerdos, neque Cõfeſſarius, nec valida eſſent geſta per eum concurrente errore, & titulo. Ita *Campanil. in ſuo diuerſ. iur. Canon. rub. 2. nu. 25. & Alph. de Leone d. recol. 3. nu. 35.* qui *nu. 36.* idem dicendum putat de Sacerdote communiter exiſtimato Epiſcopo; ſiquidem non valent geſta per eum quoad Pontificalia, ſi in Epiſcopum verè non fuerit ordinatus: nam licèt ſecundum veriorem Theologorum ſententiam Epiſcopatus non ſit nouus ordo; nihilominus poteſtas illa eſt de iure Diuino pars Sacramenti requiſita, vt habetur ex *Henriq. de ſacram. ordin. cap. 7.* Quo verò ad poteſtatem iuriſdictionis illi prodeſt communis error, & titulus iuxta *tex. in d. l. Barbarius:* atque ideò à tali Sacerdote communiter exiſtimato Epiſcopo, cùm talis non ſit, valet etiam indulgentiarum conceſſio, vt per *Sanch. loco cit. nu. 34. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. ſub nu. 44.* quamuis contrarium teneat *Alph. de Leone loco citato, ſub nu. 37.* poſt *Campanil.* eo quòd cum non ſit ordinatus Epiſcopus, nõ habet
8 titulum. Arbitror tamen quòd Laicus communiter exiſtimatus Sacerdos, vt quia nulliter fuerit ordinatus ex defectu alicuius ſubſtantialis requiſiti ex perſona ordinantis, nempè quoniam qui eum prima tonſura initiauit, & ordines contulit non erat Epiſcopus: ſi excommunicatum in articulo mortis abſoluat, valeat abſolutio; ſiquidem

Digitized by Google

dem hoc caſu concurrat titulus ſaltem colorates, & communis error, & Laici quamuis de iure poſitiuo, tàm maſculi, quàm fœminæ ſint incapaces iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, vt in *cap. decernimus, de iudic.* non tamen ſunt incapaces de iure Diuino, & de poteſtate abſoluta Rom. Pontificis, vt latè probauimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 5. nu. 3.*

9 Sic ampliata limitatur hæc ipſa concluſio, vt quamuis confeſſio facta Laico, vel etiam facta Clerico, qui Sacerdos non ſit, non ſit ſacramentalis, nec materia Sacramenti pœnitentiæ, & abſolutio ſuper eam ab ipſo Laico impenſa ſit nulla ac inualida; attamen in defectum Confeſſarij in articulo mortis, vel eiuſdem periculo poteſt eſſe valdè vtilis ad excitandam contritionem, maioremq; ſui confuſionem. Vndè de præcepto non eſt talis peccatorum confeſſio, ſed tantùm de cõſilio, ſi ſpectatis circumſtantijs ſalubriter fieri poſſit: nec dicitur vera, ac ſacramentalis, nec requiritur, quòd ſit integra omnium peccatorum, & ſic licitam eſſe confeſſionem huiuſmodi factã Laico, Diacono, aut Subdiacono, aut etiam ſimplici Clerico prudenti, & ſapienti ad habendum ab eo conſilium, & auxilium, & ad excitandam contritionem: nec Laicus audiens huiuſmodi peccatorum confeſſionem tenetur ad ſacramentale ſigillum; ſed tantùm ad ſecretum ſaltem plusquàm naturale, ita vt illud violans grauiter veniat puniendus. Ita contra *Nauar. Henriq. lib. 8. de pœnit. cap. 2. nu. 7. lit. N. Fagund. de praecep. Eccl. pracep. 2. lib. 7. cap. 1. ſub nu. 7. Suar. in 3 par. tom. 4. diſp. 24. ſec. 2. Coninch. diſp. 8. de ſacram. nu. 6. Filliuc. tract. 7. qq. moral. nu. 182. & ſeq. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 10. ſub nu. 1. verſ. Corollarium*, Et infra latius dicemus in ſolutione argumentorum, & præcipuè in reſponſione ad iura in contrarium allata, vbi etiam videbimus, an Laicus, vel Clericus non Sacerdos abſoluens à peccatis, vt ſupra aliquam irregularitatem contrahat.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

10 AD ea, quæ cumulant Addentes ad *Panorm. in cap. quod non poteſt de regul. iur. lib. 5.* reſpondetur, quòd pro eorum opinione allegant *Gloſ. in d. cap. Paſtoralis*, quæ non ſolùm non fatetur, Laicum poſſe abſoluere pœnitentem, & iſtud nefas expreſsè negat. Nec neceſſitas quoad ea, quæ ad Clericos ſpectant facit licitum Laicis, quod aliàs eſſet illicitum; niſi id eis ſpecialiter à iure fuerit indultum, vt diximus in *Comment. Bulla Cœnæ d. q. 5. in fine, & nu. 9.*

11 Ad *text. in cap. quem pœnitet, de pœnit. d. 1.* dicitur, quòd eſtò, quòd Laico licitè fieri poſſit peccatorum confeſſio in caſibus ſupra relatis ad conſilium petendum, & ad contritionem excitandam, vt ſupra diximus limit. vnica; non tamen Laicus ipſe poteſt confeſſum ſacramentaliter abſoluere, cùm careat clauium poteſtate; ſed tantùm deprecatorijs verbis vti ſuper eum inquiens, *Miſereatur tui, &c.* Qui quidem Laicus quamuis non teneatur ad ſigillum ſacramentale, quo tenetur Sacerdos; obligatur tamen maiori vinculo, quàm illud ſub ſecreto alio quocùnque naturali audiret: & ſupplicio eſſet dignus ſi ſecretum illud reuelaret, vt habetur ex *Soto in 4. d. 18. q. 4. art. 1. concl. 3.* qui quidem *concl. 4.* inclinat etiam in ſententiam *Palud. in 4. d. 17. q. 3.* dicentis, Laicum abſoluentem ſacramentaliter aliquem effici irregularem per *text. in cap. ſi quis de Cler. non ordinato Miniſtr.* vbi ſtatuitur irregularitatis pœna cuicunq; non ordinato, qui Sacramenta ſollemniter adminiſtrat: licèt oppoſitam ſententiam probabilem eſſe docuimus in *d. noſtris Comment. q. 5. ſub nu. 25.* Cùm nullus irregularitatis pœnam incurrat, niſi in iure ſit expreſſa, vt in *cap. is qui, de ſent. excom. lib. 6.* Eſt tamen verum, quod Clericus non Sacerdos ſacramentaliter abſoluens pœnam illam non vitaret, quoniam *text. in d. cap. ſi quis*, expreſsè loquitur de Clerico non ordinato, vt poſt alios inquit, *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 3. ſub nu. 21.*

12 *Ad tex. in d. cap. non ſanctum, de conſecr. d. 4.* dicitur ex *Soto loco citato*, quòd vt ibi dicit *D. Auguſt.* hiſtoria illa non eſt authentica, & dato quòd eſſet, ibi agitur de reconciliatione tantùm à pœnitentia publica, non autem de reconciliatione, mediante confeſſione, & abſolutione ſacramentali. Vel ſecundò reſponderi poteſt, ibi, quod factum ſit referri; ſed reconciliatio illa an valida fuerit non dici.

13 *Ad d. cap. fures de furt.* patet reſponſio: ſiquidem confeſſio facta Diacono non fuit facta in ordine ad abſolutionem ſacramentalem, ſed ad excitandam contritionem pro digna ſumptione communionis eo caſu, cùm non potuerit præmitti confeſſio ſacramentalis ob defectum Confeſſarij iuxta ea, quæ cumulauimus ſupra *diſp. 7. ſec. 7. concl. 2. verſ. Sed quicquid ſit.*

14 Ad argumentum de abſolutione ab excommunicatione, reſpondetur, quòd ſententia oppoſita eſt magis recepta, vt ſupra oſtendimus, *ampl. 2.*

15 Ad id quod dicebatur ex *D. Iacobo cap. 5.* dicitur, quod *D. Iacobus*, ibi non loquitur de ſacramentali confeſſione Laico facienda, ſed cum Sacerdotibus, vt rectè declarat *Fagund. de praecep. Eccl. praecep. 2. lib. 7. cap. 1. ſub n. 6.* vbi etiam *nu. 4. & 5.* duo alia argumenta de Sacramento confirmationis, & Baptiſmi affert, & rectè ſoluit.

Sacerdos proprius quis nam dicatur, cui facienda ſit confeſſio ad implendum præceptum noſtri canonis.

S E C. II.

S V M M A R I V M.

1 *Proprius Sacerdos in materia confeſſionis quiſnam dicatur.*

2 *Romanus Pontifex eſt proprius Sacerdos vniuerſalis Eccleſiæ.*

3 *Legatus Romani Pontificis eſt proprius Sacerdos omnium, qui ſunt de finibus ſuæ legationis.*

4 *Epiſcopus proprius eſt Sacerdos eorum, qui ſunt de propria ipſius Diœceſi, ac Tripartitus eſt Epiſcoporum ordo.*

5 *Sub Epiſcopi appellatione continentur Archiepiſcopus, Patriarcha, vt Primas: non ſunt tamẽ prædicti proprij Sacerdotes ſubditorum ſuffraganeorum, niſi dum viſitant Prouinciam.*

6 *Archiepiſcopus dum viſitat Prouinciam, nec ordines conferre valet, nec dimiſſorias concedere ſubditis ſuffraganeorum.*

7 *Archiepiſcopus Diœceſis ſuffraganeorũ viſitare non poteſt, niſi cauſa cognita, & probata.*

Digitized by Google

8 Dicta de Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, &c. limitantur in Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, ac Primatibus Titularibus, Carentibus Populo Catholico, & Clero.

9 Capitulum Sede vacante, ſeu eius Vicarius proprius dicitur Sacerdos, ſicus Epiſcopus ſuccedit enim in tota eius iuriſdictione ordinaria.

10 Pœnitentiarius Epiſcopi iuriſdictionem, an habeat ordinariam.

11 Abbates exempti ſiuè ſaculares, ſiuè regulares ſint, qui præſunt Eccleſia, nulli Epiſcopo ſubiecta, dici poſſunt proprij Sacerdotes ſuorum ſubditorum.

12 Nomen Epiſcopi iuriſdictionem potius reſpicit, quam conſecrationem.

13 Parochus proprius dicitur Sacerdos omnium, qui ſunt de eius Parochia.

14 Parochus, quo ad forum conſcientia iuriſdictionem habet ordinariam, & quo ad Diuina, & ſpiritualia dicitur Vicarius natus Epiſcopi.

15 Religionum ſuperiores ſunt proprij Sacerdotes Religioſorum.

16 Abbates, Præpoſiti, Guardiani, Priores; Abbatem, aut alium Superiorem non habentes, ſunt quoque Sacerdotes proprij Religioſorum.

17 Præpoſitorum Vicarij, Priorum, & Guardianorum in abſentiam illorum, tunc iuriſdictionem habent ordinariam, cum prædicti ſunt extra Ciuitatem, vel mortui, ſecus ſi ſint extra domum tantum.

An idem dicendum ſit de Vicepræpoſito Domus Sancti Syluestri ac de vocali ſeniore.

18 Vocalis ſenior dicitur, qui profeſſione talis eſt, & hic poteſt Præpoſiti abſentis iura exercere, non ſolum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus.

19 Vicarij domus Vici aquenſis, ac Domus Tuſculana, & alij per Generalem electi, & immediatè illi ſubduntur, ſunt verè, & propriè Prælati, eandemq; habent Iuriſdictionem in ſubditos, quam habent noſtri Præpoſiti locales in ſuis domibus, in vtroq; foro.

20 Viſitatores in nonnullis Religionibus in quibus non ſunt Prouinciales Iura ferè prouincialia habent maximè viſitationis tempore.

21 Tempore viſitationis facultatem habent abſoluendi fratres à caſibus, Præpoſito reſeruatis, quam facultatem alijs delegare non poſſunt.

22 Confeſſarij, deputati ad audiendum fratrum noſtra Congregationis confeſſiones, eandem facultatem habent, quam Viſitatores tempore viſitationis.

23 Proprij Sacerdotes in foro pœnitentiali illi propriè nuncupantur, qui in illo foro ordinariam habent iuriſdictionem.

24 Iuriſdictio ordinaria ea dicitur, quæ alicui competit ex vi ſui muneris, vel Principis beneficio.

25 Summus Pœnitentiarius in foro pœnitentiali iuriſdictionem habet ordinariam, & ad eum concurrere poſſunt omnes Chriſti fideles pro ſatis faciendo præcepto noſtri canonis, & pro abſolutione à quibuſcunq; caſibus.

26 Ad Epiſcopos concurrere poſſunt pro confeſſione facienda omnes eius Diœceſani, ſiuè domicilium, ſiuè habitationem tantum habeant, ſiuè Vagabundi ſint.

Idemq; dicendum eſt ac Archiepiſcopis, Patriarchis, & Primatibus.

27 Ad legatum quoque concurrere poſſunt omnes de Prouincia, & finibus ſuæ legationis, ordinariam enim habet iuriſdictionem.

28 Dicta de Epiſcopis extenduntur ad Cardinales in ſubditos Eccleſiæ ſui Tituli, & ad Abbates ſaculares, quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, iuriſdictionem enim ordinariam habent.

An idem ſit de Vicarijs Epiſcoporum, ac de Capitulo Sede vacante. Et an Capitulum Sede Vacante ſuccedat Epiſcopo in Iuriſdictione delegata ſibi à Sede Apoſtolica.

29 Capitulum Sede vacante diſpenſare an poſſit in irregularitate occulta, & abſoluere a cenſuris occultis vigore Tridentini.

An id poſſit Archiepiſcopus viſitationis tempore cum ſuffraganeis ſuæ Prouinciæ.

30 Ad Parochum recurrere valent omnes, qui ſunt de eius Parochia, ſiuè Reges ſint, ſiue alij ſuperiores Principes. Et pro ſuſcipiendo quocunq; Sacramento, præter Ordinis, & nu. 36.

31 Scholares, & Milites, præſidiarij, ſamuli, & ancillæ confiteri poſſunt coram Parocho, in cuius Parochia habitant, ſtudiorum, militiæ, &c. cauſa.

32 Peregrini, & Vagabundi confiteri poſſunt Parocho, in cuius Parochia verſantur, vel Parochi Epiſcopo.

Et quotuplex ſit domicilium.

33 Scholares, Sollicitatores in Curia, Mercatores Mercenarij, vel confugientes aliquo cauſa belli, vel peſtis, habitationem, ſeu quaſi contrahere cenſentur, non domicilium

34 Domicilium habitationis eſt mutabile, & poteſt quis in aliquo loco habere habitationem; ſed nullibi domicilium præter originis, vel in vno loco habere habitationem, & in alio domicilium, vel in duobus locis duo domicilia.

35 Poteſt quis nullibi habere domicilium, nec habitationem.

36 Ad Parochum concurrere poſſunt in foro pœnitentiali non ſolum qui vnicum domicilium originis, vel habitationis habent, ſed etiam ſi aliud domicilium in alia Parochia.

37 Habens in vno loco habitationem tantum, & in alio loco domicilij originis, & nullibi domicilium habitationis, poteſt recurrere tùm ad Parochum originis, tùm habitationis pro ſuſcipiendo pœnitentiæ Sacramento.

Et ad quem Parochum debeat concurrere vagus.

38 Peregrini qui per breue tempus ad aliquem locum ſe conferunt recreationis, vel deuotionis cauſa, ad quem Parochum concurrere debent pro Sacramento pœnitentiæ ſuſcipiendo.

39 Parochus quamuis de Iure audire non poſſit regulariter perſonas alterius Parochiæ ſine licentia Parochi pœnitentis, poteſt tamen audire confeſſiones omnium Ciuitatis, vel Oppidi, ubi ſita eſt Parochia; non tamen totius Diœceſis.

Et quid de conſuetudine.

40 Parochus confeſſionem ſuorum ſubditorum audire poteſt extra Parochiam, & extra quoq; Diœceſim, cum ſit voluntaria Iuriſdictio.

Et quis veniat appellatione Parochi.

41 Epiſcopi nomen ſumitur plerumq; pro Parocho.

42 Ad ſuperiores regulares omnes eorum ſubditi con-

concurrere poſſunt in foro pœnitentiali. Et qui ſint ſuperiores iſti.

An debeant eſſe ab Epiſcopo approbati.

43 *Superior Regularis exponere poteſt ſuis ſubditis Confeſſarium ſæcularem: Ex minimè ab Epiſcopo approbatis.*

Et poteſt ſuo ſubdito concedere licentiam eligendi Confeſſarium non modo ſuæ Religionis, ſed etiam alterius.

44 *Monialibus, ſubditis Regularibus, deputari non poteſt à ſuperiore Regulari Confeſſarius regularis, qui approbatus non ſit ab Epiſcopo Diœceſano: Nec Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad confeſſiones ſæcularium audiendas, approbati cenſentur ad audiendas confeſſiones monialium.*

45 *Regularis fœmina, vel vir, habens bullam, priuilegium, vel Iubilæum pro eligendo ſibi Confeſſarium, an poſſit ſibi eligere ex Sacerdotibus ſæcularibus, vel Regularibus, quem voluerit, licet ab Epiſcopo non approbatum.*

1 IN hac re quot homines tot ſunt ſententiæ: nam *Panorm. & Ioan. Andr. hoc loco, n.12.* dicunt proprium Sacerdotem dici Roman. Pontificem, proprium Epiſcopum, & eiuſdem Vicarium generalem, legatum in Prouincia, & ipſius Pœnitentiarium, Archiepiſcopum Eccleſiæ Cathedralis, qui in hoc cenſetur Vicarius Epiſcopi, & Præsbyterum parochialem. Alij addunt Archiepiſcopum non ſolùm in ſua Diœceſi, ſed etiam quoad ſuffraganeos tempore viſitationis: & idem dicendum eſſe volunt de Patriarchis, ſeu Primatibus, & eorum Vicarijs Generalibus. His quoque aſſociantur Cardinales in Eccleſia ſui tituli, ſummus Pœnitentiarius: nec non Pœnitentiarius Epiſcopi: Abbates exempti tàm regulares, quàm ſæculares: Capitulum, ſiuè eius Vicarius, Sede vacante, Præpoſiti, ac Rectores Eccleſiæ Collegiatæ: Generales Religionum reſpectu Religioſorum, eorum Prouinciales, Abbates, Priores, Guardiani, Præpoſiti, eorum Vicarij, ac Viſitatores. Pro cuius rei explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 ROmanus Pontifex eſt proprius Sacerdos vniuerſalis Eccleſiæ. Hæc concluſio eſt citra omnem controuerſiam. Etenim Papa pro ſuo territorio, & Diœceſi habet totum terrarum Orbem, vt habetur ex *Cardin. in Clem. Paſtoralis, §. illud, nu. 4. de re iudic. Hoſtien. in c. tua nobis, de offic. Ordin.* Eſt Princeps Patrum, ſeu Pater Patrum, & communis Pater, & omnium Chriſti ouium vniuerſalis Paſtor: ob id appellatur quoq; Romanus Patriarcha in totam ſolicitudinem à Deo vocatus: ſiquidem poſt eiuſdem electionem à duobus partibus Cardinalium legitimè factam, ſtatim, & immediatè à Deo recipit ordinariam iuriſdictionem; & plenitudinem poteſtatis ſuper omnes Chriſti fideles, *cap. inniſta per mundum, 9.q.3. clem.1. in fin. vt lit. pend. cap. propoſuit, de conceſ. preben.* & nos latè *in noſtris commentar. ad Bull. Cœnæ lib.1. cap.4. q.7. nu.7. & lib.2. can. 1. q. 3. 4. 5. & 6.* quibus adde *Henr. de pœnit. lib.3. c.5. nu.5. Bellar. lib.4. de Sum. Pontif. cap. 23. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep.2. lib.7. cap.1. nu.22.* Summus Pœnitentiarius pariter eſt proprius Sacerdos vniuerſalis Eccleſiæ, in hoc pœnitentiali foro: eo quòd ordinariam habet iuriſdictionem, & de eiuſdem poteſtate latè tractat *Alph. de Leone par.2. caſ. conſc. recoll.4. nu.48. & recoll.7. nu.1. & ſeq.* Dependentem tamen à Summo Pontifice in eſſe, & conſeruari, ſicut iuriſdictio Epiſcoporum, & omnium Eccleſiaſticorũ, vt per *Fagund. loco citato, nu. 25.* cum alijs, quos allegat *Gloſ. in Clem. ne Romani, de elect. Henriq. de pœnit. lib.3. cap.7. Suar. in 3. par. tom.4. diſp.27. ſec.1.* latè *Gomeſ. in proem. Regul. Cancell. tit. de Sum. Pœnitentiario.* Et in ſpecie eſt proprius Sacerdos Cardinalium, qualis non eſt Vicarius Vrbis, quoniam eius poteſtas reſtringitur intra fines Diœceſis Romanæ, vt in *cap. penul. de officio Vicar. Reginald. lib.1. ſua prax. nu.45.* Et proindè dicitur proprius Sacerdos eorum tantùm, qui ſunt ipſius Diœceſis.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 LEgatus Romani Pontificis eſt proprius Sacerdos omnium, qui ſunt de finibus ſuæ legationis. Siquidem is habet iuriſdictionem ordinariam, vt infra dicemus, & in ſpecie quod poſſit audire confeſſiones ſuorum ſubditorum, ſiuè intra fines ſuæ legationis exiſtant, ſiuè extra reperiantur probat *Sanch. de matrim. lib. 3. diſp.28. nu.8. & 9.* & poſt alios *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſcien. recoll. 4. ſub nu. 51. & 52.* Sunt autem legati Sedis Apoſtolicæ triplicis generis: ſiquidem quidam à latere dicuntur, & hi Cardinales ſunt. Alij vocantur Nati, qui ſtatim, ac Epiſcopalem dignitatem adepti ſunt, legati quoque dicuntur. Et alij denique Miſſi, & iſti propriè Nuncij appellantur, vt in *cap. 1. & ibi Gloſ. de offic. leg. in 6.* & nos in noſtris *Commen. in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 11. q. 7. nu.2.* Quam verò poteſtatem huiuſmodi legati habeant circa abſolutionem à cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, ſufficienter declarauimus, *d. can. 11. q. 21. nu.9. & 10.* Quæ diximus de legato Apoſtolico extendimus ad eius Pœnitentiarium, vt habetur ex *Panorm. in explic. noſtri can. ſub nu.12.* Siuè legatus ſit à latere, ſiuè natus, ſeu Miſſus. Proprius Sacerdos dici poteſt Cardinalis in Eccleſia ſui tituli: etenim is quoque in ſua Eccleſia habet iuriſdictionem Epiſcopalem, ac ordinariam, vt in *cap. is, qui, de maior. & obed.* Vndè poteſt aſſiſtere matrimonio, & ſuos ſubditos à peccatis abſoluere; vt poſt alios probat *Sanch. loco cit. num.7. & Zecch. in ſua Rep. Eccleſiaſtica, de ſtatu Cardin.* Imò huiuſmodi Cardinales poſſunt petere ab eorum Eccleſijs etiam charitatiuum ſubſidium, vt habetur ex *Ioan. Monaco in cap.1. de maior. & obed. lib.6. Belluca in ſuo tract. de charit. ſubſidio, q.3. & Barb. allegat. 87. nu.14. & 15.* cum alijs, quos allegat, vbi etiam *nu. 16.* Idem dicendum putat de legato Papæ in ſua Prouincia, cùm omnia liberè, & immediatè poſſit, quæ quilibet ordinarius Iure, ſeu conſuetudine poteſt, vt per *Speculat. tit. de Legato. §. Nunc oſtendendum, verſ. Legatus,* & in ſpecie de charitatiuo ſubſidio, *Belluca loco citato, q.12.*

TERTIA CONCLVSIO.

4 EPiſcopus eſt proprius Sacerdos eorum, qui ſunt de propria ipſius Diœceſi. Hæc concluſio eſt *Panor. Io. Andreæ*, & communis omnium Doctorum in explicatione noſtri can. Ad cuius rei intelligentiam eſt aduer. quòd

Epiſcoporum ordo vltra Rom. Pontificem, qui
ſummus Sacerdos, ſeù Sacerdotum Princeps ap-
pellatur, eſt tripartitus: ſiquidè omnes Epiſcopi,
aut ſunt Patriarchæ, qui pluribus Prouincijs præ-
ſunt, & inter Epiſcopos poſt Romanum Pontifi-
cem primum locum ſibi vendicant, vt habetur ex
text. in cap. Cleros, d. 2. Panor. & alij in cap.
antiqua, de priuileg. ac alio vocebulo appellan-
tur Primates, *cap. Prouinciæ d. 99. & Gloſ. in*
cap. Vrbes, verſ. Patriarchas, 80. *d.* Aut ſunt
Archiepiſcopi, qui vni dumtaxat Prouinciæ
præſunt, eiuſdemq; Epiſcopos ſubiectos haben-
tes, & alio nomine Metropolitani dicuntur. Aut
denique ſunt Epiſcopi in ſpecie ſumpti, qui vni-
cam tantùm habent Ciuitatem, vt nos latè decla-
rauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ*
lib. 1. cap. 5. q. 2. n. 4. & lib. 2. can. 11. q. 7. & latius
Barb. de Poteſt. Epiſc. par. 1. tit. 3. cap. 3. & per
totum, tit. 4. & par. 2. alleg. 1. Vndè ſub Epiſcopi
5 appellatione certum eſt contineri Archiepiſco-
pum, Patriarcham, & Primatem in ſua propria
Diœceſi: vbi cum iuriſdictionem ordinariam
habent in vtroque foro, certum quoque eſt illos
dici proprios Sacerdotes ſuorum Diœceſanorũ.
Dixi *Suorum Diœceſanorum*. Quia Archiepi-
ſcopi, & Patriarchæ, ſeù Primates quoad ſubdi-
tos ſuffraganeorum cùm nullam poteſtatem ha-
beant, niſi in caſibus in iure expreſſis, vt habetur
ex *Genu. in praxi Archiep. Neap. cap. 70. nu. 7.*
cum alijs, quos allegat *Barb. de Archiep. præſt.*
tit. 4. nu. 2. & nu. 27. in fine, regulariter non di-
cuntur proprij eorum Sacerdotes, niſi tempore
viſitationis ſuarum Prouinciarum, quoniam tunc
poſſunt confeſſiones ſubditorum ſuffraganeorũ
audire, & abſoluere, confitentes, & ipſis pœni-
tentias iniungere ſalutares, & abſoluere à caſi-
bus, & cẽſuris Epiſcopo reſeruatis, vt per *Panin.*
de viſit. par. 2. q. 4. Gennen. loco citato num. 9.
Henr. de pœnit. lib. 11. cap. 3. §. 5. quam abſolu-
tionem viſitationis tempore, vt ſupra poſſunt im-
pendere, tàm per ſe, quàm per alios, vt probat
Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 25. ſec. 1. nu.
14. Reginal. in ſua praxi, lib. 1. nu. 34. Molf. in
ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 14. nu. 75. & Barb.
d. tit. 14. nu. 48. & 49. qui & *nu.* 50. addit, quod
6 non poteſt Archiepiſcopus dum viſitat Prouin-
ciam ordines conferre, nec litteras dimiſſorias
concedere ſubditis ſuffraganeorum; quoniam
non reperitur ei à iure permiſſum. Et quamuis
Barb. & alij ſupra relati Doctores loquantur de
Archiepiſcopis; nihilominus idem dicendum
de Patriarchis, ſeù Primatibus, cùm & ipſi quo-
que habeant non ſolùm vnam, ſed plures Pro-
uincias, & quamplurimas Metropoles ſibi ſuffra-
ganeas, de quibus latè *Barb. de poteſt. Epiſc. p. 1.*
tit. 3. à cap. 3. vſque ad caput 8. incluſiuè: at
inter Epiſcopos poſt Rom. Pontificem primum
locum obtinent, vt ſupra diximus: & in ſpecie
declarat *Alph. de Leone par. 2. caſuum conſcien.*
recoll. 4. nu. 8. 9. & 62. & Molf. in ſua ſum. tract.
7. cap. 14. nu. 75. qui in caſu de quo agitur, pro-
miſcuè tractant de Archiepiſcopis, ac Patriarchis
& Primatibus, vt tempore viſitationis iuriſdi-
ctionem habeant in foro ſacramentali in ſuorum
ſuffraganeorum ſubditos, quam iuriſdictionem
extendit etiam ad eorum Vicarios; abſentibus
tamen Patriarcha, vel Archiepiſcopo. Eſt tamen
verum, quòd hodie, attenta noua diſpoſitione
Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 3. Archie-
7 piſcopus non poteſt viſitare Diœceſes ſuffraga-
neorum, niſi cauſa cognita, in Conc. Prouinciali;
quo caſu viſitans habebit eaſdem facultates, quas
ante Conc. de iure communi habebat; atque
adeò non ſolùm tempore viſitationis poteſt
ſuffraganeorum ſubditos à peccatis, ac cenſuris
abſoluere, ſed etiam ſuper irregularitate occulta
diſpenſare, & in alijs caſibus de quibus *Suar. in*
3. par. tom. 4. diſp. 30. ſec. 2. nu. 8. Sayr. lib. 6. clau.
Reg. cap. 11. nu. 79. & alij quos refert, & ſequitur
Barb. d. alleg. 39. nu. 19. cum plur. ſeq. & d. tit. 4.
vbi latè tractat de Archiepiſcopali præſtantia.
8 Hæc quæ diximus de Epiſcopis, Archiepiſcopis,
& Patriarchis, ſeù Primatibus, limitamur non
habere locum in Epiſcopis, Archiepiſcopis, ſeù
Primatibus titularibus, qui ſolum titulum Eccle-
ſiarum, & Prouinciarum habent, populo Chri-
ſtiano, ac catholico Clero carentes; quoniam
iſti ſolùm characterem, & dignitatem retinent;
ſed iuriſdictionem non habent, ſicut Epiſcopi,
qui cum licentia Rom. Pontificis renunciarunt
dignitati, aut ob crimen priuati ſunt Epiſcopatu.
de quibus latè *Barb. de poteſt. Epiſc. par. 1. tit. 1.*
cap. 6. n. 15. cum plur. ſeq. & Fagnnd. de præcep.
Eccl. præcep. 2. lib. 7. cap. 1. ſub nu. 25.

9 Quæ diximus de Epiſcopis, vt ſint proprij Sa-
cerdotes vt ſupra, extendimus etiam ad capitu-
lum, Sede vacante, ſeù ad eius Vicarium: ſiqui-
dem ſuccedit in omni iuriſdictione ordinaria
Epiſcopi, vt in *cap. is quæ, cap. cum olim, de*
maior. obed. Lelius Zecch. in Rep. Eccleſ. cap.
24. nu. 10. 11. & cap. 23. verſ. Secundò, nu. 1.
Etenim Capitulum, ſede vacante, dicitur par, &
non inferior Epiſcopo, & poteſt abſoluere, &
diſpenſare in omnibus, à quibus poteſt Epiſco-
pus, vt per *Steph. Quarantam, ver. Capitulum,*
Sede vacante, & Alph. de Leone par. 2. caſuum
conſc. recoll. 4. nu. 17. & 18. cum pluribus alijs
ſeq. vbi etiam probat tàm Vicarium dicti Capi-
tuli, quàm Vicarium Generalem Epiſcopi ha-
bere iuriſdictionem ordinariam non autem de-
legatam: & eandem iuriſdictionem ordinariam
in foro pœnitentiali habere quoque Pœnitentia-
10 rium Epiſcopi eligendum ex decreto *Concil.*
Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. docet *Zecch.* poſt alios *loco*
citato, cap. 24. in fine. Quod tamen, an ſit diſtin-
ctè verum, rectè declarat *Alph. de Leone loco*
citato, nu. 27. & recoll. 7. nu. 24. & 25. cum plur.
ſeq. vbi quoque tractat, an poſſit à reſeruatis ab-
ſoluere, & concludit negatiuè, niſi expreſsè hæc
facultas ab Epiſcopis illis concedatur. Agit pa-
riter de poteſtate Pœnitentiariorum Vrbis, quæ
qualis, & quanta ſit, rectè declarat ibi, *nu.* 12.
11 *vſque ad* 20. Abbates exempti, ſiuè ſæculares,
ſiuè Regulares ſint, qui præſunt Eccleſiæ nulli
Epiſcopo ſubiectæ, poſſunt dici proprij Sacerdo-
tes ſuorum ſubditorum: ſiquidè illi ordinariam
habent iuriſdictionem, & omnia poſſunt, quæ
valent Epiſcopi in iuriſdictione exercenda, ex-
ceptis quibuſdam caſibus, pro quibus ſubdun-
tur Epiſcopo viciniori; nempè in concurſu fa-
ciendo pro Beneficijs curatis, ac in litteris com-
mendatiuis, vt habetur per *Henriq. lib. 3. de*
pœnit. cap. 6. in prin. Sanch. lib. 3. de matrim.
diſp. 28. n. 6. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc.
recoll. 4. nu. 12. 13. & 14. & recoll. 5. nu. 63. vbi
poſt *Sanch. loco citato, & Campan. rubr.* 12.
cap. 13.

cap. 13. nu. 76. addit etiam, huiuſmodi Abbates exemptos poſſe in eorum Diœceſibus iuriſdictionem hanc delegare: & ita teſtatur declaratum fuiſſe à Sacra Congregatione: & idem poſſe eorũ Vicarios docet ex ijs, quæ habentur ex *Fagund. de precep. Eccl. præcep. 2. lib. 2. cap. 7. ſub nu. 55.* vbi ait, Abbates eiuſmodi habere iuriſdictionem Epiſcopalem, ſicut & quidam magni Priores habent: & propterea poſſunt exponere, & approbare Sacerdotes in Confeſſarios intra eorum diſtrictum: nec non diſpenſare in votis reſeruatis Epiſcopis, & abſoluere ab omnibus excommunicationibus eiſdem reſeruatis. Nec obſtat, quòd prædicti Abbates, Priores, ſeù Adminiſtratores non ſint Epiſcopi, & verba *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* de Epiſcopis loquuntur; quoniam nomen Epiſcopi in Conc. iuriſdictionem potius reſpicit, quàm conſecrationem; & proindè ſub nomine Epiſcopi comprehenduntur etiam, qui ex priuilegio iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habent in Eccleſia, & hanc ſententiam nos ſecuti ſumus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœna lib. 5. §. 2. q. 11. à nu. 16. ad 19.* vbi tamen diximus, quòd ſtante relata ibi declaratione Eminentiſſimorum Cardinalium, non videtur recedendum à ſententia *Suar.* Sed pro hac re vide omninò, quæ reſpondet *Fagund. loco cit. nu. 56.* ad aliam ſimilem declarationem Sacræ Congregationis. Illud tamen hoc loco nolui ſilentio prætereundum quod aliqui dicunt de Vicario Foraneo, & de Præpoſito, ſeù Rectore Eccleſiæ Collegiatæ, qui cùm non ſint ordinarij, ſicut nec plebanus, & Archipresbyter ruralis nó habeat iuriſdictionem in pœnitentiali foro, vt habetur ex *Zecch. de Repub. Eccleſiaſt. cap. 26. & 27.* cum alijs, quos refert, & ſequitur *Alph. de Leone d. recoll. 4. nu. 24. & 26.*

QVARTA CONCLVSIO.

13 Parochus eſt proprius Sacerdos omnium, qui ſunt de eius Parochia. Hæc concluſio eſt *Io. Andr. Panor.* & aliorum in explicatione noſtri can. nis, & communis. Habet enim Parochus iuriſdictionem ordinariam in ſua Parochia, ſicut Epiſcopus in ſua Diœceſi, quoad pœnitentiale forum, vt per *Io. Andr. & Canoniſtas loco citato*, ac late per *Theol.* de quibus *Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 10. nu. 3.* qui eandem iuriſdictionem extendit in perpetuum Parochiæ Vicarium: imò Parochi appellatione veniunt omnes habentes curam animarum, licèt alio nomine vocentur, vt ſunt Abbates, Præpoſiti, Archipresbyteri, Archidiaconi, & etiam Epiſcopi, & Archiepiſcopi, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4. nu. 21. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 7. cap. 2. n. 4. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 4. nu. 72. & Barb. de poteſt. Epiſc. in addit. alleg. 25. col. 3. verſ. Nomine Parochialis Beneficij:* Obtinentes parochiale beneficium, & cui annexa eſt cura animarum, nulla indigent Epiſcopi approbatione quoad pœnitentiale forum, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. de refor.* quod optime explicat *Fagund. loco citato, nu. 2.* Denique inter proprios Sacerdotes connumeratur hic à *Io. Andr. Panor.* & alijs, Archipresbyter

14 Cathedralis Eccleſiæ; ſiquidem is habet ordinariam iuriſdictionem quoad forum conſcientiæ; quoniam in his, quæ ſpectant ad Diuina, & merè ſpiritualia eſt Vicarius natus Epiſcopi, vt habetur ex *Lelio Zecch. de Repub. Eccleſiaſt. cap. 24. nu. 14.* Eſt tamen verum, quod iuriſdictionem illam non habet quoad vniuerſam Diœceſim, ſed tantùm quoad Parochiam Cathedralem; quoniam ipſe Archipresbyter regulariter eſt illius Parochus, & hanc opinionẽ hodie veriorem eſſe, & vſu extare teſtatur *Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 27. & Alph. de Leone d. recoll. 4. ſub nu. 25.* qui tamen addit, eum non poſſe abſoluere à reſeruatis, nec alteri facultatem dare audiendi confeſſiones, vt probat *Henriq. lib. 3. de Sacram. Pœnit. cap. 7. nu. 3.*

QVINTA CONCLVSIO.

15 Superiores Religionum ſunt proprij Sacerdotes Religioſorum. Et quidem de P. Generali non controuertitur, cùm tanquam ſupremus Regularium ſuperior ordinariam habeat iuriſdictionem, tàm quoad forum externum quàm internum: eo quòd habet Eccleſias, & ſubditos pleno iure ſubiectos, Rom. Pontifici immediatè ſubditur, & iuriſdictionem habet quaſi Epiſcopalem, vt rectè declarat *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 17. art. 6.* Vndè patet Generalis omnium ſuæ Religionis Religioſorum eſt proprius Sacerdos. Idem dicendum eſt de Prouinciali in propria Prouincia: ſiquidem ordinariam quoque iuriſdictionem ſibi vendicat, vt habetur ex *Rodriq. loco citato*, in cuius ſententiam videtur inclinare *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 188. Megal. lib. 1. inſtit. Peregr. cap. 7. num. 20. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 4. ſub nu. 30.* quamuis idem *Rodr. tom. 3. qq. Regul. q. 43. art. 3.* velit, poſſe Patrem Generalem reſpectu ipſius Prouincialis caſus reſeruare. Sunt etiam

16 proprij Sacerdotes Regularium Abbates, Præpoſiti, Guardiani, Priores, non habentes Abbatem, aut alium ſuperiorem: ſiquidem hi quoque iuriſdictionem habent ordinariam, vt habetur ex *Filliuc. & Rodriq. locis citatis, & Alph. de Leone d. recoll. 4. à nu. 31. & 35.* vbi etiam agit de P. Generali, ac Prouinciali, an poſſint reſtringere facultatem, quam ex priuilegio, aut de iure habent dicti Abbates, Præpoſiti, Guardiani, &c. & vltra alios Doctores allegat *Cordub. ad Caſarubium in compendio priuil. Mendic. ver. Accedere ad Monaſteria*, concludendum non poſſe eis reſtringi facultatẽ datam ſibi à iure eligendi Confeſſarium. Vicarij quoque præfatorum Præpoſitorum, Guardianorũ, &c. Et Priores Abbatum ſunt proprij Sacerdotes in abſentiam eorum Abbatum, Præpoſitorum, & Guardianorum: ſiquidem Vicarij in abſentiam eorum, quorum ſunt Vicarij ordinariam habent iuriſdictionem, vt colligitur ex ijs, quæ habentur per *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 19. art. 2. Sà in ſuos Aphoris. ver. Delegare, Alph. de Leone d. recoll. 4. nu. 35.* & latè *Pellegr. in commentar. ad noſtras conſtit. par. 3. cap. 9. litt. P. verſ. Abſente Præpoſito.* Eſt

17 tamen verum, quòd quamuis huiuſmodi Vicarij in abſentiam Præpoſitorum, Priorum, ac Guardianorum, ſicut & Priores in abſentiam Abbatum iuriſdictionem habeant vt ſupra; id tamen intelligendum eſt, quando abſentia ipſorum Prelatorum eſſet extra Ciuitatem, vel eſſent mortui, vel ex aliqua cauſa officium dimiſerint: tunc enim Vicarij habent iuriſdictionem ordinariam in vtroque foro: ſecus autem ſi prædicti Prælati abſen-

abſentes eſſent extra domum tantùm in eadem Ciuitate; quoniam tunc Vicarij iuriſdictionem non habent, & ita declaraſſe Patres Dominicanos teſtatur *Pellegr. loco citato*, in eorum Capitulo generali celebrato Pariſijs anno 1246. & habetur ex *Syluestr. in ſum. ver. Confeſſor* 1. §. 8. *verſ. Tertiò nec qui praeeſt*. Idem dicendum eſt de Vice Præpoſito noſtræ domus S. Syluestri, & de patre vocali ſeniori, qui in abſentia Præpoſiti, vel Vicarij noſtræ Congregationis regimen domus habet, vt habetur ex eodem *Pellegr. in proem. commentar. noſtr. conſtit. lit. E. verſ. Tertiò Vice Præpoſitus: & par. 3. cap. 9. lit. C.* §. 11. vbi declarat, quiſnam dicatur vocalis ſenior,
18 & ait, illum dici vocalem ſeniorem, qui profeſſione ſit talis, quamuis actiuam tantum vocem habeat, & hunc probat poſſe Præpoſiti iura exercere non ſolùm in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus, ſicut Vicarij in abſentiam Præpoſiti, & Vice Præpoſitus in abſentiam R. Admodum P. Generalis; ita vt valeat etiam recipere Nouitios in Religione, & receptos ad profeſſionem, vel ad habitum admittere, quod quidem quomodo, & quando debeat, idem *Pellegrin.* declarat 2. *par. cap.* 5. *lit. C.* §. 2. *vſque ad* §. 3. Vicarius quoq; noſtræ domus S. Petri de Arena Ianuæ eandem poteſtatem habet in ſuos ſubditos, mortuo Præpoſito S. Syri, & tempore Capituli generalis, quam habet Vicarius eiuſdem domus S. Syri in ſubditos ſuæ domus, & vnus non dependet ab altero; niſi in rebus capitularibus, cùm Vicarius S. Petri de Arena non poſſit conuocare Capitulum in ſua domo, ſed tàm ipſe Vicarius, quàm in ipſa domo exiſtentes vocem habent in Capitulo S. Syri Ianuæ in rebus, quæ capitulariter ſunt definiendæ, vt habetur ex eodem *Pellegr. in d. præem. lit. D. verſ. Quartò Vicarius*. Vndè præfati Vicarij in abſentiam eorum Præpoſitorum, & Priores in abſentiam eorum Abbatum vt ſupra, cùm habeant iuriſdictionem in vtroq; foro, poſſunt excommunicare, obligare ſub mortali, & omnia, quæ faciendi facultatem habent Præpoſiti noſtræ Congregationis, ſicut etiam vocalis ſenior in abſentiam Vicarij, & Præpoſiti.

19 Cæterum Vicarij domus Vici Aquenſis, & domus Tuſculanæ, & alij, qui ab admodum R. P. noſtro Generali ſunt electi, & immediatè illi ſubduntur, licèt nomine differunt à Præpoſitis, tamen in ſuis domibus ſunt verè, & propriè Prælati, & habent eandem iuriſdictionem in ſubditos, quàm habent noſtri Præpoſiti locales in ſuis domibus, tàm in foro exteriori, quàm in foro interiori, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Ludou. Miranda in ſuo Man. Prælat. tom. 2. q.* 20. *art.* 1. *concl.* 1. Vndè facultatem habent faciendi præcepta obligantia ad lethalem culpam, & excommunicandi ſuos ſubditos, ſiuè Præpoſiti à quibus dependent ſint abſentes, ſiuè præſentes in domibus, quarum ſunt Præpoſiti; quoniam dependentia intelligitur in rebus capitularibus grauibus, maximè in electione vocali pro Capitulo generali, vt rectè declarat idem *Pellegr. in d. præm. verſ. Quartò Vicarius, & par. 3. cap. 9. lit. D.* §. 10. Idem dicendum puto de Prioribus non habentibus Abbatem quoad iuriſdictionem in vtroque foro, cùm ipſi dicantur adhuc Prælati, & militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

SEXTA CONCLVSIO.

20 VIſitatores in nonnullis Religionibus, in quibus non ſunt Prouinciales habent ferè iura prouincialia maximè viſitationis tẽpore, vt habetur ex *Rodriq. tom. 2. qq. Regul. q. 4. art. 3. & Berto in ſua praxi criminali Regul.* poſt eundem *Rodriq. tit. 2. cap. 1. nu. 15. & tit. 4. cap.* 22. Qui dicunt delegatam habere poteſtatem licèt eam poſſint ſubdelegare. In noſtra tamen Congregatione Viſitatores habent iuriſdictionem ordinariam quoad forum externum etiam extra tempus viſitationis, cùm ſint Iudices ordinarij in ſecundis cauſis, ad quos datur appellatio à ſententia Præpoſiti: & in primis cauſis datur præuentio, ita vt ſententiam ferant cum Præpoſito præuento cum interuentu vnius ex Aſſeſſoribus deſignatis, vt patet ex Decreto Capituli Generalis lato anno 1621. 3. *par. cap. 9. nu.* 8. Tempore autem viſitationis facultatem habent
21 abſoluendi fratres etiam à caſibus Præpoſito reſeruatis: non tamen poſſunt huiuſmodi facultatem alijs delegare, vt in Decreto lato anno 1607. 3. *par. cap.* 10. *nu.* 5. Vndè toto viſitationis tempore cuiq; noſtrum liberum eſt peccata confiteri vtri placuerit ex Viſitatoribus abſque Propoſiti licentia, vt conſtat ex noſtris *Conſtitutionibus 3. par. cap. 8. nu.* 9. Imò Viſitatores viſitationis tempore poſſunt Noſtros abſoluere à quibuſuis peccatis, & cenſuris, non ſolùm Præpoſitis, verùm etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis, quæ continentur in Bulla Cœnæ Domini, vt in noſtris priuilegijs, & in ſcholijs, *Pellegr. tit. Abſolutio quoad fratres noſtra Congregationis*, §. 1. Et quamuis priuilegium excipiat caſus reſeruatos noſtris Superioribus iuxta Decretum Clem. VIII. publicatum Romæ die 26. menſis Maij 1593. nihilominus id poſtea videtur conceſſum noſtris Viſitatoribus per ſupradictum Decretum Capituli Generalis 1607. 3. *par. cap.* 10. *nu.* 5.

22 Eandem facultatem quam tempore viſitationis habent Viſitatores, habent quoq; Confeſſarij deputati ad audiendũ Fratrum noſtræ Congregationis confeſſiones: ſiquidem etiam extra tempus viſitationis poſſunt eos abſoluere à quibuſcunq; peccatis, & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis illis, quæ habentur in Bulla Cœnæ Domini, & caſibus reſeruatis noſtris Superioribus, ſeruata forma Decreti Clem. VIII. ſupra relati. Imò Confeſſarij vt ſupra deputati à noſtris Superioribus poſſunt abſoluere etiam Nouitios ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis Superioribus: ſiquidem Nouitij in odioſis non cenſentur Religioſi, *cap. Religioſo, §. quamuis, de ſent. excom. in* 6. atque ideò non obligantur præcepto, cenſuris, ac reſeruatione Superioris Religionis, vt rectè declarat *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll.* 11. *nu.* 86. & 139. qui ait, hanc ſententiam eſſe veriorem, & omninò tenendam, & pro ea allegat *Floron. de caſib. reſer. Faentia par. 1. cap. 3. nu. 9. in fine, Ioan. Cruz lib. 3. de ſtat. Relig. cap. 6. d. 10. concl. 3. Coriolan. de caſib. reſer. par. 1. ſec. 3. cap. 1n. nu. 2. Tamb. tom. 2. de iure Abb. diſp.* 13. *q.* 5. & alios quamplurimos Doctores, & multipliciter ampliat, ac contraria ſoluit. Item prædicti Confeſſarij deputati poſſunt diſpenſare cum ipſis Nouitijs in omni irregularitate, excepto ex homicidio voluntario contracta: non

tamen

Digitized by Google

tamen poſſunt illos abſoluere à cenſuris, & caſibus in Bulla Cœnæ reſeruatis, vt habetur ex *Pellegr. in ſchol. compendij noſtr. priuilegiorum, tit. Abſolutio quoad Fratres noſtræ Congregat. §. 1. in fine ſcholij.*

SEPTIMA CONCLVSIO.

23 EX dictis hucuſque patet, quòd proprij Sacerdotes in foro pœnitentiali illi propriè nuncupantur, qui in illo foro ordinariam habent iuriſdictionem, vt rectè quoque declarant *Panor. Io. Andr. Iacob. de Zoch.* & alij in explicatione noſtri canonis: & propterea concluſimus, Romanum Pontificem eſſe proprium Sacerdotem vniuerſalis Eccleſiæ, & eiuſdem Sum. Pœnitentiarium. Item legatum diximus eſſe proprium Sacerdotem omnium, qui ſunt de finibus ſuæ legationis, ſiuè à latere ſit, ſiuè Natus, ſiuè Miſſus; ſicut, & ipſius eſt Pœnitentiarius, Cardinalis in Eccleſia ſui tituli, Epiſcopus, Archiepiſcopus, Patriarcha, ſeù Primas in propria Diœceſi. Imò oſtendimus, Archiepiſcopum, Patriarcham, & Primatem, dum viſitant eorum Prouincias dici proprios Sacerdotes etiam ſuorum ſuffraganeorum. Idem diximus de eorum Pœnitentiarijs, & Vicarijs, de Capitulo, Sede vacante, eiuſdem Vicario, de Cathedralis Archipræsbytero, de Abbatibus exemptis, ac de proprio Parocho. Item proprium Sacerdotem Regularium probauimus eſſe Generalem, Prouincialem in propria Prouincia, Præpoſitos, Priores, Guardianos in proprijs eorum Eccleſijs, ipſorum Vicarios: & denique nonnullis Religionibus non habentibus Prouinciales, Viſitatores viſitationis tempore: ſiquidem omnes ſupradicti iuriſdictionem habent ordinariam in pœnitentiali foro, vt ſupra latè declarauimus. Dicitur
24 autem iuriſdictio ordinaria, quæ alicui competit ex vi ſui muneris, vel Principis beneficio, vt eſt iuriſdictio eorum, quos ſupra retulimus, ad differentiam delegatæ iuriſdictionis, qua alicui cauſa ſpecialiter committitur terminanda, vel exequenda, vt latè de hac re egimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ lib. 2. can. 17. q. 3. à nu. 10. ad 11.* Vndè quia Rom. Pontifex eſt vniuerſalis Eccleſiæ proprium, & Sum. Sacerdos, omnes tàm Clerici, quàm Monachi maſculi, ac fœminæ, ſæculares poſſunt ad eum recurrere. Sæculares autem, ſiuè Clerici ſint, ſiuè Laici ad quemlibet ſupradictorum eorum Superiorum, ſicut & Religioſi, ad quemlibet prædictorum Regularium licitè recurrunt in pœnitentiali foro, non petita alterius licentia: & ſic vnus poteſt habere plures proprios Sacerdotes, & cui maluerit poteſt ſacramentaliter confiteri ad implendum præceptum annuæ confeſſionis in noſtro canone contentum, citrà alterius licentiam, vt habetur ex *Panor.* & alijs ibidem, & *Gloſ. in cap. 2. eo. tit. noſtro in 6.*

25 Et cum Summus Pœnitentiarius in pœnitentiali foro in omnes Chriſti fideles iuriſdictionem habeat ordinariam, vt habetur per *Doctor. in expl. noſtri can. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. Theol. tract. 6. de ſacr. pœnit. cap. 10. nu. 3. Henr. lib. 3. de pœnit. cap. 7. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 1.* & facit *text. in Clem. ne Romani,* & ibi, *Gloſ. de elect.* Hinc ſequitur, quòd ad Sum. Pœnitentiarium omnes Chriſti fideles recurrere poſſunt ad eidem confitendum eorum peccata, ac ad ſatisfaciendum præcepto noſtri canonis. Vndè ad eum recurrere poſſunt Clerici, ac Laici: Sæculares, ac Regulares: Ciues Romani, & aliæ nationes, ſiuè Romæ domicilium habeant, ſiuè ibi domicilium non habeant, atque adeò hoſpites ſint, ac peregrini, & vagabundi ſiquidem Pœnitentiarius Summ. immediatè à Romano Pontifice poteſtatem habet audiendi omnium, & quorumcumq; fidelium confeſſiones, & abſoluendi eos à quibuſcumq; peccatis, & cenſuris in foro pœnitentiæ, vt de ipſius poteſtate latè tractat *Gomeſ. in proœm. Regul. Cancell. in tit. de Sum. Pœnitentiario,* & fuſius *Zecch. in ſua Rep. Eccleſiaſtica, de Prælatis in ſpecie, cap. 3.* quos refert *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 4. nu. 3. & 4.* vbi etiam *nu. 5.* poſt alios addit, quòd Sum. Pœnitentiarius appellatur quoque maior Pœnitentiarius: nec Maior dicitur Auditor Rotæ, qui vices tenet Summi: ſiquidem is habet iuriſdictionem delegatam tantùm ad nutum ipſius Summi, ac maioris Pœnitentiarij. Adeſt etiam officium Correctoris, ac Sigillatoris, de quibus *Zecch. loco citato.*

26 Ad Epiſcopos recurrere quoque valent omnes eorum Diœceſani, ſiuè in Diœceſi domicilium habeant, ſiuè habitationem tantùm, ſiuè ſint vagabundi, vt infra latius declarabimus de Parochianis, & Parochis agentes. Idem dicendum eſt Archiepiſcopis, Patriarchis, & Primatibus: nam ad eos poſſunt recurrere non ſolùm omnes de eorum Diœceſibus, ſed etiam earumdem ſuffraganij; viſitationis tamen tempore, iuxta ea, quæ
27 ſupra adnotauimus, *concl. 3.* Ad Legatum pariter recurrere poſſunt omnes, qui ſunt de Prouincia, & finibus ſuæ legationis, ſiuè domicilium ibi habeant, ſiuè habitationem duntaxat, ſiuè ſint vaghi, iuxta ea, quæ infra dicemus de Parochis, & Parochianis; ſiquidem Legati iuriſdictionem ordinariam habent, & poſſunt audire confeſſiones ſuorum ſubditorum ſicut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & Primates, & eorum Vicarij, ac Pœnitentiarij, vt ſupra adnotauimus, *concl. 2. & 3.* Imò Legati exercere valent iuriſdictionem eorum in foro pœnitentiali in omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, ac Primates ſuarum Prouinciarum: ſicut Epiſcopus in omnes, ſuos Diœceſanos, & in eos, qui verè ſunt ſui ſubditi, licèt reperiantur extra territorium: ſiquidem, cùm iuriſdictio in foro pœnitentiali ſit voluntaria in omni loco exerceri poteſt in proprios ſubditos, & in omni tempore, *arg. tex. in l. emancipari, ff. de adopt.* & propterea non terminatur in loco, ſed in perſonis, ad differentiam iuriſdictionis contentioſæ, vt diximus in noſtris *Comment. in Bulla Cœnæ, lib. 2. can. 17. q. 3. ſub nu. 10. verſ. Diuiditur etiam:* & infra latius, Deo duce, dicemus. Ad Vicarium Vrbis non poſſunt omnes confugere ad ſuſcipiendum pœnitentiæ Sacramentum, ſed tantùm, qui ſunt Diœceſis Romanæ, vt in *cap. penul. de offic. Vicar.* & ſupra adnotauimus *concl. 1.* Quæ
28 diximus de Epiſcopis extendimus ad Cardinales in ſubditos Eccleſiæ ſui tituli, vt ſupra diximus *concl. 2.* & ad Abbates ſæculares quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes: ſiquidem iuriſdictionem habent ordinariam, Diœceſim, ac territorium, vt habetur ex *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 32. nu. 3. Tambor. de Prælato*

Epiſcopo

Epiſcopo infer. & ex alijs. Et propterea eorum ſubditi ad eos iure licito recurrunt. Et quoniam ordinariam quoque iuriſdictionem habent Vicarij Epiſcoporum, Capitulum, Sede vacante, ac eiuſdem Vicarius, idcircò ad illos licitè recurrere valent eorum Diœceſani iuxta ea quæ adnotauimus ſupra *concl. 3. verſ. Qua diximus*. Eſt tamen verum, quòd Capitulum Sede vacante, licèt habeat iuriſdictionem in omnes, in quos habet Epiſcopus ratione Epiſcopalis iuriſdictionis; non tamen iuriſdictionem habet in eos, in quos habet iuriſdictionem delegatam à Sede Apoſtolica; quoniam in tali iuriſdictione non ſuccedit Epiſcopo, vt habetur per *Panor. in cap. olim, q. 5. de maior. & obed.* & alios, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 36. nu. 10. & alleg. 92. nu. 17.* Non tamen puto
92 denegandam eſſe huiuſmodi Capitulo, Sede vacante, facultatem abſoluendi à cenſuris, & caſibus occultis, & diſpenſandi ſuper irregularitate occulta, conceſſam Epiſcopis, à *Concil. Trid.* vt diximus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœna, lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 16.* & latius habetur ex *P. Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 9. nu. 8. 9. & 10.* Siquidem hæc facultas, vel eſt ordinaria, vel ordinariam vim habet. Vicarius autẽ dicti Capituli, cùm ſit in hac facultate delegatus talem facultatem ſibi vendicare non valet, niſi in ea ſpecialiter delegetur à Capitulo, vt latè probat ipſe *Alph. de Leone d. recoll. 9. nu. 11.* qui etiam *nu. 12.* id denegat Prælatis inferioribus Epiſcopo, licèt iuriſdictionem habeant Epiſcopalem, vel ſaltem eſt dubius: pro qua re videnda ſunt, quæ nos cumulauimus in dictis noſtris *Commentarijs, d. nu. 16. 17. & 18.* quibus adde, quæ habentur ex *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 39. nu. 17. Sanctarel. de hæreſi. cap. 5. dub. 1. nu. 7.* Eandem facultatem abſoluendi ab occultis iuxta decretum *Conc. Trid.* denegat idem *Alph. de Leone ibidem nu. 14.* Cardinalibus quoad ſuos familiares, quoniam licèt in eorum Eccleſijs titularibus habent Epiſcopalem iuriſdictionem, non tamen ſubditos quoad forum externum, ad quod allegat *Moneram de commut. vlt. volunt. cap. 5. nu. 453.* An autem Archiepiſcopus tempore viſitationis ſuæ Prouinciæ poſſit diſpenſare ſuffraganeis ſuper irregularitate occulta, dato quòd valeat à cenſuris reſeruatis occultis, vide eundem *Alph. de Leone loco citato, nu. 18. cum plur. ſequen.* qui ſequitur partem affirmatiuam contra nonnullos, ſecutus *Geunen. in praxi Arch. Neap. cap. 66. nu. 43.* & alios.

30 Ad Parochum recurrere valent pariter omnes ſui Parochiani: etenim Parochi iuriſdictionem habent in pœnitentiali foro in omnes ſubditos ſuæ Parochiæ, etiam ſi Reges ſint, vel alij Superiores Principes, niſi contrarium ipſis conceſſum fuerit priuilegium, vt habetur ex *Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 197. in fine*, & nos latè ſupra diximus *concl. 4.* Ordinariorum enim iuriſdictioni, nempè Epiſcopi, & Parochi ſubijciuntur fideles non tantùm conſtituendo in Diœceſi domicilium, ſeù habitationem perpetuam; ſed etiam quaſi domicilium, ſiuè habitationem ad tempus longum, vt habetur ex *Panor. nu. 29. de for. compet. Molin. tom. 1. tract. 2. diſp. 214. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 25. ſec. 2. Sanch. lib. 4. moral. cap. 37. nu. 24. & lib. 3. de matr. diſp. 23. nu. 12. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 1. tract. 4. cap. 12. ſub nu. 1. & lib. 5. tract. 6. cap. 10. nu. 5.* vbi poſt *Sanch. loco citato* id ampliat etiam quoad alia Sacramenta, excepto Sacramento ordinis. Vndè ad Parochum recurrere poſſunt fideles habentes domicilium, vel habitationem vt ſupra in eius Parochia pro ſuſcipiendo Sacramẽto pœnitentiæ, ſed etiam pro ſuſcipiendo ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, matrimonio contrahendo, &c. Nec non pro diſpenſando in votis, ac pro conferendo ſacram ſepulturam, vt notat *Laym.* vbi ſupra *d. nu. 5.* Qui ob id inquit, quòd Scholares, Milites, Præſidiarij, Famulæ, & Ancillæ, & alij ſimiles, quamuis alibi domicilium habeant, poſ-
31 ſunt tamen confiteri Parocho, in cuius Parochia habitant ſtudiorum, militiæ, præſidij, vel famulatus gratia; ſicut, & illius Diœceſis Epiſcopo: verum ſi quis prædictorum fidelium velit ordines ſuſcipere tenetur adire Epiſcopum, in cuius Diœceſi domicilium habet, nec ſatis eſt ordines ſuſcipere ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi quaſi in-
32 colatum tantùm obtinet. Peregrini pariter, ac vagabundi poſſunt confiteri Parocho, in cuius Parochia pro tempore verſantur, vel eiuſdem Parochi Epiſcopo.

Pro cuius rei clariori intelligentia eſt adnot. quòd domicilium eſt duplex originis, ſcilicet, & habitationis. Primum eſt locus, in quo quis naſcitur; dummodo parentes eius tempore eiuſdẽ ortus, ibi domicilium habeant ſaltem habitationis, de quo mox agemus, vt in *l. filios, C. ad Municip. lib. 10. & l. Ciues, in fine, C. de Incol. eo. lib.* & hoc cùm ſit naturale, & naturalia ſemper permaneant eſt immutabile, *l. origine, C. ad Municip.* Secundum verò domicilium, quòd dicitur habitationis cõtrahitur ſtatim quòd quis incipit alicui habitare animo, ibi perpetuò commorandi, vt in *l. domicilium, ff. eo. tit. citato.* Vndè ſola domus in aliquo loco non eſt ſatis conſtituere domicilium; nec ſola habitatio, niſi adſit animus perpetuò ibi commorandi, vt habetur ex *Felino in cap. dilectus, il 2. nu. 11. & 12. verſ. Secundus caſus, & verſ. Secundò limito de*
33 *reſcript.* Hinc Scholares, Sollicitatores in Curia, Mercatores, Mercenarij, & ij, qui cauſa belli, aut peſtis fugiunt in aliquem locum poſt notabile tempus, ceſſantibus abſentiæ cauſis, ad proprium domicilium reuerſari, & alij ſimiles cenſentur in eo loco habitationem, ſeu quaſi, non autem domicilium contrahere, vt rectè declarat *Sanch. lib. 3. de matr. ſub nu. 11. verſ. Quarta, & nu. 14.* vbi etiam poſt alios inquit, quod in eo loco habitare quis dicitur, vbi pro maiori parte anni commoratur, aut incipit habitare animo commorandi pro maiore anni parte: ad differentiam eius, qui alio petit breui ad propriũ domicilium rediturus: ſiquidem is ibi non dicitur comparaſſe habitationem, ſed habetur tanquam Peregrinus, vt in *cap. is qui, de ſepul. in 6.*
34 Huiuſmodi autem domicilium habitationis eſt mutabile: nam per translationem habitationis in alium locum animo ibi perpetuò permanendi deperditur primum domicilium, & acquiritur nouum, vt latè nos declarauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ Domini lib. 2. can. 10. q. 11. à nu. 2. ad 9.* Vbi etiam oſtendimus, quòd quis in aliquo loco habitationem tantùm habere

poteſt;

poteſt; ſed nullibi domicilium, præter quam illud originis, vt ſi quis proprium domicilium omninò deſerens alio ſe conferat, ibi per maiorem partem anni permanſurus. Et poſſe aliquem in vno loco habere domicilium, & in alio habitationem tantùm, vt cùm quis in vno loco cæperit habitare animo in eo perpetuò cõmorandi: & deindè, retento eodem animo, in alium locum ſe conferat per maiorem partem alicuius anni, ibi permanſurus. Item probauimus vnum poſſe habere duo domicilia in duobus locis, vt cùm quis in vtroque loco æqualiter eſt inſtructus, vt quia in vno loco habet animum perpetuò commorandi in hieme, & in alio in æſtate. Et ſi non habeat animum perpetuò commorandi, & ſit ſimiliter æqualiter inſtructus, & eodem modo habitet dicitur habere duplicem habitationem. Item poteſt aliquis in vno loco domicilium, vel habitationem habere; & in aliquo loco commoretur, vt in eo nec domicilium, nec habitationem habeat, vt cùm quis ex loco domicilij, vel habitationis ſe aliò tranſeat, ibi per breue tempus permanſurus, nempè recreationis, aut deuotionis gratia, qui propriè appellatur Peregrinus. Denique poteſt aliquis nullibi habere domicilium, nec habitationem, vt cùm quis priſtinum domicilium omninò deſerens nauiget, vel iter faciat, quærens locũ, in quo ſe collocet: & voca-
35 tur vagus, ſeù vagabundus, vt in *l. eius, la 2. §. Celſus, ff. ad Municipal. Gloſ. in cap. 2. de ſepul. in 6.* & latè *Sanch. loco citato.*

36 His igitur ſic prælibatis, dicimus ad Parochum recurrere poſſe in pœnitentiali foro non ſolùm qui vnicum domicilium originis, vel habitationis habent in illius Parochia, ſed etiam ſi aliud domicilium in alia Parochia: etenim qui in duabus Parochijs domicilium habet, in quibus diuerſis anni temporibus habitare ſolet, poteſt in altera ex dictis Parochijs ad ſui libitum Sacramentum pœnitentiæ, & alia Sacramenta ſuſcipere; dummodò in vtraque Parochia, atque adeò in vtroque loco magnam anni partem habitare ſoleat, vt quia in hieme, & in altero in æſtate ſit ſolitus commorare, iuxta ea, quæ ſupra diximus, vt habetur ex *Panor. in cap. in noſtra, nu. 10 de ſepult. Nauar. in cap. placuit nu. 77. de pœnit. d. 6. Henriq. lib. 2. de pœnit. cap. 7. num. 2. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 25. ſec. 2.* & alijs, quos refert, & ſequitur *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. cap. 10. ſub nu. 6. verſ. Dubitatur autem primò.* Idem dicendum eſt de habente duplicem habitationem in duabus Parochijs, qui ſit æqualiter inſtructus iuxta ea quæ ſupra adnotauimus, quoniam poteſt recurrere ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ ad alterum ex ipſis Parochis, quem maluerit, cùm poſſit recurrere ad Parochum habitationis, ſi vnicam tantum habitationem habeat, vt ſupra oſtendimus, nec poſſit aſſignari diuerſitatis ratio cur id concedatur habenti duo domicilia, & denegetur habenti duas
37 habitationes. Hoc ipſum extendimus in habentem habitationem tantùm in vno loco, & in alio loco domicilium originis dumtaxat, & nullibi domicilium habitationis: ſiquidem domicilium originis, cùm ſit immutabile, vt ſupra declarauimus, is poterit ad ſui libitum recurrere ad Parochum habitationis, vel ad Parochum domicilij originis ad ſuſcipiendum pœnitentiæ Sacramentum, & ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ, in noſtro canone contento. Præterea ad Parochum recurre poteſt, vt ſupra vagus ſeù vagabundus in cuius Parochia pro tempore verſatur, atque adeò eidem confiteri: ſiquidem vagabundi vbiq; ſortiuntur forum. Ita *Ricchar. in 4. d. 17. ar. 3. q. 1. Palud. q. 3. ar. 3. caſ. 3. Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 8. nu. 5. Caiet. ver. Abſolutio cap. 2. Tol. lib. 3. ſua ſua ſum. cap. 13.* & alij, quos refert, & ſequitur *Laym. loco ſupra citato nu. 7. verſ. Dico ſecundo addit,* Quòd vagabundi licèt Sacerdotem ſimplicem, nullam iuriſdictionem ordinariam habentem eligere nequeant; nihilominus cuilibet citato, aut delegatam in Diœceſi iuriſdictionem habenti confiteri poſſunt; etenim vagabundus nullum proprium Sacerdotem, ſeù Parochum habet. Pertinet autem ad Epiſcopum, cuius Diœceſi vagabundi verſantur, eos Paſchali tempore ad ſacram confeſſionem, & communionem compellere pro obſeruantia præcepti noſtri canonis, à Paſtoribus locorum, vel ab alijs facultatem habentibus accipiendam. Quæ quidem ſententia videtur nobis valdè probabilis: nam eam tenent etiam *Palud. loco citato, D. Anton. par. 3. tit. 14. cap. 4.* & alij contra *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 25. ſec. 2 nu. 7.* & eos qui putant vagum debere confiteri Parocho, in cuius Parochia pro tempore exiſtit. Eſt tamen verum, quòd *Poſſeuinus poſt alios de offic. curati, cap. 7. ſub nu. 7. & Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 4. nu. 83.* prædicta limitant vera eſſe, niſi vagabundi vagentur euadendi cauſa iudicium proprij Sacerdotis, quod an ſit verum,
38 paulò infra latius dicemus. Rurſum ad Parochũ recurrere poſſunt ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ etiam Peregrini, qui per breue tempus in locum aliquem ſe conferunt recreationis, vel deuotionis cauſa, in quo ſita ſit ipſius Parochi Parochia. Etenim ex tacita voluntate ordinariorum per conſuetudinẽ cõfirmata, poſſunt Peregrini à quocũq; expoſito Sacerdote pœnitentiæ, & ſacræ Euchariſtiæ Sacramentũ, etiam tempore Paſchali ſuſcipere, ſi ad propriã Parochiam facilè accedere nequeant, vt habetur ex *Palud. loco cit. Caiet.* vbi ſupra *Nauar. in cap. placuit ſub nu. 66. de pœnit. d. 6. Suar. d. ſec. 2. 6. Quartò dubitari poteſt,* & alijs, quos refert, & ſequitur *Laym. d. cap. 10. ſub nu. 9.* qui teſtatur ſeruari etiam in praxi, vt Peregrini in eorum Parochiam reuerſi teſtimonium annuæ confeſſionis, & communionis Parochis id poſtulantibus exhibere debeant: Et quamuis aliqui id limitent, niſi Peregrini peregrinentur animo euadendi iudicium Sacerdotis, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Confeſſio 1. q. 6. not. 8. & Poſſeuino loco citato,* nihilominus *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 195.* quem refert, & ſequitur *Alph. de Leone loco citato, nu. 86. & 87.* hodie probabiliter putant, ex conſuetudine validam eſſe huiuſmodi confeſſionem factam bona fide, & ſi ratione vitandi iudicium proprij Sacerdotis: ſiquidem valida eſt confeſſio facta Religioſis, aut alij Papæ delegato facta etiam animo ſubterfugiendi proprij Sacerdotis iudicium: ergò idem dicendum eſt de confeſſione facta à Peregrino Parocho non ſuo, vt iudicium proprij Sacerdotis effugiat: nam licèt Parochi non habeant priuilegia, quæ Religioſi obtinuerunt, cùm Religioſi in hac re

peculiare priuilegium non habeant in ipſis militat eadem ratio, atque ideò eadem iuris diſpoſitio, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Imò addit idem *Layman. d. c. 10. num. 10.* probabiliorem ſibi videri ſententiam, quam docent *Henriq. de pœnit. lib. 6. c. 14. num. 8 Soar. in 3. p. tom. 4. diſp. 30. ſec. 1.* & alij contra *Sotum*, Peregrinos cum in aliena Diœceſi iuſta de cauſa confitentur, poſſe etiam abſolui à peccatis in propria ipſorum Diœceſi Epiſcopo reſeruatis, ſi in aliena Diœceſi peccata illa reſeruata non ſint: vel ſi ſint reſeruata Peregrini illic confiteãtur Epiſcopo, vel Sacerdoti habenti facultatem abſoluendi à reſeruatis, vt latius dicemus infra *ſec. 3. lib. 6.*

39 Adde, quòd quamuis Parochus de iure non poſſit audire regulariter perſonas alterius Parochiæ ſine licentia Parochi pœnitentis; nihilominus Sacra Congregatio declarauit, poſſe Parochum audire confeſſiones omnium illius Ciuitatis, vel oppidi, vbi ſita eſt Parochia, non autem totius Diœceſis, vt habetur ex *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. ſub num. 8. & Alph. de Leone d. recoll. 4. num. 77.* cum alijs, quos allegãt. Imò cõuicini Parochi poſſunt alterius Parochianos in pœnitentiali foro audire, & eos Sacramẽtaliter abſoluere, etiam citra expreſſam proprij Parochi licentiam; dummodo Parochi non contradicant, vel quod Epiſcopalis ratiabitio præſumatur; & non id faciant pœnitentes ad euadẽdum proprij Parochi iudicium. Ita *Syl. ver. confeſſio 1. q. 10.* & hanc communem ſententiam eſſe teſtatur *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. c. 7. num. 7. & Poſſeuin. de offic. Curati, c. 7. num. 7. in fin.* Quæ quidem locum ſibi vendicant de conſuetudine potius, quàm de iure, vt habetur per *Fagund. de præcept. Eccl. præcept. 2. lib. 7. num. 37. in fine.* Vigore quoque Conſuetudinis ſcitæ, & toleratæ ab Epiſcopis Parochi diuerſorum Epiſcopatuum vicinorum poſſunt inuicem confiteri, vt per *Azor. p. 1. Inſt. moral. lib. 5. c. 19. verſ. Nulla conſuetudo*, quem refert, & ſequitur *Alph. de Leone d. recoll. 4. num. 81.* An autem Parochi poſſint ſibi eligere Confeſſarium, *Sec. ſeq.* declarabimus. Ex vi eiuſdem Conſuetudinis poteſt Parochus audire Sacerdotes, etiam alienæ Parochiæ, & id ob neceſſitatem celebrandi, vt poſt alios idem *Alph. de Leone ibi, num. 72. & 73.* qui etiam *num. 88.* poſt *Barb. alleg. 25. de offic. & poteſt. Epiſc. nu. 18.*

40 & alios, ait, poſſe Parochum audire confeſſionẽ ſuorum ſubditorum extra Parochiam, & extra quoque Diœceſim: Eſt enim poteſtas in foro pœnitentiali voluntaria iuriſdictio, quę exercetur in ſubditos, etiam extra territorium, cùm non exigatur figura iudicij contentioſi; atque ideo terminatur potius in perſonis, quàm in loco, quæ forũ pœnitentiale in loco delicti non ſortiũtur, vt per *Abbat. in c. cùm contingat, num. 29. & c. ſi quis contra, num. 50. verſ. Aut quæritur, de for. comp. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 7. §. 1.* & ex alijs quamplurimis relatis à *Barb. loc. cit.* Parochi autem appellatione venit omnis, qui curam habet animarum, quamuis alio nomine vocetur, vt ſunt Abbates, Præpoſiti, Archipreſbyteri, Diaconi, Coadiutores, ſeù Vicarij perpetui; imò Epiſcopi, & Archiepiſcopi, cum de his omnibus eadem ſit ratio, vt rectè ait *Soar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſect. 4. num. 21. Fagund. d. c. 2. num. 41. & Alphonſ. de Leone d. recoll. 4. num. 71.* Siquidem ob id nõnulli volũt de prędictis debere intelligi illud *Act. 20. Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiã Dei.* Epiſcopos, hoc eſt ſpeculatores, ſeù Parochos, Præſbyteros, & Curatos: Siquidem nomẽ Epiſcopi apud Sacras litteras, & Sãctos Patres ſumitur plerunque pro Parocho, vt apud *D. Hieronym. in Epiſt. ad Titum, c. 1. & in Epiſt. ad Euagr. 85.* apud *Anſelm. Theophyl. & Occumen. in 1. ad Timot. 3.* & apud *D. Chryſoſt. ad Philippen. 1.* Sic etiam Sacerdotis vox ſumitur pro Epiſcopo: quod fuit in cauſa, vt *Michael Medina* præſumpſerit falsò aſſerere *lib. 1. de Sacr. homi-*

41 *num contin c. 5. D. Hieronymum*, & nonnullos Patres erraſſe, exiſtimantes Epiſcopos æquales eſſe Parochis, & Parochos Epiſcopis: ſiquidem in voce tantùm, & officio paſcendi oues æquabantur Parochi, & Epiſcopi, non autem in iuriſdictione, & dignitate: & in hoc ſenſu locutos fuiſſe Sanctos Patres: vel quoniam, vt ait *Epiphan. hær. 75.* in primitiua Eccleſia ob penuriam Sacerdotum, Sacerdotes communiter erant Epiſcopi, vt rectè declarat *Bellarm. lib. 1. de ordine, c. 5. & Fagund. de præcept. 2. lib. 7. c. 1. ſub nu. 27.*

42 Ad Regulares ſuperiores recurrere poſſunt omnes eorum ſubditi in pœnitentiali foro, nempè ad eorum Patrem Generalem, Prouincialem, Abbatem, Præpoſitum, Guardianum, Viſitatores, &c. iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *concl. 5. & 6.* Etenim omnes iſti ſunt proprij Sacerdotes, & iuriſdictionem habent ordinariam in ſuos ſubditos, ſicut eorum Vicarij, vt ibidem declarauimus. Huiuſmodi Superioribus confiteri poſſunt præfati eorum ſubditi, etiam ſi Superiores ipſi approbati non ſint ab Epiſcopo, aut ab alio loci ordinario. Etenim *Concil. Trid.* quando exigit approbationem Confeſſariorum faciendam ab Epiſcopo, loquitur de illis Confeſſarijs, qui audituri ſunt confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, vt patet ex illis *Conc. verbis ſeſſ. 23. c. 15. de reform. Decernit tamen Sancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſęcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut Parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quę gratis obtineat, &c.* Idem dicendũ de Confeſſarijs deputatis, & eorum delegatis ad audiendas confeſſiones regularium eiſdem ſubditorum: Hi enim nec indigent approbatione Epiſcopi. Siquidem Regulares Epiſcopi approbatione indigent, cùm ſæcularium tantum, etſi Sacerdotes ſint, peccata audire volunt, vt conſtat ex *Concil. Trid. loco citato.* Atque ideò ſatis eſt proprij Superioris Regularis approbatio, vt habetur ex *Soar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſect. 1. num. 4. Ludou. Miran. in Manuali Prælat. tom. 1. q. 45. art. 11. concl. 2. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. num. 45. Fagund. de præcept. Eccleſ. præc. 2. lib. 7. c. 2. num. 3. & 10. Rodriq. tom. 1. q. 62. art. 4. & Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 11. nu. 9.* Pro qua re facit Decretum Clem. VIII. circa caſus reſeruationem faciendam, à Superioribus Regularibus, in quo eiſdem Superioribus præcipitur deputatio, ſeù approbatio Confeſſorum ipſorum ſubditis. Imò poteſt Superior Regularis exponere ſuis ſubditis Conf[illegible]um ſecuiarem

43 ex non approbatis ab Epiſcopo: nam id poterat iure

iure antiquo, & communi: & *Concil. Trid.* in ſupra relato Decreto, nihil quoad hoc innouauit, cùm ſolùm loquatur de confeſſionibus ſæcularũ, vt rectè inquit *Fagund. loco citato, num. 4. & Alph. de Leone d. recoll. 11. num. 17.* qui id ampliat, quod Sacerdotes alterius Religionis, ita vt Superior Regularium poſſit ſuo ſubdito concedere licentiam eligendi ſibi Confeſſorem, non ſolùm regularem propriæ Religionis, verum etiam regularem alterius Religionis, ac ſæcularem; atque ideò ex vi talis facultatis ſubditus poteſt ſibi eligere Sacerdotem non approbatum: quoniam tũc talis Sacerdos; cenſetur approbatus à præfato Superiore Regulari. Quod quidem verum eſſe dicimus non modo, quando talis facultas conceditur expreſsè, ſed etiam tacitè; vt cùm Religioſus præuia licentia Superioris itineratur, vel manet in loco diſtanti à Monaſterio, abſque ſocio eiuſdem Religionis, cui confiteri valeat: nam tũc poteſt ipſe Religioſus Regulari alterius Ordinis, vel etiam ſæculari, etiam ſi ab Ordinario non ſit approbatus: ſiquidem ſatis eſt, vt Cõfeſſarius ſit approbatus à Superiore pœnitentis, & ſic ab eo habere iuriſdictionem. Ita *Rodriq. tom. 1. q. 62. art. 4. & 5 Miranda, 1. p. q 33. art. 1. Alph. de Leone p 2 caſ. conſc. recoll. 11. ſub num. 19. 20. & 21.* & nos latius dicemus infra *ſec. 3. lim. 6.*

44 Cæterum licèt hæc vera ſint quoad Regulares maſculos ſubditos Superioribus regularibus, id autem limitatur in Monialibus ſubditis Regularibus: non enim Monialibus deputari poteſt à Superioribus Regularibus Sacerdos regularis, qui non ſit approbatus ab Epiſcopo Diœceſano, vt patet ex Cõſtitutione Greg. XV. quæ incipit, Inſcrutabili Dei prouidentia, ſub die 8. menſis Febr. 1623. in illis verbis, *Confeſſores vero, ſiue Regulares ſiue Sæculares quomodocunque exempti, tam Ordinarij, quam extraordinarij ad confeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum, audiendas, nullatenus deputari valeant, niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicẽtur, & approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Imò per Sacram Congregationem Cardinalium Concilij Trid. interpretum, fuit reſponſum, Regulares generaliter ab Epiſcopo approbatos ad perſonarum ſæcularium confeſſiones audiendas non cenſeri approbatos ad confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione; ita vt Regularis ad audiendas confeſſiones Monialiũ vnius Monaſterij ab Epiſcopo approbatus non poſſit audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterij. Etiam Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium cõfeſſiones pro vna vice audiendas non poſſe pluries in vim approbationis eiuſmodi, illarum confeſſiones audire; Sed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contingerit. Hæc, & alia habentur ex *Alph. de Leone d. recoll. 11. nu. 64. cum plur. ſeq.*

45 Ex his patet modò quid dicendum ſit de opinione illorum, qui docent, quòd ſi Regularis fœmina, vel vir habeat Bullam, vel priuilegium, aut Iubilæum pro eligendo ſibi Confeſſarium, poſſit ſibi eligere in illum ex Sacerdotibus Sæcularibus, aut Regularibus, quem voluerit, & ſibi idoneum inuenerit, quamuis ab Epiſcopo approbatus non fuerit, vt habetur ex *Soar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4. nu. 2. Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu 4. ad marginem litt. R. Nauar. in Man. c. 4. nu. 2. & Fagund. de præcept. Eccl. præcept. 2. lib. 7. c. 2 ſub n. 5.* qui poſt alios id limitat, niſi Bulla, iubilæum, aut priuilegium expreſsè exigant Sacerdotem ex approbatis. Etenim quamuis dicta opinio olim magnam habuerit probabilitatem, cùm *Concil. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de reform.* quod ſupra retulimus, quoad hoc nihil innouauerit; & id illis de iure antiquo concedebatur; nihilominus hodiè per ſupradictam Bullam Greg. XV. Regulares fœminæ, atque adeò Moniales habẽtes Bullam, priuilegium, aut iubilæum pro eligendo ſibi Confeſſarium, non poſſunt in illum ſibi eligere Sacerdotem Sæcularem, nec Regularem, niſi ſit approbatus ab Epiſcopo Diœceſano ſpecialiter ad audiendas confeſſiones Monialiũ, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, & habetur ex *Alph. de Leone de Iubil. p. 2. nu. 218. & p. ſa. caſ. conſc. recol. 6. ſub nu. 44.* Imò quando in iubilæis concedit Rom. Pontifex Regularibus facultatẽ eligendi Confeſſarium pro reſeruatis, licèt ſi non exprimat ex approbatis, ſi vir ſit Religioſus poſſit eligere ex ſæcularibus, vel Regularibus non approbatis quem maluerit; nihilominus quando exprimitur eligendum eſſe Confeſſarium ex approbatis, non poteſt talis Religioſus ſibi eligere non approbatum: Siquidem non aliter, nec alio modo gratia Iubilæi conceditur, niſi ſub conditione aſſignata; & ſi alium eligat, confeſſio eſt inualida. Ita *Henriq. & Fagund. locis citatis*: quæ diximus de Iubilæo extẽdimus ad alias Bullas, ac priuilegia, cùm militet eadem ratio, arg. *tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

An proprio Sacerdoti vnuſquiſq; teneatur confiteri, ita vt nullus cenſeatur exemptus.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Proprio Sacerdoti tenetur regulariter quicunq; fidelis confiteri.*

2 *Idq; omnes fideles comprehendit, ſiue maſculus, ſiuè fœmina ſit.*

3 *Fideles regulariter obligantur confiteri proprio Sacerdoti non ſolum ad implendum præceptum annuæ confeſſionis, ſed quotieſcunque in anno velint confiteri.*

4 *Sicut fideles tenentur proprio Sacerdoti confiteri, ita cogitur proprius Sacerdos ipſos audire*

5 *Si proprius Sacerdos volentem pluries confiteri, audire recuſauerit, liberè poterit alteri confiteri, niſi ad determinatum Sacerdotẽ miſerit.*

Et à quibus valeat determinatus iſte eum abſoluere.

6 *Iuxta ſententiã Soti proprius Sacerdos ſubditos audire tenetur, non ſolum pro adimplendo præcepto annuæ confeſſionis, ſed quoties ex rationabili cauſa vellent confiteri.*

Et quid ſi audire renuat, & an ſatis ſit eius tacita licentia.

7 *Habentes venialia tantum, vel mortalia, alias confeſſa, & remiſſa, non tenetur proprio Sacerdoti confiteri.*

8 *Vbi Sacerdos proprius eſt ignarus, indiſcretus, non ſeruans ſigillum confeſſionis, ſollicitans ad malum pœnitentem, vel aliter pernicioſus non tenentur ſubditi ei confiteri.*

An poſſint eligere alium Confeſſarium, vel teneantur

neantur licentiam petere à proprio Sacerdote eligendi alium.

9 *Variæ Doct. interpretantur, text. in cap. placuit de pœnit. d. 6.*

Et in quibus caſibus detur pœnitenti licentia eligendi alium Confeſſarium.

10 *Sola proprij Sacerdotis ignorantia, ſeu nequitia non tribuit Ius ſubdito adeundi alium.*

11 *Affertur duplex reſp. ad tex. in d. cap. placuit*

12 *Vt alicuius conſuetudinis licitum eſt confiteri alieno Sacerdoti, omiſſo proprio.*

13 *In nonnullis partibus Sacerdotes non confitentur proprio Parocho, ſed ex conſuetudine eligunt ſibi Confeſſarium. Et vndè originem traxit talis conſuetudo.*

Et an facultas hac conſuetudine comparata pendere debeat a volũtate proprij Sacerdotis.

14 *Aliud eſt, conſuetudine habere facultatem eligendi Confeſſarium alienum.*

Et aliud eſt, conſuetudine acquirere Ius Parochianiæ in aliena Parochia.

15 *Ratione neceſſitatis poteſt quis confiteri alieno Sacerdoti.*

16 *Articulus mortis differt à mortis periculo, & in quo.*

17 *Deficiente proprio Sacerdote licitum eſt in articulo mortis confiteri ſecus ſi præſens ſit.*

18 *Pœnitens in articulo mortis poteſt, ac debet à quocunque Sacerdote etiam hæretico Sacramentum pœnitentiæ accipere in aliorum defectum, niſi probabiliter Contagium timeat, vel publicum ſcandalum.*

An habeant hoc caſu tales hæretici iuriſdictionem delegatã ab Eccleſia, vel de Iure Diuino.

An nulliter impendatur abſolutio, & Sacerdos peccet mortaliter, ſi ordo ſupradictus non ſeruetur.

19 *Si quis delictum commiſerit in aliena Parochia poterit proprio relicto, confiteri Parocho illius Parochiæ, cum ratione delicti ſortiatur forum.*

20 *Vagabundi, Scholares, iter agentes, & Peregrini alieno Sacerdoti confiteri poſſunt.*

21 *Hodie de conſuetudine ſubditi vnius Diœceſis etiam data opera confiteri poſſunt in alia Diœceſi peccata ſua.*

Et quid ſi pœnitentes in fraudem confiterentur alieno Sacerdoti.

22 *Iter facientes, & peregrini licet in omni loco peccata ſua confiteri poſſint; ſi tamen reſeruata habeant, omnino accedere debent ad Confeſſarium, qui in illo loco ab eis abſoluere poteſt.*

23 *Regulares omnes à Monaſterijs abſentes cum licentia Superiorum licet eligere poſſunt Sacerdotem Regularem, vel Sæcularem, & ab eo abſolui ab omnibus peccatis, ſuo Superiori non reſeruatis, tamen à reſeruatis abſolui non poſſunt, niſi per ſpecialem conceſſionem.*

24 *Iter agentes, & peregrinantes licet abſolui non valeant à reſeruatis in Diœceſi commiſſis, tamen à commiſſis extra Diœceſim, & vbi reſeruata non ſunt abſolui poſſunt.*

An id verum ſit etiam quoad Regulares, iter agentes cum Superioris licentia.

25 *Si Regularis abſens cum ſui Superioris licentia ſocium habeat Sacerdotem ſui ordinis, nondum ad confeſſiones expoſitum, nec ab ordinario approbatum tenetur illi confiteri.*

Idemq; dicendum eſt in Regulari, qui reperitur abſens ab aſſignato Monaſterio, ſed præſens in aliqua Ciuitate, vbi adeſt familia ſui ordinis.

26 *Omnes exempti alieno Sacerdoti confiteri valent. Et qui nam ſint iſti exempti.*

27 *Facultatem habentes de Iure eligendi ſibi Confeſſarium, non tenentur confiteri proprio Sacerdoti.*

28 *Quamuis Epiſcopi, & alij Superiores in proprijs Diœceſibus poſſint ſibi eligere Confeſſarios, & extra Diœceſim etiam ſibi ſubditum licet ſimplicem, non tamen eligere valent non ſibi ſubditum, ab Ordinario non approbatum.*

29 *Idemq; dicendum eſt de Prioribus, & Vicarijs Præpoſitorum Regularium, maximè ſi ipſi Abbates, & Præpoſiti abſentes ſint.*

30 *Ex Concil. Trid. ſtatuitur, vt bis, vel ter in anno præter Confeſſarium ordinarium, alium extraordinarium ab Epiſcopo, vel alijs Superioribus offeratur Monialibus.*

31 *Habentes facultatem eligendi ſibi Confeſſariũ ex priuilegio non tenentur proprio Sacerdoti confiteri; Et qui hanc facultatem habeant.*

32 *Idemq; dicendum eſt in habentibus facultatem eligendi ſibi Confeſſarium virtute Iubilæi.*

33 *Tempore Iubilæi poſſunt omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus, ab Ordinario approbatis.*

34 *Licet Iure Tridentino Regulares poſſint ſibi eligere ſimplicem Sacerdotem, in Iubilæo tamen tenentur Confiteri approbato ab Ordinario ipſius Confeſſarij.*

35 *Hodie ferè omnes Religioſi, aliq; fideles confiteri poſſunt Confeſſarijs à Sancta Sede Apoſtolica delegatis.*

Et quibus tamen modis requiritur facta hæc delegatio.

36 *Sententia Ioannis de Poliaco Doctoris Pariſienſis damnatur, & cur.*

37 *Delegatio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ, ſiuè publica ſit, ſiuè priuata ſemper requirit Ordinarij approbationem.*

38 *Quocunq; modo Sacerdotes iuriſdictionem delegatam habent à Rom. Pontifice in foro ſacramentali, ea vti nequeunt, niſi approbati fuerint ab Ordinario, vel ab ipſo Rom. Pontifice fiat delegatio ſimpliciter, & citra approbationem aliquam, & ſpecialiter Concilio Tridentino derogetur.*

39 *Concilio Tridentino quomodo, & per quam Clauſulam derogetur.*

40 *Si Romanus Pontifex ſuam Iuriſdictionem delegaret ad abſoluendum omnes Chriſti fideles citra Epiſcoporum licentiam, taliter Delegatus ea vti poteſt, nulla præuia ipſorum venia.*

HAnc difficultatem, vnica tantùm poſita concluſione, per modum regulæ, eandem multipliciter ampliabimus, ac limitabimus ſit igitur.

VNICA CONCLVSIO.

1 PRoprio Sacerdoti tenetur regulariter quicunque fidelis confiteri. Hæc concluſio patet ex noſtro canone, in illis verbis, *Omnis vtriuſque Sexus fidelis poſt quam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti.*

2 Amplia-

2 Ampliatur primò, vt concluſio iſta ſit vniuerſalis, omnes, & quoſcunq; fideles comprehendens, ſiuè maſculus ſit, ſiuè fœmina per illa verba *Omnis vtriuſq; Sexus, &c.* Item ſiuè Sæcularis ſit, ſiuè Eccleſiaſticus, quacunq; mundana, aut Eccleſiaſtica præfulgeat dignitate, & id ob dictionem illam, *Omnis*. Quæ vniuerſalis eſt, & nullum excipit, *l. textoribus, & l. Iulianus, ff. de legat. 3. cap. ſi Romanorum*, 19. *d.* & patet ex *Apoſtolo Paulo cap. 2. ad Hebr.* qui declarans verba illa *pſ. 8 Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius* ſic ait, *In eo enim quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei*. Vndè non deſunt, qui velint proprio Sacerdoti in ſacramentali foro eſſe ſubiectos nō ſolum Cardinales, Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Inferiores Prælatos, Imperatorem, Reges, & quoſcunq; Principes Sæculares; ſed etiam Rom. Pontificem ſaltem de iure Diuino: quia cùm præceptum noſtri canonis ſit Diuinū, neminem Chriſtus ſine ordinario Iudice in foro cōſcientiæ excludit, cui confiteri cogeretur. Quod quidem meritò reijcit, *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. in reſp. ad 3.* & nos infra, Deo duce, latius declarabimus, *ſec. ſeq.* de perſonis exemptis ab eiuſmodi præcepto agentes.

3 Secundò ampliatur, vt fideles proprio Sacerdoti regulariter obligentur confiteri, non ſolùm ad implendum præceptum annuæ confeſſionis; verum etiam ſi pluries in anno velint ad confeſſionem accedere, vt habetur ex *Panor. in explic. noſtri can. ſub nu. 6. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2.* & ex alijs. Etenim ipſe canon nunquam confeſſionem ad proprium Sacerdotem perſtrinxiſſet, niſi de iure Diuino nouerit eſſe præſcriptum. Eſt enim Dei præceptum, vt proprius Sacerdos cognoſcat oues ſuas, & cognoſcatur ab illis: & propterea nulla conſuetudine induci poteſt, vt quis ad ſui libitum Confeſſarium ſibi eligat, vt in *cap. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſ. lib. 6.* Quod autem nulla conſuetudine abrogatur, ius naturale eſt, vel Diuinum; quoniam contra ius naturale, ac Diuinum non inducitur conſuetudo, *cap. quæ contra*, 8. *d.*

4 Tertiò ampliatur eadem concluſio, vt ſicut fideles tenentur proprio Sacerdoti confiteri; ita è conuerſo cogitur proprius Sacerdos fideles ipſos audire: nam proprius Sacerdos, & ſubditus ſunt correlatiui; in correlatiuis autem, quod diſponitur in vno, cenſetur quoque diſpoſitum in altero, maximè quando militat eadem ratio, vt latè habetur ex *Ener. in loco à correlatiuis*. Et re vera iniqua eſſet lex obligans ad confitendum proprio Sacerdoti, ſi Sacerdotem ipſum non obligaret ad audiendas ſubditorum cōfeſſiones. Quod quidem præſertim verum eſt, quando fideles tenentur confiteri, nempè ſemel in anno, aut ad ſuſcipiendum dignè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum die *Paſchatis*: & in alijs caſibus, in quibus iure Diuino quis aſtringitur: his enim caſibus compellitur proprius Sacerdos ſuorum confeſſiones audire: at extra eiuſmodi caſus non tenetur de neceſſitate, ſed tantum de congruitate, ſeù de conſilio. Quòd ſi volentem

5 pluries confiteri audire recuſauerit, liberè poterit alteri confiteri, niſi proprius eum ad determinatum Sacerdotem miſerit, vt ex *Ricch.* docet *Syl. in ſum. ver. Confeſſor 1. q. 18.* Nam quando proprius Sacerdos ſibi ſubditum non vult audire, nec alium determinatum aſſignare, cenſetur ei tacitam licentiam præbere, vt pro ea vice alteri confiteatur, quem voluerit. Eſt tamen verum, quòd ita electus non poterit abſoluere, niſi ab ijs, à quibus proprius Sacerdos abſoluere potuiſſet; niſi Vicarios haberet. Hæc ex *Ricch. Syl. loco citato*. Cæterum quoniam hæc ſententia non probatur, *Adriano q. 5. de confeſ. dub. 8.* idcircò *Sot. in 4. d. 18 q. 4. art. 2. in reſponſ. ad 2. in ver. Suppoſito*, Arbitratur, teneri proprium

6 Sacerdotem ad audiendas ſubditorum confeſſiones, non ſolùm pro adimplendo præcepto annuæ confeſſionis, & neceſſitatis tempore; ſed quoties ex rationabili cauſa vellent confiteri: & id ex vi muneris *Paſtoris*, quo fungitur, cùm inter actus paſcendi ille precipuus cenſeatur, qui in Sacramento pœnitentiæ exercetur, quoties ex rationabili cauſa expediens iudicatur. Hoc idem docet *Nauar. in cap. conſiderct, de pœnit. d. 6. nu. 152. & Suar. de pœnit. diſp. 32. ſec. 2 num. 3.* Quòd ſi ſubditos audire, vt ſupra proprius Sacerdos renuat, tunc ipſe *Sot.* inquit, ſententiam *Ricch.* adhuc non eſſe tutam, dum ſe habet, ob id eum cenſeri dare licentiam cuicunq; confitendi: nam cùm iuriſdictio ſit de eſſentia abſolutionis, & nemo eam habeat, niſi Ordinarius Sacerdos, neceſſaria eſt eius expreſſa, vel conſuetudinaria licentia. Sed ego dicerem ſatis eſſe tacitam; quia taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cum quid, ff. ſi cert. petat.* Et tacitam licentiam eam eſſe puto, quando proprius Sacerdos expreſſè ſuam voluntatem verbo, aut alijs ſignis non manifeſtauerit, nolle audire confeſſiones, nec alium determinatum aſſignare: quoniam nō præſumitur proprius Sacerdos adeò iniquus, vt velit eiuſmodi licentiam denegare in præiudicium animarum, quæ ſibi commiſſæ fuerunt.

7 Sic ampliata limitatur primò hæc ipſa concluſio, vt locum non habeat in habentibus venialia tantùm, vel mortalia aliàs confeſſa, & remiſſa. Etenim ea non tenentur proprio Sacerdoti confiteri; ſed liberi ſunt ad confitendum cuilibet Sacerdoti, etiam ſimplici, & ab ordinario non approbato. Et id non de iure Diuino ex vi ſolius ordinis, & iure habentis iuriſdictionem in hoc foro, iuxta *Palud. ſententiam in 4. d. 19. q. 1. n. 25.* Nec ex eo quòd non exigatur iuriſdictio ad abſoluendum à venialibus, & à mortalibus aliàs confeſſis, & remiſſis, vt alij falsò exiſtimant; ſed ex Eccleſiæ conſuetudine, tribuente ſimplicibus Sacerdotibus poteſtatem abſoluēdi ab eiuſmodi peccatis: quæ quidem poteſtas cùm non conueniat Sacerdotibus ipſis ex vi alicuius muneris, ſeù paſtoralis officij, non ordinariam, ſed delegatam probat eam eſſe *Suar. de pœnit. diſp. 26. ſec. 5.* quibus adde quæ ſupra adnotauimus, *diſp. 3. ſec. 1. concl. 3. & 4.*

8 Secundò limitatur, vbi Sacerdos proprius eſt ignorans, indiſcretus, confeſſionis ſigillum non ſeruans, pœnitentem ad malum ſolicitans, aut eidem ex alia cauſa pernicioſus, vt habetur ex *Goffr. Hoſtien. Panor. Anton. de Butr. Anch. Henr. Boich.* & ex alijs in *explic. noſtri can. & Theologis Ricch. in 4. d. 17. art. 3. q. 7. Gabr. ibidē q. 2. art. 3. Palud. q. 3. Adr. q. 5. de confeſ. Medin. C. de confeſ. q. 37. Syl. in ſum. ver. Confeſſor, 1. q. 6. Nau. in Man. cap. 7. nu 8. & in cap. placuit de pœnit.*

Digitized by Google

de pœnit. d. 6. nu. 150. & multi alij Doctores: qui quidem diuiſi ſunt; nam quidam volunt ſupradictis caſibus licitum eſſe pœnitenti eligere ſibi Confeſſarium, omiſſo proprio Sacerdote, etiam nulla ab eo obtenta licentia. Alij putant, ſatis eſſe ſi licentia petatur, quamuis non obtenta. Alij arbitrantur neceſſariam eſſe Epiſcopi licentiam ad eligendum ſibi Confeſſarium, vt ſupra, quoties facilis ad eum eſt aditus. Alij exiſtimant, ſeruandum eſſe ordinem quendam in eligendo Confeſſarium in eiuſmodi caſibus: nempè, vt primò pœnitens adeat Sacerdotem habentem iuriſdictionem delegatam ab ipſo Parocho, ſi eſſet idoneus: ſecundò in defectum debet adire Sacerdotes delegatos ab Epiſcopo, ſi idonei ſunt. Et ſi nullus ſit delegatus à Parocho, vel Epiſcopo, cogitur adire Delegatum aliquem à Papa, quales ſunt omnes ferè Religioſi. Quòd ſi nullus adſit ex dictis, qui eligi poſſit, tunc debet eligere Parochum alterius Eccleſiæ: & in defectum quemlibet alium Sacerdotem idoneum iuriſdictionem habentem in hoc foro.

9 Varietates ſupradictarum opinionum proueniunt ex varijs modis, quibus Doctores interpretantur, *text. in d. cap. placuit, de pœnit. d. 6.* cuius tenor eſt, qui ſequitur, *Placuit, vt deinceps, nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere ſine eius conſenſu, cui prius ſe commiſit; niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confeſſus eſt. Qui verò contra hæc ſtatuta facere tentauerit; gradus ſui periculo ſubiaceat.* Etenim *Gloſa* ibi, & alij Doctores ſecundum ſententiam magis communem, volunt, *tex.* illum prohibere cuilibet Sacerdoti ſuſcipere ad pœnitentiam aliquẽ citra proprij Sacerdotis licentiam; niſi Sacerdos ipſe proprius ſit ignarus. Et quamuis *tex.* ipſe loquatur tantum de caſu ignorantiæ Sacerdotis; Doctores tamen ſupradictis modis interpretãtes ipſum, extendunt eundem ad alios caſus, in quibus militat eadem ratio; nempè ad caſum impotentiæ, malitiæ, contrariæ huic miniſterio: vt ſi ſoleat reuelare confeſſionem, vt pœnitentem ad malum ſolicitare, &c. nam in omni caſu impedimenti ex malitia Sacerdotis aliqua ignorantia practica interuenit, iuxta illud, *Omnis prauus eſt ignorans.* Vndè ſuppoſito dari facultatem in eo *tex.* pœnitenti eligendi ſibi Confeſſarium ob ignorantiam proprij Sacerdotis, rectè extenditur ad alios ſupra relatos caſus ex identitate rationis, vt per *Gloſ.* ibi communiter receptam à Doctoribus ſupra citatis, & alijs. Satis enim eſt rationi conſentaneum, vt ſi ex parte proprij Sacerdotis alius defectus concurrat ignorantia non minor, eadem in illo intelligatur iuris diſpoſitio, *arg. tex in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Hanc interpretationem ſi ſequi velimus, cùm tot, & tanti ponderis virorum auctoritate muniatur, probabilitate haud carere, & ad praxim proculdubio applicari poſſe inquit *Suar. de pœnit. diſp. 27. ſec. 2. nu. 1.* Imò cum *tex.* ille ſit fauorabilis, non reſtringi, ſed ampliari potius debet, iuxta *tex. in cap. odia de regul. iur. in 6.* atque ideò non videtur poſſe reſtringi iuxta ſupra relatas reſtrictiones; ſed debere generaliter intelligi abſque alia diſtinctione: quia lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quandò non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, ff. de leg. præſt.* Et eo magis, quia ſi S. Pontifex eſt, qui facultatem prædictam eligendi Confeſſarium concedit, non tenetur ad S. Pontificem recurrere: & eadem ratione non tenetur eiuſdem Delegatos adire: nec proprij Sacerdotis Vicarios ſi quos habeat: quoniam nemo tenetur accedere ad Iudicem alterius vices gerentem; niſi quatenus per ſe tenebatur adire principalem ipſum Iudicem. Eſt tamen verum, quòd non caret probabilitate opinio illorum, qui putant, pœnitentem illis caſibus teneri adire Epiſcopum, aut eius Delegatos; quia ſi moriatur proprius Sacerdos, non ob id manerent eiuſdem oues abſque alio proprio Sacerdote; ſed tunc immediatè ſubijcerentur Epiſcopo. Confirmatur quia *tex. in d. cap. placuit,* non loquitur ſpecialiter de proprio Parocho; ſed ſimpliciter de Sacerdote, cui aliter commiſſus eſt: at non eſt commiſſus tantùm Parocho, ſed etiam Epiſcopo: ergò quamuis Parochus ſit ignorans, aut alios ſupradictos defectus habeat, adhuc tamen integrum manet ius Epiſcopi.

10 Sed quia eiuſmodi interpretatio non eſt adeò communis, vt non habeat Doctores aliter ſentientes, & *text. in d. cap. placuit,* melius meo iudicio interpretantes, idcircò arbitror in dictis caſibus quoque non dari facultatem pœnitenti eligendi ſibi Confeſſarium; quia ſola proprij Sacerdotis ignorantia, ſeù nequitia non tribuit ius ſubdito adeundi alium: nam nullus alius propter proprij Sacerdotis defectum iuriſdictionem conſequitur abſoluendi: nec ſubditus poteſt eam tribuere, cùm non habeat. Imo diſpoſitio noſtri canonis cùm ſit generalis non patitur reſtrictionem: quoniam ſtatuit generaliter, vt quoties ſubditus voluerit iuſta de cauſa alieno Sacerdoti confiteri, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter illum non poſſit abſoluere, vel ligare. Inter iuſtas autem cauſas erit ignorantia, vel nequitia proprij Sacerdotis. Ita *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2.* cum alijs, quos allegat, *& Suar. loco cit. n. 23.* vbi ait, quòd per ſe eſt ferè incredibile id eſſe conceſſum iure communi omnibus pœnitentibus, doctis, & indoctis, benè, aut malè affectis erga ſuos Parochos: neque eiuſmodi facultatem videri eſſe in vſu, aut vnquam fuiſſe in Eccleſia: & non immeritò; quia cuicumque offerret anſam fingendi malitiam, & periculum in proprio Sacerdote, & Religioſi præſertim ſub illo colore poſſent alium ad eorum libitum ſibi eligere, & ab eo ab omnibus peccatis etiam reſeruatis abſolutionem obtinere.

11 Ad *tex. igitur in d. ca. placuit, de pœnit. d. 6.* reſpondetur, quòd ibi nulla mentio habetur proprij Sacerdotis; ſed id tantum ſtatuit, quod dum quis habens facultatem, aut priuilegium eligẽdi Confeſſarium, committit ſe ſua ſponte alicui Sacerdoti, non poteſt ab alio abſolui, niſi Sacerdos, cui ſe commiſit, ſit ignorans. Vel ſecundò reſpondetur, quòd dum in eo *tex.* permittitur ſubdito alium Confeſſarium ſibi eligere ob ignorantiam proprij, intelligitur, obtenta Superioris licentia. Benè verum eſt, quòd cum proprius Sacerdos non ſolùm ſit Parochus; ſed etiã Rom. Pontifex, Sum. Pœnitentiarius, legati intra ſuæ legationis fines, Epiſcopi, eorum Vicarij, & Pœnitentiarij maiores, ac Archipræsbyteri Ca-

thedra-

Digitized by Google

theedralium, de quibus omnibus latè ſupra egi-
mus, *ſec.2.* vbi etiam tractauimus de ordinarijs
Regularium,& eorum Vicarijs; poteſt pœnitens
ob defectum vnius eligere ſibi alium ex dictis
iuriſdictionem ſuper ipſum habentibus. Et cùm
diſpoſitio noſtri canonis quoad confeſſionem
etiam annuam hodie in Italia per conſuetudinem
ſit ſublata; ita vt in propria tantùm Parochia, aut
in Eccleſia Cathedrali obligentur fideles in
Paſcha ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum
ſumere, aut alibi de licentia Parochi, vt latè ha-
betur ex *Molſ. in ſua ſum. Theol. tract.7.cap.10.*
nu. 24. Quæſtio eiuſmodi ſaltem in Italia non
multum controuertitur: nam ſiuè defectus adſit
in perſona Parochi, ſiuè non; poterit pœnitens,
relicto proprio Sacerdote, cuicunq; alij confi-
teri habenti ſuper eum iuriſdictionem in hoc
ſacramentali foro, ſiuè ordinaria ſit, ſiuè dele-
gata, & citra omnem proprij Sacerdotis licen-
tiam,& infra dicemus, *ſec.5. verſ. Ad tex. igitur.*
12 Tertiò limitatur dicta concluſio, vt licitum
ſit omiſſo proprio Sacerdote, confiteri alieno vi
alicuius conſuetudinis, vt habetur ex *Nauar. in*
d.cap. placuit, nu.30. & ſeq. de pœnit. d.6. Caiet.
in ſum. in ver. Abſolutio 2. & alij, quos refert, &
ſequitur *Suar. de pœnit. diſp.27. ſec.3.* Probatur,
quoniam tunc conſuetudo poteſt auferre iuriſdi-
ctionem in hoc foro: quo circa aliqua peccata
ſunt conſuetudine tantùm reſeruata; ita quoque
conſuetudo poteſt dare iuriſdictionem eam non
habentibus, *cap. cùm contingat, de foro compet.*
Eſt tamen verum, quòd non vigore conſuetudi-
nis per ſe primò prædicta limitatio vera eſt: quia
conſuetudo non poteſt dare iuriſdictionē in hoc
foro, vt in *c.2. de pœnit. & remiſ. in 6.* Sed vigore
taciti ſaltem conſenſus Superiorū per ipſam con-
ſuetudinē ſignificati: quia ſola conſuetudo per ſe
ſumpta, non habet vndè poſſit facultatem hanc
alieno Sacerdoti concedere: vt in *d.c.2.* Hac ipſa
13 ratione in nonnullis partibus Sacerdotes non
confitentur proprio Parocho; ſed ex conſuetu-
dine ſibi eligunt Confeſſarium, quæ conſuetudo
ex eo originem traxit, quòd ſolent frequenter
confiteri: & ideò onerosum erat Parochis omnes
audire: qua propter facilè in principio conſenſe-
runt, vt inter ſe inuicem confiterentur, vt de
hac re fuſius dicemus, Deo duce, *ſec.5. verſ. Ex*
hoc infertur. Vndè facultas eiuſmodi cùm ſit
conſuetudine oomparata ſemper debet pendere
à voluntate proprij Sacerdotis, atque ideò præ-
dicta conſuetudine non obſtante, ſemper poſſe
illam ad ſui licitum reuocare: quoniam aliàs talis
conſuetudo eſſet iuri Diuino contraria, cùm per
eam quis, proprio Sacerdote reluctante, poſſet
ſibi Confeſſarium eligere: & Paſtoribus nimis
onerosa, ac bono animarum regimini valdè re-
pugnans, & contra *tex. in cap.1. cap. cùm per ve-*
nerabilem, de conſuet. & cap. cum non liceat, de
præſcript. Et cùm conſuetudo huiuſmodi ſit in-
ducta ex tacita voluntate Superioris, non poteſt
reuocari per Inferiorem; atque ideò ſi ex Epi-
ſcopi voluntate manauerit, non poteſt per Paro-
chum tolli, ſed per ipſum Epiſcopum, aut per
illi Superiorem, vt benè aduertit *Suar. de pœnit.*
diſp.27. ſec.3. n.7. vbi etiam inquit in *verſ. Rurſus*
14 *eſſe animaduertendum*, quòd aliud eſt conſue-
tudine habere facultatem eligendi Confeſſarium
alienum: aliud verò conſuetudine acquirere ius
Parochiani in altera Parochia: & propterea ha-
bere facultatem confitendi Parocho illius Paro-
chiæ; quoniam hoc poſterius non pendet à vo-
luntate alterius Parochi: nam ob id non acqui-
ritur facultas eligendi Confeſſarium, ſed ſub-
iectio ordinaria in ſacramentali foro; quæ non
repugnat iuri Diuino, cùm non ſit contra ius
Diuinum, quòd aliquis plures habeat Parochos,
& ex eis poſſit eligere quem maluerit: quod qui-
dem locum ſibi non vendicat, quando confeſſio
fit alieno iuxta ea, que ſupra diximus.
15 Quartò limitatur, vt poſſit quis alieno confi-
teri Sacerdoti ratione neceſſitatis, vt quia repe-
ritur in articulo, vel etiam in periculo mortis
conſtitutus, & abeſt Sacerdos proprius. Etenim
in articulo mortis, ſi vera interueniat neceſſitas
Miniſtri, quilibet Sacerdos iuriſdictionem ha-
bet ad abſoluendum in ſacramentali foro, vt
conſtat ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.* Ita ſe ha-
bente, *Verumtamen pie admodum, ne hac ipſa*
occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei
cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in
articulo mortis; atque adeò omnes Sacerdotes,
quoslibet pœnitentes, à quibuſuis peccatis, & cen-
ſuris abſoluere poſſunt. Quæ quidem Eccleſiæ
traditio deſumitur ex *can. de his, & ex plur. ſeq.*
26. q. 6. & eiuſdem meminit *D. Thom. in 4. d.*
19 q.1. art.3 quæſtiun.1. & alij. Et quàuis Conc.
prædictum loquatur de articulo mortis: quod
quidem differt à periculo, cum articulus mortis
ſit, quando mors proximè inſtat, & moraliter eſt
certa, & ferè ineuitabilis: periculum verò, quan-
do mortis eſt probabile dubium, & frequenter
ſolet in tali caſu mors euenire, vt eſt actuale
bellum, longa nauigatio, partus mulieris, &c.
Nihilominus ſatis eſt in caſu, de quo agitur mo-
rale periculum, vt per *Gloſ. in cap. Paſtoralis,*
§. præterea, de offic. ordin. & in cap quod in te,
verſ. Pœnitentia ſupra eod. tit. noſtro, de pœnit.
& remiſ. Syl. in ſum. ver. Confeſſor, 1. q.6. Nau.
in Man. cap.26. nu.3. & cap.27. nu.27. Medina
& alij, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit.*
diſp.26. ſec.4. nu.3. quod probat ex *tex. in cap. ſi*
quis ſuadente Diabolo, 17. q.4. cap. non dubium,
de ſent. excom. & cap. eos qui, eod. tit. in 6. Vbi
poſita reſeruatione, excipitur periculum mortis:
& periculum appellatur etiam mortis articulus.
Etenim morale periculum in malis ita vitari
debet, ac euentus ipſe; nam qui amat periculum
peribit in illo.
17 Eſt tamen verum, quòd ea, quæ diximus locū
ſibi vendicant, quando deeſt Sacerdos proprius,
vt ſupra diximus: vel alius, ad quem ex officio,
vel ex delegatione iuriſdictionem habet ſuper
eiuſmodi pœnitentem. Vndè ſi proprius Paro-
chus præſens ſit, non poteſt eum abſoluere ſim-
plex Sacerdos. Imò *Suar. loco citato, nu.4.* & alij
quamplures, quos refert, & ſequitur *Molſ. in ſua*
Sum. Theol. tom.1. tr.7. c.15. nu.77. cum plur. ſeq.
arbitrantur in tali euentu eſſe ſeruandum ordi-
nem, vt ſi adſit Sacerdos approbatus ab Ordina-
rio, qui poſſit, & velit Sacramentum pœnitentiæ
conferre tali in periculo, ſeu mortis articulo con-
ſtituto; etiam ſi iuriſdictionem non habeat, vt
quia ſit Parochus alienus, non poſſit Sacerdos
ſimplex abſoluere; quamuis ipſe præferatur Sa-
cerdotibus excommunicatis: Siquidem excom-
municati degradati, hæretici, & alij Sacerdotes
præ-

Digitized by Google

præciſi licèt poſſint abſoluere fideles, in articulo,
ſeù in periculo mortis conſtitutos, vt habetur ex
Conc. Trid. loco citato, in illis verbis, *Quilibet
pœnitens à quibuſuis peccatis, à quocunque Sa-
cerdote, &c.* Id tamen poſſunt in defectum alio-
rum Sacerdotum, qui præciſi non ſunt, vt benè
18 declarat *Suar. ibidem, à nu. 5. vſque ad finem ſe-
ctionis.* Vbi etiam ait, pœnitentem eo caſu in de-
fectum aliorum poſſe, ac debere Sacramentum
Pœnitentiæ ſuſcipere à Sacerdote, etiam hæreti-
co; niſi probabiliter timeat contagium, vel publi-
cum ſcandalum. Etenim hos omnes iuriſdictio-
nem habere delegatam ab Eccleſia, non autem
de iure Diuino, aliqui putant, ob illa *Conc.* ver-
ba, *Ne aliquis periret, custoditum ſemper in Ec-
cleſia fuit, &c.* vt rectè quoquè declarat *Molſ.
in ſum. tract. 7. p. 1. c. 15. nu. 74. cum plur. ſeq.* &
alij quamplurimi Doctores, quos ipſe refert. Eſt
tamen verum, quòd ſi non ſeruetur ordo ſupra-
dictus, licèt aliqui velint nulliter impendi abſo-
lutionem, & Sacerdotem peccare mortaliter; ni-
hilominus contrariam ſententiam tenet *Nauar.
lib. 5. conſil. tit. de pœnit. & remiſ. conſ. 23.* in
nouiſſimis, & antiquis *conſ. 15. & Rodriq. in
ſum. p. 1. c. 39. nu. 5.*

19 Quintò limitatur prædicta concluſio, vbi quis
delictũ cómiſerit in aliena Parochia: quoniã tunc
relicto proprio Sacerdote, poteſt cófiteri Parocho
illius Parochiæ, cùm ratione delicti forum ſor-
tiatur, vt in *c. 1. de rapt. & c. placuit, 6. q. 3.* Quod
verum eſſe putat *Syl. ver. Confeſſor, 1. q. 6.* ſi con-
currat excommunicatio, ſicut fieri contingit in
furtis: ſiquidem hoc caſu ad excommunicantem
mittendus eſt abſoluendus. At ſi peccatum ſit
occultum, & nó concurrat excommunicatio ab-
ſolui poteſt à proprio Sacerdote. Imò etiam ſi
peccatum ſit notorium, vt habetur ex *Pauor. in
c. cùm contingat, de foro compet. & Gloſ. in c. 11.
q. 1.* Et rationem hanc eſſe ait *Syl. loco citato, q.
13.* quia penitentia imponitur ob Dei offenſam,
& ideò illi ſoli quis ſubijcitur in foro conſcien-
tiæ, quem habet loco Dei, & qui Iudex eſt ani-
mæ ſuæ. Eſt tamen verum, quòd vbi peccatum
eſt notorium, remittuntur aliquando pœnitentes
ad locum delicti cauſa ſatisfactionis, & ſcandali
emendandi, & non ratione abſolutionis: aliàs
oporteret confeſſionem diuidere confitendo de-
licta commiſſa in diuerſis territorijs, ſeu Paro-
chijs. Vndè iura, quæ volunt, quem ſortiri forum
ratione delicti, intelligenda ſunt quoad forum
contentioſum; ſecus autem quoad forum pœni-
tentiale.

20 Sextò limitatur in vaghabundis, ſcholaribus,
iter agentibus, & peregrinis, de quibus etiã egi-
mus ſupra *ſec. 2. concl. 7. verſ. Ad Parochum.* Hi
enim poſſunt alieno Sacerdoti confiteri: quod
quidem quomodo procedat, vide *Syl. ver. Con-
feſſor 1. q. 6. 10. & 11.* vbi etiam ait, idem dicendũ
eſſe de eo, qui domicilium quærit, cùm non ha-
beat quo ſe conferat, quouſque alicui ſe ſubdat;
quoniam is ad inſtar vagabundi ſine domicilio
eſt, *l. Labeo, in prin. & l. eius, §. Celſus, ff. ad mu-
nicip.* vide etiam *Suar. de penit. diſp. 27. ſec. 2.
Vaſq. tom. 4. q. 93. nu 2. dub. 4. ſub nu. 3. verſ. Hic
21 addi poteſt, & Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 25.* Imò
hodie conſuetudine introductum eſt, vt ſubditi
vnius Diœceſis, etiam data opera, poſſint in alia
Diœceſi confiteri peccata ſua: quia dum per hu-
manum præceptum fuit introductum, vt quis ſe-
mel in anno proprio Parocho ſua peccata confi-
teri teneatur: & de iure Diuino fideles tenean-
tur confiteri Confeſſario approbato ab Ordina-
rio, & Ordinarij paſſi ſint eiuſmodi conſuetudi-
nem induci, de illorum licentia cenſetur quoque
introductum, vt validè ſubditi confiteantur in
aliena Diœceſi; ſicut conſuetudine quoque intro-
ductum eſt, vt quis confiteri poſſit Confeſſarijs
eiuſdem Diœceſis, & non proprio Parocho, vt
habetur ex *Caiet. in ſum. ver. Abſolutio à pecca-
tis, §. licentia, Sot. in 4. d. 18. q. 4. ar. 2. Zerola,
ver. confeſſio, nu. 2.* & ex alijs probat *Molſ. in ſua
ſum. Theol. p. 1. tr. 7. c. 10. nu. 24. & c. 14. nu. 77. &
78.* Et licèt Doctor. ſupra relati id limitent, niſi
pœnitentes in fraudem alieno Sacerdoti confi-
teantur, vt quia permaneant in peccandi occaſio-
ne: vel teneantur alienum reſtituere, &c. & an-
no præcedenti fuerint à proprio Sacerdote re-
prehenſi: & ob id ſciant à proprio Sacerdote nó
eſſe abſoluendos; nihilominus contrariam ſen-
tentiam putat eſſe veriorem *Molſ. in d. c. 14. nu.
79.* Niſi quando pœnitentes non confiterentur
integrè, aut nollent occaſionem proximam pec-
candi dimittere, nec alienum reſtituere, & à pec-
catis in futurum abſtinere.

22 Eſt tamen verum, quòd non deſunt, qui ve-
lint, quòd iter facientes, & peregrini licèt in
omni loco peccata ſua confiteri poſſint ex præ-
ſumpta proprij Sacerdotis conceſſione; nihilo-
minus ſi peccata reſeruata habeant, non valent ea
confiteri Confeſſarijs à reſeruatis abſoluendi fa-
cultatem non habentibus; ſed omninò accede-
re debent ad Confeſſarium, qui in illo loco à re-
ſeruatis abſoluere poteſt: quia paregrini etiam
quoad caſus reſeruatos ſubduntur legibus eius
Diœceſis, cui applicuerunt. Quod quidem verũ
eſſe volunt, etiam ſi peregrini in eorum Diœceſi-
bus reſeruata commiſerint, quæ in Diœceſi, cui
applicuerunt reſeruata non ſunt. Ita *Sot. in 4. d.
18. q. 4. ar. 2. Suar. de pænit. diſp. 27. ſec. 3. nu. 5. cũ
ſeq. Vaſq. tom. 4. q. 93. ar. 2. dub. 4. nu. 3.* cum alijs,
quos allegant, & ita intelligunt *tex. in c. 2. de pœ-
nit. & remiſſ. in 6.* Et id multo magis ſibi vendi-
care in Regular. probat *Roder. 1. qq. Regular. q.
62. ar. 5.* atque ideò licèt omnes Regulares abſẽ-
23 tes à Monaſterijs cum debita Superiorum licẽ-
tia, poſſint eligere Sacerdotem Regularem, aut
Sæcularem (ſi ex Fratribus Confeſſarium nó ha-
beant,) & ab eis abſolui ab omnibus peccatis
ſuis, Superioribus non reſeruatis: à reſeruatis ta-
men non poſſunt abſolui, niſi per ſpecialem con-
ceſſionem; ſiquidem in generali conceſſione, tã
tacita, quàm expreſſa non veniunt ea, quæ ſi ſpe-
cialiter peterentur, non concederentur, *c. fin. de
Procur. & c. 2. de pœnit. & remiſſ. lib. 6.* At veriſi-
mile non eſt, Superiorem velle, vt peccata gra-
uia extra Religionem reuelentur. Quam conclu-
ſionem ob eandem rationem extendit ipſe *Rodr.*
etiam ſi Regularis abſens, eſſet Sacerdos, &
in caſum Superiori reſeruatũ incidiſſet, & opor-
teret eum celebrare ad euitandum ſcandalum,
aut aliud ſimile: nam tunc poſſet celebrare, re-
ſeruatorum confeſſione nó præmiſſa; ſed tantùm
mortalium non reſeruatorum, quæ aliàs confeſ-
ſus non fuit, nec ſibi remiſſa fuerunt.

24 Sed re verà licèt probabilis nobis videatur p̃-
dicta ſentẽtia quoad caſus reſeruatos commiſſos

in

Digitized by Google

in Diœceſi, cui iter agentes, & peregrinantes applicuerint, cùm illius legibus ſubdantur; & propterea non poſſint abſolui, niſi ab habentibus facultatem abſoluendi à reſeruatis; nihilominus contrariam ſententiam arbitror veriorem eſſe quoad peccata commiſſa extra ſupradictam Diœceſim: quoniam conſuetudo ita interpretata eſt licentiam illam, vt non cogantur iter agentes adire habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis in tali loco; atque ideò ſatis eſſe ſi confiteantur Confeſſario approbato in illo loco. Etenim Superior in abſentia cenſetur reſeruationem tollere fauore animarum ſubditorum, ne ob id detrimentum paterentur: & reſeruationem ſibi retinuiſſe ſolùm in præſentia, vt per ſe ipſum valeat, ſubditorum ſaluti conſulere; & ita intelligitur *text. in d. cap. 2. de pœnit. & remiſ. in 6.* Hanc ſententiam videtur tenere *Nauar. in cap. placuit, nu. 42. & ſeq. de pœnit. d. 6. Palud. in 4. d. 17. q. 3. art. 3. Reginal. lib. 1. ſuæ ſum. num. 73.* quos refert, & ſequitur *Molf. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. cap. 15. nu. 88.* Et eam veram eſſe arbitror etiam quoad Regulares iter agentes, peregrinos, & abſentes: ſiquidem propter peccata, quæ Confeſſario reuelantur non infamatur Religio: & propterea cenſetur tacitam eis conceſſam fuiſſe facultatem à ſuis Superioribus eligendi Confeſſarium quemcunq; à quo abſolui valeant, tàm à non reſeruatis, quàm à reſeruatis, ſtante licentia eiſdem conceſſa commorandi extra Monaſterium. Dixi Confeſſarium quemcunque, id eſt etiam non approbatum ab ordinario, ſi maximè expreſsè licentiam habeant eligendi ſibi Confeſſarium: quia *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. de reſor.* non habet locum Regularium, ob illa verba, *Confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum*. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. ſub nu. 4. & 5.* Qui rationem hanc eſſe putat, cur Concilium noluit in hoc ſubijcere Regulares Epiſcopis quoad confeſſiones, quas ipſi faciunt; quoniam Religioſis faſilè eſt inuenire Confeſſarium idoneum, cùm conſcientias magis purgatas, & à peccatis abſolutas: & prudentiores ſunt, ac magis cauti in eligendis Confeſſarijs.

25 Verum tamen eſt, quòd ſi Regularis abſens cum licentia ſui Superioris, vt ſupra, ſocium habeat Sacerdotem ſui ordinis, etiam non dum ad confeſſiones expoſitum, nec ab ordinario approbatum, tunc tenetur illi confiteri, quamuis Sacerdos ille licentiam à ſuo Superiore non habuerit expreſsè audiendi confeſſiones; dummodò non fuerit illi expreſsè prohibitum: nam concedendo illi licentiam manendi extra clauſtra, & aſſignando illi talem Sacerdotem ſocium tacitè pariter cenſetur eiſdem conceſſum, vt poſſint ad inuicem confeſſiones audire, excluſis omnibus alijs Confeſſarijs alterius Ordinis, & ſæcularibus. Idem dicendum eſt, ſi Regularis eiuſmodi reperiatur abſens ab aſſignato ſibi Monaſterio; ſed præſens in aliqua Ciuitate, vbi adeſt familia ſui ordinis: quoniam ſi Sacerdotem, vt ſupra ſocium non habet, tenetur ſibi Confeſſarium eligere ex profeſſoribus ſui ordinis: nam remoto priuilegio, ac ſpeciali conceſſione, Regulari prædicto non præſumitur à ſuo Superiore conceſſum, vt alieno Sacerdoti confiteri poſſit, vbi Confeſſarium proprij ordinis habere poteſt, cùm id eſſet contra ipſius ordinis decorem. Vndè meritò Innoc. VII. in priuilegio, quod conceſſit Prædicatoribus itinerantibus, vel extra Monaſterium commorantibus, cuius meminit *Confeſſ. in compend. priuil. Mendic. fol. 26.* vt poſſint ſibi Confeſſarium eligere, id indulſit ſub ea conditione, ſi aliquem prœsbyterum idoneum ex profeſſoribus ſui ordinis habere non poſſent. Dixi, *Presbyterum idoneum*, Quia ſi Superior aſſociet Regulari Sacerdotem aliquem ſui ordinis minus idoneum: aut reperiatur in Ciuitate, vbi ſit familia proprij ordinis: in qua non ſit Miniſter idoneus, tunc arbitror, Regularem eiuſmodi poſſe ſibi eligere Confeſſorem idoneum, etiam ſi non ſit proprij ordinis vigore ſupradicti priuilegij, ſi eſt ex Mendicantibus, aut per communicationem illud habeat, prout noſtra Congregatio priuilegijs omnibus potitur, quæ alijs Religionibus quibuſcunque conceſſa fuerunt, & & concedentur. Quibus adde quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 2. concl. 7. verſ. Ad Regulares, & ſec. 4. illat. 4. verſ. Quæ diximus.*

26 Septimò limitatur hæc ipſa cóclusio in exemptis, de quibus omnibus infra, Deo duce, *ſec. ſeq.* latè agemus. Non enim concluſio locum habet in exemptis. Eiuſmodi ſunt in primis ij, qui ſunt de familia Rom. Pontificis: nam horum proprius Sacerdos eſt ipſe Rom. Pontifex, vel eiuſdem Sum. Pœnitentiarius: aut quem ipſi deputant: dummodò actu Romæ exiſtant, & actu ſint de familia eius; atque ideò ſi indè proficiſcantur, tenentur communi iure proprio Sacerdoti confiteri. Id enim patet ex communi vſu, & conſuetudine Eecleſiæ, vt latè probat *Suar. de pœnit. diſp. 25. ſec. 2. nu. 12.* vbi etiam ab ordinaria iuriſdictione Parochorum, & Epiſcoporum excipit familiam Cardinalium: nam quilibet Cardinalis eſt quaſi proprius Sacerdos ſuæ familiæ, & poteſt per ſe, vel per alium hoc munus exercere. Idem ait *Caiet. in ſum. ver. Abſolutio, & Sot. in 4. d. 17. q. 4. art. 2.* De familijs verò Epiſcoporum non ita dicendum, ſed habent proprium Sacerdotem ordinarium. Eſt tamen verum, quòd poteſt Epiſcopus eximere familiam ſuam ab ordinaria Parochorum cura, & ſibi reſeruare, aut alium deputare, vt habetur ex eodem *Suar. & Sot. locis citatis*, & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Molf. in ſua ſum. par. 1. tract. 7. cap. 15. nu. 25. & 36.* Item ab ordinaria Parochorum iuriſdictione ſunt exempti Decani, Præsbyteri, Archidiaconi, & alij ſimiles, qui vigore conſuetudinis ſolùm Epiſcopis immediatè ſubordinantur, vt aliàs diximus, & babetur ex *Suar. ibidē, nu. 13.* vbi etiam *nu. 10. cum Soto loco ſupra relato*, putat idem dicendum eſſe de Parocho: quia Parochi inter ſe non ſunt ſubordinati. Præterea ab ordinaria Parochorum, & Epiſcoporum iuriſdictione in ſacramētali foro ſunt exempti omnes Religioſi, qui proprio reguntur ordine, & proprios Paſtores habent. Non tamen Regulares Superiores poſſunt compellere ſubditos ad eis confitendum, niſi quando peccatum aliquod reſeruatum habeant: ſed in ſingulis domibus deputare tenentur duos, tres, vel etiam plures Confeſſarios iuxta ſubditorum maiorem, aut minorem numerum, qui ſubditos ipſos à caſibus non reſeruatis abſoluant: & quibus reſeruatorum quoque abſolutio committatur, quoties expe-

dienā id Confeſſarius iudicauerit. Poſſunt autem Superiores ipſi graues pœnitentias ſtatuere, tàm pro reſeruatis, quàm pro non reſeruatis, vt habetur ex Decreto Clem. VIII. ſub die 26. Maij 1593. Quæ ſupra diximus de Religioſis extendimus ad Moniales exemptas, quæ Regularibus ſubduntur: quoniam eos habent proprios Sacerdotes. Nouitij Religioſorum exempti quoq; ſunt, & Regularibus Superioribus ſubijciuntur: nec alijs, quam Nouitiorum Magiſtris confiteri poſſunt. Semel tamen, aut bis in anno poſſunt confiteri Superioribus per ſe, vel per alios ab eiſdem deputandos, vt conſtat ex Bulla Clem. VIII. cuius meminit *Stephan. Quarau. in ſum. in Bull. tit. Monaſteria*, & conuenius, verum tamen eſt, quòd *Rodr. tom. 1 qq. Regul. q. 21. art. 11. Coriol. par. 1. de caſib. reſerat. ſec. 3. art. 4.* quos refert, & ſequitur *Molfeſ. in ſum. par. 1. tract. 7. cap. 14. nu. 81.* volunt contra *Cordub. lib. 1. ſua ſum. q. 30.* & alios, quòd ſi Nouitius infra annum probationis confiteatur alicui Confeſſario approbato ab Ordinario loci, valida eſt confeſſio; ſiquidem eſt ad inſtar ſæcularis: & licet Regulares exempti ſint à Curia Epiſcoporum, & ſubiecti curæ Prælatorum Regularium; talis tamen ſubiectio eſt voluntaria, & quamuis voluntariè quis ingrediatur Religionem; nunquam tamen voluntatem habet ſe obligandi ad obſeruantiam Regulæ; niſi poſt emiſſam profeſſionem. Nec obſtat Decretum Clem. VIII. quia non eſt latum per modum præcepti; ſed ſolùm per modum Regulæ, & conſilij: nec procedit vlterius irritando confeſſionem aliter factam. Idem dicendum eſt de ijs ſæcularibus, qui ſunt de familia Religioſorum; quoniam hi quoque ſunt exempti, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 11. de refor. & ſeſſ. 24. cap. 11.* & latè habetur ex *Rodriq. in compil. priuileg. Regul. tom. 2. in fine Bull. Greg. XIII.* Sunt Denique exempti à Parochorum, & Epiſcoporum ordinaria iuriſdictione in ſacramentali foro, Imperatores, Reges, & conſimiles Principes, ac eorum vxores, & filij; qui ex tacita, vel expreſſa Rom. Pontificis conceſſione Capellanos habent, Parochorum locum obtinentes: quamuis eiuſmodi perſonæ ratione dignitatum non ſint exemptæ, vt benè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 25. ſec. vlt. in fine*, & ante ipſum *Hoſtienſ. in ſum. de pœnit. & remiſ. §. cui Imperator, §. cui Rex, §. cui Dux, &c.* Et nouiſſimè *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 15. nu. 47.*

27 Octauò limitatur eadem concluſio, vt locum non habeat in habentibus facultatem de iure eligendi ſibi Confeſſarium. Horum in primis eſt Rom. Pontifex, qui quamuis ſanctum quis non dubitet eſſe, quem apex tantæ dignitatis attollit, vt in *cap. Ego Ludouicus 63. d. cap. quales, 1. q. 1. clem. 1. de iureiur. & cap. quod ſuper his, de voto*, nihilominus quoniam homo eſt, peccare poteſt, vt in *cap. aliorum, 9. q. 3.* imò grauius, quam quilibet alius, cùm quantò gradus ſit altior, tanto caſus ſit grauior, *cap. principium de pœnit. d. 2.* & grauiora delicta faciat ſublimitas peccantium *cap. nulli fas, 25. q. 1.* idcircò Diuino iure confiteri debet ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, Et cùm ab ipſo Diuino iure non eſt ei deſignatus, cui ſacramentaliter confiteatur; hinc deducitur à Deo fuiſſe conceſſum, vt Sacerdotem, quem maluerit eligere poſſit, eidemque ſe in ſacramētali foro ſubmittere, & in illo actu effici minor, & Sacerdos maior, *cap. multi Sacerdotes, 11. d.* latè *Hoſtien. in ſum. de pœnit. & remiſ. §. cui Papa.* Item hanc ipſam facultatem eligendi ſibi Confeſſarium habent Cardinales, Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi: nec non minores Prælati exempti, ſiuè Regulares ſint, ſiuè ſæculares, vt in *cap. fin. infra eod. tit. noſtro*, & intra, Deo duce, *ſec. ſeq. concl. 3.* latius dicemus. Quam quidem facultatem habent non iure Diuino, vt malè putat *Nauar. in Man. cap 27. nu. 260.* ſed iure humano, vt rectè docent *Turrecr. in c. quem pœnitet, de pœnit. d. 1. Suar. de pœnit. diſp. 27. ſec. 1. n. 4. Vaſq. tom. 4. q. 93. art. 2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Molſ. par. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 75. cum plur. ſeq.* vbi *nu. 30. & 31.* hanc eandem facultatem extendit ad Epiſcopos titulares, & in Epiſcopos, qui renunciauerunt Epiſcopatui, ita vt Epiſcopis hæc ipſa facultas conceſſa ſit, non ſolùm in eorum Diœceſibus, ſed etiam extra, & vbique: & ita teſtatur *nu. 32. ex Reginal. lib. 1. ſua prax. nu. 33 66. & ſeq.* fuiſſe

28 declaratum à Gregor XIII. Eſt tamen verum, quòd licet Epiſcopi, & alij Superiores citati in proprijs Diœceſibus poſſint ſibi eligere etiam Sacerdotem ſimplicem, & extra Diœceſes Sacerdotes ſibi ſubditos quoſcunq; nihilominus Sacerdotes non ſubditos ab eorum Ordinarijs non approbatos eligere nequeunt, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. nu. 8. & ſec. 6. nu. 6.* & id ob declarationem Greg. XIII. relatam ab eodem *Molſ. loco citato*, & ita ſe habentem, *S D. N. audita relatione Congregationis declarantis, Epiſcopos vigore priuilegij, de quo in cap. fin. de pœnit. & remiſ. non poſſe ſibi eligere Sacerdotem ſibi non ſubditum, qui a proprio Ordinario non fuerit ad hoc ad formam huius decreti ſcilicet Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. §. quamuis, de refor. admiſſus, ſeu approbatus ad audiendas confeſſiones.* Hoc idem probatur etiam ex quadam reſponſione Cardinalium, relata à *Suar. d. ſec. 6. nu. 6.* Quæ diximus de Epiſcopis, & de alijs Prælatis, qui ſunt Epiſcopis Superiores extendimus etiam ad Prælatos Regulares, vt infra latius Deo duce dicemus *ſec. ſeq.* quibus adde, quòd huiuſmodi Religionum Prælati exempti poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, etiam extra propriam Religionem ad inſtar Epiſcoporum; quia dum gaudent eodem priuilegio, *tex. in d. cap. fin.* & Epiſcopus poteſt ſibi eligere Confeſſarium, etiã non ſubditum, dummodò ſit approbatus ab Ordinario eius qui auditurus eſt confeſſionem; idem dicendum eſt de huiuſmodi Prælatis. Quod licèt in puncto iuris verum ſit, de conuenientia tamen fieri non debet: ſiquidem diſconueniens videtur Regulari, vt peccata ſua extra ordinem confiteatur. Et ſi id inhibeatur per conſtitutiones Regularium approbatas à Rom. Pontifice, illis eſt omninò ſtandum. Ita *Molſeſ. p. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 15. nu. 44.* cum alijs, quos allegat, vbi etiam *nu. 45.* probat, quòd dum ipſi Regulares licentiam eligendi Confeſſarium habent à proprio Superiore, & Concilium nihil innouauit Regularium poſſent ſibi eligere ſimplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario: ſiquidem approbatio Ordinarij reſpectu Regularium intelligitur ſolùm in ordine ad audiendas confeſſiones ſæcularium, vt habetur ex *Nauar. in*

Man.

Man. cap. 4. Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. nu. 3. & ſeq. Reginal. & ex alijs, relatis ab ipſo *Molf. loco citato.* De Vicario autem Epiſcopi, an poſſit ſibi eligere Confeſſarium, plura quoque dicemus infra *ſec. ſeq. concl. 3. verſ. Imò circa mediũ,* vbi etiam agitur de Vicario Capituli, & aliorum Prælatorum: *& verſ. Sed ſuppoſito.* Idem eſt dicendum de Prioribus, & Vicarijs Præpoſitorum
29 Regularium; maximè ſi Abbates, & Præpoſiti abſentes ſunt, aut mortui, quoniam hi poſſunt ſibi eligere Confeſſarium; ſecus ſi ſint præſentes, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Confeſſor 1. q. 8. ſub nu.* 8. ſiquidem quando Abbates, & Præpoſiti abſentes ſunt, militat ratio, *d. cap. fin. infra ex tit. noſtro*: ne ſcilicet pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum: & lex debet reſtringi, & extendi iuxta limites rationis eius, *l. cùm pater, §. dulciſſimis, ff. de legat. 2. cap. ſuggeſtum,* & ibi *Panor. de appellat.* Dicitur autem abſens Abbas, ſeù Præpoſitus, qui extra continentia Vrbis adeſt, *l. abſentem, ff. de verb. ſignif.* ita vt cum Vicarius, ſeù Prior citra aliquem mediocrem laborem adire non poſſet, *arg. tex. in l. ſi maritus, §. legis Iuliæ, ff. de adulter.* Non tamen Abbatiſſæ facultatem eligendi ſibi Confeſſarium habent; quoniam licèt Abbatiſſæ iuriſdictionem habeant in foro exteriori ad coercendas ſuas Moniales; eiuſdem tamen incapax eſt in foro interiori: & propterea dicta facultate carent, niſi ſpecialiter de hoc priuilegium habeant à Romano Pontifice, vt habetur per *Vaſq. d. q. 93. art. 2. dub. 4. Sot. Reginal.* & alios, relatos per *Molſeſ. loco citato, num. 39. & 40.* & nos latius dicemus, *infra ſec. ſeq. concl. 3. per totam.* Benè
30 verum eſt, quòd ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. de Regular. & Monial. cap.* 10. ſtatuitur, vt præter ordinarium Confeſſarium alius extraordinarius ab Epiſcopo, & alijs Superioribus bis, aut ter in anno offeratur Monialibus, qui omnium confeſſiones audire debeat; non tamen ipſæ poſſunt ſibi eligere Confeſſarium; ſed nominare dumtaxat extraordinarium, à ſuis Superioribus approbandum, ſi ſibi videbitur, & ita ſeruari ex *Suar.* & alijs, teſtatur *Molf. d. cap 15. nu. 95.*
31 Nonò limitatur ſupradicta cõcluſio in habentibus facultatem eligendi Confeſſarium ex particulari priuilegio. Etenim multa confeſſionalia expediuntur à Religioſis maximè vtriuſq; ſexus hanc facultatem eiſdem concedentia. Sunt quoque nonnullæ Bullæ, tum Cruciatæ, tùm etiam multarum ſocietatum hoc ipſum concedentes. Eſt tamen verum, quòd non omnes Regulares cuiuſcunq; Ordinis eiſdem vti poſſunt, vt conſtat ex diſpoſitione Clem. VIII. ſub die 23. Nouembris 1599. facta ad inſtantiam procuratoris Generalis de Monte Carmelo, relata à *Steph. Quaranta in ſum. Bullar. ver. Confeſſor*: Et Greg. XIII. pro Religioſis Societatis Ieſu, cuius diſpoſitionis verba refert *Rodriq. tom. 1. qq. Reg. q. 62. art. 4. & Peregr. in compen priuilegiorum noſtrorum, tit. Abſolutio quoad fratres noſtra Congregationis, §. 3.* Et propterea eiuſmodi confeſſionalia prædictis Religioſis non ſuffragantur niſi in eis fiat derogatio dictarum diſpoſitionũ. Imò Rom. Pontifex licèt poſſit quibuſcunque concedere licentiam eligendi ſibi Confeſſarium citra licentiam proprij Sacerdotis; attamen eiuſmodi licentia in dubio intelligenda eſt de eligendo Confeſſario ab Ordinario approbato, vt habetur ex eodem *Molf. loco citato, nu. 54. in fine, vbi n. 55. cum plurib. ſeq.* Id etiam ampliat in omnibus Prælatis Ordinarijs ſimilem facultatem concedentibus tacitam, aut expreſſam. Non tamen admittit ratihabitionem, non ſolùm de futuro; ſed nec quidem de præſenti: atque ideò ſi Confeſſarius de præſenti probabiliter exiſtimaret, proprium Sacerdotem ratam habiturum abſolutionem, miniſtrare Sacramentum non poſſet; ratihabitio accipiatur pro conſenſu, per quem de præſenti Confeſſarius habeat iuriſdictionem, vt eſt quando Confeſſarius iuriſdictionem habeat ex conſuetudine, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 26. ſec. 1. ſub nu.* 13. & ex alijs ab eodem *Molf. relatis.*
32 Decimò limitatur præfata cõcluſio in habentibus facultatem eligendi Confeſſarium virtute Iubilæi: ſiquidem hi poſſunt confiteri Confeſſario, quem elegerint. Verumtamen eſt, quòd illum tantùm eligere ſibi poſſunt, qui approbatus eſt ab Ordinario ipſius Cõfeſſarij ad audiendas confeſſiones: quoniam intentio Rom. Pontificis per eiuſmodi conceſſiones non præſumitur velle derogare iure competenti Ordinarijs locorum. Et quamuis *Gutier. lib. 1. canon. qq. cap. 27. nu. 6. & ſeq.* & alij relati à *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 6. nu. 5.* Requirant approbationem ab Ordinario pœnitentis; nihilominus contrariam ſententiam docet *Suar. d. ſec. 6. nu. 6.* cùm alijs, quos allegat, *& Molf. par. 1. ſue ſum. tract. 7. cap. 15. n. 18. cum plur. ſeq.* Vbi rationem hanc eſſe ait, cur in Bullis Iubilæi ſeruetur, & non ſecundum formam *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de refor. cap. 15.* exigentis approbationem Confeſſario ab Ordinario pœnitentium; quoniam Concilium habet reſpectum ad proprium Epiſcopum pœnitentium, qui cùm Paſtor dicatur ſuarum ouium, ad eum pertinet aſſignare Confeſſarios idoneos iuxta ſuarum ouium indigentiam. At in Bullis Iubilæi datur priuilegium pœnitentibus, & ad ipſos habetur reſpectus, vt vbiq; locorum poſſint eorum peccata confiteri Confeſſario approbato ab Ordinario: & propterea debet intelligi de Ordinario Confeſſarij. Et ita declaratum fuiſſe per ſacram congregationem in d. locum Concilij referunt ſupracitati Doctores: quam declarationem nos retulimus de verbo ad verbum ſupra *limit.* 8. vbi etiam retulimus aliam reſponſionem Cardinalium relatam à *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 6. nu. 6.* ita ſe habente, *S. D. N. declarauit*
33 *tempore Iubilai poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones. In Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones; non autem de Ordinario pœnitentium.* Benè verum eſt, quòd quando Confeſſarij approbati ſunt à Romano Pontifice ad audiendas confeſſiones vbiq; locorum, tunc non exigitur alia approbatio: quoniam ipſe eſt Ordinarius ſuper omnes alios Ordinarios. Vndè Confeſſarij noſtræ Congregationis, & alij ſimiles priuilegiati, qui præuio examine à Vicario Vrbis fuerunt approbati ad audiendas fidelium confeſſiones non debent examinari extra Vrbẽ à locorum Ordinarijs, ſi confeſſiones fidelium audire voluerint; ſed ſatis eſt eorum licentias Romæ obtentas ipſis Ordinarijs præſentare, & ab

eiſdem facultatem expoſtulare abſque alio examine. Ita Sixt. V. anno 1586. relatus à *Steph. Quaran. in ſum. Bullar. ver. Confeſſor*, & latè *Peregrin. in compen. noſtr. priuil. tit. Abſolutio quoad Regulares*, §. 9.

34 Illud autem nolui eſſe ſilentio prætereundum, quòd licèt in Religioſis *Conc. Trid.* nihil in hoc innouauerit: & propterea regulariter poſſent ſibi eligere ſimplicem Sacerdotem, vt ſupra diximus *limit. 6.* & infra dicemus, *ſec. ſeq.* nihilominus id in Iubilæo locum ſibi non vendicat; quoniam Regulares vtriuſq; ſexus tenentur confiteri Confeſſario approbato ab Ordinario ipſius Confeſſarij, iuxta ea, quæ ſupra diximus ex *Molſ. loco citato, nu. 16. & 18.* & latius *nu. 27. & 28.* Vbi etiam ait, quòd ſi Epiſcopus approbaſſet aliquos ad audiendas confeſſiones fideliũ, exceptis Monialibus, non poſſunt Moniales tempore Iubilæi eligere ſibi aliquem ex dictis: & *nu. 29. & 30.* probat, lethaliter peccare Religioſum ſimpliciter approbatum ab Epiſcopo citra exceptionem aliquam, ſi Monialium, aut aliarum mulierum confeſſionem audiat, prohibitam eis à ſuis Superioribus; & ſi valida ſit abſolutio ab iſdem impenſa. Imò Religioſi nunquam vti poſſunt Bullis Iubilæi, aut Cruciatæ quoad effectum eligendi ſibi Confeſſarium; niſi de illis expreſsè fiat mentio in ipſis Bullis: quia in generali conceſſione eligendi ſibi Confeſſarium per fideles vtriuſq; ſexus, intentio Romani Pontificis non eſt comprehendere Religioſos vtriuſq; ſexus, vt habetur ex *Reginal. lib. 8. ſuæ praxis, nu. 37. Rodr. tom. 1. qq. Regular. q. 8.* & ex alijs, quos refert idem *Molſeſ. d. cap. 16. nu. 26.* vbi ita declaratum fuiſſe refert per Clem. VIII. & ſæpè per Congregationem Cardinalium. Adde, quod licèt Prælati Regularium prohibere poſſint eorum ſubditis, ne confiteantur peccata ſua Religioſo alterius Ordinis, qui à S. Pontifice haberet facultatem audiendi cõfeſſiones etiam quorumcunq; Regularium, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 26. ſec. 1. nu. 12. Reginal. loco cit. & Vaſq. tom. 4. in 3. par. q. 93. art. 2. dub. 6.* Nihilominus tempore Iubilæi id prohibere non debent, ſed ſuos ſubditos pro illa vice liberos debent dimittere ad confitendum etiam extra Religionem, ſi velint, vt habetur ex ipſo *Molſ. d. cap. 16. nu. 32.*

35 Vndecimò limitatur eadem concluſio, vt non procedat in ijs, qui eorum peccata Confeſſarijs à Sede Apoſtolica delegatis confitentur, vt ſunt hodiè ferè omnes Religioſi, de quibus infra latius dicemus, fideles enim poſſunt eiuſmodi Delegatis confiteri, etiam nulla licentia petita à proprio Sacerdote: & eorum confeſſio valida eſt etiam quoad implendum preceptum annuæ confeſſionis, vt latè probat *Suar. de pœnit. diſp. 26. ſec. 1.* cum innumeris ferè Doctoribus, quos allegat. Hæc autem delegata iuriſdictio in ſacramentali foro duobus modis dumtaxat facta reperitur. Per conſuetudinem ſcilicet: & per conceſſionem hominis. Conſuetudine hanc iuriſdictionem habet quilibet Sacerdos ad audiendas confeſſiones eorum, qui reperiuntur in articulo, ſeù periculo mortis, de qua ſupra tractauimus, *limit. 4.* ſecluſo verò mortis articulo, neminem circa materiam neceſſariam confeſſionis habere iuriſdictionem ex conſuetudine præcisè delegatam, ait *Suar. de pœnit. diſp. 26. ſec. 2.* vbi etiam inquit, quòd ſi aliquando eiuſmodi iuriſdictio conſuetudine comparatur, illa non eſt delegata, ſed ordinaria, cùm ſemper acquiratur, vt annexa alicui muneri, aut Beneficio. Per conceſſionem autem Rom. Pontificis datur duplex delegata iuriſdictio: publica ſcilicet, & priuata. Poſterior dicitur, cùm alicui ſpecialiter iuriſdictio per Rom. Pontificem delegatur ad tempus, vel in perpetuum, aut ad beneplacitum ipſius concedentis duratura. Prior verò appellatur magis communis, & quæ per priuilegia perpetua conceditur, vt eſt iuriſdictio, quæ Religioſis præcipuè Mendicantibus conceſſa fuit; quam licèt quidam velint fuiſſe factam à iure, quatenus quædam eorum priuilegia in iure contineantur; re vera tamen dicitur ab homine: quoniam à principio ita facta reperitur, & in iure occaſionaliter tantùm eorum fit mentio, vt in *extrauag. 1. Benedicti 11. de priuil. & Ioan. 22. extrauag. vas electionis, de hæretic.* vbi ſententia Ioannis

36 de Poliaco Doctoris Pariſienſis damnatur, dùm falsò contendit, non poſſe Papam concedere talia priuilegia: & ſi de facto concederet, eos, qui confiterentur Mendicantibus, non eſſe abſolutos; ſed iterum eſſe abſoluendos ab eorum Parochis. Et dum hæc ipſa controuerſia iterum à Paſtoribus moueretur, eodem modo fuit definita à Clem. VIII. ſub die 22. Decemb. 1592. vt teſtatur *Conynch. de pœnit. diſp 8. nu. 66. & Molſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. cap. 15. nu. 51. & 52.* qui quidem exiſtimant, Mendicantium priuilegia in eo præſertim fuiſſe fundata; quoniam tempore quo fuerunt instituti Mendicantium Ordines, Sacerdotes ſæculares erant vt plurimum ſine ſcientia, ac bonitate: & ob eorum ignorantiam, & deprauatos mores exorta fuit hæreſis Albigentium, & Vualdentium: quo circa Religioſi, qui doctiores erant, ac ſanctiores, populi rogatu obtinuerunt priuilegia pro audiendis confeſſionibus omnium ſæcularium. Vndè ab anno 1220. omnes fideles liberè poterant, vt ad præſens poſſunt ſua peccata Religioſis priuilegiatis citra licentiam proprij Parochi, & ſatisfacere præcepto confeſſionis annuæ: quamuis olim Monachis ſæcularium confeſſiones audire interdictũ fuiſſet, vt in *c. 1. 17. q. 1. & c. placuit, ii 2. 16. q. 1.* eo quod ait *D. Hieronym. lib. contra vigilantium*, quòd Monachus plangentis, non autem

37 docentis habet officium. Eſt tamen verum, quod delegatio eiuſmodi, ſiuè publica ſit, ſiuè priuata, ſemper exigit in Delegato Ordinarij approbationem adhoc vt Delegatus ea vti poſſit ad audiendas ſæcularium confeſſiones, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de refor. cap. 15.* & nos latius Deo duce infra dicemus, *ſec. 9.*

38 Vndè quocunque modò Sacerdotes iuriſdictionem delegatam habeant à Rom. Pontifice in ſacramentali foro, nunquam ea vti poſſunt ad audiendas confeſſiones ſæcularium, niſi approbati fuerint ab Ordinario: vel ab ipſo Romano Pontifice delegatio prædicta fiat ſimpliciter, & citra approbationem aliquam, & ſpecialiter *Conc. Trid.* ſupra relato derogetur; vel ſaltem per clauſulam generalem excludentem Concilia generalia, nempè, non obſtante quacunq; lege contrarium diſponente, etiam in Concilio generali edita: ſiquidem per clauſulam generalem non intelligitur derogatum diſpoſitioni Concilij gene-

generalis, niſi illius ſpecialis fiat mentio, vt in *cap. ex parte*, & ibi *Gloſa in ver. Fecerint mentionem, & Felin. nu. 7. de reſcrip. Archid. in cap. 1. in ver. Naſcatur, in fine, eo. tit. in 6. & Bal. in l. humanum, in 2. not. de legib.* Vel ſaltem clauſula generalis talis ſit, quæ concilia generalia excludat, vt habetur ex *Cauar. lib. 4. var. reſol. cap. 16. nu. 6.* & alij, quos retulimus in noſtris *Commen. in Bull. Cœna, lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 44.* quibus adde, quæ ibidem addita fuerunt, *lit. B. per D. Caſarem Duardum Germanum meum*, dum probat ad derogandum Conc. Trid. ſatis eſſe non ſolùm ſi de eo fiat ſpecialis, & indiuidua mentio, vel ſaltem Conciliorum in genere, ſed etiam ſi nulla mentio fiat Conc. Trid. nec Concil. in genere, ſed poſſe illi derogari
39 per ſolam clauſulam illam generalem, *Non obſtantibus, &c.* Pro cuius opinionis confirmatione vltra ea, quæ ipſe *D. Cæſar* cumulauit, facit id quod habetur ex *Steph. Quaranta in ſum. Bull. in ver. Confeſſor in fine*, dum refert de verbo ad verbum declarationẽ quandam habitam à Congregatione Conc. Trid. pro RR. Præsbyteris Congregationis Oratorij petentibus declarari, an validum ſit priuilegium à Sixto V. eiſdem conceſſum, vt qui ex ipſis prævio examine ad audiendas cõfeſſiones in Vrbe à Vicario approbati fuerint, extra eandem Vrbem abſque alio examine de licentia Ordinariorum confeſſiones audire poſſint: qua fuit declaratum; quòd ſi dictum priuilegium fuerit ab Apoſtolica Sede conceſſum, eſſe obſeruandum, quamuis nullam mentionem faciat *Conc. Trid.* Ex qua declaratione infert *Megal. par. 1. Inſtit. Peregr. lib. 10. cap. 10. nu. 10. in fine*, Quod ſtante dicta decla-
40 ratione, ſi Rom. Pontifex ſuam iuriſdictionem delegaret ad abſoluendum omnes Chriſti fideles citra Epiſcoporum licentiam, ſic Delegatus ea vti poſſet, nulla præuia eorum venia, quamuis expreſſe Concilio non eſſet derogatum. Quòd quidem videtur nobis valdè dubium: ſiquidem ex declaratione illa non videtur poſſe inferri regulam generalem; ſed tantum quoad approbatos à Vicario Vrbis ad audiendas confeſſiones vbiq; locorum, iuxta ea, quæ ſupra diximus, *lim. 10.* Vndè quoad alios exigitur derogatio *Cõc. Trid.* vno ex ſupra relatis modis. Nec ob id inanẹ dicimus eſſe priuilegium conceſſum à Greg. XIII. Confeſſarijs Societatis Ieſu, die 3. Maij 1575. quod etiam nos habemus; nempe, vt Confeſſarij ſemel approbati iuxta formam *Conc. Trid.* ſi eſſent in itinere, nec poſſent commodè Epiſcopis locorum ſe præſentare, poſſent audire fidelium confeſſiones, in illis locis, vbi Ordinarij non exiſtunt; quoniam in dicto priuilegio, licèt non derogetur *Conc. Trid.* expreſſe; cenſetur tamen eidem derogatum tacite, cum ibi ipſius Concilij fiat mentio. Reliqua ad hanc rem pertinentia vide infra *ſec. 9.*

An aliqui ſint, qui proprium Sacerdotem non habeant, ab eiuſdem ordinaria iuriſdictione in pœnitentiali foro exempti, & Confeſſarium eligere ſibi valeant.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Romanus Pontifex proprium Sacerdotem non habet, ac nullius iuriſdictioni ſubijcitur, ſed omnibus eſt Superior.*

2 *Papa ab irregularitate non abſoluitur, cum ſit iure humano introducta.*

3 *Iure Diuino ſolus Papa proprium non habet Sacerdotem: omnes verò alij fideles illũ habent.*

4 *Iuriſdictio Epiſcoporum an ſit de Iure humano Eccleſiaſtico, eamque recipiant Epiſcopi immediatè à Papa.*

5 *Iure poſitiuo multi ſunt à proprio Sacerdote exempti, atque ideò eligere ſibi poſſunt Confeſſarium.*

6 *Iure nouo Epiſcopis, alijſq; Superioribus, nec non, & Prælatis minoribus exemptis tribuitur facultas eligendi ſibi prouidum, & diſcretum Confeſſarium.*

7 *Ob periculum moræ datur ſtatim abſolutio, quæ alias non daretur.*

8 *Summus Pontifex poteſt, & debet eligere ſibi Confeſſarium, cui ſua confiteatur peccata, cum etiam adimplere teneatur præceptum annuæ confeſſionis. Et quare.*

9 *Summus Pœnitentiarius, licet ſit omnium propriùs Sacerdos, etiam Cardinalium, habet tamen proprium Sacerdotem, nempè Summũ Pontificem, cui tenetur confiteri. Ipſo tamen nolente, vel impotente, debet ſibi eligere Confeſſarium.*

10 *Eminentiſſimi Cardinales habent quoque hanc facultatem eligendi ſibi Confeſſarium etiam pro ſatisfaciendo præcepto noſtri canonis.*

An poſſint vti inſignibus Pontificalibus in Eccleſia proprij Tituli.

11 *Facultatem eligendi Confeſſarium habẽt quoq; Cardinales pro ſuis familiaribus.*

12 *Patriarchæ, ſeu Primates, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, cæteriq; iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes eligere ſibi poſſunt Confeſſarium cui confiteantur, quamuis confirmati tantùm ſint, non dum conſecrati.*

13 *Cur Epiſcopus electus tantum, non confirmatus, eligere ſibi non poteſt Confeſſarium. Et an Summus Pontifex confirmatione indigeat.*

14 *Epiſcopus non ſolum pro ſe, ſed etiam pro ſua familia eligere poteſt Confeſſarium, donec tamen eligatur, familia ſubeſt Parocho.*

15 *Facultatem hanc habet Epiſcopus, quamuis Epiſcopatui renunciauerit.*

16 *Facultatem prædictam retinet Epiſcopus, etiam ſi fuerit verbaliter depoſitus, aut ſuſpenſus, aut Epiſcopatu ob Crimen priuatus.*

Quid dicendum de Archiepiſcopis, & Patriarchis, ac de Vicarijs Generalibus Epiſcoporum.

17 *Vicarius Generalis eſt propriè Prælatus, & Ordinarius in tota Diœceſi, & Iuriſdictionem habet Eccleſiaſticam cum adminiſtratione.*

Et an poſſit ſibi eligere Confeſſarium ſicut Epiſcopus.

18 *Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ, atque Abbates ſæculares exempti, dum manent intra fines ſuarum Diœceſum, & Prouinciarum, ſaltem dum Archiepiſcopi, & Patriarchæ viſitant poſſunt ſibi eligere quemlibet Sacerdotem etiam non ſubditum, modo tempore quo eligitur maneant in Diœceſi, vel in Prouincia.*

29 *Hoc idem dicendum eſt de legato à latere in ſua Prouincia, & de Nuncijs Apoſtolicis.*

20 *Epiſcopi extra Diœceſim agẽtes eligere poſſunt*

ſuos

ſuos ſubditos, licet non approbatos ab Epiſcopo Diœceſis, & non tamen eligere valent ſuos non ſubditos.

An poſſint eligere Sacerdotem Regularem ex Religionibus exemptis abſque approbatione Superioris Regularis.

21 *Prælati omnes exempti etiam Epiſcopis inferiores poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.*

22 *Referendarÿ tanquam verè Prælati, ab Epiſcopis exempti, & Papæ immediatè ſubiecti poſſunt ſibi eligere Confeſſarium.*

Quid dicendum de Auditoribus Rotæ, Prothonotarÿs Apoſtolicis Gubernatore Vrbis Auditore Cameræ, ac Clericis Cameræ.

23 *Parochus cum non ſit Prælatus ſibi non poteſt eligere Cōfeſſarium poſſunt tamen alterutrum Parochi confiteri, modo quilibet approbatus ſit in ſua Parochia, quamuis diuerſorum ſint Epiſcopatuum.*

Idemq; dicendum eſt de omnibus alÿs iuriſdictionem non habentibus Epiſcopalem ratione ſuæ Prælaturæ.

24 *Præpoſiti Generales Regularium poſſint abſque controuerſia ſibi Confeſſarium eligere.*

25 *Superiores Regulares poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, etiam Sacerdotem ſæcularem, vel etiam Regularem alterius Religionis.*

26 *Regulares Superiores non modò facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium, ſed valent quoque de Iure, licentiam concedere ſuis ſubditis eligendi ſibi Confeſſarium, & quomodo.*

27 *Superior Regularis poteſt ſe ipſum, & ſubditum ſubÿcere Epiſcopis, & alÿs pro abſolutione, etiam in ÿs, à quibus intra Ordinem poſſunt abſolui, ac diſpenſari.*

28 *Referuntur duo Decreta Capitulorum generalium noſtræ Congregationis, & an primum comprehendat Prælatos noſtræ Congregationis ita, vt neque Pater Generalis, neque Præpoſiti locales confiteri poſſint Confeſſario extra Religionem.*

Et an poſſit aliquis vnius domus confiteri aliquando alteri alterius domus.

PRO determinatione huius difficultatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 ROmanus Pontifex proprium Sacerdotem non habet. Hæc concluſio eſt citra omnē controuerſiam: ſiquidem is dicitur habere proprium Sacerdotem, cuius iuriſdictioni ordinariæ ſubÿcitur in ſacramentali foro, vt in noſtro canone, & ibi Doctor. communiter *Henriq. lib. 1. de pœnit. cap. 7. Suar. in 3. par. diſp. 27. ſec. 1. & alÿ Theol.* At Rom. Pontifex nullius iuriſdictioni ſubÿcitur, ſed omnibus eſt Superior, vt in *c. cuncta per mundum*, 9. q. 3. Etenim poſt eiuſdem electionem à duabus partibus Cardinalium mox, ac immediatè recipit à Deo ordinariam iuriſdictionem, & plenitudinem poteſtatis ſuper vniuerſalem Eccleſiam, vt in *clem. 1. in fine, vt lit. pend. c. propoſuit de conceſ. præb.* & nos latè ſupra oſtendimus, *ſec. 2. concl. 1.* Vndè Rom. Pontifex ſicut à Deo accipit ordinariam iuriſdictionem, & plenitudinem poteſtatis, ita etiam à Deo habet, vt poſſit ſibi eligere Confeſſarium, in quem transfunditur ab ipſo omnis ſua poteſtas, & abſolui à quibuſcunque peccatis; ita vt quando Confeſſarium ſibi eligit, id agit, vt Vicarius Chriſti, quando verò à peccatis abſoluitur à Confeſſario ſibi electo, abſoluitur, vt peccator, vt rectè poſt *D. Thom. D. Bonauent.* & alios rectè declarat *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 230.* Dixi, *à quibuſcunque peccatis*, Quoniam à cenſuris Roman. Pontifex non abſoluitur, cùm in eas non incidat, nec quidem in illam latam propter crimen hæreſis, vt latè nos probauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ Domini, lib. 1. cap. 1. q. 2. nu. 36.* Sic
2 etiam Papa nō abſoluitur ab irregularitate, quoniam irregularitas cùm ſit de iure humano introducta, Rom. Pontifex illam non poteſt contrahere, vt habetur ex *Conynch. diſp. 18. nu. 18.* & ex alÿs communiter. Eſt tamen verum, quòd licèt Epiſcopus, & alÿ, qui diſpenſādi facultatem habent non poſſint in proprio voto diſpenſare, nec alÿs huiuſmodi facultatem committere, vt ſecum diſpenſet; nihilominus poteſt Papa ſecum per ſe in proprio voto diſpenſare: ſiquidem hoc caſu non exigitur diſtinctio perſonarum propter ſpecialem inſtitutionem, ſicut expoſtulatur in ſacramentali abſolutione impendenda: neque requiritur propter iuriſdictionis vſum: nam in voluntaria, & ſuprema iuriſdictione non inconuenit, eundem vt Pontificem operari in ſe, vt hominem, vt poſt *Suar. 2. par. de Relig. tract. 6. lib. 6. de irrit. & diſpenſ. voti, cap. 12.* & alios declarauimus in noſtris *Commenta. in Bull. Cœnæ lib. 1. cap. 4. q. 7. nu. 14. cum plur. ſeq.* vbi etiam ex eodem *Suar.* diximus tamen, quòd decentius eſt, ſi Rom. Pontifex ſuam poteſtatem deleget proprio Confeſſario, quem eligit, vt cum ipſo diſpenſet. Idem dicendum eſt de indulgentÿs: ſiquidem eadem ratione Romanus Pontifex poteſt ſibi applicare indulgentias per ſe ipſum, vt per eundm *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 27. ſec. 2. n. 2.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 IVre Diuino ſolus Papa non habet proprium Sacerdotem; alÿ verò fideles omnes propriū Sacerdotem habent. Hæc concluſio eſt communis: etenim de iure Diuino omnes alÿ habent Parochum, & ſolus Romanus Pontifex illum non habet, cùm omnes Sacerdotes ab ipſo poteſtatē iuriſdictionis accipiant, vt rectè declarat *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 2 nu 21.* & nos latè in *Commentar. noſtris ad Bull. Cœnæ lib. 2. can. 1. q. 3. 4. 5. & 6.* quibus adde *Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 11. nu. 2.* & alÿ quamplurimos, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. cap. 1. nu. 25. & Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. tit. 1. de inſtit. Epiſc. cap. 1. nu. 27. & 28.* Qui cum veriori, & communiori opinione
4 docent iuriſdictionem Epiſcoporum eſſe de iure humano Eccleſiaſtico, & eos illam accipere immediatè à Papa, & pendere ab ipſo in fieri, & cōſeruari, qui poteſt eam reſtringere, & auferre; Vndè conſtat malè ſenſiſſe *Sot. in 4. d. 22. q. 2. art. 1.* dicentem, Epiſcopos omnes recipere immediatè à Chriſto iuriſdictionis poteſtatem, cum ſuccedant in locum Apoſtolorum: ſiquidem illa iuriſdictio fuit delegata, vt in *d. noſtris Comm.* diximus in ſupradicta *q. 4.* & ordinariam nemo habet immediatè à Deo, niſi ſolus Sum. Pontifex à quo cæteri participant, vt rectè etiam declarat *Barboſa loco citato ſub nu. 31. cum plur. ſeq.*

TERTIA

TERTIA CONCLVSIO.

5 QVamuis nullus de iure Diuino præter Rom. Pontificem iuriſdictionem habeat; ſed omnes, qui poſt eum iuriſdictionem exercent illam obtinuerint iure poſitiuo humano immediatè, vel mediatè ab ipſo Romano Pontifice, vt ſupra oſtendimus; nihilominus de iure poſitiuo multi ſunt exempti à proprio Sacerdote atque ideò poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, cui confiteantur, etiam ad ſatisfaciendum præcepto confeſſionis annuæ in noſtro canone contento. Probatur hæc concluſio ex *tex. in cap. fin. infra eo. tit. noſtro*, cuius formalia verba ſunt, quæ ſequuntur, *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter ſui Superioris licentiam, prouidum, & diſcretum ſibi poſſint eligere Confeſſorem*. Etenim in ipſo *tex.* cum fuerit indultum Epiſcopis, & alijs Superioribus; nec non minoribus Prælatis exemptis, vt Confeſſarium ſibi poſſint eligere, hinc neceſſario deducitur, quòd de iure etiam Epiſcopi, ac Prælati quantumuis exempti, & fideles omnes, excepto Romano Pontifice, proprium habeant Sacerdotem, cui teneantur propria peccata confiteri; atque ideò inquit *Panorm. in d. cap. fin.* Summus Pontifex de iure eſt proprius Sacerdos Patriarcharũ, & Primatum, Patriarcha, ſeù primas eſt proprius Archiepiſcoporum Sacerdos, qui ſibi ſunt ſuffraganei: Archiepiſcopus eſt proprius Sacerdos Epiſcoporum; Epiſcopus Parochorum, & ſic de ſingulis. Quod de iure ante editionem dicti *cap. fin.* omnes habeant proprium Sacerdotem, patet ex noſtro *can.* §. 1. in illis verbis, *Omnis vtriuſq; ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, &c.* Siquidem dictio illa, *Omnis*, eſt vniuerſalis, & nullum excipit, vt in *l. sextoribus, & l. Iulianus, ff. de legat. 3. cap. ſi Romanorum*, & ibi *Gloſa in ver. Dicendo*: 19. *d.* & nos latè de ſignificatione huius dictionis, in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 8. q. 10. nu. 2. & 3.* vbi oſtendimus, hanc eandem dictionem comprehendere etiam perſonas illuſtres, ſiuè Eccleſiaſticæ ſint, vt Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Superiores Prælati; ſiue Laicales, vt Comites, Marchiones, Duces, Reges, & Imperator. Vndè meritò *Apoſt. Paulus cap. 2. ad Habr.* declarans verba illa pſal. 8. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c.* Sic ait, *In eo enim quòd omnia ei ſubiecit, nihil dimiſit non ſubiectum ei.* De iure nouo igitur, atq; adeò ex vi *d. cap. fin. eo. tit. noſtro*, tribuitur facultas Epiſcopis, & alijs Superioribus, nec non
6 minoribus Prælatis exemptis, vt ſi nolint proprijs Sacerdotibus confiteri, ſibi eligant prouidum, & diſcretum Confeſſarium, cui peccata confiteantur, etiam ad implendum præceptum confeſſionis annuæ in noſtro canone contentum: ſiquidem *d. cap fin.* generaliter loquitur, & propterea generaliter eſt intelligendum, *l. 1. § generaliter, ff. de legat. præſt.* eò magis, quia vniuerſalis diſpoſitio noſtri canonis reſtringitur per præfatum *cap fin.* vt ſupra oſtendimus.

7 Ratio autem talis reſtrictionis, ac indulti aſſignatur in eodem capite in princ. in illis verbis, *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, &c.* Etenim ait *Gloſ.* ibi, quòd propter animarum periculum multa licent, quæ aliàs non licerent. Hinc ob periculum moræ datur abſolutio ſtatim, quæ aliàs non daretur, aut in *c. nuper in fine, & c. Sacro de ſent. excommun.* Sic etiam infans propter periculum animæ ſtatim baptizatur, *c. ne quod abſit, de conſec. d. 4.* Delatio pariter propter periculum tollitur, ne interim aliquid contingat, *c. Iudæi, eod. tit.* & deniq; *Gloſa* ipſa ibi regulam firmat, & ait, quòd vbicũque periculum timetur, dilatio ſine mora vitanda eſt: & proindè Sacerdote ſtatim debere currere ad infirmum, quãdo vocatur, ex hoc infert: ſiquidem vitam, quiſquis morienti pœnitentiam denegat, *c. Presbyter, & c. ſeq. 26. q. 6.*

8 Ex hoc infertur primò, quòd Sum. Pontifex poteſt, ac debet eligere Confeſſarium, cui ſua peccata confiteatur. Siquidem non habet, nec habere poteſt proprium Sacerdotem; nam ipſe eſt Summus Sacerdos, & omnium proprius Pater, omnibus eſt ſuperior, & nulli inferior: iuriſdictionem à Deo immediatè habet poſt electionem de ſe in Papam legitimè factam, alij verò iuriſdictionem ab ipſo S. P. recipiunt, vt ſupra declarauimus, *concl. 2.* & habetur ex *Bonac. diſp. 5. de Sacram. q. 7. de Miniſtro Sacram. Pœnit. pun. 3. in princ.* qui circa familiam Rom. Pontif. ait eſſe attendendam legitimam conſuetudinem. Imò familiares S. Pontificis exiſtentes extra Vrbẽ debent confiteri approbato ab Ordinario loci, niſi aliud habeant priuilegium, vt habetur ex *Reginal. lib. 1. ſua prax nu. 31. & Molfeſ. in ſua ſum. tract. 7. c. 15. nu. 36.* ſecus ſi intra Vrbem *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 147.* Dixi, *Poteſt, ac debet; quia Rom. Pontifex ſi conſcientiam habet peccati mortalis, tenetur ad Sacramentum pœnitentiæ accedere ſicut omnes alij fideles; ſiquidem Sacramentalis confeſſio eſt de iure Diuino, cui Papa ſubijcitur, quemadmodum omnes alij, cùm non ſit ſupra ius Diuinum, vt ſupra explicauimus diſp. 1. ſec. 2. concl. 1. 2. & 2.* vbi etiam probauimus teneri adimplere præceptum confeſſionis annuæ, in noſtro Canone contentũ, cùm non ſit purè Eccleſiaſticum, ſed etiam Diuinum. Vndè cùm non poſſit aliter confiteri, niſi per electionem Confeſſarij, cui iuriſdictionem tribuat in foro pœnitentiali, hinc ſequitur, quòd ſi conſcientiam habeat peccati mortalis nõ ſolùm poteſt, ſed etiam debet Confeſſarium ſibi
9 eligere, cui confiteatur. Summus autem Pœnitentiarius licèt ſit omnium quoque proprius Sacerdos, etiam Eminentiſſimorum Cardinalium, vt ſupra oſtendimus *ſec. 2. concl. 1.* cùm ipſe quoque habeat Rom. Pontificem proprium Sacerdotem, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, & poſſit ipſi Sum. Pontifici confiteri, poteſt Confeſſarium etiam non approbatum ſibi eligere, vt ex communi omnium opinione ait *Alph. de Leone, p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 68.* non tamen tenetur Confeſſarium ſibi eligere, cui confiteatur: ſecus autem ſi non valeat, vt quia S. P. nolit, aut non poſſit illum Sacramentaliter audire; quoniã tunc ipſe quoque teneretur Confeſſariũ ſibi eligere ad ſatisfaciendum ſaltem præcepto confeſſionis annuæ in noſtro Canone contento: Etenim Sum. Pœnitentiarius eſt omnium ordinarius in Sacramentali foro, vt ſupra diximus *d. concl. 1.* Imò tàm Sum. Pontifex, quàm Sum. Pœnitentia-

rius,

Digitized by Google

rius tenentur ſibi eligere prouidum, & diſcretum Confeſſarium, qui ſciat ſoluere, & ligare, & diligenter inueſtiget qualitatem criminis, vt patet ex noſtro *Can. §. Sacerdos*, & habetur ex *Gloſ. in d. c. fin. eo. tit. noſtro*; Nam electio talis Confeſſarij licèt non præcipiatur iure Diuino ad validè confitendum; nihilominus exigitur ad Sacramentum pœnitentiæ dignè ſuſcipiendum, ne ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadãt, iuxta *tex. in c. conſideret, de pœnit. d. 6.* Huiuſmodi autem Confeſſarij, quos ſibi eligunt Rom. Pontifex, & Sum. Pœnitentiarius, eo ipſo, quòd eliguntur, cenſentur approbati, nec alia indigent approbatione.

10 Secundò infertur, certum quoque eſſe Emminẽtiſſimos S.R.E. Cardinales habere hanc eandem facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, licèt non approbatum, cui confiteantur etiam pro ſatisfaciendo præcepto noſtri Canonis; & id non tantùm de conſuetudine, vt aliqui arbitrantur; ſed etiam de iure, & ex vi priuilegij contenti in *d. c. fin. eo. tit. noſtro, de pœnit. & remiſ.* il illis verbis, *Permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, &c.* Siquidem Cardinales ſunt Prælati, Officio Epiſcopos excedunt, cùm ad eos ſpectet Roman. Pontificis electio, & ex eis eligatur; & ſaltem parem habent cum Epiſcopis dignitatem, vt per *Bart. in l. 1. §. ſi quis, ff. de appell.* Et re vera nemo eſt, qui negare audeat, quòd Cardinales hodiè ſint in maiori dignitate poſt Papã omnibus alijs, & ita de facto ab omnibus exiſtimantur; quamuis de iure antiquo aliter ſit dicendum, vt adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cana, lib. 1. c. 5. q. 2. & lib. 2. can. 11. q. 6. ſub nu. 6.* Sed quicquid ſit de hac re certum eſt apud omnes, nõ ſolùm de conſuetudine, ſed etiam de iure Cardinales legatos, & Cardinales in Eccleſia proprij tituli poſſe ſibi eligere Confeſſarium, cum ſint ordinarij, & in Eccleſia proprij tituli poſſint vti inſignibus Põtificalibus, vt habetur per *Hoſtiẽſ. in c. 1.* & ibi *Io: Andr. de ſupplen. negligen. Prel.* latè *Zecch. in ſua Rep. Eccl. in tit. de ſtatu Illuſtriſſimorum Cardin.* Imò hodie Cardinales ſunt in poſſeſſione eligendi ſibi Confeſſàrium, etiam extra legationem, & extra Eccleſiam proprij tituli commorãtes; neque ſubſunt Parocho quoad Sacramenta: & ita ſeruari teſtatur *P. Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 4. num. 91. & recoll. 6. nu. 154. 155. & 156. P. Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 4. c. 15. n. 34. Bonac.* poſt alios *diſp. 5. de Sacram. q. 7. pun. 3. Filline. tom. 1. qq. Moral. tract. 7. nu. 131.* & alijs. His adde, quæ dicemus *ſec. ſeq. verſ. ex hoc infertur.*

† Hanc eandem facultatem eligendi Confeſſariũ
11 habent Cardinales pro ſuis familiaribus, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. c. 13. nu. 3. lit. S. & lit. Z. Reginald. in ſua praxi lib. 1. c. 5. ſec. 1. nu. 32. Molfeſ. in ſumma Theol. tract. 1. c. 15. nu. 25. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu.* 141. & 144. vbi etiam *num. 142. tract. de vicolegat. & num. 145. de Nuncijs.*

12 Tertiò infertur certum eſſe Patriarchas, ſeù Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & cæteros habentes iuriſdictionem Epiſcopalem, & iuriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiali poſſet ſibi eligere Confeſſarium, cui confiteãtur. Vt eſt *tex. in d. c. fin.* & ibi Doctores communiter, *eo. tit. noſtro*. Quod quidem verum eſſe dicimus, etiam ſi Epiſcopi, & alij eiuſmodi ſupra relati confirmati tantum ſint, ſed nondum conſecrati, nec poſſeſſionem adepti fuerint Epiſcopatus. Etenim Epiſcopus electus, & confirmatus quoad poteſtatem iuriſdictionis, eſt verè Epiſcopus, & non habet proprium Sacerdotem, niſi Rom. Pontificem, quem cum non poſſit ſemper habere paratum, ne pro dilatione pœnitẽtiæ immineat periculum animarum, permittitur Epiſcopis, & alijs Prælatis exemptis Confeſſarij electio, vt in *d. c. fin. Molfeſ. in ſua Sum. Theol. tract. 7. c. 15. num. 49. P. Alph. de Leone, recoll. 6. nu. 13. p. 2. caſ. conſc.* Ratio autem cur Epiſcopus ſi electus tantùm ſit, & non confirmatus, non poſſit eligere ſibi Confeſſarium, hæc eſt, quia Epiſcopi, Abbates, & alij ſimiles, quamuis eligãtur; non tamen poſſunt vti iuriſdictione ſtatim facta electione, niſi confirmentur, vt in *extrau. iniunctæ, de elect. in extrau. commun. Panor. in c. tranſmiſſam, nu. 3. eo. tit.* & nos latè declarauimus in noſtris *Comment. ad Bull. cana lib. 1. c. 1. q. 2. nu. 28.* vbi *nu. 29.* Etiam oſtendimus Roman. Pontificem non indigere confirmatione ad exercendam iuriſdictionem: ſiquidem ſola electione à duabus partibus Cardinalium, ſuffragium habẽtium de eo facta, plenam à Deo iuriſdictionem accipit, & confirmatur, vt in *c. in nomine Domini 23. d.* atque ideò Rom. Pontifex ſtatim poſt eius electionem legitimè factam poſſet ſibi eligere Confeſſarium, imò, & aliquando compelleretur, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *illat. 1.*

† Adde, quod Epiſcopus non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro ſua familia poteſt eligere Confeſſariũ;
14 ſed donec eligatur, familia ipſa ſubeſt Parocho: & extra Diœceſim debet confiteri approbatis ab Ordinario loci: quod quomodo procedat rectè declarat *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 136. cum pluribus ſeqq.* vbi etiam explicat, qui veniant appellatione familiæ.

15 Hanc facultatem eligendi Cõfeſſarium habet Epiſcopus, etiam ſi Epiſcopatui renunciauerit, vt habetur ex *Henriq lib. 3. de pœnit. c. 13. nu. 3. in Gloſa, lit. R. Eman. Sà in ſuis Aphoriſmis, nu. 31. ver. Epiſcopus Molfeſ. loco citato, nu. 4. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu.* 10. qui tamen *num. 16.* id limitat, in Epiſcopo, qui etiam renunciauit dignitati Epiſcopali; quoniã tunc non eſt amplius Prælatus, nec habet iuriſdictionem habitualem, quæ ſatis eſſet ad habendam præfatam facultatẽ, vt mox dicemus. Vndè Epiſcopus, qui renunciauit Epiſcopatui, & dignitati Epiſcopali æquiparatur Epiſcopo degradato, qui priuatur non ſolùm iuriſdictione; ſed etiam dignitate, ac Prælatura, vt habetur ex *Fillinc.* poſt *Soar.* & alios *tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 231.* Idem dicendum eſt de Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui, & Religionem fuit ingreſſus, & profeſſionem emiſerit, quia tunc habet proprium Sacerdotem, nempe Superiorem Regularem, vt per *Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 16. & 17.* poſt *Sylu. in ſum. ver. Cõfeſſor, 1. q. 8. in princ. ver. hoc autem priuilegium.*

16 Imò hanc eandem facultatem, quam habet Epiſcopus eligendi ſibi Confeſſarium eam retinet, etiam ſi fuerit verbaliter depoſitus, vel ſuſpẽſus, aut Epiſcopatu ob crimen priuatus: ſiquidem talis Epiſcopus retinet dignitatem Epiſcopalem, & priuatur vſu tantùm iuriſdictionis, non autem

pri-

priuilegio, cùm non habeat proprium Sacerdo-
tem, niſi Rom. Pontificem, & Sum. eius Pœnitē-
tiarium, atque ideò militat ratio *d. c. fin. eod. tit.*
noſtro, vt habetur ex *Filliuc. loco citato, Soar. in*
3. p. tom. 4. diſp. 27. ſec. 2. nu. 5. & Alph. de Leone
d. recoll. 6. nu. 11. & 15. vbi *nu. 14.* idem dicendū
putat de Epiſcopo titulari; atque ideò Epiſcopus
titularis poteſt ſibi eligere Confeſſarium, cui cō-
fiteatur: etenim huiuſmodi Epiſcopus eſt verè
Prælatus, in eo militat ratio allata in *prin. tex. in*
d. c. fin. & ſatis eſt ſi iuriſdictionem habeat habi-
tualem, ita contra *Palud. Molfeſ. d. tract. 7. c. 15.*
nu. 33. Reginal. lib. 1. ſua prax. nu. 33. & Filliuc.
d. nu. 231. Quæ diximus de Epiſcopis extendi-
mus ad Archiepiſcopos, & Patriarchas: Siquidē
hi omnes ſunt Epiſcopi, vt nos adnotauimus in
noſtris *Commentar. ad Bull. cœnæ, lib. 1. c. 5. q. 2.*
nu. 4. & ſupra diximus, *ſec. 2. concl. 3.* Idem dicē-
dum eſt de Abbatibus exemptis, & de alijs, qui
iura Epiſcopalia, & quaſi Epiſcopalem iuriſdi-
ctionem habent, de quibus latius infra, Deo du-
ce, dicemus. Et quamuis controuerſia ſit inter
Doctores, quoad Vicarios generales Epiſcopo-
rum: Nam *Soar. d. diſp. 27. ſec. 2. nu. 8. Molf. d. c.*
15. nu. 37. Reginald. loco citato, nu. 38. in fine, &
Filliuc. vbi ſupra, licèt velint, præfatos Vicarios
non habere priuilegium eligendi Confeſſarium,
dicentes, eos non eſſe Prælatos, cùm iuriſdictio-
nem habeant non propriam, ſed ex commiſſione,
& hāc ſententiam cōmunem eſſe teſtatur *Molf.*
ibidem; nihilominus contraria ſententia nobis
videtur probabilis, quam tenet *Henriq. lib. 3. de*
pœnit. c. 13. nu. 3. in addit. litt. M. Eman. Sà in
Aphoriſ. verſ. Confeſſarius, nu. 1. Vgol. de poteſt.
Epiſc. c. 1. §. 7. verſ. Vndecimo, Alph. de Leone d.
recoll. 6. nu. 21. Siquidem Vicarius generalis eſt
17 propriè Prælatus, & Ordinarius in tota Diœceſi,
cùm ſit in dignitate conſtitutus, & iuriſdictionē
habeat Eccleſiaſticam cum adminiſtratione, vt
habetur per *Fuſc. de viſit. lib. 1. c. 15. num. 23.* &
alios, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & po-*
teſt. Epiſc. alleg. 54. num. 135. & ex officio poteſt
exponere, & approbare Confeſſarios pro alijs:
ergo & eligere ſibi poteſt Confeſſarium, & ap-
probare pro ſe ipſo; aliàs eſſet minoris conditio-
nis: & hanc opinionem in vſu eſſe teſtatur idem
Alph. de Leone d. recoll. 6. num. 23. & 24. vbi *nu.*
25. & 26. id ampliat in Vicario Capituli, Sede
vacante, & in Vicarijs aliorum Prælatorum ha-
bētium iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, qua-
les ſunt Abbates Sæculares exempti: ac in Vica-
rijs Ordinum militarium, dūmodò ſint Preſby-
teri, vel ſint in locis, vbi habent iuriſdictionem
Spiritualem. Sed quicquid ſit de vſu huius ſentē-
tiæ; non tamen videtur de vigore iuris receden-
dum à priori opinione, cùm ſit communis: &
Vicarius generalis licèt ſit Prælatus ordinarius,
nihilominus non eſt Prælatus exemptus, & Epi-
ſcopo eſt inferior, & propterea non includitur
ſub diſpoſitione *d. c. fin. eo. tit. noſtro*; Niſi veli-
mus dicere, quòd Vicarius Generalis induitur
perſonam Epiſcopi, cùm idem ſit auditorium
Vicarij, & Epiſcopi, & Vicarius cum Epiſcopo
vnum corpus faciant, vt poſt alios oſtendimus in
noſtris *Commentar. ad Bull. cœnæ, lib. 1. c. 4. q. 2.*
num. 5. & 6. quibus adde, quæ habentur ex *Barb.*
d. alleg. 54. num. 143. qui cum *Menoch. conſ. 51.*
num. 16. & alijs probat, quòd cum generalis
Epiſcopi Vicarius, ipſius Epiſcopi repreſentet
perſonam, & auctoritatem, eiuſq; locum teneat,
debetur ei eadem prærogatiua, & honor, qui
Epiſcopo debetur. Sed hæc ratio non conuincit,
quoniam non ex hoc ſequitur, Vicarium potiri
omnibus priuilegijs, quibus de iure gaudet Epi-
ſcopus, vt patet ex ijs, quæ colligit *Barb. d. alleg.*
54. per totam; eò magis, quia in eo ceſſat ratio
periculi animarum, de qua habetur in *d. c. fin.*
18 Sed ſuppoſito de conſuetudine ſeruari poſte-
riorem ſentētiam, eſt adnot. quòd ſicut Epiſcopi,
Archiepiſcopi, Patriarchæ, & reliqui habentes
iuriſdictionem Epiſcopalem, atque ideò Abbates
ſæculares exempti, dum manent intra fines ſua-
rum Diœceſum, & Propriarum Prouinciarum,
ſaltem dum Archiepiſcopi, & Patriarchæ viſitant
poſſunt eligere quemlibet Sacerdotem, etiam
non eorum ſubditum ratione originis, vel do-
micilij, dummodo eo tempore, quo eligitur ma-
neat in propria Diœceſi: ſiquidem eo ipſo quòd
quis manet in Diœceſi etiam per horam, illa hora
efficitur Epiſcopo ſubditus, ita vt poſſit ab eo
approbari pro audienda confeſſione alicuius
particularis, vel omnium, & ſic etiam pro audi-
enda confeſſione ipſius Epiſcopi, vt habetur ex
Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. de pœnit. cap. 15.
nu. 33. Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 7. pun. 4. §. 1.
nu. 16. & alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund.*
de pracep. Eccl. pracep. 2. lib. 7. cap. 2. nu. 8. & in
ſpecie loquens de Archiepiſcopo exiſtente in
locis ſuffraganeorum tempore viſitationis *Graff.*
in addit. deciſ. lib. 1. cap. 11. nu. 19. quem citat
Alph. de Leone d. recoll. 6. num. 84. 85. & 86. Et
ampliat hoc idem dicendum eſſe de legato à
19 latere in ſua Prouincia, & de Nuncijs Apoſto-
licis; ita etiam, ac idem iudicium videtur ferri
poſſe de Epiſcopi, & aliorum ſupra relatorum
Antiſtitum Vicarijs, vt exiſtentes in proprijs
Diœceſibus, vel Prouincijs vt ſupra, poſſint ſibi
eligere Confeſſarium, etiam non approbatum,
& non ſubditum, cui peccata confiteantur, dum-
modò talis Sacerdos in Confeſſarium aſſumptus
maneat in locis, in quibus ſunt Vicarij; ſiquidem
militat eadem ratio, *arg. text. in l. illud, ff. ad*
leg. Aquil. Nec hæc quæ diximus aduerſantur
determinationi Sacræ Congregationis relatæ à
Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4. nu. 8. & Fa-
gund. d. cap. 2. nu. 79. in fine, quæ declarauit, non
poſſe Epiſcopum eligere ſibi nō ſubditum abſq;
approbatione; nam qui eligit non ſubditum,
dum manet in propria Diœceſi, etiam per modi-
cum tempus, dicitur eligere ſubditum, vt rectè
inquit *Alph. de Leone loco cit. nu. 73.* qui *nu. 74.*
cum pluribus ſeq. Quoniam probat quoque Epi-
20 ſcopos, extra Diœceſim degentes poſſe eligere
eorum ſubditos ratione veri, & proprij domi-
cilij in Confeſſarios, licèt approbati non ſint ab
Epiſcopo Diœceſis, in qua ipſi Epiſcopi repe-
riuntur; non tamen poſſe eligere non ſubditos
citra approbatione illius Epiſcopi, intra cuius
Diœceſim morantur; idem videtur dicendum
de illorum Vicarijs extra Diœceſim exiſtentibus,
cùm militet eadem ratio. Et quemadmodum
Epiſcopus, qui actu retinet Epiſcopatū, & manet
intra fines ſuæ Diœceſis, poteſt eligere regula-
rem Sacerdotē ex Religionibus exemptis abſq;
approbatione Superioris Regularis, vt poſt alios
idem *Alph. de Leone ibidem, nu. 81.* non video

Digitized by Google

quomodo id ſit denegandum eius Vicario, ſup-
poſito, quod Vicarij generales priuilegium ha-
beant eligendi ſibi Confeſſarium, vt in ſpecie
habetur ex eodem *Alph. de Leone loco cit. nu. 90.*
Dixi, *Epiſcopus qui actu retinet Epiſcopatũ*; Nam
Epiſcopus, qui renunciauit Epiſcopatui, aut ſit
titularis non poteſt eligere ſibi Confeſſarium
non approbatum, cùm huiuſmodi Epiſcopi non
habeant, nec ſubditos, nec iuriſdictionem, vt ha-
betur ex ipſo *Alph. de Leone, par. 2. caſ. conſc.
recoll. 6. nu. 87.* qui alios allegat, *& recoll. 89.
vbi nu. 91.* ex his, quæ docet *Sanch. lib. 6. ſuæ
ſum. cap. 6. nu. 26. & ſeq.* Id limitat in Epiſcopis
titularibus in partibus Infidelium; ſiquidem hi
habent Diœceſim, & ſubditos, quamuis eò ire
nequeant. Vndè ſi Sacerdotē ſubditum habeant
extra Diœceſim, vel intra propriam Diœceſim
occultè manentes non ſubditum, poſſunt illum
ſibi eligere in Confeſſarium, etiam ſi non ſit ap-
probatus, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus de
Epiſcopis, qui actu retinent Epiſcopatum.

21 Quartò infertur, quòd Prælati omnes exempti
etiam Epiſcopis inferiores poſſint ſibi eligere
Confeſſarium, vt in *d. cap. fin. eo. tit. noſtro.* Per
Prælatos autem exemptos intelligimus non ſo-
lùm Prælatos, qui iuriſdictionem habent in foro
interno, & externo ſimul, verùm etiam iuriſdi-
ctionem habentes in foro externo tantùm: ſiqui-
dem *text.* ille generaliter loquitur de Prælatis
exemptis, nec diſtinguit; ergò generaliter eſt
intelligendus de Prælatis exemptis, ſiuè iuriſdi-
ctionem habeant in foro pœnitentiali, & inter-
no, ſiuè in foro externo duntaxat, & tàm de
Prælatis ſæcularibus, quàm Regularibus, vt ſu-
pra exemptis, quoniam lex generaliter loquens,
generaliter debet intelligi, & quando nõ diſtin-
guit, nec nos diſtinguere debemus, vt in *l. de
pretio, ff. de publ. in rem act.* Vndè Referendarij
22 cùm ſint verè Prælati ab Epiſcopis exempti, &
Romano Pontifici immediatè ſubiecti, & eiuſ-
dem commenſales, vt notat *Ricch. in praxi var.
reſol. 30.* procul dubio poſſunt ſibi eligere Con-
feſſarium, vt habetur ex *Zecch. in Rep. Eccl.
cap. 10. nu.* vbi *cap. 11. nu. 2. & cap. 12.* Idem di-
cendum eſſe probat de Auditoribus Rotæ, & de
Prothonotarijs Apoſtolicis, modò incedant cum
habitu nempe cum mantelletto. Sunt etiam Præ-
lati exempti Gubernator Vrbis, Auditor Came-
ræ, Clerici Cameræ, & alij ſimiles, qui vtuntur
mantelletto, & Rocchetto, vt habetur ex *Suar. in
3. par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 2. Fillиuc. tom. 1. qq.
moral. tract. 7. n. 231. & Alph. de Leone d. recol.
6. nu. 56. cum plur. ſeq.* qui *nu. 62.* inter Prælatos
exemptos connumerat etiam Abbreuiatores,
atque adeò huiuſmodi Prælatos, inquit, poſſe
abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omni-
bus peccatis, & cenſuris, etiam Rom. Pontifici
reſeruatis, exceptis illis, ab eodem recenſitis ibi-
dem, *num. 58.* In praxi tamen ſeruatur, vt tales
Prælati non poſſint ſibi eligere, niſi Confeſſarios
ab Ordinario approbatos, vt teſtatur ipſe *Alph.
de Leone d. recoll. 6. nu. 103.* pro qua re citat etiã
Suar. & Fillinc. locis citandis. Idem dicendum
eſt de omnibus alijs non habentibus iuriſdictio-
nem Epiſcopalem ratione ſuæ Prælaturæ, vt idẽ
*Alph. ibi nu. 102. ex Suar. in 3. par. tom. 4. diſp.
28. ſec. 4. & Fillinc. tract. 7. ſub nu. 56.* Parochus
autem cùm non ſit Prælatus, nec exemptus licèt
non poſſit ſibi eligere Confeſſarium, vt latè ha-
betur ex *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 15.
nu. 38.* & ex alijs contra *Panor. d. cap. fin.* Poſ-
23 ſunt tamen confiteri alterutrum, etſi quilibet pro
ſua Parochia ſit approbatus; etiam ſi Parochi
ſint diuerſorum Epiſcoporum, & id vigore con-
ſuetudinis ſcitæ, & toleratæ ab Epiſcopis, vt ha-
betur ex *Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 5. cap. 19.
verſ. Nulla conſuetudo.* Sic etiam conuicini Pa-
rochi poſſunt alterius Parochianos in confeſſio-
ne audire, dummodò Parochi non contradi-
cant, vel quòd Epiſcopalis rathibitio præſuma-
tur, & Pœnitentes id non agant, vt euadant iudi-
cium proprij Parochi, vt habetur ex *Vgol.* qui
teſtatur de communi, poſt *Paleſtrel. de offic. &
poteſt. Epiſc. cap. 7. nu. 7. Poſſeuin. de offic. curati,
cap. 7. nu. 7. in fine*, & ita de conſuetudine ſer-
uari in *Hyſpan.* teſtatur *Fagund. de præcep. Eccl.
præcep. 2. lib. 7. cap. 2. nu. 37. in fine, & Alph. de
Leone de caſ. conſc. par. 2. recoll. 4. nu. 82. & 82.
& recoll. 6. nu. 101.* vbi ait, quòd Parochi hodie
non poſſunt confiteri, niſi Confeſſario appro-
bato ab Epiſcopo.

24 Regularium denique Præpoſiti Generales
cùm ſint citra omnem controuerſiam Prælati
exempti, poſſunt ſibi Confeſſarium eligere, vt
colligitur ex *tex. in d. cap. fin. eo. tit. noſtro:* Sic
etiam Prouinciales, Guardiani, Præpoſiti, & ſi-
miles, cùm ſint verè Prælati exempti, & iuriſdi-
ctionem habeant quaſi Epiſcopalem, ita vt Epi-
ſcopo non ſint ſubiecti, poſſunt ſibi eligere Con-
feſſarium cui confiteantur: ſiquidem compre-
henduntur ſub diſpoſitione, & priuilegio *d. cap.
fin.* eodem modo, quo ſub eo comprehenduntur
præfati Regularium Generales. Vndè huiuſ-
modi Superiores Regulares poſſunt ſibi eligere
in Confeſſarium ex ſuis ſubditis, etiam non ap-
probatum: etenim cùm habeant iuriſdictionem
quaſi Epiſcopalem, ſicut Epiſcopus poteſt eligere
ſibi ſubditum, etiam non approbatum; ita quoq;
dicendum eſt de Superioribus, & Prælatis Regu-
laribus; quoniam eo ipſo, quòd ſibi eligunt Sa-
cerdotem nõ approbatum in Confeſſarium cen-
ſentur illum apporbare, vt patet ex ijs, quæ ha-
bentur ex *Molf, in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap.
15. nu. 42. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 91.*
25 Imò Superiores Regulares poſſunt ſibi eligere
in Confeſſarium non ſolùm ſibi ſubditum; ſed
etiam Sacerdotem ſæcularem, etiam ſi non ſit
approbatus ab Epiſcopo, vt habetur ex *Rodoriq.
tom. 1. qq. Regul. q. 62. art. 4. & 5. Zanard. 1. par.
Director. Confeſſar. de ſacram. pœnit. cap. 26.
verſ. Tertio deduco, Fagund. d. cap. 2. n. 12. Suar.
in 3. par. tom. 4. diſp. 28 ſec. 6. nu. 4. Mirand. tom.
1. q. 45. art. 11. concl. 2. Barb. de offic. & poteſt.
Epiſ. alleg. 25. n. 45. & Bonac. diſp. 5. de ſacr. q. 7.
§. 2. nu. 25.* Item Superiores Regulares habent
facultatem quoque eligendi ſibi in Confeſſarios
Sacerdotes regulares etiam alterius Religionis,
vt per *Rodoriq.* & nonnullos alios Doctores ſu-
pra relatos. Eſt tamen verum, quod quotieſcunq;
eliguntur Confeſſores Regulares alterius Ordi-
nis ab ipſis Superioribus Regularibus, præfati
Confeſſores debent eſſe approbati ab eorum
Ordinarijs, vt habetur ex *Rodriquez*, & ex non-
nullis alijs ſupra citatis, ac ex *Alph. de Leone
par. 2. caſ. conſc. recoll. 11. nu. 35. & 36.* qui ra-
tionem diuerſitatis aſſignans hãc eſſe ait, quòd à

Conc.

Digitized by Google

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. relinquitur tantùm facultas Regularibus eligendi Confeſſarium non approbatum ab Epiſcopo, non autem eligendi Confeſſarium non approbatum ſimpliciter, & ita putat intelligendum eſſe *Suar. d. diſp. 28. ſec. 6. Graff. par. 1. ſuar. deciſ. lib. 8. cap. 13. nu. 55. & lib. 3. cap. 5. nu. 107. Molf. d. cap. 15. n. 45.* & alios docentes, Regulares poſſe eligere non approbatum ſimpliciter: ſiquidem Religioſi, ſi ante Conc. Trid. non poterant confiteri Religioſo approbato; ita nec poſt Concil. cùm Concilium non tribuat illis facultatem, quam prius non habebant, vt habetur ex *Rodoriq. tom. 1. qq. Regul. q. 62. art. 4. Tambur. de iure Abbat. diſp. 6. q. 6. nu. 4. & 9.* cum alijs, quos allegat.

26 Quæ diximus de Superioribus Regularibus, qui facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium, cui confiteantur, extendimus ad eoſdem Superiores, vt valeant concedere de iure licentiam eorum ſubditis eligendi ſibi Confeſſarium; quoniam tunc poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium non ſolùm Sacerdotem ſæcularem non approbatum ab Epiſcopo; ſed etiam Sacerdotem Regularem alterius Ordinis, approbatum tamen à ſuo Superiore modo ſupra explicato: etenim de iure quilibet habēs ordinariam iuriſdictionem facultatem tribuere poteſt ſuis ſubditis eligendi ſibi Confeſſarium, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 1. Alph. de Leone d. recoll. 6. ſub nu. 5. & recoll. 11. ſub nu. 17.* Hæc autem facultas eligendi in Confeſſariū Sacerdotem ſæcularem etiam non approbatum ab Epiſcopo, aut Sacerdotem Regularem alterius Ordinis poteſt concedi dupliciter à Superioribus Regularibus ſuis ſubditis: expreſse ſcilicèt modo ſupradicto, & tacitè, nempe quando Religioſus, præuia licentia Superioris iter agit, aut peregrinatur, vel manet in loco diſtanti à Monaſterio abſque ſocio eiuſdem Religionis, cui poſſit confiteri, vt habetur ex *Roderiq. tom. 1. qq. Regular. q. 62. art. 5. Peregr. in compend. priuileg. noſtræ Congr. ver. Abſolutio quoad fratres §. 2. in ſcholio, & Graff. par. 1. deciſ. lib. 3. cap. 5. ſub nu. 108.* Aut denique vbi Superior Regularis concedit ſubdito ſimpliciter facultatem eligendi Confeſſarium, vt per *Coriolan. de caſib. reſeruat. par. 1. ſec. 3. art. 13. Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. pun. 2. ſub nu. 25. & Alph. de Leone d. recoll. 11. nu. 22.* qui etiam *nu. 23.* ex communi Doctor. ſententia id limitat, vbi talis Religioſus haberet ſocium eiuſdem Ordinis, qui Sacerdos ſit, quoniam tunc non cenſeretur Superior conceſſiſſe licentiam tali Religioſo confitendi Sacerdoti ſæculari, aut Regulari alterius Ordinis, ſed omninò teneretur confiteri ſocio eiuſdem Ordinis.

27 Imò, & ipſe Superior quamuis de rigore iuris poſſit ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem ſæcularem, vel Religioſum alterius Ordinis ad ſui libitum, licet habeat copiam Sacerdotum ſui Ordinis, cum Superior Regularis poſſit ſe ipſum, & ſubditum ſubijcere Epiſcopis, & alijs pro abſolutione, etiam in ijs, à quibus intra Ordinem poſſunt abſolui, ac diſpenſari, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. lib. 6. cap. 13. n. 3. in Addit. litt. P. in fine, & Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. pun. 1. nu. 37.* Nihilominus eſt valdè conueniens, vt ſi habeat copiam Sacerdotum ſui Ordinis, eligat ſibi in Confeſſarium vnum ex illis, vt per *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 15. nu. 44. & ſeq.* quem refert *Alph. de Leone d. recoll. 11. nu. 24.* eo magis quòd ſecundum ſententiam aliquorum Sacerdotes, qui eliguntur à Regularibus extra Ordinem non poſſunt abſoluere illos à caſibus reſeruatis in Religione, nec à reſeruatis Summo Pontifici, vt tenet *Rodriq. d. q. 62. art. 5.* & alij, quos refert idem *Alph. de Leone d. recol. 6. nu. 133. & 134. & recoll. 11. num. 31. & 34.* Quamuis ipſe oppoſitam ſententiam tueatur. Eſt tamen verum, quòd hæc, quę diximus de Regularibus, quibus facultas cōceditur eligendi Confeſſarium, ſunt modificanda ſecundum conſtitutiones Religionum, & priuilegia, quæ Religionibus cōceduntur: nam ſi aliqua Religionis conſtitutione Apoſtolica auctoritate confirmata ea prohibeantur, ſtandum eſt conſtitutioni, quæ cùm ſupponatur confirmata per Sedem Apoſtolicam præualet, ac derogat iuri communi, vt per *Molf. loco citato, & Coriolan. d. art. 13. in prin.*

28 Vndè in Decretis Capitulorum Generalium noſtræ Congregationis extant Decreta duo, *par. 1. cap. 6. nu. 1. & 2.* tenoris ſequentis, *Nemo noſtrū ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed ijs, tantùm modo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati, non obſtante quocunque priuilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus. Imò neque alicui vnius domus Confeſſario alterius domus confiteri liceat*: Quod primum decretum inquit *Peregr. in Commentar. ad noſtrat conſtit. par. 1. cap. 9. §. 1.* probabiliorem ſibi videri ſententiam, quæ ſe habet præfatum decretum comprehendere noſtros Prælatos, ita vt prohibitum ſit P. Generali, & Præpoſitis localibus confiteri Confeſſoribus extra Religionem. Et *§. 2.* inquit pariter, Præpoſitos locales non poſſe concedere licentiam vni ex noſtris ſibi ſubdito, vt confiteri poſſit Confeſſario extra Religionem noſtram citra neceſſitatem aliquam. Et denique circa ſecundum decretum putat ex prǽſumpta voluntate Superioris, poſſe aliquem vnius domus confiteri Confeſſario alterius domus aliquo caſu, ſed non ſæpè, quamuis contrarium videatur docere *Alph. de Leone d. recoll. 11. nu. 27.* vbi pro ſua allegat *Tambur. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 6. quæſito 10. circa fin.* qui *q. 8. nu. 5.* ait ſatis eſſe, ſi dicta licentia ſit tradita à Superiore Prælato, & & propterea non exigi hoc caſu facultatem Prælati localis. Imò ipſe *Alph.* ibi *num. 29.* probat, quod non obſtante tali prohibitione poteſt Superior eligere ſibi Confeſſarium extra Religionem, quando reperiretur in aliquo Monaſterio, vbi duo, vel tres ſint Sacerdotes Confeſſarij, & periculum immineat alicuius mali, ſi ipſis confiteatur: His adde, quæ diffusè habentur per eundem *Alph. de Leone d. recoll. 11. à nu. 92. vſque ad nu. 106.* vbi latè tractat de facultate, quam habent Superiores locales pro eligendo Confeſſarium, & *nu. 106. vſque ad nu. 121.* incluſiuè, vbi agit quoque de Regulari hoſpite habente facultatem à ſuo Superiore eligendi quemcunq; Confeſſarium, an poſſit eligere Confeſſarium alterius Religionis, ſi per tranſitum reperiatur in aliquo Monaſterio ſui Ordinis. De Vicarijs denique Prioribus, & de alijs quouis nomine poſt Superiores locales primum locum habentibus, an & quando poſſint ſibi eligere Confeſ-

ſatios, latè tractat idem *Alph. ibi recoll.6.n.36.* vbi etiam *nu.* 146. & 148. probat priuilegium eligendi Confeſſarium pro ſe, & familia poſſe concedi Laico, vt de Imperatore Regibus, & ſimilibus *Magnat.* teſtatur *Henriq. lib. 3. de pœnit. cap.13. nu.2. in fine.*

An dentur caſus, in quibus alijs fidelibus præter enumeratos in præcedenti ſec. licitum ſit de iure, aut conſuetudine aliqua Confeſſarium ſibi eligere citra proprij Sacerdotis licentiam.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Habentes ſolùm venialia, vel mortalia aliàs ritè confeſſa, ſibi poſſunt eligere Confeſſarium, cui confiteantur citra omnem licentiam proprij Sacerdotis.*

2 *Omnis Sacerdos etiam excommunicatus non toleratus, nec approbatus in caſu extremæ neceſſitatis abſoluere poteſt ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis; Et quare.*

3 *Sacerdos ſimplex non approbatus abſoluere, non poteſt in articulo mortis à peccatis mortalibus, præſente Sacerdote approbato, vel ſi facilis ſit ad ipſum recurſus, idemq; dicendum eſt in non Parocho, præſente Parocho.*

4 *Cardinales poſſunt de conſuetudine ſibi eligere Confeſſarium, non præſumpta, ſeu vt eſt ſignum, coniectura, & interpretatio voluntatis concedentis.*

5 *Vagabundi, Mercatores, & Scholaſtici Viatores de eadem conſuetudine facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium.*

6 *In quibus caſibus detur electio Confeſſoris citra licentiam proprij Sacerdotis.*

7 *Quibus in caſibus detur pœnitenti legitima cauſa, vel ſe gerendi tanquam ſi non haberet copiam Confeſſarij, vel petendi à proprio Superiore licentiam eligendi ſibi Confeſſarium.*

8 *Hodie quilibet confiteri poteſt non ſolum Religioſis Confeſſarijs, ſed etiam omnibus approbatis citra licentiam proprij Sacerdotis extra ſuam Eccleſiam.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè. Etenim habentes ſola peccata venialia, vel mortalia, aliàs ritè confeſſa poſſunt eligere Confeſſarium, etiam non approbatum ab Ordinario, cui confiteantur, citra omnem licentiam proprij Sacerdotis. Ita *Suar. in 3. par. tom.4. diſp.21. ſec.2. ad fin. & diſp.27. ſec.2. & 3. Caiet. ver. Abſolutio a peccatis, cap.2. Conyneh. de ſacram. diſp.8. dub.8. Vaſq. in 3. par. tom.4. q. 91. art.1. dub.4. Reginald. lib.1. ſua ſum. nu. 31. 32. & 33. Bonac. de Miniſtr. ſacram. pœnit. diſp. 5. q.7. pun.3. Henriq. lib.3. de pœnit. cap.5. nu.4. Ledeſ. Cano, Palud.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib.7. cap.1. ſub nu.* 15. Rationem quidam hanc eſſe volunt, quoniam ad abſoluendum eo caſu non exigitur iuriſdictio, ſed ſatis eſt voluntaria ſubiectio pœnitentis. Sed hæc ratio videtur expreſsè contra *Conc. Trid. ſeſſ.14. cap.7.* vbi abſolutè, ac generaliter decreuit, Miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ debere habere iuriſdictionem, ergò abſolutè, ac generaliter eſt intelligendum: ſiquidem lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda, & quando non diſtinguit, neque excipit, nec nos diſtinguere, & excipere debemus, *l.1. §. generaliter, ff. de legat præſt. & l. de pretio, ff. de publ. in rem act.* Vndè dicamus cum *Suar, vbi ſupra, diſp.24. ſec.2. nu.8.* quem ſequitur *Fagund. d. nu.* 15. quòd circa peccata venialia, & mortalia iam ritè confeſſa, & abſoluta, omnibus Sacerdotibus cenſetur data iuriſdictio ab Eccleſia, modò de illis tantùm fiat confeſſio. Eodem

2 modo omnis Sacerdos etiam excommunicatus non toleratus, nec approbatus poteſt abſoluere in caſu extremæ neceſſitatis ab omnibus peccatis mortalibus, & cenſuris, etiam reſeruatis; non ex vi iuris Diuini, & ordinationis ſuæ, quaſi ex vi ordinationis iure Diuino accipiant Sacerdotes iuriſdictionem in habitu, quæ eodem iure ex conſuetudine Eccleſiæ in mortis articulo poſſit exire in actum, vt docet *Nauar. in Man. cap.27. nu.270. §.7. Palud. in 4. d.17. q.2. art.2. concl.2.* Sed ex eo quòd iuriſdictio illa datur omni Sacerdoti, etiam non approbato in articulo mortis iure tantùm Eccleſiaſtico, vt rectè habetur ex *Soto in 4. d.18. q.4. art.4. verſ. At verò Petr. Soto de confeſ. lect. 5. & 6. Ledeſ. 2. par.4. q.7. art.6. Henr. lib.3. de pœnit. cap.11. nu.2. Couar. in cap. Alma mater 1. par. §. 6. nu.* 8. & ex alijs, quos refert *Fagund. d. cap.1. ſub nu.* 16. vbi etiam *nu.* 19. ait, quòd huiuſmodi Sacerdos ſimplex, & nō

3 approbatus nō poteſt abſoluere in articulo mortis conſtitutum à peccatis mortalibus non dum confeſſis, præſente Sacerdote approbato; aut facilis ſit recurſus ad approbatum: ſiquidem præfertur approbatus non approbato: & idem dicendum eſſe inquit de Parocho quando adeſt non Parochus, licèt approbatus ſit, niſi id fiat de licentia Parochi, vt habetur per *Bellan. tom. 2. de ſacram. diſp.8. de Miniſtro, dub.2. nu.16. Suar. in 3. par. tom.4. diſp.26. ſec.4. nu.4.* & nos infra latius dicemus *ſec.8. concl.1. lim.4.* Etenim iuriſdictio in articulo neceſſitatis datur ab Eccleſia cuilibet Sacerdoti ſimplici, vt in *Conc. Trid. ſeſſ.14. de caſuum reſeruatione cap. 7.* Vndè ſi adſit Parochus, vel alius qui habet iuriſdictionem, non poteſt ſimplex Sacerdos abſoluere; quoniam iam non eſt articulus neceſſitatis, *arg. text. in c. Presbyter, 26. q. 6.* & ſi adſit approbatus non poteſt abſoluere ſimplex Sacerdos, niſi ſuperueniat approbatus, aut Parochus poſtquam Sacerdos ſimplex non approbatus cæpit audire confeſſionem; quoniam tunc acquiſiuit ius. Non tamen ita eſſe ait idem *Fagund. loco cit. nu.* 20. de Sacerdote ſimplici, non expoſito, nec approbato abſoluente à peccatis venialibus, vel à mortalibus iam confeſſis: nam poteſt ab illis abſoluere, etiam præſente Sacerdote approbato, vel Parocho: ſiquidem facultas illa, ac iuriſdictio abſolutè cōceditur illis ab Eccleſia; & propterea non eſt cur reſtringatur ad extremam neceſſitatem alterius Confeſſarij: eò maximè, quia peccata illa non ſunt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ. Non tamen conſuetudo aliqua ſatis eſt ad tribuendam iuriſdictionem in præfatis caſibus: nam conſuetudo per ſe ſumpta non poteſt tribuere facultatem eligendi Confeſſorem ſine licentia Parochi; quoniam id eſſet contra ius Diuinum: omnes enim habent proprium Sacerdotem, excepto Romano Pontifice, vt in *cap. 2.*

ſupra

ſupra eo.tit. noſtro. Vndè conſuetudo abſoluendi
in præfatis caſibus à ſimplici Sacerdote eſt ſuffi-
ciens ſignum facultatis conceſſæ à Paſtoribus, &
nunquam reuocatæ. Sic etiam conſuetudo vt Pa-
rochi, vel alij ſimplices Sacerdotes eligant ſibi
Confeſſarium citra licentiam Epiſcopi, indicat
adfuiſſe conſenſum Superiorum, & non eſſe re-
uocatum. Ita *Filliuc. poſt Suar. & alios tom. 1.
qq. moral. tract. 7. nu. 233. & 234.*

4 Ex hoc infertur, quòd illi qui docent, Cardi-
nales ex conſuetudine ſibi, eligere Confeſſarium
non ſunt intelligendi de conſuetudine per ſe
ſumpta, ſed de conſuetudine, vt eſt ſignum, con-
iectura, ac interpretatio talem facultatem conce-
dentis: ſiquidem conſuetudo, vt conſuetudo non
poteſt tribuere hanc facultatem vt ſupra diximus
& expreſsè habetur ex *Henriq. lib. 3. de pœnit.
cap. 8 nu. 2 litt. T. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 27.
ſec. 3. Molfeſ. in ſua ſum. tract. 7. cap. 15 nu. 56.*
quos refert, & ſequitur *Alph de Leone p. 2. caſ.
conſc. recoll. 6. ſub nu. 150. cum plurib. ſeq.* vbi
poſt *Molf.* addit, quòd ad inducendam conſue-
tudinem eligendi ſibi Confeſſarium requiritur
ſcientia Superioris, & non eſt ſatis ratihabitio de
futuro: & quòd requirantur plures actus, & ali-
quod ſignum externum, ex quo ſufficienter col-
ligatur conceſſio facultatis: nec ſufficit tacitur-
nitas, ac patientia Superioris; ad quod allegat
*Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 7. par. 4. §. 1. nu. 14. &
Filliuc. d. tract. 7. nu. 133.* Semper tamen dicta
conſuetudo pendet in eſſe, & conſeruari à volun-
tate Superioris: itaut poſſit ab eo quandocunque
reuocari, cùm pendeat à voluntate Superioris
ſcientis, & tacentis, vt per *Suar. loco cit. nu. 6. &
Alph de Leon. d. recoll. 6. ſub nu. 153.* Imò præ-
fata facultas poteſt à Rom. Pontifice reuocari
etiam in illis duobus ſupra relatis caſibus, quam-
uis nunquam efficiet, vt late probat *Fagund. de
præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. cap. 1. nu. 18.* Adde
hic, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 3. concl. 3. illat.
2.* vbi probabiliter probauimus, Cardinales ha-
bere facultatem eligendi Confeſſarium etiam de
iure per illa verba, *cap. fin. eo. tit. noſtro, Permit-
timus Epiſcopis, & alijs Superioribus, &c.* Et id
licèt Confeſſarius non ſit approbatus, & vlterius
poſſit eos abſoluere à reſeruatis Rom. Pontifici,
ita *Suar. d. diſp. 27. ſec. 4. n. 4.* quem refert *Alph.
de Leone loco cit. nu. 158.* Idem dicendum eſt
de Vagabundis, quos Doctores dicunt de con-
ſuetudine habere facultatem eligendi Confeſſa-
rium, ſicut Mercatores, Viatores Scholaſtici, &
qui aliam patriam quærunt, vt ibi domicilium
figant, de quibus *Suar.* vbi ſupra, *nu. 13. Tolet.
lib. 1. ſuæ ſum. cap. 13. verſ. Secundus caſus, &
Filliuc. d. tract. 7. nu. 292. & ſeq.* Non enim de-
bent intelligi de conſuetudine præcisè ſumpta,
ſed prout eſt ſignum voluntatis Superioris, qui
talem facultatem tacitè, vel expreſsè illis con-
ceſſit modò ſupra explicato. Et denique eodem
modo interpretandi ſunt Doctores, dicentes, Sa-
cerdotes poſſe eligere quemlibet de expoſitis,
etiam de aliena Parochia, dummodò ſint eiuſdē
Epiſcopatus, ex conſuetudine, vt habetur ex
Nauar. Soto, & alijs relatis ab *Henriq. lib. 1. de
pœnit. cap. 8. nu. 2.* vbi etiam in *Gloſa in litt. E. &
Alph. de Leone d. recoll. 6. ſub nu. 161. & 162.*
Vbi poſt alios id ampliat etiam in Sacerdote
alieni Epiſcopatus; ſed conuicini non tantum in
Diœceſi, ſed etiam in Parochia, atque ideò ſint
confines. Non enim huiuſmodi Doctores intel-
ligi debent de conſuetudine præcisè ſumpta; ſed
vt talis conſuetudo eſt ſignum tacitæ, vel ex-
preſſæ voluntatis Superiorum talem facultatem
concedentium, modo quo conſuetudinem expli-
cauimus in caſibus ſupra relatis. His adde, quæ
ſupra adnotauimus, *ſec. 3. concl. vnica lim. 3.*

6 Cæterum de iure putant. Doctores nonnullos
alios dari caſus, in quibus licita eſt electio Con-
feſſoris citra licentiam proprij Sacerdotis, verùm
in hac re Doctor. ipſi non ſunt concordes: nam
quidam putant cenſeri conceſſam de iure facul-
tatem eligendi Confeſſarium, eo ipſo quòd talis
facultas iniuſtè denegatur à proprio Sacerdote,
aut proprius Sacerdos nolit audire pœnitentem:
vel multa ſit erubeſcentia pœnitentis in confi-
tendo proprio Sacerdoti. Alij volunt cenſeri da-
tam licentiam eligendi Confeſſarium eo ipſo
quòd proprius Sacerdos abſit, non relicto Vi-
cario, ſi ſit mortuus, & Vicarius non adſit: vel
pœnitens timeat ſollicitationem, incitationem
ad malum à proprio Sacerdote, aut timeat, ſe
fore illi cauſam peccati. Sunt denique alij dicen-
tes, de iure eſſe conceſſam facultatem eligendi
Confeſſarium, quādo proprius Sacerdos laborat
ignorantia: pro qua re allegant *tex. in c. placuit,
de pœnit. d. 6.* ita ſe habentem, *Placuit, vt dein-
ceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſ-
ſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere
ſine eius conſenſu, cui prius ſe commiſit, niſi
pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confeſſus
eſt. Qui verò contra hæc ſtatuta facere tentauerit,
gradus ſui periculo ſubiaceat.* Vbi addit *Gloſa*
credendum eſſe eo caſu pœnitenti, cùm non ſit
veriſimile, quòd cum mendacio veniat ad pœni-
tentiam, *arg. text. in cap. ſancimus 1. q. 7.* Hoc
idem ſtatuitur in *c. placuit, 9. q. 2.* Communis
7 tamen ſententia eſt in prædictis caſibus, excepta
ignorantia, dari quidem legitima cauſa pœni-
tenti, vel ſe gerendi tanquam ſi non haberet co-
piam Confeſſarij, vel petendi à proprio Sacer-
dote, vel à Superiore licentiam eligendi alium
Confeſſarium, maximè ſi proprius Sacerdos fa-
cultatem deneget iniuſtè, cùm citra lethalem
culpam non valeat eam ad ſui libitum denegare.
Imò quamuis in *d. c. placuit*, expreſsè conce-
datur electio Confeſſarij ex cauſa ignorantiæ
proprij Sacerdotis; Nihilominus *tex.* ille hodiè
non eſt in vſu, vt habetur ex *Filliuc. tom. 1. qq.
moral. tract. 7. nu. 247. 249. & 250.* quibus adde
tradita per *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap.
15. nu. 97. & per Alph. de Leone d. recoll. 6. ſub
nu. 65.* Vbi tandem fatetur hodiè parum referre
8 difficultatem huiuſmodi, cùm quilibet poſſit
confiteri non ſolùm Religioſis Confeſſarijs, ſed
etiam approbatis citra licentiam proprij Sacer-
dotis extra ſuam Eccleſiam, vt latius dicetur, ſuo
loco, quibus adde quæ ſupra adnotauimus, *ſec.
3. concl. vnica, lim. 2.*

Confeſſarij electi à quibus caſibus, & cenſuris ab- ſoluere poſſint ipſos eligentes.

S E C. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Prælati, eligentes ſibi Confeſſarios, cenſentur in eos transferre poteſtatem abſoluendi in pœni- tentiali foro.*

2 *Ha-*

2 *Habentes poteſtatem eligendi ſibi Confeſſariũ, nunquã ligãtur caſibus, Ordinario reſeruatis.*

3 *Summus pontifex diſpenſari, & abſolui poteſt ab omnibus, & ſingulis caſibus ab eo, qui ſibi eligit in Confeſſarium: Sic etiam, & Summus Pœnitentiarius.*

4 *Epiſcopi, & Prælati omnes iuriſdictionem Epiſcopalem habentes, abſolui, & diſpenſari poſſunt à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omnibus à quibus ipſi abſoluere, & diſpenſare poſſunt eorum ſubditos.*

5 *Epiſcopi, & Prælati ſupradicti hanc eligendi facultatem habent, quamuis tantum electi, & confirmati ſint, non dum tamen conſecrati, nec Epiſcopatus poſſeſſionem adepti.*

6 *Epiſcopi à Confeſſarijs per ipſos electis abſolui, & diſpenſari poſſunt etiam in caſibus in Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de refor. contentis.*

7 *Epiſcopi abſolui poſſunt à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt, ab omnibus, in quibus ipſi ſuos ſubditos abſoluere valent, etiam ſi in Vrbe ſint.*

8 *Epiſcopus excommunicatus, ſi à tali excommunicatione ſubditũ abſoluere poteſt, poteſt quoq; committere Confeſſario electo, vt ipsũ abſoluat.*

9 *Facultatem tributam Epiſcopis à Conc. Trid. vt valeant abſolui à Confeſſarijs electis, ab omnibus excommunicationibus occultis, ac diſpenſari in irregularitatibus occultis, &c. etiam Epiſcopi Titulares habent.*

10 *Epiſcopi Titulares alijq; ſimiles habent à iure, vt valeant ſibi eligere Confeſſarium.*

11 *Epiſcopus non vt Epiſcopus, ſed vt Ordinarius Inquiſitor, ſi in hæreſim incidat, poteſt à Confeſſario, Electo abſolui.*

12 *Quamuis Epiſcopi vigore Trid. d. cap. 6. facultatem habeant ſubditos abſoluendi, & cum eis diſpenſandi, & proindè ſi ipſi in aliquod delictorum in dicto Concilio contentorum inciderint poterunt alij vices demandare ſuas, & abſolui. Prælati tamen inferiores iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, ſi in aliquod prædictorum criminum incurrant eligere non poſſunt Confeſſarium, à quo diſpenſentur, & abſoluantur.*

13 *Capitulum Sede Vacante eandem habet facultatem diſpenſandi, & abſoluendi conceſſam Epiſcopis ex dicto Tridentino.*

14 *Superiores Regulares Religionum exemptarum poſſunt vti facultate prædicta erga Religioſos, ſibi ſubditos, ſed non vigore Conc. Trid. ſed vigore Conſtitutionis Pij V. quæ incipit Romanus.*

15 *Qui poſſunt ſibi eligere Cõfeſſarium, ita demum poſſunt abſolui, à quibus ipſi valent ſubditos abſoluere, & diſpenſare, quando eligunt ratione Prælaturæ adnexæ iuriſdictionis, at ſecus quando alia ratione, puta ratione delegationis abſoluant ſubditos.*

16 *Pœnitentiarius Epiſcopi à caſibus, quos ſibi Epiſcopus expreſſè reſeruauit, non poteſt quemquam abſoluere, niſi facultatem ſpeciatim Epiſcopus illi tribuat.*

Quid dicendum de Summo Pœnitentiario.

17 *Confeſſarij, quos ſibi eligunt Archiepiſcopi poſſunt illos abſoluere, & cum eis diſpenſare tempore viſitationis ab omnibus, à quibus poſſunt Epiſcopi.*

18 *Patriarchæ, ac Primates non ſolum poſſunt omnia, quæ poſſunt Epiſcopi quoad eorum ſubditos dum viſitant: ſed etiam abſoluere poſſunt Epiſcopos ſuffraganeos, & cum ipſis diſpenſare Idemq; dicendum eſt de legatis à latere.*

19 *Legati à latere poſſunt quoque diſpenſare cum omnibus, cum quibus poſſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. & ſignanter cum eo qui cum cenſura celebrauit, vel alium ordinem exercuit.*

20 *Vicarij Generales Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, &c. poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, qui valet illos abſoluere ab omnibus, à quibus, & ipſi alias abſoluere poſſunt.*

21 *Vicarius Superioris alicuius Religionis an, & quando vti poſſit iuriſdictione, & facultate eligendi ſibi Confeſſarium. Et quid dicendum de Priore habente Abbatem.*

22 *Vicarius noſtræ domus S. Mariæ de Toro Vici Equenſis, habet Iura præpoſititia, ita vt poſſit fortè benedicere Corporalia, & poteſt eis fieri delegatio à Summo Pontifice.*

23 *Vicarius Summi Pontificis, vel Capituli Sede Vacante, vel Vice legati an poſſint ſibi eligere Confeſſarium?*

24 *Regens Summi Pœnitentiarij quis nam ſit, & an poſſit ſibi eligere Confeſſarium.*

Quid dicendum de Vicario Apoſtolico; ac de Vicarijs Ordinum Militarium.

25 *Prælati iuriſdictionem non habentes in foro Conſcientiæ abſolui poſſunt à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt, tùm à caſibus Ordinarij, tum à caſibus Ordinariè reſeruatis.*

An poſſint ijdem Confeſſarij eis commutare vota Papalia, & ſemel, vel in vita, vel in morte eis concedere plenariam remiſſionem omnium peccatorum.

1 PRO determinatione huius difficultatis eſt adnot. primò, quòd Prælati eligentes ſibi Confeſſarios, ex vi electionis, citra aliam expreſſam facultatem, cenſentur in eos transferre poteſtatem ipſos abſoluendi in pœnitentiali foro: ſiquidem aliquid concedens cenſetur ea tribuere, quæ ad illius expeditionem neceſſariò expoſtulantur. Ita *Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 3. Graff. de quinque caſib. lib. 1. cap. 10. nu. 80.* cum alijs, quos allegant.

2 Secundò eſt adnot. quòd omnes de iure facultatem habentes eligendi ſibi Confeſſarium, ſiuè iuriſdictionem Epiſcopalem habeant, ſiuè non, numquam ligantur caſibus reſeruatis Ordinario; ſed tantùm reſeruatis Romano Pontifici. Etenim cùm ſint exempti, vt in *cap. fin. eod. tit. noſtro*, non ſubijciuntur Ordinario, ſed immediatè Sum. Põtifici. His breuiter ſic adnotatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 SVmmus Pontifex poteſt diſpenſari, & abſolui ab omnibus, ac ſingulis caſibus ab eo, quem ſibi eligit in Confeſſarium. Probatur, quia S. P. poteſt fideles omnes abſoluere ab omnibus, & ſingulis caſibus, & cum eis diſpenſare, cùm ſit omnium proprius Sacerdos, & ſummam, ac ordinariam iuriſdictionem, tàm in foro interno, quàm externo immediatè habeat à Deo ſtatim poſt ipſius electionẽ ritè factam: & à Deo quoq; recepit poteſtatem eligendi ſibi Confeſſarium, in quem transfunditur ab ipſo omnis ſua poteſtas, vt ſupra declarauimus, *ſec. 3. concl. 1.* vbi etiam oſtendimus, quòd quamuis S. P. poſſit per ſe

ſecum

Digitized by Google

ſecum diſpenſare in voto, ſicut & applicare ſibi indulgentia, nihilominus diſpenſandi facultatem poteſt quoque committere ſuo Confeſſario. Dixi, *Diſpenſari, & abſolui ab omnibus caſibus.* Quoniam non poteſt abſolui à cenſuris, nec quidem à cenſura lata pro crimine hæreſis, nec diſpenſari in quacunque irregularitate: eo quòd Rom. Pontifex non poteſt excommunicari, nec incidere in cenſuras à ſe latas, nec incurrere irregularitatem, vt ſupra latè oſtendimus, *d. concl. 1.* Summus Pœnitentiarius quoque poteſt abſolui à Confeſſario, quem ſibi eligit, ab omnibus à quibus poteſt alios abſoluere, ſicut etiam diſpenſare, vt infra dicemus, *concl. ſeq lim. 2.*

SECVNDA CONCLVSIO.

4 Epiſcopi, & Prælati omnes habentes iuriſdictionem Epiſcopalem poſſunt abſolui, ac diſpenſari à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omnibus, à quibus poſſunt diſpenſare, & abſoluere eorum ſubditos. Hæc concluſio eſt communis, & in praxi communiter ſeruatur: & poſt alios probat eam *Graff. de quinque caſib. lib. 1. cap. 10. nu. 78. Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 107. & 125. Floren. de caſib. reſer. par. 1. cap. 3. §. 1. nu. 4. & cap 4. §. 7. n. 14.* Etenim ſi Epiſcopi, & alij Prælati habentes iuriſdictionem Epiſcopalem poſſunt delegare Confeſſarios qui ſuos ſubditos abſoluant, & diſpenſent ab omnibus, à quibus ipſi per ſe illos abſoluere, ac diſpenſare poſſunt, vt infra, Deo duce, latius dicemus; non poteſt aſſignari ratio, cur ab eiſdem caſibus abſolui, & diſpenſari nequeant à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt; aliàs eſſent deterioris conditionis. Confirmatur, quoniam aliter id eſſet contra rationé allatam in *d. cap. fin. eo. tit. noſtro,* vbi prædictis Epiſcopis, ac Prælatis conceditur priuilegium eligendi ſibi Confeſſarium, ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum: ſiquidem periculum immineret ſi à Cófeſſarijs electis non poſſent abſolui, ac diſpenſari ab omnibus, à quibus alios poſſunt.

5 Ampliatur hæc concluſio, vt locum habeat in Epiſcopis, & Prælatis vt ſupra, etiam ſi tantùm electi ſunt, & confirmati, & non dum conſecrati, nec poſſeſſionem adepti fuerint Epiſcopatus, vt patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, *ſec. 3. concl. 3. verſ. Tertiò infertur.* Etenim Epiſcopi electi, & confirmati habent omnem adminiſtrationem Epiſcopatus, & omnia poſſunt, quæ pertinent ad poteſtatem iuriſdictionis, vt in *cap. noſti, & cap. tranſmiſſam,* vbi *Gloſa, de elect. Ricc. in praxi aurea, reſol. 136. nu. 1. Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iure, cap. 40. dub. 12. nu. 100. verſ. Secundò, Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 36. num. 6. in noſtris Commentar. ad Bull. Cœna lib. 3. §. 2. q. 11. ſub nu. 18. & allegat. 38. nu. 2.* vbi plures alios allegat, & id verum eſt etiam ſi Epiſcopi vt ſupra confirmati non ſint Sacerdotes, vt poſt alios diximus.

6 Secundò ampliatur, vt Epiſcopi poſſunt abſolui à Confeſſarijs ab eiſdem ſibi electis, & diſpenſari etiam in caſibus, in *Conc. Trid. contentis, ſeſſ. 24. de reform. cap. 6.* Decernitur enim ibi, licitum eſſe, *Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcunq; ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs eſt permiſſum.* Vndè ſi in aliquem ex dictis caſibus, Epiſcopus incidat, (quod abſit) poſſet ipſemet Epiſcopus alteri committere vices ſuas, vt ſecum diſpenſet, & ad abſoluendum ſe proprium ſibi Confeſſarium deputari. Ita *Suar. in 3. par. tom. 5. diſp. 41. ſec. 2. nu. 9. Maiol. de irregular. lib. 2. cap. 2. nu. 12. verſ. Eſt autem, & lib. 5. cap. 51. nu. 7. Henriq. in ſum. lib. 14. de irregular. cap. 18. §. 3. Ricc. in praxi rerum fori Eccleſiaſt. deciſ. 518.* & alij, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 39. ſub nu. 15.* Et quamuis *Mar. Alter.* contrarium dòceat *tom. 2. diſp. 8. de ſuſpenſ. cap. 3. concl. 4. verſ. Tertiò quæri poteſt,* motus ex eo quòd Epiſcopus cùm ſit delegatus in dictis caſibus hanc poteſtatem diſpenſandi, quam ipſe habet, alteri committere nequit, vt ſecum diſpenſet; nihilominus rectè reſpendet idem *Barb. loco cit. nu. 16.* poſt alios, inquiens, quod licet facultas illa diſpenſandi, & abſoluendi conceſſa Epiſcopis per *Conc. Trid. d. cap. 6.* competat illis iure ſpeciali; eis tamen competit iure communi, & iuriſdictione ordinaria ipſis tributa, vt habetur per *Beiam in reſp. caſ. conſc. par. 4. caſ. 37. verſ. Tandem nullus: Sayr.* & alios apud eundem *Barb. d. nu. 16.* & nos etiam adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœna lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 35.* dum diximus, quòd facultas hæc non non conceditur perſonę, ſed dignitati Epiſcopali, & propterea non eſt delegata, ſed ordinaria.

† Secundò ampliatur eadem concluſio, vt Epi-
7 ſcopi poſſint abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omnibus, à quibus poſſunt ſuos ſubditos abſoluere, etiam ſi ſint in Vrbe, vbi adeſt S. Pontifex. Ita declaraſſe Sacr. Congregationem teſtatur poſt alios *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 9. ſub nu. 88. in fin.* Etenim Confeſſarius electus per Epiſcopum non habet facultatem delegatam abſoluendi ipſum Epiſcopum ab eodem Epiſcopo, ſed à iure communi in *cap. fin. eo. tit. noſtro,* ſub facultate, quam habet eligendi ſibi
8 Confeſſarium. Vndè Epiſcopus quamuis ſit excommunicatus, ſi tamen non excommunicatus poſſit à tali excommunicatione abſoluere ſubditum; poteſt ſuo Confeſſario electo committere, vt ipſum abſoluat, ſi in eam inciderit: nam licèt excommunicatus careat exercitio iuriſdictionis; nihilominus Confeſſarius ab Epiſcopo electus non habet iuriſdictionem ab ipſo Epiſcopo, ſed à iure, vt ſupra diximus: vltra quòd nos hic agimus de excommunicato tolerato, ac occulto, abſoluendo in foro conſcientiæ, qui poteſt exercere ea, quæ fiunt ratione publici officij, vt habetur ex *Innocen.* communiter recepto, *in cap. cùm dilectus, de conſuet.* Et ſic non loquimur de excommunicatione lata ab ipſo Epiſcopo: ſiquidem ea non ligatur Epiſcopus; ſed de excommunicatione occulta reſeruata Romano Pontifici, à quo poteſt abſoluere Epiſcopus vigore præfati Decreti *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 6.*

† Tertiò ampliatur, vt facultatem, quem Conc.
9 Trid. tribuit Epiſcopis, vt poſſint abſolui à Confeſſa-

feſſarijs electis ab omnibus excommunicationibus occultis, & diſpenſari in irregularitatibus occultis, &c. habeant non ſolùm Epiſcopi, qui Diœceſim habent, ac ſubditos, ſed etiam Epiſcopi titulares, vel qui renunciauerunt Epiſcopatui, aut aliàs depoſiti fuerunt verbaliter; dummodò non fuerint degradati. Etenim quamuis *P. Alph. de Leone d. recoll. 9. ſub nu.* 87. putet, hanc concluſionem non eſſe citra difficultatem aliquam: ſiquidem communis regula, & declaratio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium interpretum Sacri Conc. Trid. relata de verbo ad verbum à *Suar. in 3. par. tom. 5. diſp. 11. ſec. 2. nu. 9. & 12. Finollio de caſib. reſer. cap. 7. nu. 13. & Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 3. n. 3.* & quæ ſe habet, omnem facultatem Epiſcopis conceſſam circa ſubditos in ſupradicto Decreto, poſſe pro ſe ipſis demandare; atque ideò poſſe Epiſcopum quidquid poteſt cum ſubditis vigore talis decreti; at Epiſcopi titulares non habent ſubditos, & proinde non videntur poſſe abſolui, & diſpenſari, vt ſupra à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt; nihilominus non eſt recedendum à noſtra concluſione: aliàs priuilegium illis conceſſum eligendi Cõfeſſarium nihil operaretur, cùm per ipſum non conceditur, vt poſſint eligere non approbatum, vt ſupra oſtendimus *ſec. 3. concl. 3. illat. 3. verſ. Sed ſuppoſito de conſuetudine, propè finem:* ergò vt priuilegium aliquid operetur, dicendum eſt continere dictam facultatem, vt poſſint a Confeſſario electo abſolui à caſibus, à quibus poſſunt ipſi abſoluere, ſi haberent ſubditos. Confirmatur, quoniam Epiſcopi titulares, & alij ſupra relati ſunt exempti, & ſub ſpeciali protectione Rom. Pontificis, vt diximus ſupra *d. illat. 3. verſ. Imò*, & patet ex ijs, quæ habentur ex *Sanch. lib. 6. ſue ſum. cap. 6. nu. 19. & 31.* ergò quoad caſus, de quibus agitur, non poſſunt eſſe

10 ſubiecti alteri Epiſcopo; atque ideò eligendo Confeſſarium poſſunt ab illis abſolui, ac diſpenſari, vt ſupra. Denique eiuſmodi Epiſcopi titulares, & alij ſimiles habent à iure, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium, cùm ſint verè Epiſcopi, & Prælati exempti, vt ſupra diximus, & patet ex *tex. in cap. fin. eo. tit. noſtro*: Vndè facta electione Confeſſarij ipſe Confeſſarius à iure habet, non autem ab Epiſcopis prædictis, vt poſſint abſolui ab omnibus, à quibus poſſent ſi haberent ſubditos: ſiquidem cum ſint exempti, militat in eis ratio io *prin. d. cap. fin.* allata, vt adnotauimus in *d. illat. 3. verſ. Imò*. Eſt tamen verum, quòd hæc quæ diximus non habent locum in Epiſcopis, qui renunciarunt dignitati quoque Epiſcopali, vel fuerunt degradati: aut Epiſcopatui renunciantes Religionem fuerunt ingreſſi; quoniam hi non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, vt diximus *d. illat. 3. in fine.*

11 Quartò ampliatur, vt Epiſcopus non vt Epiſcopus, ſed vt Ordinarius Inquiſitor, ſi in hæreſim incidat poſſit à Confeſſario electo abſolui: ſiquidem Inquiſitores ab hæreſi abſoluere poſſe oſtendimus in *d. q. 11. nu. 29. & q. 12. per totam:* quibus adde *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 20. art. 5.* licèt contrariam ſententiam putet eſſe probabilem: & *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 8. cap. 8. nu. 33.* qui ait, hanc eſſe probabiliorem, & pro ea quamplurimos Doctor. allegat ibidem, *nu.* 32. eam quoque ſequitur *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 6. n. 127. & recoll. 5. n. 51.* vbi poſt *Nauar.* refert *Graff.* dicentem contrariam opinionem eſſe vulgò receptam: *& d. nu. 127. in fine*, allegat *Nouar. in ſuis ſingul. concl. 4.* qui teſtatur, pluries fuiſſe declaratum, quòd Inquiſitores nequeant ab hæreſi abſoluere. Idem docet *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 40. nu. 26. per Bullam Greg. XV.* quem ipſe refert, Nec quæ dicimus aduerſantur ijs, quæ adnotauimus *d. q. 11. nu. 43. & ſeq.* quia nos loquimur ibi de Epiſcopo, vt Epiſcopo, nõ autem de Epiſcopo, vt eſt Ordinarius Inquiſitor; quoniam *d. q.* 12. ſatis probauimus, poſſe Inquiſitores abſoluere in foro conſcientiæ, etiam ab hæreſi occulta; ſiquidem in foro externo non eſt dubium, atque ideò non eſt dubium de Epiſcopo, vt eſt Ordinarius Inquiſitor, vt diximus *d. q. 12. in prin. & nu. 4. & 5.* Probabilior tamen nobis videtur ſententia oppoſita, imò vera per ea quæ cumulantur à *Barb. loco cit. nu. 23. 26. 34. 35. & 36.*

12 Sic ampliata limitatur hæc concluſio, vt licèt Epiſpopi habeant facultatem abſoluendi ſuos ſubditos, & cum eis diſpenſandi vigore *Concil. Trid. d. cap. 6.* atque ideò ſi aliquis Epiſcopus incidat in aliquod delictorum, de quibus in ipſo *Conc. loco citato*, poſſit ipſemet Epiſcopus alteri committere vices ſuas, vt ſecum diſpenſet, ac ad abſoluendum ſe proprium Confeſſarium deputare, vt ſupra oſtendimus; nihilominus, Prælati inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, vt ſunt Abbates ſæculares, Religionum Prælati, ſiuè Generales, aut Prouinciales ſint, ſiuè Præpoſiti, Guardiani, & alij ſimiles quocunque nomine vocentur, qui de iure poſſunt ſibi eligere Confeſſarios, vt ſupra adnotauimus, *ſec. 3. illat. 4. verſ. Regularium denique* ſi in aliquod prædictorum criminum incurrant, non poſſunt eligere Confeſſarium à quo diſpenſentur, & abſoluantur. Etenim huiuſmodi Prælati non poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, nec eoſdem abſoluere à caſibus in *d. c. 6. Conc. Trid. contentis*. Siquidem Decretum illud Conc. derogat iuri communi, & ideò potius eſt limitandum, vt nomine Epiſcopi intelligamus ſecundũ propriam ſignificationem huius nominis, illos tantùm, qui in Epiſcopali dignitate conſtituti ſunt, non inferiores. Ita *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 30. ſec. 2. nu. 6. & tom. 5. diſp. 41. ſec. 2 nu. 7. Ledeſ. in ſumma, tom. 2. tract. 1. cap. 6. poſt concl. 2. difficul. 1. Ricc. in praxi fori Eccleſ. deciſ. 532. nu. 1. in 1. edit. & reſol. 555. in 2. edit. Bonac. diſp. 7. de ſacram q. 1. pun. 1. nu. 6.* & alij quamplurimi, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 39. ſub nu. 17.* Et ita fuiſſe declaratum per quandam Cõgregationem Eminentiſſimorum Cardin. teſtatur *Suar. loc. citato*, quæ circa particulam illam Cõcilij, *Liceat Epiſcopis.* Ita ſe habet, *In hoc decreto non comprehenduntur Inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem; ſed tantùm Epiſcopi priuatiuè quoad omnes alios.* Idem teſtatur *Nicol. Garc. & Armendariz*, quos refert *Barb. loco citato*, à qua ſententia non eſſe recedendum, ſtante dicta declaratione, concluſimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ d. q. 11. ſub nu.* 18. Vndè *Suar.* vbi ſupra inquit etiam, ſub Epiſcoporum nomine non ſolùm comprehendi in dicto decreto, Abbates, & alios ſimiles

Præ-

Prælatos, ſed nec quidem capitulum, Sede vacante, neq; Superiores Religionum exemptarũ.

13 Cæterum licèt hæc ſententia videatur nobis multum probabilis ob rationem ſupra relatam; & propter declarationem Sacræ Congreg. non videtur poſſe citra temeritatem ab ea recedi; nihilominus non deſunt, qui velint, Capitulum Sede vacante, eandem habere facultatem diſpenſandi, & abſoluendi conceſſam Epiſcopis: ſiquidem licèt id ſpeciali iure Cõcilij Epiſcopis competat, & Capitulum non ſuccedat in ijs, quæ iure ſpeciali competunt Epiſcopo, vt habetur ex *Inn. in cap. cùm in cunctis, nu. 7. de elect. & Panorm. in cap. verùm, nu. 9. de for. compet.* Attamen id locum habet in ijs, quę competunt Epiſcopo iure ſpeciali delegato, ſecus autem ſi de iure Ordinario ſpeciali, vt per eundẽ *Panor. in d. c. verum, & Felin. in c. cam te, n. 17. de reſcr.* Qualis eſt poteſtas, de qua agitur à Conc. Epiſc. conceſſa, cùm non competat perſonæ, ſed dignitati perpetuò, at poteſtas quæ non competit perſonę, ſed dignitati perpetuò, vel ex officio, eſt ordinaria, non autem delegata, vt ſupra diximus, & latius in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ d. q. 11. n. 17. & 18.* Vndè hanc ſententiam tenent *Sayr. lib. 6. Clau. Reg. cap. 11. nu. 84. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 61. art. 9. Cened. ad ſextum collect. 4. nu. 3. Ricc. in collect. deciſ. par. 3. collect. 721. verſ. Tertiò dubitatur, & in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ. 533. in 1. edit. & reſol. 466. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 30 ſec. 2. nu. 4.* & alij quamplurimi, quos refert, & ſequitur *Barb. d. alleg. 39. n. 16.* quamuis cum *Suar.* & ſequacibus neget Abbates, & alios Prælatos Inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, etiã nullius Diœceſis gaudere prædicta facultate diſpenſandi, & abſoluendi conceſſa Epiſcopis in *d. cap. 6. Conc. Trid.* & propterea poteſt defendi Capitulum Sede vacante, gaudere præfata facultate conceſſa Epiſcopis per *Conc. Trid.* & non comprehendi ſub dicta declaratione Sacræ Congreg. eò magis, quia de iure communi Capitulum, Sede vacante omnia põteſt quoad ea quæ ſpectant ad iuriſdictionem ordinariam Epiſcopi, exceptis caſibus à iure expreſſis, ita vt ſuccedat in omnibus Epiſcopo, & ei dicatur par, & nõ inferior, vt in *c. cũ olim, de maior. & obed.* & in ſpecie *Alph. de Leone,* qui plures alios allegat *p. 2. caſ. conſc. recoll. 9. n. 8. cũ plur. ſeq. & n. 10.* Reſpondet etiã ad prædictam declarationem Sacræ Congreg.

14 Quo verò ad Superiores Regulares Religionum exemptarum, quamuis de iure non poſſint vti huiuſmodi facultate à Conc. Epiſcopis conceſſa erga Religioſos ſibi ſubditos; nihilominus ea vti poſſunt vigore conſtitutionis Pij V. quæ incipit *Romanus,* de anno 1571. die 21. Iul. quam refert *Barb. in d. alleg. 39. num. 18.* vbi pro hac ſententia allegat *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 61. art. 9. Beiam in reſponſ. caſ. conſc. par. 4. caſu 37. in prin. Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 2. num. 13.* & in præcepta *Decal. lib. 2. cap. 11. nu. 7.* & alios quamplurimos. Vndè ſtante dicta Pij V. conſtitutione in praxi inquit eam eſſe omninò tenendam, licèt in puncto iuris contraria ſit verior. Hanc eandem conſtitutionem refert *P. Alex. Pellegr. in compend. noſtrorum priuilegiorum, ver. Abſolutio quoad fratres, §. 2.* & alij, quos ipſe allegat. Non autem præfati Regulares poſſunt abſoluere ab hæreſi ſuos ſubditos, vt habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 20. art. 5. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſ. recoll. 5. ſub n. 51. circa finem, recoll. 9. nu. 58. & recoll. 11. ſub nu. 109. circa fin.* quam ſententiam hodie veram eſſe ait citra omnem difficultatem poſt Bullam Cœnæ editam à Greg. XV. quam refert *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 40. nu. 23.*

15 Secundò limitatur ipſa concluſio, vt is qui poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, ita demum poſſint abſolui ab omnibus, à quibus ipſi valent ſubditos abſoluere, & diſpenſare, quando eligunt, vt habentes hanc iuriſdictionem in ſubditos, & ratione Prælaturæ annexæ huic iuriſdictioni, non autem quando alia ratione, vt habetur ex *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 113.* Vndè ſi Prælatus, v. g. fiat Pœnitentiarius Epiſcopi, ſi incidat in aliquem caſum Epiſcopo reſeruatum, & à quo non poſſit abſolui, niſi ab Epiſcopo, tunc non poteſt ſibi eligere Confeſſarium, à quo abſoluatur, quia ipſe Prælatus Pœnitentiarius eſt delegatus, & delegatus non poteſt iuriſdictionem delegatam alteri ſubdelegare, niſi ſit delegatus à Principe, vel expreſſam habeat facultatem ſubdelegandi, vt in *l. à Iudice, C. de iudic.* & in ſpecie quòd Pœnitentiarius Epiſcopi non poſſit ſubdelegare abſolutionem à caſibus reſeruatis ſibi commiſſis probat *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 55. nu. 24.* Dixi, *Sibi commiſſis,* Quia à caſibus, quos

16 Epiſcopus expreſsè reſeruauit, non poteſt Pœnitententiarius quemquam abſoluere; niſi hanc auctoritatem ſpeciatim ei Epiſcopus ipſe tribuerit, vt habetur ex *Aloyſ. Ricc. in praxi aurea reſol. 579. in fine, & in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ. 571. in prima editione. Nauar. conſ. 20. de pœnit. & remiſ.* & ex alijs quamplurimis, quos refert, & ſequitur *Barb. loco cit. nu. 23.* An autem Pœnitentiarius huiuſmodi poſſit nudum miniſterium alteri committere, ſeù ſubdelegare vide *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 5. nu. 66. & recoll. 7. n. 30. cum plur. ſeq.* vbi etiam *d. recol. 5. nu. 104.* Declarat, qualiter fiat delegatio nudi miniſterij, & nos infra, Deo duce, latius dicemus. Non ita dicendum eſt de S. Pœnitentiario: nam dato, & non conceſſo quod ſit delegatus; nihilominus cùm ſit delegatus à Papa, poteſt ſuam poteſtatem alteri ſubdelegare, tàm ad abſoluendum alios, quàm ſe ipſum, & ſecum diſpenſandum ab omnibus, à quibus poteſt ſuos ſubditos abſoluere, ac diſpenſare, vt habetur ex *Graff. par. 1. deciſ. lib. 1. cap. 23. nu. 16. Alph. de Leone loco cit. recoll. 6. nu. 124.* & ex alijs.

TERTIA CONCLVSIO.

17 Confeſſarij, quos ſibi eligunt Archiepiſcopi, poſſunt illos abſoluere, & cum eiſdem diſpenſare tempore viſitationis ab omnibus caſibus, & cenſuris, ac irregularitatibus, à quibus poſſunt Epiſcopi. Hæc concluſio eſt communis, & patet ex *tex. in cap. fin. de cenſib. in 6.* vbi habetur, quòd quando Archiepiſcopus viſitat, poteſt omnia, quæ poteſt Epiſcopus in foro conſcientiæ. Sed *concl. præced.* oſtendimus poſſe Epiſcopum ab omnibus abſolui, ac diſpenſari à Confeſſario ſibi electo, à quibus ipſe poteſt ſuos ſubditos; ergò idem dicendum eſt de Archiepiſcopo tempore viſitationis ſuæ Prouinciæ, tàm circa ſuos ſuffraganeos, & eorum ſubditos, quàm

Digitized by Google

circa electionem Confeſſarij. Et quamuis *Suar.* poſt alios, *in 3. par. tom. 5. diſp. 41. ſec* 2. diſtinguens duplicem poteſtatem cōceſſam Epiſcopis per *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 6.* alteram ſcilicet diſpenſandi in irregularitatibus, alteram verò abſoluendi à cenſuris, putet diuerſimodè Concil. prædictas facultates ipſis Epiſcopis concedere; atque ideò Archiepiſcopum dum viſitat ſubditos ſuffraganeorum, poſſe illos à cenſuris occultis abſoluere; non autem diſpenſare in irregularitatibus, cùm Archiepiſcopus dum viſitat, ea tantùm exerceat, quæ pertinent ad forum conſcientiæ, & diſpenſatio ad huiuſmodi forum non ſpectet; nihilominus *Steph. Quarania in ſum. Bullar. in ver. Archiepiſcopi auctoritas, nu. 33. Henriq. lib. 14. cap. 18. nu. 4. Auila par. 7 diſp. 6. ſec. 5. dub. 5. Bonac. de cenſur. diſp. 7. q. 5 pun. 1. nu. 2. in fine, Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 39. ſub nu. 19. Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 2. nu.* 20. & alij, quorum ſententia nobis videtur probabilior, volunt facultatem prædictam concedi Archiepiſcopo non ſolùm ad abſoluendum à cenſuris occultis, ſed etiam ad diſpenſandum in irregularitate, vt ſupra. Etenim ſi Archiepiſcopus poteſt omnia quæ Epiſcopus in foro conſcientiæ, vt ſupra oſtendimus; in foro conſcientiæ quoque poterit Archiepiſcopus viſitationis tempore non ſolùm abſoluere à cenſuris occultis, verum etiam diſpenſare in irregularitatibus occultis: ſiquidem diſpenſatio huiuſmodi ad forum conſcientiæ pertinet: nam communiter docent Doctor. non poſſe Epiſcopum vi dictæ facultatis diſpenſare in foro exteriori, vt habetur ex *Vgol. de poteſt. Epiſc. cap. 57. §. 2. nu. 7.* Per forum enim conſcientiæ non intelligit Conc. ibi forum ſacramentale atque ideò audita confeſſione, ſed id ſolum ſignificat, vt abſolutio, & diſpenſatio non proſint pro foro externo, ſi contingat caſum in iudicium deduci, vt poſt alios nos adnotauimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœna, lib. 3. §. 2 q. 11. nu. 30.*

18 Quæ diximus de Epiſcopis, & Archiepiſcopis tempore viſitationis extendimus etiam ad Patriarchas, ac Primates: nam hi omnes non ſolùm poſſunt omnia, quæ poſſunt Epiſcopi quoad eorum ſubditos, dum viſitant, ſed etiam poſſunt abſoluere ipſos Epiſcopos ſuffraganeos, & cum illis diſpenſare à reſeruatis iuxta *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 6.* vt poſt alios inquit *Barb. loco citato, & Alph. de Leone d. recoll. 9 n. 21.* Idem dicendum eſt de legatis à Latere: etenim hi ſunt Ordinarij Ordinariorum, poſſunt eligere Confeſſarium, à quo abſoluātur ab omnibus caſibus, & cenſuris Rom. Pontificis reſeruatis, exceptis quibuſdam ſpecialiter reſeruatis, & qui à nullo alio, quàm ab ipſo Pontifice poſſunt abſolui, vt habetur ex *P. Naldo ver. Legatus, nu. 7. Gamb. de offic. & poteſt. legati à latere, lib. 10 n. 391. & Alph. de Leone d. recoll. 9. n. 27.* Qui dicunt etiā huiuſmodi legatos poſſe quoque in omnibus diſpenſare, in quibus poſſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ, & ſignanter eos poſſe diſpenſare cum eo, qui cum cenſura celebrauit, vel
19 alium ordinem exercuit. Item poſſunt abſoluere ab omnibus, à quibus poſſunt Epiſcopi vigore *d. Conc. Trid. d. c. 6.* nam legati ſunt eadem res cum Epiſcopis, & in his cum ipſis habent inſolidum, & cumulatiuè iuriſdictionem, vt in *c. 2. de offic. legat. in 6.* Vndè legati à latere, Archiepiſcopi, Patriarchæ, ſeù Primates poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, à quo abſoluantur, & diſpenſentur ab omnibus, & in omnibus, à quibus, & in quibus poſſunt alios abſoluere, ac diſpenſare. Nuncij Apoſtolici pariter ſolent habere facultates legati à latere, & vt plurimum ſunt Epiſcopi, & Propterea de illis idem videtur dicendum, vt habetur ex *Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 145.* vbi *à nu. 136. cum plurib. ſeq* Probat non ſolum præfatos Antiſtites, & Legatos poſſe pro ſe ipſis eligere Confeſſarios, ſed etiam pro ſuis familiaribus: ſicut & familiares Rom. Pontificis, & Cardinalium eodem priuilegio gaudent, & eandem facultatem poſſe concedi Laico, ſicut de facto eam habent Imperatores, & Reges ac ſimiles Magnates, probat idem *Alph. de Leone* poſt alios *loco cit. à n. 146. vſq; ad n. 149.*

QVARTA CONCLVSIO.

20 SVppoſito, quòd Vicarij Generales Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, &c. poſſint ſibi eligere Confeſſarium, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 2. concl. 3. illat. 3. verſ. Imò: & verſ. Sed ſuppoſito*; Tunc Confeſſarius electus poteſt eos abſoluere ab omnibus, à quibus ipſi poſſunt alios abſoluere, Hæc concluſio patet ex Regula ſæpè ſæpius ſupra repetita, Eſt tamen verum, quòd *Vgol. de poteſt. Epiſcopi, c. 4. §. 7. num. 2. verſ. Poſtremò Sbrozius de Vicar. Epiſc. lib. 2 q. 19 nu. 2. & q 179. nu. 1. & q. 180. nu. 2. Rebuff. in praxi beneficiali, tit. de form Vicariat. nu. 179. & ſeq. Suar. in 3 par. tom. 5. diſp. 42. ſec. 2 nu 8. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 39. nu.* 10. & alij, cùm velint diſpenſandi, & abſoluendi poteſtatem Epiſcopis conceſſam quoad caſus reſeruatos occultos per *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 6.* Vicarium generalem ſine ſpeciali conceſſione exercere non poſſe, cùm id Concil. exigat in illis verbis, *Aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum, &c.* Indè ſequitur, Confeſſarium electum à Vicario Generali non habenti huiuſmodi ſpecialem conceſſionem, non poſſe ipſum Vicarium abſoluere à dictis caſibus reſeruatis, & occultis. Imò idem *Vgol. loco cit. c. 38. nu. 7. in fine, & Graff. in appendice ad ſuas deciſ. lib. 3. c. 8 nu. 22. & lib. 1 c. 7. nu 48* Docent Vicarium Epiſcopi, vel alterius Superioris Regularis, habentem facultatem abſoluendi, etiam cum poteſtate ſubdelegandi, circa dictos caſus, vel alios reſeruatos, non poſſe illa vti in fauorem propriæ perſonæ, niſi contrarium conſtet de expreſſa mente Prælati concedentis: ſiquidem verba generalia cenſentur arctata ad ſolita cōcedi, *l. finita, ff. de damn. infect.* At iſta facultas ſolet ſemper concedi reſpectu aliorum, non autem ipſius; ergò. Hanc quidem opinionem reſpectu Vicarij arbitror veram eſſe, quando Epiſcopus delegat Vicario Generali certum caſum occurrentem, & ſic nudum miniſterium: ſecus autem ſi Epiſcopus delegaret Vicario omnes prædictos caſus iuxta ea, quæ nos adnotauimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœna lib. 3. §. 2. q. 9. nu. 3. & 4.* Siquidem primo caſu non iuriſdictio, ſed certum miniſterium potius committitur Vicario: ſecundo vero caſu communicatur ei iuriſdictio ordinaria, vt ibi oſtendimus, & in ſpecie *Floren. de caſib. reſer. Fauentia p. 1. c. 3. §. 1. num. 1. & Alph. de Leone d. recoll. 9. ſub nu. 94.* Qui tamen

quoad

21 quoad Vicarium Superioris alicuius Religionis diſtinguit, quòd aut eſt præſens, aut abſens ſuperior primo caſu non poteſt Vicarius dicta facultate vti: ſecus autem ſecundo caſu. Idem dicendum eſt de Priore habente Abbatem, & de alijs ſimilibus, qui primum locum obtinent poſt Superiores locales. Etenim hi non dicuntur propriè Prælati, niſi abſente Superiore à remotis, quo caſu habent iuriſdictionem ordinariam in exercitio: præſente vero Superiore, licèt alijs præferantur, qua ratione poſſunt Prælati nuncupari: nihilominus non habent iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam in his, quæ ſibi à Superiore demandantur: nec ſunt exempti, ſed tenentur confiteri Confeſſarijs deputatis iuxta decretum Clem. VIII. Vndè tunc poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, quando Superior eſt abſens, quo caſu poſſunt ab eo diſpenſari, abſolui ab omnibus, à quibus poterant abſoluere, & diſpenſare eorum Superiorem, vt colligitur ex ijs, quæ cumulant *Sanch. lib. 4. ſuæ ſum. c. 36. n. 5. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 19. art. 2. Zecch. in ſua Repub. Eccleſiaſt. c. 22. num. 2. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 36. & 37.* Vbi tamen hæc limitat non
22 militare in Vicarijs, & Prioribus, qui non habent Præpoſitos, nec Abbates, qualis eſt Vicarius noſtræ Domus Sanctæ Mariæ de Toro Vici Aequenſis, quoniam iſte, ſecluſa conſtitutione aliqua, poteſt dici Prælatus, & iura habet Præpoſitiria, vt oſtendimus ſupra *ſec. 2. concl. 5. verſ. Cæterum*; ita vt poſſit fortè benedicere corporalia, & poſſet ei fieri delegatio à S. Pontifice: ſiquidem ceſſante Præpoſito, vel Abbate ipſi habent dignitatem, vt patet ex ijs, quæ adnotantur per *Rodriq. loco citato, circa medium, & q. 20. art. 2. & Zecch. d. c. 22.*

Hoc loco poteſt quæri de Vicario S. Pontificis, ſeù Vrbis, & eiuſdem Vicegerente, de Regẽtes Pœnitentiarij, de Vicario Capituli, Sede vacante, & de Vicelegatis, an poſſint ſibi eligere Confeſſarios, à quibus abſoluantur ab omnibus, à quibus poſſunt alios abſoluere, & diſpenſentur in omnibus, in quibus poſſunt ipſi cum alijs
23 diſpenſare. Et quidem quoad Vicarium Rom. Pontificis nulla eſt difficultas, cùm iuriſdictionem habeat ordinariam, & ſic Cardinalis, de cuius officio, & poteſtate habetur in *text.* & ibi *Gloſ. & Doctores, de offic. Vicar. Zecch. in Repub. Eccleſ. de Prælatis in ſpecie, c. 2.* & alij. Idem dicendum eſt de eiuſdem Vicegerente, cùm ſit Prælatus exemptus, & vt plurimum Epiſcopus. Quo vero ad Vicelegatos dicimus eos poſſe ſibi eligere Confeſſarium, à quo poſſint diſpenſare, & abſolui ab omnibus, à quibus ipſi poſſunt alios abſoluere, ac diſpenſare. Etenim quamuis non habeant dignitatem Epiſcopalem; habent tamen omnes Prælaturam aliquam, aliàs nequirent tali officio fungi: & habent quoque ordinariam iuriſdictionem, vt habetur ex *P. Naldo in ſuæ ſum. ver. Vicarius in fine*, ex Rota Romana, quem refert, & ſequitur *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 53.* Regens verò
24 S. Pœnitentiarij, vt plurimum eſt vnus ex Auditoribus Rotæ; non tamen habet iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam; atque adeò delegatus in foro pœnitentiali non Principis, ſed vel à ſimplici Ordinario, vel à Delegato Rom. Pontificis: quapropter non poteſt ſubdelegare vniuerſitatem cauſarum, niſi expreſſè hæc facultas ei concedatur, vt habetur per *Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 31.* Solet tamen, imò & poteſt de iure non ſolùm committere nudum miniſteriũ, ſed etiam vnam, vel alteram cauſam, cùm ſit Delegatus ad Vniuerſitatem, ſeù generalitatem cauſarum, vt notat *Alph. de Leone* ibi *recoll. 7. nu. 11. & 12.* vbi declarat, quid ſit committere nudum miniſterium. Vndè cùm Regens S. Pœnitentiarij ſit Prælatus exemptus, habeat iuriſdictionem in foro pœnitentiali, clarum eſt eum poſſe eligere Confeſſarium, qui eum abſoluat ab omnibus, à quibus ipſe poteſt alios abſoluere, ac diſpenſet in omnibus, in quibus poteſt cum alijs diſpenſare, committendo illi ſuam cauſam, & in illum transferendo omnem ſuam poteſtatem. Denique circa Vicarium, Sede vacante, idem eſt dicendum, quod de Vicario Epiſcopi, & multo magis id aſſerendum eſt Vicario Apoſtolico, cũ ſit Prælatus exemptus, & iuriſdictionem habeat ad vniuerſitatem cauſarum, vt per eundem *Alph. loco cit. recoll. 4. nu. 45.* vbi eandem rationem militare putat in dictis Vicarijs, quæ militat in Vicario Vrbis, ſeù Rom. Pontificis, & *recoll. 6. ſub nu. 26.* inter Vicarios enumerat etiam Vicarios Ordinum Militarium, in locis vbi habent iuriſdictionem ſpiritualem, aut ſint Præsbyteri, iuxta ea, quæ habentur ex *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 29. nu. 15.*

QVINTA CONCLVSIO.

25 PRælati non habentes iuriſdictionem in foro conſcientiæ poſſunt abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt à caſibus ordinarijs, à quibus alij poſſunt abſolui, à caſibus reſeruatis Ordinario, & à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ iuxta, & ſecundum priuilegium, quod habent. Quòd poſſint abſolui à caſibus ordinarijs, & à caſibus reſeruatis Ordinario, patet quoniam habentes facultatem eligendi Confeſſarium de iure, ſunt Prælati, qui ſunt exempti à iuriſdictione Ordinarij, & immediatè ſubiecti Rom. Pontifici, vt in *c. fin. eo. tit. noſtro*; ergò non ligantur caſibus reſeruatis Ordinario, atque ideò à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt poſſunt abſolui à caſibus reſeruatis Ordinario, & ab alijs caſibus ordinarijs. Quod autem abſolui poſſint à caſibus reſeruatis Rom. Pontifici, & in multis diſpenſari ex priuilegio patet ex Bulla Pauli III. 23. quæ incipit, *Debita conſideratione, §. Nec non*, de qua *Zecch. de Repub. Eccleſ. c. 10. n. 1. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 58.* Qui loquentes in ſpecie de Referendarijs, vi dictæ Bullæ aſſerunt, eos poſſe ſibi eligere Confeſſarios Regulares, vel ſæculares, qui eoſdem abſoluant à caſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, exceptis offenſa Eccleſiaſticæ libertatis, crimine hæreſis, rebellionis, conſpirationis in perſonam, vel ſtatum S. Pontificis, falſitatis litterarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, inuaſionis, ac deprædationis terrarum, & maris Rom. Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectarum, offenſæ erga perſonam Epiſcopi, vel alterius Prælati, prohibitionis appellationis cauſarum ad Romanam Curiam, delationis prohibitorum ad partes infidelium; ſemel in vita, & in alijs toties, quoties, iniuncta pœnitentia ſalutari: & poſſint commutare eorum vota in alia pietatis opera, exceptis Hieroſol. S. Iacobi in compoſtella,

liminum Diuorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, caſtitatis, & Religionis: & ijdem Confeſſarij ſemel in vita, vel etiam in morte plenam indulgentiam peccatorum ſuorum illis concedere poſſint; dummodò, vt vbi alicui facienda ſit ſatisfactio, fiat, vel iniungatur. Et quamuis *Ricc. in praxi var. reſol. c. 30.* loquatur de Referendarijs, qui ſunt de numero viginti duorum; nam hos tantùm ait eſſe exemptos, nihilominus *Alph. dè Leone d. recoll. 6. ſub nu. 59.* videtur valdè incertum, & meritò, quoniam hæc diſtinctio non habetur, nec iure, nec in conſtitutione aliqua, & propterea nec nos diſtinguere debemus, *arg. tex. in l. de pretio, de public. in rem act.* niſi velimus dicere quòd illi Referendarij 22. propinquius aſſiſtant Rom. Pontifici, ac ſint illi commenſales: nam de his propriè loquitur dicta Bulla. Auditores Rotæ ſunt quoque exempti ex Bulla 12. Pauli III. & 12. Clem. VII. Sic etiam Prothonotarij Apoſtolici, dummodò incedant in habitu, nempè cum Mantelletto, vt habetur ex *Zecch. de Repub. Eccleſ. c. 12. & Alph. de Leon. d. recoll. 6. nu. 61.* qui *nu. 62.* idem dicendum fore putat de Abbreuiatoribus: & de omnibus alijs arbitror, quos ſupra enumeraui, *ſec. 3. concl. 3. illat. 4.* illi omnes Prælati quamuis non habeant iuriſdictionem in foro pœnitentiali, cùm ſint exempti, & non ſubſint Ordinario poſſunt abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt à caſibus reſeruatis ipſi Ordinario, vt habetur ex *Zecch. loco citato, c. 10. & 11.* à caſibus verò reſeruatis Romano Pontifici regulariter non poſſunt, niſi ſpeciale priuilegium habeant, vt ſupra diximus de Referendarijs, vt habetur ex *Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 110.*

An proprius Sacerdos poſſit ſuam iuriſdictionem, quam habet in pœnitentiali foro in ſuos ſubditos, alteri delegare.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Proprius Sacerdos eſt Summus Pontifex, Summus eius Pœnitentiarius, Epiſcopus, ſub cuius nomine veniunt Archiepiſcopi, & Patriarchæ, eorumq; Vicarij, & Parochi.*

2 *Proprius Sacerdos vniuſcuiuſq; duplicem poteſtatem habet, Ordinis, & iuriſdictionis, & quænam ſint huiuſmodi poteſtates.*

3 *Poteſtas iuriſdictionis requiſita in foro ſacramentali diſtincta eſt à poteſtate Ordinis, tum in eſſentia, tum in modo, tum etiam in tempore quo confertur.*

4 *Poteſtas Iuriſdictionis diuiditur in ordinariam & delegatam, Et quæ ſit Ordinaria, quæuè delegata.*

5 *Iudex Delegatus is vere dicitur, cui ſine magiſtratu, ac officio vt non habita ratione ad illud, iuriſdictio demandata eſt.*

6 *Proprius Sacerdos iuriſdictionem, quam habet in ſuos ſubditos in foro pœnitentiali, regulariter poteſt alteri delegare.*

7 *Hoc ampliatur licet ſit Epiſcopus, electus tantum, & confirmatus, non dum conſecratus.*

8 *Proprius Sacerdos non ſolum poterit delegare ſuam iuriſdictionem ordinariam, ſed etiam quæ ei competunt ex priuilegio in caſu impedimenti, pro vt eſt abſoluere ſubditos impeditos à caſibus, & cenſuris, Apoſtolicæ Sedi reſeruatis.*

9 *Legati à latere facultatem abſoluendi, etiam alteri delegare poſſunt. Idem & de Cardinalibus in Eccleſia ſui tituli dicendum eſt.*

10 *Abbates exempti quoque hanc poteſtatem delegandi habent, & omnium Epiſcoporũ Vicarij.*

11 *Legati Apoſtolici iuriſdictionem habent ordinariam in eorum Prouincijs, omniaq; poſſunt, quæ poteſt Archiepiſcopus tẽpore viſitationis.*

12 *Regularium Superiores delegare poſſunt quoad ſuos ſubditos, tum actiuè, tum paſſiuè.*

13 *Regularium Superiores non modò iuriſdictionem delegare poſſunt, ſed etiam tenentur ex decreto Clem. 8.*

Quot Confeſſarij deputare debeant in ſingulis domibus, & quales debeant eſſe Confeſſarij prædicti.

14 *Vicarij ſupradictorum Superiorum in eorumdem abſentia iuriſdictionem habent Ordinariam, & poſſunt quoque delegare.*

15 *Parochus quamuis iuriſdictionem habeat ordinariam in omnes de ſua Parochia in foro pœnitentiali, nihilominus eam delegare non poteſt ſimpliciter, neque non approbatis, & ad breue tempus.*

An, & quando eam delegare poteſt Parocho conuicino.

16 *Parochi indirectè aliquando poſſunt non approbato ab ordinario licentiã dare audiendi ſubditorũ ſuorum, vtpotè Regularibus, & quando.*

17 *Parochus excommunicatus non toleratus, an poſſit in caſibus prædictis ſuam iuriſdictionem in foro pœnitentiali delegare non approbato ab Ordinario.*

18 *Pœnitentiarij Vrbis, ſiuè S. Mariæ Lauretanæ alijq; ſimiles delegare alteri non poſſunt ſuam iuriſdictionem.*

19 *An poſſint Pœnitentiarij prædicti delegare nudum miniſterium. Et à quo concedatur poteſtas diſpenſandi, & abſoluẽdi à certis caſibus.*

20 *Non prohibetur Epiſcopus pro Diœceſis amplitudine plures conſtituere Pœnitentiarios cum vnione præbendæ, & tam Sæculares, quam Regulares, & tàm in Cathedrali, quam in alijs Eccleſijs Ciuitatis.*

21 *Pœnitentiarij conſtituti ab Epiſcopo vigore Concil. Trid. differunt à conſtitutis ab eodem vigore Decreti Clem. 8. Et in multis.*

22 *Pœnitentiarij prædicti in hoc conueniunt inter ſe, quòd nullus poteſt alteri delegare facultatem abſoluendi à Delegatis, nec in totum, nec in parte.*

23 *Vicarius Generalis Epiſcopi non modò nudum miniſterium alteri delegare poteſt, ſed vnum quoque, vel plures caſus, non tamen omnes.*

24 *Delegatus ad vnam perſonam abſoluendam, & à certo caſu, neque nudum miniſterium alteri delegare poterit.*

25 *Pœnitentiarij, pro regularibus deputati vigore decreti Clem. 8. ſeù Confeſſarij deputati in ſingulis domibus, pro maiori, vel minori ſubditorum numero abſoluere non poſſunt à reſeruatis, niſi expreſſam abſoluendi habeant facultatem.*

26 *Omnes, qui delegatam habent poteſtatem audiendi confeſſiones, eam ſubdelegare non poſſunt, niſi in tribus caſibus.*

Ad

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd vt ſupra adnotauimus *ſec. 2.* proprius omnium fidelium Sacerdos eſt Rom Pontifex, eiuſdem Sum. Pœnitentiarius, Epiſcopus quoque eſt proprius Sacerdos eorum, qui ſunt de propria ipſius Diœceſi, ſub cuius nomine veniunt Archiepiſcopi, Patriarchę ac Primates, qui etiam tempore viſitationis ſuarum Prouinciarum, ſunt pariter proprij Sacerdotes eorum ſuffraganeorum ſubditorum. Item proprios Sacerdotes diximus eſſe præfatorum Antiſtitum Vicarios Parochos in eorum Parochijs, Legatos in illorum Prouincijs, Abbates exemptos tàm Sæculares, quàm Regulares, Superiores Religionum, & alij habentes iuriſdictionem ordinariam in pœnitentiali foro, vt colligitur ex noſtro canone, & ibi *Io. Andr. Panor.* & Canoniſtæ communiter. Vndè proprius Sacerdos is propriè dicitur, qui in prædicto foro iuriſdictionem ordinariam habet.

2 Secundò eſt adnot. quòd proprius Sacerdos vniuſcuiuſq; duplicem poteſtatem habet, Ordinis ſcilicet, ac iuriſdictionis. Ordinis tàm ſuper Corpus Chriſti vt verum, de quo modo nos non loquimur; quàm ſupra Corpus Chriſti myſticũ, quæ dicitur poteſtas clauium, & recipitur propriè in ordinatione, vt eſt *tex. in extrauag.* quia quorundam, *de verb. ſignif.* Vndè qui habet poteſtatem tantùm Ordinis habet poteſtatem clauium, nempè poteſtatem ligandi, & ſoluendi in actu primo tanquam in radice, ſeù habet poteſtatem clauium incompletè, non autem vſum clauium, atque adeò complete, vt rectè declarat *P. Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 14. nu. 5. &* *Alex. de Sancto Elpidio in tract. de poteſt. Eccl. c. 9. in prin.* Poteſtas verò iuriſdictionis eſt completa poteſtas clauium non ſolùm quoad actum primum, ſed etiam quoad vſum: quocirca qui habet poteſtatem clauium complete non ſolùm habet poteſtatem ordinis, ſed etiam habet vſum clauium, atque ideò ad implendam abſolutionem ſacramentalem, non eſt ſatis poteſtas ordinis, ſed omninò exigitur iuriſdictionis poteſtas, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 16. ſec. 3. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 169. Reginald. lib. 1. ſua prax. nu. 3. Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. pun. 1. nu. 5.* & ex alijs communiter. Non tamen ob id dicimus in ordinatione accipi iuriſdictionem aliquam habitualem, ſeù inchoatiuè prout *Palud. Maior, Nau.* & alij putant; quoniam etſi in iure detur aliqua iuriſdictio habitualis; tamen illa præſupponit in ſubiecto, quòd ſit Iudex, & ſic actualis, vt exemplificat *Rota Rom. Diuerſ. deciſ. 514. nu. 2.* In Iudice ad quem poteſt appellari, qui habet iuriſdictionem in habitu antequam appelletur: ſiquidem in dicta poteſtate ordinis nulla datur iuriſdictio; ſed illa confertur ordinato per extrinſecam Eccleſiæ conceſſionem, vt habetur per *D. Thom.* quem refert, & ſequitur *Suar. loco citato, nu. 26. Conynch. diſp. 8. nu. 20. Filliuc. d. tract. 7. nu. 138. P. Molf. d. c. 14. nu. 53.* qui teſtatur, hanc ſententiam eſſe magis communem, & conformem *Conc. Floren. & Trid.* pro qua ſententia *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 3. ſub nu. 42. in fine*, adducit etiam quæ tractat *Barb. in principio ſui tract. de offic. & poteſt. Epiſc. tit. 1. c. 1. nu. 23.* agens de Epiſcopis titularibus, qui cùm nullam habeant iuriſdictionem ſunt ſimplicibus Sacerdotibus valdè ſimiles.

3 Tertiò eſt adnot. quòd poteſtas iuriſdictionis requiſita in ſacramentali foro eſt diſtincta à poteſtate ordinis, tàm in eſſentia, quàm in modo, quàm etiam in tempore, quo confertur, vt poſt *D. Thom. D. Bonauen.* & alios probat *Suar. loco cit. n. 29. Filliuc. d. tract. 7. nu. 176. Conynch. diſp. 8. dub. 2. Molf. vbi ſupra nu. 49. Alph. de Leone d. recoll. 2. ſub nu. 25. & ſeq.* Etenim poteſtas Ordinis in Sacerdote eſt ſemper indelebilis, eo quòd inhæret characteri indelebili: poteſtas verò iuriſdictionis eſt delebilis, & amitti poteſt etiam à Rom. Pontifice, ſi renunciet Pontificatui, & ab eodem Rom. Pontifice reſpectu aliorum reſtringi, ac modificari poteſt, & ob culpam pœnitus auferri Epiſcopis, Parochis, & alijs, vt habetur ex *Henr. lib. 3. de pœnit. c. 1. n. 3.* Item poteſtas Ordinis in omnibus Sacerdotibus eſt æqualis, at poteſtas iuriſdictionis inter Sacerdotes non eſt æqualis: ſiquidem minor eſt in Parocho, quàm in Epiſcopo: minor in Epiſcopo, quàm in Archiepiſcopo, &c. Præterea poteſtas Ordinis confertur in ordinatione; poteſtas verò iuriſdictionis datur ex poſt facto, & ſic poſt ordinationem ab Epiſcopo, vel ab alio Epiſcopalem facultatem habente: Denique poteſtas Ordinis ſemper eſt ordinaria; poteſtas autem iuriſdictionis de iure Diuino eſt ordinaria in Romano Pontifice; at de iure Eccleſiaſtico in alijs poteſt eſſe ordinaria, ac etiam Delegata.

4 Quartò eſt adnot. quòd poteſtas iuriſdictionis diuiditur in ordinariam, ac delegatam. Prior eſt facultas, quæ alicui competit ex vi muneris, ſeu ex officio, quod quis habere nequit niſi à iure, vel à Summo Principe, aut à conſuetudine, vel cõſenſu vniuerſitatis, *Gloſa in l. & quia, ver. nec ipſa lex, ff. de iuriſd. omn. iudic.* Delegata verò eſt facultas tradita ab ijs, qui ordinariam habent iuriſdictionem, vel à legato Summi Principis, vt colligitur ex *Gloſa loco citato*, & patet ex *toto tit. C. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Hæc autem diuiditur in foro pœnitentiali, in eam quæ datur pœnitentibus, vt eorum arbitrio eligant ſibi Confeſſarium, & hæc vel datur à iure, vt in *c. fin. eo. tit. noſtro*, vel à conſuetudine iuxta tamen ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 4.* vel datur à Principe ex gratia, & ex priuilegio, vt facultas, quæ ex priuilegio concedi ſolet à Rom. Pontifice magnis Principibus, Regi, ac Imperatori, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium: aut datur in Iubilæo cunctis fidelibus, vel etiam alijs Congregationibus, & perſonis particularibus, tàm à Rom. Pontifice, quàm ab alijs Prælatis inferioribus, & diuiditur in eam, quæ delegatur Confeſſarijs directè vt valeant confeſſiones audire certarum perſonarum, omnium perſonarum alicuius Diœceſis, vel Prouinciæ, vel etiam omniũ fidelium, vtraque denique delegatio fieri contingit à Rom. Pontifice, vel ab alijs inferioribus.

† Ex dictis igitur patet, quòd ille verè eſt, Iudex
5 Delegatus, cui ſine Magiſtratu, officiouè, aut non habita ratione ad illud iuriſdictio mandata eſt, vt rectè docet *Molina de Iuſtit. & iure tom. 6. diſp. 14. nu. 1.* & alij, quos refert, & ſequitur, *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 92. nu. 6. & in l. eum Prætor, §. 1. nu. 21. & 22. & à nu. 24. cum ſeq. ff. de Iudic.* vbi inquit, idcircò ibi dici, *Iuriſ-*

dictio

rius tenentur ſibi eligere prouidum, & diſcretum Confeſſarium, qui ſciat ſoluere, & ligare, & diligenter inueſtiget qualitatem criminis, vt patet ex noſtro *Can. §. Sacerdos*, & habetur ex *Gloſ. in d. c. fin. eo. tit. noſtro*; Nam electio talis Confeſſarij licèt non præcipiatur iure Diuino ad validè confitendum; nihilominus exigitur ad Sacramentum pœnitentiæ dignè ſuſcipiendum, ne ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadāt, iuxta *tex. in c. conſideret, de pœnit. d. 6.* Huiuſmodi autem Confeſſarij, quos ſibi eligunt Rom. Pontifex, & Sum. Pœnitentiarius, eo ipſo, quòd eliguntur, cenſentur approbati, nec alia indigent approbatione.

10 Secundò infertur, certum quoque eſſe Eminētiſſimos S.R.E. Cardinales habere hanc eandem facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, licèt non approbatum, cui confiteantur etiam pro ſatisfaciendo præcepto noſtri Canonis; & id non tantùm de conſuetudine, vt aliqui arbitrantur; ſed etiam de iure, & ex vi priuilegij contenti in *d. c. fin. eo. tit. noſtro, de pœnit. & remiſ.* il illis verbis, *Permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, &c.* Siquidem Cardinales ſunt Prælati, Officio Epiſcopos excedunt, cùm ad eos ſpectet Roman. Pontificis electio, & ex eis eligatur; & ſaltem parem habent cum Epiſcopis dignitatem, vt per *Bart. in l. 1. §. ſi quis, ff. de appell.* Et re vera nemo eſt, qui negare audeat, quòd Cardinales hodiè ſint in maiori dignitate poſt Papā omnibus alijs, & ita de facto ab omnibus exiſtimantur; quamuis de iure antiquo aliter ſit dicendum, vt adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cænæ, lib. 1. c. 5. q. 2. & lib. 2. can. 11. q. 6. ſub nu. 6.* Sed quicquid ſit de hac re certum eſt apud omnes, nō ſolùm de conſuetudine, ſed etiam de iure Cardinales legatos, & Cardinales in Eccleſia proprij tituli poſſe ſibi eligere Confeſſarium, cum ſint ordinarij, & in Eccleſia proprij tituli poſſint vti inſignibus Pōtificalibus, vt habetur per *Hoſtienſ. in c. 1.* & ibi *Io: Andr. de ſupplen. negligen. Prælat.* latè *Zecch. in ſua Rep. Eccl. in tit. de ſtatu Illuſtriſſimorum Cardin.* Imò hodie Cardinales ſunt in poſſeſſione eligendi ſibi Confeſſarium, etiam extra legationem, & extra Eccleſiam proprij tituli commorātes; neque ſubſunt Parocho quoad Sacramenta: & ita ſeruari teſtatur *P. Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 4. num. 91. & recoll. 6. nu. 154. 155. & 156. P. Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 4. c. 15. n. 34. Bonac.* poſt alios *diſp. 5. de Sacram. q. 7. pun. 3. Filline. tom. 1. qq. Moral. tract. 7. nu. 131.* & alijs. His adde, quæ dicemus *ſec. ſeq. verſ. ex hoc infertur.*

† Hanc eandem facultatem eligendi Confeſſariū
11 habent Cardinales pro ſuis familiaribus, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. c. 13. nu. 3. lit. S. & lit. Z. Reginald. in ſua praxi lib. 1. c. 5. ſec. 1. nu. 32. Molfeſ. in ſumma Theol. tract. 1. c. 15. nu. 25. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 141. & 144.* vbi etiam *num. 142. tract. de vicelegat. & num. 145. de Nuncijs.*

12 Tertiò infertur certum eſſe Patriarchas, ſeù Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, & cæteros habentes iuriſdictionem Epiſcopalem, & iuriſdictionem ordinariam in foro pœnitentiali poſſe ſibi eligere Confeſſarium, cui confiteātur. Vt eſt *tex. in d. c. fin.* & ibi Doctores communiter, *eo. tit. noſtro.* Quod quidem verum eſſe dicimus, etiam ſi Epiſcopi, & alij eiuſmodi ſupra relati confirmati tantùm ſint, ſed non dum conſecrati, nec poſſeſſionem adepti fuerint Epiſcopatus. Etenim Epiſcopus electus, & confirmatus quoad poteſtatem iuriſdictionis, eſt verè Epiſcopus, & non habet proprium Sacerdotem, niſi Rom. Pontificem, quem cùm non poſſit ſemper habere paratum, ne pro dilatione pœnitētiæ immineat periculum animarum, permittitur Epiſcopis, & alijs Prælatis exemptis Confeſſarij electio, vt in *d. c. fin. Molfeſ. in ſua Sum. Theol. tract. 7. c. 15. num. 49. P. Alph. de Leone, recoll. 6. nu. 13. p. 2. caſ. conſc.* Ratio autem cur Epiſcopus ſi electus tantùm ſit, & non confirmatus, non poſſit eligere ſibi Confeſſarium, hæc eſt, quia Epiſcopi, Abbates, & alij ſimiles, quamuis eligātur; non tamen poſſunt vti iuriſdictione ſtatim facta electione, niſi confirmentur, vt in *extrau. iniuncta, de elect. in extrau. commun. Panor. in c. transmiſſam, nu. 3. eo. tit.* & nos latè declarauimus in noſtris *Comment. ad Bull. cænæ lib. 1. c. 1. q. 2. nu. 28.* vbi *nu. 29.* Etiam oſtendimus Roman. Pontificem non indigere confirmatione ad exercendam iuriſdictionem: ſiquidem ſola electione à duabus partibus Cardinalium, ſuffragium habētium de eo facta, plenam à Deo iuriſdictionem accipit, & confirmatur, vt in *c. in nomine Domini 23. d.* atque ideò Rom. Pontifex ſtatim poſt eius electionem legitimè factam poſſet ſibi eligere Confeſſarium, imò, & aliquando compelleretur, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *illat. 1.*

† Adde, quod Epiſcopus non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro ſua familia poteſt eligere Confeſſariū;
14 ſed donec eligatur, familia ipſa ſubeſt Parocho: & extra Diœceſim debet confiteri approbatis ab Ordinario loci: quod quomodo procedat rectè declarat *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 136. cum pluribus ſeqq.* vbi etiam explicat, qui veniant appellatione familiæ.

15 Hanc facultatem eligendi Cōfeſſarium habet Epiſcopus, etiam ſi Epiſcopatui renunciauerit, vt habetur ex *Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 13. nu. 3. in Gloſa, lit. R. Eman. Sà in ſuis Aphoriſmis, nu. 31. ver. Epiſcopus Molfeſ. loco citato, nu. 4. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 10.* qui tamen *num. 16.* id limitat, in Epiſcopo, qui etiam renunciauit dignitati Epiſcopali; quoniā tunc non eſt amplius Prælatus, nec habet iuriſdictionem habitualem, quæ ſatis eſſet ad habendam præfatam facultatē, vt mox dicemus. Vndè Epiſcopus, qui renunciauit Epiſcopatui, & dignitati Epiſcopali æquiparatur Epiſcopo degradato, qui priuatur non ſolū iuriſdictione; ſed etiam dignitate, ac Prælatura, vt habetur ex *Filline.* poſt *Soar.* & alios *tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 231.* Idem dicendum eſt de Epiſcopo, qui renunciauit Epiſcopatui, & Religionem fuit ingreſſus, & profeſſionem emiſerit, quia tunc habet proprium Sacerdotem, nempe Superiorem Regularem, vt per *Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 16. & 17.* poſt *Syluſ. in ſum. ver. Cōfeſſor, 1. q. 8. in princ. ver. hoc autem priuilegium.*

16 Imò hanc eandem facultatem, quam habet Epiſcopus eligendi ſibi Confeſſarium eam retinet, etiam ſi fuerit verbaliter depoſitus, vel ſuſpēſus, aut Epiſcopatu ob crimen priuatus: ſiquidem talis Epiſcopus retinet dignitatem Epiſcopalem, & priuatur vſu tantùm iuriſdictionis, non autem pri-

Digitized by Google

priuilegio, cùm non habeat proprium Sacerdotem, niſi Rom. Pontificem, & Sum. eius Pœnitẽtiarium, atque ideò militat ratio *d. c. fin. eod. tit. noſtro*, vt habetur ex *Filliuc. loco citato, Soar. in 3. p. tom. 4. diſp. 27. ſec. 2. nu. 5. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 11. & 15.* vbi *nu. 14.* idem dicendũ putat de Epiſcopo titulari; atque ideò Epiſcopus titularis poteſt ſibi eligere Confeſſarium, cui cõfiteatur: etenim huiuſmodi Epiſcopus eſt verè Prælatus, in eo militat ratio allata in *prin. tex. in d. c. fin.* & ſatis eſt ſi iuriſdictionem habeat habitualem, ita contra *Palud. Molfeſ. d. tract. 7. c. 15. nu. 33. Reginal. lib. 1. ſua prax. nu. 33. & Filliuc. d. nu. 231.* Quæ diximus de Epiſcopis extendimus ad Archiepiſcopos, & Patriarchas: Siquidẽ hi omnes ſunt Epiſcopi, vt nos adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. cane, lib. 1. c. 5. q. 2. nu. 4.* & ſupra diximus, *ſec. 2. concl. 3.* Idem dicẽdum eſt de Abbatibus exemptis, & de alijs, qui iura Epiſcopalia, & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habent, de quibus latius infra, Deo duce, dicemus. Et quamuis controuerſia ſit inter Doctores, quoad Vicarios generales Epiſcoporum: Nam *Soar. d. diſp. 27. ſec. 2. nu. 8. Molf. d. c. 15. nu. 37. Reginald. loco citato, nu. 38. in fine, & Filliuc. vbi ſupra*, licèt velint, præfatos Vicarios non habere priuilegium eligendi Confeſſarium, dicentes, eos non eſſe Prælatos, cùm iuriſdictionem habeant non propriam, ſed ex commiſſione, & hãc ſententiam cõmunem eſſe teſtatur *Molf. ibidem*; nihilominus contraria ſententia nobis videtur probabilis, quam tenet *Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 13. nu. 3. in addit. litt. M. Eman. Sà in Aphoriſ. verſ. Confeſſarius, nu. 1. Vgol. de poteſt. Epiſc. c. 1. §. 7. verſ. Vndecimò, Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 21.* Siquidem Vicarius generalis eſt
17 propriè Prælatus, & Ordinarius in tota Diœceſi, cùm ſit in dignitate conſtitutus, & iuriſdictionẽ habeat Eccleſiaſticam cum adminiſtratione, vt habetur per *Fuſc. de viſit. lib. 1. c. 15. num. 23.* & alios, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 54. num. 135.* & ex officio poteſt exponere, & approbare Confeſſarios pro alijs: ergo & eligere ſibi poteſt Confeſſarium, & approbare pro ſe ipſo; aliàs eſſet minoris conditionis: & hanc opinionem in vſu eſſe teſtatur idem *Alph. de Leone d. recoll. 6. num. 23. & 24.* vbi *nu. 25. & 26.* id ampliat in Vicario Capituli, Sede vacante, & in Vicarijs aliorum Prælatorum habẽtium iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quales ſunt Abbates Sæculares exempti: ac in Vicarijs Ordinum militarium, dũmodò ſint Preſbyteri, vel ſint in locis, vbi habent iuriſdictionem Spiritualem. Sed quicquid ſit de vſu huius ſentẽtiæ; non tamen videtur de vigore iuris recedendum à priori opinione, cùm ſit communis: & Vicarius generalis licèt ſit Prælatus ordinarius, nihilominus non eſt Prælatus exemptus, & Epiſcopo eſt inferior, & propterea non includitur ſub diſpoſitione *d. c. fin. eo. tit. noſtro*; Niſi velimus dicere, quòd Vicarius Generalis induitur perſonam Epiſcopi, cùm idem ſit auditorium Vicarij, & Epiſcopi, & Vicarius cum Epiſcopo vnum corpus faciant, vt poſt alios oſtendimus in noſtris *Commentar. ad Bull. cana, lib. 1. c. 4. q. 2. num. 5. & 6.* quibus adde, quæ habentur ex *Barb. d. alleg. 54. num. 143.* qui cum *Menoch. conſ. 51. num. 16.* & alijs probat, quòd cum generalis Epiſcopi Vicarius, ipſius Epiſcopi repræſentet perſonam, & auctoritatem, eiuſq; locum teneat, debetur ei eadem prærogatiua, & honor, qui Epiſcopo debetur. Sed hæc ratio non conuincit, quoniam non ex hoc ſequitur, Vicarium potiri omnibus priuilegijs, quibus de iure gaudet Epiſcopus, vt patet ex ijs, quæ colligit *Barb. d. alleg. 54. per totam*; eò magis, quia in eo ceſſat ratio periculi animarum, de qua habetur in *d. c. fin.*

18 Sed ſuppoſito de conſuetudine ſeruari poſteriorem ſentẽtiam, eſt adnot. quòd ſicut Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, & reliqui habentes iuriſdictionem Epiſcopalem, atque ideò Abbates ſæculares exempti, dum manent intra fines ſuarum Diœceſum, & Propriarum Prouinciarum, ſaltem dum Archiepiſcopi, & Patriarchæ viſitant poſſunt eligere quemlibet Sacerdotem, etiam non eorum ſubditum ratione originis, vel domicilij; dummodo eo tempore, quo eligitur maneat in propria Diœceſi: ſiquidem eo ipſo quòd quis manet in Diœceſi etiam per horam, illa hora efficitur Epiſcopo ſubditus, ita vt poſſit ab eo approbari pro audienda confeſſione alicuius particularis, vel omnium, & ſic etiam pro audienda confeſſione ipſius Epiſcopi, vt habetur ex *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. de pœnit. cap. 15. nu. 33. Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 7. pun. 4. §. 1. nu. 16.* & alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de praecep. Eccl. pracep. 2. lib. 7. cap. 2. nu. 8.* & in ſpecie loquens de Archiepiſcopo exiſtente in locis ſuffraganeorum tempore viſitationis *Graff. in addit. deciſ. lib. 1. cap. 11. nu. 19.* quem citat *Alph. de Leone d. recoll. 6. num. 84. 85. & 86.* Et ampliat hoc idem dicendum eſſe de legato à
19 latere in ſua Prouincia, & de Nuncijs Apoſtolicis; ita etiam, ac idem iudicium videtur ferri poſſe de Epiſcopi, & aliorum ſupra relatorum Antiſtitum Vicarijs, vt exiſtentes in proprijs Diœceſibus, vel Prouincijs vt ſupra, poſſint ſibi eligere Confeſſarium, etiam non approbatum, & non ſubditum, cui peccata confiteantur, dummodò talis Sacerdos in Confeſſarium aſſumptus maneat in locis, in quibus ſunt Vicarij; ſiquidem militat eadem ratio, *arg. text. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Nec hæc quæ diximus aduerſantur determinationi Sacræ Congregationis relatæ à *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4. nu. 8. & Fagund. d. cap. 2. nu. 79. in fine*, quæ declarauit, non poſſe Epiſcopum eligere ſibi nõ ſubditum abſq; approbatione; nam qui eligit non ſubditum, dum manet in propria Diœceſi, etiam per modicum tempus, dicitur eligere ſubditum, vt rectè inquit *Alph. de Leone loco cit. nu. 73.* qui *nu. 74. cum pluribus ſeq.* Quoniam probat quoque Epi-
20 ſcopos, extra Diœceſim degentes poſſe eligere eorum ſubditos ratione veri, & proprij domicilij in Confeſſarios, licèt approbati non ſint ab Epiſcopo Diœceſis, in qua ipſi Epiſcopi reperiuntur; non tamen poſſe eligere non ſubditos citra approbatione illius Epiſcopi, intra cuius Diœceſim morantur; idem videtur dicendum de illorum Vicarijs extra Diœceſim exiſtentibus, cùm militet eadem ratio. Et quemadmodum Epiſcopus, qui actu retinet Epiſcopatũ, & manet intra fines ſuæ Diœceſis, poteſt eligere regularem Sacerdotẽ ex Religionibus exemptis abſq; approbatione Superioris Regularis, vt poſt alios idem *Alph. de Leone ibidem, nu. 81.* non video

quomodo id ſit denegandum eius Vicario, ſup-
poſito, quod Vicarij generales priuilegium ha-
beant eligendi ſibi Confeſſarium, vt in ſpecie
habetur ex eodem *Alph. de Leone loco cit. nu. 90.*
Dixi, *Epiſcopus qui actu retinet Epiſcopatũ*; Nam
Epiſcopus, qui renunciauit Epiſcopatui, aut ſit
titularis non poteſt eligere ſibi Confeſſarium
non approbatum, cùm huiuſmodi Epiſcopi non
habeant, nec ſubditos, nec iuriſdictionem, vt ha-
betur ex ipſo *Alph. de Leone, par. 2. caſ. conſc.
recoll. 6. nu.* 87. qui alios allegat, *& recoll. 89.
vbi nu. 91.* ex his, quæ docet *Sanch. lib. 6. ſua
ſum. cap. 6. nu. 26. & ſeq.* Id limitat in Epiſcopis
titularibus in partibus Infidelium; ſiquidem hi
habent Diœceſim, & ſubditos, quamuis eò ire
nequeant. Vndè ſi Sacerdotẽ ſubditum habeant
extra Diœceſim, vel intra propriam Diœceſim
occultè manentes non ſubditum, poſſunt illum
ſibi eligere in Confeſſarium, etiam ſi non ſit ap-
probatus, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus de
Epiſcopis, qui actu retinent Epiſcopatum.
21 Quartò infertur, quòd Prælati omnes exempti
etiam Epiſcopis inferiores poſſint ſibi eligere
Confeſſarium, vt in *d. cap. fin. eo. tit. noſtro.* Per
Prælatos autem exemptos intelligimus non ſo-
lùm Prælatos, qui iuriſdictionem habent in foro
interno, & externo ſimul, verùm etiam iuriſdi-
ctionem habentes in foro externo tantùm: ſiqui-
dem *text.* ille generaliter loquitur de Prælatis
exemptis, nec diſtinguit; ergò generaliter eſt
intelligendus de Prælatis exemptis, ſiuè iuriſdi-
ctionem habeant in foro pœnitentiali, & inter-
no, ſiuè in foro externo duntaxat, & tàm de
Prælatis ſæcularibus, quàm Regularibus, vt ſu-
pra exemptis, quoniam lex generaliter loquens,
generaliter debet intelligi, & quando nõ diſtin-
guit, nec nos diſtinguere debemus, vt in *l. de
pretio, ff. de publ. in rem act.* Vndè Referendarij
22 cùm ſint verè Prælati ab Epiſcopis exempti, &
Romano Pontifici immediatè ſubiecti, & eiuſ-
dem commenſales, vt notat *Ricch. in praxi var.
reſol.* 30. procul dubio poſſunt ſibi eligere Con-
feſſarium, vt habetur ex *Zecch. in Rep. Eccl.
cap. 10. nu.* vbi *cap. 11. nu. 2. & cap. 12.* Idem di-
cendum eſſe probat de Auditoribus Rotæ, & de
Prothonotarijs Apoſtolicis, modò incedant cum
habitu nempe cum mantelletto. Sunt etiam Præ-
lati exempti Gubernator Vrbis, Auditor Came-
ræ, Clerici Cameræ, & alij ſimiles, qui vtuntur
mantelletto, & Rocchetto, vt habetur ex *Suar. in
3. par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 2. Filliuc. tom. 1. qq.
moral. tract. 7. n. 231. & Alph. de Leone d. recol.
6. nu. 56. cum plur. ſeq.* qui *nu.* 62. inter Prælatos
exemptos connumerat etiam Abbreuiatores,
atque adeò huiuſmodi Prælatos, inquit, poſſe
abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omni-
bus peccatis, & cenſuris, etiam Rom. Pontifici
reſeruatis, exceptis illis, ab eodem recenſitis ibi-
dem, *num.* 58. In praxi tamen ſeruatur, vt tales
Prælati non poſſint ſibi eligere, niſi Confeſſarios
ab Ordinario approbatos, vt teſtatur ipſe *Alph.
de Leone d. recoll. 6. nu. 103.* pro qua re citat etiã
Suar. & Filliuc. locis citandis. Idem dicendum
eſt de omnibus alijs non habentibus iuriſdictio-
nem Epiſcopalem ratione ſuæ Prælaturæ, vt idẽ
*Alph. ibi nu. 102. ex Suar. in 3. par. tom. 4. diſp.
28. ſec. 4. & Filliuc. tract. 7. ſub nu. 56.* Parochus
autem cùm non ſit Prælatus, nec exemptus licèt
non poſſit ſibi eligere Confeſſarium, vt latè ha-
betur ex *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 15.
nu.* 38. & ex alijs contra *Panor. d. cap. fin.* Poſ-
23 ſunt tamen confiteri alterutrum, etſi quilibet pro
ſua Parochia ſit approbatus; etiam ſi Parochi
ſint diuerſorum Epiſcoporum, & id vigore con-
ſuetudinis ſcitæ, & toleratæ ab Epiſcopis, vt ha-
betur ex *Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 5. cap. 19.
verſ. Nulla conſuetudo.* Sic etiam conuicini Pa-
rochi poſſunt alterius Parochianos in confeſſio-
ne audire, dummodò Parochi non contradi-
cant, vel quòd Epiſcopalis rathibitio præſuma-
tur, & Pœnitentes id non agant, vt euadant iudi-
cium proprij Parochi, vt habetur ex *Vgol.* qui
teſtatur de communi, poſt *Paleſtrel. de offic. &
poteſt. Epiſc. cap. 7. nu. 7. Poſſenin. de offic. curati,
cap. 7. nu. 7. in fine*, & ita de conſuetudine ſer-
uari in *Hyſpan.* teſtatur *Fagund. de præcep. Eccl.
præcep. 2. lib. 7. cap. 2. nu. 37. in fine, & Alph. de
Leone de caſ. conſc. par. 2. recoll. 4. nu. 81. & 82.
& recoll. 6. nu.* 101. vbi ait, quòd Parochi hodie
non poſſunt confiteri, niſi Confeſſario appro-
bato ab Epiſcopo.
24 Regularium denique Præpoſiti Generales
cùm ſint citra omnem controuerſiam Prælati
exempti, poſſunt ſibi Confeſſarium eligere, vt
colligitur ex *tex. in d. cap. fin. eo. tit. noſtro*: Sic
etiam Prouinciales, Guardiani, Præpoſiti, & ſi-
miles, cùm ſint verè Prælati exempti, & iuriſdi-
ctionem habeant quaſi Epiſcopalem, ita vt Epi-
ſcopo non ſint ſubiecti, poſſunt ſibi eligere Con-
feſſarium cui confiteantur: ſiquidem compre-
henduntur ſub diſpoſitione, & priuilegio *d. cap.
fin.* eodem modo, quo ſub eo comprehenduntur
præfati Regularium Generales. Vndè huiuſ-
modi Superiores Regulares poſſunt ſibi eligere
in Confeſſarium ex ſuis ſubditis, etiam non ap-
probatum: etenim cùm habeant iuriſdictionem
quaſi Epiſcopalem, ſicut Epiſcopus poteſt eligere
ſibi ſubditum, etiam non approbatum; ita quoq;
dicendum eſt de Superioribus, & Prçlatis Regu-
laribus; quoniam eo ipſo, quòd ſibi eligunt Sa-
cerdotem nõ approbatum in Confeſſarium cen-
ſentur illum apporbare, vt patet ex ijs, quæ ha-
bentur ex *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap.
15. nu. 42. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 91.*
25 Imò Superiores Regulares poſſunt ſibi eligere
in Confeſſarium non ſolùm ſibi ſubditum; ſed
etiam Saeerdotem ſæcularem, etiam ſi non ſit
approbatus ab Epiſcopo, vt habetur ex *Rodoriq.
tom. 1. qq. Regul. q. 62. art. 4. & 5. Zanard. 1. par.
Director. Confeſſar. de ſacram. pœnit. cap. 26.
verſ. Tertio deduco, Fagund. d. cap. 2. n. 12. Suar.
in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſec. 6. nu. 4. Mirand. tom.
1. q. 45. art. 11. concl. 2. Barb. de offic. & poteſt.
Epiſ. alleg. 25. n. 45. & Bonac. diſp. 5. de ſacr. q. 7.
§. 2. nu.* 25. Item Superiores Regulares habent
facultatem quoque eligendi ſibi in Confeſſarios
Sacerdotes regulares etiam alterius Religionis,
vt per *Rodoriq.* & nonnullos alios Doctores ſu-
pra relatos. Eſt tamen verum, quod quotieſcunq;
eliguntur Confeſſores Regulares alterius Ordi-
nis ab ipſis Superioribus Regularibus, præfati
Confeſſores debent eſſe approbati ab eorum
Ordinarijs, vt habetur ex *Rodriquez*, & ex non-
nullis alijs ſupra citatis, ac ex *Alph. de Leone
par. 2. caſ. conſc. recoll. 11. nu. 35. & 36.* qui ra-
tionem diuerſitatis aſſignans hãc eſſe ait, quòd à
Conc.

Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 15. relinquitur tantùm facultas Regularibus eligendi Confeſſarium non approbatum ab Epiſcopo, non autem eligendi Confeſſarium non approbatum ſimpliciter, & ita putat intelligendum eſſe *Suar. d. diſp. 28. ſec. 6. Graff. par. 1. ſuar. decis. lib. 8. cap. 13. nu. 55. & lib. 3. cap. 5. nu. 107. Molf. d. cap. 15. n. 45.* & alios docentes, Regulares poſſe eligere non approbatum ſimpliciter: ſiquidem Religioſi, ſi ante Conc. Trid. non poterant confiteri Religioſo approbato; ita nec poſt Concil. cùm Concilium non tribuat illis facultatem, quam prius non habebant, vt habetur ex *Rodoriq. tom. 1. qq. Regul. q. 62. art. 4. Tambur. de iure Abbat. diſp. 6. q. 6. nu. 4. & 9.* cum alijs, quos allegat.

26 Quæ diximus de Superioribus Regularibus, qui facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium, cui confiteantur, extendimus ad eoſdem Superiores, vt valeant concedere de iure licentiam eorum ſubditis eligendi ſibi Confeſſarium; quoniam tunc poſſunt ſibi eligere in Confeſſarium non ſolùm Sacerdotem ſæcularem non approbatum ab Epiſcopo; ſed etiam Sacerdotem Regularem alterius Ordinis, approbatum tamen à ſuo Superiore modo ſupra explicato: etenim de iure quilibet habẽs ordinariam iuriſdictionem facultatem tribuere poteſt ſuis ſubditis eligendi ſibi Confeſſarium, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 1. Alph. de Leone d. recoll. 6. ſub nu. 5. & recoll. 11. ſub nu. 17.* Hæc autem facultas eligendi in Confeſſariũ Sacerdotem ſæcularem etiam non approbatum ab Epiſcopo, aut Sacerdotem Regularem alterius Ordinis poteſt concedi dupliciter à Superioribus Regularibus ſuis ſubditis: expreſſe ſcilicèt modo ſupradicto, & tacitè, nempe quando Religioſus, præuia licentia Superioris iter agit, aut peregrinatur, vel manet in loco diſtanti à Monaſterio abſque ſocio eiuſdem Religionis, cui poſſit confiteri, vt habetur ex *Roderiq. tom. 1. qq. Regular. q. 62. art. 5. Peregr. in compend. priuileg. noſtra Congr. ver. Abſolutio quoad fratres §. 2. in ſcholio, & Graff. par. 1. deciſ. lib. 3. cap. 5. ſub nu. 108.* Aut denique vbi Superior Regularis concedit ſubdito ſimpliciter facultatem eligendi Confeſſarium, vt per *Coriolan. de caſib. reſeruat. par. 1. ſec. 3. art. 13. Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. pun. 2. ſub nu. 25. & Alph. de Leone d. recoll. 11. nu. 22.* qui etiam *nu. 23.* ex communi Doctor. ſententia id limitat, vbi talis Religioſus haberet ſocium eiuſdem Ordinis, qui Sacerdos ſit, quoniam tunc non cenſeretur Superior conceſſiſſe licentiam tali Religioſo confitendi Sacerdoti ſæculari, aut Regulari alterius Ordinis, ſed omninò tenꝫretur confiteri ſocio eiuſdem Ordinis.

27 Imò, & ipſe Superior quamuis de rigore iuris poſſit ſibi eligere in Confeſſarium Sacerdotem ſæcularem, vel Religioſum alterius Ordinis ad ſui libitum, licet habeat copiam Sacerdotum ſui Ordinis, cum Superior Regularis poſſit ſe ipſum & ſubditum ſubijcere Epiſcopis, & alijs pro abſolutione, etiam in ijs, à quibus intra Ordinem poſſunt abſolui, ac diſpenſari, vt habetur ex *Henriq. de pænit. lib. 6. cap. 13. n. 3. in Addit. litt. P. in fine, & Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. pun. 1. nu. 37.* Nihilominus eſt valdè conueniens, vt ſi habeat copiam Sacerdotum ſui Ordinis, eligat ſibi in Confeſſarium vnum ex illis, vt per *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 15. nu. 44. & ſeq.* quem refert *Alph. de Leone d. recoll. 11. nu. 24.* eo magis quòd ſecundum ſententiam aliquorum Sacerdotes, qui eliguntur à Regularibus extra Ordinem non poſſunt abſoluere illos à caſibus reſeruatis in Religione, nec à reſeruatis Summo Pontifici, vt tenet *Rodriq. d. q. 62. art. 5.* & alij, quos refert idem *Alph. de Leone d. recol. 6. nu. 133. & 134. & recoll. 11. num. 31. & 34.* Quamuis ipſe oppoſitam ſententiam tueatur. Eſt tamen verum, quòd hæc, quę diximus de Regularibus, quibus facultas cõceditur eligendi Confeſſarium, ſunt modificanda ſecundum conſtitutiones Religionum, & priuilegia, quæ Religionibus cõceduntur: nam ſi aliqua Religionis conſtitutione Apoſtolica auctoritate confirmata ea prohibeantur, ſtandum eſt conſtitutioni, quæ cùm ſupponatur confirmata per Sedem Apoſtolicam præualet, ac derogat iuri communi, vt per *Molf. loco citato, & Coriolan. d. art. 13. in prin.*

28 Vndè in Decretis Capitulorum Generalium noſtræ Congregationis extant Decreta duo, *par. 1. cap. 6. nu. 1. & 2.* tenoris ſequentis, *Nemo noſtrũ ſua peccata extero Sacerdoti confiteri queat, ſed ijs, tantùm modo noſtratibus Confeſſarijs, qui à Præpoſito domus fuerint deſignati, non obſtante quocumque priuilegio, cui ex nunc totius Religionis nomine renunciamus, ac cedimus. Imò neque alicui vnius domus Confeſſario alterius domus confiteri liceat.* Quod primum decretum inquit *Peregr. in Commentar. ad noſtras conſtit. par. 1. cap. 9. §. 1.* probabiliorem ſibi videri ſententiam, quæ ſe habet præfatum decretum comprehendere noſtros Prælatos, ita vt prohibitum ſit P. Generali, & Præpoſitis localibus confiteri Confeſſoribus extra Religionem. Et §. 2. inquit pariter, Præpoſitos locales non poſſe concedere licentiam vni ex noſtris ſibi ſubdito, vt confiteri poſſit Confeſſario extra Religionem noſtram citra neceſſitatem aliquam. Et denique circa ſecundum decretum putat ex pręſumpta voluntate Superioris, poſſe aliquem vnius domus confiteri Confeſſario alterius domus aliquo caſu, ſed non ſæpè, quamuis contrarium videatur docere, *Alph. de Leone d. recoll. 11. nu. 27.* vbi pro ſua allegat *Tambur. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 6. quæſito 10. circa fin.* qui *q. 8. nu. 5.* ait ſatis eſſe, ſi dicta licentia ſit tradita à Superiore Prælato, & & propterea non exigi hoc caſu facultatem Prælati localis. Imò ipſe *Alph.* ibi *num. 29.* probat, quod non obſtante tali prohibitione poteſt Superior eligere ſibi Confeſſarium extra Religionem, quando reperiretur in aliquo Monaſterio, vbi duo, vel tres ſint Sacerdotes Confeſſarij, & periculum immineat alicuius mali, ſi ipſis confiteatur. His adde, quæ diffusè habentur per eundem *Alph. de Leone d. recoll. 11. à nu. 92. vſque ad nu. 106.* vbi latè tractat de facultate, quam habent Superiores locales pro eligendo Confeſſarium, & *nu. 106. vſque ad nu. 121.* incluſiuè, vbi agit quoque de Regulari hoſpite habente facultatem à ſuo Superiore eligendi quemcunq; Confeſſarium, an poſſit eligere Confeſſarium alterius Religionis, ſi per tranſitum reperiatur in aliquo Monaſterio ſui Ordinis. De Vicarijs denique Prioribus, & de alijs quouis nomine poſt Superiores locales primum locum habentibus, an & quando poſſint ſibi eligere Confeſ-

ſarios, latè tractat idem *Alph. ibi recoll.6.n.36.* vbi etiam *nu.* 146. & 148. probat priuilegium eligendi Confeſſarium pro ſe, & familia poſſe concedi Laico, vt de Imperatore Regibus, & ſimilibus *Magnat.* teſtatur *Henriq. lib. 3. de pœnit.cap.13. nu.1. in fine.*

An dentur caſus, in quibus alijs fidelibus præter enumeratos in præcedenti ſec. licitum ſit de iure, aut conſuetudine aliqua Confeſſarium ſibi eligere citra proprij Sacerdotis licentiam.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Habentes ſolùm venialia, vel mortalia aliàs ritè confeſſa, ſibi poſſunt eligere Confeſſarium, cui confiteantur citra omnem licentiam proprij Sacerdotis.*

2 *Omnis Sacerdos etiam excommunicatus non toleratus, nec approbatus in caſu extremæ neceſſitatis abſoluere poteſt ab omnibus peccatis, & cenſuris etiam reſeruatis; Et quare.*

3 *Sacerdos ſimplex non approbatus abſoluere non poteſt in articulo mortis à peccatis mortalibus, præſente Sacerdote approbato, vel ſi facilis ſit ad ipſum recurſus, idemq; dicendum eſt in non Parocho, præſente Parocho.*

4 *Cardinales poſſunt de conſuetudine ſibi eligere Confeſſarium, non præſumpta, ſeu vt eſt ſignum, coniectura, & interpretatio voluntatis concedentis.*

5 *Vagabundi, Mercatores, & Scholaſtici Viatores de eadem conſuetudine facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium.*

6 *In quibus caſibus detur electio Confeſſoris citra licentiam proprij Sacerdotis.*

7 *Quibus in caſibus detur pœnitenti legitima cauſa, vel ſe gerendi tanquam ſi non haberet copiam Confeſſarij, vel petendi à proprio Superiore licentiam eligendi ſibi Confeſſarium.*

8 *Hodie quilibet confiteri poteſt non ſolum Religioſis Confeſſarijs, ſed etiam omnibus approbatis citra licentiam proprij Sacerdotis extra ſuam Eccleſiam.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè. Etenim habentes ſola peccata venialia, vel mortalia, aliàs ritè confeſſa poſſunt eligere Confeſſarium, etiam non approbatum ab Ordinario, cui confiteantur, citra omnem licentiam proprij Sacerdotis. Ita *Suar. in 3.par. tom.4.diſp.21.ſec.2.ad fin. & diſp.27.ſec.2. & 3. Caiet. ver. Abſolutio a peccatis, cap.2. Conynch. de ſacram.diſp.8.dub.8. Vaſq. in 3.par.tom.4.q. 91.art.1.dub.4. Reginald. lib.1. ſuæ ſum. nu.31. 32. & 33. Bonac. de Miniſtr. ſacram. pœnit. diſp. 5.q.7.pun.3. Henriq. lib.3. de pœnit. cap.5. nu.4. Ledeſ. Cano, Palud.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib.7. cap.1. ſub nu.* 15. Rationem quidam hanc eſſe volunt, quoniam ad abſoluendum eo caſu non exigitur iuriſdictio, ſed ſatis eſt voluntaria ſubiectio pœnitentis. Sed hæc ratio videtur expreſsè contra *Conc. Trid. ſeſſ.14.cap.7.* vbi abſolutè, ac generaliter decreuit, Miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ debere habere iuriſdictionem, ergò abſolutè, ac generaliter eſt intelligendum: ſiquidem lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda, & quando non diſtinguit, neque excipit, nec nos diſtinguere, & excipere debemus, *l.1.§. generaliter, ff. de legat præſt. & l. de pretio, ff. de publ. in rem act.* Vndè dicamus cum *Suar. vbi ſupra, diſp.24.ſec.2.nu.8.* quem ſequitur *Fagund. d. nu.* 15. quòd circa peccata venialia, & mortalia iam ritè confeſſa, & abſoluta, omnibus Sacerdotibus cenſetur data iuriſdictio ab Eccleſia, modò de illis tantùm fiat confeſſio. Eodem
2 modo omnis Sacerdos etiam excommunicatus non toleratus, nec approbatus poteſt abſoluere in caſu extremæ neceſſitatis ab omnibus peccatis mortalibus, & cenſuris, etiam reſeruatis; non ex vi iuris Diuini, & ordinationis ſuæ, quaſi ex vi ordinationis iure Diuino accipiant Sacerdotes iuriſdictionem in habitu, quæ eodem iure ex conſuetudine Eccleſiæ in mortis articulo poſſit exire in actum, vt docet *Nauar. in Man. cap.27. nu.270. §.7. Palud. in 4.d.17 q 2.art.2.concl.2.* Sed ex eo quòd iuriſdictio illa datur omni Sacerdoti, etiam non approbato in articulo mortis iure tantùm Eccleſiaſtico, vt rectè habetur ex *Soto in 4.d.18 q.4.art.4.verſ. At verò Petr. Soto de confeſ. lect.5. & 6. Ledeſ. 2. par.4.q.7. art.6. Henr. lib.3. de pœnit.cap.11.nu.2. Couar. in cap. Alma mater 1. par. §. 6. nu.* 8. & ex alijs, quos refert *Fagund. d. cap.1. ſub nu.* 16. vbi etiam *nu.* 19. ait, quòd huiuſmodi Sacerdos ſimplex, & nō
3 approbatus nō poteſt abſoluere in articulo mortis conſtitutum à peccatis mortalibus non dum confeſſis, præſente Sacerdote approbato; aut facilis ſit recurſus ad approbatum: ſiquidem præfertur approbatus non approbato: & idem dicendum eſſe inquit de Parocho quando adeſt non Parochus, licèt approbatus ſit, niſi id fiat de licentia Parochi, vt habetur per *Bellan. tom.2. de ſacram. diſp.8. de Miniſtro, dub.2. nu.16. Suar. in 3. par. tom.4. diſp.26. ſec.4. nu.4.* & nos infra latius dicemus *ſec.8. concl.1. lim.4.* Etenim iuriſdictio in articulo neceſſitatis datur ab Eccleſia cuilibet Sacerdoti ſimplici, vt in *Conc. Trid. ſeſſ.14. de caſuum reſeruatione cap.* 7. Vndè ſi adſit Parochus, vel alius qui habet iuriſdictionem, non poteſt ſimplex Sacerdos abſoluere, quoniam iam non eſt articulus neceſſitatis, *arg. text. in c. Presbyter*, 26. q. 6. & ſi adſit approbatus non poteſt abſoluere ſimplex Sacerdos, niſi superueniat approbatus, aut Parochus poſtquam Sacerdos ſimplex non approbatus cæpit audire confeſſionem; quoniam tunc acquiſiuit ius. Non tamen ita eſſe ait idem *Fagund. loco cit. nu.* 20. de Sacerdote ſimplici, non expoſito, nec approbato abſoluente à peccatis venialibus, vel à mortalibus iam confeſſis: nam poteſt ab illis abſoluere, etiam præſente Sacerdote approbato, vel Parocho: ſiquidem facultas illa, ac iuriſdictio abſolutè cōceditur illis ab Eccleſia; & propterea non eſt cur reſtringatur ad extremam neceſſitatem alterius Confeſſarij: eò maximè, quia peccata illa non ſunt materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ. Non tamen conſuetudo aliqua ſatis eſt ad tribuendam iuriſdictionem in prætatis caſibus: nam conſuetudo per ſe ſumpta non poteſt tribuere facultatem eligendi Confeſſorem ſine licentia Parochi; quoniam id eſſet contra ius Diuinum: omnes enim habent proprium Sacerdotem, excepto Romano Pontifice, vt in *cap.* 2.

ſupra

Digitized by Google

ſupra eo.tit. noſtro. Vndè conſuetudo abſoluendi in præfatis caſibus à ſimplici Sacerdote eſt ſufficiens ſignum facultatis conceſſæ à Paſtoribus, & nunquam reuocatæ. Sic etiam conſuetudo vt Parochi, vel alij ſimplices Sacerdotes eligant ſibi Confeſſarium citra licentiam Epiſcopi, indicat adfuiſſe conſenſum Superiorum, & non eſſe reuocatum. Ita *Filliuc. poſt Suar. & alios tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 233. & 234.*

4 Ex hoc infertur, quòd illi qui docent, Cardinales ex conſuetudine ſibi, eligere Confeſſarium non ſunt intelligendi de conſuetudine per ſe ſumpta, ſed de conſuetudine, vt eſt ſignum, coniectura, ac interpretatio talem facultatem concedentis: ſiquidem conſuetudo, vt conſuetudo non poteſt tribuere hanc facultatem vt ſupra diximus & expreſsè habetur ex *Henriq. lib. 3. de pœnit. cap. 8 nu. 2 litt. T. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 3. Molfeſ. in ſua ſum. tract. 7. cap. 15 nu. 56.* quos refert, & ſequitur *Alph de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. ſub nu. 150. cum plurib. ſeq.* vbi poſt *Molf.* addit, quòd ad inducendam conſuetudinem eligendi ſibi Confeſſarium requiritur ſcientia Superioris, & non eſt ſatis ratihabitio de futuro: & quòd requirantur plures actus, & aliquod ſignum externum, ex quo ſufficienter colligatur conceſſio facultatis: nec ſufficit taciturnitas, ac patientia Superioris; ad quod allegat *Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 7. par. 4. §. 1. nu. 14. & Filliuc. d. tract. 7. nu. 133.* Semper tamen dicta conſuetudo pendet in eſſe, & conſeruari à voluntate Superioris: itaut poſſit ab eo quandocunque reuocari, cùm pendeat à voluntate Superioris ſcientis, & tacentis, vt per *Suar. loco cit. nu. 6. & Alph de Leon. d. recoll. 6. ſub nu. 153.* Imò præfata facultas poteſt à Rom. Pontifice reuocari etiam in illis duobus ſupra relatis caſibus, quamuis nunquam efficiet, vt latè probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. cap. 1. nu. 18.* Adde hic, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 3. concl. 3. illat. 2.* vbi probabiliter probauimus, Cardinales habere facultatem eligendi Confeſſarium etiam de iure per illa verba, *cap. fin. eo. tit. noſtro, Permittimus Epiſcopis, & alijs Superioribus, &c.* Et id licèt Confeſſarius non ſit approbatus, & vlterius poſſit eos abſoluere à reſeruatis Rom. Pontifici, ita *Suar. d. diſp. 27. ſec. 4. n. 4.* quem refert *Alph. de Leone loco cit. nu. 158.* Idem dicendum eſt de Vagabundis, quos Doctores dicunt de conſuetudine habere facultatem eligendi Confeſſarium, ſicut Mercatores, Viatores Scholaſtici, & qui aliam patriam quærunt, vt ibi domicilium figant, de quibus *Suar.* vbi ſupra, *nu. 13. Tolet. lib. 1. ſua ſum. cap. 13. verſ. Secundus caſus, & Filliuc. d. tract. 7. nu. 292. & ſeq.* Non enim debent intelligi de conſuetudine præcisè ſumpta, ſed prout eſt ſignum voluntatis Superioris, qui talem facultatem tacitè, vel expreſsè illis conceſſit modò ſupra explicato. Et denique eodem modo interpretandi ſunt Doctores, dicentes, Sacerdotes poſſe eligere quemlibet de expoſitis, etiam de aliena Parochia, dummodò ſint eiuſdē Epiſcopatus, ex conſuetudine, vt habetur ex *Nauar. Soto,* & alijs relatis ab *Henriq. lib. 1. de pœnit. cap. 8. nu. 2.* vbi etiam in *Gloſa in litt. E. & Alph. de Leone d. recoll. 6. ſub nu. 161. & 162.* Vbi poſt alios id ampliat etiam in Sacerdote alieni Epiſcopatus; ſed conuicini non tantum in Diœceſi, ſed etiam in Parochia, atque ideò ſunt confines. Non enim huiuſmodi Doctores intelligi debent de conſuetudine præcisè ſumpta; ſed vt talis conſuetudo eſt ſignum tacitæ, vel expreſſæ voluntatis Superiorum talem facultatem concedentium, modo quo conſuetudinem explicauimus in caſibus ſupra relatis. His adde, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 3. concl. unica lim. 3.*

6 Cæterum de iure putant Doctores nonnullos alios dari caſus, in quibus licita eſt electio Confeſſoris citra licentiam proprij Sacerdotis, verùm in hac re Doctor. ipſi non ſunt concordes: nam quidam putant cenſeri conceſſam de iure facultatem eligendi Confeſſarium, eo ipſo quòd talis facultas iniuſtè denegatur à proprio Sacerdote, aut proprius Sacerdos nolit audire pœnitentem: vel multa ſit erubeſcentia pœnitentis in confitendo proprio Sacerdoti. Alij volunt cenſeri datam licentiam eligendi Confeſſarium eo ipſo quòd proprius Sacerdos abſit, non relicto Vicario, ſi ſit mortuus, & Vicarius non adſit: vel pœnitens timeat ſollicitationem, incitationem ad malum à proprio Sacerdote, aut timeat, ſe fore illi cauſam peccati. Sunt denique alij dicentes, de iure eſſe conceſſam facultatem eligendi Confeſſarium, quãdo proprius Sacerdos laborat ignorantia: pro qua re allegant *tex. in c. placuit, de pœnit. d. 6.* ita ſe habentem, *Placuit, vt deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri Sacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere ſine eius conſenſu, cui prius ſe commiſit, niſi pro ignorantia illius, cui pœnitens prius confeſſus eſt. Qui verò contra hæc ſtatuta facere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiaceat.* Vbi addit *Gloſa* credendum eſſe eo caſu pœnitenti, cùm non ſit veriſimile, quòd cum mendacio veniat ad pœnitentiam, *arg. text. in cap. ſancimus 1. q. 7.* Hoc idem ſtatuitur in *c. placuit, 9. q. 2.* Communis
7 tamen ſententia eſt in prædictis caſibus, excepta ignorantia, dari quidem legitima cauſa pœnitenti, vel ſe gerendi tanquam ſi non haberet copiam Confeſſarij, vel petendi à proprio Sacerdote, vel à Superiore licentiam eligendi alium Confeſſarium, maximè ſi proprius Sacerdos facultatem deneget iniuſtè, cùm citra lethalem culpam non valeat eam ad ſui libitum denegare. Imò quamuis in *d. c. placuit,* expreſsè concedatur electio Confeſſarij ex cauſa ignorantiæ proprij Sacerdotis; Nihilominus *tex.* ille hodiè non eſt in vſu, vt habetur ex *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 247. 249. & 250.* quibus adde tradita per *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. cap. 15. nu. 97. & per Alph. de Leone d. recoll. 6. ſub nu. 65.* Vbi tandem fatetur hodiè parum referre
8 difficultatem huiuſmodi, cùm quilibet poſſit confiteri non ſolùm Religioſis Confeſſarijs, ſed etiam approbatis citra licentiam proprij Sacerdotis extra ſuam Eccleſiam, vt latius dicetur, ſuo loco, quibus adde quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 3. concl. vnica, lim. 2.*

Confeſſarij electi à quibus caſibus, & cenſuris abſoluere poſſint ipſos eligentes.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Prælati, eligentes ſibi Confeſſarios, cenſentur in eos transferre poteſtatem abſoluendi in pœnitentiali foro.*

2 Ha-

Digitized by Google

2 *Habentes poteſtatem eligendi ſibi Confeſſariũ, nunquã ligãtur caſibus, Ordinario reſeruatis.*

3 *Summus pontifex diſpenſari, & abſolui poteſt ab omnibus, & ſingulis caſibus ab eo, qui ſibi eligit in Confeſſarium: Sic etiam, & Summus Pœnitentiarius.*

4 *Epiſcopi, & Prælati omnes iuriſdictionem Epiſcopalem habentes, abſolui, & diſpenſari poſſunt à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omnibus à quibus ipſi abſoluere, & diſpenſare poſſunt eorum ſubditos.*

5 *Epiſcopi, & Prælati ſupradicti hanc eligendi facultatem habent, quamuis tantum electi, & confirmati ſint, non dum tamen conſecrati, nec Epiſcopatus poſſeſſionem adepti.*

6 *Epiſcopi à Confeſſarijs per ipſos electis abſolui, & diſpenſari poſſunt etiam in caſibus in Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 6. de refor. contentis.*

7 *Epiſcopi abſolui poſſunt à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt, ab omnibus, in quibus ipſi ſuos ſubditos abſoluere valent, etiam ſi in Vrbe ſint.*

8 *Epiſcopus excommunicatus, ſi à tali excommunicatione ſubditũ abſoluere poteſt, poteſt quoq; committere Confeſſario electo, vt ipſũ abſoluat.*

9 *Facultatem tributam Epiſcopis à Conc. Trid. vt valeant abſolui à Confeſſarijs electis, ab omnibus excommunicationibus occultis, ac diſpenſari in irregularitatibus occultis, &c. etiam Epiſcopi Titulares habent.*

10 *Epiſcopi Titulares aliq; ſimiles habent à iure, vt valeant ſibi eligere Confeſſarium.*

11 *Epiſcopus non vt Epiſcopus, ſed vt Ordinarius Inquiſitor, ſi in hæreſim incidat, poteſt a Confeſſario, Electo abſolui.*

12 *Quamuis Epiſcopi vigore Trid. d. cap. 6. facultatem habeant ſubditos abſoluendi, & cum eis diſpenſandi, & proindè ſi ipſi in aliquod delictorum in dicto Concilio contentorum inciderint poterunt alij vices demandare ſuas, & abſolui. Prælati tamen inferiores iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, ſi in aliquod prædictorum criminum incurrant eligere non poſſunt Confeſſarium, à quo diſpenſentur, & abſoluantur.*

13 *Capitulum Sede Vacante eandem habet facultatem diſpenſandi, & abſoluendi conceſſam Epiſcopis ex dicto Tridentino.*

14 *Superiores Regulares Religionum exemptarum poſſunt vti facultate prædicta erga Religioſos, ſibi ſubditos, ſed non vigore Conc. Trid. ſed vigore Conſtitutionis Pij V. quæ incipit Romanus.*

15 *Qui poſſunt ſibi eligere Cõfeſſarium, ita demum poſſunt abſolui, à quibus ipſi valent ſubditos abſoluere, & diſpenſare, quando eligunt ratione Prælaturæ adnexæ iuriſdictionis, at ſecus quando alia ratione, puta ratione delegationis abſoluant ſubditos.*

16 *Pœnitentiarius Epiſcopi à caſibus, quos ſibi Epiſcopus expreſſè reſeruauit, non poteſt quemquam abſoluere, niſi facultatem ſpeciatim Epiſcopus illi tribuat.*

Quid dicendum de Summo Pœnitentiario.

17 *Confeſſarij, quos ſibi eligunt Archiepiſcopi poſſunt illos abſoluere, & cũm eis diſpenſare tempore viſitationis ab omnibus, à quibus poſſunt Epiſcopi.*

18 *Patriarchæ, ac Primates non ſolum poſſunt omnia, quæ poſſunt Epiſcopi quoad eorum ſubditos dum viſitant: ſed etiam abſoluere poſſunt Epiſcopos ſuffraganeos, & cum ipſis diſpenſare Idemq; dicendum eſt de legatis a latere.*

19 *Legati a latere poſſunt quoque diſpenſare cum omnibus, cum quibus poſſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, &c. & ſignanter cum eo qui cum cenſura celebrauit, vel alium ordinem exercuit.*

20 *Vicarij Generales Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, &c. poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, qui valet illos abſoluere ab omnibus, à quibus, & ipſi alias abſoluere poſſunt.*

21 *Vicarius Superioris alicuius Religionis an, & quando vti poſſit iuriſdictione, & facultate eligendi ſibi Confeſſarium. Et quid dicendum de Priore habente Abbatem.*

22 *Vicarius noſtræ domus S. Mariæ de Toro Vici Equenſis, habet Iura præpoſitiſia, ita vt poſſit fortè benedicere Corporalia, & poteſt eis fieri delegatio à Summo Pontifice.*

23 *Vicarius Summi Pontificis, vel Capituli Sede Vacante, vel Vice legati an poſſint ſibi eligere Confeſſarium.*

24 *Regens Summi Pœnitentiarij quis nam ſit, & an poſſit ſibi eligere Confeſſarium.*

Quid dicendum de Vicario Apoſtolico; ac de Vicarijs Ordinum Militarium.

25 *Prælati iuriſdictionem non habentes in foro Conſcientiæ abſolui poſſunt à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt, tum à caſibus Ordinarij, tum à caſibus Ordinario reſeruatis.*

An poſſint iidem Confeſſarij eis commutare vota Papalia, & ſemel, vel in vita, vel in morte eis concedere plenariam remiſſionem omnium peccatorum.

1 PRO determinatione huius difficultatis eſt adnot. primò, quòd Prælati eligentes ſibi Confeſſarios, ex vi electionis, citra aliam expreſſam facultatem, cenſentur in eos transferre poteſtatem ipſos abſoluendi in pœnitentiali foro: ſiquidem aliquid concedens cenſetur ea tribuere, quæ ad illius expeditionem neceſſariò expoſtulantur. Ita *Sanch. de matrim. lib. 8. diſp. 3. Graff. de quinque caſib. lib. 1. cap. 10. nu. 80.* cum alijs, quos allegant.

2 Secundò eſt adnot. quòd omnes de iure facultatem habentes eligendi ſibi Confeſſarium, ſiuè iuriſdictionem Epiſcopalem habeant, ſiuè non, numquam ligantur caſibus reſeruatis Ordinario; ſed tantùm reſeruatis Romano Pontifici. Etenim cùm ſint exempti, vt in *cap. fin. eod. tit. noſtro*, non ſubijciuntur Ordinario, ſed immediatè Sum. Põtifici. His breuiter ſic adnotatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 SVmmus Pontifex poteſt diſpenſari, & abſolui ab omnibus, ac ſingulis caſibus ab eo, quem ſibi eligit in Confeſſarium. Probatur, quia S. P. poteſt fideles omnes abſoluere ab omnibus, & ſingulis caſibus, & cum eis diſpenſare, cùm ſit omnium proprius Sacerdos, & ſummam, ac ordinariam iuriſdictionem, tàm in foro interno, quàm externo immediatè habeat à Deo ſtatim poſt ipſius electionẽ ritè factam: & à Deo quoq; recepit poteſtatem eligendi ſibi Confeſſarium, in quem transfunditur ab ipſo omnis ſua poteſtas, vt ſupra declarauimus, *ſec. 3. concl. 1.* vbi etiam oſtendimus, quòd quamuis S. P. poſſit per ſe

ſecum

ſecum diſpenſare in voto, ſicut & applicare ſibi indulgentia, nihilominus diſpenſandi facultatem poteſt quoque committere ſuo Confeſſario. Dixi, *Diſpenſari, & abſolui ab omnibus caſibus.* Quoniam non poteſt abſolui à cenſuris, nec quidem à cenſura lata pro crimine hæreſis, nec diſpenſari in quacunque irregularitate: eo quòd Rom. Pontifex non poteſt excommunicari, nec incidere in cenſuras à ſe latas, nec incurrere irregularitatem, vt ſupra latè oſtendimus, *d. concl.* 1. Summus Pœnitentiarius quoque poteſt abſolui à Confeſſario, quem ſibi eligit, ab omnibus à quibus poteſt alios abſoluere, ſicut etiam diſpenſare, vt infra dicemus, *concl. ſeq lim.* 2.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 EPiſcopi, & Prælati omnes habentes iuriſdictionem Epiſcopalem poſſunt abſolui, ac diſpenſari à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omnibus, à quibus poſſunt diſpenſare, & abſoluere eorum ſubditos. Hæc concluſio eſt communis, & in praxi communiter ſeruatur: & poſt alios probat eam *Graff. de quinque caſib. lib.* 1. *cap.* 10. *nu.* 78. *Alph. de Leone par.* 2. *caſ. conſc. recoll.* 6. *nu.* 107. *&* 125. *Floren. de caſib. reſer. par.* 1. *cap.* 3. *§.* 1. *nu.* 4. *& cap* 4. *§.* 7. *n.* 14. Etenim ſi Epiſcopi, & alij Prælati habentes iuriſdictionem Epiſcopalem poſſunt delegare Confeſſarios qui ſuos ſubditos abſoluant, & diſpenſent ab omnibus, à quibus ipſi per ſe illos abſoluere, ac diſpenſare poſſunt, vt infra, Deo duce, latius dicemus; non poteſt aſſignari ratio, cur ab eiſdem caſibus abſolui, & diſpenſari nequeant à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt; aliàs eſſent deterioris conditionis. Confirmatur, quoniam aliter id eſſet contra rationẽ allatam in *d. cap. fin. eo. tit. noſtro*, vbi prædictis Epiſcopis, ac Prælatis conceditur priuilegium eligendi ſibi Confeſſarium, ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum: ſiquidem periculum immineret ſi à Cõfeſſarijs electis non poſſent abſolui, ac diſpenſari ab omnibus, à quibus alios poſſunt.

5 Ampliatur hæc concluſio, vt locum habeat in Epiſcopis, & Prælatis vt ſupra, etiam ſi tantùm electi ſunt, & confirmati, & non dum conſecrati, nec poſſeſſionem adepti fuerint Epiſcopatus, vt patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, *ſec.* 3. *concl.* 3. *verſ. Tertiò infertur.* Etenim Epiſcopi electi, & confirmati habent omnem adminiſtrationem Epiſcopatus, & omnia poſſunt, quæ pertinent ad poteſtatem iuriſdictionis, vt in *cap. noſti, & cap. tranſmiſſam*, vbi *Gloſa, de elect. Ricc. in praxi aurea, reſol.* 136. *nu.* 1. *Leſſ. lib.* 2. *de iuſt. & iure, cap.* 40. *dub.* 12. *nu.* 100. *verſ. Secundò, Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 36. *num.* 6. *in noſtris Commentar. ad Bull. Cœna lib.* 3. *§.* 2. *q.* 11. *ſub nu.* 18. *& allegat.* 38. *nu.* 2. vbi plures alios allegat, & id verum eſt etiam ſi Epiſcopi vt ſupra confirmati non ſint Sacerdotes, vt poſt alios diximus.

6 Secundò ampliatur, vt Epiſcopi poſſunt abſolui à Confeſſarijs ab eiſdem ſibi electis, & diſpenſari etiam in caſibus, in *Conc. Trid. contentis, ſeſſ.* 24. *de reform. cap.* 6. Decernitur enim ibi, licitum eſſe, *Epiſcopis in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad forum contentioſum, diſpenſare, & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, delinquentes quoſcunq; ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſe ipſos, aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum in foro conſcientiæ gratis abſoluere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem, & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicarijs eſt permiſſum.* Vndè ſi in aliquem ex dictis caſibus, Epiſcopus incidat, (quod abſit) poſſet ipſemet Epiſcopus alteri committere vices ſuas, vt ſecum diſpenſet, & ad abſoluendum ſe proprium ſibi Confeſſarium deputari. Ita *Suar. in* 3 *par. tom.* 5. *diſp.* 41. *ſec.* 2. *nu.* 9. *Maiol. de irregular. lib.* 2. *cap.* 2. *nu.* 12. *verſ. Eſt autem, & lib.* 5. *cap.* 51. *nu.* 7. *Henriq. in ſum. lib.* 14. *de irregular. cap.* 18. *§.* 3. *Ricc. in praxi rerum fori Eccleſiaſt. deciſ.* 518. & alij, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.* 39. *ſub nu.* 15. Et quamuis *Mar. Alter.* contrarium docent *tom.* 2. *diſp.* 8. *de ſuſpenſ. cap.* 3. *concl.* 4. *verſ. Tertiò quæri poteſt*, motus ex eo quòd Epiſcopus cùm ſit delegatus in dictis caſibus hanc poteſtatem diſpenſandi, quam ipſe habet, alteri committere nequit, vt ſecum diſpenſet; nihilominus rectè reſpondet idem *Barb. loco cit. nu.* 16. poſt alios, inquiens, quod licet facultas illa diſpenſandi, & abſoluendi conceſſa Epiſcopis per *Conc. Trid. d. cap.* 6. competat illis iure ſpeciali; eis tamen competit iure communi, & iuriſdictione ordinaria ipſis tributa, vt habetur per *Beiam in reſp. caſ. conſc. par.* 4. *caſ.* 37. *verſ. Tandem nullus: Sayr.* & alios apud eundem *Barb. d. nu.* 16. & nos etiam adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœna lib.* 3. *§.* 2. *q.* 11. *nu.* 35. dum diximus, quòd facultas hæc non non conceditur perſonę, ſed dignitati Epiſcopali, & propterea non eſt delegata, ſed ordinaria.

† Secundò ampliatur eadem concluſio, vt Epi-
7 ſcopi poſſint abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omnibus, à quibus poſſunt ſuos ſubditos abſoluere, etiam ſi ſint in Vrbe, vbi adeſt S. Pontifex. Ita declaraſſe Sacr. Congregationem teſtatur poſt alios *Alph. de Leone p.* 2. *caſ. conſc. recoll.* 9. *ſub nu.* 88. *in fin.* Etenim Confeſſarius electus per Epiſcopum non habet facultatem delegatam abſoluendi ipſum Epiſcopum ab eodem Epiſcopo, ſed à iure communi in *cap. fin. eo. tit. noſtro*, ſub facultate, quam habet eligendi ſibi
8 Confeſſarium. Vndè Epiſcopus quamuis ſit excommunicatus, ſi tamen non excommunicatus poſſit à tali excommunicatione abſoluere ſubditum; poteſt ſuo Confeſſario electo committere, vt ipſum abſoluat, ſi in eam inciderit: nam licèt excommunicatus careat exercitio iuriſdictionis; nihilominus Confeſſarius ab Epiſcopo electus non habet iuriſdictionem ab ipſo Epiſcopo, ſed à iure, vt ſupra diximus: vltra quòd nos hic agimus de excommunicato tolerato, ac occulto, abſoluendo in foro conſcientiæ, qui poteſt exercere ea, quæ fiunt ratione publici officij, vt habetur ex *Innocen.* communiter recepto, *in cap. cùm dilectus, de conſuet.* Et ſic non loquimur de excommunicatione lata ab ipſo Epiſcopo: ſiquidem ea non ligatur Epiſcopus; ſed de excommunicatione occulta reſeruata Romano Pontifici, à quo poteſt abſoluere Epiſcopus vigore præfati Decreti *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de refor. cap.* 6.

† Tertiò ampliatur, vt facultatem, quem Conc.
9 Trid. tribuit Epiſcopis, vt poſſint abſolui à Confeſſa-

Digitized by Google

feſſarijs electis ab omnibus excommunicationibus occultis, & diſpenſari in irregularitatibus occultis, &c. habeant non ſolùm Epiſcopi, qui Diœceſim habent, ac ſubditos, ſed etiam Epiſcopi titulares, vel qui renunciauerunt Epiſcopatui, aut aliàs depoſiti fuerunt verbaliter; dummodò non fuerint degradati. Etenim quamuis *P. Alph. de Leone d. recoll. 9. ſub nu.* 87. putet, hanc concluſionem non eſſe citra difficultatem aliquam: ſiquidem communis regula, & declaratio Sacræ Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium interpretum Sacri Conc. Trid. relata de verbo ad verbum à *Suar. in 3. par. tom. 5. diſp. 11. ſec. 2. nu. 9. & 12. Finellio de caſib. reſer. cap. 7. nu. 13. & Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 3. n. 3.* & quæ ſe habet, omnem facultatem Epiſcopis conceſſam circa ſubditos in ſupradicto Decreto, poſſe pro ſe ipſis demandare; atque ideò poſſe Epiſcopum quidquid poteſt cum ſubditis vigore talis decreti; at Epiſcopi titulares non habent ſubditos, & proindè non videntur poſſe abſolui, & diſpenſari, vt ſupra à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt; nihilominus non eſt recedendum à noſtra concluſione: aliàs priuilegium illis conceſſum eligendi Cōfeſſarium nihil operaretur, cùm per ipſum non conceditur, vt poſſint eligere non approbatum, vt ſupra oſtendimus *ſec. 3. concl. 3. illat. 3. verſ. Sed ſuppoſito de conſuetudine, propè finem*: ergò vt priuilegium aliquid operetur, dicendum eſt continere dictam facultatem, vt poſſint a Confeſſario electo abſolui à caſibus, à quibus poſſunt ipſi abſoluere, ſi haberent ſubditos. Confirmatur, quoniam Epiſcopi titulares, & alij ſupra relati ſunt exempti, & ſub ſpeciali protectione Rom. Pontificis, vt diximus ſupra *d. illat. 3. verſ. Imò*, & patet ex ijs, quæ habentur ex *Sanch. lib. 6. ſuæ ſum. cap. 6. nu. 19. & 31.* ergò quoad caſus, de quibus agitur, non poſſunt eſſe
10 ſubiecti alteri Epiſcopo; atque ideò eligendo Confeſſarium poſſunt ab illis abſolui, ac diſpenſari, vt ſupra. Denique eiuſmodi Epiſcopi titulares, & alij ſimiles habent à iure, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium, cùm ſint verè Epiſcopi, & Prælati exempti, vt ſupra diximus, & patet ex *tex. in cap. fin. eo. tit. noſtro*: Vndè facta electione Confeſſarij ipſe Confeſſarius à iure habet, non autem ab Epiſcopis prædictis, vt poſſint abſolui ab omnibus, à quibus poſſent ſi haberent ſubditos: ſiquidem cum ſint exempti, militat in eis ratio in *prin. d. cap. fin.* allata, vt adnotauimus in *d. illat. 3. verſ. Imò*. Eſt tamen verum, quòd hæc quæ diximus non habent locum in Epiſcopis, qui renunciarunt dignitati quoque Epiſcopali, vel fuerunt degradati: aut Epiſcopatui renunciantes Religionem fuerunt ingreſſi; quoniam hi non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, vt diximus *d. illat. 3. in fine*.

11 Quartò ampliatur, vt Epiſcopus non vt Epiſcopus, ſed vt Ordinarius Inquiſitor, ſi in hæreſim incidat poſſit à Confeſſario electo abſolui: ſiquidem Inquiſitores ab hæreſi abſoluere poſſe oſtendimus in *d. q. 11. nu. 29. & q. 12. per totam*: quibus adde *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 20. art. 5.* licèt contrariam ſententiam putet eſſe probabilem: & *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. cap. 8. nu. 33.* qui ait, hanc eſſe probabiliorem, & pro ea quamplurimos Doctor. allegat ibidem, *nu. 32.* eam quoque ſequitur *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. n. 127. & recoll. 5. n. 51.* vbi poſt *Nauar.* refert *Graff.* dicentem contrariam opinionem eſſe vulgò receptam: *& d. nu. 127. in fine*, allegat *Nouar. in ſuis ſingul. concl. 4.* qui teſtatur, pluries fuiſſe declaratum, quòd Inquiſitores nequeant ab hæreſi abſoluere. Idem docet *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 40. nu. 26. per Bullam Greg. XV.* quem ipſe refert, Nec quæ dicimus aduerſantur ijs, quæ adnotauimus *d. q. 11. nu. 43. & ſeq.* quia nos loquimur ibi de Epiſcopo, vt Epiſcopo, nō autem de Epiſcopo, vt eſt Ordinarius Inquiſitor; quoniam *d. q. 12.* ſatis probauimus, poſſe Inquiſitores abſoluere in foro conſcientiæ, etiam ab hæreſi occulta; ſiquidem in foro externo non eſt dubium, atque ideò non eſt dubium de Epiſcopo, vt eſt Ordinarius Inquiſitor, vt diximus *d. q. 12. in prin. & nu. 4. & 5.* Probabilior tamen nobis videtur ſententia oppoſita, imò vera per ea quæ cumulantur à *Barb. loco cit. nu. 23. 26. 34. 35. & 36.*

12 Sic ampliata limitatur hæc concluſio, vt licèt Epiſcopi habeant facultatem abſoluendi ſuos ſubditos, & cum eis diſpenſandi vigore *Concil. Trid. d. cap. 6.* atque ideò ſi aliquis Epiſcopus incidat in aliquod delictorum, de quibus in ipſo *Conc. loco citato*, poſſit ipſemet Epiſcopus alteri committere vices ſuas, vt ſecum diſpenſet, ac ad abſoluendum ſe proprium Confeſſarium deputare, vt ſupra oſtendimus; nihilominus, Prælati inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, vt ſunt Abbates ſæculares, Religionum Prælati, ſiuè Generales, aut Prouinciales ſint, ſiuè Præpoſiti, Guardiani, & alij ſimiles quocunque nomine vocentur, qui de iure poſſunt ſibi eligere Confeſſarios, vt ſupra adnotauimus, *ſec. 3. illat. 4. verſ. Regularium denique* ſi in aliquod prædictorum criminum incurrant, non poſſunt eligere Confeſſarium à quo diſpenſentur, & abſoluantur. Etenim huiuſmodi Prælati non poſſunt diſpenſare cum ſuis ſubditis, nec eoſdem abſoluere à caſibus in *d. c. 6. Conc. Trid. contentis*. Siquidem Decretum illud Conc. derogat iuri communi, & ideò potius eſt limitandum, vt nomine Epiſcopi intelligamus ſecundū propriam ſignificationem huius nominis, illos tantùm, qui in Epiſcopali dignitate conſtituti ſunt, non inferiores. Ita *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 30. ſec. 2. nu. 6. & tom. 5. diſp. 41. ſec. 2. nu. 7. Ledeſ. in ſumma, tom. 2. tract. 1. cap. 6. poſt concl. 2. difficul. 1. Ricc. in praxi fori Eccleſ. deciſ. 532. nu. 1. in 1. edit. & reſol. 555. in 2. edit. Bonac. diſp. 7. de ſacram. q. 1. pun. 1. nu. 6.* & alij quamplurimi, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 39. ſub nu. 17.* Et ita fuiſſe declaratum per quandam Cōgregationem Eminentiſſimorum Cardin. teſtatur *Suar. loc. citato*, quæ circa particulam illam Cōcilij, *Liceat Epiſcopis*. Ita ſe habet, *In hoc decreto non comprehenduntur Inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem; ſed tantùm Epiſcopi priuatiuè quoad omnes alios*. Idem teſtatur *Nicol. Garc. & Armendariz*, quos refert *Barb. loco citato*, à qua ſententia non eſſe recedendum, ſtante dicta declaratione, concluſimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ d. q. 11. ſub nu. 18.* Vndè *Suar.* vbi ſupra inquit etiam, ſub Epiſcoporum nomine non ſolùm comprehendi in dicto decreto, Abbates, & alios ſimiles

Præ-

Digitized by Google

Prælatos, ſed nec quidem capitulum, Sede vacante, neq; Superiores Religionum exemptarũ.

13 Cæterum licèt hæc ſententia videatur nobis multum probabilis ob rationem ſupra relatam; & propter declarationem Sacræ Congreg. non videtur poſſe citra temeritatem ab ea recedi; nihilominus non deſunt, qui velint, Capitulum Sede vacante, eandem habere facultatem diſpenſandi, & abſoluendi conceſſam Epiſcopis: ſiquidem licèt id ſpeciali iure Cócilij Epiſcopis competat, & Capitulum non ſuccedat in ijs, quæ iure ſpeciali competunt Epiſcopo, vt habetur ex *Inn. in cap. cùm in cunctis, nn. 7. de elect. & Panorm. in cap. verùm, nu. 9. de for. compet.* Attamen id locum habet in ijs, quę competunt Epiſcopo iure ſpeciali delegato, ſecus autem ſi de iure Ordinario ſpeciali, vt per eundẽ *Panor. in d. c. verum, & Felin. in c. eam te, n. 17. de reſcr.* Qualis eſt poteſtas, de qua agitur à Conc. Epiſc. conceſſa, cùm non competat perſonæ, ſed dignitati perpetuò, at poteſtas quæ non competit perſonę, ſed dignitati perpetuò, vel ex officio, eſt ordinaria, non autem delegata, vt ſupra diximus, & latius in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ d. q. 11. n. 17. & 18.* Vndè hanc ſententiam tenent *Sayr. lib. 6. Clau. Reg. cap. 11. nu. 84. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 61. art. 9. Cened. ad ſextum collect. 4. nu. 3. Ricc. in collect. deciſ. par. 3. collect. 721. verſ. Tertiò dubitatur, & in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ. 533. in 1. edit. & reſol. 466. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 30 ſec. 2. nu. 4.* & alij quamplurimi, quos refert, & ſequitur *Barb. d. alleg. 39. n. 16.* quamuis cum *Suar.* & ſequacibus neget Abbates, & alios Prælatos Inferiores habentes iuriſdictionem ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, etiã nullius Diœceſis gaudere prædicta facultate diſpenſandi, & abſoluendi conceſſa Epiſcopis in *d. cap. 6. Conc. Trid.* & propterea poteſt defendi Capitulum Sede vacante, gaudere præfata facultate conceſſa Epiſcopis per *Conc. Trid.* & non comprehendi ſub dicta declaratione Sacræ Congreg. eò magis, quia de iure communi Capitulum, Sede vacante omnia pòteſt quoad ea quæ ſpectant ad iuriſdictionem ordinariam Epiſcopi, exceptis caſibus à iure expreſſis, ita vt ſuccedat in omnibus Epiſcopo, & ei dicatur par, & nõ inferior, vt in c. *cũ olim, de maior. & obed.* & in ſpecie *Alph. de Leone,* qui plures alios allegat *p. 2. caſ. conſc. recoll. 9. n. 8. cũ plur. ſeq. & n. 10.* Reſpondet etiã ad prædictam declarationem Sacræ Congreg.

14 Quo verò ad Superiores Regulares Religionum exemptarum, quamuis de iure non poſſint vti huiuſmodi facultate à Conc. Epiſcopis conceſſa erga Religioſos ſibi ſubditos; nihilominus ea vti poſſunt vigore conſtitutionis Pij V. quæ incipit *Romanus,* de anno 1571. die 21. Iul. quam refert *Barb. in d. alleg. 39. num.* 18. vbi pro hac ſententia allegat *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 61. art. 9. Boiam in reſponſ. caſ. conſc. par. 4. caſu 37. in prin. Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 2. num. 13.* & in præcepta *Decal. lib. 2. cap. 11. nu. 7.* & alios quamplurimos. Vndè ſtante dicta Pij V. conſtitutione in praxi inquit eam eſſe omninò tenendam, licèt in puncto iuris contraria ſit verior. Hanc eandem conſtitutionem refert *P. Alex. Pellegr. in compend. noſtrorum priuilegiorum, ver. Abſolutio quoad fratres, §. 2.* & alij, quos ipſe allegat. Non autem præfati Regulares poſſunt abſoluere ab hæreſi ſuos ſubditos, vt habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 20. art. 5. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſ. recoll. 5. ſub n. 51. circa finem, recoll. 9. nu. 58. & recoll. 11. ſub nu. 209. circa fin.* quam ſententiam hodie veram eſſe ait citra omnem difficultatem poſt Bullam Cœnæ editam à Greg. XV. quam refert *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 40. nu. 23.*

15 Secundò limitatur ipſa concluſio, vt is qui poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, ita demum poſſint abſolui ab omnibus, à quibus ipſi valent ſubditos abſoluere, & diſpenſare, quando eligunt, vt habentes hanc iuriſdictionem in ſubditos, & ratione Prælaturæ annexæ huic iuriſdictioni, non autem quando alia ratione, vt habetur ex *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 113.* Vndè ſi Prælatus, v. g. fiat Pœnitentiarius Epiſcopi, ſi incidat in aliquem caſum Epiſcopo reſeruatum, & à quo non poſſit abſolui, niſi ab Epiſcopo, tunc non poteſt ſibi eligere Confeſſarium, à quo abſoluatur, quia ipſe Prælatus Pœnitentiarius eſt delegatus, & delegatus non poteſt iuriſdictionem delegatam alteri ſubdelegare, niſi ſit delegatus à Principe, vel expreſſam habeat facultatem ſubdelegandi, vt in *l. à Iudice, C. de iudic.* & in ſpecie quòd Pœnitentiarius Epiſcopi non poſſit ſubdelegare abſolutionem à caſibus reſeruatis ſibi commiſſis probat *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 55. nu. 24.* Dixi, *Sibi commiſſis,* Quia à caſibus, quos

16 Epiſcopus expreſsè reſeruauit, non poteſt Pœnitententiarius quemquam abſoluere; niſi hanc auctoritatem ſpeciatim ei Epiſcopus ipſe tribuerit, vt habetur ex *Aloyſ. Ricc. in praxi aurea reſol. 179. in fine, & in praxi fori Eccleſiaſt. deciſ. 571. in prima editione. Nauar. conſ. 20. de pœnit. & remiſ.* & ex alijs quamplurimis, quos refert, & ſequitur *Barb. loco cit. nu. 23.* An autem Pœnitentiarius huiuſmodi poſſit nudum miniſterium alteri committere, ſeù ſubdelegare vide *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 5. nu. 66. & recoll. 7. n. 30. cum plur. ſeq.* vbi etiam *d. recol. 5. nu. 104.* Declarat, qualiter fiat delegatio nudi miniſterij, & nos infra, Deo duce, latius dicemus. Non ita dicendum eſt de S. Pœnitentiario: nam dato, & non conceſſo quod ſit delegatus; nihilominus cùm ſit delegatus à Papa, poteſt ſuam poteſtatem alteri ſubdelegare, tàm ad abſoluendum alios, quàm ſe ipſum, & ſecum diſpenſandum ab omnibus, à quibus poteſt ſuos ſubditos abſoluere, ac diſpenſare, vt habetur ex *Graff. par. 1. deciſ. lib. 1. cap. 13. nu. 16. Alph. de Leone loco cit. recoll. 6. nu. 124.* & ex alijs.

TERTIA CONCLVSIO.

17 Confeſſarij, quos ſibi eligunt Archiepiſcopi, poſſunt illos abſoluere, & cum eiſdem diſpenſare tempore viſitationis ab omnibus caſibus, & cenſuris, ac irregularitatibus, à quibus poſſunt Epiſcopi. Hæc concluſio eſt communis, & patet ex *tex. in cap. fin. de conſtb. in 6.* vbi habetur, quòd quando Archiepiſcopus viſitat, poteſt omnia, quæ poteſt Epiſcopus in foro conſcientiæ. Sed *concl. præced.* oſtendimus poſſe Epiſcopum ab omnibus abſolui, ac diſpenſari à Confeſſario ſibi electo, à quibus ipſe poteſt ſuos ſubditos; ergò idem dicendum eſt de Archiepiſcopo tempore viſitationis ſuæ Prouinciæ, tàm circa ſuos ſuffraganeos, & eorum ſubditos, quàm

circa electionem Confeſſarij. Et quamuis *Suar.* poſt alios, *in 3. par. tom. 5. diſp. 41. ſec 2.* diſtinguens duplicem poteſtatem cõceſſam Epiſcopis per *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 6.* alteram ſcilicet diſpenſandi in irregularitatibus, alteram verò abſoluendi à cenſuris, putet diuerſimodè Concil. prædictas facultates ipſis Epiſcopis concedere; atque ideò Archiepiſcopum dum viſitat ſubditos ſuffraganeorum, poſſe illos à cenſuris occultis abſoluere; non autem diſpenſare in irregularitatibus, cùm Archiepiſcopus dum viſitat, ea tantùm exerceat, quæ pertinent ad forum conſcientiæ, & diſpenſatio ad huiuſmodi forum non ſpectet; nihilominus *Steph. Quaranta in ſum. Bullar. in ver. Archiepiſcopi auctoritas, nu. 33. Henriq. lib. 14. cap. 18. nu. 4. Auila par. 7 diſp. 6. ſec. 5. dub. 5. Bonac. de cenſur. diſp. 7. q. 5 pun. 1. nu. 2. in fine, Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 39. ſub nu. 19. Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 2. nu.* 20. & alij, quorum ſententia nobis videtur probabilior, volunt facultatem prædictam concedi Archiepiſcopo non ſolùm ad abſoluendum à cenſuris occultis, ſed etiam ad diſpenſandum in irregularitate, vt ſupra. Etenim ſi Archiepiſcopus poteſt omnia quæ Epiſcopus in foro conſcientiæ, vt ſupra oſtendimus; in foro conſcientiæ quoque poterit Archiepiſcopus viſitationis tempore non ſolùm abſoluere à cenſuris occultis, verum etiam diſpenſare in irregularitatibus occultis: ſiquidem diſpenſatio huiuſmodi ad forum conſcientiæ pertinet: nam communiter docent Doctor. non poſſe Epiſcopum vi dictæ facultatis diſpenſare in foro exteriori, vt habetur ex *Vgol. de poteſt. Epiſc. cap. 57. §. 2. nu. 7.* Per forum enim conſcientiæ non intelligit Conc. ibi forum ſacramentale atque ideò audita confeſſione, ſed id ſolum ſignificat, vt abſolutio, & diſpenſatio non proſint pro foro externo, ſi contingat caſum in iudicium deduci, vt poſt alios nos adnotauimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2 q. 11. nu. 30.*

18 Quæ diximus de Epiſcopis, & Archiepiſcopis tempore viſitationis extendimus etiam ad Patriarchas, ac Primates: nam hi omnes non ſolùm poſſunt omnia, quæ poſſunt Epiſcopi quoad eorum ſubditos, dum viſitant, ſed etiam poſſunt abſoluere ipſos Epiſcopos ſuffraganeos, & cum illis diſpenſare à reſeruatis iuxta *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 6.* vt poſt alios inquit *Barb. loco citato, & Alph. de Leone d. recoll. 9 n. 21.* Idem dicendum eſt de legatis à Latere: etenim hi ſunt Ordinarij Ordinariorum, poſſunt eligere Confeſſarium, à quo abſoluãtur ab omnibus caſibus, & cenſuris Rom. Pontificis reſeruatis, exceptis quibuſdam ſpecialiter reſeruatis, & qui à nullo alio, quàm ab ipſo Pontifice poſſunt abſolui, vt habetur ex *P. Naldo ver. Legatus, nu. 7. Gamb. de offic. & poteſt. legati à latere, lib. 10 n. 391. & Alph. de Leone d recoll. 9. n. 27.* Qui dicunt etiã huiuſmodi legatos poſſe quoque in omnibus diſpenſare, in quibus poſſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ, & ſignanter eos poſſe diſpenſare cum eo, qui cum cenſura celebrauit, vel
19 alium ordinem exercuit. Item poſſunt abſoluere ab omnibus, à quibus poſſunt Epiſcopi vigore *d. Conc. Trid. d. c. 6.* nam legati ſunt eadem res cum Epiſcopis, & in his cum ipſis habent inſolidum, & cumulatiuè iuriſdictionem, vt in *c. 2. de offic. legat. in 6.* Vndè legati à latere, Archiepiſcopi, Patriarchæ, ſeu Primates poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, à quo abſoluantur, & diſpenſentur ab omnibus, & in omnibus, à quibus, & in quibus poſſunt alios abſoluere, ac diſpenſare. Nuncij Apoſtolici pariter ſolent habere facultates legati à latere, & vt plurimum ſunt Epiſcopi, & Propterea de illis idem videtur dicendum, vt habetur ex *Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 145.* vbi *à nu. 136. cum plurib. ſeq* Probat non ſolum præfatos Antiſtites, & Legatos poſſe pro ſe ipſis eligere Confeſſarios, ſed etiam pro ſuis familiaribus: ſicut & familiares Rom. Pontificis, & Cardinalium eodem priuilegio gaudent, & eandem facultatem poſſe concedi Laico, ſicut de facto eam habent Imperatores, & Reges ac ſimiles Magnates, probat idem *Alph. de Leone* poſt alios *loco cit. à n. 146. vſq; ad n. 149.*

QVARTA CONCLVSIO.

20 SVppoſito, quòd Vicarij Generales Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, &c. poſſint ſibi eligere Confeſſarium, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 3. concl. 3. illat. 3. verſ. Imò: & verſ. Sed ſuppoſito*; Tunc Confeſſarius electus poteſt eos abſoluere ab omnibus, à quibus ipſi poſſunt alios abſoluere, Hæc concluſio patet ex Regula ſæpè ſæpius ſupra repetita, Eſt tamen verum, quòd *Vgol. de poteſt. Epiſcopi, c. 4. §. 7. num. 2. verſ. Poſtremò Sbrozius de Vicar. Epiſc. lib. 2 q. 19 nu. 2. & q 179. nu. 1. & q 180. nu. 2. Rebuff. in praxi beneficiali, tit. de form Vicariat. nu. 179. & ſeq. Suar. in 3 par. tom. 5. diſp. 42. ſec 2. nu 8. Barb. de offic. & poteſt Epiſc. alleg. 11. 39. nu.* 10. & alij, cùm velint diſpenſandi, & abſoluendi poteſtatem Epiſcopis conceſſam quoad caſus reſeruatos occultos per *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de refor. c. 6.* Vicarium generalem ſine ſpeciali conceſſione exercere non poſſe, cùm id Concil. exigat in illis verbis, *Aut Vicarium ad id ſpecialiter deputatum, &c.* Indè ſequitur, Confeſſarium electum à Vicario Generali non habenti huiuſmodi ſpecialem conceſſionem, non poſſe ipſum Vicarium abſoluere à dictis caſibus reſeruatis, & occultis. Imò idem *Vgol. loco cit. c. 38. nu. 7. in fine, & Graff in appendice ad ſuas deciſ. lib. 3 c. 8 nu. 22. & lib. 1 c. 7. nu* 48 Docent Vicarium Epiſcopi, vel alterius Superioris Regularis, habentem facultatem abſoluendi, etiam cum poteſtate ſubdelegandi, circa dictos caſus, vel alios reſeruatos, non poſſe illa vti in fauorem propriæ perſonæ, niſi contrarium conſtet de expreſſa mente Prælati concedentis: ſiquidè verba generalia cenſentur arctata ad ſolita cõcedi, *l. finita, ff. de damn. infect.* At iſta facultas ſolet ſemper concedi reſpectu aliorum, non autem ipſius; ergò. Hanc quidem opinionem reſpectu Vicarij arbitror veram eſſe, quando Epiſcopus delegat Vicario Generali certum caſum occurrentem, & ſic nudum miniſterium: ſecus autem ſi Epiſcopus delegaret Vicario omnes prædictos caſus iuxta ea, quæ nos adnotauimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 9. nu. 3. & 4.* Siquidem primo caſu non iuriſdictio, ſed certum miniſterium potius committitur Vicario: ſecundo vero caſu communicatur ei iuriſdictio ordinaria, vt ibi oſtendimus, & in ſpecie *Floren. de caſib. reſer. Fauentiæ p. 1. c. 3. §. 1. num. 1. & Alph. de Leone d. recoll. 9. ſub nu. 94.* Qui tamen

quoad

Digitized by Google

21 Quoad Vicarium Superioris alicuius Religionis diſtinguit, quòd aut eſt præſens, aut abſens ſuperior primo caſu non poteſt Vicarius dicta facultate vti: ſecus autem ſecundo caſu. Idem dicendum eſt de Priore habente Abbatem, & de alijs ſimilibus, qui primum locum obtinent poſt Superiores locales. Etenim hi non dicuntur propriè Prælati, niſi abſente Superiore à remotis, quo caſu habent iuriſdictionem ordinariam in exercitio: præſente vero Superiore, licèt alijs præferantur, qua ratione poſſunt Prælati nuncupari: nihilominus non habent iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam in his, quæ ſibi à Superiore demandantur: nec ſunt exempti, ſed tenentur confiteri Confeſſarijs deputatis iuxta decretum Clem. VIII. Vndè tunc poſſunt ſibi eligere Confeſſarium, quando Superior eſt abſens, quo caſu poſſunt ab eo diſpenſari, abſolui ab omnibus, à quibus poterant abſoluere, & diſpenſare eorum Superiorem, vt colligitur ex ijs, quæ cumulant *Sanch. lib. 4. ſua ſum. c. 36. n. 5. Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 19. art. 2. Zecch. in ſua Repub. Eccleſiaſt. c. 22. num. 2. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 36. & 37.* Vbi tamen hæc limitat non
22 militare in Vicarijs, & Prioribus, qui non habent Præpoſitos, nec Abbates, qualis eſt Vicarius noſtræ Domus Sanctæ Mariæ de Toro Vici Aequenſis, quoniam iſte, ſecluſa conſtitutione aliqua, poteſt dici Prælatus, & ita habet Præpoſititia, vt oſtendimus ſupra *ſec. 2. concl. 5. verſ. Cæterum*; ita vt poſſit fortè benedicere corporalia, & poſſet ei fieri delegatio à S. Pontifice: ſiquidem ceſſante Præpoſito, vel Abbate ipſi habent dignitatem, vt patet ex ijs, quæ adnotantur per *Rodriq. loco citato, circa medium, & q. 20. art. 2. & Zecch. d. c. 22.*

Hoc loco poteſt quæri de Vicario S. Pontificis, ſeù Vrbis, & eiuſdem Vicegerente, de Regẽtes Pœnitentiarij, de Vicario Capituli, Sede vacante, & de Vicelegatis, an poſſint ſibi eligere Confeſſarios, à quibus abſoluantur ab omnibus, à quibus poſſunt alios abſoluere, & diſpenſentur in omnibus, in quibus poſſunt ipſi cum alijs
23 diſpenſare. Et quidem quoad Vicarium Rom. Pontificis nulla eſt difficultas, cùm iuriſdictionem habeat ordinariam, & ſic Cardinalis, de cuius officio, & poteſtate habetur in *text.* & ibi *Gloſ. & Doctores, de offic. Vicar. Zecch. in Repub. Eccleſ. de Prælatis in ſpecie, c. 2.* & alij. Idem dicendum eſt de eiuſdem Vicegerente, cùm ſit Prælatus exemptus, & vt plurimum Epiſcopus. Quo vero ad Vicelegatos dicimus eos poſſe ſibi eligere Confeſſarium, à quo poſſint diſpenſare, & abſolui ab omnibus, à quibus ipſi poſſunt alios abſoluere, ac diſpenſare. Etenim quamuis non habeant dignitatem Epiſcopalem; habent tamen omnes Prælaturam aliquam, aliàs nequirent tali officio fungi: & habent quoque ordinariam iuriſdictionem, vt habetur ex *P. Naldo in ſua ſum. ver. Vicarius in fine*, ex Rota Romana, quem refert, & ſequitur *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 6. nu. 53.* Regens verò
24 S. Pœnitentiarij, vt plurimum eſt vnus ex Auditoribus Rotæ; non tamen habet iuriſdictionem ordinariam, ſed delegatam; atque adeò delegatus in foro pœnitentiali non Principis, ſed vel à ſimplici Ordinario, vel à Delegato Rom. Pontificis: qua propter non poteſt ſubdelegare vniuerſitatem cauſarum, niſi expreſsè hæc facultas ei concedatur, vt habetur per *Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 31.* Solet tamen, imò & poteſt de iure non ſolùm committere nudum miniſteriũ, ſed etiam vnam, vel alteram cauſam, cùm ſit Delegatus ad Vniuerſitatem, ſeù generalitatem cauſarum, vt notat *Alph. de Leone* ibi *recoll. 7. nu. 11. & 12.* vbi declarat, quid ſit committere nudum miniſterium. Vndè cùm Regens S. Pœnitentiarij ſit Prælatus exemptus, habeat iuriſdictionem in foro pœnitentiali, clarum eſt eum poſſe eligere Confeſſarium, qui eum abſoluat ab omnibus, à quibus ipſe poteſt alios abſoluere, ac diſpenſet in omnibus, in quibus poteſt cum alijs diſpenſare, committendo illi ſuam cauſam, & in illum transferendo omnem ſuam poteſtatem. Denique circa Vicarium, Sede vacante, idem eſt dicendum, quod de Vicario Epiſcopi, & multo magis id aſſerendum eſt Vicario Apoſtolico, cũ ſit Prælatus exemptus, & iuriſdictionem habeat ad vniuerſitatem cauſarum, vt per eundem *Alph. loco cit. recoll. 4. nu. 45.* vbi eandem rationem militare putat in dictis Vicarijs, quæ militat in Vicario Vrbis, ſeù Rom. Pontificis, & *recoll. 6. ſub nu. 26.* inter Vicarios enumerat etiam Vicarios Ordinum Militarium, in locis vbi habent iuriſdictionem ſpiritualem, aut ſint Præsbyteri, iuxta ea, quæ habentur ex *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 29. nu. 15.*

QVINTA CONCLVSIO.

25 PRælati non habentes iuriſdictionem in foro conſcientiæ poſſint abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt à caſibus ordinarijs, à quibus alij poſſunt abſolui, à caſibus reſeruatis Ordinario, & à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ iuxta, & ſecundum priuilegium, quod habent. Quòd poſſint abſolui à caſibus ordinarijs, & à caſibus reſeruatis Ordinario, patet quoniam habentes facultatem eligendi Confeſſarium de iure, ſunt Prælati, qui ſunt exempti à iuriſdictione Ordinarij, & immediatè ſubiecti Rom. Pontifici, vt in *c. fin. eo. tit, noſtro*; ergò non ligantur caſibus reſeruatis Ordinario, atque ideò à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt poſſunt abſolui à caſibus reſeruatis Ordinario, & ab alijs caſibus ordinarijs. Quod autem abſolui poſſint à caſibus reſeruatis Rom. Pontifici, & in multis diſpenſari ex priuilegio patet ex Bulla Pauli III. 23. quæ incipit, *Debita conſideratione, §. Nec non*, de qua *Zecch. de Repub. Eccleſ. c. 10. n. 1. & Alph. de Leone d. recoll. 6. nu. 58.* Qui loquentes in ſpecie de Referendarijs, vi dictæ Bullæ aſſerunt, eos poſſe ſibi eligere Confeſſarios Regulares, vel ſæculares, qui eoſdem abſoluant à caſibus Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, exceptis offenſa Eccleſiaſticæ libertatis, crimine hæreſis, rebellionis, conſpirationis in perſonam, vel ſtatum S. Pontificis, falſitatis litterarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, inuaſionis, ac deprædationis terrarum, & maris Rom. Eccleſiæ, mediatè, vel immediatè ſubiectarum, offenſæ erga perſonam Epiſcopi, vel alterius Prælati, prohibitionis appellationis cauſarum ad Romanam Curiam, delationis prohibitorum ad partes infidelium; ſemel in vita, & in alijs toties, quoties, iniuncta pœnitentia ſalutari: & poſſint commutare eorum vota in alia pietatis opera, exceptis Hieroſol. S. Iacobi in compoſtella,

Digitized by Google

liminum Diuorum Petri,& Pauli Apoſtolorum, caſtitatis, & Religionis: & ijdem Confeſſarij ſemel in vita, vel etiam in morte plenam indulgentiam peccatorum ſuorum illis concedere poſſint; dummodò, vt vbi alicui facienda ſit ſatisfactio, fiat, vel iniungatur. Et quamuis *Ricc. in praxi var. reſol. c.* 30. loquatur de Referendarijs, qui ſunt de numero viginti duorum; nam hos tantùm ait eſſe exemptos, nihilominus *Alph. dè Leone d. recoll. 6. ſub nu.* 59. videtur valde incertum, & meritò, quoniam hæc diſtinctio non habetur, nec iure, nec in conſtitutione aliqua, & propterea nec nos diſtinguere debemus, *arg. tex. in l. de pretio, de public. in rem act.* niſi velimus dicere quòd illi Referendarij 22. propinquius aſſiſtant Rom. Pontifici, ac ſint illi commenſales: nam de his propriè loquitur dicta Bulla. Auditores Rotæ ſunt quoque exempti ex Bulla 12. Pauli III. & 12. Clem. VII. Sic etiam Prothonotarij Apoſtolici, dummodò incedant in habitu, nempè cum Mantelletto, vt habetur ex *Zeccb. de Repub. Eccleſ. c.* 12. *&* *Alph. de Leon. d. recoll. 6. nu.* 61. qui *nu.* 62. idem dicendum fore putat de Abbreuiatoribus: & de omnibus alijs arbitror, quos ſupra enumeraui, *ſec. 3. concl.* 3. *illat.* 4. illi omnes Prælati quamuis non habeant iuriſdictionem in foro pœnitentiali, cùm ſint exempti, & non ſubſint Ordinario poſſunt abſolui à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt à caſibus reſeruatis ipſi Ordinario, vt habetur ex *Zecch. loco citato, c.* 10. *&* 11. à caſibus verò reſeruatis Romano Pontifici regulariter non poſſunt, niſi ſpeciale priuilegium habeant, vt ſupra diximus de Referendarijs, vt habetur ex *Alph. de Leone d. recoll. 6. nu.* 110.

An proprius Sacerdos poſſit ſuam iuriſdictionem, quam habet in pœnitentiali foro in ſuos ſubditos, alteri delegare.

S E C. VII.

S V M M A R I V M.

1 *Proprius Sacerdos eſt Summus Pontifex, Summus eius Pœnitentiarius, Epiſcopus, ſub cuius nomine veniunt Archiepiſcopi, & Patriarchæ, eorumq; Vicarij, & Parochi.*

2 *Proprius Sacerdos vniuſcuiuſq; duplicem poteſtatem habet, Ordinis, & iuriſdictionis, & quænam ſint huiuſmodi poteſtates.*

3 *Poteſtas iuriſdictionis requiſita in foro ſacramentali diſtincta eſt à poteſtate Ordinis, tùm in eſſentia, tùm in modo, tum etiam in tempore quo confertur.*

4 *Poteſtas Iuriſdictionis diuiditur in ordinariam & delegatam, Et quæ ſit Ordinaria, quæuè delegata.*

5 *Iudex Delegatus is vere dicitur, cui ſine magiſtratu, ac officio vt non habita ratione ad illud, iuriſdictio demandata eſt.*

6 *Proprius Sacerdos iuriſdictionem, quam habet in ſuos ſubditos in foro pœnitentiali, regulariter poteſt alteri delegare.*

7 *Hoc ampliatur licet ſit Epiſcopus, electus tantum, & confirmatus, non dum conſecratus.*

8 *Proprius Sacerdos non ſolum poteſt delegare ſuam iuriſdictionem ordinariam, ſed etiam quæ ei competunt ex priuilegio in caſu impedimenti, pro vt eſt abſoluere ſubditos impeditos à caſibus, & cenſuris, Apoſtolicæ Sedi reſeruatis.*

9 *Legati à latere facultatem abſoluendi, etiam alteri delegare poſſunt. Idem & de Cardinalibus in Eccleſia ſui tituli dicendum eſt.*

10 *Abbates exempti quoque hanc poteſtatem delegandi habent, & omnium Epiſcoporũ Vicarij.*

11 *Legati Apoſtolici iuriſdictionem habent ordinariam in eorum Prouincijs, omniaq; poſſunt, quæ poteſt Archiepiſcopus tẽpore viſitationis.*

12 *Regularium Superiores delegare poſſunt quoad ſuos ſubditos, tum actiuè, tum paſſiuè.*

13 *Regularium Superiores non modò iuriſdictionem delegare poſſunt, ſed etiam tenentur ex decreto Clem.* 8.

Quot Confeſſarij deputare debeant in ſingulis domibus, & quales debeant eſſe Confeſſarij prædicti.

14 *Vicarij ſupradictorum Superiorum in eorumdem abſentia iuriſdictionem habent Ordinariam, & poſſunt quoque delegare.*

15 *Parochus quamuis iuriſdictionem habeat ordinariam in omnes de ſua Parochia in foro pœnitentiali, nihilominus eam delegare non poteſt ſimpliciter, neque non approbatis, & ad breue tempus.*

An, & quando eam delegare poteſt Parocho conuicino.

16 *Parochi indirectè aliquando poſſunt non approbato ab ordinario licentiã dare audiendi ſubditorũ ſuorum, vtpotè Regularibus, & quando.*

17 *Parochus excommunicatus non toleratus, an poſſit in caſibus prædictis ſuam iuriſdictionem in foro pœnitentiali delegare non approbato ab Ordinario.*

18 *Pœnitentiarij Vrbis, ſiuè S. Mariæ Lauretanæ alijq; ſimiles delegare alteri non poſſunt ſuam iuriſdictionem.*

19 *An poſſint Pœnitentiarij prædicti delegare nudum miniſterium. Et a quo concedatur poteſtas diſpenſandi, & abſoluẽdi a certis caſibus.*

20 *Non prohibetur Epiſcopus pro Diœceſis amplitudine plures conſtituere Pœnitentiarios cum vnione præbendæ, & tam Sæculares, quam Regulares, & tàm in Cathedrali, quam in alijs Eccleſijs Ciuitatis.*

21 *Pœnitentiarij conſtituti ab Epiſcopo vigore Concil. Trid. differunt à conſtitutis ab eodem vigore Decreti Clem.* 8. *Et in multis.*

22 *Pœnitentiarij prædicti in hoc conueniunt inter ſe, qui nullus poteſt alteri delegare facultatem abſoluendi a Delegatis, nec in totum, nec in parte.*

23 *Vicarius Generalis Epiſcopi non modò nudum miniſterium alteri delegare poteſt, ſed vnum quoque, vel plures caſus, non tamen omnes.*

24 *Delegatus ad vnam perſonam abſoluendam, & à certo caſu, neque nudum miniſterium alteri delegare poterit.*

25 *Pœnitentiarij, pro regularibus deputati vigore decreti Clem.* 8. *ſeu Confeſſarij deputati in ſingulis domibus, pro maiori, vel minori ſubditorum numerum abſoluere non poſſunt à reſeruatis, niſi expreſſam abſoluendi habeant facultatem.*

26 *Omnes, qui delegatam habent poteſtatem audiendi confeſſiones, eam ſubdelegare non poſſunt, niſi in tribus caſibus.*

Ad

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd vt ſupra adnotauimus *ſec.2.* proprius omnium fidelium Sacerdos eſt Rom Pontifex, eiuſdem Sum. Pœnitentiarius, Epiſcopus quoque eſt proprius Sacerdos eorum, qui ſunt de propria ipſius Diœceſi, ſub cuius nomine veniunt Archiepiſcopi, Patriarchę ac Primates, qui etiam tempore viſitationis ſuarum Prouinciarum, ſunt pariter proprij Sacerdotes eorum ſuffraganeorum ſubditorum. Item proprios Sacerdotes diximus eſſe præfatorum Antiſtitum Vicarios Parochos in eorum Parochijs, Legatos in illorum Prouincijs, Abbates exemptos tàm Sæculares, quàm Regulares, Superiores Religionum, & alij habentes iuriſdictionem ordinariam in pœnitentiali foro, vt colligitur ex noſtro canone, & ibi *Io. Andr. Panor.* & Canoniſtæ communiter. Vndè proprius Sacerdos is propriè dicitur, qui in prædicto foro iuriſdictionem ordinariam habet.

2 Secundò eſt adnot. quòd proprius Sacerdos vniuſcuiuſq; duplicem poteſtatem habet, Ordinis ſcilicet, ac iuriſdictionis. Ordinis tàm ſuper Corpus Chriſti vt verum, de quo modo nos non loquimur; quàm ſupra Corpus Chriſti miſticũ, quæ dicitur poteſtas clauium, & recipitur propriè in ordinatione, vt eſt *tex. in extrauag.* quia quorundam, *de verb. ſignif.* Vndè qui habet poteſtatem tantùm Ordinis habet poteſtatem clauium, nempè poteſtatem ligandi, & ſoluendi in actu primo tanquam in radice, ſeu habet poteſtatem clauium incompletè, non autem vſum clauium, atque adeò complete, vt rectè declarat *P. Molf. in ſua ſum. Theol. tract.7.c.14.nu.5.& Alex. de Sancto Elpidio in tract. de poteſt. Eccl. c. 9. in prin.* Poteſtas verò iuriſdictionis eſt completa poteſtas clauium non ſolùm quoad actum primum, ſed etiam quoad vſum: quo circa qui habet poteſtatem clauium complete non ſolum habet poteſtatem ordinis, ſed etiam habet vſum clauium, atque ideò ad implendam abſolutionem ſacramentalem, non eſt ſatis poteſtas ordinis, ſed omninò exigitur iuriſdictionis poteſtas, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom.4. diſp. 16. ſec.3. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract.7.nu. 169. Reginald. lib.1. ſuæ prax. nu.3. Bonac. de ſacram. diſp.5.q.7.pun.1. nu. 5.* & ex alijs communiter. Non tamen ob id dicimus in ordinatione accipi iuriſdictionem aliquam habitualem, ſeu inchoatinè pro vt *Palud. Maior, Nau.* & alij putant; quoniam etſi in iure detur aliqua iuriſdictio habitualis; tamen illa præſupponit in ſubiecto, quòd ſit Iudex, & ſic actualis, vt exemplificat *Rota Rom. Diuerſ. deciſ.514.nu.2.* In Iudice ad quem poteſt appellari, qui habet iuriſdictionem in habitu antequam appelletur: ſiquidem in dicta poteſtate ordinis nulla datur iuriſdictio; ſed illa confertur ordinario per extrinſecam Eccleſiæ conceſſionem, vt habetur per *D.Thom.* quem refert, & ſequitur *Suar. loco citato, nu.26. Conynch. diſp.8. nu. 20. Filliuc. d. tract.7.nu.138. P. Molf. d.c.14.nu.53.* qui teſtatur, hanc ſententiam eſſe magis communem, & conformem *Conc. Floren. & Trid.* pro qua ſententia *Alph. de Leone par.2. caſ. conſc. recoll. 3. ſub nu. 42. in fine*, adducit etiam quæ tractat *Barb. in principio ſui tract. de offic. & poteſt. Epiſc. tit.1.c.1.nu.23.* agens de Epiſcopis titularibus, qui cùm nullam habeant iuriſdictionem ſunt ſimplicibus Sacerdotibus valdè ſimiles.

3 Tertiò eſt adnot. quòd poteſtas iuriſdictionis requiſita in ſacramentali foro eſt diſtincta à poteſtate ordinis, tàm in eſſentia, quam in modo, quàm etiam in tempore, quo confertur, vt poſt *D.Thom. D. Bonauen.* & alios probat *Suar. loco cit.n.29. Filliuc. d. tract.7.nu.176. Conynch. diſp.8. dub.2. Molf. vbi ſupra nu. 49. Alph. de Leone d. recoll.2. ſub nu. 25. & ſeq.* Etenim poteſtas Ordinis in Sacerdote eſt ſemper indelebilis, eo quòd inhæret characteri indelebili: poteſtas verò iuriſdictionis eſt delebilis, & amitti poteſt etiam à Rom. Pontifice, ſi renunciet Pontificatui, & ab eodem Rom. Pontifice reſpectu aliorum reſtringi, ac modificari poteſt, & ob culpam penitus auferri Epiſcopis, Parochis, & alijs, vt habetur ex *Henr. lib. 3. de pœnit. c.1.n.3.* Item poteſtas Ordinis in omnibus Sacerdotibus eſt æqualis, at poteſtas iuriſdictionis inter Sacerdotes non eſt æqualis: ſiquidem minor eſt in Parocho, quàm in Epiſcopo: minor in Epiſcopo, quàm in Archiepiſcopo, &c. Præterea poteſtas Ordinis confertur in ordinatione; poteſtas verò iuriſdictionis datur ex poſt facto, & ſic poſt ordinationem ab Epiſcopo, vel ab alio Epiſcopalem facultatem habente: Denique poteſtas Ordinis ſemper eſt ordinaria; poteſtas autem iuriſdictionis de iure Diuino eſt ordinaria in Romano Pontifice; at de iure Eccleſiaſtico in alijs poteſt eſſe ordinaria, ac etiam Delegata.

4 Quartò eſt adnot. quòd poteſtas iuriſdictionis diuiditur in ordinariam, ac delegatam. Prior eſt facultas, quæ alicui competit ex vi muneris, ſeu ex officio, quod quis habere nequit niſi à iure, vel à Summo Principe, aut à conſuetudine, vel cõſenſu vniuerſitatis, *Gloſa in l. & quia, ver. nec ipſa lex, ff. de iuriſd. omn. iudic.* Delegata verò eſt facultas tradita ab iis, qui ordinariam habent iuriſdictionem, vel à legato Summi Principis, vt colligitur ex *Gloſa loco citato*, & patet ex *toto tit. C. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Hæc autem diuiditur in foro pœnitentiali, in eam quæ datur pœnitentibus, vt eorum arbitrio eligant ſibi Confeſſarium, & hæc vel datur à iure, vt in *c. fin. eo. tit. noſtro*, vel à conſuetudine iuxta tamen ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 4.* vel datur à Principe ex gratia, & ex priuilegio, vt facultas, quæ ex priuilegio concedi ſolet à Rom. Pontifice magnis Principibus, Regi, ac Imperatori, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium: aut datur in Iubilæo cunctis fidelibus, vel etiam alijs Congregationibus, & perſonis particularibus, tàm à Rom. Pontifice, quàm ab alijs Prælatis inferioribus, & diuiditur in eam, quæ delegatur Confeſſarijs directè vt valeant confeſſiones audire certarum perſonarum, omnium perſonarum alicuius Diœceſis, vel Prouinciæ, vel etiam omniũ fidelium, vtraque denique delegatio fieri contingit à Rom. Pontifice, vel ab alijs inferioribus.

5 Ex dictis igitur patet, quòd ille verè eſt Iudex Delegatus, cui ſine Magiſtratu, officioue, aut non habita ratione ad illud iuriſdictio mandata eſt, vt rectè docet *Molina de Iuſtit. & iure tom. 6. diſp.14. nu. 1.* & alij, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.92. nu.6. & in l. cum Prætor, §.1. nu.21. & 22. & à nu. 24. cum ſeq. ff. de Iudic.* vbi inquit, idcircò ibi dici, *Iuriſ-*

dictio

dictio mandata eſt; quoniam nihil refert, an ab homine, vel lege mandetur, ſi per modum ſpecialis commiſſionis delegatur. Etenim ſicut ordinaria iuriſdictio à iure concedi poteſt; ita etiam delegata: nam vbi Sacerdos in Parochum aſſumitur, mox ei à iure conceditur iuriſdictio ordinaria: quando verò datur fidelibus priuilegium per Bullam, aut Iubilæum, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium approbatum iuxta formam *Conc. Trid.* ſtatim quoque, facta electione, de iure conceditur iuriſdictio ipſi Sacerdoti ſuper pœnitentem ſe virtute Bullæ eligentem. Ita *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 3. num. 3.* His breuiter ſic adnotatis, ſit.

VNICA CONCLVSIO.

6 Proprius Sacerdos regulariter poteſt iuriſdictionem, quàm habet in ſuos ſubditos in pœnitentiali foro alteri ſubdelegare. Hæc concluſio patet: ſiquidem is poteſt delegare, qui iuriſdictionem habet ordinariam, vt in *l. more maiorum, ff. de iuriſd. omn. iudic.* Ita ſe habente, *More maiorum ita comparatum eſt, vt is demum iuriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo iure; non alieno beneficio habet.* Dicitur *Suo iure* Ideſt Ordinatio, exponit ibi *Gloſa*. Vndè quoniam omnes ferè proprij Sacerdotes iuriſdictionem habent ordinariam in pœnitentiali foro, vt patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 2.* hinc fit, quòd proprius Sacerdos poteſt ſuam iuriſdictionem alteri delegare. Confirmatur hæc concluſio ex ijs, quæ decernuntur in *text. in c. inter cætera, de offic. Ordinar. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 26. ſec. 1. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. nu. 199.* cum alijs, quos allegat, & in ſpecie clarè colligitur ex noſtro canone, in illis verbis, *Si quis alieno Sacerdoti, &c.*

7 Ampliatur hæc concluſio, vt proprius Sacerdos poſſit ſuam iuriſdictionem in pœnitentiali foro alteri delegare, etiam ſi ſit Epiſcopus tantùm electus, & confirmatus, & non dum conſecratus vt patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 3. concl. 3. illat. 3.* ſiquidem huiuſmodi Epiſcopus, ſicut & alij Epiſcopalem, ſeù quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentes, etiam ſi confirmati tantùm ſint eorum iuriſdictione ordinaria vti poſſunt. Imò Romanus Pontifex poſt eius electionem citra confirmationem aliquam poteſt iuriſdictionem delegare in hoc foro: etenim Rom. Pontifex electione de eo facta à duabus partibus Cardinalium, ſtatim à Deo ſuſcipit iuriſdictionem ſummam, & ordinariam, quam alteri delegare poteſt, vt ſupra diximus *d. illat. 3.*

8 Secundò ampliatur, vt locum habeat in proprio Sacerdote, etiam in ijs, quæ ei competunt ex priuilegio in caſu impedimenti. Vndè licèt ſolus Epiſcopus, & alij habentes quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem, & Diœceſim, ſuos ſubditos impeditos poſſint abſoluere à caſibus, & cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, vt latè de hac re egimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 8. à nu. 38. & 55.* nihilominus eorum poteſtatem poſſunt etiam alteri delegare: ſiquidem talis facultas Epiſcopo competit ex officio, ac priuilegio ſuæ dignitatis; ergò poteſt Epiſcopus eam alteri ſpecialiter delegare, vt oſtendimus in dictis noſtris *Comment. §. 2. q. 9. nu. 8.* vbi etiam diximus probabiliter, *nu. 13. & 16.* poſſe Vicarium Generalem Epiſcopi ex vi generalis commiſſionis abſoluere huiuſmodi impeditos, maximè in abſentiam Epiſcopi. Et id multo magis verum eſt quoad facultatem conceſſam Epiſcopo per *Concil. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 6.* diſpenſandi, & abſoluendi delinquentes quoſcunq; in foro conſcientiæ à quibuſuis caſibus, & cenſuris occultis per ſe, vel per Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, cum facultas delegandi expreſsè per Conc. tribuatur. Non tamen hanc poteſtatem haberet Vicarius Generalis, ex vi ipſius Generalis commiſſionis, vt ibidem probauimus, *nu. 12. verſ. Denique;* ſed oporteret ſpecialiter delegari, quo caſu poſſet Epiſcopus delegare non tantùm vnum, ſed etiam plures Vicarios, vt per Sacram Congregationem fuiſſe declaratum teſtatur *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 3. nu. 50.* Imò ſi vera eſt opinio illorum, qui volunt, facultatem abſoluendi ab hæreſi occulta conceſſam Epiſcopo per *Conc. Trid. loco citato*, non eſſe ei reuocatam ei ſaltem, vt Ordinario Inquiſitori, poterit illam delegare alicui priuato, non ſolùm quoad nudam, & ſimplicem poteſtatem abſoluendi iuxta formam ſibi præſcriptam, verum etiam relinquendo Delegato arbitrio ſuo iniungendi pœnitentiam, & onus vna cum annexis, vt diximus poſt alios in *d. q. 9. ſub nu. 19. verſ. Hac eadem ratione.* Sed quoniam oppoſitam ſententiam putamus eſſe probabiliorem, imò veram, vt oſtendimus ſupra *ſec. 5. concl. 2. ampl. 4.* atque ideò præfatam poteſtatem conceſſam Epiſcopo per Conc. Trid. abſoluendi ab hæreſi fuiſſe ſublatam per Bullam Cœnæ; idcircò de poteſtate delegandi abſolutionem ab hæreſi, non eſt amplius agendum.

9 Tertiò ampliatur in legatis à latere: etenim hi ſicut poſſunt confeſſiones audire, ita etiam hanc facultatem poſſunt alteri delegare, vt patet ex ijs, quæ habentur ex *tex. in c. 2. de offic. leg. in 6.* Siquidem aut habët iuriſdictionem ordinariam & de iure facultatem habent delegandi, iuxta ea, quæ ſupra diximus, aut iuriſdictionem habent delegatam, & cum ſit à Rom. Pontifice poteſt ſubdelegare, *l. à Iudice, C. de iudic.* Pro hac reuide *Sanch. lib. 8. de matrim. diſp. 28. Graff. in appendice lib. 1. deciſ. c. 11. nu. 13. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 5. nu. 62.* qui *nu. 63.* Inquit etiam idem dicendum non eſſe de Vicelegato, nam ſubdelegatus Delegati Papæ de iure non poteſt ſubdelegare, niſi nudum tantùm miniſterium. Quæ diximus de legatis à latere extendimus ad Nuncios, & de legatos natos de quibus ſupra diximus, *ſec. 2. concl. 2.* Idem dicendum eſt de Eminentiſſimis Cardinalibus in Eccleſia ſui tituli: ſiquidem hi habent iuriſdictionem Epiſcopalem, & ordinariam, vt in *d. concl. 2.* adnotauimus. Et denique, quòd Abba-
10 tes exempti poſſint in eorum Diœceſibus hanc eandem iuriſdictionem delegare, probat *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 28. nu. 6. Campanil. rub. 12. c. 13. nu. 76.* qui ita teſtatur fuiſſe declaratum à Sacra Congregatione. Imò hanc eandem poteſtatem habere Capitulum Sede vacante eiuſque Vicarium, & ſuprádictorum Prælatorum, ac Epiſcoporum omnium Vicarios Generales, cùm ſatis ſit quod Iuriſdictionem habeant Epiſcopalem, patet ex ijs, quæ cumulant *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. nu. 55. & Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 4. & 5.* quos refert,

Digitized by Google

refert, & ſequitur *Alph. de Leone loco cit. ſub nu. 65.* & conſtat etiam ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 4. concl. 3. illat. 3. verſ. Imo, & verſ. Sed ſuppoſito.* Etenim Vicarius Generalis non eſt Delegatus in multis, ſed eſt Ordinarius, & facit idem conciſtorium cum Epiſcopo, vt habetur ex *Sanch. d. diſp. 28. nu. 2. & 3. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 26. ſec. 3. nu. 11. Barb. loco citato, Reginal. lib. 1. prax. ſub nu. 95. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7. ſub nu. 316.* & ex alijs. Quid autem dicendum ſit de Vicarijs Epiſcoporum quoad caſus Epiſcopis reſeruatos, infra dicemus *lim. 2. verſ. Conueniunt autem.*

11 Adde quod nonnulli volunt, Legatos Apoſtolicos in eorum Prouincijs habere iuriſdictionem ordinariam, vt ſupra adnotauimus *d. ſec. 4. illat. 2* & nobis id valdè probabile videtur, cùm idem poſſit omni tempore legatus, quod Archiepiſcopus tempore viſitationis: & non poſſunt dici alij reſpectu Epiſcoporum, ſed ſunt eadem res cum ipſis, vt *c. 1. de offic. leg. in 6.* & appellatione Epiſcoporum veniant legatus à latere, etiam in Conſtitutione conciliari, vt per *Gambar. de de offic. & poteſt. leg. à latere lib. 8. in tit. Quid poſſit Legatus circa indulgentias, nu. 15.* Vidè quoad poteſtatem delegandi facultatem, de qua agitur, à Vicelegato idem videtur poſſe dici, quod ſupra diximus de Vicarijs Generalibus Epiſcoporum, niſi velimus dicere, quòd Vicelegatus iuriſdictionem habeat delegatam, & non faciat vnum, & idem Conciſtorium cum legato, ſicut Vicarij, & Epiſcopi vnum eſt auditorium, quod non eſt dicendum ſi à Vicelegato non appellatur ad legatum.

12 Quartò ampliatur in Superioribus Regularium: ſiquidem nulli dubium eſt eos poſſe delegare quoad ſuos ſubditos actiuè, ac paſſiuè, & quoad ſe ipſos, vt poſſint abſolui: ſiquidem Superiores Religioſorum poſſunt approbare Confeſſarios pro ſuis ſubditis citra conſenſum Epiſcopi, vel alterius, nam Superior eſt proprius Religioſorum Sacerdos, & Confeſſarius; vt ſupra oſtendimus *ſec. 2. concl. 5. & 6. & concl. 7. verſ. Ad Regulares.* Et quando *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* Approbationem exigit Confeſſariorum faciendam ab Epiſcopo, loquitur de illis Confeſſarijs, qui deputantur ad audiendas confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, vt ibi clarè decernitur; non autem Regularium, vt habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 62. art. 4. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 45.* & ex alijs, quos retulimus *d. verſ. Ad Regulares.* Vbi etiam egimus de Confeſſarijs deputandis ab ipſis Superioribus vigore Decreti Clem. VIII. & conſtit. Gregor. XV. tàm pro Religioſis maſculis, quàm fœminis, & de eorum approbatione, vt ibidem declarauimus, *verſ. Cæterum licèt*

13 Imò Superiores Regulares non ſolùm poſſunt eorum iuriſdictionem in pœnitentiali foro alteri delegare; ſed etiam tenentur, vt patet ex d. decreto Clem. VIII. ibi, *Non liceat Superioribus Regularium confeſſiones ſubditorum audire, niſi quando peccatum aliquod reſeruatū admiſerint, aut ipſemet ſubditi ſpontè, aut proprio motu id ab eis petierint.* Et paulo poſt, *Superiores in ſingulis domibus deputent duos, aut tres, aut plures Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori.* Qui quidem Confeſſarij debent eſſe viri eiuſdem Decreti, docti, prudentes, charitate præditi, qui à nō reſeruatis eos abſoluant. Eſt tamen verum, quòd in dicto decreto datur facultas dictis Superioribus taxandi huiuſmodi Confeſſarijs deputatis pœnitentias iniungendas, etiam pro peccatis non reſeruatis, vt patet ex eiuſdem decreti verbis, ibi, *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues aliquibus peccatis, etiam non reſeruatis a Confeſſarijs imponendas, quæ ſubditos ab huiuſmodi perpetrandis prohibere poſſint.* An autem Superiores Regulares poſſint eorum iuriſdictionem delegare Sacerdotibus alterius Religionis, ac etiam ſæcularibus, qui ſuos ſubditos in ſacramentali foro audiant, & abſoluant, ſiuè maſculi ſint, ſiuè fœminæ: & quid dicendum ſit de facultate, quæ conceditur in Bullis Iubilæi, & in alijs ſimilibus vide, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 2. concl. 7. verſ. Ad Regulaoes Superiores: verſ. Cæterum licèt: & verſ. Ex his patet,* vbi latè de his omnibus egimus.

14 Quæ diximus de Superioribus Regularium extendimus etiam ad eorum Vicarios, & Priores in eorundem abſentiam. Etenim habent ordinariam iuriſdictionem in prædictorum Superiorum abſentiam; & propterea poſſunt ipſorum iuriſdictionem alteri delegare ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſſiones, ſicut poterant Superiores præſentes, de quibus ſupra egimus, vt ſupra latè declarauimus *d. ſec. 2. concl. 5.* vbi etiam *verſ. Cæterum*: tractauimus quoque de Prioribus, & Vicarijs domorum, qui non habent nec Abbates, nec Præpoſitos, nec alios Superiores huiuſmodi, quos diximus eſſe verè Prælatos in ſuis domibu, & habere iuriſdictionem ordinariam, atque adeò ſimpliciter delegare poſſunt eorum iuriſdictionē in foro pœnitentiali quoad eorum ſubditos.

15 Sic ampliata limitatur concluſio in Parochis. Etenim Parochus quamuis habeat ordinariam iuriſdictionem in omnes de ſua Parochia in pœnitentiali foro, atque adeò poſſit ſuam poteſtatem alteri delegare; nihilominus non poteſt eam delegare ſimpliciter, neque non approbatis ab Ordinario; ſed præsbyteris approbatis, & per breue tempus; approbatis ſcilicet ab eodem Epiſcopo, licèt pro aliena Parochia, vt habetur ex *Poſſeuino de offic. Curati, c. 1. nu. 22. Suar. in 3 p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4. nu. 11. & ſeq. Bonac. diſp. 5. de ſacra. q. 7. pun. 4. §. 1. Azor. tom. 3. Inſt. moral. lib. 15. c. 15.* Imò Delegatus à Parocho vt ſupra, ſi non eſt Parochus conuicinus, debet eſſe admiſſus pro adminiſtratione omnium Sacramentorum, ſi ad omnia Sacramenta adminiſtranda maximè ſit Delegatus; ſecus autem ſi ad quædam Sacramenta, vel quoad certum genus perſonarum fuerit admiſſus, vt habetur ex *Poſſeuino loco citato.* Dixi, *Si nō eſt Parochus conuicinus.* Quoniam Parochus conuicinus licèt non habeat iuriſdictionem, niſi ſuper gregem ſuum; tamen ita eſt admiſſus, vt poſſit ei aliqua iuriſdictio delegari vt notat *Poſſenin. ibidem.* Ex quibus patet quòd licèt Parochus poſſit delegare adminiſtrationem Euchariſtiæ, aſſiſtentiam matrimonio contrahendo, facultatem concionandi pro aliqua vice, vbi non eſt copia Epiſcopi, aut Vicarij Generalis, & his ſimilia, vt habetur per *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 31. num. 11. Rodriq. tom. 3 qq.*

Regul.

Regul. art.1. & Vgol. de poteſt. Epiſc. c.42. §. 1. n.3. Et id etiam ſi Parochus non ſit Sacerdos, & Delegatus non ſit approbatus ab Epiſcopo, vt habetur ex eodem *Sanch.* ibi *diſp.20. nu.6.* dummodo ſubſtitutus ad concionandum fuerit ſaltem ſemel ab aliquo Ordinario ad concionandũ approbatus, vt probat *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat.76. nu.26. Et ſi contrarium videatur docere Sanch.* Nihilominus non poteſt delegare iuriſdictionem nõ approbato quoad forum conſcientiæ, & Sacramentum confeſſionis, vt contra *Petr. de Ledeſ.* probat *Barb.* poſt alios *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.25. nu.13. Fillinc. tom.1. qq. moral. tract.7. nu.201. & Sanch. lib.3. de matr. diſp.20. nu.10. & 14.* Ratio autem cur Parochus poſſit non approbato delegare adminiſtrationem aliorum Sacramentorum, & Sacramenti pœnitentiæ tantùm approbato, hæc eſt quoniam in pœnitentiali foro expoſtulantur magna prudentia, ſcientia, & vitæ probitas, non ſic in alijs Sacramentis adminiſtrandis, vt per eundem *Sanch. loco cit.* Imò Parochus non ſolùm pro alijs, etiam pro vna vice; ſed nec etiam pro ſe ipſo poteſt non approbato dare facultatem audiendi confeſſiones, vt habetur ex *Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. c.34. nu.1. in fine, Bonac. diſp.5. de ſacram. q.7. pun.4. §.2. nu.12.* & ex alijs.

16 Eſt tamen verum quòd Parochi indirectè aliquando poſſunt non approbato dare licentiam audiendi confeſſiones ſuorum ſubditorum. Exemplum patet in Regularibus habentibus priuilegium, vt quando ſunt in itinere, vel alibi, nec commodè poſſint præſentari Ordinario, valeant fidelium confeſſiones audire, non repugnantibus Parochis, vt patet in compendio priuilegiorum noſtræ Cong. *tit. Abſolutio quoad ſaculares, §.5.* quæ non repugnantia eſt præſtatio quædam conſenſus: nam ex eo quod tacent, dicuntur non repugnare. Non tamen ipſi Regulares tenentur à Parochis prædictam licentiam petere, vt colligitur ex ijs, quæ docet *Rodriq. tom.1. qq. Regul. q.60. art.4. & Alph. de Leone par.2. caſ. conſc. recoll.5. nu.78.* vbi etiam *nu.79.* poſt *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.2. lib.7. c.3. nu.8.* Inquit quòd quando prædicta licentia conceditur Sacerdotibus ſæcularibus cum clauſula, *Saluo iure Parochorum*. Iſti non poſſunt audire in Quadageſima confeſſiones, niſi de Parochorum licentia. Illud autem hoc loco non videtur mihi ſilentio prætereundũ, quod Doctores contendunt de Parocho excommunicato, & non tolerato, an in prædictis caſibus poſſit ſuam iuriſdictionem delegare in foro pœnitentiali alteri, ab Ordinario approbato: etenim *Henriq. lib.3. de pœnit. c.13. nu.3. Sanch. lib.5. de matr. diſp.21. nu.9. & Fagund. loco cit. c.2. nu.50.* & alij, partem negatiuam tuentur fundati in eo, quòd dare facultatem audiendi confeſſiones, ſit actus iuriſdictionis, qua omninò carent excommunicati non tolerati. *Nauar. autem in c. placuit, nu.73. de pœnit. d.6. Corduba lib.5. qq. q.13.* paulo poſt *prin. Rodriq. in explic. Bullæ cruciatæ, §.1. nu.5. Henriq. lib.11. de matr. c.3. nu.5. in comm. lit. Q. Veiga lib.6. ſua ſum. caſu 119. & ſequaces,* quorum ſententia nobis magis probatur, tenent partem affirmatiuam ex eo, quòd Parochus eo caſu cùm huiuſmodi licentiam det approbato, atque adeò non approbet illum, non cenſetur exercere, nec dare iuriſdictionem: & hanc opinionem ſequitur etiam *Alph. de Leone d. recoll. 5. ſub nu.76.* quamuis *nu.87.* id neget Epiſcopo excommunicato, & non tolerato, cum ad Epiſcopum ſolum pertineat approbatio Sacerdotum ad audiendas confeſſiones; quæ quidem approbatio eſt iuriſdictionis actus: & in hoc Epiſcopus differt à Parocho. Vndè cùm aſſiſtere matrimonio, vngere infirmum, & alia huiuſmodi non ſint actus iuriſdictionis, hæc omnia delegari poſſunt alteri tàm ab Epiſcopo, quàm à Parocho excommunicatis, & non toleratis, vt rectè probat *Fagund. d. c.2. nu.52.*

18 Secundò limitatur eadem conclusio, vt locum non habeat in Pœnitentiarijs. Etenim Pœnitentiarij, ſiuè ſint Vrbis, ſiuè S. Mariæ Lauretanæ, & alij ſimiles, ſiuè conſtituti ſint ab Epiſcopo in Cathedrali iuxta Decretum *Sacri Concil. Trid. ſeſſ.24. de refor. c.8.* ſiuè deputati ſint à Regularibus in eorum domibus vigore Decreti Clem VIII. editi ſub die 26. menſis Maij 1593. ex vi eorum muneris non poſſunt eorum facultatem alijs delegare. Nam Pœnitentiarij Vrbis, quos aliqui Maiores appellant, & ſunt deputati in Eccleſijs S. Petri, S. Mariæ Maioris, & S. Ioannis licèt habeãt facultatem abſoluendi gentes eò confluentes à caſibus Epiſcopis reſeruatis, etiam ſi ad effugiendum proprij Epiſcopi iudicium illuc ſe conferant; habeant etiam amplam poteſtatem abſoluendi à caſibus, & cenſuris Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, & commutandi vota; imò & abſoluendi Regulares etiam à caſibus ſuis Superioribus reſeruatis, non obſtantibus priuilegijs in contrarium. Non tamen habent facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, ac cenſuris, & præcipuè ab hæreſi, & ab alijs caſibus Bullæ Cœnæ, nec diſpenſandi in omnibus. Vndè dum ipſe in Eccleſia S. Petri pluries fuerim deputatus Pœnitentiarius extra Ordinarius ad audiendas confeſſiones in hædomada Sancta, & in die Reſurrectionis Dominicæ, inter audiendas confeſſiones ipſas, Illuſtriſſimus Dom. Regens veniebat ad Pœnitentiarios ipſos omnes, & ſingulos, eoſdemq; interrogans, an egeant ſpeciali aliqua facultate pro abſoluendis fidelibus, & cum ipſis

19 diſpenſandis. Eſt tamen verum, quòd præfati Pœnitentiarij Ordinarij licèt non habeant facultatem delegandi in pœnitentiali foro vniuerſitatem cauſarum, vel caſum aliquem, vt per *Cappeauill. de caſib. reſeruat. c.4. q. vnica, difficult.2. in 2. par. Floron. de caſib. reſeruat. Fauentiæ p.1. c.4. §.23. in fine, Graff. conſ.1. nu.36. de temp. ordin. & par.1. deciſ. lib.1. c.13. nu.16.* poſſunt tamen delegare nudum miniſterium, vt per *Floron. loc citato, & Alph. de Leone par.2. caſ. conſc. recoll.7. nu.17.* vbi *nu.11.* declarat etiam quid ſit committere nudum miniſterium, & ait, quòd eſt dare facultatem alicui abſoluendi in certo caſu ſibi manifeſtato, remittendo pœnitentem Confeſſario, vel etiam ipſi imponendo pœnitentiam oretenus: & ita quoque ſeruatur in caſibus diſpenſationum, & abſolutionum à certis caſibus: conceditur enim oretenus ab Illuſtriſſimo Regente huiuſmodi facultas pœnitentiarijs, vel pœnitentibus: ſiquidem Regens Sum. Pœnitentiarij licèt non poſſit delegare vniuerſitatem cauſarum, cùm ad earum generalitatem ſit Delegatus; poteſt tamen in pœnitentiali foro com-

Digitized by Google

committere non ſolùm nudum miniſterium, ſed etiam vnam, vel alteram cauſam, vt ſupra adnotauimus, *ſec. 5. concl. 4. verſ. Hoc loco poteſt quæri, circa med.*

20 Quo verò ad Pœnitentiarios conſtitutos ab Epiſcopis iuxta præfatum decretum Sacr. Conc. Trid. eſt adnot. quòd licèt Concilium loquatur in numero ſingulari circa conſtitutionem Pœnitentiariorum in Cathedralibus cum vnione præbendæ; non tamen prohibetur quin Epiſcopus poſſit plures in Ciuitate pro Diœceſis amplitudine Pœnitentiarios in Cathedrali Eccleſia conſtituere, & non ſolùm ſæculares, verum etiam & Regulares Sacerdotes. Item non tantum in Cathedrali; ſed etiam in alijs Eccleſijs, tàm in Ciuitate, quàm per totam Diœceſim, ad quos conſtituendos obligatur Epiſcopus, maximè in ſolemnioribus feſtiuitatibus pro ſubditorum commodo. Vltra ſupradictos Pœnitentiarios, quos Epiſcopus deputare compellitur vigore Concil. Trid. tenetur etiam deputare alios Pœnitentiarios ex decreto Clem. VIII. ſub die 26. Nouemb. 1602 quod refert *Quaranta ver. caſus reſeruati*, in illis verbis, *Interim de ipſius ſanctitatis ſuæ mandato, ijdem Ordinarij monentur, vt per totam ſuam Diœceſim, ac præſertim in ijs locis, qui à Ciuitate, & Cathedrali Sede longius remoti ſunt, Pœnitentiarios, alioſque Sacerdotes conſtituant, ac delegent, quibus facultatem abſoluendi à caſibus ſibi reſeruatis concedant: ita vt ijs quoq; liceat eandem alijs Confeſſarijs, ſi opus ſit viua voce impertiri, idque maximè in ſolemnioribus anni feſtiuitatibus, vt peccatores, &c.*

21 Differunt autem Pœnitentiarij conſtituti ab Epiſcopo ex decreto Conc. Trid. ab illis Pœnitentiarijs, qui ab eodem conſtituuntur vigore ſupra relati Decreti Clem. VIII. Etenim Priores Pœnitentiarij, & illi maximè qui inſtituuntur ab Epiſcopis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ, debent eſſe Magiſtri, vel Doctores, aut Licentiati in Theologia, vel in iure canonico, & annorum quadraginta, ſeù alij, qui aptiores pro loci qualitate reperiantur, vt patet ex *Concil. Trid. d. c. 8.* in illis verbis, *In omnibus Cathedralibus Eccleſijs, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ proximè vacaturæ, ab Epiſcopo inſtituatur, qui Magiſter ſit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel iure Canonico, & annorum quadraginta, ſeù aliàs, qui aptior pro loci qualitate reperiatur; qui dum confeſſiones in Eccleſia audiet, interim præſens in choro habeatur.* At Pœnitentiarij, qui ex vi Decreti Clem. VIII. ab Epiſcopo deputantur, licèt idonei eſſe debeant, tàm quoad bonitatem, quàm quoad ſcientiam, ſicut & omnes alij Confeſſarij; nihilominus decretum ipſum neceſſariò non exigit in Pœnitentiarijs conditiones, quas Concilium expoſtulat. Secundò differunt, quia Pœnitentiarij inſtituti vigore Conc. eo ipſo habent à iure, & Concilio facultatem audiendi confeſſiones pœnitentium illius Diœceſis, & iuriſdictionem ad abſoluendum à peccatis, & ſunt velut Parochi totius Diœceſis, nec requiritur noua licentia Ordinarij, & quilibet poteſt eis confiteri ſua peccata, ac ordinariam iuriſdictionem habent in pœnitentiali foro, vt hæc, & alia habentur ex *Barb.* poſt alios *de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 55. num. 19. & per totam.* Pœnitentiarij verò qui deputantur vigore Decreti Clem. VIII. iuris habent ſolùm delegatam, vt ex verbis dicti decreti clarè colligitur. Tertiò differunt; ſiquidem Pœnitentiarij conſtituti vi decreti Conc. Trid. non habent regulariter, & ex vi muneris facultatem abſoluendi à reſeruatis Epiſcopo; nam ordinariam iuriſdictionem habent ad abſoluendum à non reſeruatis tantum, & à reſeruatis non valent abſoluere, niſi talis facultas ab Epiſcopo illis expreſsè concedatur, vt habetur ex *Nauar. conſ x de pœnit. & remiſ. Homobono de humana vitæ ſtatibus c. 10. in prin. Vgol. de offic. & poteſt. Epiſc. c. 33. nu 3. Sanch. lib. 4. ſuæ ſum. c. 38 nu 20. Barb. d. alleg. 55 nu. 23.* cum alijs, quos allegat, *& Alph. de Leone par. 2 caſ. conſc. recoll. 7. nu. 28.* qui tamen id limitant, niſi in contrarium extaret conſuetudo, vel ageretur de Pœnitentiario habente præbendam annexam. At Pœnitentiarij deputati vigore Clem. VIII. decreti habent delegatam ſolùm iuriſdictionem, tàm quoad reſeruatos, quàm quoad caſus non reſeruatos, vt ex verbis dicti decreti rectè colligit idem *Alph. loco citato, ſub nu 37. in fine.*

22 Conueniunt autem præfati Pœnitentiarij inter ſe; quoniam nullus eorum poteſt delegare alteri facultatem abſoluendi à reſeruatis, nec in totum, nec in parte: ſiquidem quoad caſus reſeruatos, tàm Pœnitentiarij conſtituti vi decreti Conc. Trid. quàm Pœnitentiarij deputati vi decreti Clem. VIII. delegatam tantùm ab Epiſcopo iuriſdictionem habent. Vndè Epiſcopus cùm non ſit ſupremus Princeps, eius Delegatus non poteſt ſubdelegare, vt in *l. à Iudice, C. de Iudic.* quòd verum eſt non ſolùm quoad vniuerſitatem cauſarum, verum etiam quoad vnum caſum tantùm quoniam in tali delegatione cenſetur electa induſtria perſonæ, vt habetur ex *Barb.* poſt alios *d. alleg 55. nu. 24.* Eſt tamen verum, quòd licèt Pœnitentiarij ſupradicti non poſſint ſubdelegare vniuerſitatem cauſarum, nec vnum quidem caſum, vt ſupra oſtendimus; poſſunt tamen ſubdelegare nudum miniſterium iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *limit.* 2. de Pœnitentiarijs Vrbis agentes. Non ſic autem dicendum eſt de Vicarijs Epiſcoporum; quoniam Vicarius Generalis de iure non ſolùm nudum miniſterium, ſed etiã vnum, vel plures caſus, non tamen omnes reſeruatos poteſt delegare: imò de conſuetudine Vi-
23 carius huiuſmodi ſolet delegare hanc facultatem quoad omnes caſus reſeruatos ex voluntate expreſſa ſui Epiſcopi, qui talem facultatem ſolet concedere cum facultate ſubdelegandi, vt rectè declarat *Alph. de Leone par 2. caſ. conſc. recoll. 5. à nu. 198. vſque ad nu. 204.* vbi pro hac re allegat *Suar. in 3 p. tom. 4 diſp 26. ſec. 6. Sanch. lib. 3. de matr. diſp 26. Graff par. 1. Deciſ. lib. 1. c. 13. à n. 13. ad 17. & in praxi de quinque caſib. lib. 3. c. 10. in fine, Reginald. lib. 1 prax. nu. 50. & P. Nald. ver. Delegatus, nu. 12.* Quibus adde quæ habentur ex *Homobono de hum. vita ſtatib.* dum agit *de caſib. reſer. par. 1. c. 8. & Flor. de caſib. reſer. c. 23. in fine.* Imò *Homobonus loco citato, c. 10. verſ. Eſt autem, & Alph. de Leone* poſt alios ibi *recoll 7 à nu 31. ad 35.* & alij, quæ ſupra diximus de Pœnitentiarijs, vt poſſint nudum miniſterium ſubdelegare quoad caſus reſeruatos, ampliant etiam in diſpenſatione, &

commutatione votorum Epiſcopis reſeruatorum & in caſibus occultis Epiſcopis, competentibus iuxta Cecretum *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c.6.* ſiquidem ſi circa illos concedat facultatem Epiſcopus Pœnitentiarijs abſoluendi, ac diſpenſandi, ipſi Pœnitentiarij poſſent in caſibus particularibus concedere alijs Confeſſarijs nudum miniſterium: & idem dicunt in caſibus Epiſcopo de iure competentibus ex cauſa impedimenti adeundi Rom. Pontificem, de quibus egimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœna, lib. 3. §. 2. q. 8. & 9.* nam ſi quoad illos facultatem conceſſerit Epiſcopus Pœnitentiario, ipſe Pœnitentiarius poſſet delegare nudum miniſterium. Eſt tamen aduertendum, quòd licèt hæc vera ſint in ſupra relatis Pœnitentiarijs; nihilominus non
23 militant in Delegato ad vnam tantùm perſonam abſoluendam à certo ſolo caſu: ſiquidem talis Delegatus non poſſet ſubdelegare nudum miniſterium; quoniam iſte talis eſt Delegatus quoad nudum miniſterium, qui non poteſt illud ſubdelegare, ne detur proceſſus in infinitum: eo magis quia Iudex Delegatus delegandi poteſtatem non habet, vt in *l. à Iudice, C. de iudic.* niſi Ordinarius ſpecialiter ſubdelegandi facultatem conceſſerit, vel quis ad vniuerſitatem Delegatus eſſet: nam qui delegatur ad vniuerſitatem Ordinarius quaſi eſt, vt per *Gloſ. in c. cum cauſa, de appellat. ver. Delegatus, Ricc. in praxi aurea, reſol. 179. & alios,* & in ſpecie *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 52. nu. 11. & 13. Zecch. in ſua Repub. Eccleſiaſt. c. 21. num. 3. limit. 1.* quos refert, & ſequitur *Alph. de Leone d. recoll. 5. ſub nu. 20.* Et adducit, quòd Delegatus à Principe ad nudum miniſterium poteſt illud ſubdelegare quando eſt Delegatus per priuilegium; ſecus autem ſi per ſimplicem conceſſionem, qualis eſt ille, qui per litteras pœnitentiariæ delegatur: ſiquidem huiuſmodi Delegatum vigore literarũ ſacræ Pœnitentiariæ putant non poſſe ſubdelegare nudum miniſterium, etiam ſi non ad vnum caſum ſimpliciter abſoluendum, ſed etiam ad plures fuerit delegatus.
24 Circa denique Pœnitentiarios pro Regularibus deputatos vigore Decreti Clem. VIII. editi ſub die 26. menſis Maij 1593. per quod decernitur, vt Regularium Superiores in ſingulis domibus duo, tres, aut plures deputent Confeſſarios pro ſubditorum numero maiori, vel minori, eſt adnot. quòd huiuſmodi Pœnitentiarij, ſeù Confeſſores non poſſunt abſoluere ſubditos à reſeruatis, ſed tantùm à non reſeruatis, niſi expreſſam facultatem habeant abſoluendi à reſeruatis, vt patet ex illis Decreti verbis, *Qui à non reſeruatis eos abſoluant, & quibus etiam reſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus occurrerit, in quo eam debere committi ipſe in primis Confeſſarius iudicauerit, &c.* Vndè clarum eſt, dictos Pœnitentiarios iuriſdictionem habere delegatam, atque adeò in hoc foro pœnitentiali non poſſe alijs eam ſubdelegare, nec quidem quoad nudum miniſterium, quando adſunt caſus reſeruati, & circa eos habent facultatẽ expreſsè conceſſam à Superioribus. Etenim non alia ratione id conceditur ſupra relatis Pœnitentiarijs Epiſcoporum, niſi quia talis facultas eis confertur ſub nomine officij Pœnitentiarij; quòd officium non habent Confeſſarij domus Regularium, de quibus agitur. Et quamuis *Homobonus* poſt alios *3. par. ſui commentar. de caſib. reſeru. c. 2.* eos quoque appellet Pœnitentiarios; non tamen ſunt verè Pœnitentiarij: ſed tales appellantur propter aliquam ſimilitudinem, quam habent cum Pœnitentiarijs, qui ab Epiſcopis deputantur. Ita *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 7. nu. 43. & 56.* Pro hac ſententia faciunt tradita per *Graff. de quinque caſib. lib. 2. c. 10. nu. 32.* loquentem de delegatione circa caſus reſeruatos facta ab Abbate Priori, qui quoniam habet officium poteſt ſubdelegare nudum miniſterium; non ſic deputatus ad confeſſiones Regularium; ſiquidem iſte talis non habet officium, & ita practicatur in noſtra Religione; licèt contrarium ſentiat *Coriolan. de caſib. reſeruat. p. 1. ſec. 2. art. 5.* qui fundatur in doctrina *Nauar. in Man. c. 27. nu. 45.* dicentis, ſimplex miniſterium poſſe delegari etiam à quibuſcunq; delegatis Ordinarij. Verum *Nauar.* videtur loqui de abſolutione excommunicationis.
25 Tertiò limitatur eadem concluſio in omnibus alijs, qui delegatam tantum habent poteſtatem confeſſiones audiendi. Etenim Delegatus ſubdelegare non poteſt, *l. à Iudice, C. de Iudic. c. cum cauſam, de appell.* Non enim Delegatus poteſt agere vltra id, quod ipſi conceſſum eſt: vndè cum illi concedatur tantùm facultas exercendi iuriſdictionem, non autem alteri committendi, nam hæ duæ facultates diuerſæ ſunt, & vna alteram non includit, hinc fit, vt Delegatus non poſſit ſubdelegare. Ita *Panor. in c. cum Bertoldus, nu. 23. de ſent. & re iud. & Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 10. nu. 12.* Qui tamen excipiunt tres caſus; quorum primus eſt, ſi Ordinarius permittat Delegato facultatem ſubdelegandi ſuam poteſtatem audiendi confeſſiones. Secundus caſus, vbi Delegato committitur vniuerſitas cauſarum. Tertius denique quando delegatio fit à Principe; quoniam Delegatus à Principe poteſt ſubdelegare, *d. l. à Iudice, C. de iudic.* Eſt tamen verum, quòd licèt Regularibus à Papa vniuerſim demandata ſit facultas fideles omnes abſoluendi à peccatis, & cenſuris; & Parochorum cooperatoribus generatim delegata ſit facultas Parochianorum confeſſiones audiendi; nihilominus huiuſmodi Delegati eorum facultatem idcircò ſubdelegare nequeunt; quoniam ipſis ſimplex, & nuda iuriſdictio in ordine ad certum exercitium abſoluendi, vel aſſiſtendi, & non integrum officium iuriſdictionis committitur, *arg. text. in c. vlt. §. vlt. de offic. iudic. deleg. iuncta Gloſa, Conynch. diſp. 8. dub. 4. nu. 25. & Laym. loco citato, ſub nu. 13. verſ. Ex inde, & num. 14.* vbi addit, quòd cùm hoc non pugnat, quin Parochus, aut alius Ordinarius ſpecialiter committere poſſit cooperatori, aut ſuo Delegato, vt alterum ſubſtituere valeat nomine, ac auctoritate delegantis, iuxta ea, quæ notantur per *Gloſ. & Doctor. in c. is cui, de offic. deleg. in 6. Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 31. nu. 18.* & per alios apud eundem *Laym. d. nu. 13*

An per proprium Sacerdotem delegatio in pœnitentiali foro fieri poſſit nõ ſolùm expreſsè; ſed etiã tacitè præſumptiuè, titulo putatiuo, conſuetudine, & per ratihabitionẽ.

SEC. VIII.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Delegatio ad confeſſiones audiendas expreſsè fieri poteſt à proprio Sacerdote.*
An in iſta delegatione regulariter ſcriptura exigatur.

2 *Delegatio ad confeſſiones audiendas non ſolum expreſsè, ſed etiam tacitè alteri fieri poteſt per proprium Sacerdotem.*
An approbare Sacerdotē ad confeſſiones audiendas ſit idem, ac ei iuriſdictionem ad prædicta delegare.

3 *Tacita fuit delegatio, vbi aliquis Sacerdos in locum alterius in eo munere ſubrogatur, quod adnexum habet miniſterium audiendi confeſſiones.*

4 *Epiſcopus ſi dicat alicui Sacerdoti concedo tibi omnem meam auctoritatem; vel illi tribueret facultatem adminiſtrandi omnia Sacramēta, conſetur ei tacitè delegare iuriſdictionem ad confeſſiones audiendas.*

5 *Tacita approbatio, & delegatio dicitur facta ab Epiſcopo illius Sacerdotis docti, ac Pij, & non approbati, quem videt audire confeſſiones ſuarum ouium, & tacet, nec contradicit.*
An in aſſiſtendo ad matrimonium ſatis ſit tacita licentia, quæ habetur ex rathibitione de præſenti.
Et an dici poſſit tacita delegatio, ſufficientibus ſignis manifeſtata, ex verbis Generalibus conceſſionis circa alia Sacramenta.

6 *Ratihabitio de præſenti, habita per proprium Sacerdotum ad confeſſiones audiendas, delegationem inducit in foro pœnitentiali.*

7 *An hæc delegatio à tacita delegatione differat.*

8 *Delegatio proueniens ex ratihabitione de præterito, re vera tacita dici poteſt; propterea deſtinatus ab Epiſcopo Miſſioni ad audiendas confeſſiones ſuarum ouium, in qua ſolitus Epiſcopus facultatem concedere quoad reſeruatos, ſi ſit oblitus eam petere, poterit ea vti.*

9 *Ratihabitio de futuro inducere non poteſt delegationem iuriſdictionis ad confeſſiones ſacramentales audiendas.*

10 *Sacramentum pœnitentiæ inualidè confertur ab eo, qui iuriſdictionem actualem non habet.*

11 *Diuerſa militat ratio in delegatione tacita inducta ex ratihabitione de præſenti, & in delegatione inducenda ex ratihabitione de futuro.*

12 *Ex præſumpta proprij Sacerdotis voluntate inducitur delegatio Iuriſdictionis ad audiendas confeſſiones.*

13 *Ex conſuetudine induci poteſt delegatio Iuriſdictionis ad confeſſiones audiendas, & poteſt conſuetudo Iuriſdictionem tribuere etiam à reſeruatis.*

14 *Tutius eſt dicere, Iuriſdictionem ad confeſſiones audiendas induci conſuetudine, non præcisè ſumpta, ſed vt interpres voluntatis, ſeu conſenſus, volentis iuriſdictionem delegare.*

15 *Ex titulo putatiuo, & communi errore delegatio inducitur iuriſdictionis ad confeſſiones audiendas.*

16 *Qui aliqua de cauſa bonum titulum, quo fruebatur amiſit, ſi amiſſio illa non ſit notoria, & aliquis bona fide illi confiteatur valida erit eius confeſſio.*

17 *Omnia geſta per Prælatum, vel Parochum, talem exiſtimatum communi errore, titulum habentem putatiuum à legitimo Superiore valent etiam in foro conſcientiæ, ita vt pœnitens confeſſionem reiterare non teneatur.*

18 *Ex priuilegio delegatio inducitur ad audiendas confeſſiones.*

HAnc controuerſiam explicabimus quoad delegationem faciendam à quocunq; proprio Sacerdote, ſiuè proprius Sacerdos ſit Epiſcopus, vel Epiſcopo Superior, & vltra, ſiuè ſit Parochus ſiuè Superior Regularis. Quo circa ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 CErtum eſt, delegationem ad audiendas confeſſiones poſſe expreſsè fieri à proprio Sacerdote. Hæc concluſio eſt communis, & citra omnem controuerſiam. Fit autem expreſsè huiuſmodi delegatio, quando expreſſis verbis, vel ſignis fuerit à Delegante eius voluntas delegãdi manifeſtata, vt patet ex adnotatis per *Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 35 nu. 10. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 26 ſec. 2 nu. 13. & Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg 25. n. 10.* Item expreſsè dicitur facta huiuſmodi delegatio quando conceditur alicui facultas audiendi confeſſiones in ſcriptis, ac per ſcripturam aliquam; licèt in delegatione, de qua agitur, regulariter non requiratur ſcriptura, dato quod in alijs delegationibus nõ credatur dicenti ſe eſſe delegatum, niſi litteris probet ſuam delegationem, *c. cum in iure, de offic. deleg.* & latè poſt alios *Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 5. nu. 5.* Etenim ſcriptura eſt ſufficiens ſignum manifeſtatiuum conſenſus delegantis; qui conſenſus actu omninò exigitur, vt docent *Suar. d. diſp 26. ſec. 1. Conynch. diſp. 8. dub. 5. Layn. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 10. nu. 15.* Et alij, qui eam eſſe rationem volunt, quòd delegare iuriſdictionem ſit actus voluntatis eius hominis, qui poteſtatem habet: ergò ſine actuali voluntate ipſius non confertur alteri iuriſdictio, quæ neceſſariò requiritur ad impendendam abſolutionem in foro ſacramentali, vt infra latius dicemus. Confirmatur, quoniam delegatio iuriſdictionis, & aliæ conceſſiones fieri debent modo humano, ac ſenſibili, ita vt ab altero cognoſci, & acceptari poſſit; atque ideò ſatis non eſt mera voluntas interna; ſed eam verbo, ſcriptura, aut alio ſigno voluntatis delegantis manifeſtatiuo fieri oportet.

SECVNDA CONCLVSIO.

1 DElegatio ad audiendas confeſſiones non ſolum expreſsè, ſed etiam tacitè fieri poteſt alteri per proprium Sacerdotem. Probatur hæc concluſio ex eo quod taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cum quid, ff. ſi cert. petat.* Confirmatur, quoniam vt ſupra diximus *concl. præced.* delegare iuriſdictionem eſt actus voluntatis eius hominis, qui delegandi poteſtatem habet: at voluntas non ſolum expreſſa, ſed etiam tacita datur: ſiquidem conſenſus non tantùm verbis, verum etiam, & factis declaratur, vt *l. 4. ff. pro ſoc. l. de quib. ff. de legib.* & nos latè in *noſtro tract. de ſociet. c. 2. q. 5. & 6.* vbi oſtendimus, ſocietatem contrahi poſſe non ſolùm expreſſo, ſed etiã tacito conſenſu. Hinc ſequitur, quòd quamuis formaliter, & ſemper non ſit idem approbare aliquem Sacerdotem iuxta formam *Conc. Trid. ſeſſ 23. de refor. c. 15.* atque ei delegare iuriſdictionem ad audiendas cõfeſſiones ſed ſuppoſito

Digitized by Google

Sacerdoti ipſa approbatio, eſt tanquam vltima diſpoſitio, ſeù conditio, & complementum reddens proximè capacem Sacerdotem ad ipſas cõfeſſiones audiendas, ſi aliundè ei delegetur iuriſdictio; nam ob id aliquando Epiſcopi ſolent approbare Sacerdotes aliquos ad hoc tantùm, vt poſſint eligi virtute Iubilæi Bullæ Cruciatæ, aut ſimilis priuilegij, vt habetur per *Fagund. de præcep. Eccleſ. lib. 7. c. 3. nu. 1. & 5. Suar. in 3. p. tom. 4. diſp 26. ſec. 6. nu. 15.* Nihilominus quando ab Epiſcopo approbatur aliquis Sacerdos, ad audiendas confeſſiones in ſuo Epiſcopatu, aut in aliquo oppido, vel Parochia illius, cenſetur ei tacitè delegare iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones ſuarum ouium: ſiquidem illa approbatio reſpectu ouium; ad quas illum approbat, eſt ſaltem tacita delegatio iuriſdictionis in eaſdem oues; atque adeò tunc idem eſt approbare, atque ei actualem iuriſdictionem conferre, vt rectè docet *Henriq. lib. 11. de matrim. c. 3. nu. 5. Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 35. nu. 7. & Fagund. loco citato, nu. 4.* & de conſuetudine ita ſeruari teſtatur *Llamas in 1. p. methodi, c. 6. §. 6.*

† Præterea tacita fit delegatio, vbi Sacerdos
3 aliquis à Superiore ſubrogatur in locum alterius in eo munere, quod annexum habeat miniſterium audiendi confeſſiones: is enim tacitè cenſetur delegatus ad confeſſiones audiendas, etiam nullo præuio examine. Vndè ſi Epiſcopus inſtituit ad tempus aliquem Sacerdotem Parochi Vicarium, eo ipſo cenſetur illi delegata facultas audiendi confeſſiones: ſiquidem Parochi munus habeat hoc miniſterium annexum, vt rectè poſt alios probat *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 6.* Sic etiam ſi Epiſcopus dicat alicui Sa-
4 cerdoti, concedo tibi omnem meam auctoritatem cenſetur ei tacitè concedere, ac delegare illi iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones ſuarum ouium: ſicut ſi facultatem illi tribueret adminiſtrandi omnia Sacramenta, vt habetur ex *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 31. in prin. Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 26. ſec. 2. nu. 17. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 5. nu. 14.* vbi etiam *nu. 15.* ait, quòd ſtatim quod quis eligitur ab habente iuriſdictionẽ Epiſcopalem in foro pœnitentiali, ei tacitè collatam cẽſeri facultatẽ abſoluendi ab omnibus, à quibus ipſe pœnitens poteſt.

Item tacitè fieri dicitur delegatio ad audiendas confeſſiones, quando proprius Sacerdos videt alienum Sacerdotem, ſeù Parochum audire ſuarum ouium confeſſiones, & tacet, cum id valeat prohibere; nam cenſetur tacitè illi data facultas ab ipſo proprio Sacerdote videnté, tacente, & non contradicente, audiendi confeſſiones ſuarum ouium, pro illo ſaltem actu, vt habetur ex *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3. ver. Circa confeſſionẽ Nauar. in Man. c. 9. n. 6. Angel. ver. Cõfeſſio 3. n. 30. Syl. ver. Confeſſor, 1. q 6. in fin. & q. 15.* & ex alijs quamplurimis, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. ſub n. 71.*
5 Vbi tacitam quoque approbationem, & delegationem dicitur facta ab Epiſcopo illius Sacerdotis pij, ac docti, & non approbati, quem videt audire confeſſiones ſuarum ouium, & tacet, & non contradicit, & id pro illo actu dumtaxat, iuxta ea, quæ habentur ex *Tol. lib. 3. ſua ſum. c. 13. nu. 3. & Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 35. vbi nu. 20.* addit, licentiam tacitam, quæ habetur ex ratihabitione de præſenti, ſatis eſſe, vt alienus Sacerdos validè aſſiſtat matrimonio pro illo actu, vt quando vidente, ſciente, & tacente Parocho, vel Epiſcopo, aſſiſtit. Et denique, cæteris prætermiſſis tacitè eſt facta delegatio ad audiendas confeſſiones, quando Religioſo aſſignatur à Superiore ſimplex Sacerdos in itinere; quoniam tunc cenſetur ei conceſſa tacita licentia audiendi eius confeſſiones, vt habetur per *Molſ. in ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 15. nu. 45.* quem refert, & ſequitur *Alph. de Leone d. recoll. 5. ſub nu. 19.* vbi etiam *nu. 28.* inquit, quòd tacita delegatio ſufficientibus ſignis manifeſtata poteſt dici ex verbis generalibus conceſſionis circa alia Sacramenta, vt ſupra diximus: vel ex eo quòd Epiſcopus ſciens aliquem carere ſufficienti iuriſdictione, illam videat exercere, & taceat, cùm poſſit facilè prohibere. Et quoniam tacitam delegationem quidam volunt differre ab ea, quæ prouenit à ratihabitione de præſenti, idcircò de hac re latius dicemus infra *concl. ſeq.* Vndè ſit.

TERTIA CONCLVSIO.

6 Ratihabitio de præſenti habita per proprium Sacerdotem ſatis eſt ad inducendam delegationem iuriſdictionis in foro pœnitentiali. Hæc concluſio eſt *Nauar, in Man. c. 9. nu. 5. & in c. placuit, nu. 105. de pœnit. d. 6. Nug. in addit. ad 3. par. q. 8. art. 5. dub. 1. Henriq lib 3. de pœnit. c. 13. nu. 13. lit. R. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. ſub nu. 11.* Qui teſtatur de communi Recentiorum, cum alijs, quos allegant. Hanc eandem concluſionem probabilem putat eſſe *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 7 nu. 242. & veram Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib. 7. c. 2. ſub num. 71. & Alph. de Leone d recoll. 5. nu. 31.* qui *nu. 29. & 30.* Ponit quoque differentiam inter delegationem ad audiendas confeſſiones, prouenientem ex ratihabitione de præſenti, & delegationem tacitam: nam ex priori inducitur delegatio in illo caſu, & in illo tunc, quo accidit neceſſitas; at tacita delegatio inducitur ad vniuerſitatem cauſarum, nempè, vt quis omnium ſubditorum confeſſiones audiat. Item delegatio tacita fit ſignis iſtius iuriſdictionis conceſſionem indicantibus, de quibus ſupra egimus *concl. præced.* delegatio autem, quæ prouenit ex ratihabitione de præſenti inducitur alijs ſignis, extraneis ad hanc iuriſdictionem, quibus quis coniecturare poteſt in tali caſu ſibi concedi etiã hanc iuriſdictionem. Probatur hæc concluſio primò, quoniam ſi ille Sacerdos, qui cum tali coniectura audit confeſſiones, præſupponit dare Superiorem illam iuriſdictionem propter talem cauſam, & rationem occurrentem, ergò cum abſoluit, abſoluit cum actuali iuriſdictione interpetratiua. Vndè ſi Epiſcopus aliquo caſu videat aliquem ſimplicem Sacerdotem, quem ſcit carere iuriſdictione, ac non eſſe approbatum, audire confeſſionem alicuius eiuſdem Epiſcopi ſubditi, & taceat, cùm poſſit prohibere, cenſetur illi in illo caſu, & pro eo tempore delegare iuriſdictionem prouenientem ex ratihabitione de præſenti.
7 Hæc re vera delegatio proueniens ex ratihabitione de preſenti modo ſupra explicato, non video quomodo differat à delegatione tacita: nõ enim poteſt differre ex eo quòd prior eſt pro illo tantùm actu, & pro illo tempore, quo accidit neceſ-

neceſſitas; & poſterior inducitur ad vniuerſitatem cauſarum, vt ſupra fuit dictum: ſiquidem hæc differentia nō eſt eſſentialis, quoniam plus, & minus non variant ſpeciem, ſicut vna vncia auri eſt eſſentialiter aurum non minus quàm mille auri vnciæ: & homo puſillus eſt eſſentialiter homo ſicut homo altus. Nec dici poteſt, quòd delegatio proueniens ex ratihabitione de præſenti, & delegatio tacita inter ſe differant, quòd iſta fiat ſignis indicatiuis conceſſionis talis iuriſdictionis; illa verò inducatur ex alijs ſignis extraneis: etenim ſigna illa extranea, aut indicant ſufficienter voluntatem concedentis facultatem prædictam, aut non indicant. Si primum delegatio illa eſt tacita, cùm inducatur ſignis manifeſtatiuis conceſſionis talis iuriſdictionis, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus. Quòd ſi dicas ſecundum, hæc delegatio non dicitur præſentanea, quoniam audiens confeſſionem citra ſufficiens ſignum nō poteſt coniecturare Superiorem dare ſibi illam iuriſdictionem pro illo actu, atque ideò ratihabitio non dicetur de præſenti, vt colligitur ex ijs, quæ habetur ex *Laym. in ſua ſum. lib. 5. tract. 6. c. 10. ſub nu. 16.* Eſt igitur concludendum, quòd ſupradictæ duæ delegationes ambæ ſint tacitæ, cùm ex ſignis earum conceſſionis manifeſtatiuis ſufficienter inducantur. Vndè meritò *Fagund. loco citato*, approbationem prouenientem ex ratihabitione de præſenti, appellat tacitam, & ponit exemplum in Epiſcopo, qui videt aliquem Sacerdotem Sæcularem, vel Regularem pium, & Doctum non approbatum confeſſiones Sæcularium audire, & ſciat, illum non eſſe approbatum, & non contradicat, pro qua re allegat *tex. in c. qui tacet, de regul. iur. in 6.* vbi habetur, quòd qui tacet in ijs, quæ ad ipſum pertinent, & in quibus tenetur contradicere, conſentire videtur, atque adeò illa taciturnitas in caſu, de quo agitur, eſt ſufficiens ſignum conſenſus eius, qui poteſt delegare iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones; ita vt, ſi eo caſu videns, & tacens habeat animum interius non delegandi iuriſdictionem huiuſmodi, adhùc valeat abſolutio pro illo actu, & Sacramenti collatio, vt habetur ex *Sanch. lib. 3. de matrim. diſp. 22. nu. 64. & Alph. de Leone d. recoll. 5. num. 21. contra Medin. & Bonac.* contrarium ſentientes. Reliqua ad hanc rem pertinentia dicemus infra *concl.* 5. de delegatione ex præſumptione tractantes.

8 Quod diximus de delegatione proueniente ex ratihabitione de præſenti, nempè quòd ſit tacita, extendimus ad delegationem prouenientem ex ratihabitione de præterito: nam hæc re vera adhuc tacita dici poteſt. Vndè ſi Epiſcopus, aut alius Superior aliquem Confeſſarium deſtinauerit miſſioni ad audiendas confeſſiones ſuarum ouium in Villis, ac extra Ciuitatem commorantium, ei ſit ſolitus concedere iuriſdictionem etiam quoad caſus ſibi reſeruatos huiuſmodi Confeſſarijs, ſi dictus Confeſſarius priuſquàm abiret oblitus fuerit facultatem illam petere; poterit tamen ea vti: eo quod implicitè, ac tacitè ipſe Superior cenſetur facultatem huiuſmodi eidem conceſſiſſe, quam ipſo facto oſtendit, cùm talem Confeſſarium Miſſioni deſtinauit, cui faciendæ ordinariè conferri ſolent ſpeciales abſoluendi facultates, & poteſtas abſoluendi à reſeruatis, ab omnibus ſcilicet, vel à quibuſdam. Ita *Laym. ſub d. nu. 16. verſ. Secundò colligitur.*

QVARTA CONCLVSIO.

9 Ratihabitione de futuro induci non poteſt delegatio iuriſdictionis ad audiendas ſacramentales confeſſiones. Hæc concluſio eſt *Nauar. in Man. c. 9. nu. 5. & in c. placuit, n. 103. de pænit. d. 6. Peſant. in addit. ad tertiam part. q. 10. diſp. 5. Nug. ibidem q. 8. art. 5. dub. 1. Henr. in ſua ſum. lib. 6. c. 13. nu. 13. Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 35. nu* 20. & aliorum, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 11. Tolet. lib. 5. ſum. c. 10. num. 2. Margar. confeſ.* & aliorum, quos allegat *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 7. c. 2. ſub nu. 71. in fine, & 72. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 10. ſub nu. 16. & Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 5. nu.* 36. qui teſtatur de communi. Non enim, inquiunt, Sacerdotem non habentem iuriſdictionem ad audiendas confeſſiones, poſſe eam acquirere audiendo confeſſiones fidelium ſub ſpe, quòd proprius eorum Sacerdos ſit ratas eas habiturus. Etenim quod ſub ea expectatione agitur, ita pendens eſt à voluntate Superioris, vt poſſit illud poſtea irritare, vel cōfirmare: at valor Sacramenti non poteſt eſſe in pendenti; ſed ſtatim, aut debet eſſe validum, aut irritum: vndè cum à principio inualidum ſit, non poteſt deindè conualeſcere, quantumuis id Epiſcopus ratum habeat: ſiquidem ratihabitio illa non habet virtutem efficiendi Sacramentum id quod non fuit, nam vt ait *Nauar. loco citato*, Sacramentum, quod ab initio nullum eſt, nulla ratihabitione, etiam Papæ, validum fieri poteſt. Confirmatur

10 hæc ipſa concluſio, ex eo quòd Sacramentum pœnitentiæ inualidè confertur ab eo, qui iuriſdictionem actualem non habet, vt ſupra oſtendimus, *concl.* 1. at Sacerdos abſoluens ſpe futuræ ratihabitionis caret iuriſdictione actuali, cum iuriſdictio delegata non acquiratur citra conſenſum delegantis, quem tempore abſolutionis delegans non habet, cùm rem ignoret. Non ergò poteſt induci delegatio iuriſdictionis ad confeſſiones audiendas per ratihabitionem de futuro. Denique, ponamus Superiorem, ac proprium Sacerdotem, re poſtea cognita, non conſentire, proculdubio inualida ab initio fuit abſolutio, ac Sacramenti pœnitentiæ collatio: ergò, &c.

Nec obſtat ſi dicatur, quòd idem argumentum fieri poſſet de delegatione tacita ex ratihabitione de præſenti, vt arbitratur *Laym. ſub d. nu. 16. & Suar. in 3. par. diſp. 26. ſec. 1. tom. 4.*

11 Quoniam diuerſa ratio militat in delegatione tacitè inducta ex ratihabitione de præſenti: ac in delegatione inducenda per ratihabitionem de futuro; ſiquidem prior inducitur ex ſufficientibus ſignis de præſenti, quia illa ſcientia, & taciturnitas Superioris ſunt ſufficientia ſigna de præſenti interioris conſenſus ipſius, at in delegatione inducenda ex ratihabitione de futuro nullum ſignum concurrit, manifeſtatiuum conſenſus Superioris de præſenti: nil mirum igitur ſi priori caſu inducitur delegatio, etiam ſi Superior videns, & tacens, vt ſupra non conſentiat intrinſecus, cùm poterat, & debebat manifeſtare ſuam intentionem, & prohibere huiuſmodi Sacerdoti vſum iuriſdictionis in foro pœnitentiali; atque ideò ab initio valuit Sacramenti collatio: & in poſteriori caſu, cùm nullum ſignum ſupponatur

Digitized by Google

natur in Superiore manifeſtatiuum ſui conſen-
ſus de præſenti, cum rem ignoret, non inducatur.

QVINTA CONCLVSIO.

12 EX præſumpta voluntate proprij Sacerdotis
inducitur delegatio iuriſdictionis ad audi-
endas confeſſiones. Hæc concluſio *Homoboni in
examine Eccleſ. tract. 5. q. Alph. de Leone p. 2.
caſ. conſc. recoll. 5. nu. 18. & 19.* Et patet ex ijs,
quæ ſupra adnotauimus, *concl. 3.* de tacita dele-
gatione prouentiente ex ratihabitione de præ-
ſenti agentes: nam aliqui inſimul quærunt de
prædicta ratihabitione, & præſumptione, quam-
uis *Alph. de Leone* caſus illos eſſe inter ſe diffe-
rentes putet, *d. recoll. 5. ſub nu. 24.* Vndè qui ſunt
iuxta confines alterius Diœceſis poſſunt confi-
teri Parocho illius Diœceſis; quoniam præſumi-
tur hanc facultatem concedere proprius Epiſco-
pus. Idem dicendum eſt, quando Religioſo aſſi-
gnatur à Superiore Sacerdos ſimplex in itinere,
quia tunc præſumitur ei conceſſa facultas audi-
endi illius confeſſiones, vt habetur ex *Molf. in
ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 15. nu. 45.* Et denique
quando Ordinarius videt aliquem Sacerdotem
non approbatum, & iuriſdictionem non haben-
tem, audire confeſſionem ſui ſubditi, & tacet,
præſumitur date illi facultatem eo caſu audiendi
confeſſionem, vt ſupra diximus *d. concl. 3.* ete-
nim præſumptio, & ratihabitio de præſenti ſunt
idem, vt per *Suar. in 3 par. tom. 4. diſp. 27. ſec. 4.
nu. 16.* Eſt tamen verum quòd tàm delegatio in-
ducta ex ratihabitione de præſenti, quàm ex
præſumpta voluntate proprij Sacerdotis, poſſunt
dici tacitæ, quoniam ambæ habent ſufficientia
ſigna indicantia voluntatem, & conſenſum ipſius
proprij Sacerdotis, iuxta ea, quæ ſupra cumula-
uimus, *d. concl. 3.*

SEXTA CONCLVSIO.

13 EX conſuetudine induci poteſt delegatio iu-
riſdictionis ad audiendas cõfeſſiones. Hæc
concluſio eſt *Nauar.* & aliorum, quos refert
Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 8. nu. 2. litt. F. Proba-
tur, quia conſuetudo poteſt tribuere iuriſdictio-
nem à reſeruatis, vt latè probat *Fagun. de præcep.
Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 1. nu. 11.* Sicut ex antiqua
Eccleſiæ conſuetudine introductum eſt, vt nulla
ſit reſeruatio in articulo mortis, atq; ideò omnes
Sacerdotes quoſlibet penitentes in articulo mor-
tis conſtitutos à quibuſuis peccatis, & cenſuris
abſoluere poſſunt, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de
caſuum reſeruat. c. 7.* Et conſuetudine quoque
introductum eſt, vt ſimplex Sacerdos poſſit ab-
ſoluere à venialibus, & mortalibus aliàs con-
feſſis citra approbationem Ordinarij, vt ſupra
adnotauimus, *ſec. 4. per totam.* Confirmatur, quia
conſuetudo poteſt dare iuriſdictionem, vt per
*Goffred. in ſum. tit. de offic. Archid. nu. 11. Gloſ.
in l. & quia, ver. Nec ipſa lex, ff. de iurid. omn.
iudic. & eſt tex. in c. cum contingat, de for. comp.
& in c. dilecti, de arbitr.* Eſt tamen verum quod
Henriq. loco citato, putat, tutius eſſe dicere, iu-
riſdictionem ad audiendas confeſſiones induci
conſuetudine, non conſuetudine præciſè ſumpta;
ſed quòd conſuetudo ſolùm ſit interpres volun-
tatis, ſeù conſenſus volentis talem iuriſdictio-
nem delegare, vt latè de hac re egimus, *d. ſec. 4.*
quibus adde *Alph. de Leone d. recoll. 5. ſub nu. 7.
par. 2. caſ. conſc.* qui etiam *n. 11.* inquit poſt alios
quòd ex conſuetudine, & tacita licentia Parochi
domicilij poteſt iter agens, & hoſpes confiteri in
loco, vbi reperitur per tranſitum; etiam ſi diſce-
dat à loco domicilij, vt alibi confiteatur: & ex
conſuetudine quoque antiquitus quilibet Sacer-
dos erat approbatus ad audiendum alium Sacer-
dotem, licèt hodiè poſt Conc. Trid. ſit abolita
talis conſuetudo, vt patet ex ijs, quæ habentur
ex *Fagund. loco cit. lib. 7. c. 2. nu. 44. & Filliuc.
tom. 1. qq. moral. tract. 7. num. 195.* cum alijs,
quos allegat.

SEPTIMA CONCLVSIO.

15 EX titulo putatiuo, & communi errore indu-
citur delegatio iuriſdictionis ad audiendas
confeſſiones. Hæc concluſio eſt *Inn. in c. dudũ
de elect.* & ibi etiam *Panor. Palud. in 4. d. 17. q. 6.
art. 2. à nu. 12. Palat. ibidem, diſp. 7. verſ. Simi-
liter quoque, Medina, C. de confeſ. Confeſſori
excom. ſcienter facta, verſ. Secundum dictum,
Petri Soto lect. 6. de confeſſione*, paulò poſt ini-
tium, *§. quod verò dicimus, Angl. in Flor. 1. p.
q. 3. de confeſ. art. 7. difficul. 9. Arag. 2. 2. q. 60.
art. 6. § eſt aliud dubium, Nauar. in Man. c. 9.
nu. 8. & in c. placuit, nu. 177. de pœnit. d. 6. Roſel.
ver. confeſſio ſacramentalis, 3 nu. 41. Angel. ver.
Confeſſio, 4. nu. 12. Syl. ver. Confeſſio 1. q. 19. ver.
Abſolutio, nu. 30. Caiet. in ſum. ver. Confeſſionis
iteratio, Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 6 n 2. in addit.
litt. E. & c. 7. nu. 2. & lib. 13. de excom. c. 7. n. 6.
Ludouici Lopez par. 1. inſtr. c. 38. §. iteranda
confeſſio, Rodriq. tom. 1. ſua ſum. c. 60 num. 3.* &
aliorum. Probatur ipſa cõcluſio ex *l. Barbarius,
ff. de offic. Præſid.* vbi habetur, quòd communis
error cum titulo putatiuo tribuit iuriſdictionem
incapaci, quoad forum externum in fauorẽ iudicij,
& boni publici: ergò id multo magis dicendum
eſt in caſu noſtro quoad forum interius, in fauo-
rem animarum: & eo magis, quòd non poteſt
aſſignari diuerſitatis ratio. Hinc ait, *Nauar. d.
c. 9. nu. 8. & in d. c. placuit*, Quod qui aliqua de
cauſa bonum titulũ, quo fruebatur amiſit, dum-
modò amiſſio illa non ſit notoria: ſi aliquis bona
fide illi confiteatur, eo quòd communiter æſti-
mabatur idoneus, valida erit eius confeſſio: &
idem dicit de eo, qui bona fide confitetur illi, qui
nullum titulum, nec bonum, nec malum habuit,
vel qui notoriè amiſit illum, quandiù in bona
fide perſeuerat ſaluabitur: ſi tamen poſt eam
bonam fidem amiſerit, confeſſio venit iteranda,
vt habetur ex *Panor. loco citato.* Imò *Sanch. lib.
3. de matr. diſp. 22. nu. 13.* loquens de confeſſio-
ne inquit, quòd non ſolùm omnia geſta per Præ-
latum, vel Parochum communi errore talem exi-
17 ſtimatum, habentem titulum putatiuum à legi-
timo Superiore, valent etiam quoad forum con-
ſcientiæ, ſed etiam vt pœnitens, qui illi ſacra-
mentaliter fuerit confeſſus, non teneatur iterare
confeſſionem, detecto impedimento. Vndè con-
cordat cum *Nauar.* quoniam *Nauar.* vult, ſo-
lùm iterandam eſſe confeſſionem, cùm comper-
tum fuerit, Confeſſarium nullum titulum ha-
buiſſe. Et hanc ſententiam communiorem eſſe,
& tenendam inquit *Fagund. de præcep. Eccleſ.
præcep. 2. lib. 7. c. 2. ſub nu. 75. in fine*, vbi *nu. 76.*
Soluit argumenta contrariæ ſententiæ, *& nu. 77.*
addit, quòd vt detur communis error, non eſt
ſatis, quòd detur error vnius, vel alterius homi-
nis exiſtimantis Sacerdotem eſſe idoneum, cùm
talis non ſit, cæteris id non exiſtimantibus, eſt
tamen

Digitized by Google

tamen verum, quòd ſufficit, ſi communis error ſit in eo loco, vbi confeſſio facta eſt, eò quòd, ibi ignorabatur impedimentum, quamuis in alio loco notorium eſſet, vt declarat *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 21. nu. 6. & 9.*

OCTAVA CONCLVSIO.

18 Ex priuilegio inducitur delegatio iuriſdictionis ad audiendas confeſſiones. Hæc concluſio eſt citra omnem controuerſiam. Etenim iuriſdictionem, quam habent Regulares ad audiendas confeſſiones ſæcularium delegatam eſſe ex Rom. Pontificis priuilegio, certum eſt apud omnes, vt habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 59 art. 1. Corrad. in fine ſuorum reſp. in libello de Regular. in Confeſſarios deputandos, Filliuc. tom 1. qq. moral. tract 7. nu. 209 in fine,* Et infra nos latius ſuo loco dicemus, ſic etiam facultas, quæ datur Regibus, Imperatoribus, & alijs magnis Principibus, & in Iubilæo cunctis fidelibus, vt poſſit ſibi eligere Confeſſarium, delegata eſt, vt ſupra adnotauimus, *ſec. 6. not. 4.* vbi latè de hac re egimus. Eſt tamen verum, quod ex priuilegio iuriſdictio ordinaria non inducitur, vt inquit *Rodriq. loco citato:* ſiquidem ordinaria iuriſdictio ſemper ſecum habet aliquod officiũ annexum, cùm competat alicui ratione officij, quo fungitur, vt in *d. not. 4.* explicauimus.

An Delegatus ad audiendas confeſſiones vltra Delegatam ſibi iuriſdictionem, exigat etiam approbationem ab Ordinario, vt confeſſiones audire valeat.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos vltra iuriſdictionem ſibi delegatam ad audiendum confeſſiones approbatione indiget ab Ordinario, vt id validè agere poſſit.*

2 *Idque non ſolùm in Sacerdote Sæculari, ſed etiam Regulari expoſcitur.*

3 *Licet antiquitus poterat Sacerdos alium Sacerdotem abſoluere citra approbationem Ordinarij, hodie tamen non licet, neque Regulari.*

4 *Si Sacerdos tùm Sæcularis, tùm Regularis, ſæcularium confeſſiones audiat eoſdemque abſoluat, nulla, & inualida erit abſolutio.*

An Epiſcopus electus, & non confirmatus poſſit ad id approbare Sacerdotes.

5 *Vicarij Generales, & Capitulum Sede vacante approbare poſſunt Sacerdotes ad audiendum confeſſiones.*

6 *Sacerdos, vt ſupra Delegatus approbatione indiget Ordinarij, quamuis Magiſter ſit in Sacra Theologia.*

7 *Magiſtri in Sacra Theologia, alijq; Laureati, ac Lectores Iuris Canonici, & Egregij Prædicatores, licet teneantur ſe præſentare Epiſcopis, & appobationem ad confeſſiones ab illis petere, non tamen poſſunt ab Epiſcopis examinari.*

8 *Sacerdos adeo indiget approbatione Ordinarij ad audiendas confeſſiones, vt nequeat eligi in Confeſſarium ab Epiſcopo non ſuo, vigore priuilegij quod habent Epiſcopi.*

9 *Sacerdos quamuis petierit approbationem, & iniuſtè Epiſcopus eam illi denegauerit, adhuc ea indiget, quantumuis doctus ſit, ac laureatus, & inſignis.*

10 *Epiſcopus nolens admittere ad examen ex odio, & maleuolentia, & citra iuſtam, & rationabilem cauſam Religioſos, & inſuper idoneos compertos non approbans, peccat mortaliter, & grauiſſimè.*

11 *Licet Epiſcopus ex iuſta cauſa ſecluſo odio, & maleuolentia poſſit limitatè approbare Religioſos, ſi tamen ex odio, & maleuolentia eos limitatè approbat, peccat contra iuſtitiam.*

12 *Sacerdos ad audiendas confeſſiones ſæcularium actualem debet habere ab Ordinario approbationem, nec ſufficit, quod aliquando fuerit approbatus.*

13 *Approbatio hæc debet eſſe ſecundum Epiſcopi conſcientiam, nam approbatus ab Epiſcopo, ſciente eum non eſſe idoneum, non cenſetur approbatus.*

14 *Sacerdos habita approbatione ab Ordinario poteſt audire confeſſiones, tàm virorum, quàm mulierum, modo approbatio non ſit limitata.*

15 *Moniales tempore Iubilæi non poſſunt ſibi eligere Confeſſarium vnum ex prohibitis per Ordinarium; & quid ſoleant facere Abbatiſſa, tempore Iubilæi.*

16 *Religioſus, ſi ſimpliciter approbatus ſit per Ordinarium ad audiendas confeſſiones fidelium vtriuſq; ſexus, Superior tamen ipſius id limitaſſet in mulieribus, & monialibus; & ipſe audiat, & mulieres, & moniales, eiſque impendat abſolutionem, valida erit abſolutio, licet peccet tamen venialiter.*

17 *Religioſus, qui contra præceptum ſui Superioris confeſſiones audiat mulierum, non poteſt eas abſoluere à caſibus, à quibus poſſit vigore priuilegij ſuæ Religionis.*

18 *Sacerdos ad audiendas confeſſiones ſæcularium non ſolum indiget approbatione Ordinarij, ſed etiam requiritur, vt approbatio ipſa deueniat ad notitiam ipſius Sacerdotis delegati.*

19 *Si neceſſitas vrgeat ex parte pœnitentis, poterit talis Confeſſarius abſolutionem impendere admonito pœnitenti ſub conditione, & qua.*

20 *Si Confeſſarius ſemel fuerit approbatus, & conſcius ipſius approbationis, pœnitentes abſoluerit, valet abſolutio.*

21 *Regulares ſemel approbati ad confeſſiones audiendas, non poſſunt ab ipſo Ordinario à confeſſionibus ſuſpendi, niſi ex noua cauſa ad confeſſiones ipſas pertinentes.*

22 *Regulares licet à Rom. Pontifice, & à Iure facultatem habeant audiendi confeſſiones, dilatatur tamen, & reſtringitur per approbationem Ordinarij.*

23 *Beneplácitum, ſiuè gratia ad beneplacitum Summi Pontificis, vel Regis, ne dum expreſsè reuocari poteſt, ſed etiam tacitò, morte ſcilicet concedentis.*

Quæ ſine cauſa reuocandi regularium approbationes ad confeſſiones audiendas.

24 *Approbatio ſemel impenſa Sacerdotibus ſæcularibus audiendi confeſſiones nulla iuſta, & legitima cauſa ſubſiſtente reuocari non poteſt.*

Et an nulla, & inualida ſit reuocatio, vbi quod approbatio ſit ad tempus.

25 *Succeſſor Epiſcopus poteſt omnes, & quoſcunq; Confeſſarios etiam regulares generaliter ad examen vocare, etiam ſimpliciter approbatos.*

26 *Capitulum Sede vacante regulariter poteſt licentias, & approbationes à mortuo Epiſcopo datas*

Digitized by Google

datas reuocare, ſiuè abſolutè conceſſa ſint, ſiue ad tempus.

Quid ſpectatis priuilegijs Religioſorum Mendicantium.

27 *Noui Epiſcopi, ſi generali mandato reuocent omnes approbationes à ſuo Prædeceſſore conceſſas, non comprehenduntur Regulares, ſed ſpeciali mandato opus eſt.*

28 *In articulo, vel periculo mortis quilibet Sacerdos ſimplex, quamuis excommunicatus, ſuſpenſus, & degradatus, aut hæreticus, poteſt Sacramentum Pœnitentiæ conferre.*

29 *Sacerdos nō approbatus ab Ordinario nulliter audit confeſſiones ſæcularium, niſi communiter exiſtimetur approbatus, & concurrat titulus putatiuus, tunc enim confeſſio non eſſet iterāda.*

30 *Approbatio ad confeſſiones audiendas debet eſſe Epiſcopi Ordinarij Sacerdotis.*

31 *Epiſcopus in aliena Diœceſi non poteſt ſibi Confeſſarium eligere non ſubditum, niſi Parochū, vel approbatum ab Ordinario: In propria verò, etiam non ſubditum eligere poteſt.*

32 *Confeſſarius approbatus ab Ordinario cuiuſcunque loci ſit, an poſſit confeſſiones audire illorum, qui virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij, facultatem habeat eligendi ſibi Confeſſarium approbatum ab Ordinario. Vel requiratur approbatio actualis Ordinarij.*

33 *Regulares, qui ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi habitant, approbati ſunt, ſi habitationem mutent in Monaſterium alterius Diœceſis indigent, & petere debent approbationem ab Epiſcopo illius Diœceſis.*

34 *Hoc ipſum in Sacerdotibus ſæcularibus exigitur, migrantibus ad alienas Diœceſes.*

Qui ſi redeant ad priorem Diœceſim non indigent noua approbatione.

35 *Sacerdos qui Parochiale habet beneficium, approbatione non indiget ad confeſſiones audiendas, eam enim habet à Iure. Eſtq; vbiq; idoneus, vt tam virtute Iubilæi, bullæ, vel alterius priuilegij, quàm ex commiſſione aliorum, tùm intra, tùm extra Diœceſim in Confeſſarium eligi valeat.*

36 *Prælatus Monaſterij, & ſi in iure æquiparetur Parocho, circa tamen ſæcularium confeſſiones, indiget approbatione Ordinarij, nec eligi, poteſt vi Iubilæi, vel alterius priuilegij.*

37 *Parochum ſuas oues committere, ſuamq; iuriſdictionem delegare poſſe alicui Sacerdoti etiā non approbato, nec tuta eſt ſententia, nec probabilis.*

38 *Sacerdos ſimpliciter, ac generaliter approbatus adminiſtranda Sacramenta, ſpeciali approbatione non indiget, ad confeſſiones ſæcularium audiendas.*

39 *Sacerdos non approbatus, ſi illi licentia detur ab Ordinario audiendi confeſſiones, eo ipſo approbatus cenſetur.*

An priuilegium, à Romano Pontifice, vel per bullam conceſſum, eligendi ſibi Confeſſarium, intelligatur de Confeſſarijs approbatis ab Ordinario.

40 *Approbatio ab Ordinario debet gratis concedi, & non mediante pecunia.*

41 *Sacerdos Regularis approbatione non indiget Ordinarij ad audiendas Regularium confeſſiones.*

44 *Nouitij ſi delinquant priuiti poſſunt à Superioribus, quorum ſunt Nouitij, eorumque cauſæ, tàm ciuiles, quàm criminales, ab eiſdem cognoſcuntur. An gaudeant priuilegio, c. ſi quis ſuadente. Et ſi decedant infra annum probationis, an eis ſuccedat Monaſterium; & eorum Cōfeſſarius nō indiget approbatione Ordinarij.*

43 *Regulares in Iubilæo tenētur cōfiteri Cōfeſſario approbato ab Ordinario, nempè ab Epiſcopo ſi ſæcularis ſit Confeſſarius, vel ſi Regularis à Superiore illius Confeſſarij, & hoc ſi concedatur vigore Iubilæi.*

44 *Superiores Regulares committere poſſunt ſuos Religioſos Sacerdotibus, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, quamuis approbati non ſint ab Epiſcopis, ijque poſſunt tam virorum, quam monialium confeſſiones audire. Et ſi tacet hodie quoad Moniales requiratur approbatio.*

An hodie requiratur approbatio Epiſcopi quoad Moniales.

45 *Approbatio ad confeſſiones audiendas, fieri poteſt, & expreſſè, & tacitè.*

46 *De iure Sacerdos poteſt Regularium confeſſiones audire, tàm virorum, quàm Monialium citra Epiſcopi approbationem, non ſolum ex commiſſione Superiorum Regularium, ſed etiam ex vi Bullæ, aut alterius priuilegij, ſi exprimatur.*

47 *Siuè Regulares ſubditi ſint, ſiuè Superiores.*

48 *Confeſſarius alterius Ordinis, vel Sæcularis licet poſſit Regularium confeſſiones audire, eos tamen abſoluere non valeat à reſeruatis in Religione.*

49 *Sacerdotes non modo Sæculares, ſed nec Regulares audire poſſunt confeſſiones Monialium abſque Ordinarij approbatione.*

50 *Ad audiendas Monialium confeſſiones, approbatio exigitur ab Epiſcopo Diœceſano: Et quinam intelligantur ſub nomine Epiſcopi Diœceſani.*

51 *Exponere Confeſſarios proprium eſt Epiſcoporum munus, & nullus alius in hoc ſe intromittere poteſt.*

HAnc controuerſiam diſputabimus tàm quoad approbationem ad confeſſiones audiendas à Sacerdotibus Sæcularibus, quàm Regularibus, vt ſupra delegatis, & quærimus, an huiuſmodi Sacerdotes ab Ordinario approbationem exigant, vt confeſſiones audire valeant ſæcularium, aut Regularium. Quo circa ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 SAcerdos vltra iuriſdictionem ſibi delegatam ad audiendas confeſſiones indiget approbatione ab Ordinario, vt valeat validè audire confeſſiones ſæcularium. Hæc concluſio eſt communis, & eam docent *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſec. 5. & 6. Vaſq. tom. 3. diſp. 219 n 55. Sanch. de matr. lib. 3. diſp. 29. nu. 13. Camerota de ſacr. tract. 7. de confeſ. dub. 12. Fagund. de præcep. Eccl præcep. 2. lib. 7. c. 2. nn. 1. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 11. in prin. Reginal. in praxi lib. 1. nu. 169. cum ſeq. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. n. 1.* & alij communiter. Probatur prædicta concluſio ex *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15. de reform.* ita ſe habente, *Nullum etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſæcularium,*

etiam

etiam Sacerdotem audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat priuilegijs, & conſuetudine quacunque etiam immemorabili, non obſtantibus. Etenim dictio, *Nullum*, eſt vniuerſalis negatiua, & denotat omnium, & omnimodam excluſionem, atque ideò neminem excipit, vt habetur ex *Panorm. in c. cùm ad noſtram, nu. 6. de elect. & in c. graue, num. 8. de offic. Ordin.*

2 Ampliatur primò hæc concluſio, vt non modo Sacerdos ſæcularis indigeat approbatione Ordinarij ad audiendas confeſſiones ſæcularium; ſed etiam Sacerdos Regularis, vt patet ex ratione ſupra allata ad probandam concluſionem, & expreſſè ex ipſo Conc. Trid. in illis verbis, *Nullum etiam Regularem*, &c.

3 Secundò ampliatur, vt licèt antiquitus ex conſuetudine quilibet Sacerdos poterat abſoluere alium Sacerdotem citra approbationem Ordinarij; hodie tamen vigore d. Conc. Trid nullus Sacerdos poteſt audire confeſſiones Sacerdotum ſæcularium, niſi ſit approbatus ab Ordinario præuio examine, vt conſtat ex eiuſdem Conc. verbis, ibi, *Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, audire, &c.*

4 Tertiò ampliatur, vt ſi Sacerdos ſæcularis, aut confeſſiones audiat, eoſdemq; abſoluat citra approbationem ab Ordinario, abſolutio nulla ſit, atque inualida: vt colligitur ex dictis Conc. Trid. verbis, *Nullum etiam Regularem poſſe, &c.* Etenim verba illa, nullum poſſe, denegant potentiam, atque ideò indicant carentiam iuriſdictionis, & propterea actus contra geſtus redditur omninò inualidus, ita *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4 nu. 3. & 9. Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 38. nu. 20.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. n. 13.* qui teſtatur hanc ſententiam eſſe communem, & *Barb. poſt alios de poteſt. Epiſcopi, allegat. 25. nu. 2. & 3.* vbi inquit, quòd Sacerdos vt validè adminiſtret Sacramentum pœnitentiæ Laicis, aut Clericis debet eſſe per examen, vel alia ratione approbatus ab Epiſcopo habente ſubditos, vt patet ex *Conc. Triden. d. c. 15.* in illis verbis, *Ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, &c.* Et Epiſcoporum appellatione inquit etiam *nu. 5.* intelligi per *d. Conc.* Abbates quoque exercentes Epiſcopalem iuriſdictionem. Imò ipſe *Barb. ibidem d nu. 3. & 4.* probat Epiſcopos ſatis eſſe quòd ſint electi, licèt non confirmati, vt poſſint alicui iuriſdictionem committere ad abſoluendum ſuos ſubditos: ſiquidem huiuſmodi commiſſio pertinet ad poteſtatē iuriſdictionis, quam Epiſcopus electus iam habet, vt cum *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3.* inquit *Camerota de Sacram. tract. 7. de confeſ. dub. 13.* Quod tamen nobis videtur valdè dubium quoad Epiſcopum electum tantùm, & non confirmatum: nam Epiſcopi, Abbates, & alij ſimiles licèt non dum conſecrati iuriſdictionem habeant; ea tamen electi tantùm non

5 poſſunt vti, niſi confirmentur, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 3. concl. 3. illat. 3. & in noſtris Commen. ad Bull. Cœnæ lib. 1. c. 1. q. 2. nu. 28. & 29.* quibus adde *Fagund. loco citato, nu. 47.* Eſt tamen verum, quòd Vicarij Generales, qui Epiſcoporum perſonas ſuſtinent, & eorum vices gerunt, & Capitulum Sede vacante, quod ſuccedit in iuriſdictionem Epiſcopi, iuxta *tex. in c. cum olim, de maior. & obed.* aut alij, qui Rom. Pontificis priuilegio exercent iuriſdictionem Epiſcopalem in populum ab omni Epiſcopi iuriſdictione exemptum, poſſunt approbare Sacerdotes; & eiſdem iuriſdictionem committere ad audiendas confeſſiones ſuorum ſubditorum, vt habetur per *Henriq. in ſum. lib. 6. c. 6. § 1. Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 5. in prin. Sanch. de matr. lib. 3. diſp. 29 nu. 14. Reginald. lib. 1. prax. nu. 180.* cum alijs, quos allegat *Barb. loco citato, & Molf. p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 14. nu. 61.*

6 Quartò ampliatur, vt Sacerdos, vt ſupra delegatus indigeat approbatione ad audiendas ſæcularium confeſſiones, etiã ſi Magiſter ſit in ſacra Theologia, ac doctor iuris canonici, vel etiam ciuilis inſignis, ac notus, aut Lector, vel concionator famoſus: aliàs collata ab eo abſolutio eſſet nullius momenti, & confeſſio veniret iteranda. Ita *Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 2. Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4. nu. 3. Conynch. tom. 2. de Sacram. diſp 8. dub. 7. nu. 49.* & alij, qui mouentur ex *Conc. Trid. d. ſeſſ. 23. de refor. c. 15.* in illis verbis, *Aut aliàs idoneus iudicetur.* Nempè ab Epiſcopis, vt cohæreant cum illis verbis antecedentibus Concilij, *Niſi aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur neceſſarium; aut aliàs idoneus iudicetur.* Quod confirmant verba quoque ſequentia, *Et approbationem, quæ gratis detur obtineat.* Scilicèt ab Epiſcopis. Eſt tamen

7 verum, quòd quamuis Magiſtri in Sacra Theologia, & alij Laureati, & Lectores iuris canonici famoſi, & egregij Prædicatores teneantur ſe præſentare Epiſcopis: vt approbentur, licentiamq; & approbationem ab illis petere; aliàs non reputantur idonei Miniſtri confeſſionis; nihilominus non poſſunt examinari ab Epiſcopis, vt habetur ex *Cord. caſu 16. Guttier. lib. 1. qq. canon. c. 6. nu. 9. Rodriq. in explic. Bullæ Cruciatæ, §. 9. nu. 4. in fine, Menoch. lib. 2. centur. 5. caſu 465. Palat. in d. 17. q. 7. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. nu. 69.* & alijs, qui id probant ex quodam motu proprio Pij V. pro mendicantibus expedito, anno 1571. decernente, Regulares Magiſtros, etiam Laureatos, & prælectores, præſentandos eſſe Epiſcopis, vt approbentur; prohibet tamen eos examinari: & rationem aſſignans inquit, quia quorum notoria ſufficientia eſt, periculum examinis ſubire non debent, quæ quidem ratio cùm militet in Doctoribus Sæcularibus, &c. Idcircò præfati Doctor. extendunt prædictũ motum Pij V. etiam ad ipſos Laureatos, & famoſos Lectores iuris canonici, ac Sacræ Theologiæ, & ad alios ſimiles ſæculares, quorum notoria eſt ſufficientia. Vndè his ſic ſtantibus, valdè dubia nobis videtur opinio, *Suar. d. ſec. 4.* & Mirandæ, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. num. 26.* dum volunt, Confeſſores Regulares etiam Lectores, & in Sacra Theologia graduatos poſſe ab Epiſcopis examinari, ſi velint. Et eò maximè, quia præfatos Lectores, Magiſtros ac etiam licentiatos, famoſoſq; Prædicatores, de quorum ſcientia conſtat per publicam facti, & doctrinæ euidentiam;

quamplurimi Doctores ſunt, qui volunt, non teneri, huiuſmodi approbationem petere, & non comprehendi ſub dicto decreto Conc. Trid. vt habetur ex *Magiſtro Mant. Gallo, Fr. Medina, Banhez, Sebaſt. Perez*, & ex alijs, quos refert, ſed non ſequitur *Genriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 2. & Fagund. d. c. 2 nu. 67.* & illa verba Conc. *Aut aliàs idoneus iudicetur.* Nolunt referri ad Epiſcopos, ſed ad omnes homines; quaſi velit, vt ſatis ſit, quod præfati Laureati, & famoſi Prædicatores ab omnibus iudicentur idonei, cum eorum ſcientia, & ſufficientia notoria ſit, atque ideò non indigeant examine, nec approbatione. Cõfirmant eorum ſententiam ex eo quod Conc. non intendit derogare iuri communi Siquidem huiuſmodi Laureati, Magiſtri, &c. iure communi approbantur; quare non videntur alia approbatione indigere, quæ opinio licet communiter ferè reiciatur quoad approbationem; non tamen reijcitur quoad examen: imò multo plures ſunt Doctores magni Ponderis, qui putant, præfatos Laureatos, & Doctores non poſſe cogi ad ſe ſubijciendos examini pro audiendis confeſſionibus ſæcularium, ſed ſatis eſſe ſi Epiſcopis ſe præſentent approbationem petentes, & cum effectu approbentur; etenim Epiſcopi licèt non debeant eos examinare; poſſunt tamen de illorum moribus, & prudentia inquirere, qui ſi ob id minus idonei videbuntur, illos poterunt reijcere, vt rectè inquit idem *Fagund. loco citato, ſub nu. 69.*

8 Quintò ampliatur, vt adeò Sacerdos indigeat approbatione Ordinarij ad audiendas confeſſiones Sæcularium, etiam Sacerdotum, vt non poſſit eligi in Confeſſarium ab Epiſcopo non ſuo, vigore priuilegij, quod habent Epiſcopi, vt poſſint ſibi eligere Confeſſarium, vt in *c. fin. infra eod. tit. noſtro.* Quod tamen quomodo procedat, latè ſupra explicauimus, *ſec. 4. concl. 3. verſ. Tertiò infertur: verſ. Imò hanc eandem: & verſ. Sed ſuppoſito*, Vbi etiam egimus de alijs habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem, & eorum Vicarijs, de Epiſcopis titularibus, depoſitis, & degradatis, an & quando poſſint, & debeant confiteri Confeſſario ab eis electo, qui ſit approbatus, & quando poſſint ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Ordinario, quibus adde *Aloyſ. Ricc. in praxi fori Eccleſ. deciſ. 549. in 1. edit. & reſol. 470. in 2. edit.* & alios, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. nu. 9.*

9 Sextò ampliatur, vt Sacerdos indigeat approbatione Ordinarij ad audiendas confeſſiones ſæcularium, etiam ſi eam petierit, & ipſe Ordinarius iniuſtè ſibi illam denegauerit, & quantumuis Sacerdos ſit doctus, Laureatus, & inſignis, atque famoſus, vt per *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 28. ſec. 5. nu. 5. cum plur. ſeq. Conynch. de Sacra. tom. 2. diſp. 8. nu. 58. Reginald. lib. prax. nu. 192. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg 25. num. 7. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. n. 58.* qui teſtatur hanc ſententiam eſſe communem: & alios. Probatur ex *Conc. Trid. d. c. 15.* in illis verbis, *Niſi quis ſit approbatus ab Epiſcopo non poteſt eſſe idoneus ad confeſſiones ſæcularium audiendas.* Nota dictionem illam, *Niſi*, nam huiuſmodi conditionalis eam vim habet, vt ſi in re non ponatur requiſita conditio, effectus ſubſequi non valeat. Sic etiam ob eandem dictionem conditionalem, de qua in Euangelio, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei, &c.* Licèt ex iniuſtitia, odio, & malitia alterius paruulus non baptizetur; non tamen ſaluabitur. Eſt tamen
10 verum, quòd Epiſcopus nolens admittere ad examen Religioſos ex odio, & maleuolentia, & citra iuſtam, ac rationabilem cauſam, peccat mortaliter, vt *Suar. d. ſec. 5.* fatetur. Quod Epiſcopus peccet mortaliter, ac grauiſſimè non ſolùm non admittens idoneos Regulares, vt ſupra, verum etiam admiſſos, ac idoneos compertos non approbans, probatur primò quoniam priuat ſuas oues eo adiumento ſpirituali, quod ex huiuſmodi Regularibus percipere poterant: ſiquidem ſęculares libentius recurrere ſolent ad Confeſſarios Regulares, quam ad Confeſſarios Sæculares. Secundò quia tenetur præfatam approbationem ex officio concedere, vt habetur ex *Bellano, ſeu Conynch. tom. 2. de ſacram. diſp. 8. dub. 7. nu. 5.* Etenim vbi primum Epiſcopus eos ad examen admiſit, cum illa approbatio ſit actus iuſtitiæ, iam dicti Regulares habent ius in re acquiſitum ad illam, quo ſi iniuſtè priuentur, Epiſcopus lethalem culpam contrahet contra ſui muneris obligationem, vt rectè declarat *Fagun. d. c. 2. ſub nu.*

† Quæ diximus de approbatione denegata ex
11 odio ab Epiſcopo Regularibus extendimus ad approbationem ab eodem ex odio, ac maleuolentia limitatam. Licet enim Epiſcopus ex iuſta cauſa, ſeclnſo odio, ac maleuolentia poſſit approbare Religioſos, limitatè tantùm ad hoc oppidum, & non ad illud: ad viros, & non ad mulieres: ad annum, vel biennium, aut ad beneplacitum, vel ſub conditione, & non ſimpliciter: & cauſa ſufficiens huiuſmodi limitationis eſſe poſſit inſufficientia ipſorum Religioſorum, eorundem morum ſuſpicio, vel vt maior de illis experientia habeatur: ita vt finito tempore approbationis finiatur tota approbatio, vt in *c. gratioſè de reſcr. in 6. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3.* & alij apud *Fagund. de præcep. Eccl. lib. 7. c. 2. nu. 17.* vbi idem dicendum eſſe probant de approbatione ad prædicandum; Nihilominus ſi Epiſcopus ex odio, ac maleuolentia limitatè tantùm vt ſupra Regulares approbat, peccat contra iuſtitiam, vel ſi ab Epiſcopo ex odio, & maleuolentia reprobantur, aut ad examen non admittuntur; ita quoque dicendum eſt, quando ex odio limitatè tantùm approbantur non citra eorum iniuriam. Ita poſt *Rodriq.* & alios ſupra relatos *Fagund. d. c. 2. nu. 16.* qui addit etiam, quod conſtabit de Epiſcopi odio, ſi contra Religioſos, ſi contra ipſorum Religionem iurgia, aut conuicia proferat, ſi Religionis inſtitutum vituperet, de ipſis Religioſis publicè, aut ſecreto detrahat, & ex alijs ſimilibus indicijs.

12 Septimò ampliatur, vt Sacerdos ad audiendas confeſſiones ſæcularium debeat habere ab Ordinario actualem approbationem; atque ideò ſatis non eſt, vt aliquando fuerit approbatus, ſed exigitur, vt actu ſit approbatus ab Epiſcopo: ſiquidem *Concil. d. ſeſſ. 23. de refor. c. 15.* expoſtulat, vt Sacerdos ſit actu approbatus à proprio Epiſcopo; non autem quòd fuerit approbatus ab eo, qui ſit proprius Epiſcopus, & per mutationem

loci,

Digitized by Google

loci, ac domicilij deſijt eſſe proprius, & factus eſt extraneus. Ita *Fagund. de præcep. Eccl. præc. 2. lib. 7. c. 2. nu. 19.* qui mouentur ex illis Concil. verbis, *Declarat ſancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur.* Vndè inquit ipſe *Fagun.* quòd ſicut exigitur, quòd Sacerdos actuale habeat beneficium, vt poſſit audire ſæcularium confeſſiones, & ſatis non eſt illud habuiſſe, vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 4. n. 20. Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 3. in fine*, & ex alijs, ob illa Conc. Trid. verba, *Niſi aut parochiale beneficium habeat*. Nec dicit, aut habuerit; ita quoque requiritur, vt actu ſit approbatus à proprio Epiſcopo, nec ſatis eſt, quod ab alio fuerit approbatus, cuius iam ſubditus non eſt; atque ideò exigitur, quòd iudicetur aptus, & approbetur à proprio Epiſcopo, & non quòd fuerit aliquando approbatus ab illo Epiſcopo, qui fuit proprius, & hodiè iam non eſt proprius: aliàs eligibilis non eſſet, nec quidem virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij, vt per *Fagund. loco citato, & nu. 38.* & ſuo loco, Deo duce, latius dicemus.

13 Octauò ampliatur hæc ipſa concluſio, vt Sacerdos ad audiendas confeſſiones ſæcularium adeò exigat approbationem à proprio Epiſcopo, vt approbatio debeat eſſe ſecundum conſcientiam Epiſcopi, ita vt iudicet ſecundum ſuam conſcientiam huiuſmodi Sacerdotem eſſe idoneum. Vndè ſi fuerit approbatus ab Epiſcopo abſque iudicio, vel contra iudicium, ſciente non eſſe idoneum, non cenſetur approbatus. Ita ſecundum probabiliorem ſententiam *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 19.* qui id probat ex *Conc. Trid. d. c. 15.* quod exigit, vt Confeſſarius non habens parochiale beneficium, iudicetur idoneus: Sacerdos autem, de quo agitur, non iudicatur idoneus verè, ſed fictè, cùm Epiſcopus interius ſentiat, & iudicet non eſſe idoneum. Ita *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 5. nu. 7. verſ. Et fortaſſe, & Reginald. lib. 1. prax. nu. 197.* qui tamen addit, quòd quando Epiſcopus aliquē iudicat, & approbat ſecundum ſuam conſcientiam tanquam idoneum, cùm re vera non ſit talis, valida eſt approbatio, ſi valida diceretur approbatio ſi fiat ab Epiſcopo excommunicato non tolerato, aut ſuſpenſo ab officio.

† Nonò ampliatur, vt adeò Sacerdos indigeat
14 approbatione ab Ordinario ad audiendas confeſſiones ſæcularium, vt quamuis ea habita poſſit audire confeſſiones, tàm virorum, quàm mulierum; nihilominus id intelligendum eſt, quando approbatio ipſa non eſt limitata: quo circa ſi Ordinarius Confeſſorem aliquem approbat ad audiendas confeſſiones virorum duntaxat, non poterit talis Confeſſarius audire confeſſiones mulierum: & ſi audiat, ac abſolutionem eis impendat, peccat mortaliter, & abſolutio nulla eſt ex defectu approbationis, ac vſus iuriſdictionis, vt habetur ex *Gutier. in ſuis canonic. qq. lib. 1. c. 27. nu. 18. & ſeq. Rodriq. in ſum. par. 1. c. 60. nu. 4.* cum alijs, quos allegat *Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 14. nu. 85.* Sic etiam ſi Epiſcopus
15 approbaſſet aliquos Confeſſarios ad audiendas confeſſiones fidelium, exceptis monialibus, non poſſunt moniales tempore Iubilæi eligere ſibi Confeſſarium vnum ex dictis prohibitis per Ordinarium audire illarum confeſſiones: quia nunquam S. P. cenſetur dare iuriſdictionem illis qui habent impedimentum aliquod, vt habetur ex *Suar.* cum alijs, quos allegat *de pœnit. diſp. 28. ſec. 7. nu. 3. & 19. Reginald. lib. 1. ſuæ prax. nu. 200. Rodr. par. 1. ſuæ ſum. c. 60. nu. 4. & Molfeſ. p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 16. nu. 28.* vbi etiam *nu. 31.* ait, quòd ita in praxi rationabiliter ſeruatur pro bono regimine monialium: quæ dum virtute Iubilæi facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium, tenentur deſignare ipſarum Confeſſarium Ordinario: pro qua re ſolent Abbatiſſæ congregare moniales, eaſdemque explorare, quoſnam velint ſibi eligere in Confeſſarios: & ſic nominant tres, quatuor, aut plures, quorum nomina mittunt ad Ordinarium, vt ab eo omnes, vel ex nominatis, quos maluerit, approbentur. Quæ quidem praxis eſt ſatis rationabilis: nam Ordinarij ſufficienter edocentur de perſonis accedere volentibus ad monialium Monaſteria, ne ſub prætextu huiuſmodi licentiarum accederent ad vaniloquia habenda, non autem ad confeſſiones audiendas.

16 Quòd ſi Religioſus ſimpliciter approbatus fuerit per Ordinarium ad audiendas confeſſiones fidelium vtriuſque ſexus citra omnem limitationem; licèt eiuſdem Religioſi ſuperior limitaſſet eidem licentiam, vt non audiat confeſſiones mulierum, aut moniales excepiſſet; ſi mulieres, & moniales audiat, & non habeat aliundè impedimentum, ipſiſq; abſolutionem impendat, valet abſolutio, vt contra *Rodriq. loco citato*, tenet *Graff. par. 1. deciſ. lib. 1. c. 13. nu. 88. & lib. 5. conſ. de pœnit. & remiſ. conſ. 1. nu. 12. Ioan. de Sal. de legib. diſp. 16. ſec. 10. n. 43.* & apud *Molf. d. c. 14. n. 87.* qui putat etiam, remoto contemptu, eiuſmodi Religioſum peccare tantùm venialiter quamuis *Rodriq. tom. 2. qq. Regular. q. 28. art. 1.*
17 velit peccare mortaliter. Bene verum eſt, quod ſupradictus Religioſus contra præceptum ſui Superioris audiens confeſſiones mulierum, non poſſet abſoluere eas ab illis caſibus, à quibus abſoluere poſſet vigore priuilegiorum ſuæ Religionis: nam Religioni conceſſa ſunt priuilegia: & illa conceſſit facultatem ſubditis reſpectu virorum, non autem mulierum. Imò ſi Epiſcopus expreſsè limitauit approbationem, & dicat licentiam concedere in ordine ad licentiam Prælatorum; talis Religioſus audiendo mulieres nulliter eis abſolutionem impendit: quia limitata cauſa limitatum producit effectum, *l. in agris, ff. de acquir. rer. domin.*

18 Decimò ampliatur ipſa concluſio, vt Sacerdos ad audiendas confeſſiones ſæcularium nō ſolum indigeat approbatione Ordinarij, ſed etiam exigitur, vt approbatio deuenerit ad notitiam ipſius Sacerdotis delegati, ac approbati: ſiquidem dum actu Sacramentum quis adminiſtrat, actu ſcire debet ſaltem probabiliter, ſe habere iuriſdictionem; aliàs exponit ſe periculo committendi ſacrilegium ob inualiditatem confeſſionis. Imo, qui ignorat iuriſdictionem ſe habere, non valet, quod agit, vt rectè docet *Bart. in l. Barbarius in 2. lect. nu. 18. ff. de offic. Prætor.* & alij, quos refert, & ſequitur *Sanch. lib. 3. de matrim.*

diſp.36. nu.8. vbi latè tractat, an & quando priuilegium proſit, donec veniat ad notitiam eius, cui conceditur. Idem dicendum eſt, ſi Confeſſarius de iuriſdictione ſit dubius: nam etiam ſi adhibita diligentia, manet anceps, non debet Sacramentum adminiſtrare, alias mortaliter peccaret, ob periculum, cui ſe exponit committendi
19 ſacrilegium Eſt tamen verum, quòd ſi neceſſitas vrgeret ex parte pœnitentis, tunc admonito ipſi pœnitenti poterit ſub conditione abſolutionem impendere, inquiens, *Si poteſtatem habeo, abſoluo te, &c.* Et cum onere, vt pœnitens teneatur accedere ad Confeſſarium, qui certam iuriſdictionem habeat, eidemq; peccata confiteatur iterum: ſiquidem hoc caſu non dicitur irreuerentiam inferre Sacramento: quia nō ſimpliciter; ſed ſub conditione abſoluit. Ita *Suar. de pœnit. diſp.26.ſec.6. Reginal. lib.1. ſua prax.nu* 102.& 103. *Sanch. lib.1. Decal. c.9.num.*34. & 35. & *Molſ.par.1. ſua ſum.tract.7.c.15.nu.64.* vbi *nu.*65. id limitat, vbi antea bona fide credebat Sacerdos ſe iuriſdictionem habere, & poſtea anceps efficiatur, & facta diligentia, adhuc maneat dubius: quoniam tunc non debet ſe abſtinere ab audiendis confeſſionibus, donec certò ſciat, iuriſdictionem ſe non habere: nam ſatis eſt bona fide cæpiſſe poſſidere, iuxta regulam, vti poſſidetis, de qua in *l.1.ff. vti poſſid. vt in §. commodum, in Inſtit. de interd.* latè *Sanchez d. nu.*35. *Leſſ. lib. 2. de iuſtit. & iure, c.6. dub.31.* & *Conynch. de pœnit. dub.8. nu.44.* Quòd ſi è con-
20 uerſo Confeſſarius ſemel approbatus, & ipſius approbationis, ac delegationis conſcius pœnitentes abſoluerit, valet abſolutio, etiam poſt reuocatam approbationem, ſeù delegationem, ſi talis reuocatio ad notitiam Confeſſarij non peruenerit: etenim priuilegium reuocatum ſemper vim habet, donec eius reuocatio perueniat ad aures illius, cui fuit conceſſum, vt habetur ex *Sanch. d. diſp.36. & Suar. loco citato.*

Secundò limitatur, vt licèt Sacerdotes non poſſint audire ſecularium confeſſiones, niſi approbationem obtineant, vt ſupra, nihilominus ſi Sacerdotes ipſi ſint Regulares maximè, & magiſtri in Theologia, Iuris Doctores inſignes, Lectores, & alij huiuſmodi notoriè idonei non tenentur exponere ſe examini; ſed ſatis eſt ſi ſe præſentent Epiſcopo proprio, qui tenetur illos approbare, nullo præuio examine, vt latè ſupra adnotauimus, *ampl.4.verſ. Eſt tamen verum.*

21 Tertiò limitatur, quòd etſi Sacerdotes ſæculares non poſſint audire confeſſiones ſæculariū, ſicut nec etiam Regulares, niſi præuia Ordinarij approbatione; ſi tamen Regulares ſemel approbentur, non poſſunt ab ipſo Ordinario à confeſſionibus ſuſpendi, niſi ex noua cauſa ad confeſſiones ipſas pertinente, vt patet ex declaratione Sacræ Congregationis Eminentiſſimorū S.R.E. Cardinalium, negotijs Epiſcoporum, & Regularium præpoſitorum ſub die 20. Nouembris 1615. cuius tenor eſt, qui ſequitur. *Cum Sacra Congregationi Cardinalium negotijs Epiſcoporum, & Regularnlarium Præpoſitorum innotuerit, Confeſſarios Regularis grauiter conqueri, quòd ab Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs ab audiendis confeſſionibus quauis de cauſa indiſcriminatim ſuſpendantur, & propterea ſæpe contingere, vt ab eiſdem Archiepiſcopis, Epiſcopis, & locorum Ordinarijs omnibus ſimul vnius conuentus Confeſſarijs confeſſiones audiendi facultas adimatur; Illuſtriſſimi eiuſdem Sacræ Congregationis Patres rati vix fieri poſſe, vt hæc ſine ſcandalo, magnaq; animarum pernicie contingant, re mature perpenſa ad omnem ſcandali materiam ſubmouendam, & quo magis ſpirituali piarum mentium conſolationi conſulatur: ſtatuunt, ac decernunt, Archiepiſcopis, Epiſcopis, alijſq; Ordinarijs locorum, ad quos Confeſſarios approbandi ius ſpectat, Confeſſarios Regulares, aliàs ab ipſis liberè approbatos ab audiendis confeſſionibus ſuſpendere minimè licere, niſi ex noua cauſa, eaque ad confeſſiones ipſas pertinente, aut ob non ſeruatum interdictum ab ipſis Ordinarijs poſitum. Statuunt inſuper eoſdem Archiepiſcopos, Epiſcopos, locorumq; Ordinarios confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul vnius conuentus Regularibus Confeſſarijs, eademq; Sacra Congregatione inconſulta, nullo pacto adimere poſſe. Quod quidem decretum, vt ijdem Illuſtriſſimi Patres opportunum, & neceſſarium duxerunt; ita inuiolabiliter iubent obſeruari Romæ 20. Nouembris 1615. A. Mar. Epiſ. Hoſtien. Card. Gallus V. Theatin. Secr.* Hoc decretum refertur de verbo ad vrbum à *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 30.* qui etiam *nu.31.* refert aliud reſcriptum Sacræ Congreg. Conc. Trid. de anno 1587. ſub die 2. Iulij per hæc verba, *Regulares, qui ad confeſſiones audiendas idonei generaliter, ab Ordinarijs, eorumq; examinatoribus reperti, & probati fuerint, generaliter quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorumuè locorum, aut generis perſonarum, admittantur in Diœceſi propria. De cæteris verò, qui non adeo idonei reperientur, ſi petierint, ſe admitti arbitrio Ordinariorum, relinquitur ipſos cum limitata facultate, prout eiſdem Ordinarijs magis expediri videbitur, probare, & admittere. Qui autem in domibus Laicorum confeſſiones ex cauſa audierint, ſtatim Parochum admonere teneantur, & fidem auditæ confeſſionis pro Medico aduenienti relinquere.*

22 Ex his igitur patet, quòd licèt Regulares à Rom. Pontifice, & à iure facultatem habeant audiendi confeſſiones ſæcularium; nihilominus reſtringitur, vel dilatatur per approbationem Ordinarij. Etenim Ordinarius ex iuſta, ac rationabili cauſa poteſt negare etiam Religioſis petitam approbationem, aut eandem eiſdem limitare ad hoc oppidum dumtaxar, & non ad illud: ad viros, & non ad fœminas: ad certum, ac determinatum tempus, nempè ad ſex menſes, ad annum, ad biennium, &c. aut ad beneplacitum, vel ſub conditione vt ſupra adnotauimus, *limit. 6. circa finem:* quibus adde *Barb. loco citato, nu. 32.* & alios, quos ipſe allegat. Qui quidem *nu.36.* obſeruandum eſſe inquit, quòd beneplacitum non ſolùm expreſsè reuocari poteſt, ſed etiam tacitè, morte ſcilicet ipſius Ordinarij concedentis, *cap. ſi gratioſè, de reſcrip lib.6.* Etenim gratia ad beneplacitum Rom. Pontificis, vel Regis, morte Pontificis, vel Regis expirat *Gonzal. ad regul. 8. Cancell. §.1. proœmij, nu.9. cum ſeq. & gloſ.12. à princ.* Cauſæ autem reuocandi approbationes Regularium non ſolùm ſimpliciter, ſed etiam intra tempus limitatum, ſunt ipſorum Regularium publica crimina, & ſcandala, vt quia ſint

publici

publici criminoſi, ſcandaloſi, errores, vel hæreſes ſeminauerint: ſiquidem Epiſcopi quoad hoc ſunt legati Sedis Apoſtolicæ, vt patet ex *Concil. Trid. ſeſſ. 5. c. 2.* & in multis etiam alijs caſibus poſſunt procedere contra Regulares quantumuis exemptos, vt habetur ex *Fagund. d. c. 2. ſub nu. 24. & 31.* & nos latius in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 1. q. 3. à nu. 21. vſque ad fin.* Adde, quod ſi licentia data ſit alicui Sacerdoti ad audiendas confeſſiones ſæcularium ſub conditione, ſi non adimpleatur conditio ceſſat facultas, vt habetur ex *Gemin. conſ. 106. verſ. Ad idem.*

24 Quæ diximus de Sacerdotibus Regularibus ſemel approbatis ab Ordinario, vt non poſſint ab eo ſuſpendi citra iuſtam cauſam, extendimus etiam ad Sacerdotes Sæculares. Etenim approbatio ſemel impenſa per Epiſcopos Sæcularibus Sacerdotibus, nulla iuſta, ac legitima cauſa ſubſiſtente non poteſt reuocari, vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 7. nu. 7. Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 6. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. ſub nu. 61.* & ex alijs. Probatur ex *tex. in c. accepimus, de ætate, & qualit.* in quo habetur, quòd ſemel approbatus tanquam idoneus, non debet tanquam indignus reprobari, niſi denuò conſtiterit eum factum eſſe indignum. Confirmatur, quia huiuſmodi approbatio non eſt aliqua gratia aſſiduè pendens ex voluntate Epiſcopi approbantis; ſed eſt teſtimonium quoddam, & iuridica quædam declaratio ad modum iuſtæ ſententiæ ex iuſtitia debita: ergò non poteſt iuſtè reuocari citra legitimam cauſam. Nec obſtat ſi dicatur, quòd à principio poterat Epiſcopus Sacerdotes Sæculares non approbare citra omnem iuſtam, ac rationabilem cauſam: ergò poſt impenſam approbationem poterit illá reuocare; quoniam reſpondetur negando conſequentiam: eſt enim diuerſa ratio: ſiquidem quando à principio negatur, Sacerdos nunquam fuit approbatus, atque ideò fuit nunquam in eo completa conditio à Conc. Trid. expoſtulata, quæ tamen impleta fuit in eo, qui ſemel eſt approbatus. Imò *Fagund. loco citato, ſub num. 63.* poſt *Suar. d. nu. 7.* probat, quòd quando approbatio eſt ſimpliciter facta, ad tempus, vel in perpetuū, & citra rationabilem cauſam ab Epiſcopo reuocatur, talis reuocatio non ſolùm eſt iniuſta, ſed etiam inualida: ſiquidem talis reuocatio ſine cauſa facta eſt quædam ablatio iuris iam quæſiti, vel quaſi reuocatio iuſtæ ſententiæ, ſine cauſa reuocandi facta. Dixi quando approbatio eſt ſimpliciter facta, &c. quoniam ſi approbatio fuit conceſſa ab Epiſcopo vſque ad ſui beneplacitum, tunc valida erit reuocatio illius, etiam nulla ſubſiſtente cauſa: ſiquidem ex modo concedendi illam, ſemper intelligitur talem approbationem præbere ex mera voluntate concedentis: nam licèt huiuſmodi approbatio ſit veluti quædam ſententia, & teſtimonium ex iuſtitia debitum; nihilominus modus dandi illud nō eſt ex iuſtitia debitus: quoniam nullo iure prohibetur hoc teſtimonium hoc vel illo modo dari.

25 Cæterum licèt hæc vera ſint de eodem Epiſcopo, vt non poſſit ſuſpendere Confeſſarios maximè Regulares ſemel approbatos, præuio examine citra iuſtam, ac rationabilem cauſam; nihilominus ſucceſſor Epiſcopus poteſt omnes, & quoſcunq; Confeſſarios etiam Regulares generaliter ad examen aduocare, etiam ſimpliciter approbatos, & quos idoneos non inuenerit, reijcere, iuxta conſtitutionem S. M. Pij V. ſub die 8. idus Auguſti edita, anno 6. ſui Pontif. vt habetur ex *Mirand. in Man. Prælat. tom. 1. q. 45. art. 7. q. vnica, Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 29.* latè *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. c. 2. nu. 26.* vbi hanc rationem affert, quia cùm Epiſcopi ſucceſſores, ſint noui Paſtores, cum nouo munere nouam induunt obligationem; atque ideò non eſt cur cogantur ratas habere, & confirmare facultates à ſuis Prædeceſſoribus cōceſſas; vt igitur ſuæ conſcientiæ ſatisfaciant, non eſt mirum, ſi ad examen vocare poſſit omnes approbatos, etiam Regulares, & quos dignos non inuenerit reprobare. Eſt tamen verum quòd cauſa reprobationis debet eſſe cognita, & probata, ac nominatim facta, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. c. 6. §. 6.* cum quo pertranſit *Barb. loco citato in fine, & Fagund. d. c. 2. nu. 31.* Quæ di-
26 ximus de Epiſcopis ſucceſſoribus extendimus ad Capitulum Sede vacante, nam de iure poteſt regulariter licentias, & approbationes à mortuo Epiſcopo datas, dum viueret, reuocare, ſiuè ſint abſolutè conceſſa, ſiuè ad certum tempus, durante eodem tempore, & intra præfixum tempus, & iterum examinare etiam Religioſos, vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 8. nu. 4. & 5. Henriq. d. c. 6. & Fagund. vbi ſupra.* Dixi, *De iure poteſt regulariter*: quia, ſpectatis Mendicantium priuilegijs, & nonnullorum aliorum Regularium, aliter dicendum eſt. Vndè Capitulum Sede vacante, non valet huiuſmodi approbationes à præcedente Epiſcopo datas Mendicantibus reuocare, nec licentiam ad prædicandum, aut ad aliqua vota in pia opera commutanda propter ſpeciale priuilegium conceſſum Dominicanis, vt in eorum priuilegijs habetur *fol. 55. p. 2.* & Franciſcanis, & in monumento Ordinis, *fol. 113. conceſ. 144.* à Clem. IV. anno 1265. quæ priuilegia refert *Fagund. d. c. 2. n. 28.* vbi etiam *nu. 29.* addit, quòd licèt Capitulum, Sede vacante generali mandato ſoleat reuocare omnes licentias, & approbationes ab Epiſcopo præcedente datas, ſub illo generali mandato non comprehenduntur Regulares, etiam ſi de illis ſpecialis fiat mentio: quoniam Capitulum, Sede vacante, quoad Regulares nihil poteſt innouare: eò magis, quòd hodie ferè omnia Regularium priuilegia ſunt inuicem communicata. Et noſtræ Congregationi ſpecialiter tàm conceſſa, quàm concedenda cuicunq; Religioni cenſentur ipſo facto communicata, vt patet ex priuilegijs dictæ noſtræ Congregationi conceſſis à Clem. VII. & Paulo IV. eiuſdem Congregationis Fundatori, de quibus in Bullario, & *P. Pellegr. in compend. noſtrorum priuilegiorum, ver. Introductio, §. 2. 3. & 4.* Imò noui Epiſcopi generali quoq; man-
27 dato licèt ſoleant reuocare omnes approbationes à ſuo Prædeceſſore conceſſas, ſub tali tamen generali mandato non comprehenduntur Regulares; ſed opus eſt, vt reſpectu illorum ſpecialiter prædictæ licentiæ reprobentur, & reuocentur, vt habetur ex *Henriq. d. cap. 6. & Fagund. d. c. 2. nu. 30.* ſiquidem inquiunt, quòd nomine Confeſſariorum in odioſis non veniunt Religioſi: & hæc differentia eſt inter Capitulum, Sede vacante,

cante, & nouum Epiſcopum: quòd Capitulum licèt in iuriſdictione ſuccedat Epiſcopo, & licèt ſpecialiter velit reuocare licentias, & approbationes Religioſorum, non poteſt propter illorum priuilegium; Epiſcopus verò nouus poteſt. Illud denique non videtur hoc loco ſilentio prætereundum, quòd docet *Suar. d. diſp. 28. ſec. 4. nu. 5. & Fagund.* valdè probatur *d. c. 2. nu. 27.* nempè, quòd ſi approbatio conceſſa fuerit Religioſis non præuio examine, poterit idem Epiſcopus, qui eos approbauit iterum examinare: ſecus autem, ſi præuio examine: nam eo caſu quamuis nouus Epiſcopus poſſit Regulares approbatos à Prædeceſſore ad examen iterum vocare; non tamen id fieri poteſt ab vno, & eodem Epiſcopo, qui Regulares ipſos præuio examine ſimpliciter approbauit. Siquidem ſupradictum priuilegium Pij V. ita intelligendum eſt ob illa verba, *Volumus tamen eos, qui ſemel ab Epiſcopo in Ciuitate, aut Diœceſibus ſuis, præuio examine, approbati fuerint, ab eodem Epiſcopo iterum non examinari.*

28 Quartò limitatur, vt & ſi nullus Sacerdos poſſit Sæcularium confeſſiones audire, niſi ab Ordinario fuerit approbatus; ſi tamen quis reperiatur in articulo, aut in periculo mortis, huic poteſt pœnitentiæ Sacramentum conferre, & à ſuis peccatis, & cenſuris quibuſcunque abſoluere quilibet Sacerdos ſimplex non ſolùm non approbatus ab Ordinario, vt latè ſupra oſtendimus, *ſec. 4.* ſed etiam ſi excommunicatus eſſet, ſuſpenſus, degradatus, aut hæreticus, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. de ſacram. pœnit. ca. 7.* vbi habetur, quòd omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſe in articulo mortis. Ita *Henriq. in ſum. lib. 6. c. 11. Conynch. de ſacram. diſp. 8. dub. 2 nu. 15. Nauar. in Man. c. 27. nu. 271. Medina tract. 2. de pœnit. q. 18. ad finem, Vaſq. in 3. p. tom. 4. de pœnit. q. 93. art. 1. dub. 3 nu. 4. & dub. 4. nu. 8. Reginal. lib. 1. prax. à nu. 58.* & alij quamplurimi, quos refert, & ſequitur *Barb. de poteſt. Epiſc. alleg. 25. nu. 49.* 50. qui *nu. 51.* id ampliat poſt alios etiam ſi adſit Superior, vel de facili poſſit haberi: ſi quid *Conc. Trid. loco citato*, abſolutè dicit, omnes Sacerdotes in articulo mortis poſſe abſoluere: & quãuis contrarium doceant *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 4. Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 10. pun. 2. Henriq. lib. 1. c. 23. nu. 3.* & alij; nihilominus eorum ſententiam ipſe *Barb.* recipit quoad bene eſſe; quoniã conſultè facit, qui præſente ſuo Parocho, vel Superiore, ab eo potius, quàm ab alio ſe abſolui curat. Sed re vera verior nobis videtur ſententia eorum, qui docent, talem ordinem eſſe ſeruandum nõ ſolùm quoad bene eſſe; ſed etiam quoad validitatem actus: quoniam iuriſdictio tribuitur in articulo, vel periculo mortis propter inſtantem neceſſitatem Sacerdotis approbati, vel aliàs idonei: vndè cùm in ſupradicto caſu ceſſet neceſſitas, ceſſat etiam iuriſdictio in Sacerdote ſimplici non approbato, vel excommunicato, vt ſupra declarauimus, *d. ſec. 4.*

29 Quintò limitatur, vt licèt Sacerdos non approbatus ab Ordinario nulliter audiat confeſſiones ſæcularium; ſi tamen communiter æſtimetur approbatus, etſi re vera non ſit, conferens Sacramentum pœnitentiæ ſæcularibus, validè confert, ita vt confeſſio non veniat iteranda, modò concurrat titulus putatiuus ex parte Sacerdotis. Hæc limitatio patet ex ijs, quæ latè ſupra adnotauimus *ſec. 7. concl. 7.* & in ſpecie videatur *Fagund. de precep. Eccl precep. 2. lib. 2. c. 2. nu. 73.* vbi probat validam eſſe confeſſionem illi factam, qui communiter exiſtimatur ab Ordinario approbatus, aut Parochus, cùm tamen non ſit; modò concurrat titulus approbationis, ſi non verus, ſaltem coloratus ex parte Sacerdotis, vt quia habeatur communiter pro Parocho, licèt titulum amiſerit, eo quod renunciauerit beneficium parochiale: aut quò re vera prius approbatus fuerat ab Epiſcopo, & ignoratur, approbationem ex cauſa fuiſſe reuocatam: aut quoniam fuerat ad tempus approbatus, & tempus iam ſit elapſum; verùm communiter putatur adhuc durare. Pro hac re quamplurimos Doctores affert ipſe *Fagund.* & argumenta cõtrariæ opinionis ſufficienter ſoluit *num. 76. Dixi ſi non verus ſaltem coloratus ex parte Sacerdotis.* Quoniam ex parte pœnitentis, vt valeat abſolutio non requiritur alius titulus, nec quidem ad inducendam delegationem iuriſdictionis ex communi errore in pœnitentiali foro, vt rectè declarat *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 5. à nu. 43. ad 46.*

30 Sextò limitatur, vt Sacerdos ad audiendas confeſſiones ſæcularium quamuis indigeat approbatione Epiſcopi Ordinarij; hæc tamen approbatio debet eſſe Epiſcopi, ſeù Ordinarij Sacerdotis, vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 28. ſec. 6. nu. 6. & ſec. 7. nu. 3. iuncto nu. 8. Bellon.* aliàs *Conynch. tom. 2. de ſacram. diſp. 8. dub. 7. nu. 50. §. Alij tamen Viual. in candel. aureo, de confeſ. nu. 27. Bonac. diſp. 5. de ſacram. q. 7. pun. 4. § 1. nu. 15. Reginald. lib. 1. prax. nu.* 185. videtur etiam *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. nu. 74.* Seù ſecundum alios ad illum Epiſcopum ſpectat Confeſſarij approbatio, qui eſt Antiſtes loci, vbi fit confeſſio; ſeù in cuius Diœceſi Sacerdos ad confeſſiones audiendas publicè exponitur, & ſic Epiſcopi pœnitentis, vt colligitur ex *Nauar. in Man. c. 21. num. 266. verſ. Sextum Vgol. de poteſt. Epiſc. c. 7. §. 2. num.* 8. cum alijs, quos allegat *Barb. loco citato*: qui mouentur ex eo, quia pœnitentes ſua valent confiteri peccata Sacerdoti exiſtenti, & ſic habitanti in eo territorio, & loco, in quo reperiuntur, cùm confiteri volunt; etiam ſi vagabundi, peregrini, aut incolæ ſint, vt habetur ex *Bonac. d. q. 7. pun. 2. nu. 4. & 5.* Siquidem ille dicitur proprius Parochus quoad Sacramentum confeſſionis, in cuius Parochia pœnitentes habitant de præſenti, nec poſſunt commodè audire proprium Sacerdotem, vt per *Menoch. conſ. 398. nu. 25. & Sanch. de matrim. lib. 3. diſp. 23. nu.* 12. Hanc eandem opinionem videtur ſequi *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 11. ſub nu. 9.* Qui dum ait, quòd approbatio Sacerdotis ad eum Epiſcopum pertinet, in cuius Diœceſi Sacerdos ad confeſſiones audiendas publicè exponitur, inquit, quòd Epiſcopus ille interdum non eſt Ordinarius pœnitentium: vt ſi ſint alienigenæ habentes expreſſam, aut tacitam facultatem cuicunq; Sacerdoti expoſito

31 confitendi. Sic etiam ſi Epiſcopus velit ſibi in Confeſſarium eligere in aliena Diœceſi Sacerdotem ipſi non ſubditum, debet is, vel parochiale beneficium obtinere, vel à proprio Epiſcopo approbatus eſſe, vt ſupra adnotauimus, *ſec. 3. concl. 3.*

concl.5.illat.3.verſ.Sed ſuppoſito. Dixi. *In aliena Diœceſi,* Quoniam in propria Diœceſi poteſt eligere ſibi in Confeſſorem, etiam non ſubditum: nam eo ipſo, quòd quis manet in Diœceſi, etiam per horam, illa hora efficitur Epiſcopo ſubditus ita vt poſſit ab eo approbari pro audienda confeſſione alicuius particularis, vel omnium, & pro audienda quoque confeſſione eiuſdem Epiſcopi, vt in *d. verſ. Sed ſuppoſito*, adnotauimus, vbi reſpondimus etiam determinationi S. Congregationi, quàm refert *Suar. in 3.p.tom.4. diſp.28.ſec.4.nn.8. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep.2.lib.7.c.2. nu.79. in fine.* E contra verò aliquando contingit, vt Epiſcopus, à quo approbatio petenda eſt, ſit potius pœnitentium, quàm ipſius Confeſſarij; vt ſi Sacerdos Peregrinus, aut hoſpes in aliena Diœceſi exponendus ſit à Parocho, ſiquidem tunc opus eſt conſenſu, ſeù approbatione Epiſcopi eiuſdem loci. Ita *Laym. loco citato*, vbi refert quoque alios contrarium ſentientes.

32 Eſt tamen verum, quòd licèt probabilis, vel ſaltem non reijcienda ſit ſententia eorum, qui volunt, Confeſſarium approbatum ab Ordinario cuiuſcunque loci ſit, poſſe confeſſiones audire illorum, qui virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij facultatem habent eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, vt docent *Henriq. lib.6.c.6.nu.7. Conyneh. de ſacram. diſp.8.dub.7. nn.53. Cordnba in ſua ſum.q.10. ad 2. dub. Reginald. in praxi lib. 1. nn. 186. & 188. Suar. in 3.p.tom.4.diſp.28.ſec.4. nu.18. & ſec.7. nu.6. & 10.* alij, moti ex eo, quòd Bulla non exigit Sacerdotem approbatum ab Ordinario illius loci, ſed ſimpliciter, in communi expoſtulat Sacerdotem approbatum; quæ verba, cùm ſint generaliter prolata, generaliter videntur eſſe intelligenda; Nihilominus *Barb. d. alleg.25. ſub nu.15. & 16.* tutiorem, & probabiliorem putare opinionem eorum, qui docent, pœnitentem, qui virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij poteſtatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, non poſſe eligere Confeſſarium ab Ordinario alterius Diœceſis: ſiquidem vſu receptum eſt, vt in vna Diœceſi approbatus, ſi ad aliam ſe transferat, indigeat iterum approbatione ab Ordinario loci, in cuius Diœceſi transfertur; atque adeò neceſſariò debet approbari ab Ordinario loci, in quo confeſſiones audit. Confirmatur hæc ipſa ſentẽtia ex quadam declaratione Eminentiſſ. S.R.E. Cardinalium ad conſultationem Archiepiſcopi Valentini relata ab eodem *Rodriq.* ita ſe habente, *Congregatio Concilij reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina non cenſeri approbatum ab Ordinario iuxta formam Concilij.* Denique, cæteris prætermiſſis, probatur ex eo, quod Religioſi Societatis Ieſu priuilegium obtinuerunt à Greg. XIII. vt ſemel approbati, & à Superioribus expoſiti poſſint audiere confeſſiones fidelium, dum per alias Diœceſes tranſeunt: ergò ſignum eſt, ipſos nõ potuiſſe confeſſiones in alia Diœceſi audire abſque tali priuilegio; atque ideò Confeſſarium approbatum in vna Diœceſi non cenſeri approbatum pro alia etiam tempore Iubilæi, quod ſemper concedi ſolet cum facultate eligendi Cõfeſſarium approbatum ab Ordinario, qui neceſſariò debet eſſe approbatus ab Ordinario loci, in quo confeſſiones audit.

Fagund. autem c.2.nu.93. videtur inclinare in opinionem, quam cæteris probabiliorẽ arbitratur eſſe, quæ docet, exigi in caſu, de quo agitur, Sacerdotem approbatũ ab actuali Epiſcopo ipſius Sacerdotis: illum autem, inquit, eſſe Epiſcopum actualis Confeſſarij, qui eſt Epiſcopus loci, aut Diœceſis, in qua Sacerdos habitat, domicilium, vel quaſi habet, iuxta ea quæ ſupra diximus. Probat ſuam ſententiam ex quadam declaratione, ſeù reſponſione Eminentiſſimorũ Cardinalium, qui de hac re conſulti, ita reſponderunt, *Sanctiſſimus Dominus noſter declarauit, tempore Iubilæi poſſe omnes Regulares confiteri peccata ſua Sacerdotibus approbatis ab Ordinario ad audiendas confeſſiones; in Bulla enim non fit mentio, niſi de Ordinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones, non autem de Ordinario pœnitentium.* Hoc ipſum non obſcurè colligitur ex *Conc. Trid. d. ſeſſ.23.c.15.* in illis verbis, *Declarat ſancta Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopis per examen ſi illis videbitur neceſſarium, aut alias idoneus iudicetur.* Vndè inquit ipſe *Fagund. d. c.2. ſub n.19.* Quòd ſicut expoſtulatur per Conc. vt Parochus actualiter parochiale beneficium habeat, vt poſſit citra approbationẽ ſuarũ ouium confeſſiones audire, & ſatis nõ eſt illud habuiſſe; ita exigitur, quod Sacerdos actu ſit examinatus proprio Epiſcopo loci, in quo eſt, & non ſufficit quòd ab alio fuerit examinatus, cuius iam non eſt ſubditus; atque ideò requiritur, vt iudicetur aptus, & approbetur à proprio Epiſcopo, & non quòd fuerit aliquando approbatus ab illo Epiſcopo, qui fuit proprius, & hodie non eſt proprius: & propterea exigitur, vt approbatio detur ab Ordinario Sacerdotis approbati: & ab Ordinario loci in quo habitat Sacerdos, etiam ſi Sacerdos ipſe ſit Religioſus, qui approbatur, ad hoc vt ſit eligibilis in toto Orbe terrarum quamdiu durat approbatio illius, vt habetur ex *Suar. in 3.par.tom.4.diſp 28.ſec.7. num.3. iuncto num.8. Conych. tom. 2 de ſacram. diſp.8. dub.7. nn.50. §. alij autem, Viual. in Candel. aureo de confeſ. nu.27. concl. 3. & alij.*

33 Hæc ſententia re vera eſt vſui, ac praxi valdè conformis: ſiquidem nos videmus Regulares, qui ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi habitant, & ſic à ſuo Ordinario, approbantur, ſi habitationem, ac quaſi domicilium mutent in monaſterium alterius Diœceſis, indigere, & petere approbationem ab Epiſcopo illius Diœceſis, vt in ea fidelium confeſſiones audire valeant; atque ideò eligibiles ſint vi alicuius priuilegij, aut Bullæ: nam debet eſſe approbati à ſuo Ordinario: iſte autem Ordinarius eſt modò ſuus, & non alius: ergò noua illius approbatione indigeat. Hoc idem ſeruatur in Sacerdotibus Sæcularibus approbatis in vna Diœceſi: quoniam ſi mutent in aliam domicilium, noua pariter approbatione indigent à proprio Epiſcopo: ſiquidem iam iſte factus eſt proprius per mutationem domicilij, & alius deſijt eſſe proprius, & manet extraneus. Probatur etiam hæc ipſa ſententia ratione: nam ſi non exigeretur noua approbatio Epiſcopi proprij, nempè noui domicilij, ſequeretur poſſe

aliquem

aliquem pœnitentem eligere ſibi Confeſſariom, qui non ſit actu approbatus ab Ordinario ipſius Sacerdotis Sæcularis, aut Regularis; ſed à quocuoque alio extraneo: quod videtur incredibile: quis enim credet, Epiſcopum ita approbare Sacerdotem ſibi non ſubditum, vt in vniuerſa Eccleſia ſit eligibilis. Denique ſequeretur, poſſe Regulares ab vno Epiſcopo approbatos vbique terrarum audire confeſſiones Sæcularium virtute ſuorum priuilegiorum citra nouam approbationem Epiſcopi Diœceſis, ad quam mutant domicilium, ſeù quaſi, quod eſt contra communem vſum, & conſuetudinem, & contra motum Pij V. obligantis Regulares ad petendam nouam approbationem Epiſcopi, in cuius Diœceſi commorantur, ſi in eo nunquam fuerint approbari, vt poſt *Suar, loco citato*, probat *Fagund. d.c.2. ſub nn.19. & 20.* & contraria ſoluit. Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib.5. ſua ſum. tract. 6. c.11. nn.8.* & quæ dicemus infra *diſp.50.c.55.*

† Eſt tamen verum, quòd licèt Confeſſarius ap-
34 probatus in vna Diœceſi, ſi domicilium in alia durante in ea domicilio, extinguatur, vel ſaltem ſuſpendatur approbatio, ita vt ſi redeat ad priorem Diœceſim, non indigeat noua approbatione vt ſupra adnotauimus, & habetur ex *Molf. p. 1. ſua ſum. c.16. nu.24. in fine*, vbi etiam *nu. 25.* id limitat, vbi Confeſſarius approbatus eſſet à Sum. Pontifice; Nihilominus ſicut Parochus poteſt abſoluere ſuos pœnitentes, extra etiam ſuam Diœceſim, ſeù Parochiam; quia vbiq; ſunt oues propriæ, in quas ſine ſtrepitu, & figura iudicij iuriſdictionē exercere poteſt, vt habetur ex *Syl. in ſum. ver. Confeſſor. 1. q.14. Reginald. lib. 1. ſua praxis, nu.93. & 94. Conynch. de pœnit. diſp. 8. nu.22.* & alij ita quoque Religioſi approbati ab Ordinario: ſiquidem hi per approbationem Ordinarij ſimiles efficiuntur Parochis, vt habetur ex *Peregr. in comp. noſtrorum priuilegiorum tit. abſolutio quoad ſaculares §.8.* & alijs relatis per *Molf. d. tract.7. c.15. nn. 11.* vbi etiam *nu.92. ex Archid. Anchar. Syl. Sanch.* & quamplurimis alijs, id extendit quoad omnes Confeſſarios habentes delegatam iuriſdictionem: quoniam eiuſmodi Delegati habent iuriſdictionem in perſonas eorum pœnitentium: & propterea non attenditur territorium; ſed tantùm perſona, & ideò Confeſſarij poſſunt eorum confitentes abſoluere auditis eorum confeſſionibus, vbique locorum eo magis, quia iuriſdictio fori ſacramentalis eſt voluntaria, quæ extra territorium exerceri poteſt à quocunq; illam habente, *l.2. ff. de off. Proconſul.*

35 Septunò limitatur prædicta concluſio, vt quamuis Sacerdotes indigeant approbatione ab Ordinario ad audiendas confeſſiones ſæculariū; Nihilominus Sacerdos, qui parochiale beneficium habet, non indiget approbatione: ſiquidem is habet approbationem à iure, & facultatem annexam beneficio, nec Epiſcopus illi approbationem poteſt reuocare, quamuis ex cauſa valeat eundem ſuſpendere, vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 18. ſec. 2. & 8. Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.25. nu.23.* & patet expreſsè ex *Conc. Trid. ſeſſ.23. c. 15.* in illis verbis, *Niſi aut parochiale beneficium, &c.* Imò talis Sacerdos parochiale beneficium habens, adeò reputatur idoneus, vt virtute Iubilæi, Bullæ, aut alterius priuilegij, aut ex commiſſione aliorum Parochorū audire poſſit ſæcularium cófeſſiones in vniuerſa Eccleſia, non ſolùm intra eandem Diœceſim, in qua habet Parochiam, tàm propriarum ouium, quàm alienarum citra licentiam propriorum Parochorum, ac proprij Epiſcopi, vt ex communi Doctorum ſententia docet *Suar. diſp. 28. ſec. 4. nu.16. in fine, Gutier. lib. 1. qq. Canonic. c.27. nu.21. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. nu.35.* Sed etiam extra Diœceſim, & vbique eſt eligibilis in vniuerſa Eccleſia, ita vt vigore priuilegij, aut delegationis factæ ab altero Parocho cuiuſcunq; Diœceſis Orbis terrarum eligi poſſit, eidemq; committi valeant propriæ oues. Ita *Suar. loco citato, nu. 18. in prima editione*, *Viuald. in ſuo Candel. de confeſ. nu. 27. concl. 1. Tolet. lib.3. ſua ſum. c.13. nu.6. Henriq. lib.3. de pœnit. c.6. nu.7. & 8. & Fagund. d.c.2. nu.19. & 36. contra Gutier.* & alios, vbi *nu.37.* contraria ſoluit, licèt nos priorem ſententiā ſequamur infra *diſp. ſec. 55.* Rationem autem hanc eſſe volunt; quoniam de iure antiquo quilibet Parochus poterat eligi in Confeſſarium per quamcunque facultatem, & per delegationem, & commiſſionem propriarū ouium factam ab alijs Parochis; ergò, & modò poterit cùm idem ius omninò perſeuetet: ſiquidem ab antiquo iure non receditur propter nouū, niſi quatenus id in eo exprimitur, at per *Conc. Trid. d. c. 15.* quoad habentem parochiale beneficium nihil immutat; nec condit ius nouum, ſed retinet antiquum. Eſt tamen verum, quòd adhoc vt Parochus ſit vbique eligibilis vt ſupra, vt actualiter parochiale beneficiū habeat, nec ſatis eſt illud habuiſſe, & iam renonciauit, vt habetur ex *Suar. d. ſec. 4. nn. 20. Henriq. d. c. 6. nn. 3. Viual. loco ſupra relato concl 2. & Fagund. vbi ſupra nu. 38.* & patet ex illis Conc. verbis, *Niſi aut parochiale beneficium habeat, &c.* Etenim Concilium non dicit, habuerit, ſed habeat. Sic etiam ſupra diximus ex eodem *Fagund. d.c.2. nu 19.* quòd ad hoc, vt Sacerdos, vt ſupra approbatus ſit eligibilis, vbique vi alicnius priuilegij, aut delegationis non eſt ſatis fuiſſe approbatum ab Epiſcopo, in cuius Diœceſi habuit, vel habet domicilium; ſed oportet, vt ſit actualiter approbatus ad audiendas ſæcularium confeſſiones ab ipſo loci Epiſcopo, ſiuè limitatè fuerit approbatus ad vnum oppidum tantùm, ſiuè pro tota Diœceſi. Imò idem dicendum eſt ſi Sacerdos approbationem habuerit ad certum numerum, ſeù genus perſonarum. Vndè fœmina, quæ virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi Cóſeſſarium ab Ordinario approbatum; ſi talis Confeſſarius fuerit approbatus ad audiendas cóſeſſiones virorum tantùm, & non mulierum, puto probabiliter vi Iubilæi à dicta fœmina eligi poſſe: ſiquidem verum eſt dicere, hunc eſſe approbatum ab Ordinario, vt patet ex ijs, quæ habentur ex *Barb. de offic. & poteſt. Epiſcopi, alleg 25. nu.17.* & in ſpecie *Fagund. d.c.2. nu.45.* cum alijs, quos allegant. Siquidem *Conc. Trid. d. c. 15.* non expreſſit, neceſſarium eſſe, quòd Sacerdos approbatus ſit illimitatè pro tota Diœceſi; ſed tantùm expoſtulat, quod ſit approbatus.

36 Cæterum quæ diximus de Sacerdote habente beneficium parochiale quòd non indigeat approbatione Ordinarij ad audiendas confeſſiones ſæcularium confeſſiones, & quòd ſit vbique eligi-

eligibilis vi Iubilæi, aut alterius priuilegij, vel delegationis, ea negamus in Prælato Monaſterij: nam quamuis Prælatus Monaſterij æquetur in iure habenti Parochiale beneficium; nihilominus citra approbationem Ordinarij non valet ſæcularium confeſſiones audire, nec vi priuilegij, aut bullæ eſt vbique eligibilis, nec idoneus, vt Parochus ſæcularis ei ſuas oues committat, vt contra nonnullos Doctores docet *Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 2. ad marginem litt. E. in fine, & litt. F. in prin. & Fagund. d. c. 2. ſub nu. 39.* poſt *Suar. d. diſp. 28. ſec. 4. nu. 21.* Quod amplius etiam in Prælatis Monaſteriorum Religioſorum habentium Parochias ſæcularium annexas, quorum Parochi curati ſunt ipſi Religioſi præſentati à ſuis Prælatis per annum, biennium, vel triennium: ſiquidem Prælatus Regularis, nec per ſe poteſt exercere beneficiū Parochiale, niſi approbationem recipiat ab Epiſcopo Ordinario, nec deſignare Vicarium Regularem, qui abſque alia approbatione Epiſcopi confeſſiones illorum ſæcularium audiat, & Parochianos ipſos curet. Etenim *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* ſimpliciter expoſtulat approbationem Epiſcopi etiam in Regularibus ad audiendas confeſſiones ſæcularium & omnes, ac ſinguli Parochiani illarum Parochiarum ſæculares ſunt, vt patet ex illis Concilij verbis, *Nullum etiam Regularem, poſſe confeſſiones ſecularium, etiam Sacerdotum audire, niſi aut parochiale beneficium habeat, aut ab Epiſcopo approbetur.* Et quamuis Concilium excludat habentes beneficium Parochiale; nihilominus loquitur de ſæcularibus, qui habent beneficium Parochiale, non autem de Regularibus: ſiquidem loquens de omnibus Regularibus, expreſsè ait, illos debere eſſe ab Epiſcopo approbatos, vt poſſint confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire. Non tamen eſt ſpernenda contraria ſententia: nam eſt Magiſtri Mantij Galli, Bannes, Medinæ, & aliorum Dominicanorum. Etenim Conc. Trid. loquitur de habentibus Parochiale beneficium, & non diſtinguit inter ſæculares, & Regulares; ergò generaliter videtur eſſe intelligendum tàm de Sæcularibus, quàm de Regularibus: quia quando lex generaliter loquitur, generaliter eſt intelligenda, & quando non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, vt in *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt. & l. de pretio, ff. de publ. in rem actione.* Eſt tamen verùm, quòd in praxi non videtur diſcedendum à priori opinione, cùm ſit tutior: & in omnem euentum conſideranda eſt locorum conſuetudo, quæ eſt optima legum interpres, nam quando lex eſt dubia, recurrendum eſt ad conſuetudinem loci: ſi de ea appareat non eſt recedendum ab illo intellectu, quem conſuetudo tribuit; etiam ſi ex poſt facto apparet quòd talis intellectus non ſit bonus, vt habetur ex *Panor. in c. dilectus, nu. 7. de conſuet.* & nos quoque adnotauimus *in noſtris Comment. ad Bull. Cœnæ lib. 2. can. 15. q. 4. nu. 11.*

37 Illud autem circa ſæcularem Sacerdotem parachiale beneficium habentem nolui eſſe ſilentio mihi prætereundum, quod idem *Fagund. d. c. 2. num. 42. & 43.* contra nonnullos docet, qui putant, poſſe Parochum committere ſuas oues, & delegare ſuam iuriſdictionem alicui Sacerdoti, etiam non approbato: ait inquam horum ſententiam non eſſe tutam, nec practicè probabilem, atque adeò Parochos, nec licitè, nec validè poſſe ſuas oues Sacerdotibus non approbatis committere, nec illos in ſuos coadiutores aſſumere: ſed tantùm poſſe ex mente Concilij committere oues ſuas, & ſuam iuriſdictionem delegare, vel alijs Parochis citra aliam Epiſcopi approbationem, in quos ius eorum integrum ſeruauit Concilium; vel Sacerdotibus ab Epiſcopo approbatis, in quo tantum ius eorum Concilium reuocauit, quoniam ante Concilium poterant Parochi ſuas oues committere Sacerdotibus non approbatis ab Epiſcopis ex communi conſuetudine, & ita de conſuetudine interpretari, & intelligi debere *Conc. Trid.* teſtatur ipſe *Fagund.* qui *n. 44.* Soluit quoque rationes contrarias prioris ſententiæ.

38 Octauò limitatur dicta concluſio in Sacerdote approbato ſimpliciter, ac generaliter ad adminiſtranda Sacramenta: nam tunc non indiget ſpeciali approbatione ad audiendas confeſſiones ſæcularium. Etenim idem eſt approbare aliquem Sacerdotem ad adminiſtranda Sacramenta, atque illum approbare ad confeſſiones audiendas; atque adeò Epiſcopus approbans aliquem ad Sacramenta miniſtranda in aliquo loco ſuæ Diœceſis, vel in tota ſua Diœceſi, cenſetur illū approbare ad adminiſtrādum ad Sacramēta tàm Euchariſtiæ, quàm Pœnitentiæ, & non alia; quoniam hæc Sacramenta ſunt maximæ neceſſitatis: non ſic Sacramenta vnctionis, matrimonij, & reliqua. Ita *Henriq. lib. 11. de matrim. c. 3 nu. 5. Sanch. de matr. lib. 3. diſp. 35. nu. 8. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 3. nu. 6.*

39 Nonò limitatur eadem concluſio in Sacerdote non approbato, cui data fuit licentia ab Ordinario audiendi confeſſiones: nam per eiuſmodi licentiam eo ipſo cenſetur approbatus, ita vt alia approbatione non indigeat, vt habetur ex *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. num. 10. Conyneh. tom. 2. de ſacram. diſp. 8. dub. 7. nu. 49. Cord. in ſum. q. 10. Fagund. d. c. 3. in fin.* & nos latè ſupra *ſec. 7. concl. 2.* Eſt tamen verum, quod ſi Rom. Pontifex per Bullam, aut priuilegium concedat alicui facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, ſemper intelligitur priuilegium eiuſmodi de eligendo vnum ex Confeſſarijs approbatis ab Ordinario: ſiquidem mandata generalia maximè in materia odioſa, quæ deuiat à iure communi, intelligenda ſunt iuxta ius commune, vt habetur ex *Suar. Fagund. locis citatis*, cum alijs, quos quos allegant. Vbi etiam probant idem dicendū de Epiſcopo, ſiuè concedat talem facultatem ad eligendum Sacerdotem ſibi ſubditum, ſiuè alterius Diœceſis. Etenim quando Epiſcopus ſub pœna excommunicationis præcipit reuelari furtum, ſemper intelligitur reuelationem faciendam eſſe iuxta iuris terminos, nempè, præuia fraterna admonitione, vt reſtituat, *arg. tex. in l. ſi quando, ff. de cond. indeb.*

40 Decimò limitatur præfata concluſio, vt quamuis Sacerdos non valeat ſæcularium confeſſiones audire, niſi præuia Ordinarij approbatione; illa tamen approbatio debet ab ipſo Ordinario gratis impendi, non autem, mediante pecunia, aut alio præmio, vt patet ex illis verbis *Conc. Trid. d. c. 15.* ibi, *Quæ gratis detur.* Non tamen puto nullam eſſe approbationem ſi pretio, aut pecunia

detur, atque adeò non gratis; ſicut nulla eſt col-
latio beneficij pecunia obtenta: ſiquidem in illo
Conc. decreto, per illa verba, *Gratis detur*. So-
lum continetur præceptum, quo præcipitur Epi-
ſcopis, vt huiuſmodi approbationem gratis con-
cedant, non autem conditionem neceſſariam,
qua non ſeruata, nulla ſit approbatio: id enim nec
verba declarant, nec fortè erat expediens. Vndè
*Fagund. loco ſupra relato, c.2.nu.66.poſt Suar.
d.diſp.28.ſec.5. nu. 10. in fine*, Putat, approba-
tionem pretio impenſam, eſſe ex ſuo genere le-
thalem culpam: & aliquando venialem, ſi aliquid
pro illa ita exiguum tribuatur, vt ad materiam
peccati mortalis non perueniat.

SECVNDA CONCLVSIO.

41 SAcerdos Regularis non indiget approbatione
Epiſcopi Ordinarij ad audiendas confeſſio-
nes Regularium. Hæc concluſio eſt *Rodriq.tom.
1.qq.Regular.q.62.art.4. Barb. de offic. & poteſt.
Epiſc.alleg.25.nu. 45. Fagund. de præcep. Eccl.
præcep.2.lib.7.c.2. ſub nu.10. & 57. Suar.tom.4.
de pœnit.diſp 28.ſec.4.nu.5.in prima edit. Henr.
lib.3.de pœnit.c.6 nu.4. Conynch.tom.2.de ſacr.
diſp. 8. dub. 7. nu. 48*. Et aliorum communiter,
dicentium, poſſe Prælatos Regulares, ad quos ex
eorum regula ſpectat, exponere Cõfeſſarios Re-
gulares non approbatos ab Epiſcopis ad audien-
das confeſſiones ſuorum Regularium, etenim
Superiores Regularium poſſunt approbare de
iure Confeſſarios pro ſuis ſubditis abſque con-
ſenſu Epiſcopi, in cuius Diœceſi commorantur:
nam Superior eſt proprius Regularium Sacer-
dos. Nec *Conc. Trid. in d. ſeſſ. 25. c. 15.* dero-
gauit iuri communi quoad rem noſtram; ſed tan-
tum loquitur de confeſſionibus ſæcularium, &
ad has approbationem Epiſcoporum in Confeſ-
ſarijs exigit tàm ſęcularibus, quàm Regularibus,
vt patet ex ipſius Conc. decreto, in illis verbis,
*Nullum etiam regularem poſſe confeſſiones ſæcu-
larium audire, etiam Sacerdotum, &c.* Vndè
Concilium reliquit Regulares in ſuo iure anti-
quo, & nihil circa illos innouauit, confidens eo-
rum ſaluti ſatis eſſe prouiſum ſuis regulis, &
ſtatutis, vt rectè declarant Doctores ſupra relati.
† Quibus adde *Suar. de pœnit. diſp.28.ſec.5.n.4.*
42 *Conynch. de pœnit. diſp. 8. ſub nu.4. verſ. Ex ijs
igitur, & Molfeſ.p.1.ſua ſum. Theol. tract. 7. c.
14.nu.60.* Quod licet verum ſit regulariter etiam
quoad nouitios; ſiquidem Nouitij ſi delinquant,
poſſunt puniri à Superioribus, quorum ſunt No-
uitij, & ab eiſdem cognoſcantur eorum cauſæ,
tàm ciuiles, quàm criminales, vt late probat
Nauar. lib.3. ſuorum conſil. de Regular. conſ.58.
& inſuper gaudeant priuilegio, *c. ſi quis ſuadente
17. q.4. & c. Religioſo de ſent. excomm.* Quare
non videtur comprehendi ſub nomine ſęcularių:
eo magis, quia ſi moriantur infra annum proba-
tionis nullo condito teſtamento, ſuccedit eis
Monaſterium, etiam excluſo ſubſtituto per ſub-
ſtitutionem factam, ſi ſine liberis deceſſerit, vt
habetur ex *Marta de iuriſd. p.4. caſu 95. nu.7. 8.
& 9.* cum alijs, quos allegat. Nihilominus id lo-
cum non habet in Iubilæo, quoniam Regulares
tenentur confiteri Confeſſario approbato ab Or-
dinario eorum, qui audituri ſunt confeſſiones
iuxta ea, quæ ſupra diximus, *ſec. 3. lim. 10. &
Molf. p 1. ſua ſum. tract. 7. c 16. n.16. in fin. & 18.*
43 Et propterea ſi vigore Iubilæi vellent Regulares
eligere ſibi Confeſſarium ſæcularem, talis Con-
feſſarius debet eſſe approbatus, ab eius Epiſcopo,
& ſi velit ſibi eligere Confeſſarium Regularem
alterius Ordinis; debet approbari à Superiore
Ordinario illius Confeſſarij Regularis.

44 Ampliatur primò hæc concluſio in Sacerdote,
ſiuè ſit ſui, ſiuè alterius Ordinis, & ſiuè ſit Re-
gularis, ſiuè Sæcularis: ſiquidem poſſunt Supe-
riores Regulares committere ſuos Religioſos
Sacerdotibus tàm Sæcularibus, quàm Regula-
ribus ſuorum, vel aliorum Ordinum, quamuis
non ſint approbati ab Epiſcopis loci, & poſſe præ-
dictos Sacerdotes non approbatos confeſſiones
horum Regularium audire licitè, tàm virorum,
quàm Monialium de licentia tantùm Prælatorũ
Regularium, vt habetur ex *Fagund. loco citato,
nu.10. & 11. Suar. Barb.* & alijs Doctor. ſupra
relatis. Siquidem *Conc. Trid. d.c.15.* approba-
tionem exigit in Sacerdotibus Regularibus, ac
Sæcularibus ad audiendas tantùm confeſſiones
Sæcularium, non autem Regularium. Eſt tamen
verùm quòd hodie quoad audiendas confeſſio-
nes Monialium requiritur approbatio Epiſcopi,
etiam ſi ſint ſubditæ Regularibus, vt infra latius
dicemus, *limit.2.* & quoad Sacerdotes Regulares
alterius Ordinis, quòd non poſſint audire con-
feſſiones Regularium citra approbationem eorũ
Superiorum probat *Alph. de Leone* poſt alios
p.2. caſ. conſc. recoll. 11. ſub n.35. & 36. qui hanc
rationem eſſe putat, quoniam ex *Concil. d.c.15.*
tantùm relinquitur facultas Regularibus eli-
gendi Confeſſarium non approbatum ab Epi-
ſcopo, non autem eligendi Confeſſarium non
approbatum ſimpliciter, & ita intelligit *Suar. in
3.p. tom.4. diſp.28. ſec.6.* & alios ab eo relatos.
† Eſt tamen verum, quòd approbatio ad audi-
45 endas confeſſiones poteſt fieri, non ſolùm ex-
preſsè, ſed etiam tacitè, tàm ab Epiſcopis, & Pa-
rochis, quàm à Regularibus, vt patet ex ijs, quæ
ſupra adnotauimus, *ſec.7. concl.2. & ſec.6. concl.
vnica, lim.1. verſ. Eſt tamen verum.*

46 Secundò ampliatur hæc eadem concluſio, vt
de iure Sacerdos poſſit audire confeſſiones Re-
gularium tàm virorum, quàm Monialium citra
approbationem Epiſcopi, non ſolùm ex commiſ-
ſione Superiorum Regularium, ſed etiam vi ali-
cuius Bullæ, aut alterius priuilegij. Vndè Reli-
gioſus, vel Monialis, quæ habet priuilegium
eligendi ſibi Confeſſarium per Bullam Iubilæi,
poſſunt eligere quem voluerint, non ſolùm Re-
gularem, ſed etiam Sacerdotem Sæcularem,
quemcunque inuenerint ſibi idoneum, quamuis
non ſit à ſuo Epiſcopo approbatus, iuxta formam
Conc. Trid. modo in Bulla, ſeu priuilegio ex-
preſsè non dicatur, vt eligat quem voluerit ex
approbatis ab Ordinario iuxta formam Concil.
Trid. vt habetur per *Henriq lib 3. de pœnit. c.6.
nu.4. ad marginem. lit. R Suar d diſp 28 ſec.
4.nu.5. Nauar in Man c.4 nu.2 Fagund. d.c.2.
nu.5. & 12.* Etenim *Conc. Trid d. c. 15.* Nihil
innouat circa Regulares: & propterea ſicut ante
Concilium id poterant efficere, ita poſſunt hodie
poſt illud: non enim à iure antiquo recedendum
eſt, niſi expreſsè per aliud recens reuocetur,
l. præcipimus, C. de appell. & c.2. de trãſl. Prælat.
Quid autem hodie dicendum ſit de monialibus,
infra, Deo duce, dicemus *lim. 2.*

47 Tertiò ampliatur, vt de iure Sacerdos audire
poſſit

Digitized by Google

poſſit confeſſiones Regularium citra approbationem aliquam, ſiue Regulares ſubditi ſint, ſiuè Superiores. Etenim Superior Regularis poteſt ſe ipſum, & ſubditum ſubijcere Epiſcopis, & alijs pro abſolutione etiam in his, à quibus intra ordinem poſſunt abſolui, diſpenſari, &c. Vt per *Henriq. lib. 6. c. 15. nu. 3. in addit. litt. P. in fine, & Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. pun. 1. nu. 37.* & hanc ſententiam de rigore iuris magis veram, inquit *Molf. in ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 15. nu. 44. & ſeq.* Quamuis dicat contrariam eſſe magis fundatam in conuenientia, dum Regulares habent copiam Confeſſarij ſui Ordinis, de qua re latiſſimè nos egimus ſupra *ſec. 3. concl. 3. illat. 4. verſ. Regularium denique: & verſ. Quæ diximus.* Vbi qualiter iſta omnia modificari poſſint, & de facto modificentur per conſtitutiones Regularium, ſatis explicauimus.

48 Sic ampliata limitatur dicta concluſio, vt quamuis Sacerdos citra Epiſcopi approbationem poſſit Regularium confeſſiones audire; nihilominus ſi Cōfeſſarius ſit alterius Ordinis, vel Sæcularis non poteſt eos abſoluere à reſeruatis in Religione, vt habetur ex *Rodri. tom. 3. qq. Regul. q. 62. art. 5.* quod tamen verum puto citra Superioris licentiam: nam huiuſmodi facultaté poſſe concedere Superiorem ex priuilegio, quod referunt *Peregrin. in Comment. ad noſtras Conſtit. par. 1. c. 9. §. 2. & Ioan. de Cruz. lib. 1. de ſtatu Relig. c. 6. dub. 11. concl. 1. in fine*, probat *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 11. ſub num. 3.* Et ampliat Superiorem poſſe huiuſmodi licentiam concedere non ſolùm expreſsè; verum etiam tacitè, *& num. 54.* explicat etiam, an & quando huiuſmodi Confeſſarij poſſint abſoluere à reſeruatis Romano Pontifici.

49 Secundò limitatur, vt licèt Sacerdos non indigeat approbatione Epiſcopi ad audiendas confeſſions Regularium; id tamen intelligendum eſt de Regularibus maſculis; non autem de Regularibus fœminis: ſiquidem non modò Sacerdotes Sæculares, ſed nec etiam Regulares poſſunt audire confeſſiones Monialium, ſiuè alterius, ſiuè eiuſdem ſint Ordinis, niſi approbati ſunt ab Epiſcopo Diœceſano, vt patet ex conſtitutione Gregor. XV. quæ incipit, Inſcrutabili Dei prouidentia ſub die 8. menſis Febr. 1623. quam ſupra retulimus vna cum declarationibus Sacræ Congregationis, *ſec. 2. concl. 7. verſ. Cæterum licet: & verſ. Ex his patet.* Vbi hoc ampliauimus etiam ſi Regularis fœmina, Bullam, priuilegium habet, aut Iubilæum pro eligendo ſibi Confeſſario.

TERTIA CONCLVSIO.

50 AD audiendas confeſſiones Monialium etiā Religioſarum ab earū Regularibus licèt exigatur approbatio Confeſſarij ab Epiſcopo Diœceſano iuxta formam conſtitutionis Greg. XV. ſupra proximè relata *concl. præced. lim. 2.* per Epiſcopum Diœceſanum intelligendus eſt non ſolum Epiſcopus loci iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *concl. 1. limit. 6. verſ. Videtur quoque: & verſ. Hac ſententia*: Sed etiam eius Vicarius, & Vicarius Capituli Sede vacante: Item ſub nomine Epiſcopi Diœceſani comprehenduntur quoque quidam Abbates Sæculares, & Priores magni exempti, qui in ſuas oues habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, & Diœceſim habeant. Etenim appellatione Epiſcoporum, quorum approbatione indigent Sacerdotes, vt poſſint audire Sæcularium confeſſiones vigore *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* veniunt omnes prædicti Prælati, vt late poſt alios probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. n. 46. & 55.* Imò fortè nomine Epiſcopi Diœceſani veniunt Abbates quidam Regulares exempti, habentes Diœceſim, & ſubditos etiam ſæculares, vt eſt Abbas Cōgregationis Montis Virginis, & Abbas Montis caſſinenſis. Etenim ſi in eorum terris habeant Monaſteria Monialium videtur eos poſſe approbare Sacerdotes ad audiendas confeſſiones Monialium citra violationem Decreti Gregor. XV. ſupra relati: ſiquidem huiuſmodi Abbates comprehenduntur ſub vocabulo Epiſcopi Diœceſani. Nec obſtat aſſertum reſponſum Congreg. Eminentiſſimorum Cardinalium, quod vulgò circumfertur, & refertur ab eodem *Fagund. loco*
51 *citato, nu. 56.* & declarando *Conc. Trid. d. c. 15.* ita ſe habet; *Cùm exponere Confeſſores ſit propriū munus Epiſcoporum, nullus alius poteſt in hoc ſe intromittere.* Quoniam inquit ipſe *Fagund.* quòd hæc declaratio non eſt authentica, non reperitur, nec eſt veriſimilis: nam Capitulum Sede vacante, non eſt Epiſcopus, & tamen Sacerdotes approbat ad audiendas ſæcularium, ac etiam Monialium confeſſiones, vt de conſuetudine ſeruari videmus. Eſt tamen verum, quòd nomine Epiſcopi quoad approbationem prædictam non comprehenduntur ſub decreto Concil. & multo minus ſub dicta conſtit. Greg. XV. Generales Religionum, aut Prouinciales: quoniam licèt hi habeant iuriſdictionem Epiſcopalem; non tamen habent Diœceſim, & propterea dici non poſſunt Diœceſani.

An Sacerdos approbatus ad audiendas confeſſiones poſſit repugnantibus Parochis, audire fidelium confeſſiones in Quadrageſima.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Qui velit alieno Sacerdoti confiteri, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, aliter nullus poteſt ipſum abſoluere, vel ligare.*

2 *Quando conceditur à Parocho licentia ſuo Parochiano confitendi cui voluerit, an intelligatur de confeſſione annua tēpore Quadrageſimæ*

3 *Verior eſt ſententia, quod tempore Quadrageſimæ poſſit quis alteri Sacerdoti confiteri, etiā reluctantibus Parochis.*

4 *Sacerdos abſolutè approbatus ad confeſſiones, non excepto tempore Quadrageſimæ, nec appoſita clauſula ſaluo Iure Parochorum, poteſt fidelium confeſſiones audire tempore Quadrageſimæ etiam inuitis Parochis.*

5 *Idque ampliatur, ſiuè Sacerdos ſimpliciter ſit approbatus, ſiuè limitatè pro aliquo Oppido, Vrbe, vel Parochia, vel pro certo perſonarum genere.*

6 *Et ſiuè pœnitentes priuilegium habeant, aut Bullam Cruciatæ, vel aliam, ſiuè non habeant modo in approbatione non excipiatur tempus Quadrageſimæ, vel clauſula non apponatur.* Saluo Iure, &c.

7 *Approbatus ad confeſſiones cum limitatione perſonarum, puta virorum tantum, virtute*

Bulla, vel Iubilæi, poterit eligi tùm à viris, tum à fœminis.

8 *Parochus prohibere non poteſt, quia ſuus Parochianus confiteatur tempore Quadrageſimæ Sacerdoti ſimpliciter approbato.*

9 *Facultas conceſſa alicui à Romano Pontifice per Bullam, aut priuilegium eligendi ſibi Confeſſarium, etiam pro tempore Quadrageſimali conceſſa intelligitur.*

11 *Parochus ſi licentiam dederit generalem ſuo Parochiano confitendi, cui voluerit, haud intelligitur de confeſſione annua tempore Quadrageſimæ.*

12 *Epiſcopus ſi concedat alicui facultatem generalem ad aliquem abſoluendũ, aut ei committat omnes vices ſuas, non cenſetur ei facultatem concedere abſoluendi illum à reſeruatis.*

13 *Epiſcopus ſi Sacerdotem aliquem approbet ad confeſſiones audiendas in ſua Diœceſi, vel in aliquo eiuſdem loco, aut Parochia, cum clauſula* Saluo Iure Parochorum, *vel ſine Parochorum præiudicio audire confeſſiones non poteſt tempore Quadrageſimæ Parochis inuitis.*

14 *Nomine proprij Sacerdotis non ſolùm intelligitur Præsbyter Parochialis, ſed etiam Ordinarius, qui Confeſſarios approbare poteſt.*

1 IN hac difficultate videtur prima fronte negatiuè reſpondendum eſſe. Primò ex noſtro canone, qui agens de annua confeſſione tempore Quadrageſimæ, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *diſp.5.ſec.1.concl.3. & 4.* inquit, *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit confiteri, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, & aliter nullus illum poſſit abſoluere, vel ligare.* Ergò, attenta diſpoſitione noſtri canonis Sacerdos approbatus non poteſt audire confeſſiones fidelium in Quadrageſima, repugnantibus Parochis. Et id non immeritò, quoniam Parochi aliàs impedirentur à gubernatione ſuarũ ouium, cùm interſit Parochi conſcientiam noſcere ſuo-
2 rum Parochianorum. Secundò, quia quando conceditur à Parocho licentia ſuo Parochiano confitendi cui voluerit, non intelligitur huiuſmodi licentia de confeſſione annua tempore Quadrageſimæ, vt habetur ex *Panorm. in explic. noſtri can. nu.* Ergò Sacerdos quando approbatur ad audiendas confeſſiones fidelium non intelligitur approbatus ad audiendas confeſſiones fidelium tempore Quadrageſimæ, repugnantibus Parochis: ſiquidem in vtroque caſu militat eadem ratio, cùm interſit Parochi ad rectè gubernandas ſuas oues conſcientiam noſcere Parochianorum, vt ſupra diximus: & in generali conceſſione non veniant ea, quæ quis veriſimiliter negaret ſi in ſpeciali peterentur, vt in *c. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſ. in 6.* vbi ob eandem rationem decernitur, quòd quãdo Epiſcopus cõcedit alicui Sacerdoti generalem facultatem ad abſoluendum aliquem, aut ei committit omnes vices ſuas; non ob id ei cenſetur facultatem conceſſiſſe abſoluendi illum à reſeruatis, niſi de hoc expreſsè mentio fiat, aut aliundè appareat eam fuiſſe concedentis voluntatem.

3 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veriorem. Pro cuius explicatione eſt aduer. quòd duobus modis inter alios ſolet fieri approbatio alicuius Sacerdotis ad confeſſiones audiendas, ſiuè approbetur abſolutè, ac ſimpliciter, ſiuè limitatè ad audiendas confeſſiones in aliquo tantùm loco, Vrbe, aut Oppido; aut ad ſolam virorum confeſſiones, & non ad fœminarum, vel ad fœminarum dumtaxat, non autem virorum; duobus inquam modis quoad rem noſtram attinet, fieri poteſt approbatio. Primò, quando expreſsè excipitur tempus Quadrageſimæ, vel ſit cum clauſula *Saluo Iure Parochorũ, vel ſine Parochorum præiudicio.* Secundò fieri poteſt abſolutè, non excepto Quadrageſimæ tempore, nec ſupradicta clauſula appoſita. His breuiter ſic adnotatis, ſit

PRIMA CONCLVSIO.

4 SAcerdos abſolutè approbatus ad audiendas fidelium confeſſiones expreſsè non excepto tempore Quadrageſimæ, nec appoſita clauſula illa, *Saluo Iure Parochorum, &c.* Poteſt audire confeſſiones fidelium, etiam inuitis Parochis, tempore Quadrageſimæ. Hæc cõcluſio eſt *Suar. in 3.p.tom 4.diſp.26.ſec.1.nu.9. Ricchard. in 4.d.17.q.2.Sot.in 4.d.18.q.4.art.5.Tol.lib.6.ſua ſum.c.11.num.2.§.vocamus, Gutier.lib.1.qq.canon.c.27.nu.23. Nauar.in c.placuit, de pœnit.d.nu.57.Cord.in ſum.q.10.Graff.lib.1.deciſ.aur.c.13.nu.45.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep.Eccl.præcep.2.lib.7.c.3.ſub nu.8.* Probatur, quia quando in eiuſmodi approbationibus non apponitur conditio, & clauſula illa exceptiua, cenſetur de facto cõceſſa licentia, & approbatio ſimpliciter citra exceptionẽ illam: ſiquidem voluntas Superioris ſufficienter declaratur, quando talis limitatio non additur; cùm in eo approbante præfatum Sacerdotem ſit poteſtas ad audiendas confeſſiones omnium ſuorum Diœceſanorum quocunque tempore, etiam Quadrageſimæ, inuitis, ac repugnantibus proprijs Parochis; ergò poteſt illam concedere, & committere, & dare cuicunque Sacerdoti, & conceſſa cenſetur de facto per ipſam approbationem; nam ſi Quadrageſimę tempus voluiſſet excipere, vtiq; ſuam intentionem declaraſſet.

5 Ampliatur hæc concluſio in Sacerdote, ſiue approbetur ſimpliciter, ſiuè limitatè pro aliquo Oppido, Vrbe, Parochia, aut pro certo perſonarum genere; ſiquidem poteſt de iure audire confeſſiones pro locis, vbi eſt approbatus non ſolùm ex deuotione, ſed etiam ex obligatione Quadrageſimæ factas, Parochis etiam repugnantibus, ac expreſsè contradicentibus, vt habetur ex *Suar.* & ex alijs ſupra relatis Doctoribus, etenim militat eadem ratio, *argum. text. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

6 Secundò ampliatur, vt concluſio locum habeat, ſiuè qui audiendi ſunt in confeſſione ſacramentali priuilegium, aut Bullam habeant Cruciatæ, aut aliam, ſiuè non habeant; dummodò tamen in tali approbatione non excipiatur tempus Quadrageſimæ, aut non apponatur clauſula illa, *Saluo iure, &c.* Iuxta ea, quæ ſupra diximus, vt per Doctores ſupra citatos. Eſt tamen adnot. quòd aliquando contingit, licèt rarò, vt Sacerdos aliquis approbetur ad hoc tantùm, vt poſſit eligi virtute Iubilæi, Bullæ Cruciatæ, aut ſimilis priuilegij; & hoc caſu ipſa approbatio nõ eſt formaliter iuriſdictionis collatio, ſed habilitatio quædam, vt eis poſſit conferri iuriſdictio per commiſſionem, & delegationem Bullæ, Iubilæi,

bilari, vel priuilegij, vt habetur ex *Guttier. lib. 1.*
qq. canon. c. 27. nu. 23. quo caſu iſte talis erit eli-
7 gibilis, etiam ſi ab Epiſcopo approbatus fuerit
cum limitatione perſonarum, nempè ad audien-
das confeſſiones virorum, non autem fœmina-
rum; vel è contra fœminarum, & non virorum,
atque adeò per Bullam, vel Iubilæum poterit
eligi à fœminis, & à viris, vt habetur ex *Henriq.*
lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 8. & Ledeſ. in ſum. de ſacr.
pœnit. c. 13. poſt primam concluſionem, *dub. 8.*
qui putant rationem eſſe, quia non poteſt Epi-
ſcopus irritare factum contra iuriſdictionem à
Rom. Pontifice per Bullam, aut priuilegium
delegatum: ſiquidem Sacerdos eſt idoneus iuxta
formam Concilij, cùm Cōcilium tantùm exigat,
vt talis Sacerdos ſit idoneus, & ab Epiſcopo ap-
probatus, nec diſtinguit inter approbatos ad has,
vel illas perſonas. Hanc ſententiam probabilem
putat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c.*
2. ſub nu. 45. vbi contrariam probabilem quoq;
putat cum *Ledeſ.* & alijs.

8 Tertiò ampliatur, vt concluſio prædicta adeò
vera ſit, vt non poſſit Parochus prohibere ſuum
Parochianum, ne confiteatur Sacerdoti ſimpli-
citer vt ſupra approbato, ac expoſito, tempore
Quadrageſimæ: ſiquidem poteſtas hæc audiendi
confeſſiones, eſt relatiua: & propterea cum da-
tur Sacerdoti ad confeſſiones audiendas, conſe-
quenter datur ouibus, vt illi cōfiteantur ſi velint,
aliàs fruſtra diceretur Sacerdoti tributa, vt ha-
betur ex *Suar. de pœnit. diſp. 26. ſec. 1. nu. 11. §.*
Ex his infertur, & Fagund. d. c. 3. nu. 12.

† Et multo minus id prohiberi poteſt à parocho
9 illi, qui à Rom. Pontifice per Bullam aliquam,
aut priuilegium concedat alicui fideli facultatē
eligendi ſibi Confeſſarium; quoniam etiam pro
confeſſione tempore Quadrageſimæ facienda
talis facultas conceſſa intelligitur. Eſt tamen ve-
rùm, quod quamuis facultas eligendi Confeſſa-
rium ſit illi ſimpliciter conceſſa; nihilominus nō
poterit ſibi eligere aliquem Confeſſarium ex non
approbatis; ſed neceſſariò intelligendum eſſe
huiuſmodi priuilegium de Sacerdotibus appro-
batis iuxta formam *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* &
idem dicendum eſt de Epiſcopo concedente fa-
cultatem ſubdito eligendi ſibi Confeſſarium tàm
ſubditum, quàm alterius Diœceſis, vt habetur
ex *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. n. 10.* & ex alijs,
quos refert, & ſequitur *Fagund. loco citato, ſub*
nu. 14. in fine.

10 Quartò ampliatur, vt concluſio locum habeat
in Sacerdote, ſiuè approbetur ſimpliciter ex-
preſsè præuio examine, ſiuè approbetur tacitè, ac
implicitè, ac nullo præuio examine, quia ſi Epi-
ſcopus non excipit obligationem Quadrageſimæ
poteſt confeſſiones audire, etiam contradicenti-
bus vt ſupra Parochis. Etenim taciti, & expreſſi
eadem eſt virtus, *l. cùm quid, ff. ſi cert. pet.* Vndè
quando Epiſcopus, aut Rom. Pontifex cōcedunt
facultatem alicui Sacerdoti nominatim ex non
approbatis iuxta formam *Conc. Trid.* ad audien-
das confeſſiones, cùm per talem licentiam cen-
ſeantur illum ſimpliciter tacitè approbare, nec
excipiant obligationem Quadrageſimæ, procul
dubio iſte talis poterit etiam tempore Quadra-
geſimæ fideles ſubditos audire, repugnantibus
Parochis: ſiquidem ſtante eiuſmodi tacita appro-
batione Sacerdos non indiget alia ad confeſſio-
nes audiendas, vt habetur ex *Cord. in ſum. Hiſp.*
q. 10. Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. nu 10. Bellar.
tom. 2. de ſacram. diſp. 8. dub. 7. nu. 49. Idem di-
cendum eſt de Sacerdote approbato generaliter
ad adminiſtranda Sacramenta: ſiquidem hæc ap-
probatio intelligitur de Sacramentis Pęnitentiæ,
& Euchariſtiæ, quæ ſunt Sacramenta maximæ
neceſſitatis, vt rectè declarat *Sanch. lib. 3. de*
matr. diſp. 35. nu. 8. Henr. lib. 11. de matr. c. 3. n.
5. & Fagund. d. c. 3. nu. 6. & 15.

11 Sic ampliata limitatur hæc ipſa concluſio, vt
locum non habeat in Parocho concedente alicui
ſuo Parochiano licentiam, ac facultatem genera-
lem confitendi cui voluerit: nam non intelligitur
huiuſmodi facultas de confeſſione annua tem-
pore Quadrageſimæ; quia in conceſſione gene-
rali non veniunt ea, quæ quis negaret ſi in ſpe-
ciali peterentur, *c. 2. de offic. Vicar.* Eò magis
quoniam intereſt proprij Sacerdotis conſcien-
tiam noſcere Parochianorum, vt habetur ex
Panor. in explic. noſtri canonis, quem refert, &
ſequitur *Fagund. d. c. 3. nu. 14.* Vbi eadem ratio-
ne inquit, quòd quando Epiſcopus cōcedit alicui
12 Sacerdoti facultatem generalem ad abſoluendū
aliquem, aut ei committit omnes vices ſuas, non
propterea ei concedere cenſetur facultatem ad
abſoluendum illum à reſeruatis, niſi de hoc ex-
preſsè mentio fiat, aut aliundè appareat, eam
fuiſſe voluntatem Epiſcopi, vt in *c. ſi Epiſcopus*
eod. tit. noſtro in 6. Vndè diſpar militat ratio inter
Epiſcopum ſimpliciter approbātem Sacerdotem
pro ſuis ouibus, & Parochum ſimpliciter, & ab-
ſolutè concedentem licentiam alicui Sacerdoti
audiendi confeſſiones ſuorum Parochianorum,
niſi expreſsè mentio fiat de tempore Quadrage-
ſimæ, aut aliundè appareat eam fuiſſe volūtatem
Parochi: ſiquidem quando Sacerdos abſolutè
approbatur ab Epiſcopo non excepto tempore
Quadrageſimæ efficitur ſuis Parochis coadiutor
in confeſſionibus audiendis; nimirum ſi etiam
Parochis contradicentibus, eo tempore poteſt
fidelium confeſſiones audire: at quando Paro-
chus dat licentiam alicui Sacerdoti audiendi cō-
feſſiones ſuorum Parochianorum, non efficit
illum ſuum coadiutorem in audiendis confeſſio-
nibus etiam tempore Quadrageſimę, niſi aliundè
appareat id velle; quia hanc facultatem ſi in
ſpecie Sacerdos expoſtulaſſet, eam illi non ita de
facili conceſſiſſet.

SECVNDA CONCLVSIO.

13 Epiſcopus ſi Sacerdotem aliquem approbet ad
audiendas confeſſiones in ſua Diœceſi, vel
in aliquo eiuſdem loco, aut Parochia, & hanc
clauſulam apponat, *Saluo Iure Parcohorum, vel*
ſine Parochorum præiudicio. Talis Sacerdos hoc
modo approbatus nō poteſt audire confeſſiones
ex obligatione Quadrageſimæ, repugnantibus,
ac contradicentibus Parochis. Hæc concluſio eſt
Suar. & aliorum, quos ſupra citàuimus, *concl.*
præcedenti. Etenim clauſula illa appoſita in ap-
approbatione aliquid debet operari: ergò id ma-
ximè debet operari, vt tempore Quadrageſimæ
non audiat confeſſiones, niſi de licentia Paro-
chorum, cùm id valdè eorum interſit. Eſt tamen
verùm, quòd hæc, quæ diximus, locum ſibi ven-
dicant quando approbatur Sacerdos ſæcularis;
nam quando approbatur Sacerdos Regularis vi-
detur aliter dicendum: etenim Regulares, habita
appro-

approbationẽ ab Epiſcopo iuriſdictionem audiendi confeſſiones habent à Rom. Pontifice, vt habetur ex *Rodriq. tom. 1. qq. Regul. q. 59. art. 1. Corrad. in fine ſuarum reſponſ. in libello de Regular. in Confeſſar. deput. Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 1. nu 238.* & propterea puto huiuſmodi Sacerdotes Regulares non poſſe excludi ab Epiſcopo illos approbante ab audiendis confeſſionibus tempore Quadrageſimæ, cùm talem facultatem habeant à Romano Pontifice, & ab Epiſcopis ſint exempti iuxta ea, quæ adnotantur ab eodem *Alph, de Leone, loco citato, nu. 241. & ſeq.*

Ad contraria facilè reſpondetur.

14 AD primum ex noſtro canone reſpondetur, quòd ipſe *tex.* nomine proprij Sacerdotis, intelligit non ſolùm Præsbyterum Parochialem, ſed etiam Ordinarium, qui poteſt approbare Confeſſarios, atque ideò Sacerdos, ſeù Parochianus dicuntur habere licentiam à proprio Parocho.

Ad ſecundum patet reſponſio ex limitatione primæ concluſionis.

An proprius Sacerdos, qui approbandi Confeſſarios facultatem habet ad audiendas ſuarum ouium confeſſiones, poſſit ſibi abſolutionem reſeruare ab aliquibus caſibus, & cenſuris.

S E C. XI.

S V M M A R I V M.

1 *Per propriũ Sacerdotem quis nam intelligatur.*

2 *In Eccleſia Dei adeſt poteſtas reſeruandi peccata quoad forum interius.*

3 *Hanc facultatem reſeruandi habet Romanus Pontifex in toto Terrarum Orbe.*

4 *Romanus Pontifex regulariter non reſeruat caſus in foro conſcientiæ abſque Cenſura, licet id poſſit.*

5 *Committens crimen, in Bulla Cœnæ damnatum, ſed ob ignorantiam non craſſam à cenſura excuſatus fuerit, à quocunq; Confeſſario inferiori abſolui poteſt.*

6 *Quamuis caſuum reſeruatio non detur in articulo mortis; Romanus tamen Pontifex facultatem habet reſeruandi etiam per articulo mortis, licet id non expediat, cæteris verò inferioribus etiam Sum. Pœnitentiario id denegatur.*

7 *Epiſcopus poteſtatem habere reſeruandi ſibi caſus in ſuis Diœceſibus, de fide eſt etiam quoad cenſuras.*

8 *Epiſcopi poteſtatem reſeruandi ſibi caſus, & cenſuras immediatè habẽt à Papa. Solus enim ipſe à Deo conſequitur iuriſdictionem in vtroq; foro.*

9 *De Iuris Rigore, quando Romanus Pontifex, vel Epiſcopi reſeruant ſibi peccatum aliquod cum cenſura, cenſentur ſimul, & æqualiter reſeruare ſibi peccatum ſcilicet, & cenſuram: data tamen facultate per Iubilæum, Bullam, aut priuilegium abſoluendi à cenſura, peccatum non remanebit reſeruatum, & è conuerſo.*

10 *Si cum reſeruatione caſus, & cenſura Papalis concurrat etiam reſeruatio caſus, & cenſura Epiſcopalis ſublata Papali, tolli quoque cenſetur reſeruatio Epiſcopalis.*

11 *Epiſcoporum Ordo tripartitus eſt; & in Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos diuiditur. Vndè dicatur Patriarcha, Archiepiſcopus, & etiam Epiſcopus.*

12 *An hi omnes poſſint reſeruare ſibi caſus in proprijs Diœceſibus, & etiam in Prouincijs tempore viſitationis.*

13 *Capituli Sede vacante, Abbates exempti, nec non alij, iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes poſſunt iuriſdictionem delegare, eamq; moderare, & aliquos caſus ſibi reſeruare.*

14 *Parochi quamuis de Iure non poſſint ſibi reſeruare caſus ex vi tamen conſuetudinis, legitimè introducta, ac longo vſu approbata, id valent.*

15 *Talis tamen conſuetudo vltra caſus præſcriptos non extenditur.*

16 *Ad inducendam talem conſuetudinem ſatis erit tempus annorum 40. Et quibus in rebus opus ſit contraria.*

17 *Superiores Regulares ius habent reſeruandi ſibi caſus, & cenſuras in vndecim tamen caſibus, in cæteris verò requiritur Capituli Generalis, vel prouincialis diſcuſſio.*

18 *Qui nam ſint iſti vndecim caſus.*

19 *Confeſſarij à Regularibus deputati ab omnibus ſupradictis caſibus abſoluere poſſunt ſubditos Regulares deputantium, niſi caſus prædictos expreſſè ſibi reſeruauerint.*

20 *In nonnullis Religionibus priuilegium extat concedendo facultatem Cõfeſſarijs abſoluendi à reſeruatis, & à cenſuris, exceptis reſeruatis en Bulla Cœnæ, quod etiam Patribus Theatinis conceditur per communicationem.*

21 *Concedens caſus ſibi reſeruatos, concedere non videtur facultatem abſoluendi à cenſuris, quãuis omnem facultatem, ac ſuam authoritatem ad confeſſiones audiendas concedat; Id tamen non eſt in Superioribus Regularibus in quibuſdam feſtis ſolemnioribus.*

22 *Confeſſorij à Regularibus deputati, facultatem habentes abſoluendi à caſibus reſeruatis, alijs delegare non poſſunt nudum miniſterium.*

23 *Vigore Decreti Clem. 8. datur facultas Superioribus Regularibus Confeſſarijs taxandi pœnitentias iniungendas etiam pro peccatis non reſeruatis.*

24 *Licet Superiores Regulares poſſint alios caſus ſibi reſeruare præter vndecim ſupra relatos in Capitulo Generali, vel Prouinciali, caſus tamen debent eſſe graues.*

25 *Arbitrio tamen Patrum Capituli Generalis, aut Prouincialis reſeruandi ſunt caſus.*

26 *Quamuis reſeruatio prædicta fieri debet in Capitulo Generali in toto ordine, aut prouinciali in Prouincia, matura diſcuſſione non tamen ſequitur, quin etiam fieri poſſit ad beneficium vnius, vel alterius domus religionis dumtaxat*

27 *Non tamen ſatis eſt ſi fiat per Capitulũ domus, in quo Præpoſitus tantum, & vocales congregantur.*

28 *Synodus Diœceſana non ſuccedit loco Synodi Prouincialis, quoad Diœceſes nulli Epiſcopo ſubiectas.*

29 *Si talis reſeruatio fieret in Capitulo Generali, vel Prouinciali, non præuia matura diſcuſſione, ſed tenderet in bonum Religionis non ob id vitiaretur.*

30 *Superiores Regulares num extra Capitulum Generale, vel Prouinciale poſſint aliquibus pecca-*

peccatis, ex dicto decreto non contentis excommunicationem addere eandē ſibi reſeruantes.

31 *Probabilior eſt ſententia affirmatiua.*

32 *Nil obſtat, quod Superiores Regulares poſſent per indirectum reſeruare ſibi plures caſus, dupliciter enim reſpondetur huic obiectioni.*

33 *Regularibus Prælatis licitum, haud eſt ſubditorum confeſſiones audire, niſi peccatum reſeruatum commiſerint, aut ipſi met ſubditi ſponte, vel proprio motu id ab eis expoſtulauerint.*

34 *Superiores ita demum compellere poſſunt ſubditos caſus reſeruatos habentes ad ipſis confitendum, quando id in ſubditorum emendationem probabiliter ſperarent.*

35 *Superior in caſibus ſupradictis debet ſuam poteſtatem delegare, maximè vbi dictus Confeſſarius iudicauerit expedire.*

36 *Superior poteſt explorare Confeſſarium de peccatis ſpecie, & de conſuetudine peccandi, ac de alijs huiuſmodi citra periculum violationis ſigilli, & pœnitentis propalationem.*

37 *Ex Decreto Pauli V. Si Regularium Cōfeſſarijs caſus alicuius reſeruati facultatem petentibus Superior dare noluerit, poſſunt pro illa vice Regulares ipſos abſoluere, etiam facultate non obtenta.*

38 *In caſibus, in quibus Superiori non conuenit ſuam delegare poteſtatem ad abſoluendum à reſeruatis, an & quando poſſit pœnitens à reſeruatis abſolui, & pro non reſeruatis eos mittere ad inferiorem.*

39 *Hodie Superiores vti non poſſunt ea notitia, quam de aliorum peccatis in cōfeſſione habuerunt, ad externam gubernationem; Et hoc ex Decreto Clem. VIII.*

40 *Primus caſus qui continetur in præfato Decreto eſt: Veneficium, Incantationes, & ſortilegia.*

Et vnde dicantur Veneficia, & qui nam ſint ſimiles veneficis, ſeu venenarijs, & maleficis.

41 *Dæmon inuocatus ſi reſpondeat, quomodo nuncupatur ſua reſponſio.*

42 *Homines perditi prædicti aliquando errorem habent in Intellectu, & ſunt formaliter hæretici; aliquando vero non, & non ſunt hæretici in foro interno, nec excommunicati.*

Et tamen, & quando errorem dicatur habere in Intellectu.

43 *Secundus caſus qui à Regularibus reſeruari poteſt eſt Apoſtaſia à Religione, quæ triplex eſt, & quæ.*

44 *A Religione vere dicitur recedere, qui habitum aſſumptæ Religionis dimittit.*

45 *Religioſus ſeù tantum Clericus, qui Monachalem, vel Clericalem habitum non defert in Cella, in Balneis, vel in alio loco ſecreto, excommunicationem an incurrat.*

46 *Apoſtaſia à Religione externa tantum quæ nam ſit: Et an talis Apoſtata, ſit vere Apoſtata, & incidat in caſum reſeruatum.*

An ſit grauiter puniendus in foro exteriori tanquam inobediens.

57 *Apoſtaſia à Religione interna, & externa ſimul quæ nam ſit, & an talis Apoſtata non ſolum incidat in caſum reſeruatum, ſed etiam in excommunicationem.*

48 *Etiam Moniales poſſunt fieri Apoſtatæ ſi abſque Superiorum licentia de earum exeant Monaſterijs. Idque locum non habet in Monialibus Tertij Ordinis S. Franciſci, & S. Dominici.*

49 *Tertius caſus qui reſeruari poteſt eſt nocturna, & furtiua è Conuentu egreſſio, quamuis animus non concurrat apoſtandi.*

Sed tria copulatiuè requiruntur, & quæ.

Et quæ nam includuntur in clauſura.

50 *Eccleſia, Sacriſtia, & Cœmiterium, in clauſura non includuntur, ad effectum, vt mulieres citra cenſuram loca ipſa ingredi poſſint, etiam ſi per hortum oporteret eas pertranſire.*

Et quid ſi hortus ipſe fuerit in clauſura computatus.

51 *Si Religioſi bona fide permitterent mulieribus, clauſuram Monaſterij ingredi, nec ipſæ Mulieres, nec permittentes excommunicationem incurrerent, & quare.*

52 *Mulieres, ingredientes virorum Clauſtra, aut Viri monialium Monaſteria in caſibus permiſſis, completo negotio, poſſunt quoque ex Curioſitate omnes Monaſteriorū Officinas videre.*

53 *Ad incurrendum prædictum caſum reſeruatum egreſſio è Monaſterio debet eſſe nocturna, & quando dicatur nocturna.*

54 *Debet quoque eſſe furtiua, & vnde furtum dicatur, & quando dicatur furtiua, ſeu occulta.*

55 *Quartus caſus, qui reſeruari poteſt, eſt Proprietatis lethale crimen, ad quem caſum incurrendum duo copulatiuè exiguntur.*

Et in quo differat proprietas ab vſufructu.

56 *Regulares incapaces ſunt dominij, ac proprietatis, eiuſdemq; vſusfructus, & vſus, ac poſſeſſionis quatenus Iura ſunt.*

57 *In Voto paupertatis non poteſt Papa diſpenſare ſicut poteſt ex cauſa diſpēſare in voto caſtitatis.*

De facto Cæleſtinus III. diſpenſauit, vt Henricus Imperator duceret conſtantiam monialē.

58 *Ipſe Romanus Pontifex ex Religioſis aſſumptus, & multo minus Epiſcopi Religioſi habere non poſſunt proprium quoad Dominium, & proprietatem, ſed tantum quoad rei ſimplicem vſum, detentionem, & adminiſtrationem.*

Nec regularis citra culpam dicere poteſt hæc veſtis mea, Calla mea, &c.

59 *Secundum communem ſententiam paruitas materiæ excuſat à peccato proprietatis, ſicut excuſat ab omni actu.*

Et quæ quantitas, ac valor rei quam appropriat ſibi Religioſus ſit leuis, aut grauis culpa.

60 *Religioſus profeſſus accipiens, retinens, ſeù approprians ſibi aliquid citra licentiam tacitam, vel expreſſam ſui Prælati incidit in crimen proprietatis, atque ideo mortaliter peccat, ſi quantitas notabilis ſit.*

61 *Idque locum habet non modo ſi appropriatio ſit quoad dominium, & proprietatem, vel quaſi, ſed etiam quoad vſum, & adminiſtrationem.*

62 *Superior non poteſt Monaſterij bona in quoſuis vſus expendere.*

63 *Romanus Pontifex concedendo Epiſcopis Religioſis facultatem teſtandi, non cenſetur cum ipſis diſpenſare in voto paupertatis.*

64 *Religioſus bona habens conceſſa ſibi à Prælato ad certos, & determinatos vſus in alios vſus non poteſt conuertere citra Superioris licentiā.*

65 *Religioſus nō ſolum in proprietatis crimen incidit, appropriando ſibi bona Monaſterij, ſed etiā appropriando ſibi bona, tradita ſibi ab aliquo extraneo, ſeù conſanguineo.*

66 *Præ-*

66 *Prælatus ſi facultatem tribuat Religioſi, vt legatum, ſibi relictum in proprios vſus cõuertat, & Religioſus cõſentiat conuerti in vtilitatem, Monaſterij, licitè id ſit.*

67 *Superior concedere haud poteſt ſubdito Religioſo facultatem expendendi bona ad vſum ſibi tradita in quoſcunque vſus.*

68 *Religioſus proprietàrius non ſolum in caſum reſeruatum incidit, ſed etiam eſt in ſtatu damnationis, quandiu in hoc ſcelere perſeuerat.*

69 *Religioſus accipiens, aut detinens aliquam rem citra Superioris licentiam tunc dicitur, cum rem ipſam ſubtrahit, vel detinet animi occultandi Superiori.*

70 *Religioſus accipiens, aut detinens aliquid notabile inſcio Prælato, tunc in proprietatis ſcelus incidis, & in caſum reſeruatum, cum probabiliter credit, Prælatum eandem rem non ſibi conceſſurum, ſecus ſi putet concedendam.*

71 *Religioſus ſubditus aliquid accipiens ab extraneis mediocres valoris, & alteri fratri tribuens, aut cum alio commutans, ſiuè domeſticus ſit, ſiue extraneus, non peccas mortaliter, nec in caſum reſeruatum incidit.*

72 *Religioſus qui citra Superioris licentiam neceſſaria ſibi ad victum, & veſtitum ſumeret de bonis Monaſterij non peccaret mortaliter, nec in caſum incideret reſeruatum.*

73 *Religioſus citra proprietatis crimen poteſt peculiu habere, niſi per Regulam ſibi interdicatur*

74 *Quintus caſus quem Regulares Prælati reſeruare ſibi poſſunt, eſt Iuramentum falſum in Iudicio regulari, ſeù legitimo.*

Et quomodo ſumatur illa dictio, ſeù.

75 *Quomodo accipiatur in caſu noſtro dictio illa. ſeù.*

76 *Probabilior eſt interpretatio, vt accipiatur alternatiuè; & ſic Iuramentum falſum eſt caſus reſeruatus etiam ſi à Religioſo fiat coram Conſeruatore.*

77 *Regularis non ſolum in caſum incidit reſeruatum, ſi falſitatem iuret, ſed etiam ſi iuret tacendo veritatem.*

78 *Non modo Regularis incidit in caſum reſeruatum, ſi falſum iuret in Iudicio tanquam teſtis, ſed etiam ſi iuret tanquam principalis.*

79 *Tam Monachi, quàm Moniales in caſum incidunt reſeruatum ſi falſum iurent in Iudicio, vt ſupra.*

80 *Iuramentum falſum tunc eſt caſus reſeruatus, cum ab eo præſtatur qui a Iudice legitimè, ac Iuris ordine ſeruato interrogatur.*

81 *Iuramentum falſum non eſt caſus reſeruatus, ſi veritas negetur ab eo, qui fuit interrogatus à Iudice de aliquo facto, quod abſq; peccato ſaltem mortali patratum eſt.*

82 *Qui vi tormentorum aliquid in Iudicio depoſuerit, quamuis Iuramento mediante in caſum non incidit reſeruatum.*

83 *Teſtis, quamuis iuridicè interrogatus poteſt negando æquiuocare, ſi ex eius depoſitione probabiliter timeat aliquod damnum in anima, in perſona, vel in bonis.*

84 *Teſtis, qui factum aliquod tantum ſcit, quia audiuit ab alijs, etiam ſi iuridicè interrogetur non tenetur reſpondere ad mentem Iudicis.*

85 *Sextus caſus, qui reſeruari poteſt per Superiores Regulares eſt procuratio abortus etiam effectu non ſequuto, itemque auxilium, & Conſilium, modo fœtus animatus ſit.*

Et an, & quando fœtus dicitur animatus, & in dubio, ex quibus dignoſci poſſit, fœtum eſſe animatum.

86 *Ex Bulla Gregor. XIIII. quilibet Confeſſarius poteſt abſoluere à peccato abortus, etiã ſi fuerit animatus, & ab eiuſdem excommunicatione, modo ad id ſit ſpecialiter ab Epiſcopo deputatus: Quemadmodum, & omnes regulares, qui ex priuilegio abſoluere poſſunt ab excommunicationibus, & caſibus Epiſcoporum reſeruatis.*

87 *Cæteri Confeſſarij, qui priuilegiati non ſunt ab hoc crimine abſoluere non poſſunt citra ſpecialem Ordinarij delegationem.*

88 *Bulla Sixti V. quoad pœnas impoſitas in crimine abortus poſt animatum fœtum, non fuit immutata per Bullam Greg. XIV.*

89 *Conſilium dantes ad abortum faciendum, an incidant in caſum reſeruatum, effectu non ſequuto.*

90 *Verba illa (etiam effectu non ſequuto) refertur non ſolum ad Conſilium dantes ad faciendum abortum, ſed etiam ad auxilium præſtantes, & multo magis ad procurantes.*

91 *Etiam defendentes, vel fauentes eis, qui abortũ cõmittere volunt in caſum incidunt reſeruatũ.*

Et an fautores per omnia exequentur defenſoribus.

92 *Regularis receptans mulierem pregnantem in propria domo, vt occulte abortum committat, in caſum procul dubio incidit reſeruatum.*

93 *Non ſolum Religioſi procurantes, auxiliantes, &c. ſed etiam mandantes fieri abortum, incidunt in caſum reſeruatum.*

Et an mandatum differat à Conſilio.

94 *Regularis in caſum incidit reſeruatum, quacunque intentione procures, mandet, auxilietur, &c. fieri abortum.*

95 *Modo ſcienter procures, mandet, auxilietur, &c. alias ſecus, Et quid ſi dubitet mulierem eſſe pregnantem.*

96 *Conſilium ad faciendum abortum tunc eſt caſus reſeruatus, cum talis eſt natura, vt in effectum influat.*

97 *Religioſus ratum habens abortum, in caſum non incidit reſeruatum, nam ratihabitio non eſt mandatum, licet æquiparetur mandato.*

Quid ſi fuerit præſens Religioſus dum alius, poculum pregnanti propinauerit nomine ipſius.

98 *Religioſus tunc in caſum reſeruatum incidit, cum pregnanti dederit poculum, ad abortum faciendum directè ordinatum; ſecus autem ſi per ſe ſit medicamentum directè ordinatum ad ſalutem pregnantis.*

99 *Septimus caſus, quem ſibi reſeruare poſſunt Prælati Regulares eſt falſificatio manus, aut ſigilli Officialium Monaſterij, vel Conuentus.*

Et quid hoc loco intelligatur per falſificationem manus.

100 *Falſificatio ſigilli multipliciter contingere poteſt.*

101 *Officialis propriè is dicitur, qui ſub alio tanquam eius Miniſter iuriſdictionem exercet. Et qui nam dicantur habere Officium.*

102 *Officiales in Monaſterijs qui nam ſint, & qui in Conuentibus.*

103 Off-

103 *Officiales Monaſterij monialium qui nam ſint*

104 *Ad incidendum in eiuſmodi caſum reſeruatum ſatis eſt falſificatio manus alicuius Officialis Monaſterij.*

105 *Ferdinandus Rex Neapolitanus, qui prius ediderat conſtitutionē contra blaſphemantes Sanctos in plurali, aliam conſtitutionem edidit contra blaſphemantem vnum Sanctum. Et quare.*

Et an illa prior conſtitutio de ſui natura eſſet apta comprehendere blaſphemātem vnum Sanctum.

106 *In hunc caſum reſeruatum non ſolum incidunt qui manum, & ſigillum Officialium, vt ſupra falſificant, ſed etiam, qui aliorum ſupradictorum committunt.*

107 *Et ſiuè ei aliquid addatur, ſiuè ab ea detrahatur, ſiuè mutetur, ſiuè falſo de nouo fabricetur ſemper eſt caſus reſeruatus.*

108 *Qui litteras officialium obſignauerit vero ſigillo eorum nomine ipſis tamen ignorantibus in caſum non incidunt reſeruatum.*

109 *Falſificatio litterarum, & ſigilli Officialium Monaſteriorum, &c. caſus eſt reſeruatus, ſiuè falſitas committatur in litteris eorum publicis, ſiuè priuatis.*

110 *Siuè Maſculi ſint, ſiuè fœminæ ſint Regulares falſificantes, vt ſupra manum, & ſigillum Officialium, Monaſteriorum, &c. caſum incurrunt reſeruatum.*

111 *Etiam ſi falſificans, vt ſupra non vtatur falſa ſcriptura, vel falſo ſigillo adhuc incurrit caſum reſeruatum.*

112 *Etiam ſi falſitas ſit in vna, vel alia littera, dummodo mutetur ſenſus ab Officialibus intentus caſus eſt reſeruatus.*

113 *Mandantes falſificari litteras, & ſigillum prædictum, haud incurrunt caſum reſeruatū.*

114 *Nec locum habet reſeruatio prædicta in Regularibus ratam habentibus falſitatem manus, aut ſigilli Officialium prædictorum.*

115 *Regulares vtentes litteris falſis Officialium, vt ſupra ſub dicto Decreto reſeruationis non comprehenduntur.*

116 *Nec prædicta reſeruatio locum habet in falſificantibus litteras prædictas in aliquo modico.*

117 *Nec procedit in falſificantibus litteras iniuſtas ipſorum Officialium.*

118 *Falſificatio prædicta, vt ſit caſus reſeruatus, dolus requiritur ex parte falſificantis.*

119 *In falſificatione litterarum prædictorum Officialium, quæ vim non habent, non procedit reſeruatio.*

120 *Qui cœperunt falſo fabricare litteras, ſeù ſigillum prædictorum Officialium, ſed antequam perficerent pœnitentes facti ab incepto opere deſiſterunt, non comprehenduntur ſub decreto prædicto.*

121 *Octauus caſus ex vi ſupradicti decreti reſeruatus eſt furtum bonorum Monaſterij. Et quid ſit furtum, & vndè dicatur. Et quæ quantitas requiratur, vt furtum ſit peccatum mortale.*

122 *In Monaſterijs pauperibus proprietas duorum Iuliorum eſt lethalis culpa in cæteris verò Monaſtrijs communibus quatuor, vel quinque.*

123 *In Monaſterijs pauperrimis furtum duorum Iuliorum eſt grauis culpa, in alijs verò communibus, non minoris ſomma, quam quinque*

124 *Furtum verum Monaſterij in ea quantitate, quæ conſtituit peccatum mortale reſeruari poteſt per Superiores Regulares, ſiuè furtum ſit manifeſtum, ſiuè non.*

Et quod nam dicitur furtum manifeſtum.

125 *Et ſi aſcendat ad culpam grauem ſemper ſit caſus reſeruatus cuiuſcunq; rei ſit, vel ſpeciei.*

126 *Eſt caſus reſeruatus cuiuſcunque rei profanæ Eccleſiæ, nempè bouis, ouis, aut totius gregis.*

127 *Non ſolum furtum verum Monaſterij eſt caſus reſeruatus, ſed etiam Rapina, quæ furti nomine etiam continetur.*

128 *Omnis illicita vſurpatio à Religioſo facta eſt caſus reſeruatus.*

129 *Religioſus in hunc caſum reſeruatum etiam incidit, ſi ex pecunia quam a ſuo Superiore accepit pro itinere, aliquid ei ſupererit, & ſuo Superiori non reſtituerit.*

130 *Etiam in hunc caſum reſeruatum incidit Regularis, qui ſimulans indigere veſtimentis cum re vera non egeat, fraudulenter facit ſibi à Superiore emi.*

131 *Incidit quoque in hunc caſum reſeruatum Regularis etiam ſi res Monaſterij ſurripit, vt vſum tantum habeat, & deindè reſtituat.*

132 *Incurrit quoque caſum hunc reſeruatum, etiam ſi rem communem cum alio Regulari à Prælato traditam, auferat.*

133 *Etiam incurrit Regularis in caſum reſeruatum, ſi auferat rem Monaſterio mutuatam, vel depoſitatam.*

134 *Idque extenditur ad Regularem ſurripientem rem Monaſterij commodatam.*

135 *Regularis hunc caſum reſeruatum incurrit etiamſi res auferat ab alijs Regularibus eiuſdem ordinis, datas eis quo ad vſum.*

136 *Regularis furtum quoque committit, & caſum reſeruatum incurrit, ſi res Monaſterij alteri donet, commodet, vel mutuet.*

137 *Regularis caſum reſeruatum contrahit etiam ſi res Monaſterij auferat, vt Eleemoſynam diſtribuat. Quid ſi pauperis neceſſitas, cui eleemoſyna tribuitur ſit extrema.*

138 *Regularis hunc caſum reſeruatum incurrit nō modo ſi per ſe furetur res Monaſterij, ſed etiam ſi per Laicum.*

139 *Nec ſolum caſum incurrit reſeruatum pro rebus Monaſtrij ſublatis, ſed etiam pro rebus acquiſitis vlterius ex rebus, Monaſterio ſublatis*

140 *Caſum quoque reſeruatum incurrit, qui vtitur re apud ipſum à Prælato depoſita contra Prælati voluntatem.*

141 *In caſum etiam incidit reſeruatum Regularis, qui datum ſibi Iumentum à Superiore ad eundum in aliquem locum, illud in alium longiorem duxerit.*

142 *Sub præfato Decreto illi tantùm Regulares comprehenduntur, qui ſunt illius Monaſterij, cuius bona ſuſtulerunt.*

143 *Furtum verum Monaſterij à regulari commiſſum, ita dèmum eſt caſus reſeruatus, ſi ad quantitatem aſcendat, quæ ſit culpa lethalis.*

144 *Regularis qui paulatim res minimas Monaſterij abſtulerit, caſum reſeruatum nō incurrit.*

145 *Regularis, cui ab aliquo data eſt pecunia, vt eam ad Superiorem deferat, & ipſe totam, aut partem in proprios vſus expenderit, caſum reſeruatum non incurrit.*

Digitized by Google

146 *Regularis auferens res aliquas Monaſterij credens probabiliter, Prelatum ſibi eas conceſſurum non incidit in caſum reſueratum.*

147 *Regularis auferens res aliquas Monaſterij ad conſulendum maximè eius eius neceſſitati pro conſeruatione indiuidui, non incurrit caſum reſeruatum.*

148 *Nonus caſus, qui per Superiores Regulares reſeruari poteſt, eſt lapſus carnis.*

Et quæ nam connumerentur per Apoſtolum inter manifeſta carnis opera.

149 *Huiuſmodi caſus ſolet dupliciter à Superioribus Regularibus reſeruari: Et quæ requirantur vt incurratur priori modo, & quæ poſteriori.*

150 *Lapſus carnis, & ſi comprehendat ſollicitationẽ ad turpia, oſcula, tactus, amplexus impudicos, &c. tamen hoc loco intelligitur omnis libidinis culpa cum ſeminis effuſione.*

151 *Lapſus carnis tunc dicitur voluntarius, quando eſt omninò volitus, & deliberatus, ſiuè in ſe, ſiuè in cauſa.*

152 *Confeſſarius voluntate ſe exponens ad audiendas confeſſiones, ſi expertus fuerit, vt plurimum pollutionem pati, quamuis inuoluntariam, debet ſe à confeſſione abſtinere.*

153 *Lapſus carnis tunc dicitur opere conſumatus, quando per actionem externã perficitur per ſeminis effuſionem, ſiuè per ſe, ſiuè per alium, aut cum alia perſona, ſiuè intra, ſiuè extra vas.*

Et quando ſit grauior.

154 *Religioſus ſi proprijs ſuis manibus, aut alterius, vel per aliquem corporis motum in voluntariam labatur pollutionẽ, peccat mortaliter, & caſum reſeruatum incurrit.*

155 *Regulares in caſum reſeruatum non incidit, qui rem habens cum mare, vel cum fœmina intra, vel extra vas ſemen non effudit.*

156 *Religioſus licet per oſcula, tactus, prolationem verborum, ad turpia incitantium tentauerit ad pollutionem deuenire, & non potuerit, vel vel pœnitentia ductus noluerit, non incidit in caſum reſeruatum.*

157 *Religioſus, & ſi ope alterius Religioſi lapſum carnis conſumauerit per ſeminis effuſionem, contrahat caſum reſeruatum, cooperans tamen in eundem caſum non incurrit.*

158 *An idem ſit in crimine ſodomiæ, opere conſummato.*

159 *Si Regulares Prælati reſeruent ſibi lapſum carnis voluntarium, opere conſummatum, ſed cum tertia perſona. Id eſt intelligendum per corporum coniunctionem.*

Et an Religioſus tangens, vel oſculans mulierem aliquam, aut puerum, vel coram veſtes perfricans, ad ſeminis effuſionem fuerit lapſus incidat in caſum reſeruatum.

160 *Religioſus, qui metu mortis fuit compulſus habere rem cum Muliere, vel puero, an incidat in caſum reſeruatum.*

161 *Decimus caſus, qui per Regulares Superiores reſeruari poteſt, eſt homicidium, aut vulneratio, ſeù grauis percuſſio.*

162 *Occiſio hoc loco refertur ad hominem tàm actiuè, quàm paſſiuè, licèt conueniat quoque cæteris animantibus.*

163 *Occiſio regulariter iniuriam includit.*

164 *Religioſus dormiens, vel furioſus, ſi aliquem occidat, in caſum reſeruatum non incidit.*

165 *Nec ſi caſu hominem occidat, caſum reſeruatum incurrit.*

Et quid ſi debitam diligentiam non adhibuit.

166 *Religioſus, qui ludens proiecit lapidem in aliquem, qui volens euitare lapidis ictum, caput offendit in alium lapidem, & perijt an caſum incurrat reſeruatum.*

167 *Homicidium non dicitur committere Religioſus qui ad ſui defenſionem, inuaſorẽ interimit.*

168 *Religioſus ſi aliquem venenauerit, caſum incurrit reſeruatum.*

169 *Religioſus mandans, vel conſulens fieri homicidium, caſum an incurrit reſeruatum.*

170 *Mandatum de occidendo, vulnerando, &c. ſi fiat à Prælato ſubditis, ſeruis, & alijs huiuſmodi, tunc mandans includitur ſub caſus reſeruatione, ſi reſeruatio facta ſit à Superiore Prælati, ſecus ſi ab ipſo Prælato.*

171 *Percutere patet latius, quam vulnerare, omnis enim qui vulnerat, percutit, ſed non è contra.*

172 *Religioſus, ſi pugno, fuſte, gladio, &c. aliquem percuſſerit cum ſanguinis effuſione, in caſum incidit reſeruatum.*

173 *Religioſus ſi vulnuſculum in aliquem inferat, caſum non incurrit reſeruatum.*

174 *Religioſus ſi per immoderatam quantitatem vini potentis datam alicui ad bibendum, aut propter cibos ſalitos, ac calidos eidem tributos ad comedendum, fuit ipſi innatum vlcus, caſum reſeruatum non contrahit.*

175 *Religioſus ſi pugnum det in alicuius Naribus, à quibus notabilis ſanguinis effuſio proceſſerit, an incidat in caſum reſeruatum.*

176 *Licet percutere aliquando idem ſignificet, quod ferire, hoc tamen loco vulneratio differe à percuſſione.*

177 *Nunquam percuſſio erit caſus reſeruatus, niſi ſit grauis.*

Et quando dicatur grauis, vel leuis percuſſio.

178 *Dictio, ſeu, poſita inter dictiones vulneratio, & percuſſio, an intelligatur expoſitiuè.*

179 *Vltimus caſus, quem reſeruare ſibi poſſunt Superiores Regulares, eſt impedire, & retardare litteras à Superioribus, ad Inferiores.*

180 *Dictio, aut, multis modis ſumitur, & coniunctiuè, & expoſitiuè, ſecundum vero propriam ſuam naturam ſumitur diſiunctiuè, ſeu alternatiuè.*

181 *Religioſus ſi per ignorantiam, inaduertẽtiam, ſimplicitate, obliuione, aut bona fide impediat, retardet, aut aperiat huiuſmodi litteras, non incidit in caſum reſeruatum.*

182 *Quid ſi per ignorantiam concomitatem: Et quæ nam ſit ignorantia concomitans; & quæ conſequens, & affectata.*

183 *Quamuis actiones prædictæ factæ ex ignorantia concomitante craſſa, & affectata non excuſent à caſus noſtri reſeruatione, ſi tamen fiant ex ignorantia craſſa, & affectata abſolutè abſque ſcilicet concomitante, à prædicti caſus reſeruatione excuſant, limitatur tamen ſi ignorantia eſſet adeo craſſa, vt eſſet ingens temeritas.*

184 *Ad incurrendum huiuſmodi caſum ex vi dicti Decreti exigitur, vt actiones ipſæ malitioſè, ac ſcienter fiant.*

185 *Impedimentum ab impedire deriuatur idemq; eſt, ac obſtare, ne quid fiat.*

Et quotupliciter contingere poſſit impedimentũ in hoc caſu.

186 *Re-*

Digitized by Google

186 *Religioſus quocunq; modo impediat, ne litteræ deferantur, ſiuè directè, ſiue indirectè in caſum reſeruatum incidit.*
187 *Etiam ſi litteras à deferentibus non adimat, caſum incurrit reſeruatum.*
188 *Religioſus hunc caſum reſeruatum incurrit, non modo ſi facto impediat, ſed etiam verbis, ſcilicet minis, & contumelijs.*
189 *Et non modo ſi impediat litteras proprij Superioris ad inferiores, ſed etiam cuiuſcunque Superioris.*
190 *Tunc Religioſus caſum reſeruatum incurrit, ſi ex tali impedimento notabile nocumentum inferatur proximo.*
191 *Vel ſi impedimentum doloſè inferatur.*
192 *Impedimentum hoc tunc eſt caſus reſeruatus, cum per Religioſum impediuntur litteræ continentes rem grauem.*
193 *Vel cum impediuntur litteræ iam ſcriptæ, ſecus verò ſcribendæ. Multiſq; alijs modis limitatur concluſio.*
194 *Retardatio litterarum differt ab eorum impedimento, & in quo.*
195 *Aperientes aliorum litteras in excommunicationem, an incidant, & in crimen falſi.*
196 *Religioſus caſum incurrit reſeruatũ ſi aperiat litteras cuiuſcunque Superioris etiam non proprij.*
197 *Et etiam ſi à deferentibus non adimat.*
198 *Vera tamen eſt concluſio, vbi doloſè, & cum notabili damno alterius huiuſmodi litteræ aperiuntur.*
199 *Religioſi ita demum caſum hunc reſeruatum incurrunt, ſi litteras apertas legant, ex ſola enim ſigilli inciſione apertæ non cenſentur, niſi re ipſa legantur.*

1 PRo determinatione huius controuerſiæ recolenda ſunt, quæ ſupra adnotauimus *ſec.* 2. vbi per proprium Sacerdotem diximus intelligi Rom. Pontificem, eiuſdemq; Sum. Pœnitentiarium: Legatum Rom. Pontificis quoad omnes, qui ſunt de finibus ſuæ legationis, & ipſius Pœnitentiarios: Cardinalem in Eccleſia ſui tituli: Epiſcopum quoad ſuos Diœceſanos, & eiuſdem Vicarium: Archiepiſcopum, Patriarcham, & Primatem quoad eorum Prouinciales ſubditos, ac ſuffraganeos, & eorum Vicarios: Capituli Vicarium Sede vacante: Parochum reſpectu ſuorum Parochianorum: & Superiores Regularium quoad ſuos ſubditos. De his omnibus quærimus, an approbando Sacerdotes ad fidelium cõfeſſiones audiendas, ſeù eiſdem licentiam audiendi confeſſiones concedentes poſſint ſibi reſeruare abſolutionem ab aliquibus caſibus, & cenſuris. Pro cuius rei determinatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 CErtum eſt in Eccleſia Dei poteſtatem eſſe reſeruandi peccata quoad forum interius. Hæc concluſio vera eſt, vt ſit etiam de fide, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 7. *de caſuum reſeru.* in illis verbis, *Magnopere verò ad Chriſtiani Populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, vt atrociora quædam, & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſoluerentur. Vndè meritò Pontifices maximi pro ſuprema poteſtate in Eccleſia vniuerſa ſibi tradita cauſas aliquas criminum grauiores, ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 CErtum quoque eſt, hanc reſeruandi facultatem habere Rom. Pontificem in toto Terrarum Orbe. Etenim Rom. Pontifex eſt totius Orbis Ordinarius Epiſcopus, & pro ſua Diœceſi habet totum Terratum Orbem, *arg. tex. in cap. cuncta per mundum,* 9. *q.* 3. *Hoſtien. in c. tua nobis de offic. Vicar. & Cardin. in clem. Paſtoralis, §. vt illud, nu.* 4. *de re indic.* & propterea in toto Orbe poteſt ſuam poteſtatem exercere. Confirmatur ex *Conc. Trid. loco ſupra citato*, ibi, *Sed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus abſoluerentur: Vndè meritò Pontifices, &c.* Hanc autem poteſtatem conſequitur S. P. à Deo in eiuſdem electione, tum quoad forum interius, tùm etiam quoad forum exterius, vt colligitur ex eodem *Conc. Trid. in d. c.* 7. *ſeſſ.* 14. Quocirca de facto ſibi reſeruauit caſus in Bulla Cœnæ contentos, percuſſionem Clerici, *c. ſi quis ſuadente diabolo* 17. *q.* 4. & alios quamplurimos caſus, & cenſuras, de quibus in corpore iuris, & in Bullario. Et quamuis poſſit ſibi reſeruare peccata cum excommunicatione, & citra excommunicationem ad ſui libitum; regulariter tamen nunquam Romanus Pontifex reſeruat caſus in foro coſcientiæ abſque cenſura: quocirca non datur caſus Papæ
4 reſeruatus, qui non habeat cenſuram annexam, vt habetur ex *Caiet. in ſum. verſ. Caſus, Nauar. in Man. c.* 27. *nu.* 261. *Tolet. lib.* 3. *ſuæ ſum. c.* 14. *nu.* 1. *Suar. tom.* 4. *de pœnit. diſp.* 29. *ſec.* 3. *num.* 5. *Henriq. lib.* 6. *de pœnit. c.* 14. *nu.* 1. *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.* 2. *lib.* 8. *c.* 1. *nu.* 2. *Laym. lib.* 5. *ſuæ ſum tract.* 6. *c.* 12. *de ſacr. pœnit. n.* 2. & alij: qui ex hoc inferunt primò, quòd ſi Rom. Pontifex, vel eius Pœnitentiarius aliquem abſoluat à cenſura in Bulla Cœnæ contenta, aut ab alia Papæ reſeruata, tunc inferior Cõfeſſarius deindè in foro conſcientiæ poterit eundem abſoluere à peccato illo, cui talis cenſura annexa fuerat, vt habetur ex *Suar. d. ſec.* 3. *nu.* 7. *Henriq. & Laym. locis citatis*, & nos *concl. ſeq.* latius dicemus. Secundò inferunt, quòd ſi contingat aliquem committere crimen in Bulla Cœnæ damnatum; ſed ob ignorantiam non craſſam à cenſura Papæ re-
5 ſeruata excuſatus fuerit, tunc poterit ab illo peccato ab inferiori Confeſſario abſolui, ita *Conync. diſp.* 8. *de ſacr. pœnit. dub.* 11. *nu.* 82. *Laym. & Henriq. vbi ſupra*. Eſt tamen verum, quòd licèt hæc vera ſint, etiam ſi ignorantia craſſa, & affectata concurrant, & ſimus in caſu, pro quo ad incurrendam cenſuram requiratur præſumptio, & ſcientia, vt patet in excommunicatione lata contra legentes libros hæreticorum, hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, quos excuſari ab excommunicatione etiam ex capite ignorantiæ craſſæ, & affectatæ, latè oſtendimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ lib.* 2. *c.* 1. *q.* 36. 37. & 38. Nihilominus hæc ipſa limitamus in peccato hæreſis, cui excommunicatio contenta in Bulla Cœnæ annexa eſt: ſiquidem peccatum hæreſis, ſeù excommunicatio pro eo lata habet ſpecialem reſeruationem per ſe, ac immediatè Rom. Pontifici; ita vt Sacerdos inferior tali poteſtate carens, bona fide inuincibili reſeruationis ignorantia laborantẽ directè abſoluere attentet, nihil efficiat, & id ex defectu iuriſdictionis, vt

habetur ex *Sanch. lib.2.moral.c.8.n.5.Conynch. d. dub.11. nu. 83. Suar. d. ſec.3.nu.8. & Laym. loco citato.*

6 Eſt denique circa concluſionem hanc adnot. quòd quamuis non detur caſuum reſeruatio in articulo mortis, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c.7. de caſuum reſeruat.* nihilominus Rom. Pontifex facultatem reſeruandi caſus, & cenſuras habet ampliſſimam, etiam pro articulo mortis, licèt reſeruatio huiuſmodi non expediat: alij autem Rom. Pontifici inferiores poteſtatem hanc non habent, etiam ſi Summus Pœnitentiarius ſit, & quiuis alius. Etenim facultas tributa Sacerdoti abſoluendi à quocunque caſu in articulo mortis prouenit ex ex delegatione Eccleſiæ, & ſic eſt de iure humano, cùm ſoli Petro, & ſucceſſoribus eius detur iuriſdictio immediatè à Chriſto, atque adeò ſit de iure Diuino, vt patet ex illis *Concil. Trid.* verbis, *Verumtamen piè admodum, ne aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, &c. Henriq. lib.3. de pœnit. c.10 num.6. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp.30. ſec.3 aſſert.1.* Et fuſius *Couallos in ſuo ſpeculo communium contra cõmunes, q* 802. Vndè cùm Sacerdotes in hoc ſint ab Eccleſia delegati; poteſt eis à Rom. Pontifice reuocari iuriſdictio abſoluendi in articulo mortis: ſiquidem delegatio ceſſat ex reuocatione iuriſdictionis. Ita *Henriq. loco citato, c.11. nu.2. in fine, Suar d. aſſer. 1. nu 3. & P. Alph. de Leone p.2. caſ. conſc. recolt* 8. *ſub nu.* 5. vbi etiam *nu.6. cum Suar.* addit, quòd inferior Rom. Pontifici quamuis non poſſit reſeruare caſus, & cenſuras in articulo mortis, cum ſubijciatur vniuerſali conſuetudini Eccleſiæ, cui non ſubijcitur Papa, cum ſit ſupra omnia iura humana, & Eccleſiæ conſuetudines; nihilominus poteſt præcipere, ne quis à tali crimine abſoluatur, niſi præmiſſa ſatisfactione, reſtitutione, vel ſub onere iterum confitendi: quod verum puto circa ſatisfactionẽ, & reſtitutionem, quando commodè fieri poſſunt in articulo mortis, & citra infamiam pœnitentis: aliàs ſecus; ſed ſatis erit ſi abſoluatur ſub onere iterum confitendi, ſi tale onus fuerit à Superiore præceptum, licèt ſit Rom. Pontifici inferior.

TERTIA CONCLVSIO.

7 CErtum eſt Epiſcopos habere poteſtatem reſeruandi ſibi vſus in ſuis Diœceſibus. Hæc concluſio eſt de fide: ſiquidem patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.14. c.7. de caſuum reſeruat.* in illis verbis, *Neque dubitandum eſt, quin hoc ipſum Epiſcopis omnibus in ſuis tantùm Diœceſibus in ædificationem, non in deſtructionem liceat.* Vbi de caſuum reſeruatione agitur: & in *can.11. ead. ſeſſ.* ita ſe habente, *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere ius reſeruandi ſibi caſus, niſi quoad externam politiam, atque ideò caſuum reſeruationem non prohibere, quominus Sacerdos à reſeruatis verè abſoluat, anathema ſit.* Hanc poteſtatem habent Epiſcopi tàm quoad caſus, quàm quoad cenſuras, ita vt aliquando valeant ſibi reſeruare caſus ſine cenſura, & aliquando cum illa ad eorum libitum, vt habetur ex *Suar. tom.4. de pœnit. diſp.25. ſec.1 nu.6. & diſp.28. ſec.2. n.11. Sanch. de matr. lib.2. diſp 61. nu.3. Fagund. de precep. Eccl. lib 8 c.2. ſub nu.4. Sot. in 4 d.18. q 2. art.5. verſ. Secundum argumentum; Finelli cap.4. caſ. reſeruat. Conynch. de ſacr. diſp.8. dub.11. Graff. lib.1. deciſ.13 n.40. & 71. Laym. lib.5. ſua ſum. tract 6. c.12. de ſacram. pœnit. n.1.* Et omnes, qui volunt, poſſe Epiſcopos in ſua Diœceſi quicquid poteſt Papa in toto Orbe. Cauſæ verò, quibus in Eccleſia Dei fuit introducta caſuum, & cenſurarum reſeruatio multæ ſunt. Etenim prima eſt, quam affert *Conc. Trid d.c.7.* nempè, vt grauiora peccata grauiori iudicio ſubdantur: ſecunda, vt ob difficultatem veniæ impetrandæ fideles ab eiuſmodi criminibus arceantur. Tertia, vt ſi aliqua crimina ſint Reip. pernicioſa facilius adhibeatur remedium, & quarta, vt fidelibus ſalubriora remedia adhibeantur, vt per *Laym. loco citato, Fagund. d. c. 1. ſub num. 6. Sot. in 4. d. art.5. & alios.*

8 Eſt tamen verum quòd ſecundum ſententiam magis receptam Epiſcopi eiuſmodi poteſtatem reſeruandi caſus, & cenſuras habent immediatè à Papa, non autem à Deo, vt habetur ex *Suar. tom.4. de pœnit. diſp.25. ſec.1. nu.6. & 7. Nauar. in Man. c.27. nu 293. Viual. in Candel. aur. de abſol. nu.38. Fagund. d c.1. nu.8. Laym. d. c.12. nu.1.* & facit *tex. in c. in nono 21. d.* Non enim Epiſcopis alia iuriſdictio competit iure Diuino præter illam habitualem, & fundamentalem, quæ eis datur per ordinationem, & conſecrationem, vt contra nonnullos probat *Fagund. loco citato,* & contraria ſoluit. Solus igitur Papa ſicut à Deo conſequitur iuriſdictionem in vtroq; foro ſtatim poſt electionem, vt latè nos oſtendimus in noſtris *Commentarijs ad Bull. Cœnæ lib.2. c.1. q.3. & 4.* Ita quoque à Deo habet ius ſibi reſeruandi caſus, & cenſuras: & propterea cùm Epiſcopi, & alij Prælati exempti à Papa iuriſdictionem conſequantur, non eſt mirum ſi ipſe Papa poteſt illis limitatam iuriſdictionem conferre, vel reſpectu perſonarum, aliquos ab eorum iuriſdictione eximendo; vel reſpectu peccatorum quorundam abſolutionem ſibi reſeruando, & eadem ratione cùm Parochorum iuriſdictio ab Epiſcopis, vel alijs Prælatis quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habentibus immediatè proueniat, poterunt Epiſcopi, & alij Prælati ſupradicti ipſis Parochis, & alijs Confeſſarijs poteſtatem in foro pœnitentiali limitatam tribuere, quoſdam caſus grauiores ſuo iudicio reſeruantes, vt rectè declarat *Laym. d.c.12. ſub nu.1.*

9 Et quamuis ſecundum ſententiam magis receptam de iuris rigore quando Rom. Pontifex, aut Epiſcopi reſeruant ſibi peccatum aliquod cum cenſura, cenſeantur ſimul, & æqualiter ſibi reſeruare peccatum ſcilicet, & cenſuram; nihilominus, data facultate per Iubilæum, Bullam, aut priuilegium ad abſoluendum à cenſura, ex communi conſuetudine peccatum non remanet reſeruatum: & è conuerſo data facultate ad abſoluendum à peccato, cenſetur conceſſa facultas ad abſoluendum à cenſura, ita vt cenſura non remaneat reſeruata; atque ideò poterit ab ea quilibet Ordinarius Confeſſor quemlibet abſoluere: ſicut etiam poteſt abſoluere à peccato; obtenta facultate abſoluendi à cenſura. Ita *Nauar. in Man. c 27. nu.261. Sot. in 4. d.18. q.2 art. Sanch. lib.2. Decal. c.8. nu.5. Caiet. in ſum. ver. Caſus, Suar. tom.4. de pœnit. diſp.28. ſec.2 nu.11. Tolet. lib.3. ſuæ ſum. c 14 nu.2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d.c.12. nu.3.* vbi *nu.7.* Etiam addit,

10 quò ſi cum reſeruatione caſus, & cenſuræ Papa-

lis

lis concurrat etiam reſeruatio caſus, & cenſuræ Epiſcopalis, hodie de conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ, ſublata reſeruatione Papæ per Bullam, aut Iubilæum, cenſetur tolli quoque reſeruatio Epiſcopalis, ſi vtraque ſimul concurrat, vt per *Tolet. lib. 3. ſua ſum. c. 14. nu. 2. Graff. lib. 1. deciſ. aur. c. 13. nu. 58. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. nu. 9. Sà ver. Caſus reſeruatus, nu. 3. & Nauar. in Man. c. 27. nu. 263. & in c. ita quorundam de iud. not. 11. nu. 71.* Qui ob id inquit, ſodales ſanctiſſimæ Trinitatis poſſe abſoluere à caſibus, & cenſuris Epiſcopalibus, Epiſcopis inconſultis, vigore priuilegij eiſdem conceſſi à Greg. XIII. vt rectè declarat, & rationem aſſignat etiam *Fagund. loco citato.*

11 Quæ diximus de Epiſcopis extendimus etiam ad Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas: nam hi ſunt etiam Epiſcopi. Siquidem Epiſcoporum ordo eſt tripartitus: diuiditur enim in Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos. Dicitur autem Patriarcha Princeps Patrum, & idem eſt, quod Primas, vt per *Gloſ. in c. vrbes, verſ. Patriarchas, d. 80.* Archiepiſcopos verò appellatur Epiſcoporum Princeps: qui quidem alio vocabulo dicitur Metropolitanus à menſura, ſeu matre Ciuitatum, *c. de his, 12. d.* Epiſcopus denique nuncupatur ſuper intendens, *c. qui Epiſcopatum, 8. q. 1.* & omnes ſupradicti vocantur Epiſcopi; quia quilibet eorum in Epiſcopum ordinatur, vt latè declarauimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœna lib. 1. c. 5. q. 2. nu. 4. & 5.* Vndè omnes hi
12 poſſunt ſibi reſeruare caſus, & cenſuras in proprijs Diœceſibus. Dixi in proprijs Diœceſibus; quoniam Archiepiſcopi, & Patriarchæ, ſeù Primates quoad ſubditos ſuffraganeorum cùm nullam poteſtatem habeant, niſi in caſibus in iure expreſſis tempore viſitationis, vt ſupra declarauimus, *ſec. 2. concl. 3.* per conſequens non poſſunt ſibi caſus reſeruare, niſi in proprijs Diœceſibus: & illos caſus tempore viſitationis in eorū Prouincijs, in quibus facultas eis de iure conce-
13 ditur. Idem dicendum eſt de Capitulo Sede vacante, de Abbatibus exemptis, & de omnibus alijs habentibus quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem, & de omnibus alijs, quos ſupra *d. ſec. 2.* probauimus eſſe proprios Sacerdotes: nam hi omnes cùm poſſint eorum iuriſdictionem delegare, vt oſtendimus ſupra *ſec. 6.* conſequenter poſſunt illam moderare, atque ideò aliquos caſus ſibi, aut alijs reſeruare. Vndè legati à latere in eorum Prouincijs, Eminentiſſimi Cardinales in proprijs Eccleſijs habent hanc facultatem reſeruandi ſibi caſus, & cenſuras, non ſolùm in foro exteriori, verùm etiam in foro pœnitentiali tàm ſibi, quàm alijs ad eorum libitum, ac beneplacitum; iuxta ea, quæ habentur ex *Suar. in 3. par. tom. 4. de pœnit. diſp. 28. aliàs 29. ſec. 1. nu. 6. & Fagund. d. c. 1. ſub nu. 10.* qui etiam *c. 2.* agit de caſibus de iure Epiſcopis reſeruatis, per conſtitutiones Synodales, & per conſuetudinem: & de his omnibus latè pertractat.

QVARTA CONCLVSIO.

14 QVamuis Parochi Ordinarij curati non poſſint de iure caſus ſibi reſeruare, vt probat *Suar. d. diſp. 29. ſec. 1. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. nu. 4. Fagund. d. c. 1. nu. 9.* & alij; nihilominus id valent vi conſuetudinis legitimè introductæ, & longo vſu probatæ, vt per Doctores ſupra relatos; qui idem dicendum eſſe volunt de quibuſdam Prælatis Epiſcopo inferioribus, vt ſunt quidam Decani, Archidiaconi, & alij huiuſmodi, qui iuriſdictione quaſi Epiſcopali, & Epiſcopali carent: hi enim non poſſunt ſibi reſeruare caſus, & cenſuras; niſi ab aliquo Superiore ad id habeant ſpecialem commiſſionem, vel delegationem; aut legitima conſuetudine, ac præſcriptione huiuſmodi facultatem adepti fuerint: ſiquidem non ſunt Ordinarij, & ideo ea ſola poterunt, quæ eis ſpecialiter fuerunt commiſſa, aut legitimè præſcripta. Ita *Fagund. d. c. 1. nu. 10.* qui *nu. 11.* duo tamen animaduertenda eſſe putat circa legitimam conſuetudinem præſcriptam à Parochis ad reſeruandum caſus; Pri-
15 mum eſt, vt talis conſuetudo non extendatur vltra caſus in ea præſcriptos; atque ideò qui conſuetudine præſcripſit abſoluere à reſeruatis in vna materia, cum non poſſit abſoluere in alia; qui cōſuetudine acquiſiuit reſeruare ſibi crimen furti, non poteſt ſibi reſeruare crimen adulterij. Sic etiam præſcripſit diſpenſare in denunciationibus matrimonij, non poterit diſpenſare in benedictionibus, aut in votis: etenim talis conſuetudo cùm ſit contra ius commune, eſt exorbitans, & odioſa, & ideò reſtringenda, *arg. tex. in cap. odia, de regul. iur. in 6.* latè *Sanch. lib. 4. Decal. c. 38. nu. 21.* Secundum eſt, quòd ad inducendam
16 talem conſuetudinem ſatis eſt tempus 40. annorum, nam tunc opus eſt centenaria, cùm in ea derogatur rebus Eccleſiæ Romanæ, ſecus autem quando derogatur ſolis legibus latis à Papa, ſeù Eccleſia Romana; quoniam tunc 40. annorum præſcriptio ſufficit, vt habetur ex *Molina tom. 1. de Iuſt. & iure, diſp. 77. col. 1. verſ. Conſuetudo, qua iuri: Sanch. lib. 4. Decal. c. 38. nu. 22. Abb. & alij in c. fin. de conſuet.* quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 1. nu. 12.* vbi etiam *nu. 13.* Addit, quòd conſuetudo reſeruandi, vt cenſeatur legitimè præſcripta non exigit ſcientiam, & patientiam Epiſcopi, aut Romani Pontificis, contra quos præſcribitur: ſiquidem illis ignorantibus, poteſt induci; quoniam *tex. in c. fin. de conſuet.* generaliter, & abſolutè loquitur, & definit, conſuetudinem rationi conſentaneam vim habere ad deſtruendam quamlibet iuſtam legem, ſeù præceptū reſeruatiuum, vt in ſimili docet *Sanch. lib. 7. de matr. diſp. 82. nu. 20. Rocch. d. c. fin. de conſuet. ſec. 4. nu. 27. Palud. in 4. d. 42. q. 3. art. 1. concl. 3. nu. 7.*

QVINTA CONCLVSIO.

17 SVperiores Regulares habent ius reſeruandi ſibi caſus, & cenſuras. Hæc concluſio eſt communis, vt patet tùm ex eo, quòd iuriſdictionem habent ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, vt habetur ex *Suar. tom. 4. de Relig. lib. 2. c. 2. nu. 7. & ſeq. Sanch. lib. 4. ſua ſum. c. 39. nu. 3. Moneta de commut. vltim. volunt. c. 5. nu. 412.* & patet etiam ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 2. concl. 5.* tùm quia adeſt conceſſio expreſſè facta ab Alex. VI. apud *Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 21. art. 2. in princ. Suar. loco citato, c. 18. nu. 1. & 14. & Ioan. Cruz lib. 1. de ſtatu Religion. & priuil. ipſius, c. 6. dub. 9. in prin.* tùm denique ex *conſtit. Clem. VIII. de reſer. caſ.* In qua præcipitur, vt præter vndecim caſus ſequentes, qui reſeruari poſſunt, alij non reſeruentur ſine Generalis Capituli in toto Ordine, vel Prouincialis in Pro-

uincia

uincia diſcuſſione. Vndè cum caſus præter ibi contentos ſunt reſeruandi in Capitulo Generali, vel Prouinciali, ſequitur, quòd prædicti caſus expreſſi ab omnibus Superioribus etiam localibus poſſint ſibi reſeruari, vt contra *Coriol.* rectè probat *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 11. ſub nu. 124.* qui *nu.* 125. id limitat, niſi contrarium ſit ſancitum in conſtitutionibus propriæ Religionis Apoſtolica auctoritate confirmatis, prout fuit ordinatum apud fratres Minores in Capitulo Generali celebrato Madriti anno 1626.

18 Sunt autem vndecim caſus prædicti, qui reſeruari poſſunt; ſequentes v3. *Primus veneficia, incantationes, ſortilegia.* Secundus, *Apoſtaſia à Religione, ſiue habitu dimiſſo, ſiuè retento; quãdo eo peruenerit, vt extra ſepta Monaſterij, ſeu Conuentus fiat.* Tertius, *Nocturna, ac furtiua è Monaſterio, ſeù Conuentu egreſſio, etiam non animo apoſtandi facta.* Quartus, *Proprietas contra votũ paupertatis, quæ ſit peccatum mortale.* Quintus, *Iuramentum falſum in iudicio regulari, ſeu legitimo.* Sextus, *Procuratio, auxilium, ſeu conſiliũ ad abortum faciendum poſt animatum fœtum, etiam effectu non ſubſecuto.* Septimus, *Falſificatio manus, ſeu ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus.* Octauus, *Furtum de rebus Monaſterij, ſeù conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* Nonus, *Lapſus carnis voluntarius opere conſumatus.* Decimus, *Occiſio, vulneratio, ſeù grauis percuſſio cuiuſq; perſonæ.* Vndecimus, *Malitioſum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad Inferiores, vel ab Inferioribus ad Superiores.*

19 Circa caſus huiuſmodi eſt adnot. primò quòd Confeſſarij deputati à Regularibus poſſint à ſupradictis caſibus omnibus abſoluere Regulares ſubditos deputantium. Siquidem non eo ipſo, quòd Confeſſarij deputati ſint à Superiore alicuius domus ad audiendas ſuorum ſubditorum confeſſiones, cenſentur ei reſeruati dicti caſus; ſed illi tantùm cenſentur reſeruati, quos expreſsè ſibi reſeruat: ſupradicta enim conſtitutio Clem. VIII. non reſeruat præfatos caſus Superioribus Regular. ſed præcipit, vt præter vndecim caſus ſupra relatos, qui reſeruari poſſunt, alij non reſeruentur ſine Generalis Capituli in toto ordine, vel Prouincialis in Prouincia diſcuſſione: at poſſe reſeruare non eſt reſeruare, vt conſideranti patet. Sic etiam ſi Superior Confeſſarios deputet, & ſubdat, eis aperire velle, quos caſus ſibi reſeruet, antequam aperiat, poſſunt ab omnibus abſoluere quoniam per dicta verba non dicitur facta reſeruatio: velle enim reſeruare, non eſt reſeruare, vt rectè inquit *P. Alph. de Leone par. 2. caſ. conſc. recoll. 7. nu.* 50. qui tamen *num.* 51. excipit caſus, qui ipſo iure cenſentur Superiori reſeruari, vt ſunt illi, qui habent cenſuram annexam S. P. reſeruatam, nempè percuſſio grauis, & mediocris Clericorum, & alij ſimiles: ſiquidem Superiores à cenſuris S. P. reſeruatis occultis poſſunt abſoluere ſuos ſubditos ex vi Conſtitutionis Pij V. & multis alijs caſibus eidem reſeruatis vigore priuilegiorum ſuorum Ordinum, ne detur occaſio Religioſi vagandi. Etenim quando per priuilegium conceditur Superioribus abſoluendi poteſtas, tunc licèt caſus ſibi non reſeruauerit, Confeſſarij tamen deputati ab illis non poſſunt abſoluere citra Superioris expreſſam licentiam. Eſt

60 tamen verum, quòd in nonnullis Religionibus extat priuilegium, quo talis facultas conceditur etiam prædictis Confeſſarijs deputatis, prout quoad cenſuras, exceptis illis reſeruatis in Bulla Cœnæ Domini, concedi per communicationem etiam Noſtris teſtatur *P. Pellegrin. in compend. noſtr. priuileg. tit. Quoad fratres noſtræ Congr.* §. 1. vbi in *Schol. ſoluit contraria.* Vndè qui habent huiuſmodi priuilegium, non indigent in ſupradictis caſibus Superiorum licentia. Confeſſarij autem, qui tale priuilegium non habent, non ſolum non poſſunt abſoluere fratres à reſeruatis Rom. Pontifici, ſed nec diſpenſare, in irregularitate, & in votis, nec eadem commutare, nec relaxare iuramenta, citra Superiorum Regularium facultatem: quoniam regulariter Superioris eſt diſpenſare in irregularitate, & in votis, ac eadem commutare, & iuramenta relaxare, vt declarat idem *P. Alph. loco cit. nu.* 52. *&* 53.

21 Secundò eſt adnot. quòd licèt concedens ſuos caſus ſibi reſeruatos, non videatur concedere facultatem abſoluendi à cenſuris, cum ſint diuerſa peccata, ſeù caſus, & cenſuræ: nam cenſura eſt pœna, & caſus eſt culpa: vndè ſi Epiſcopus concedat alicui omnem ſuam facultatem, & auctoritatem ad audiendas confeſſiones, non cenſeatur concedere caſus ſibi reſeruatos, cùm reſeruata non veniaot ſub generali conceſſione, nec facultatem diſpenſandi, ac relaxandi vota, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 27. nu.* 261. & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg. 52. nu. 5. & 6.* Nihilominus quando Superiores Regulares in quibuſdam feſtis ſollemnioribus concedunt omnem eorum auctoritatem ſupradictis Confeſſarijs deputatis, vel alijs omnibus approbatis, ex præſumpta voluntate eorum, poſſunt abſoluere, diſpenſare, relaxare, & commutare in omnibus ſupradictis: quidem hæc conceſſio non reſpicit fauorem Confeſſariorum; ſed tranquillitatem conſcientiarum ſuorum ſubditorum, vt poſt alios inquit *P. Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 7. ſub nu.* 54. vbi etiam *nu.* 55. eo caſu ait quoque, præfatos Confeſſarios poſſe audire etiam Nouitios.

22 Tertiò eſt adnot. quòd Confeſſarij à Regularibus, vt ſupra deputati habentes facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis; non poſſunt alijs delegare nudum miniſteriũ, vt latè ſupra oſtendimus, *ſec. 6. concl. vnica lim. 2. verſ. Circa denique Pœnitentiarios.* Committere autem nudũ miniſterium, non eſt aliud, quàm dare facultatem alicui abſoluendi in certo caſu manifeſtato, remittendo pœnitentem Confeſſario, vel etiam ipſi imponendo pœnitentiam oretenus, vt diximus. *d. concl. vnica, limit.* 2. vbi latè egimus de Pœnitentiarijs Vrbis, & alijs ſimilibus, quos diximus habere facultatem committendi nudum miniſterium modo ſupra relato.

23 Quartò eſt adnot. quòd quamuis vigore ſupradicti decreti Clem. VIII. Superiores Regulariũ non poſſint ſibi reſeruare, niſi dictos vndecim caſus, ant etiam alios in Capitulo Generali, vel Prouinciali; nihilominus vi eiuſdem decreti datur facultas eiſdem Superioribus taxandi Confeſſarijs deputatis pęnitentias iniungendas etiam pro peccatis non reſeruatis, vt ſupra adnotauimus *d. concl. vnica, ampl.* 4. vbi egimus quoque de prudentia, ſcientia, & charitate, quas habere

debent

Digitized by Google

debent Confeſſarij, vt ſupra à Regularibus de-
putandi: quibus etiam adde, quæ cumulauimus
circa rem hanc ſupra *ſec.2. concl.7. verſ. Ad Re-
gulares, & verſ. Cæterum.*
† Quintò eſt adnot. quòd licèt Superiores Re-
24 gulares poſſint ſibi alios caſus ſibi reſeruare vltra
illos vndecim ſupra relatos in Capitulo generali,
aut Prouinciali; nihilominus caſus debent eſſe
graues, atque ideò lethales culpæ, vt conſtat ex
ſupradicti decreti verbis, *Si quod aliud præterea
peccatum graue pro Religionis conſeruatione, aut
pro conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur;
id non aliter fiat, quàm Generalis Capituli in
toto ordine, aut Prouincialis in Prouincia ma-
tura diſcuſſione, & conſenſu.* Vndè cùm in Ge-
nerali, aut Prouinciali Capitulo non poſſit fieri
reſeruatio, niſi peccati grauis, & ſic mortalis; ſi
reſeruatio fiat peccati venialis erit nullius mo-
menti, tanquam facta contra legis prohibitioné,
arg. tex. in l. non dubium, C. de legib. Hinc ſe-
quitur fruſtra ſibi reſeruare Superiorem, etiam
modicam fructuum ſubtractionem è pomario:
aut libri extractionem è biblioteca pro vno, vel
altero die, &c. citra contemptum, & multo mi-
nus in prædictis caſibus excommunicatio con-
traheretur, ſi lata fuerit: ſiquidem ad excom-
municationem contrahendam exigitur, vt con-
traueniens mortaliter peccauerit, vt in *c. nemo,
& c. nullus 11. q. 3.* Et cùm præfatum Decretum
expoſtulet, vt peccati grauis reſeruatio fiat pro
Religionis bono, ac conſeruatione; & cóſcientiæ
puritate, ob illa verba, *Pro Religionis conſerua-
25 tione, &c.* Hinc ſequitur arbitrio tantùm Patrum
Capituli Generalis, aut Prouincialis reſeruandi
caſus; ſed ſi pro Religionis conſeruatione, aut
conſcientiæ puritate reſeruandum videbitur. Eſt
tamen verum, quod ſi de facto reſeruatio præ-
dicta non tendat in Religionis bonum, nó prop-
terea arbitror eſſe nullam ipſo iure; ſi Patres, de
Capitulo æſtimauerint eam tendere in Religio-
nis conſeruationem, ob dictionem illam, *Vide-
bitur.* Quæ rei veritatem vt eſt, non denotat; ſed
interpretatiuè dumtaxat eandem ſignificat, vt per
*Gloſ. in l. 1. §. deieciſſe, ver. Videor, ff. de vi, &
vi arm.* Sed venit irritanda eo ipſo quòd in de-
ſtructionem potius, quàm in ædificationem facta
cognoſcitur, iuxta ea, quæ habentur in *Concil.
Trid. ſeſſ. 14. de caſ. reſer. c. 7.*
26 Et quamuis dictum decretum requirat inſuper
vt reſeruatio eiuſmodi fiat in Capitulo Generali
in toto ordine: aut Prouinciali in Prouincia, ma-
tura diſcuſſione, ac conſenſu, vt patet ex illis
verbis, *Id non aliter fiat, quàm Generalis Capi-
tuli in toto ordine; aut Prouinciali in Prouincia
matura diſcuſſione, ac conſenſu.* Nihilominus
non ob id ſequitur, quin huiuſmodi reſeruatio
fieri poſſit ad beneficium vnius, vel alterius do-
mus Religionis dumtaxat; dummodò id fiat in
Capitulo Generali, aut Prouinciali: ſiquidem
conſeruatio vnius, vel alterius conuentus redun-
dat in beneficium, & conſeruationem totius Re-
ligionis; ſicut conſeruatio vnius membri tendit
in beneficium, & vtilitatem totius coporis, vt
rectè docet *Suar. de pœnit. diſp. 29. ſec. 3. ſub n. 12.*
Dixi, *Dummodo id fiat in Capitulo Generali, aut
Prouinciali*, ob illa verba, *id non aliter fiat, &c.*
27 Quoniam ſatis non eſt ſi reſeruatio ipſa fiat per
Capitulum domus, in quo Præpoſitus tantùm, &
vocales congregantur: & id etiam ſi Prouinciali
Capitulo careant, vt Congregatio noſtra: quia
Capitulum domus non ſuccedit loco Prouincia-
lis Capituli, cùm militet diuerſa ratio, *arg. text.
in l. Papinianus exuli, ff. de mino.* Ad quod facit
etiam *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. c. 2.* vbi Syno-
28 dus Diœceſana non ſuccedit loco Synodi Pro-
uincialis, quoad Diœceſes nulli Epiſcopo ſub-
iectas, vt benè declarat *Molf.* poſt alios *p. 1. ſuæ
ſum. Theol. tr. 7. c. 20. nu. 14.* Vndè ſi contra for-
mam dicti decreti reſeruatio fiat procul dubio
nullius erit momenti, tanquam facta contra le-
gem prohibentem, *l. non dubium, C. de legib.
&c.* quæ contra, *de regul. iur. in 6.* Et eò magis,
quia habet perpetuam cauſam prohibitionis,
cùm aliter non in ædificationem, ſed in deſtru-
ctionem fieri cenſeretur contra diſpoſitionem,
Conc. Trid. loco ſupra citato. Benè verum eſt,
29 quòd ſi talis reſeruatio fieret in Capitulo Gene-
rali, vel Prouinciali, matura diſcuſſione non
præuia contra formam ſupradicti decreti, atque
adeò obiter, & ex abrupto, ſi re vera reſeruatio
ipſa tenderet in bonum Religionis, non ob id
vitiaretur: etenim matura diſcuſſio prærequiri-
tur, vt reſeruatio fiat in ædificationem: ergò
cùm effectum habemus, non eſt curandum de
modo.
30 Sextò eſt adnot. quòd propter verba præfati
decreti proximè relata, Doctores non immeritò
dubitant de Superioribus Regularibus, an extra
Capitulum Generale, vel Prouinciale, poſſint
aliquibus peccatis in dicto decreto nõ contentis
excommunicationem addere, eandem ſibi reſer-
uantes. Vt ſi Abbas v. g. aut Præpoſitus alicuius
particularis Monaſterij prohibeat extractionem
librorum à communi bibliotheca quomodocũq;
& qualitercunque citra ipſius expreſſam faculta-
tem, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto,
incurrenda, eiuſdem abſolutionem ſibi reſeruans
& id etiam ſi animo ſibi non appropriandi libros
ab aliquo fiat extractio; ſed animo tantùm eos
legendi per ſpatium decem, aut viginti dierum
dumtaxat, vt poſtea eidem Bibliothecæ remittan-
tur. Etenim pro parte negatiua ſunt aliqui, quos
refert, & videtur ſequi *Molf. d. c. 20. nu. 7.* dum
hanc ſententiam probabiliorem putat: eo magis,
quia *Coriolan. p. 1. de caſib. reſer. ſec. 1. art. 6.* Ita
teſtatur in quodam Capitulo Generali ſui Ordi-
nis reſolutum fuiſſe: quoniam aliàs Superiores
Regulares per viam indirectam diuerſas reſerua-
tiones ſibi facerent cõtra diſpoſitionem prædicti
decreti, atq; ideo decretũ ipſum redderetur elu-
ſorium contra *tex. in c. ſi Ciuitas, de ſent. excom.*
31 His tamen non obſtantibus, contrariã ſententiam
puto eſſe probabiliorem, quam docet *Suar. de
pœnit. diſp. 29. ſec. 3. in fine*, Dum probabiliter
putat, poſſe Superiorem alicuius domus Regu-
larium excommunicationem addere aliquibus
peccatis in ſupra relato decreto non contentis,
ſiquidem Rom. Pontifex vi dicti decreti prohi-
bet reſeruationem caſus abſque conſenſu Capi-
tuli, non autem excommunicationis: at excom-
municatio non eſt caſus cùm non ſit culpa; ſed
pœna, vt in *c. corripiantur, 23. q. 4.* Confirmatur;
quoniam aliàs ſequeretur, vt Prælati domus ex-
communicationem ferre non poſſint; niſi pro
caſibus in præfato decreto contentis, cùm excom-
municatio, ſiuè per viam legis lata ſit, ſiuè per
viam

Digitized by Google

viam ſententiæ generalis, non poſſit ab alio ſolui,
quàm à proprio Sacerdote, atque ideò à proprio
Prælato, vel eius Superiore, aut ſaltem ab eiuſ-
dem delegato, vt eſt *text. in c. nuper, de ſentent.*
excom Couar. in c. Alma mater, p. 1 §. 12. nu 4.
ver. Secundò, eod. tit. in 6. latè *Sayr. lib 2. Theſ.*
tom 1. c. 19. n. 5. cum plur. ſeq. & Suar. de cenſur.
diſp. 7 ſec 4. cum alijs, quos allegant: quod qui-
dem eſt falſum: nam paſſim videmus à Prælatis
ferri excommunicationem, etiam pro actibus,
qui non ſunt intrinſecè mali. Denique probatur
quoniam aliàs excommunicatio lata à R. admo-
dum noſtro P. Præpoſito Generali, & ſibi reſer-
uata contra extrahentes libros à Biblioteca com-
muni noſtrarum domorum, eſſet nullius mo-
menti non ſolùm quoad reſeruationem; verum
etiam quoad ipſius ſubſtantiam, cùm non fuerit
lata in Capitulo Generali, nec Prouinciali.

32 Nec obſtat, quòd Superiores Regulares per
indirectum diuerſos caſus reſeruare ſibi poſſent
per reſeruationem excommunicationis, cùm non
poſſit quis abſolui à culpa, niſi præmiſſa abſolu-
tione ab excommunicatione; quoniam reſponde-
tur primò quod id eſt valdè accidentarium: aliàs
Regularium Superiorum iuriſdictio nimis re-
ſtringeretur in ferendis cenſuris. Secũdò reſpon-
detur, quòd Superiores Regulares ſi in fraudem
dicti decreti excommunicationem ferrent, &
ſibi reſeruarent, in deſtructionem tenderet po-
tius, quàm in ædificationem talis excommuni-
catio & eiuſdẽ reſeruatio eſſet nullius momenti:
quia facta in fraudem legis non tenent, vt habe-
tur ex *Bart, in l. amplius, ff. rem rat. hab.* ad
quod allegant *text. in l ſi Libertus minorem, ff.*
de iure patr. facit etiam *text. in l. contra legem,*
ff. de legib. & l. non dubium, C. eod. tit. Etenim
cum quid vna via eſt prohibitum, cenſetur etiam
& alia prohiberi, *c. cùm quid, de regul. iur. in 6.*

33 Septimò eſt adnot. quòd non eſt licitum Re-
gularibus Prælatis ſubditorum cõfeſſiones audi-
re, niſi peccatum reſeruatum commiſerint: aut
ipſimet ſubditi ſponte, vel proprio motu id ab eis
expoſtulauerint; ſed in ſingulis domibus iuxta
ſubditorum numerum duo, vel tres, plures, aut
pauciores, doctos, prudentes, ac charitate præ-
ditos deputent, qui à non reſeruatis eos abſoluant
& quibus etiam reſeruatorum abſolutio com-
mittatur, quando caſus occurrerit, & Confeſſa-
rius ſi abſolutionem ſibi debere committi iudi-
cauerit, Superior eam committere tenetur, vt
colligitur ex *d. decreto Clem. VIII. in ver. Non*
liceat: & in ver. Superiores. Vndè conſtat, in
vno tantùm caſu Superiores prædictos poſſe
cogere ſubditos ſibi cõfitendum, nempè quando
culpam reſeruatam contraxerint, per illa eiuſdẽ
decrẽti verba, *Niſi quando peccatum aliquod re-*
ſeruatum admiſerint. Ad cuius rei explicationẽ
34 eſt adnot. quòd ita demum Superiores poſſunt
compellere ſubditos habentes caſus reſeruatos
ad confitendum ipſis, quando in id ſubditorum
emendationem tendere probabiliter ſperarent,
aut ſi peccatum ſit talis ſpeciei, quòd vergat in
commune Religionis, aut alterius tertij detri-
mentum, & ipſi Superiores probabiliter audien-
do eiuſmodi peccatorum confeſſionem credant
poſſe opportunum remedium adhibere, ne reci-
diui efficiantur, vt rectè declarat *Suar. de pœnit.*
diſp. 30. ſec. 4. ſub nu. 5. Quòd ſi Superior, ex de-
legatione caſus reſeruati, probabiliter ſperet ma-
iorem vtilitatem ſubditum fore aſſecuturum, &
grauiora non timeat incommoda, tunc ex debito
iuſtitiæ, ac charitatis tenetur ſuam poteſtatem
delegare: ſiquidem inquit *D. Thom. in 4. d. 17.*
q. 3 art. 3. quæſtiun. 4. ad 6. quòd illi, qui ſunt
nimis ſolliciti, vt conſcientias ſubditorum per
confeſſiones ſciant, multis laqueum damnatio-
nis iniciunt, & per conſequens ſibi ipſis. Hanc
ſententiam docent *Suar. loco citato, Reginald.*
lib. 8 ſuæ prax. n. 43. & ſeq. Conynch. de pœnit.
diſp 8 n. 109 cum ſeq & alij, quos refert *Molfeſ.*
p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 21. n. 37. cum plur ſeq. qui-
bus adde, quæ infra dicemus *ſec. 14. in prin.* Et
id non immeritò; quoniam tenetur Superior ex
vi ſui muneris vti hac iuriſdictione ad bonum
pœnitentis; atque ideò ad ædificationem, non
autem ad deſtructionem.

35 Debet autem Superior præfatis caſibus ſuam
poteſtatem delegare, vbi maximè doctus Con-
feſſarius iudicauerit expedire, vt colligitur ex
illis eiuſdem decreti verbis, *Et quibus etiam re-*
ſeruatorum abſolutio committatur, quando caſus
occurrerit, in quo eam debere committi in primis
Confeſſarius iudicauerit. Et in ſumma id pro re-
gula per Superiorem aſſumi debet, vt facilis po-
tius, quàm difficilis ſit in eiuſmodi delegatione
facienda: ſiquidem moraliter, & per ſe loquendo
minus periculi eſt in ea concedenda, quàm ne-
ganda, vt ait *Suar. ibidem. n. 9* Imò nefas eſt per
Superiorem inquirere à Confeſſario talem de-
legationem expoſtulante aliquas circumſtantias,
per quas deueniri poſſit in cognitionem pœni-
tentis, cùm talis inquiſitio cedat in contumeliam
Sacramenti, eiuſdemq; vſum reddat exoſum: qua
propter Confeſſarius ipſe caueat circumſtantias
eiuſmodi illi aperire, cum tendat in ſigilli viola-
36 tionem. Poteſt tamen Superior explorare Con-
feſſarium ipſum de peccati ſpecie, & de conſue-
tudine peccandi, & de alijs eiuſmodi citra peri-
culum violationis ſigilli, & pœnitentis propala-
tionem, vt habetur ex *Reginal. lib. 8 ſua prax.*
nu 51. & Molf. d. c. 21. num 43 vbi *n. 44.* refert
quoque Decretum Pauli V. anno 1607. cuius
meminit *Coriolan* qui volens pœnitentibus con-
37 ſulere, & aliquorum forte Superiorum indiſcre-
tioni occurrere ita ſtatuit, *Sanctitas ſua deinceps*
declarauit, & declarat, vt ſi huiuſmodi Regu-
larium Confeſſarij caſus alicuius reſeruati fa-
cultatẽ petentibus Superior dare noluerit; poſſent
nihilominus Confeſſarij illa vice pœnitentes Re-
gulares, etiam non obtenta à Superiore facultate
abſoluere. Per illam vicem intelligit ipſe *Molf.*
primam confeſſionem; atque ideò, decretum ait,
non fauere recidiuis: quoniam id aliàs non ten-
deret in bonum pœnitentis, nec Religionis. Sed
re vera hoc modo eiuſmodi decretum *Molf.* in-
terpretando, videtur illud nimis reſtringere:
quòd cùm ſit fauorabile, ei non conuenit per re-
gulam *tex. in c. odia, de regul. iur. in 6.* & prop-
terea per illam vicem, arbitror, decretum
eſſe intelligendum, præuia irrationabili Supe-
rioris renitentia in concedenda delegatione: &
Confeſſario iudicante, talem delegationem pro-
futuram pœnitenti, tunc enim iuxta numerum
renitentiarum irrationabilium poſſet forte Con-
feſſarius abſoluere pœnitentem, maximè ſi caſus
reſeruati in quos deindè incidit, ſint diuerſæ
ſpeciei:

38 ſpeciei: vndè verba illa decreti, *Illa vice*, intel-
ligenda ſunt, poſt irrationabilem Superioris re-
nitentiam. Illud autem circa rem hanc eſt adnot.
quòd in caſibus, in quibus Superior nõ conuenit
ſuam poteſtatem delegare ad abſoluendum à re-
ſeruatis, atque ideò debeat ſubditorum culpas
reſeruatas audire, licèt quidã velint, quod poſſit
reſeruatas tantùm excipere, & eos ab eiſdem ab-
ſoluere: & pro non reſeruatis mittere abſoluen-
dos ad Ordinarium Confeſſarium, vt habetur ex
Molf. loco citato, n. 23. nihilominus hanc ſenten-
tiam veram tunc cenſemus in caſu maximæ ne-
ceſſitatis, nec ſatis eſſe communem negotiorum
multitudinem, quàm Superiores Prælati habere
ſolent, vt latè ſupra oſtendimus, *diſp. 3. ſec. 1.
concl. 5. ampl. 3. verſ. Secundò infertur, & infra
ſec. 14. verſ. Dico ſexto.*

39 Octauò, & vltimò eſt adnot. quòd quamuis
controuerſia ſit inter Doctores, an Superiores vti
poſſint ea notitia, quam de aliorum peccatis in
confeſſione habuerunt, ad exteriorem guberna-
tionem; hodie tamen determinata eſt cõtrouerſia
prædicta per ſupra relatum Decretũ Clem. VIII.
his verbis, *Tam Superiores pro tempore exiſten-
tes, quàm Confeſſarij, qui poſtea ad ſuperiorita-
tis gradum fuerint promoti, caueant diligenter,
ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in con-
feſſione habuerunt ad exteriorem gubernationem
vtantur.* His igitur adnotatis, deuenit ad expli-
cationem ſingulorum caſuum in dicto decreto
contentorum, quos Regulares reſeruare ſibi
poſſunt.

Explicatio ad primum caſum.

40 EST autem primus caſus veneficia, incanta-
tiones, ſeu ſortilegia. Pro cuius rei expli-
catione eſt adnot. quòd veneficia alio vocabulo
dicuntur maleficia; quæ non tantùm veneno ad
necem alicuius fiunt; verum etiam quibuſdam
adhibitis incantationibus, vt in *l. 1. cum plur.
ſeq. C. de Maleſic. & Matematic.* A veneficijs
enim, ſeu maleficijs deriuantur venefici, ſeũ ve-
nenarij, & malefici, vt in *l. capitalium, §. vene-
nary, ff. de pæn.* His ſimiles ſunt Magi, ſeu Ne-
cromantici, qui à Magia ita dicuntur, per quam
mirabiles effectus ſupra eorum naturalem facul-
tatem operantur. Non quòd Magi ſint, qui ope-
rentur; vel quòd Magia imperium aliquod ha-
beat ſuper dæmones, quibus imperet, ipſoſque
compellat; ſed ipſi dæmones ſunt, qui ad Mago-
rum imperium mirabiles producũt effectus, fin-
gentes eorum imperio cogi, vt magis decipiant.
Sub ijs quoque comprehenduntur omnes alij
ſortilegi, ac incantatores, enunciantes, quæ na-
turaliter cognoſci nõ poſſunt: ſiue per expreſſam
ſiuè per tacitam dæmonum inuocationẽ id agant;
nempè per ceræ, aut plumbi liquefactionem,
per ſitus, & motum aſtrorum, taxillorum emiſ-
ſionem, aliquarum cartularum deſcriptionem,
animalium garritum, auium volatum, per figu-
41 ras, & ſigna corporis humani. Hinc eſt quòd
quando Dæmon inuocatus reſpondet per fictas,
& apparentes figuras, illa diuinatio dicitur præ-
ſtigium: quando per ſomnia: diuinatio ſomnio-
rum: quando per arreptitios, diuinatio per phy-
tones: quando per ſtatuas, & corpora terreſtria
appellatur geomantia: quando per figuras in
aquis apparentes, idromantia: quando per figuras
aereas, aeromantia: quando per ignem, pyro-
mantia: quando per interiora animalium, auſpi-
cium: & denique quando reſpondet Demon per
mortuorum ſuſcitationem, vocatur necromantia:
non quòd mortui Demonum opera verè ſuſci-
tentur; cùm id niſi ſola Dei virtute effici valeat;
eo quòd de priuatione ad habitum non datur re-
greſſus; ſed quoniam ipſe Dæmon aſſumendo
corpus; fingit ſe eſſe talem mortuum ſuſcitatum.

42 Hi perditi homines aliquando errorem habent
in intellectu fidei catholicæ contrarium, vt ſi
putent Dæmones eſſe diuino cultu dignos, ope-
rari aliquid poſſe, Deo non permittente: ſi ſpe-
rent ab eis bonum aliquod poſt mortem aſſecu-
turos, &c. Et iſti ſunt formaliter hæretici, & gra-
uius puniuntur, quàm hæretici: ſiquidem non
relaxi ſi reſipiſcant, non plectuntur pœna vltimi
ſupplicij, vt in *c. commiſſi*, & ibi Doctores, *de
hæret. in 6.* At verò Malefici, & incantatores
quantumuis pœniteant, pœna mortis afficiuntur,
vt habetur ex authore *Mall. Maleſic. 14. in fin.*
Imò tanquam hæretici incidunt in excommuni-
cationem Bullæ Cœnæ, & de iure ciuili concre-
mantur, vt in *l. nullus, C. de Maleſic.* Quòd ſi
nihil eorum quæ ſupra diximus credunt, cùm
errorem non habeant in intellectu, non ſunt hæ-
retici quoad ſorum interius, nec ſunt excommu-
nicati excommunicatione in Bulla Cœnæ con-
tenta; ſed incidunt in excommunicationem
Ioan. 22. quæ habetur in *Direct. Inquiſ. p. 2. q.
45.* & inſuper capitali pœna puniuntur, vt in *d. l.
capitalium, ff. de pæn. & in d. l. nullus, C. de
Malef.* & nos latè de his omnibus egimus in
noſtris *Commentar. in Bull. Cœna lib. 2. can. 1.
q. 22. à nu. 32. vſque ad fin.* Sed quia ſub vene-
ficijs, incantationibus, & ſortilegijs includuntur
præfatæ, & omnes aliæ incantationes, & ſuper-
ſtitiones, nec non aſtrologia iudiciaria, idcircò
vi dicti decreti Clem. VIII. poſſunt Superiores
Regulares omnes ſuperſtitionum ſpecies ſibi re-
ſeruare; exceptis tamen ijs, quæ hæreſim habent
annexam: nam cùm hæ ſint caſus contenti, & re-
ſeruati in Bulla Cœnæ Domini, fruſtra reſer-
uantur.

Explicatio ad ſecundum caſum.

43 SEcundus caſus, qui à Regularibus reſeruari
poteſt, eſt apoſtaſia, non à fide, nec ab obe-
dientia, ſeù ab ordine, de quibus latè egimus,
lib. 2. in Bulla Cœna, can. 1. q. 13. 14. & 15. Sed
apoſtaſia à Religione, vt patet ex illis Decreti
verbis, *Apoſtaſia à Religione.* Eſt autem apoſtaſia
à Religione triplex; nempè interna tantùm, cùm
Religioſus licèt corpore in Conuentu perma-
neat; animum tamen habet redeundi ad ſæcu-
lum. Et hæc licèt apud Deum formaliter dicatur
apoſtaſia à Religione, cùm Deus corda reſpiciat,
& ſcrutator ſit cordium, vt in *c. ſi quid inueniſti,
14. q. 5.* non tamen caſus eſt, qui à Regularibus
reſeruari poteſt: ſiquidem apoſtaſia à Religione,
vt à Superioribus Regularibus reſeruari valeat,
egreſſionem exigit extra conuentus, ſeù mona-
ſterij ſepta, ob illa decreti verba, *Quando eò per-
uenerit, vt extra ſepta monaſtery, ſeu conuentus
fiat egreſſio.* Et id ſiuè habitum dimiſerit, ſiue
non, vt colligitur ex eiuſdem verbis, *Siuè habitu
dimiſſo, ſiuè retento.* Eſt tamen verum, quòd in-
ternus apoſtata licèt talis eſſe nõ cenſeatur quoad
Eccleſiam, quæ non iudicat de internis; nihilo-
minus ſi habitum dimittat, apud Eccleſiam quoq;

cenſetur apoſtata, vt habetur ex *Farin. de hæreſi, q. 183. §. 6. nu. 7.* Etenim à Religione verè dicitur
44 recedere, qui habitum aſſumptæ Religionis dimittit: & id apertè videtur colligi ex prædicti decreti verbis: nam dum illam apoſtaſiam dumtaxat ſtatuitur, poſſe à Regularibus reſeruari, quę egreſſionem è monaſterio coniunctam habeat, conſequenter videtur velle, apoſtaſiam apud Eccleſiam dici quoque eum committere, qui aſſumptæ Religionis habitum dimittit, & à Religione non receſſit: quia ſi quis per egreſſum ſolum à monaſterio diceretur apoſtata apud Eccleſiam, & non etiam per ſolam dimiſſionem habitus, fruſtra decretum ipſum egreſſionem expreſſiſſet. Vndè dimittens habitum, & in conuentu adhuc permanens, licèt in caſum reſeruatum non incidat; poteſt tamen per Eccleſiaſticam cenſuram compelli ad reaſſumendum habitum: & inſuper alligatur excommunicatione contenta in *c. vt periculoſa, ne cler. vel mon. in 6.* ſiquidem habitus adeò debet eſſe annexus monacorum oſſibus, vt in quocunq; loco conſiſtant, vti eo debeant, vt in *c. vidua, 20. q. 1. & c. ſanctimonialis 23. d.* Imò non deſunt, qui velint, quòd
45 Religioſus, ſeù tãtùm Clericus, qui monacalem, ſeu clericalem habitum non defert in cella, in balneis, aut in alio loco ſecreto, adhuc prędictam excommunicationem contrahat. Quod quidem falſum eſſe rectè probat *Farinac. loco citato, nu. 80. & 81.*

46 Datur quoque apoſtaſia à Religione externa tantum, qua quis licet corpore à Religione recedat; animum tamen habet redeundi ad propriam, vel ingrediendi aliam Religionem: qui quidem Religioſus cùm non ſit re vera apoſtata, vt habetur ex *Panor.* & ex alijs in *c. fin. de Regular.* & nos latè in noſtris *Comment. ad Bull. Cœna, c. 1. q. 18. ſub nu. 17.* Non incidit in caſum reſeruatum; cùm vi dicti decreti apoſtaſiam à Religione ſtatuatur à Regularibus poſſe reſeruari; atque ideò exterior ſola apoſtaſia, cùm in eo non exprimatur, non comprehenditur: ſiquidem caſuum reſeruatio eſt ſtricti iuris, & caſus non expreſſus non includitur, ſicut nec dubius, & æquiuocus præſumitur reſeruatus, vt poſt alios probat *Molfeſ. par. 1. ſua ſum. tract. 7. cap. 20. num. 21.* Vndè malè fortè putat idem *Molf. loco citato, nu. 31.* apoſtatam externum dumtaxat, licèt quoad Deum non dici apoſtatam atque ideò in foro conſcientiæ; in foro tamen exteriori, & apud Eccleſiam cenſeri talem, & incidere in caſum reſeruatum, id enim verum eſſe dicimus cum egreſſio è monaſterio fiat de nocte, vt dicemus in ſeq. caſu, & diximus in noſtris *Commentar. in Bulla Cœnæ, d. c. 1. q. 17. nu. 9.* Vel non conſtat de animo ingrediendi Religionem aliam, aut redeundi ad propriam, cùm præſumatur animo apoſtatandi è conuentu receſſiſſe, cùm talis receſſus ſit malus, vt in *l. ſi conuicij, C. de iniur. c. 1.* & ibi *Panor. & alij, de præſump. Felin. in c. ſi autem, nu. 1. & 2. de reſcr. & Alex conſ. 103. nu. 13.* cum alijs, quos allegat: & ita arbitror eſſe intelligendos Doctores, quos pro ſua ſententia allegat ipſe *Molfeſ.* Secus autem ſi per legitimas probationes, aut ſufficientia indicia conſtet de animo eiuſmodi Religioſi, vt quia dixerit coram teſtibus, ſe recedere à Monaſterio animo ingrediendi aliam Religionem, & id poſt eius egreſſum ſemper proteſtaſſe, &c. eiuſmodi: tunc enim puto, præfatum Religioſum non ſolùm in foro conſcientiæ, ſed nec quidem in foro exteriori caſum reſeruatum contraxiſſe. Venit tamen iſte talis grauiter puniendus in foro exteriori tãquam inobediens, maximè ſi ex libidine efficiatur vagus, & fugitiuus. Imò etiam ſi prætextu grauaminis ab eius Superiore citra licentiam Romam ſe conferat, ad eiuſdem Superiores remittitur grauiori pœna plectendus: nam ſi grauetur Monachus à priore, recurſum habere debet ad Prouincialem, & ab eo ad Generalem, iuxta decretum Sacræ Congregationis, relatum à *Steph. Quara. in ſum. Bullar. ver. Monaſteria, & Conuentus, & Molf. ibidem, nu. 36. & 39.*

47 Datur denique apoſtaſia à Religione interna, & externa ſimul, qua quis animo, & corpore Religionem deſerit, & Monaſterium egreditur; & iſta eſt vnus ex dictis vndecim caſibus, quos vigore præfati Decreti Clem. VIII. Regulares reſeruare ſibi poſſunt, ſiuè habitus dimittatur, ſiuè retineatur, vt ex ipſo decreto clariſſimè patet Quòd ſi eiuſmodi apoſtata habitũ dimittat, vltra caſum reſeruatum, quem contrahit, incidit quoq; in excommunicationem contentam in *c. 3. de Apoſtat. & c. 1. de tempor. ord. in 6.* & latè *Molf.* poſt alios in *d. c. 20. nu. 32.* vbi *nu. 33.* id limitat, ſi à Superiore licentiam impetrauerit ingrediendi Religionẽ laxiorem, & *nu. 34.* ſi cum licentia ſui Prælati extra Monaſterium degeret ad ſubueniendum parentibus. Quæ diximus de Regu-
48 laribus, & Monacis extendimus ad Moniales: nam Moniales etiam exeuntes ab ipſarum Monaſterio citra Superiorũ licentiam, poſſunt effici apoſtatæ, & caſum reſeruatum incurrere. Quamuis Moniales tertij Ordinis S. Franciſci, & Diui Dominici, cùm non emittant votum ſolemne; ſed tantum ſimplex peccent tantum mortaliter exeundo à Religione, quam vouerunt; nõ autem ob id dicantur apoſtatæ ſaltem formaliter: quod quidem quomodo verum ſit latè tractauimus in *d. noſtris Comment. d. q. 17. nu. 25. cum alijs ſeq. & in c. 15. q. 3. in addit. litt. D. fol. 532. & 533.* Vbi etiam egimus de profeſſis noſtræ Religionis, an, & quando excommunicationem contrahant à Religione recedentes, etiam ſi ad arctiorem ſe conferant abſque noſtrorum Superiorum facultate, & de nonnullis alijs ad hanc materiam ſpectantibus.

Explicatio ad tertium caſum.

49 TErtius caſus eſt nocturna, ac furtiua è Conuentu egreſſio, etiam ſi apoſtatandi non concurrat animus, vt ex eodem Decreto conſtat in illis verbis, *Nocturna, & furtiua, &c.* Quocirca ad incurrendum huiuſmodi caſum tria copulatiuè requiruntur. Primò, vt egreſſio fiat extra ſepta Monaſterij, ſeù Conuentus. Septa autem Monaſterij dicuntur fines, quibus terminatur eiuſdem clauſura. Eiuſmodi ſunt muri Conuentus, ſeù Monaſterij, & eiuſdem Eccleſia: item hortus conuentui adhærens, muro, vel etiam ſæpè circum ſæptus, vt habetur ex *Coriol. de caſib. reſer. p. 2. caſu 3. §. quoad tertium.* Includitur denique in clauſura quoad rem noſtram attinet, Sacriſtia, ac Cæmeterium, & aliæ domus, Conuentui maximè adhærentes, & ipſius vſui deſeruientes; niſi aliter fuerit à Superioribus declara-

claratum, aut conſuetudine introductum: nam
ad Superiores præcipuè declarare pertinet, locũ
aliquem ad monaſterij clauſuram pertinere, vt
habetur ex *Molſ. d. c. 20. nu. 38. & 41.* Vndè is
dicitur è Monaſterio, ſeù à Conuentu exire ad
contrahendum caſum reſeruatum, qui ab omni-
bus prædictis locis ſimul ſumptis egreditur: quia
omnia illa loca quoad rem noſtram attinet, ad
clauſuram ſpectant.
50 Dixi, *Quoad rem noſtram attinet*, atque ideò
ad incurrendum caſum reſeruatum iuxta ſupra-
dictum decretum Clem. VIII. quoniam Eccleſia,
Sacriſtia, & Cœmeterium non includuntur in
clauſura, ad effectum, vt mulieres citra cenſu-
ram loca ipſa ingredi poſſint, etiam ſi per hor-
tum oporteret eas pertranſire; niſi hortus ipſe
per Superiores, aut conſuetudine fuerit in clau-
ſura computatus: quoniam eo caſu ſi Sacriſtiam,
vel Cœmeterium mulieres adire nequant, quin
per hortum, aut dormitorium tranſeant, citra
cenſuram loca prædicta non poſſunt ingredi. Eſt
51 tamen verum, quòd ſi aliqui Religioſi bona fide
permitterent mulieribus Monaſterij clauſuram
intrare, nec ipſæ mulieres, nec permittentes ex-
communicationem contraherent; etiam ſi id age-
rent ex ignorantia craſſa: quoniam ad dictam
excommunicationem contrahendam oportet, vt
præſumptio interueniat in ingrediendo, & in
admittendo mulieres ad Conuentus, ac clauſuræ
ingreſſum, vt patet ex extrau. Pij V. quæ incipit
Regularium perſonarum, edita ſub anno 1566.
& relata de verbo ad verbum à *Rodriq. tom. 1.
qq. Regul. q. 48.* dum in prohibitione ingreſſus ad
Monaſteria per mulieres, vtitur verbo, *audeant*,
& reſpectu permittentium eas ingredi, vtitur
verbo, *Præſumant*, & propterea non ſolùm ſi ve-
nialiter peccarent ex ſocordia, vt ipſe *Molſeſ. d.
c. 20. nu.* 40. arbitratur; ſed etiam ſi mortalem
culpam cõtraheret propter ignorantiam craſſam,
aut latam culpam, ab eiuſmodi excommunica-
tione excuſarentur: quia vbi canon ad contra-
hendam cenſuram, aut aliam pœnam exigit præ-
ſumptionem, auſum, vel ſcientiam, ignorantia
craſſa, imò etiam affectata excuſat contrauenien-
tes, vt habetur ex *Sanch. de matr. lib. 9. diſp. 32.
nu. 36. 37. & 38. & lib. 2. Decal. c. 10. nu. 38. in
fine*, & nos latè *lib. 2. noſtr. Comment. in Bull.
Cœnæ, can. 1. q. 36. 37. & 38.* Adde hìc etiam id
quod habetur ex eodem *Rodriq. tom. 1. qq. moral.
q. 47. art. 11.* quem refert *Molſ. loco citato, nu. 42.*
52 Nempè, quod mulieres ingredientes virorum
clauſtra; aut viri Monialium monaſteria in caſi-
bus permiſſis, completo negotio, non tenentur
mox egredi; ſed poſſunt quoque ex curioſitate
omnes monaſteriorum officinas videre: ſiqui-
dem communis conſuetudo ita ſe habet, & ratio-
nabilis exiſtimatur, etiam à timoratis conſcientiæ
53 viris. Secundò requiritur ad incurrendum præ-
fatum caſum reſeruatum vi dicti decreti, vt
egreſſio è monaſterio ſit nocturna; quæ tunc
propriè dicitur, quando ſtellæ, aut luna lucent:
& multo magis ſi à nubibus impeditæ non lu-
ceant; quoniam tunc egreſſio illa fit in nocte.
Hinc fit, quòd ſi egreſſio eiuſmodi fiat in veſpe-
ro, aut in diluculo, caſus non incurritur: quo-
niam veſperum, & diluculum propriè nox dici
non poſſunt; ſed extrema noctis, atque ideò diei
potius, quam nocti aſcribuntur, vt poſt alios
oſtendimus in dictis noſtris *Comment. ad Bull.
Cœnæ, can. 1. q. 17. ſub nu. 14.* Tertiò, & vltimò, vt
54 caſus prædictus contrahatur, exigitur, quòd è
Conuentu egreſſio ſit non tantùm nocturna, ve-
rùm etiam furtiua, nempè occulta, ac inſcio con-
uentus Superiore. Furtum enim à furuo, ideſt
nigro deriuatur, ex eo quòd plerumq; de nocte
fiat: nam qui malè agit, odit lucem, *c. conſuluit,
de offic. deleg.* Deriuatur etiam furtum à furuo,
quoniam clam, ac occultè committitur, vt in
l. 1. ff. de furt. & l. clam, ff. de acquir. poſſeſſ. ſeù
à fraude, vel ferendo, vt in *d. l. 1. & §. furtum, in
Inſtit. de obligat.* quæ ex delicto naſcuntur. Vndè
furtiua, ſeù occulta dicitur egreſſio, quæ probari
non poteſt per duos ſaltem teſtes, vt habetur ex
*Soto de rat. tegen. memb. 2. & Molſ. poſt alios, d.
c. 20. nu. 47.* Exiguntur igitur ad incurrendum
hunc caſum tria, nempè quòd egreſſio fiat è mo-
naſterio: de nocte: & quòd ſit furtiua, ita vt ſi
vnum ex dictis deſit, caſus non contrahatur: quo-
niam decretum vtitur copula, &, cuius natura
eſt copulare, & exigit concurſum omnium copu-
latorum, *l. ſi hæredi*, & ibi *Gloſa, ff. de condit.
inſtit.* & nos latè in dictis noſtris *Comment. lib.
2. can. 16. q. 6. nu. 7.*

Explicatio ad quartum caſum.

55 QVartus caſus eſt proprietatis lethale crimen
vt ex illis præfati Decreti verbis patet, *Pro-
prietas contra votum paupertatis, quæ
ſit peccatum mortale.* Vndè ad incurrendum eiuſ-
modi caſum duo cupulatiuè expoſtulantur. Pri-
mò proprietas cõtra votum paupertatis: ſecundò
quod proprietas ſit culpa lethalis. Circa primum
eſt adnotandum, quòd proprietas idem denotat,
quod dominium, quod eſt ius perfectè diſpo-
nendi de re, niſi lege prohibeatur, vt in *l. natu-
raliter, §. nihil commune, iuncta l. ſi quiſ ui, §.
differentia*, & ibi *Bart. & alij, ff. de acquir. poſſ.*
Differt autem dominium, ſeu proprietas ab vſu-
fructu, & vſu, ac vſu ſimplici: nam qui rei habet
dominium, ſeù proprietatem, poteſt de ea diſpo-
nere, & eſt moderator, & arbiter, vt in iuribus
ſupra citatis, & in *l. in re mandata, C. mand.*
Vſusfructuarius verò de ſolis rei fructibus di-
ſponit: Vſuarius de rei fructibus diſponit ad
ſuum tantum vſum, ita vt nec donare, nec locare
poterit aliquid ex eis. At vſus ſimplex conſiſtit in
facto, & hunc habet ſeruus ſuarum veſtium, vt
in *l. veſtimentum, ff. de pecul.* eundem vſum ha-
bet monachus in eo, quod veſtit, & comedit, *c.
exijt, §. porrò, & §. ad hæc, de verb. ſignif. in 6.*
Dixi, quòd vſus ſimplex conſiſtit in facto, ad
differentiam vſusfructus, & vſus, qui ſunt iura,
vt in *§. 1. in Inſt. de vſufr. & §. 1. de vſu, & habit.*
Differt quoque dominium, ſeù proprietas à poſ-
ſeſſione: nam dominium, ſeù proprietas eſt ius
perfectè diſponendi, vt ſupra diximus: poſſeſſio
verò eſt ius inſiſtendi rei non prohibitæ poſſi-
deri: quæ quidem poſſeſſio differt à ſimplici de-
tentione, nam prior eſt ius, cuius eſt incapax
ſeruus: poſterior verò eſt factum, cuius eſt capax
ſeruus, vt in *l. ſtipulatio iſta, §. hæc quoque ſtipu-
latio, ff. de verb. oblig.* Etenim ait *tex.* ille, quod
habere dupliciter dicitur. Nam, & eum habere
dicimus, qui rei dominus eſt: & eum qui domi-
nus quidem non eſt: ſed tenet. Regulares igitur
56 incapaces ſunt rei dominij, ac proprietatis, eiuſ-
dem vſusfructus, ac vſus, & poſſeſſionis, quate-

nus iura ſunt: ſiquidem per votum paupertatis bonis omnibus renunciant, quæſitis, & quærendis, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 186. art. 3. & 6.* Rei autem ſimplicis vſus, ac adminiſtrationis, & ſimplicis detentionis, ſicut ſerui capaces ſunt, ita etiam Regulares, qui tria vota in Relig one à Sede Apoſtolica approbata emiſerunt, vt in *c. monachi in fine, de ſtat. monac.* latè *Nauar. in c. cui portio, nu. 15. 12. q. 1.*

57 Abdicatio proprietatis, ſeù proprij quoad dominium, & proprietatem, quoad veram poſſeſſionem iuris, &c. adeo eſt Monachali regulæ annexa, vt contra eam nulla cadat diſpenſatio, vt in *c. cùm ad monaſterium in fine, de ſtat. monac.* Etenim in voto caſtitatis quamuis Rom. Pontifex ex cauſa valeat diſpenſare; ſicut de facto diſpenſauit Cæleſtinus III. vt Henricus Imperator in vxorem duceret Conſtantiam monialem, Regis Siciliæ filiam, vt teſtatur *Rom. ſing. 596. & Mart. de iuriſd. p. 4. q. 79.* vbi recenſet quamplurimos alios caſus conſimiles; nihilominus in voto paupertatis diſpenſare nequit, atque ideò, vt monachus proprium habeat quoad dominium, & proprietatem, & quoad alia, quorum diximus ſupra Religioſos eſſe incapaces: ſiquidem contra votum paupertatis non poteſt dari legitima diſpenſandi cauſa, cum omnia ſaluari poſſint concedendo monaco rerum detentionem vſum, & adminiſtrationem, quorum capaces eſſe Regulares
58 ſupra oſtendimus. Imò ipſe Rom. Pontifex ex Religioſis aſſumptus, & multo minus Epiſcopi Religioſi poſſunt habere proprium quoad dominium, & proprietatem; ſed quantum quoad rei ſimplicem vſum, ac detentionem, & adminiſtrationem, vt latè probat *Nauar. in c. non dicatis, ſub nu. 17. 12. q. 1.* Proprietatis, vt ſupra abdicato adeò eſt Religioni annexa, vt Regularis non ſolùm peccet habens, aut volens habere propriũ, vt in *c. vouentibus, 17. q. 1.* verùm etiam citra culpam rem aliquam ad ſimplicem vſum ſibi traditam, ſuam dicere non valeat, inquiens, veſtis mea, cella mea, mula mea, &c. Sed prædictas res, quarum vſum habet, communi locutione nuncupare debet, dicens veſtem noſtram, cellam noſtram, mulam noſtram: tum quia mentitur, cùm ſciat, ac ſcire debeat, nihil eſſe ſuum, & omne mendacium eſt peccatum, *c. primum 22. q. 2. & c. ſuper eo de vſur.* tum etiam quoniam contrauenit præcepto, *c. non dicatis, 12. q. 1.* vt per *Archid. Turrecr.* & alios ibidem.

59 Circa ſecundum requiſitum ad incurrendum caſum, de quo agitur; nempè quod proprietas ſit culpa lethalis eſt adnot. quòd quamuis *D. Anton. 3. p. tit. 16. c. 1. §. 11. & Gerſ. alphab. 34. litt. 5. dub. 3.* velint, proprietatem etiam rei minimæ contra votum paupertatis, eſſe lethalem culpam, atque ideò non dari in hac re culpam lenem, niſi ob imperfectionem actus; nihilominus in contrarium eſt communis ſententia; quoniam paruitas materiæ in omni actu excuſat à mortali peccato, vt habetur ex *Rodriq. tom. 3. Regular. qq. q. 29. art. 10. & 11.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Molſ. p. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 20. nu. 44.* Sola igitur difficultas de quantitate, ac valore rei quam ſibi appropriat Religioſus, an & quando ſit leuis, aut grauis culpa. In qua re quidam putant proprietatem vnius argentei, eſſe mortalem culpam: ita *Cord. de caſib. q. 199. pun. 2. & Nauar. in c. fin. 14. q. 6. nu. 11. & 12. & lib. 3. conſ. tit. de Regular. conſ. 65. nu. 18. & 19.* Ad inſtantiam Ordinis Carthuſienſis habito, dum ait, quòd hodie, quia multum abundauit pecunia numerata, neque furtũ, nec appropriatio quartæ partis regalis, ſeù Iulij: imò nec vnius integri Iulij, ſeù regalis, eſt culpa lethalis; niſi ex Religionis ſtatuto excommunicationem habeat annexam. *Couar.* autem *lib. 1. var. reſol. c. 3. nu. 18.* inquit, quòd furari, at retinere ſibi Gallinam contra voluntatem domini eſt lethalis culpa, cùm pro ea detur actio furti. *Sot.* denique *lib. 5. de Inſt. & iure, q. 3. art. 1. ad 3.* arbitratur, nec quatuor quidem regalium numerum eſſe peccati mortalis materiam. Nos verò in hac difficultate ita diſtinguendum putamus, iuxta ea, quæ habentur ex *Sayr. lib. 9. Clau. Reg. c. 15. nu. 14.* & ex alijs apud *Molſ. d. c. 20. nu. 87. & 88.* Quòd aut agitur de Monaſterijs adeo pauperibus, vt in eo rigorosè ſeruetur paupertas: aut tractatur de Monaſterijs diuitibus, ac opulentis, ſeù etiam communibus. Proprietas igitur lethalis in Monaſterijs primi generis, puto, quòd ſatis ſit duorum Iuliorum: ſiquidem, ſtante eorum paupertate, grauiter videntur damnificari in duobus Iulijs. At in monaſterijs ſecundi generis ad peccatum mortale non exigitur minor proprietas quatuor, aut quinque Iuliorum. Etenim hodie in Europa præſertim eſt magna pecuniarum copia: & non eſt veriſimile, Deum velle damnare Religioſum ad pœnas æternas pro re parui momenti; niſi aliæ maioris nocumenti circumſtantiæ concurrant, per ea, quæ cumulat *Sayr. loco citato, nu. 13.* & hanc ſententiam tenet etiam *Rodriq. d. q. 29. & Molſ. d. c. 20. nu. 88.* vbi etiam *nu. 93. & Valent.* & alijs, inquit, quòd proprietas quatuor, aut quinque Iuliorum in monaſterijs communibus, & duobus in pauperibus, eſt lethalis culpa, ſiuè Religioſus quantitatem illam ſimul acceperit; ſiuè paulatim: quia vltima ſumma, quamuis minima complet notabilem quantitatem, quæ ex ſuo genere ſatis eſt ad conſtituendam proprietatem lethalem, ad quod facit *tex. in c. fin. 14. q. 6.* in illis verbis, *Nihil refert paulatim, vel ſimul quemquam ſpolies, vel interimas.*

60 Ex dictis igitur conſtat, quòd Religioſus profeſſus, accipiens, retinens, ſeù appropians ſibi aliquid citra licentiam tacitam, vel expreſſam ſui Prælati, in crimen proprietatis incidit, atque ideò mortaliter peccat, ſi notabilis ſit quantitas, & in caſum reſeruatum incurrit.

61 Ampliatur primò hęc concluſio, vt vera ſit non modo ſi rei appropriatio ſit quoad dominium, & proprietatem, vel quaſi; ſed etiam quoad vſum, & adminiſtrationem: ſiquidem Religioſus, nec dominium quidem habet veſtium, quibus induitur, cùm ſe habeat ad inſtar ſerui, *l. ad veſtimentum, ff. de pecul.* Vndè quemadmodum ſeruus vſum habet veſtium ad libitum Domini, à quo conceduntur; ita quoque Religioſus in tantum re aliqua vti poteſt, in quantum à Superiore ſibi conceditur; atque ideò in ea re vſum dumtaxat habet, ideſt ius vtendi ea ad libitum concedentis; non autem fruendi: & ſic illius rei vſum, non vſufructum habet, ita vt vltra neceſſitatem, reſiduum donandi, aut in eleemoſynam erogandi facultatem non habeat; etiam ſi eſſet de bonis paternis; quoniam omnia ſunt monaſterij, cui

reci-

Digitized by Google

recipiens tenetur reſtituere, niſi eorum indigeat, vt in *d. c. non dicatis*, & ibi *Nauar. nu. 44. 12. q. 1. Syl. ver. Religio, 6 q 7. & Rodriq. d. q. 29. art. 10. concl. 3.* Imò etiam ſi ſubditus reſiduum donandi facultatem obtineat à Superiore; tenetur facultate huiuſmodi rationabiliter vti: aliàs irrationabiliter donans peccat, & recipiens ex turpi cauſa ad reſtituendum illud ipſi monaſterio efficitur obnoxius, vt per *Syl. loco citato*, & patet ex ijs, quæ infra dicemus, *tom. 2 § 3 diſp ſec. 4. illat. 2. verſ. Sed quicquid ſit de hac re.* Quod diximus
62 de ſubdito, extendimus quoque ad Superiorem. Etenim Superior non poteſt monaſterij bona in quoſuis vſus expendere, *c. nullam, 18. q. 2. c. edoceri, de reſcr.* eo quòd bonorum monaſterij non eſt dominus, ſed tantùm adminiſtrator, *c. fraternitatem, de donat.* atque ideò tenetur in eos tantùm vſus diſtribuere, in quos fuerint deſtinata, vt per *Nauar. in d. c. nullam, nu. 6. & Rodriq. loco citato, concl. 2.* Idem dicendum eſt de Religioſis aſſumptis ad Epiſcopalem dignitatem. Hi enim licet creentur Epiſcopi; non tamen cenſentur à paupertatis voto abſoluti, ſicut nec à continentiæ voto; quia nihil debent habere tanquam proprium, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 188. art. 3.* quem refert, & ſequitur *Syl. in ſum. in ver. Religio 6. q. 10.* Nec Rom. Pontifex conce-
63 dendo Epiſcopis Religioſis poteſtatem teſtandi, cenſetur cum ipſis diſpenſare in voto paupertatis: nam, vt ſupra oſtendimus, ſicut ipſe Pontifex ſecum diſpenſare non valet in eiuſmodi voto, cùm non poſſit adeſſe legitima diſpenſandi cauſa; ita non poteſt diſpenſare cum Epiſcopis Regularibus; ſed facultas teſtandi intelligitur conceſſa citra violationem voti paupertatis, nempè, vt illa rationabiliter vtantur, diſponendo in beneficium pauperum; quorum bona Eccleſiaſticorum ſunt: ſiquidem quicquid habent Clerici, pauperum eſt vt in *c. quoniam quicquid, 16. q. 1.* à quibus non excluduntur pauperes conſanguinei, & affines ipſorum diſponentium. Vndè tuti in conſcientia proculdubio non eſſent Epiſcopi regulares, qui vigore dictæ facultatis ad eorum libitum, bonorum quæ poſſident, diſponerent, ac ſi proprium haberent quoad dominium, & proprietatem ad inſtar Sæcularium, legantes ea perſonis non indigentibus, & quibus probabiliter credant eoa malè vſuros; ad ludos ſcilicet, ad crapulam, &c. Et id etiam ſi tractetur de bonis patrimonialibus aut ex proſpera fortuna quouis titulo acquiſitis. Etenim Regulares quicquid acquirunt monaſterio acquirunt, cùm rerum proprietatis, ac dominij ſint omninò incapaces. Vide quæ infra adnotauimus, *diſp. 15. ſec. 4.*

64 Secundò ampliatur hæc eadem concluſio, vt Religioſus, bona habens ſibi ad certos, ac determinatos vſus à Prælato conceſſa, in alios vſus non poteſt conuertere citra Superioris permiſſum, aliàs in proprietatis culpam incideret: & ſi res eſſet notabilis, lethalem culpam contra paupertatis votum, & reſeruatum caſum contraheret, iuxta ea, quæ habentur ex *Nauar. in cap. cui portio, 12. q. 1. nu. 23. & Rodriq. d. art. 10. concl. 4.* Quod quidem non minus locum ſibi vendicat in procuratoribus, ſeù Economis, & alijs adminiſtratoribus bonorum monaſterij, ſi in alios vſus, quàm à Superioribus bona ipſa deputata ſunt, expendant; ſiquidè iſti quoque mortaliter peccant, vt habetur ex *D. Thoma 22. q. 32. art. 8. Gloſa in Clem. 2. §. Sed & talis, de vita, & honeſt. Cler. & Rodr. loco cit. concl. 1.* Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 4. ſua ſum. tract. 5. cap. 7. nu. 9. & 10.*

65 Tertiò ampliatur, vt Religioſus non ſolùm in proprietatis crimen incidat, appropriando ſibi bona monaſterij; ſed etiam appropriando ſibi bona ab aliquo extraneo, vel cōſanguineo eidem tradita. Etenim Religioſus non poteſt aliquid conſequi, vel adipiſci ab alijs aliquid notabile citra Superioris permiſſum, vt habetur ex *Nau. in d. c. non dicatis, nu. 16. & Rodriq. d. art. 10. concl. 6.* vbi id probat ex *tex. in d. c. cùm ad monaſterium, de ſtatu monac.* Siquidem monachus quicquid acquirit, monaſterio acquirit. Vndè ſi ſimpliciter vſusfructus monaco relinquatur, poteſt Abbas illum ei auferre, vt in *auth. ingreſſi, C. de Sacroſanc. Eccl. & c. 2. de ſtatu monac. & Syl. in ſum. in ver. Religio 6. q. 7.* Imò Religioſo non poteſt aliquid donari, aut legari, vt illud independenter habeat à Superiore; quoniam id eſſet contra votum paupertatis: & ſi legans, aut donans, pœnam adijciat in caſu contrauentionis, pœna ipſa haberetur pro non adiecta: nam pœnæ conſtitutio ſuper facto impoſſibili de iure, vel de facto, eſt nullius momenti, *l. cerdonem, ff. de oper. liber. l. 1. C. de his, quæ pœna nomine, & Syl. loco citato.* Vndè ſi legatum fiat Religioſo, vt ſit ſolùm ipſius, & nihil acquiratur monaſterio; tunc legatum ipſum hanc interpretationem recipit; vt Religioſus ſcilicet, relictum eiuſmodi habeat conniuentibus oculis Prælati; ideſt ad eiuſdem Prælati beneplacitum: qui ſi nollet licentiam illi tribuere, haberetur pro non facto, vt per *Abb. in c. monachi, de ſtatu monac.* & alios, quos refert, & ſequitur *Vinc. de Franch. deciſ. 718. & Rodr. tom. 2. qq. Regular. q. 125. art. 2. & 3.* At ſi Præ-
66 latus facultatem tribuat ipſi Religioſo, vt dictum legatum in proprium vſum conuertat: & Religioſus conſentiat legatum conuerti in vtilitatem monaſterij, tunc licitè conuertitur, vt habetur ex *Bart. in auth. excipitur, C. de bon. quæ liber. Franch. d. deciſ. 718.* & ex alijs, quos refert *Molf. p. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 20. nu. 50.* Eſt tamen verum, quòd ſi quis ita donet, aut leget monacho: Lego, dono vſufructum talis rei, donec, & quouſque Prælatus eum moleſtet: & ex nunc non dono, non lego; hoc caſu ex ipſo quod monachus à Prælato moleſtatur in dicto vſufructu, ceſſat legatum, ſeù donatio: ſed in eo quod habuit monachus ante moleſtiam, poterit Abbas illum moleſtare: & quod percepit auferre, vt per *Bald. in d. l. 1. C. de his, quæ pœna nom. Doctor. in l. Lucius §. tres heredes, ff. ad Trebel. & Syl. loc. cit.*

67 Quartò ampliatur, vt nec Superior concedere poſſit ſubdito Religioſo facultatem expendendi bona ad vſum ſibi tradita in quoſcunque vſus: aliàs non ſolùm Superior eiuſmodi facultatem tribuens; ſed etiam ſubditus eo vtens peccarent, vt habetur ex *Nauar. d. c. non dicatis, nu. 53. 12. q. 1.* vbi etiam *nu. 55.* inquit, peccare pariter Superiorem concedendo ſubdito, vt penès ſe, aut in cella ſuperflua retineat, præſertim ſi Religioſorum ſtatui nō conueniant. Imò nec Prælatus cum Capitulo concedere poſſunt bona ſubdito, vt ea expendat ad ludos, ad crapulam, & ad cætera eiuſmodi; aliàs vterque peccaret, vt habetur ex *Rodriq.*

Rodriq. loco cit. art. 11. & ante ipſum, & *Nauar. Syl. ver. Religio 6. q. 7. in fine.* Non tamen inquit *Syl.* peccabit ſubditus ſuperflua apud ſe habens de licentia Superioris, ſi paratus ſit omnia reſignare in manibus eius: nec proprietarius erit.

68 Quintò ampliatur ipſa concluſio, vt Religioſus proprietarius, vt ſupra non ſolùm in caſum reſeruatum incidat; verũ etiam eſt in ſtatu damnationis quamdiù perſeueret in eiuſmodi ſcelere eſt incapax abſolutionis, priuatur communione, non offertur pro eo ſacrificium Miſſæ: eſt præciſus à corpore vniuerſalis Eccleſiæ: ſi moriatur, priuatur Eccleſiaſtica ſepultura: & ſimul cum pecunia ſepelietur in Sterquilinio, vt in *c. ſuper quoſdam, de Regular. iuncto c. monachi, §. quia vero, &* *c. cum ad monaſterium, de ſtatu monac.* Et ſi per errorem in Eccleſia, corpus eius ſepultum fuerit, eſt exhumandum, ſi cadauer, & oſſa ab alijs diſcerni poſſint, & in ſterquilinio ſepelienda, iuxta *text. in c. ſacris, de ſepult.* & latè *Rodriq. vbi ſupra, art. 10. & 11.* & alijs apud *Molſ. d. c. 20. à nu. 54. ad 57.*

69 Sic ampliata limitatur ipſa concluſio primò, vt Religioſus rem aliquam accipiens, aut detinens citra Superioris licentiam, tunc proprietarius ſit cenſendus, quando rem ipſam ſubtrahit, aut retinet animo eam occultandi Superiori, ne ipſa ſpolietur, dubitans fore ſibi ab eo auferendam: ſecus autem ſi eiuſmodi animum non habeat; ſed illam Superiori tribuenda: ſiquidem non interdicitur Religioſo ſimpliciter aliquid accipere, aut detinere citra Superioris licentiam; ſed illud accipere, ac retinere vt proprium, eiuſdemque dominiũ ſibi vſurpans, vt in *c. non dicatis, 12. q. 1.*

70 Secundò limitatur eadem concluſio, vt ita demum Religioſus accipiens, aut detinens aliquid notabile, inſcio Prælato, in proprietaris ſcelus incidat, atque ideò caſum reſeruatum incurrat, cùm ita rem illam accipit, aut detinet, ſciens, aut probabiliter credens, Prælatum eandem ſibi non conceſſurum: ſecus autem ſi probabiliter putet ſibi concedendam ſi eam petat: quoniam tunc non ageret contra paupertatis votum, cùm hoc caſu concurrat præſumpta Superioris licẽtia. Quod quidem verum eſt etiam ſi talis Religioſus ſciat, Superiorem egreferre eiuſmodi acceptionem, ſeu detentionem rei occultæ: etenim illa Superioris diſplicentia nõ prouenit ex re accepta retenta, aut expenſa, in quo conſiſtit proprietatis ratio; ſed modo clandeſtino eam accipiendi, retinendi, aut expendendi, ita *Nauar. in d. c. non dicatis, num. 52. Caiet in ſum. ver. Furtum, &* *Rodriq. tom. 3. qq. Regul. q. 29. art. 11.* Idem dicendum eſt ſi prædicta rei occultatio non proueniat ex eo, quòd Religioſus ipſe dubitet re ipſa ſpoliandus; ſed ne reprehendatur: quia ſcilicet, inconſulto Prælato: tunc enim non dicitur violare paupertatis votum, vt habetur ex eodem *Rodriq. loco citato, art. 10.*

71 Tertiò limitatur, vt Religioſus ſubditus aliquid mediocris valoris ab extraneis accipiens, aut alteri fratri tribuens, aut commutans cum alio, ſiuè domeſticus ſit, ſiuè extraneus, mortalem culpam non contrahit, atque ideo in caſum reſeruatum non incidit: quoniam per eiuſmodi actiones, monaſterio præiudicium non infertur, vt per eundem *Rodriq. loco citato, concl. 7.* qui id limitat, tribus concurrentibus. Primò quòd ſubditus animum non habeat illud occultandi, ſed potius reſignandi in manibus Superioris: ſecundò quòd per Prælatum, aut per conſtitutiones Religionis id non ſit prohibitum: tertiò quòd exploratum, & compertum habeat ſubditus, Superiorem interpretatiuè ſaltem conſentire.

72 Quartò limitatur prædicta concluſio, vt locum ſibi non vendicet in Religioſo, qui citra Superioris licentiam, neceſſaria ad victum, ac veſtimentum ſibi ſumeret de bonis monaſterij, aut aliundè: is enim ſicut lethaliter non peccaret, ita quoque reſeruatum caſum non incurreret: ſiquidem eo caſu non exerceret actum dominij, & illa præſentanea neceſſitas tribuit illi facultatem, vt latè probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 6. num. 17.* Quod quidem verum eſſe putat *Steph. Quaranta, in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati, ſub nu. 6. §. ad ſextum*, in foro conſcientiæ: ſecus autem quoad forum exterius: quoniam in eo foro huiuſmodi Religioſus neceſſaria percipiens abſque Superioris licentia, puniri poteſt: & ita declaratũ fuiſſe teſtatur per Sacram Congregationem Cardinalium: & propterea cauendum eſſe à prædictis inquit *Molſ. p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 20. nu. 46.* Quam declarationem arbitror eſſe moderandam, vbi Prælatus à ſubdito requiſitus, neceſſaria vt ſupra irrationabiliter ſibi denegaret: nam tunc puto eiuſmodi Religioſum excuſari non ſolùm in foro conſcientiæ; verum etiam in foro exteriori: quia Superior tenetur prouidere ſubditos de neceſſarijs ad vitæ vſum pertinentibus: etenim bonorum monaſterij Prælatus non eſt dominus, ſed diſpenſator: & propterea iniquè agit non diſponſando fideliter, & prudenter, cùm fidelem ſeruum, ac prudentem velit Dominus ſuper familiam ſuam, iuxta ea, quæ habentur ex *Rodriq. poſt Nauar. tom. 3. qq. Regular. q. 29. art. 10.* quibus adde *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. loco citato.*

73 Quintò limitatur, vt Religioſus citra proprietatis crimen poſſit peculium habere, niſi per Regulam ſibi interdicatur, vt in *c. cùm ad monaſterium, de ſtatu monac.* Eſt tamen verum, quòd Prælati non debent eſſe faciles in concedendo peculium ſubditis: nam ex eo multa mala prodiſſe refert *Dyoniſ. Carthuſ. de reform. monial. art. 9* relatus à *P. noſtro D. Antonio Caracciolo in adnotat. ad noſtras conſtit. p. 2. c. 1. §. 5. & à Molſ. d. c. 20. nu. 51.* Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 4. ſuæ ſum. tract. 5. c. 7. ſub n. 1. & q. 7.* vbi latè de peculij materia tractat, & eam ſufficienter explicat.

Explicatio ad quintum caſum.

74 QVintus caſus, quem Regulares Prælati reſeruare ſibi poſſunt, eſt. iuramentum falſum in iudicio, vt patet ex illis Decreti verbis, *Iuramentum falſum in iudicio Regulari, ſeu legitimo.* Ad cuius rei explicationẽ eſt adnot. quòd dictio illa, *Seù*, quandoque ſumitur alternatiuè, vt in *l. generali, C. de ſacr. Eccl. l. cum quidam, C. de verb. ſignif.* quandoque ſumitur coniunctiuè, ac copulatiuè, cuius natura eſt ampliare, maximè cùm ponitur inter res, & in fauorabilibus, vt in *l. ſi quis ita legauerit vxori, ff. de auro, & arg. leg. Bald. in d. l. cum quidam, in 9. oppoſit. C. de verb. ſignif.* & ibi etiam *Bart.* qui ait, quòd ſi quis dicat, lego totam pecuniam, quam habeo Peruſij, ſeù Paduæ. Vnde *Panor.*

poſt

Digitized by Google

poſt *Bart. in c. inter cæteras, ſub n.4. & Addent. ad ipſam, de reſcr. & in c. bonæ memoria, il 1. ſub nu.* 17. volunt, has dictiones, ſeu, & ſiuè, habere naturam mixtam; atque ideò aliquando diſtingunt quoad verba, ſed non quoad ſenſum: & aliquando diſtingunt quoad verba, & quoad ſenſum: & propterea in iſtis debemus interpretationem adhibere ſecundum ſubiectam materiam. Deinque dictio ſuptadicta, ſeu, ponitur declaratiuè, ac expoſitiuè, vt in *c. Romana in prin. de de appellat in 6. c. 1. §. verum, de ſtatu Regul. eod.*

75 *lib.* His igitur ſic adnotatis, cùm inter dictiones illas, Regulari, & legitimo, mediet dictio, ſeù, ex hoc oritur difficultas de dictione ipſa quomodo ſumatur in caſu, de quo agitur? expoſitiuè ſcilicet, an alternatiuè, vel potius coniunctiuè. Etenim ſi expoſitiuè ſumenda eſt, illa verba, *Iuramentum falſum in iudicio Regulari, ſeu legitimo.* Habent hunc ſenſum, *Iuramentum falſum in iudicio regulari, ideſt legitimo.* Quaſi illud tantùm iuramentum falſum reſeruare ſibi poſſint Regulares, quod fit in iudicio regulari, quod idem eſt, quod legitimum; in quo ſcilicet cauſæ terminantur ſecundum leges tàm ciuiles, quàm canonicas: & tunc in quocunq; iudicio, ſeù foro, ſiuè Eccleſiaſticum ſit, ſiuè ciuile Regulares falſum iurarent, in caſum reſeruatum inciderent. Si verò dictio illa ſumenda ſit coniunctiuè, atque ideò copulatiuè, & augmentatiuè, tunc ipſa dictio, ſeù, reſoluitur in copulam, &, & ſic vt iuramentum falſum ſit caſus reſeruatus debet fieri in iudicio regulari, & legitimo, nempè coram proprio, & legitimo Iudice proprij Ordinis, à quo Iudice fiat interrogatio: & ita hanc dictionem hoc loco explicat *Molſ.* poſt alios *p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 20. nu. 57.* Si denique eiuſmodi dictio, ſeù, ſumatur alternatiuè, tunc iuramentum falſum, vt ſit caſus reſeruatus, ſufficit, ſi fiat in iudicio regulari, vel legitimo; ideſt ſi fiat corã Iudice, ſeù Prælato eiuſdem ordinis, ac Religionis: vel coram alio legitimo Iudice, à qoo interrogatus Regularis, tenetur reſpondere, nempè coram Nuncio, aut alio delegato Apoſtolico. Et hoc modo interpretatur dictionem illam, & caſum de quo agitur, *Steph. Quaranta, in ſua ſum. Bull. ver. Caſus reſeruati, in explicatione eiuſdem caſus.*

76 Hæc interpretatio nobis probabilior videtur, conuenit enim propriæ ſignificationi dictæ dictionis, cuius propria natura eſt alternandi: nec iuramenti falſi malitia augetur, vel minuitur ſi fiat coram hoc, vel illo Iudice à quo legitimè iuramentum ipſum expetatur. Vndè iuramentum falſum eſt caſus reſeruatus etiam ſi fiat à Religioſo coram proprio Conſeruatore; ſiquidem Conſeruatores ſunt legitimi Iudices Regularũ. Legitimum enim dicitur, quod lege comprobatur, *l. legitima, ff. de pact.* aut quod ex lege prouenit, *l. 3. §. de illo, ff. pro ſoc. & l. 4. §. vlt. ff. de fideiuſ.* Et propterea ſatis eſt, vt iuramentum falſum coram Iudice, à quo iuridicè, ac legitimè Regularis interrogari valeat, ſiuè Iudex Regularis ſit, ſiuè quicunq; alius; quoniam eiuſmodi caſus reſeruatur in odium iuramenti falſi: quod quidem non minus peccatum eſt ſi fiat in iudicio Regulari, ac in quolibet alio legitimo, cùm militet eadem ratio, *arg. text. in l. illud ff. ad leg. Aquil.* Imò ſi ob eandem rationem, & iuxta dictam interpretationem, Ly, *Legitimo*. Poteſt intelligi de quolibet legitimo iudicio, etiam ſæculari; atque ideò ſi contingat in foro ciuili, Regularem afferri in teſtem ex licentia ſui Superioris in cauſa pecuniaria, aut in defenſam alicuius, & iuret falſum, puto eum incidere in caſũ reſeruatum. Et idem arbitror dicendum, ſi adducatur in teſtem in iudicio Regulari extra proprium Ordinem: quoniam huiuſmodi decretum fuit latum in odium iuramenti falſi, vt ſupra diximus: & ad cohibẽdos Regulares à tali crimine; ſicut Epiſcopi ſibi reſeruare ſolent eundem caſũ quoad eorum ſubditos ob eaſdem rationes.

77 Ampliatur primò id quod diximus, atque ideò vt Regularis falſum iurans in iudicio, vt ſupra caſum reſeruatum incurrat, non ſolùm ſi falſitatem iuret, dicendo falſitatem; verùm etiam ſi iuret tacendo veritatem, vt eſt *text. in c. 1. de crim. falſi, vbi ex D. Auguſtino ſic legitur, Falſidicus teſtis tribus perſonis eſt obnoxius. Primùm Deo, cuius præſentiam contemnit: inde Iudici, quem mentiendo fallit: poſtremò innocenti, quem falſo teſtimonio lædit. Vterque reus eſt, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit; quia ille prodeſſe non vult: & iſte nocere deſiderat.* Hoc idem colligitur ex *tex. in c. cum dilecti*, & ibi *Anch. nu. 11. de accuſat. & Molſ.* poſt alios, & contra *Graff. p. 1. ſuæ ſum Theol. tract. 7. c. 20. nu.* 58. Etenim teſtis dum iurat neſcire, falſum teſtificatur, quia ſciebat.

78 Secundò ampliatur, vt non tantùm teſtis Regularis falſum iurans in iudicio in caſum reſeruatum incidat, ſed etiam ſi falſum iurans ſit principalis: ſiquidem Decretum prædictum generaliter loquitur, & non diſtinguit, ergò generaliter eſt intelligendum, nec nos diſtinguere debemus, *arg. tex. in l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſtan.*

79 Tertiò ampliatur, vt Regulares falſum iurantes in iudicio, vt ſupra, in caſum reſeruatum incidant, ſiuè monachi ſint, ſiuè moniales ſub Regularium iuriſdictione permanentes: quoniam maſculinum concipit fœmininum, etiam in odioſis, & quoad cenſuras Eccleſiaſticas, vt in *c. ſi quis ſuadente diabolo*, & ibi *Doctor. 17. q. 4. Panor. in c. mulieres nu. 15. de ſent. excomm.* & nos ſupra latè diximus ſupra *diſp. 1. ſec. 1. & in noſtris Comment. in Bull. Cœnæ lib. 2. can. 3. q. vlt. nu.* 1. Quocirca arbitror, Decretum prædictum Clem. VIII. comprehendere quoſcunque Regulares, cuiuſcunq; ſexus, ſiuè maſchuli ſint, ſiuè fœminæ.

80 Sic ampliata limitatur primò eadem concluſio vt tunc iuramentum falſum ſit caſus reſeruatus, quando præſtatur ab eo, qui à Iudice legitimè, ac iuris ordine ſeruato, interrogatur: ſecus ſi non iuridicè, vt quia iuris ordine non ſeruato, vel à non competenti Iudice interrogetur. Vt ſi Iudex etiam competens Regularem interroget de delicto, de quo non habetur ſemiplena ſaltem probatio, aut indicia, vel infamia non præceſſerint: nec ex illius occultatione futurum ſit alteri notabile damnum; quoniam his caſibus, nec reus, nec teſtis tenentur reſpondere Iudici ſecundum illius intentionem; ſed poſſunt amphibologicè loqui, ſeu æquiuocè, vt habetur ex *D. Thoma 22. q. 70. art. 1.* & ex alijs apud *Molſ. loco citato, nu. 59. & 60.* latè *Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iure, cap. 31. nu. 3.* vbi *nu. 16.* inquit etiam non eſſe improbabile, Reum non peccare mortaliter negando

tamen

Digitized by Google

crimen, præcipuè in cauſa capitali, quandiù eſt ſpes euadendi, quamuis à Iudicè iuridicè interrogetur: quia quamdiù delictum non eſt plenè probatum, præceptum illud fatendi crimen eſt valdè difficile, & humanæ fragilitati non ſatis accommodatum: at præcepta vt obligent, debent eſſe humanæ conditioni conſentanea, ſicut & leges. Hoc idem docent *Nauar. & Emanuel Sà ab eodem Leſſio relati, loco citato*, vbi pro hac ſententia nonnullas rationes affert. Imò retenta communi opinione, qua Reus iuridicè interrogatus tenetur delictum fateri, etiam ſi capite plectendus eſſet; de qua *D. Thom. 22. q. 69. art. 1.* vbi *Caiet. & alij Couar. qq. pract. q. 23. Sot. de ſecr. memb. 2. q. 7. & Nauar. in Man. c. 25. n. 53.* Id tamen limitatur verum eſſe, ſi Reo conſtet delictum eſſe probatum ſemiplenè, aut indicia, ſeù probationes ſciat adeſſe, quæ ſufficiant ad torturam: quoniam iuramentum eſt ſpiritualis quædam tortura, vt habetur ex eodem *Leſſ. ibidem, nu. 10. cum plur. ſeq.* Quod quidem *ſub num. 9.* ſublimitat vbi interrogatio Iudicis, vel Superioris non tendit ad punitionẽ, ſed ad impediendum malum aliquod: nam tunc tenetur ſubditus dicere veritatem, etiam de occultis: & licèt nulla præceſſerit infamia, ſemiplena probatio, vel indicia, vt cùm promouendus ad ordines interrogatur de natalibus, de cenſuris, de irregularitate: & matrimonium contrahere velint, interrogentur de impedimentis.

81 Secundò limitatur, vt iuramentum falſum non ſit caſus reſeruatus ſi veritas negetur ab eo, qui fuerit interrgatus à Iudice de facto, quod abſque peccato ſaltem mortali patratum fuit. Vt ſi quis occiderit aliquem ad ſui defenſionem: ſiquidem hoc caſu, quamuis Reus ſciat occiſionem illam eſſe ſemiplenè probatam, non tenetur eam fateri: nec teſtis cogitur teſtificari: quia Iudex quærit de occiſione criminoſa: & ſi occidens fateatur inuadentem occidiſſe, cùm non poſſet probare neceſſariam ſui defenſionem, procul dubio veniret de homicidio condemnandus: quapropter nec reus, nec teſtis tenentur reſpondere ad mentem Iudicis; ſed poſſunt æquiuocando factum negare, quamuis eis iuramentum deferatur, vt rectè docet, *Sal. in d. q. 69. art. 2. Sot. de ſecr. memb. 2. q. 7. dub. 2. & Leſſ. in d. dub. 3. ſub nu. 14.*

82 Tertiò limitatur, vbi quis vi tormentorum falſum depoſuerit in iudicio: nam quamuis, mediante iuramento id dixerit; non tamen incidit in caſum reſeruatum, cùm regulariter, nec culpam mortalem commiſit, vt ex *Soto.* & alijs apud *Molfeſ. d. c. 20. nu. 63.* vbi *nu. 64.* id limitat, niſi eiuſmodi falſum reſultaret in damnum animæ ſuæ, in ſcandalum aliorum, in detrimentum propriæ vitæ, aut alterius famæ; quoniam tunc peccaret mortaliter, & caſum reſeruatum incurreret, vt benè exemplificatur per eundem *Molf.*

83 Quartò limitatur, vt teſtis quamuis iuridicè interrogatus poſſit negando æquiuocare vt ſupra ſi ex ipſius depoſitione probabiliter ſciret ſibi aliquod graue damnum euenturum in anima, in perſona, aut in bonis, vt per *Bald. in l. cum Nuncius, de teſtib. & Felin. in c. delictorum, eod. tit.* & alios quos refert, & ſequitur *Molf. loco citato, nu. 62.* vbi id ampliat procedere quoque in reuelationibus, ac monitorijs.

84 Quintò, & vltimò limitatur in teſte, qui tantùm factum aliquod ſciat; quia audiuit ab alijs: nam eiuſmodi teſtis etiam ſi iuridicè interrogetur, non tenetur ad mentem Iudicis reſpondere: imò poteſt ſimpliciter iurare, ſe factum neſcire; nam quod quis audiuit, neſcire dicitur, *l. 2. §. idem Labeo*, vbi *Gloſa, ff. de aqua pluuia arcen. Graff. & Coriolan. apud Molf. d. c. 20. nu. 61.*

Explicatio ad ſextum caſum.

85 SExtus caſus eſt procuratio ad abortum, etiam effectu non ſecuto, auxilium, & conſilium; dummodò fœtus ſit animatus, & conſtat ex illis Decreti verbis, *Procuratio, auxilium, ſeù conſilium ad abortum faciendum poſt animatum fœtum; etiam effectu non ſequuto*. Ad cuius rei explicationem eſt adnot. quòd licèt fœtus dicatur animatus in maſchulo poſt quadraginta dies, & in fœmina poſt 80. vt habetur ex *Ariſt. lib. 7. Hiſtor. c. 3. & ex Auic. q. de natura animal.* & aliquando in maſchulo fœtus dicitur animatus poſt 30. dies, vt habetur per *Alber. Magn. lib. 9. animal. tract. 2. c. 5.* qui ait, aliquando fœtum in maſchulo eſſe animatum in 25. die, & in dubio præſumatur maſculus potius, quàm fœmina ſaltem poſt 40. dies, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 15. nu. 14. & conſ. 22. de homic. in antiquis, & conſ. 26. in nouis*, Nihilominus ſi dubitatur, an fœtus animæ infuſionem ſuſceperit, vel ne, ex eiuſdem corporis liniamentis colligi poteſt: nam ſi fœtus, ſiuè maſculus ſit, ſiuè fœmina, liniamenta omnium membrorum habebit, ſignum eſt, eum fuiſſe animatum, vt habetur ex *Burg. tract. de irregular. p. 6. tit. de veneficis*, quem refert *Proſp. de Auguſt. in addit. ad Steph. Quar. in ſum. Bullar. ver. Abortus*, Vbi referuntur de verbo ad verbum Pontificiæ Bullæ, multa sta-
86 iuentes quoad abortum, nempè Sixti V. & Greg. XIIII. qui Bullam ipſam Sixti moderauit quoad abſolutionem à peccato, & excommunicationem reſeruatam Ordinario in foro conſcientiæ dumtaxat, vt quilibet Confeſſarius poſſit abſoluere à peccato abortus, etiam ſi fuerit animatus, & ab eiuſdem excommunicatione; dummodo ad id fuerit ſpecialiter ab Ordinario deputatus. Eſt tamen verum quod Regulares, & alij, qui ex priuilegio poſſunt abſoluere ab excommunicationibus, & caſibus Epiſcopo reſeruatis, poſſunt à ſupradicto caſu, & excommunicatione abſoluere; niſi Epiſcopi ſpecialiter illud ſibi reſeruent; nam tunc non poſſent, vt patet ex Decrens Clem. VIII. & nouiſſimè Pauli V. prohibentium quibuſcunq; priuilegiatis abſoluere Chriſti fideles à caſibus, & cenſuris, quæ Ordinarij ſibi reſeruant, & à nonnullis alijs Apoſtolicæ Sedi reſeruatis; de quibus omnibus latè egimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 1.* vbi prædicta decreta de verbo ad verbum retulimus.

87 Cæterum alij Confeſſarij, qui priuilegiati non ſunt, non poſſunt abſoluere à dicto crimine citra ſpecialem Ordinarij delegationem; etiam ſi eiuſmodi caſum ſpecialiter ſibi non reſeruauerit, vt conſtat ex illis verbis Bullæ Greg. XIIII. edita kal. Iun. 1591. *Quilibet Presbyter tàm ſecularis, quàm cuiuſuis Ordinis Regularis ad Chriſti fidelium confeſſiones audiendas, & ad hos caſus ſpecialiter per loci Ordinarium deputatus, plenam, & liberam in foro conſcientia tantùm abſoluendi habeat facultatem*. Item Greg. XIIII. mandauit, Bullam Sixti V. quoad abortum fœtus

non

non dum animati, eamdemq; reduxit ad diſpoſi-
tionem iuris communis, ita vt dans cauſam abor-
tui, tunc puniatur vt homicida, ſi fœtus ſit ani-
matus: aliàs ſecus: quod quidem verum eſt de
iure canonico, vt in *c. ſicut, il 2. de homic.* ſecus
autem de iure ciuili, vt per *Gloſ. in d. c. ſicut*, vbi
etiam *Panor. Felin. & alij per tex. in l. ſi mulie-
rem, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* quamuis non
efficiatur irregularis, ſi animatus nõ ſit ipſe fętus,
vt habetur per *Couar. in Clem. ſi furioſus, p. 2. §. 3.
de homic. Say. lib. 3. de cenſur. c. 35. n. 26. & Paul.
de Palat. in addit. ad ſum. Caiet. in ver. Abor-*
88 *tus.* Quo verò ad alias pœnas impoſitas à Sixto
V. eiuſmodi delinquentibus poſt animatum fœ-
tum; nempè priuationis, inhabilitatis, degrada-
tionis, traditionis Curiæ ſæculari, & præuentio-
nis, Bulla ipſa Sixti V. non fuit immutata per
Bullam Gregor. XIIII. ſed adhuc manet in ſuo
robore, vt benè notat *Steph. Quaran. & Sayr.
locis ſupra citatis.* Regulares autem nunquam
incidunt in caſum reſeruatum, niſi fœtus fuerit
animatus, ob illa Decreti verba, *Poſt animatum
fœtum.* Nec ſatis eſt ſi anima tantum vegetatiua,
vel etiam ſenſitiua viuat, niſi rationalem animam
infuſam quoque ſuſceperit, vt inquit *Molf. p. 1.
ſua ſum. tract. 7. c. 20. nu. 68.* Non tamen dici-
mus dari triplicem animam in ſuppoſito humano
ſed vnam tantum, nempè rationalem, quæ emi-
nenter continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, iuxta
illud *Ariſt.* dicentis, quòd anima ſenſitiua, &
vegetatiua continentur ſub rationali ſicut triga-
89 num ſub tritogano. Et quoniam altero ex tribus
modis poteſt Regularis vi dicti decreti caſum
reſeruatum incurrere, primò ſi abortum per ſe
ipſum procuret, ſecundò ſi auxilium dederit ad
abortum, & tertiò ſi conſilium, etiam effectu non
ſequuto; poteſt eſſe dubitatio de illis verbis, *Etiã
effectu non ſequuto.* An coniungantur cum dictio-
ne illa; *Conſilium*, tantùm; ideſt quòd conſilium
dantes effectu etiam non ſequuto caſum reſerua-
tum contrahant: vel verba illa referantur quoq;
ad procurantes abortum, & ad auxilium dantes
ad illud faciendum; ita vt qui per ſe procuret
abortum, vel auxilium dederit ad illud commit-
tendum, licèt non ſequatur effectus, in caſum
ipſum incidat; ſicut & qui conſilium impenderit.
90 Ad quam difficultatem breuiter reſpondemus
verba illa, *Etiam effectu non ſequuto*, referri non
ſolùm ad cõſilium præſtantes ad aborum facien-
dum; ſed etiam ad dantes auxilium; & multo
magis ad procurantes. Probatur, quoniam regu-
lariter auxiliantes, & conſilium dantes; ſicut &
mandantes, nunquam excommunicationem con-
trahunt ex ſolis conſilio, auxilio, vel mandato;
niſi delictum perficiatur, pro quo eſt lata excom-
municatio, vt in *c. quicunque, de ſent. excom. in
6.* & nos latè de hac re tractauimus in noſtris
*Commentar. in Bulla Cœna, lib. 2. can. 6. q. 16. n.
16. cum plur. ſeq.* Ne igitur idem dicendum eſſet
quoad prædictum caſum reſeruatum, idcircò
Rom. Pontifex in dicto Decreto expreſsè ſuam
voluntatem declarando, voluit omnes illos in-
currere, etiam effectu non ſubſecuto, includendo
multo magis procurantes abortum: nam iſti pro-
priè dicuntur cooperatores, vt habetur per *Sayr.
de cenſur. lib. 3. c. 16. num. 6.* & propterea magis
influunt in effectum, quàm auxiliantes, & conſi-
lium dantes: quocirca quamuis effectus non ſe-
quatur, mens Rom. Pontificis eo magis illos in-
cludit. Confirmatur, quia S. P. loquitur de
omnibus prædictis actionibus æquè principali-
ter: ergò actiones illas æquè principaliter inclu-
dit, atque ideò actiones ipſas perpetrantes æquè
principaliter in caſum prædictũ incidunt, etiam
effectu non ſequuto, iuxta ea, quæ habentur ex
Nauar. in Man. c. 27. nu. 51. verſ. Adde, quod
refert, & nos latè in noſtris *Commentar. in Bull.
Cœnæ, lib. 1. c. 3. q. 4. nu. 6.*
91 Ampliatur primò hæc concluſio, vt vera ſit
non ſolùm quoad procurantes, auxiliantes, &
conſilium dantes ad committendum abortum;
verùm etiam fauentes, ac defendentes eos, qui
abortum volunt committere; quoniam fauor, &
defenſio ſunt ſpecies auxilij, ſicut etiam recep-
tatio; nam qui hæreticos receptat, eos dicitur
defendere, ac eiſdem fauere, atque ideò auxiliũ,
& opem ferre, vt in *de noſtris Comment. in Bull.
Cœnæ*, adnotauimus *lib. 2. ca. 1. q. 31. & in addit.*
Eſt tamen verum, quòd licèt quidam velint, fau-
tores, defenſoribus per omnia exequari; nam qui
fauet, dicitur etiam defendere; nihilominus pro-
babilior nobis videtur ſententia eorum, qui di-
cunt, fautores differre à defenſoribus, ſicut ſpe-
cies à genere. Defenſor enim is propriè dicitur,
qui aliquem, aut ab aliquo oppugnatum defen-
dit, aut ne oppugnetur præſtò illi eſt, *arg. tex. in
§. 1. in auth. de defeſ. Ciuit.* Fautor autem appel-
latur non ſolùm, qui in dictis caſibus; ſed etiam
qui extra dictos caſus fauet. Quocircà fautores
hæreticorum dicuntur non modo, qui hæreticis
opem ferunt, ne ob crimen hæreſis oppugnentur,
aut oppugnatos defendunt; verum etiam qui
auſum hæreticis præbent, vt in eorum perfidia
perſeuerent: vel cùm poſſint illos ab eorum erro-
ribus retrahere contemnunt, non coercent, ſed
tolerant, alimenta, ac ſumptus eiſdem miniſtrant
& alia eiuſmodi, vt poſt alios oſtendimus in di-
ctis noſtris *Commentar. lib. 2. c. 1. q. 23. ſub nu. 1.*
92 Ex quibus infertur, quòd ſi Regularis receptat
mulierem prægnantẽ in propria domo, vt occultè
abortum committat, is proculdubio in caſum re-
ſeruatum incidit, cùm dicatur illi opem ferre.
Idem dicendum eſt de eo, qui prægnantem ani-
mat ad committendum abortum; vel defendit
prægnantem à volentibus eam impedire, ne abor-
tum faciat. Non tamen puto, Regularem, qui
potuit occurrere, ne ſequeretur abortus, & non
occurrit, caſum reſeruatum incurrere; quoniam
vi ſupradicti decreti reſeruantur actus purè po-
ſitiui, nempè procuratio, auxilium, & conſilium
ad abortum faciendum: at non obuiare crimini,
cum quis poſſit, eſt actus purè negatiuus. Nec
obſtat *text. in c. ſicut dignum, §. illi etiam de
homic.* vbi dicitur, quòd qui potuit liberare ho-
minem à morte, & non liberauit, eum occidit;
quoniam *tex.* ille loquitur interpretatiuè, & non
ſecundum rei veritatem, vt nos latè de hac re
egimus in *d. noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ,
lib. 2. can. 9. q. 8. per totam*, vbi etiã reſpondentes
ad id, quod Theologi dicunt, præcipuè *D. Thom.
1. 2. q. 71. art. 6. ad 1. & q. 72. art. 6. ad vlt.* nempè
quòd omiſſio reducitur ad genus commiſſionis;
diximus ſimiliter, id verum eſſe imputatiuè, non
autem ſecundum rei veritatem. In caſibus autem
reſeruatis non debemus vti amplioribus inter-
pretationibus; ſed proprijs, ac ſtrictis, vt habetur

ex *Molſ. d.c.20. nu.* 78. cum alijs, quos allegat.

93 Secundò ampliatur hæc ipſa concluſio, vt non ſolùm Religioſi, vt ſupra procurantes, auxiliantes, &c. Sed etiam mandantes fieri abortum in caſum reſeruatum incidant: ſiquidem mandatum licèt à conſilio differat, vt in §. *tua tantùm, in inſt. de mand.* & ſub excommunicatione lata contra facientes, non comprehendantur mandantes; nihilominus mandantes fieri abortum, reducuntur ad procurantes: nam qui mandat abortum committi, verè dicitur illud procurare. Et quod diximus de mandante, multo magis dicendum eſt de iubente, ac præcipiente. Differt autem mandatum à iuſſu, præcepto, ac conſilio in hoc, quòd mandatum eſt contractus verbis initus, quo committitur volenti aliquid agendũ gratuitò, vt per *Gloſ. in rub. ff. mand. & §. penul. & fin. in Inſtit. cod. tit.* Iuſſus verò dicitur mandatum factum in poteſtate exiſtentibus, nempè à Patre filijs, aut à Domino ſeruis: & propterea non eſt liber quoad ſuſcipientem; ſed neceſſitatem importat, vt per *Gloſ. in l. 1. in ver. Quemadmodum, ff. quod iuſſu.* Præceptum fit à Iudice, ſeù ab habente iuriſdictionem in eum, cui præcipitur, *argum. text. in l. legis virtus, ff. de legib.* Conſilium deniq; eſt formaliter ſuaſio, ſeù hortatus, & præſtatur verbis ſuadendo, impellendo, inſtruendo, ſugerendo, vel ſequuturam vtilitatem oſtendendo, vt in *l. furti actione, §. ope, ff. de furt. & l. ſæpè, ff. de verb. ſignif.* & ſemper dirigitur ad vtilitatem eius, cui conſilium datur, ad differentiam mandati, iuſſus, & præcepti, quæ diriguntur ad vtilitatem eorum, qui mandant, iubent, & præcipiunt, vt per *Bart. in l. non ſolum, §. ſi mandator, ff. de iniur. & Syl. in ſum. ver. Mandatum, in prin.* Id autem contingere poteſt dupliciter; directè ſc. & indirectè, priori modo cum Regularis explicitè conſulit prægnanti, vt abortum faciat: poſteriori autem, cùm Regularis aliquibus ex ſuis amicis, quos nouerat ſuam voluntatem adimpleturos, vel ſaltem id credere debebat, dixerit vellem ſi poſſem, vt talis grauida abortum faceret, iuxta ea, quæ adnotauimus, in *d. noſtris Commentar. lib. 2. can. 11. q. 12. nu. 4.* iunctis ijs, ibidem cumulauimus, *q. 17. nu. 3.*

94 Tertiò ampliatur, vt Regularis caſum reſeruatum incurrat, quacunque intentione procuret, mandet, auxilietur, conſulat, &c. ad abortum faciendum; atque ideò, ſiuè ad ſaluandam vitam ſuam, aut honorem, ſiuè mulieris prægnantis: quoniam ex parte ſua peccauit mortaliter, & ad abortum concurrit, vt habetur ex *Syl. ver. Medicus, §. 4. Graff. lib. 3. de caſib. reſer. c. 5. in fine, & Molſeſ. d. c. 20. nu. 66.*

95 Sic ampliata limitatur primò eadem cõcluſio, vbi ſcienter Regularis procuret, det auxilium, conſilium, &c. ad abortum faciendum; nempè quòd ſciat, mulierem eſſe prægnantem: alias ſecus; quia tunc deeſt voluntas cooperandi, vt habetur ex eodem *Molſ. loco citato*. Eſt tamen verum, quòd ſi probabiliter dubitauerit, mulierem eſſe prægnantem, & dederit ei poculum ex ſe ordinatum ad abortum faciendum, tunc ſi re vera erat grauida, incidit in caſum reſeruatum; quoniam is multò magis procuraſſet abortum ſi certò ſciuiſſet eſſe prægnantem, & cum fuerit dubius expoſuit ſe periculo contraueniendi, & verè fecit contra Decretum, & contra Superioris voluntatem caſum reſeruantis.

96 Secundò limitatur, vt ita demum conſilium ad abortum faciendum ſit caſus reſeruatus, quando eſt talis naturæ, vt influat in effectum. Vndè ſi prægnans citra Regularis conſilium erat abortum factura, tunc ipſe Regularis caſum reſeruatum non incurrit: quoniam excommunicatio lata contra conſulentes, eos non alligat; niſi ipſorum conſilium influat in effectum, pro quo eſt lata excommunicatio, vt optimè probat *Felin. in c. 1. nu. 10. de offic. Deleg.* & nos etiam de hac re tractauimus *in d. noſtris Commentar. lib. 2. can. 11. q. 18. nu. 5. & 6.* Quod diximus de conſilio extendimus quoque ad auxilium, & fauorem: ſiquidem cenſura lata contra auxiliantes, & fauentes nunquam eos comprehendit; niſi ſint cauſa ſine qua effectus, pro quo lata eſt excommunicatio, non ſequeretur, vt habetur per *Gloſ. in c. nuper, il 2. ver. conſilium, de ſent. excomm. & in c. ſalicis. ver. Fautorem, de pœn. in 6.* licèt contrarium teneat *Vgolin.* vt diximus in *d. noſtris Commentar. d. c. 11. q. 17. nu. 5.* cuius ſententiam ſatis probabilem exiſtimamus.

97 Tertiò limitatur, vt ipſa concluſio locum non habeat in Religioſo ratum habente abortum, vt ſi quis poculum dederit prægnanti ad abortum faciendum, nomine ipſius Religioſi, & deindè Religioſus abortum ratum habeat; quoniam tunc caſum reſeruatum non contrahit: eo quòd dicti criminis nullo modo dicitur cauſa: at vi dicti decreti alligãtur, qui aliquo modo ſunt cauſa ipſius criminis, quales ſunt procurantes, auxiliantes, conſiliantes, &c. Nec obſtat *tex. in c. ratihabicionem, de regul. iur. in 6.* dum in eo habetur, quòd ratihabitio retrotrahitur, & mandato comparatur; quoniam *tex.* ille potius facit pro nobis, quam contra nos: nam ſi æquiparatur mandato; ergò non eſt mandatum: quia nihil ſimile eſt idem, *l. quod Nerua, ff. depoſ.* Bene verum eſt, quòd ſi Religioſus præſens fuerit, dum; ille talis poculum prægnanti propinauerit nomine ipſius; tunc in caſum reſeruatum incidit: ſiquidem is dicitur eiuſmodi crimini conſentire, quod ſuo nomine actu committitur; niſi exterius oſtendat non conſentire repugnando verbis, aut opere quoad fieri poteſt; etiam quòd repugnatio illa ex toto corde non proueniat, per ea quæ contra *Hoſtien. in c. ad audientiam, de homicid.* docet *Suar. de cenſur. diſp. 44. ſec. 3. nu. 22. & ſeq.* & de hac re nos latè egimus *in d. noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 2. can. 9. §. 6. à n. 2. vſque ad fin.*

98 Quartò limitatur, vt concluſio prædicta vera ſit, vbi Religioſus prægnanti dederit poculum ad abortum faciendum directè ordinatum: ſecus autem ſi per ſe eſt medicamentum ordinatum ad ſalutem prægnantis cum probabili fœtus periculo; quoniam tunc puto, Religioſum non incurrere caſum reſeruatum, ſi bono fine medicamentum illud prægnanti dederit, conſuluit, &c. per ea, quæ latè tractat *Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 20. à nu. 14. ad fin.*

Explicatio ad ſeptimum caſum.

99 SEptimus caſus, quem reſeruare ſibi poſſunt Regulares Prælati, eſt falſificatio manus, aut ſigilli Officialium monaſterij, aut conuentus, vt patet ex illis Decreti verbis, *Falſificatio manus, &c.* Ad cuius rei explicationem eſt adnot. primò, quòd per falſificationem manus hoc loco intelligitur

gitur

gitur falſificatio ſcripturæ manu Officialium monaſterij, ſeù conuentus ſcriptæ, vt rectè notat *Molf.p.1.ſua ſum.tract.7.c.20.n.71.* Hæc autem falſificatio contingit fieri multipliciter addendo ſcilicet aliquid eiuſmodi ſcripturæ; detrahendo aliquid ab ea, mutando, aut eandem corrumpendo; vel de nouo falsò fabricando, vbi ea omnia falſa ſunt, ex quibus litteræ conſtant, iuxta ea, quæ habentur ex *Suar. de cenſur. diſp. 21. ſec.2. nu.45. & Sayr.lib.3. Theſ. tom.1. c.10.num.10.* Vndè falſariorum appellatione veniunt, qui radunt ſcripturam, qui aliquid noui ſcribunt, qui ſecant, qui lauant, &c. vt in *c. licet de crim.falſi,* & nos in *noſtris Commentar. in Bull. Cænæ, lib. 2.can.6.q.1.nu.4.*

100 Secundò eſt adnot. quòd falſificatio ſigilli poteſt quoque multipliciter contingere. Primò fabricando ſigillum ad inſtar ſigilli ſupradictorum Officialium: ſiquidem falſitas propriè eſt imitatio veritatis: quoniam falſarij ſemper ſtudent imitari ea, quæ vera ſunt, vt falſa videantur veriſimilia, vt in *auth. de inſtr. cau. in prin.* Secundò ſigillãdo litteras manu Officialium ſcriptas falſo ſigillo. Tertiò ſigillando litteras huiuſmodi vero ſigillo nomine dictorum Officialium citra eorum mandatum, atque conſenſum, iuxta ea, quæ nos adnotauimus in præfatis noſtris *Commentar. loco citato, nu.6.* Semper tamen ad committendam falſitatem punibilem debent tria cõcurrere; nempè dolus, intereſſe partis, ac mutatio veritatis, vt eſt *text. in l. quid ſit falſum,* & ibi *Doctor. ad leg. Cornel. de falſ. iuncta l. nec exemplum, & l. damus, C. eod. tit. Anch. conſ.23. & Syl. in ſum. ver. Falſarius, in prin.*

101 Tertiò eſt adnot. quòd Officialis propriè licèt dicatur is, qui ſub alio tanquam eius miniſter iuriſdictionem exercet, vt poſt *Ant. Butr. conſ.74.nu.3.* inquit *Tuſch.tom.5. ver. Officialis propriè, concl.88.* & propriè illi, quibus Prælati committunt vices ſuas, vt per *Gloſ. in c. ex frequentibus, de Inſtit.* Vndè Prælati verè, & propriè non poſſunt appellari Officiales cùm adminiſtrationem habeant rerum Eccleſiaſticarum cum prærogatiua in Choro, in Refectorio, & in alijs eiuſmodi: quorum varia eſſe genera docet *Iaſ. in l. principaliter, ff. ſi cert. petat.* Nihilominus quia officium, vt ſumunt Canoniſtæ eſt adminiſtratio rerum Eccleſiarum abſque Chori prærogatiua, vt habetur ex *Felino* poſt *Archid. & alios in rubr. de offic. Deleg. ſub nu.3.* & Officialis ab officio deriuatur, iuxta *Alber.* ſententiam, *in ſuo Diction. ver. Officialis licèt;* hinc fit, quòd is dicitur Officialis propriè ſecundum Canoniſtas qui adminiſtrationem habet rerum Eccleſiaſticarum citra Chori prærogatiuam. Hinc Sacriſta dicitur Officialis, vt in *rubr. de offic. Sacr.* Item procurator, *c. ſiquidem, de procur. in 6.* Prædicator quoque cùm dicatur habere officium, vt in *c. quod Dei timorem, de ſtat. Regular.* poteſt dici Officialis: ob id ait *Felin. loco citato,* quòd ſi ſtatum prohibeat quem habere officia, non poterit habere orationem ad Populum. Item Coquus delicatorum ciborum dicitur habere officium, & artem, vt ex *Io. Andr.* & alijs idem *Felin.* ibidem, vbi etiam inquit ex *Ludouico ſingul.358.* quòd Coquus Imperatoris, vel Principis habet dignitatem. Economus pariter dicitur habere officium, & alij ſimiles. Item Officialis, lato ſumpto vocabulo, dicuntur etiam habentes adminiſtrationem Eccleſiaſticam cum dignitate, vt ſupra diximus, vt ſunt Præpoſiti, Priores, Guardiani, Plebani Collegiatæ Eccleſiæ, & alij eiuſmodi, de quibus *Gemin. in c. 1. ſub num. 9. de conſuet. in 6.* Idem dicendum eſt de eorum Vicarijs, vt in *rubr. de offic. Vicar.* & denique, cæteris prætermiſſis, de eorundem Aſſeſſoribus; quoniam hi appellantur Iudicum officiales, vt latè per *Azon. in ſum. de offic. Aſſeſ.*

102 Hæc omnia licèt vera ſint; nihilominus quoad rem noſtram attinet, *Molf.* poſt alios *in d. c.20. nu.79.* inquit, quòd Officiales in monaſterijs, & conuentibus intelliguntur ſecundum varietatem Religionũ. Quocircà in monaſterijs ſunt Abbates, Priores, Exactores, Cellerarij, Procuratores, Sacriſtæ, &c. In Conuentibus ſunt Generales, Procuratores Generales, Prouinciales, Guardiani, Præpoſiti, Rectores, Priores, & alij Superiores, ac eorum Vicarij in eorundem abſentia. Hi ſecundum communem loquendi modum appellantur Officiales in Monaſterijs, & Conuentibus. Quibus adde Patres Viſitatores, Conſultores, Decanos, Diffinitores, Præſidentes: imò etiam Aſſeſſores, per ea, quæ ſupra diximus, & Vicarios, etiam præſentibus eorum Superioribus: ſiquidem licèt hi, præſentibus ſuis Superioribus, non habeant iuriſdictionem in actu; habent tamen eam in habitu: & in noſtra Religione maximè quamuis nominẽtur à Præpoſitis, creantur tamen, ſeù conſtituuntur, ab admodum R.P. Præpoſito Generali, & in proprijs domibus ſedent poſt Præpoſitum, Conſultores, & Viſitatores in actu viſitationis tantùm; reliquos autem præcedunt tàm in Choro, quàm in Refectorio, & in alijs. Poſſunt etiam appellari Officiales tenentes librum rationum accepti, & expenſi, & apud ſe conſeruantes eleemoſynas, aut introitus Monaſteriorum, & Conuentuum introitus habentium. Item veſtiarij, & omnes alij exiſtentes in aliquo officio, in quo aliqua recipiunt, & in vſus monaſterij, aut Eccleſiæ expendunt: quapropter à ratione Officialium non excluduntur Economi, Infirmarij, & alij eiuſmodi: pro quare vide *Zabar. in c. monachi, §. qui vero, de ſtat. monac.* Item Secretarij tàm Capituli generalis, quàm etiam domus poſſunt vocari fortè Officiales, cùm hi adminiſtrationem aliquam habeant

103 Eccleſiaſticam. Quo circa falſificantes eorum manum, ſeù ſigillum, vt ſupra in caſum reſeruatum incidunt. In monaſterijs deniq; monialium Officiales dicuntur Abbatiſſa, Prioriſſa, Vicaria, Sacriſta, & aliæ ſimiles, ad quas ſpectat exactio, vel adminiſtratio bonorum monaſterij, vt per eundem *Molf. loco citato.* Vndè non ſolùm Prælatorum vicem gerentes; verum etiam ipſi Prælati Regulares veniunt appellatione Officialium vt bene declarat etiam *Graff. lib.3. caſ.reſer.c.6. num.* 8. 9. 18. & 19. atque ideò falſificantes eorum manus, aut ſigillum caſum reſeruatum incurrunt.

104 Ampliatur hæc concluſio primò, vt ad contrahendum eiuſmodi caſum ſatis ſit falſificatio manus alicuius Officialis Monaſterij, &c. nec exigitur, vt falſificatio ſit manuum, ſeù ſcripturarum plurium Officialium: nam quamuis decretum loquatur de officialibus in numero plurali, dicens, *Falſificatio manus, aut ſigilli Offi-*

cialium, *&c.* Nihilominus ſunt referenda ſingula ſingulis; ita vt non ſolum caſum reſeruatum contrahant, ſi vnus, aut plures falſificent manus plurium Officialium; ſed etiam ſi ſinguli manus, aut ſigillum ſingulorum. Ad hoc facit *tex. in cap. Miſſas, de conſecr. d.* 1. vbi præcipitur Miſſas in plurali numero audire die Dominico totas; & tamen qui vnam tantùm Miſſam audit, dicitur præcepto ſatisfacere: vt rectè declarat *Syl. ver. Miſſa* 2. *ſub num* 1. *circa medium*. Nec obſtat ſi
105 dicatur, quòd Ferdinandus Rex Neapol. quoniam ſub die 21 April. 1482. conſtitutionem ediderat contra blaſphemantes ſanctos in plurali, videns eam non comprehendere blaſphemantem vnum tantùm ſanctum, aliam conſtitutionem edidit ſub die 11. April. 1483. in qua pœnam extendit contra blaſphemantem vnum ſolum quoq; ſanctum: ergò ſignum eſt, quòd dum Rom. Pontifex voluit, falſificationem manus Officialium eſſe caſum reſeruatum, cenſetur intellexiſſe de falſificante manum non vnius, ſed plurium Officialium, &c. quoniam reſpondetur, quòd in dicta priori conſtitutione conſtabat de mente Regis volentis ſub ea comprehendere blaſphemantes non vnum, ſed plures ſanctos: & propterea per poſteriorem conſtitutionem extendi priorem contra blaſphemantes, etiam vnum ſanctum dumtaxat. Cæterum ex ſui natura, præciſa voluntate Legislatoris, prior illa conſtitutio erat apta comprehendere blaſphemantem non ſolùm plures, ſed vnum tantùm ſanctum: aliàs ſequeretur, quòd canones excommunicantes violentas manus in Clericum inferentes, vt in *c. ſi quis ſuadente diabolo*, 17. *q.* 4. *& c. porro, & c. Parochianos, de ſent. excommun.* Cùm loquitur in numero plurali circa manus, non comprehenderent inferentem vnam ſolam manum violentam in Clericum; ſed tantùm eum, qui vtraque manu illum percuſſerit. Item ſequeretur, quòd Clerici, & Sacerdotes poſſent eſſe vnius Laici miniſtri, ac procuratores: nam *text. in c. Sacerdotibus, ne cler. vel mon.* prohibet Clericos eſſe miniſtros Laicorum in numero plurali, & non alicuius Laici: quæ omnia abſurda omnino eſſent.

106 Secundò ampliatur hæc ipſa concluſio, vt nõ ſolùm caſum reſeruatum incurrant, qui manum, & ſigillum Officialium vt ſupra falſificant; ſed etiam qui alterum ſupradictorum committunt; atque ideò ſatis eſt, ſi manus Officialium falſificent, aut Officialium ſigillum, & id ob dictionem illam *Aut*, quæ eſt alternatiua, & ponitur inter diuerſa, vt in *l. ille, ff. de legat.* 3. *& toto tit. de opt. legati*. In alternatiuis autem ſufficit alterum adimpleri, *c. in alternatiuis de regul. iur. in* 6.

107 Tertiò ampliatur eadem concluſio, vt falſificatio ſcripturæ, manu Officialium, de quibus agitur, ſcripta, ſit caſus reſeruatus, ſiuè addatur ei aliquid, ſiuè aliquid ab ea detrahatur, ſiuè mutetur, & ſiuè falsò de nouo fabricetur: ſiquidem vt ſupra diximus in primo not. falſariorum appellatione veniunt, qui radunt ſcripturam, qui aliquid noui ſcribunt, qui addunt, vel detrahunt, aut mutant, vel de nouo fabricant. Sic etiam falſificatio ſigilli Officialium non ſolum dicitur cùm quis fabricat ſigillum ad inſtar ſigilli ſupradictorum Officialium; verum etiam quando vtitur adulterino ſigillo ab alio fabrefacto in obſignandis litteris ipſorum Officialium iuxta ea,
108 quæ diximus in 2. *not.* Non tamen puto in caſum reſeruatum incidere, qui Officialium litteras obſignauerit vero ſigillo, eorum nomine, ipſis ignorantibus, non mandantibus, nec conſentientibus: quoniam is in rigore non cenſetur falſificare ſigillum, cùm omnis falſificatio ſit imitatio veritatis, vt in *d. not.* diximus: at in caſu prædicto ſigillum ſupponimus eſſe verum, ſicut & litteras eſſe veras à dictis Officialibus conſcriptas. Idem dicendum videtur de eo, qui falſificat manum Cancellarij Officialium, aut alterius, & litteras obſignet eorundem Officialium vero ſigillo, ipſis ignorantibus vt ſupra: ſiquidem in rigore iſte talis non dicitur falſificare, nec manum, nec ſigillum Officialium, qui caſus vi dicti decreti reſeruantur.

109 Quartò ampliatur, vt falſificatio litterarum, & ſigilli Officialium Monaſteriorum, &c. ſit caſus reſeruatus, ſiuè falſitas committatur in litteris eorum publicis, ſiuè priuatis, in libris rationum, & in alijs eiuſmodi: nam decretum prædictum generaliter loquitur de falſificatione, & non diſtinguit; ergò generaliter eſt intelligendum: quia quando lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l.* 1. *§. generaliter, ff. de legat. præſtan.*

110 Quintò ampliatur eadem concluſio, vt Regulares falſificantes vt ſupra manum, & ſigillum Officialium Monaſteriorum, &c. caſum reſeruatum contrahant, ſiuè Regulares maſculi ſint, atque ideò monachi, aut Clerici Regulares: ſiuè fœminæ, & ſic moniales: & officiales, ſiuè viri ſint, & Monaſteriorum, ac Conuentuum Religioſorum, ſiuè fœminæ, & propterea moniales monaſteriorum monialium, & Religioſarum. Etenim decretum prædictum generaliter loquitur de falſificatione manus, & ſigilli Officialium Monaſterij, aut Conuentus, nec diſtinguit inter monachos, & moniales, nec inter monaſteria monachorum, & monialium; ergò generaliter eſt vt ſupra intelligendum, iuxta *tex. in d. l.* 1. *§. generaliter*. Imò idem dicendum eſſet, ſi decretum loqueretur tantum in genere maſculino, nempè quicunque, aut quiſquis Regularis falſificat manum, vel ſigillum Officialium Monaſteriorum, & Conuentuum, quoniam adhuc ſub dicto decreto comprehenderentur non ſolum Regulares maſculi; ſed etiam moniales, & earum Officiales: ſiquidem maſculinum etiam in pœnalibus concipit fœmininum, maximè ſi à lege, vel canone ſit prolatum, vt in *c. ſi quis ſuadente diabolo*, vbi *Archid.* 17. *q.* 4. & nos latè de hac re egimus ſupra *diſp.* 1. *ſec.* 4.

111 Sextò ampliatur, vt falſificatio manus, ac ſigilli Officialium, vt ſupra, ſit caſus reſeruatus; etiam ſi falſificans, falſa ſcriptura, & adulterino ſigillo non vtatur: quoniam licet ad falſitatem tria debeant concurrere, nempè dolus, intereſſe partis, & mutatio veritatis; nihilominus hæc omnia expoſtulantur ad falſitatem punibilem, vt ſupra oſtendimus *in* 2. *not.* & poſt *Butr. in cap. pen. de crim. falſi*, notant *Graff. & Coriol.* apud *Molf. loco citato, nu.* 74. At falſitas conſummata dicitur per dolum, & mutationẽ veritatis, quamuis non concurrat partis intereſſe; ergò ſatis eſt ad contrahendum eiuſmodi caſum reſeruatum, ſi duo priora requiſita concurrant, etiam ſi falſarius non vtatur ſcriptura falſa, aut ſigillo adulte-

rino:

rino: quam quidem ſententiam licèt teneat *Graff. lib. 3. de caſib. reſer. c. 6. nu. 17.* quòd ſi Religioſus pœnitentia ductus non vteretur illa ſcriptura adhuc tamen caſum reſeruatum incurreret; nihilominus *Coriol. p. 2. de caſib. reſer. caſu 7.* quem ſequitur *Molf. d. nu. 74.* contrarium tenet, cum opus non ſit conſummatum. Sed prior ſententia nobis videtur verior; dummodo falſificans doloſè vt ſupra, animum habuerit vtendi ſcriptura, aut ſigillo falſo per ea, quæ ex *Alter.* diximus in *noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 6. q. vlt. ſub nu. 2. in ver. Quod verum* & latius *q. 7. concl. 2. ſub nu. 6.* vbi probauimus, quòd immutans reſcriptum Principis punitur etiam ſi in eo non vtatur. Et hanc eandem ſententiam tenet *Steph. Quaran. in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati, nu. 8.*

112 Septimò ampliatur, vt falſificatio litterarum, ſeù ſcripturæ Officialium, &c. ſit caſus reſeruatus, etiam ſi falſitas ſit in vna, vel altera littera; dummodo mutetur ſenſus, ab Officialibus intentus: ſecus autem ſi ſenſus non mutetur. Etenim idem diximus de falſificantibus litteras Apoſtolicas quoad excommunicationem in *Bulla Cœnæ contentam, loco ſupra citato, verſ. Quintò ampliatur, & q. 7. concl. 1.*

113 Sic ampliata limitatur primò hæc eadem cõcluſio, vt licèt falſificantes manum, aut ſigillum prædictorum Officialium, caſum reſeruatum incurrant; non tamen illum contrahunt mandantes falſificari. Siquidem mandare non eſt propriè facere, in *l. 1. §. deiceciſſe,* & ibi *Gloſ. ver. Viator, ff. de vi, & vi arm. c. vt famæ, ver. Videantur, de ſent. excom. & c. 2. de cler. pugn. in duel.* Vbi pugil verè homicida dicitur, & non mandans, licet teneatur de homicidio. At in caſibus reſeruatis ſumenda ſunt verba in propria ſignificatione. Ita *Graff. d. c. 6. nu. 23. & Molfeſ. d. c. 20. n. 78.* Qui addit in rigore defendi poſſe contrarium. Sed re vera id non video quomodo fieri poſſit, per ea, quæ latè cumulauimus in *d. noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. c. 6. q. 3.* Idem dicendum eſt de conſulentibus falſificationem, eiuſmodi: nam hi propriè non poſſunt dici falſarij, imò eadem ratione, nec auxiliantes comprehendas ſub diſpoſitione dicti decreti; ſicut nec fauentes, & defendentes: quia quando iura volunt, perſonas eiuſmodi comprehendi, illas exprimunt, vt in excommunicamus, *§. credentes de hæret. & in materia excom.* late habetur ex *Sayro lib. 3. tom. 1. c. 2. ſub nu. 6.* Quæ omnia vera ſunt, niſi auxilium, fauor, & cætera eiuſmodi talia ſint, vt contineant cooperationem ad eandem actionem; quoniam tunc auxiliantes fauentes, &c. caſum reſeruatum incurrerent, iuxta ea, quæ habentur ex *Suar. de cenſur. diſp. 21. ſec. 2. nu. 66.* qui etiam *diſp. 45. ſec. 3. n. 5. cum plur. ſeq.* docet modos, quibus contingere poteſt cooperatio. Cooperatores enim vna dicuntur moralis cauſa, vt per *Auil. de cenſur. par. 7. diſp. 6. ſec. 3. dub. 3. nu. 1.*

114 Secundò limitatur hæc ipſa concluſio, vt locum non habeat in Regularibus ratam habentibus falſitatem manus, aut ſigilli Officialium, de quibus agitur. Vt ſi quis Regularis nomine falſitatem huiuſmodi commiſerit: & deindè Regularis ipſe falſitatem ipſam ratam habuerit: tunc enim Regularis prædictus in caſum reſeruatum non incidit: eo quod dicti criminis nullo modo dicitur cauſa: etenim ratihabentes non ſunt cauſa quando delicta committuntur: nam tunc nullo modo cooperantur, & quod fit omninò ignorant: nec ſunt cauſa quando rata habent illa crimina; quia iam non fiunt; ſed iam commiſſa ſunt, cum ſupponamus conſummata eſſe: ergò repugnat poſtea habere cauſalitatem in illa. Complacentia verò tota, quæ habetur ex illa ratihabitione circa delicta commiſſa, reſpicit ea, vt obiectum, non vt effectum, vt rectè declarat *Suar. de cenſur. diſp. 44. ſec. 3. nu. 24.* Confirmatur, quia ſupra oſtendimus non comprehendi, ſub dicto decreto mandantes; ergò tantò minus ratam habentes talem falſificationem: quia ratihabitio æquiparatur mandato, vt in *c. ratihabitionem, de regul. iur. in 6. & c. cùm quis, de ſent. excom. eod. lib.* Eſt tamen verum, quòd ſi falſificatio nomine Regularis commiſſa fuerit, & deindè rata habita: & demum Religioſus ipſe falſa ſcriptura, vel adulterino ſigillo fuerit vſus, puto eiuſmodi Religioſum reſeruatum caſum incurrere; quoniam tunc videtur falſitati cooperari potius, quàm eam ratam habere; poſtquam ſcriptura falſa, aut adulterino ſigillo vtens cenſetur perfeciſſe delictum falſitatis. Idem dicendum eſt, ſi Religioſus præſens fuerit, dum ille talis ſuo nomine falſitatem commiſit: nam is dicitur ipſi crimini conſentire; niſi exterius manifeſtet non conſentire; eſto, quòd repugnatio ex toto corde non proueniat, per ea, quæ contra *Hoſtien.* docet idem *Suar. loco citato, nu. 22. & ſeq.* & nos diximus in *dictis noſtris Commentar. lib. 2. can. 9. q. 7. à num. 2. vſque in fin.*

115 Tertiò limitatur, vt ſub dicto decreto non comprehendantur Regulares vtentes litteris falſis officialium, de quibus agitur: quoniã vi dicti decreti reſeruatur tantũ falſificatio, &c. at aliud eſt falſificare, & aliud eſt vti litteris falſis, vt oſtendimus in dictis noſtris *Commentar. lib. 2. c. 6. q. vlt. nu. 14.*

116 Quartò limitatur, vt dicta concluſio locum non habeat in falſificantibus litteras dictorum officialium in aliquo modico, quod non ſit contra mentem ipſorum officialium, vt ſi grammaticalis tantũ error corrigatur: nam iſti tales nullam culpam contrahunt: ſi enim peccatum aliquod committerent, vel id eſſet, quia contra charitatem agerent, vel contra iuſtitiam, aut aliam virtutem: vel quia iuri poſitiuo contrauenirent: ſed neutro modo; ergò, &c. Non poteſt dici primum, quoniam iſti ita litteras mutantes, videntur potius proſpicere honori, ſeù decentiæ litterarum eius. Nec ſecundum; quia vi dicti decreti id non prohibetur. Imò de iure non quælibet raſura in litteris eſt punibilis; ſed illa dumtaxat, quæ ſit in loco ſuſpecto. Idem probabiliter dici poteſt de falſificantibus litteras dictorum officialium in modo iuxta eorum mentem ſecundum ſe; non tamen prout eſt expreſſum in litteris. Etenim in rigore hic verè falſarius dici nõ poteſt; ſed potius ſenſus, ac mentis officialium prædictorũ reſtaurator, vt habetur ex *Say. lib. 3. Theſ. c. 10. nu. 12.* Dixi, probabiliter; quoniam contraria ſententia nõ eſſet improbabilis: ſiquidem nonnulli volunt, quòd mutantes modicum aliquod in litteris Apoſtolicis iuxta Rom. Pontificis mentem ſecundum ſe, ſed non prout expreſſum in litteris, incidant

in

Google

in excommunicationem canonis 6. Bullæ Cœnæ, vt latè de hac rè nos egimus ibidem, *q. 7. concl. 2. ſub nu. 6.* Benè verum eſt, quòd ſi bonafides interueniat, talis falſificatio non eſt reſeruata; quoniam bonafides excuſat ſaltem à peccato mortali. At reſeruatio non datur; niſi culparum lethalium, vt ſuo loco dicemus.

117 Quintò limitatur, vt noſtra concluſio non procedat in falſificantibus litteras iniuſtas ipſorum officialium: ſiquidem, hos probabiliter eſt dicendum non incidere in caſum reſeruatum, ſi ad redimendam maximè propriam vexationem id agant, & citra ſcandalũ, vt ſcilicèt adeò occultè, vt impoſſibile ſit moraliter falſitatẽ eiuſmodi detegi. Etenim ſic falſificantes non peccant mortaliter, cùm defenſio ſit de iure naturali, *l. vt vim, ff. de iuſt. & iure.* Nec obſtat *tex. in c. olim* vbi etiam *Panor. nu. 6. de reſer.* vbi quidam Clericus ex eo quòd immutauit litteras quorundam iudicum, quamuis iniuſtas, tanquàm falſarius litem amiſit; quoniam in eo *text.* non probatur, litteras fuiſſe iniuſtas, vt ipſe *Panor.* putat. Dixi probabiliter; quoniam contraria opinio non eſt improbabilis, per ea, quæ adnotauimus in *dictis noſtris Commentar. lib. 2. c. 6. q. 5.*

118 Sextò limitatur, vt falſificatio manus officialium prædictorum ſit caſus reſeruatus requiratur dolus ex parte falſificantis: quoniam falſitas non committitur citra dolum. Hinc ſi Religioſus abſque dolo vteretur ſigillo Superioris, vt ſecurius eius litteræ ad aliquem peruenirent, in reſeruatum caſum non incideret, vt habetur ex *Coriol. apud Molf. d. c. 20. nu. 76.*

119 Septimò limitatur ſupradicta concluſio, vt locum non habeat in falſificatione litterarum officialium, quæ vim non habent: atque ideo dici non poteſt caſus reſeruatus, cùm lethalis culpa non contrahatur: vndè improbabilis nobis videtur *Graff.* ſententia, *lib. 3. de caſib. reſer. c. 6. ſub nu. 17.* contrarium aſſerentis. Idem dicendum eſt eadem ratione de falſificatione litterarum officialium eiuſmodi, quæ iam expirauerunt, ſi addendo, aut detrahendo aliquid ab eis adhuc remanerent inutiles, iuxta ea, quæ nos cumulauimus in *dictis noſtris Commentar. d. can. 6. q. 6. concl. 3.*

120 Octauò limitatur, vt ſub diſpoſitione dicti decreti nõ comprehendantur, qui cœperunt falsò fabricare litteras, ſeù ſigillum prædictorum officialium; ſed antequam perficerent, facti pœnitentes ab incepto opere deſtiterunt. Nam vt dicti decreti reſeruatur falſificatio manus, aut ſigilli, &c. at qui cœperunt vt ſupra, & non perfecerunt, non poſſunt dici commiſiſſe falſitatem, ſed tantùm habuiſſe intentionem committendi falſitatem, iuxta ea quæ adnotauimus in *d. c. 6. Bullæ Cœnæ, q. vlt. nu. 21.* Quæ quidem licèt vera ſint quoad ſigilli fabricationem; quia nunquam dicitur ſigillum fabricatum, niſi in eo inſignia, & nomen Religionis fuerint ſculpta; nihilominus quoad litteras ſi Regularis confinxerit, ſeù fabricauerit tantam earum partem, qua poſſit vti ad aliquam vtilitatem captandam, aut aliquod damnum vitandum, licèt eas non compleuerit, prout ſtatuerat, accedente dolo, puto eum in caſum reſeruatum incidere, per ea, quæ ſupra diximus *in 6. ampl.*

Explicatio ad octauum caſum.

121 OCtauus caſus reſeruatus vi ſupradicti decreti, eſt furtum bonorum monaſterij, vt conſtat ex illis verbis, *Furtum de rebus monaſterij, ſeù conuentus in ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* Ad cuius rei explicationem eſt adnot. quod furtum ex *Paulo iuriſc. in l. 1. §. furtum eſt, ff. de furt.* Eſt contrectatio rei alienæ fraudulosa lucrifaciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam vſus eius, poſſeſſioniſuè. Dicitur autem furtum à furuo ideſt nigro, quòd clam, & obſcurè fiat, & plerumque nocte: vel à fraude, ſeù à ferendo, & auferendo, vt in *d. l. 1.* ad differentiam rapinæ, quæ palàm fit, & cum violentia, vt in *c. 2. & 3. de raptor.* Quo verò ad quantitatem rei furtiuæ, quæ ſatis ſit ad committendum peccatum mortale, nõ poteſt aſſignari certa regula, & propterea arbitrio prudentis remittitur iudicanda, vt habetur ex *Sot. lib. 5. de iuſtit. & iure, q. 3. art. 3. ad 3.* & alijs, quos refert *Sayr. lib. 9. Clau. Reg. c. 15. nu. 10. & Molfeſ. p. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. c. 20. nu. 83. cum plur. ſeq.* Eſt tamen verùm, quod ad diiudicandum furtum lethale, aut veniale, ſemper conſideranda eſt conditio perſonæ eius, à quo res furto ſubtrahitur, an ſit diues, vel pauper. Hinc *Rodriq. tom. 3. qq. Regular. q. 29. art. 10. & 11. Valen. & alij,* quos ſupra retulimus in expli-
122 catione quarti caſus, dicunt, quòd in monaſterijs adeò pauperibus, vt in eis cum magno rigore ſeruatur paupertatis votum ad lethalem culpam contrahendam ſatis eſt duorum Iuliorum proprietas: ſiquidem ſtante eorum paupertate, in illa ſumma grauiter videntur damnificari. In alijs verò monaſterijs cõmunibus proprietas quatuor, aut quinque Iuliorum culpam mortalem conſtituit; ſed non minor, cùm in minori ſumma huiuſmodi monaſteria non cenſentur grauiter dam-
123 nificari. Vndè furtum duorum Iuliorum in monaſterijs pauperrimis erit grauis culpa: in monaſterijs communibus erit talis culpa furtum non minoris ſummæ, quàm quinque Iuliorum: & in monaſterijs diuitibus ad committendum peccatum mortale non exigitur furtũ minoris ſummæ, quàm duorum aureorum: ſiquidem quamuis diuites ſint, & eorum reſpectu videatur parua quantitas; nihilominus pluribus indigent ad comparanda vſui neceſſaria, & regulariter ſumma duorum aureorum ſecundum ſe eſt notabilis quantitas, *arg. tex. in l. ſi oleum in fine, & l. ſeq. ff. de dolo.*

124 Ampliatur primò, vt furtum rerum monaſterij in ea quantitate quæ conſtituat peccatum mortale poſſit per Superiores Regulares reſeruari, ſiuè furtum manifeſtum ſit; ſiuè non manifeſtum: quoniam decretum generaliter loquitur, nec diſtinguit; ergò generaliter eſt intelligendum, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt.* Dicitur autem furtum manifeſtum non ex eo, quod manifeſtè committatur; ſed quia fur cum re furtiua fuerit viſus, aut deprehenſus in publico, aut in priuato loco à Domino, vel ab alio antequam eò peruenerit, quò deferre, vel deponere deſtinaſſet, vt in *l. 2. & l. fur, ff. de furt. & §. furtum, in Inſtit. de obligat.* quæ ex delicto naſcuntur. Non manifeſtum verò furtum non ſolùm dicitur illud, quod eſt omninò occultum; ſed etiam id, quòd fur negare non poteſt commiſiſſe, licèt cum eo non fuerit deprehenſus, nec viſus antequam eò perue-

peruenıat, quò fur aſportare determinauerit, vt in *l. manifeſtum, ff. eod. tit. citato.*

125 Secundò ampliatur, vt furtum rerum monaſterij aſcendens ad culpam grauem ſit caſus reſeruatus, cuiuſcunq; rei ſit, & cuiuſcunq; ſpeciei; atque ideò, ſiuè furtum ſit rei ſacræ, quod dicitur ſacrilegium; ſiuè rei profanæ. Vndè ſi Religioſus ſacras reliquias ſurripiat, Calices, & alia eiuſmodi in caſum reſeruatum incidit, vt in *c. quiſquis, 17. q. 4.* Nec excuſatur ſi de licentia Sacriſtæ reliquias ſubtraxerit: ſiquidem Sacriſtæ datur rerum ſacrarum cuſtodia ad cõſeruationem, non autem ad deſtructionem, & *tex. in d. c. quiſquis, § ſi quis domum*, licèt dicat ſacrilegium committi, quando ea citra Sacriſtæ licentiam auferuntur, illum tamen *tex. Archid.* intelligit de licentia debita: & *Turrec.* de licentia iuſta: iuſtam autem, ac debitam licentiam auferendi Sanctorum Reliquias tantùm Abbates, & alij immediati monaſterij Superiores dare poſſunt, vt per *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c. 7. nu. 24. & 25.* Dicitur quoque ſacrilegium committi nõ ſolùm quando ſacrum aufertur à loco ſacro; ſed etiam quando ſacrum tollitur à loco non ſacro; aut non ſacrum aufertur à loco ſacro, vt in *d. c. quiſquis*: Imò furtum cuiuſcunque rei Eccleſiæ ſacrilegium eſt, *c. qui rapit, 17. q. 4. & c. nulli 12. q. 2.* Eſt etiam

126 caſus reſeruatus cuiuſcunq; rei profanæ Eccleſiæ, nempè bouis, ouis, aut totius gregis, quod propriè dicitur ambigeatus, vt *in ff. & C. de Abig.* Item ſi furtum fiat hominis, quod appellatur plagium, vt *in toto tit. ff. & C. de plag.* Non tamen illius ſerui fugitiui dicitur Religioſus furtum committere, cui dum aufugeret, iter oſtendit, *l. furtum non committit, ff. de furt.* Eſt quoq; caſus reſeruatus furtum rei minimæ monaſterij, in ea re cadat affectio, & æſtimatur magna, vt habetur ex *Steph. Quar. in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati*: & ad ipſum *Addent. in explic. huius caſus, nu. 9. verſ. Eſſet etiam furtum mortale.*

127 Tertiò ampliatur, vt non ſolùm furtum rerum monaſterij, ſit caſus reſeruatus; ſed etiam rapina: ſiquidem furti nomine etiam rapina continetur. Hinc ait *tex. in c. pœnale, 14. q. 5. Non rapinam permiſit, qui furtum prohibuit: ſed vtique furti nomine in lege veteri, etiam rapinam intelligi voluit.* Vndè rapinam ſecundum *Bart. in l. 2. ff. de vi bon. rapt.* ſe habet reſpectu furti, ſicut homo reſpectu animalis: & propterea ſicut de ſpecie ad genus procedit argumentum affirmatiuè, vt, eſt homo, ergò animal; ita valet argumentum, eſt rapina; ergò furtum. Hac ratione cùm rapina ſit ſpecies furti, raptor appellatur improbus fur, *§. 1. in Inſtit. de vi bon. rapt. & Gloſ. in d. l. 2.* Exten-

128 dit etiam *Graff. loco citato, nu. 1.* prædictum decretum in omnem illicitam vſurpationem factam à Religioſo: quia furti nomine intelligitur omnis illicita vſurpatio rei alienæ: ad quod allegat *tex. in d. c. pœnale*, & melius *in c. meretrices, 32. q. 4.* Sed re vera *Graff.* dictum videtur non paruam habere difficultatem. Etenim appellatione furti lato tantùm ſumpto vocabulo, venit omnis illicita vſurpatio rei alienæ: at ſi conſideramus furtum ſtrictè, ac propriè, ab ipſius ratione excluditur acceptio vſuraria, & omnis alia ab illicito contractu prouenıens: ſiquidem furtum eſt omninò inuoluntarium, ſicut rapina, cùm furtum fraudulenter committatur: & ideò definitur, quòd ſit cõtrectatio rei alienæ fraudulosa lucrifaciendi gratia, ipſius rei, vel etiam vſus eius, poſſeſſioniſuè, vt ſupra diximus in not. atque adeò inuito Domino. Sic etiam rapina dicitur omninò inuoluntaria, cùm citra violentiam non committatur vt in *c. 2. & 3. de raptor. & l. 1. C. de vi bon. rapt.* Rapere enim eſt rem alienam impetu quodam, ac celeritate tollere, *d. l. 1. & l. quo naufragio, C. de incend. ruina, ac naufr.* At verò vſurpatio rei alienæ alia eſt à furto, ac rapina; quoniam ab illicito contractu prouenit: eſt voluntaria ſimpliciter; inuoluntaria tantùm ſecundum quid, cùm contractus fiat abſolutè de conſenſu contrahentium, licèt in eo interueniat aliquid inuoluntarij, vt quia damnum patiens idcircò illud patitur, quòd ignoret iniuſtitiam: vel ſi cognoſcit, conſenſit neceſſitate preſſus, vt latè habetur ex *Reginal. in ſua ſum. lib. 23. c. 1. nu. 1.* Vndè ſi demus Regularem peculium habentem vſuram commiſiſſe cum alio Regulari eiuſdem monaſterij, qui peculium ſimiliter habeat, licèt lethalem culpam commiſiſſe concedamur; non tamen in caſum, de quo agitur, incidiſſe dicimus.

129 Quartò ampliatur, vt in caſum reſeruatum Religioſus incidat, etiam ſi ex pecunia, quam accepit à ſuo Superiore pro expenſis itineris, aliquid ſupererit, eidem non reſtituerit, licèt parcè vixerit: ſiquidem illud eſt monaſterij; atque ideò non poteſt à Religioſo ſibi appropriari; ſed debet Superiori reſtituere: aliàs ſi occultè ſibi retineat, furtum committit, cùm illa retentio fraudulosa ſit contrectatio rei alienæ fraudulosa, &c. Et ſic conuenit ei furti definitio, vt habetur ex *Steph. Quar. in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati, caſu 8.* Eſt tamen verum, quòd ſi pecunia, quæ pro itinere Religioſo tribuitur, ea lege ſibi detur cum Superioris licentia, vt nihil aliud à monaſterio exigat, nec rationem reddat; ſed in ſuo damno, aut commodo expendat, tunc ſi parcius viuendo aliquid quod remanſit ſibi retineat, poterit illud extra culpam pro alijs ſuis neceſſitatibus expendere, cùm hoc caſu tacitus Prælati conſenſus interueniat. Dixi, pro ſuis neceſſitatibus, quoniam nec eo euentu poſſet ſuperfluum illud ad ſui libitum expendere, iuxta ea, quæ habentur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1.* & latè *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c. 4. nu. 29. & 30.*

130 Quintò ampliatur, vt caſum reſeruatum incurrat Regularis, qui ſimulans indigere veſtimentis, quibus re vera non egeat, fraudulenter facit ſibi à Prælato ea emi, aut pecuniam tradi pro illis emendis: quoniam is ſacrilegium committit auferens id, quod erat alijs Religioſis profuturum, & verè dicitur veſtimenta eiuſmodi contrectare; atque ideò verè furtum committit rerum monaſterij, vt habetur ex *Graff. loco ſupra citato, nu. 35.* Verum tamen eſt, quòd ſi in aliqua Religione, prout in quamplurimis ſeruatur, ſingulis annis aſſignatur à Prælato certa pecuniæ quantitas ſingulis Religioſis pro emendis ſibi veſtimentis, calceis, &c. Ita vt nihil amplius à monaſterio exigant, nec rationem reddant, tunc ſi Religioſus pecuniam eiuſmodi recipiat, veſtimentis non indigens, ac ſuperfluis veſtibus ſe ſuffarcinet, licèt furtum, ſeu ſacrilegium non committat, ſi Prælatus maximè ſciat Regularem illum indumentis non indigere, atque ideò caſum reſeruatum non contrahat; nihilominus peccat

mor-

mortaliter ſuperflua ſibi retinens. Nec Superiorum licentia eum excuſat: ſiquidem Prælatus non poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare, vt ſuperflua apud ſe habeant; quoniam diſpenſatio rationabilem diſpenſandi cauſam expoſtulat, vt in *c. niſi rigor, & ſeq. 1. q. 7.* Vndè quamuis diſpenſatus non dicatur proprietarius; nihilominus tàm diſpenſatus, quàm diſpenſans mortaliter peccant, vt rectè docet *Turrecr. in c. non dicatis, num. 4. 12. q. 1. Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 12. c. 12. q. 5. & Graff. loco ſupra relato.*

131 Sextò ampliatur, vt Regularis hunc caſum reſeruatum incurrat, non ſolùm ſi res monaſterij ſurripiat, vt ſibi approprìet, & earum proprietatem conſumet; ſed etiam, vt illarum rerum vſum tantum habeat, & deindè reſtituat: quoniam is verè dicitur furari res monaſterij; cùm furtum ſit contrectatio rei alienæ, vel eiuſdem vſus, poſſeſſioniſuè, vt ſupra diximus in *not. per tex. in l. 1. ff. de furt. l. qui iumenta, & l. fullo, ff. eod.*

132 Septimò ampliatur, vt Regularis furtum committat, atque ideò caſum reſeruatum contrahat, etiam ſi rem communem cum alio Regulari à Prælato traditam auferat; quoniam rei communis furtum quoque committi poteſt; ſiquidem res communis, pro parte aliena eſt, *l. ſi ſocius, ff. de furt.* quæ quidem non poteſt eſſe Regularis conſocij, cùm Regularis ſit dominij incapax; ergò eſt monaſterij, atque ideò in caſum reſeruatum incidit.

133 Octauo ampliatur, vt Regularis caſum reſeruatum incurrat, auferens rem monaſterio mutuatam; quia is dicitur rem monaſterij ſurripere, cùm mutui transferatur dominium penès mutuatarium, *l. 2. §. appellata, ff. ſi cert. petat.* Idem dicendum eſt ſi rem depoſitam apud monaſteriũ auferat, cuius dominium in eum fuerit translatum ex conſenſu tacito, vel expreſſo deponentis, vt ſi depoſitum ſit pecuniarum, vel alterius rei conſiſtentis in pondere, numero, & menſura: quoniam tunc eiuſmodi depoſitum dicitur tranſire in naturam mutui, vt in *l. certi conditio, §. depoſui, & l. quod ſi ab initio, ff. ſi cert. petat.* latè *Nauar.* cum alijs, quos allegat in *Man. c. 17. nu. 180.* Etenim eiuſmodi depoſiti transfertur dominium penès accipientem, & non reſtituitur idem numero: ac recipiens tenetur etiam de caſu fortuito: quæ omnia de natura mutui ſunt, & contra eſſentiam depoſiti. Quamuis non deſinit, qui velint; prædicta eſſe præter, & non contra naturã depoſiti, cùm depoſita peti poſſint quandocunque. Ita *Azor. tom. 3. Inſtit. moral. lib. 7. c. 7. col. 2. verſ. Alteræ ſententia.* Verùm, hac ſententia non obſtante, adhuc Regularis caſum reſeruatum contraheret prædictum depoſitum auferens; eo quòd rem monaſterij diceretur ſurripere. Dixi, ſi depoſiti dominium fuerit translatum penès recipientem; aliàs ſecus, vt ſi pecunia in ſacculo incluſa, & obſignato fuerit depoſita apud monaſterium, & Regularis eam ſurripiat; quoniam tunc non diceretur ſurripere rem monaſterij, ſed alterius. Eſſet tamen iſte talis tanquam proprietarius habendus, & propterea incurreret quartum caſum reſeruatum. Quæ dixi-
134 mus de furto rei depoſitæ, cuius dominium non transfertur penès recipientem, extendimus quoq; ad Regularem ſurripientem rem commodatam monaſterio; quia cùm rei commodatæ non transferatur dominium penès commodatarium, *l. rei commodatæ, & l. nemo, ff. commod. & in Inſtit. quib. mod. contr. oblig. §. item is,* Prædictus Regularis non dicitur auferre rem monaſterij. Sic etiam dicendum eſt de Regulari ſurripiente rem locatam monaſterio, cùm rei locatæ non transferatur dominium penès locatarium: licèt dici rationabiliter poſſit, quòd & ſi eiuſmodi Regularis non incidat in caſum reſeruatum ratione rei commodatæ, aut locatæ monaſterio, cùm res illa non dicatur monaſterij; tamen caſum ipſum videtur contrahere ratione vſus rei commodatæ, aut locatæ competentis monaſterio. Vndè cùm furtum non tantum committatur in re, ſed etiam in vſu rei, vt in not. ſupra diximus, furti definitionem aſſignantes, meritò Regularis prædictus tanquam priuans vſus rei monaſtrium, in caſum reſeruatum videtur incidere. Idem dicendum eſt de Regulari ſurripiente rem, cuius monaſterium habet vſum, vel vſumfructum: is enim verè dicitur furari rem monaſterij, attenta furti definitione.

135 Nonò ampliatur, vt Regularis in eumdem caſum incidat, non ſolùm ſi res, quas monaſterium in communi poſſidet, ſurripiat; ſed etiam ſi res auferat à Regularibus eiuſdem ordinis datas eis quoad ipſarum vſum, vt habetur ex *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c. 7. nu. 4.* ſiquidem is dicitur furari res monaſterij, cùm Regularis non ſit capax dominij rerum monaſterij; etiam ſi Prælatus quoad dominium, & proprietatem rem aliquam ſubdito concedat. Etenim Prælatus ſicut & eius ſubditus Regularis, eſt incapax proprietatis, vt in *cap. Abbate 54. d.* & latè *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c. 4. nu. 31. 32. & 33.* & propterea non poteſt plus iuris in ſubditum transferre, quam ipſe habet, iuxta iuris regulam, *in c. nemo plus, de reg. iur. in 6.*

136 Decimò ampliatur, vt Regularis furtum committat, atque ideò caſum reſeruatum incurrat non ſolùm auferendo res monaſterij, & ſibi appropriando; verùm etiam eas alteri donando, commodando, vel mutuando: ſiquidem huic competit furti definitio, quod eſt contrectatio rei alienæ lucrifaciendi, &c. vt ſupra in ipſo not. diximus. Lucrari autem is quoque dicitur, qui rem amouet, alteri donet, vel commodet: nam lucri ſpecies eſt, ex alieno largiri, & beneficij debitorem ſibi conſtituere, *l. ſi pignore, §. 1. ff. de furt. c. non eſt putandum, & c. ſi forté, 14. q. 5.* Quod quidem verum eſt, ſiuè res monaſterij donet, commodet, aut mutuet extraneis, ſiuè Regularibus eiuſdem monaſterij, ac ordinis, cùm militet eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

137 Vndecimò ampliatur, vt Regularis caſum reſeruatum contrahat nõ ſolum ſi res monaſterij auferat, & eas in proprium vſum conuertat, vt diximus; ſed etiam ſi auferat, vt ſi eleemoſynam diſtribueret, & cum effectu diſtribuat, vt in *c. non putanda, & c. forté. 24. q. 5.* Siquidem dare rem in eleemoſynam eſt rem elargiri, quod rei alienæ citra furtum fieri non poteſt, vt ſupra oſtendimus ex *l. ſi pignore, §. 1. ff. de furt.* Quod verum eſt, niſi pauperis neceſſitas, cui tribuitur eleemoſyna, ſit extrema, vel etiam grauis, cui monaſterium teneretur ſuccurrere: quoniam neceſſitatis tempore omnia ſunt communia, *c. diſcipulos de conſecr. d. 5. & c. ſicut hi, 47. d. D. Thom. 22. q. 66.*

q.66.art.8. *Sayr.lib.9.Clauis Regiæ,c.14.nu.23. Graff.* & alij apud *Molſ.p.1.ſua ſum. Theolog. tract.7.c.20.nu.90.* vbi etiam, *nu.91.* & *92.* excuſat huiuſmodi Regularem à furto, & à caſu reſeruato ſi largiatur pauperibus cõſuetam eleemoſynã: quia ſupponitur ratihabitio Superioris, *arg. tex. in c. exiit, de verb. ſignif.* Vel ſi ob feruorem charitatis auferret bona monaſterij, vt pauperibus elargiretur; ſicut legitur de Beato Iunipero, & alijs: nam qui ſpiritu Dei aguntur, non ſunt ſub lege.

138 Duodecimò ampliatur, vt Regularis eiuſmodi caſum reſeruatum incurrat, non ſolum ſi per ſe rem monaſterij auferat, verùm etiam ſi per laicum, vt ſi ſeruum laicum monaſterij ſollicitet ad furandum ipſius monaſterij bona, & ad ſibi tradendum, & cum effectu ſibi tradat: quoniam tunc verè huic facinori competit furti definitio; vt conſideranti patet, & facit *tex. in l. aduerſus, §. 1. C. de furt.* & *Bart. in ſi is qui pro emptore, ff. de vſucap.* & *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c.7.nu.35.* Dixi, & cum effectum ſibi tradat; quoniam ante rei ablatæ à ſeruo traditionem ipſi Regulari caſum reſeruatum non incurreret: etenim tunc nõ diceretur formaliter furtum commiſiſſe; ſed tantùm mandaſſe, ſeù præcepiſſe furtum committere: at vi ſupradicti decreti comprehenduntur auferentes tantum res monaſterij; non autem mandantes auferri, cùm non exprimantur.

139 Tertiodecimò ampliatur, vt Regularis non modo caſum reſeruatum contrahat pro rebus monaſterij ſublatis; ſed etiam pro rebus acquiſitis vlterius ex rebus monaſterio ſublatis: quoniam licèt fur ea, quæ ex re furtiua propria induſtria acquirit ſua ſibi facit, nec teneatur reſtituere Domino rei furtiuæ, cùm non ex re ſublata, ſed ex propria induſtria proueniant, vt latè habetur ex *Molina de contr. diſp. 326.* & *27.* nihilominus, quia quicquid acquirit monacus, acquirit monaſterio, etiam res illas, quas vlterius acquiſiuit ex monaſterij bonis furto ſublatis, ipſi monaſterio debentur; atque ideò pro dictis quoque rebus caſum reſeruatum contrahit.

140 Quartodecimò ampliatur, vt Regularis caſum reſeruatum incurrat, qui re apud ipſum à Prælato depoſita vtitur contra Prælati voluntatem tacitam, vel expreſſam: ſiquidem re depoſita citra Domini conſenſum vtens, furtum committit, vt latè habetur ex *Azor.lib.7.moral.p.3.c.9.verſ. Quæſtionis dubia.*

141 Quintodecimò ampliatur ipſa concluſio, vt Regularis in caſum reſeruatum incidat, ſi datum ſibi iumentum à Superiore ad eundum ad locum aliquem, illud in aliud longius duxerit: nàm licèt is iumenti furtum non committat, facit tamen furtum vſus illius contra voluntatem Superioris; ad quod facit *text. in l. qui iumenta, ff. de furt.* Vndè nobis non probatur *Graff.* ſententia *in d. c.7.nu.37.* contrarium ſentientis, ex eo quod iumentum non deſijt eſſe in monaſterij poteſtate; quoniam quamuis id verum eſſe videatur: eiuſdem tamen vſu pro illo tempore priuatur monaſterium; at furtum non tantum eſt rei, ſed etiam eiuſdem vſus, vt in *d.l.1.ff. de furt.*

142 Sic ampliata limitatur primò eadem concluſio, vt ſub dicto decreto comprehendantur Regulares tantùm, qui ſunt illius monaſterij, cuius bona ſubſtulerunt. Etenim hic agitur de caſibus reſeruatis à Superioribus Regularium, inter quos eſt præſens caſus, qui non comprehendit, niſi ſubditos, quamuis generaliter loquatur, vt per *Graff.d.c.7.nu.2.* Vndè ſi monacus vnius monaſterij auferat bona alterius monaſterij, cuius Superiori non eſt ſubditus, caſum reſeruatum non incurrit: ſicut nec Prælatus ſi monaſterij, cui præeſt bona ſurripiat, niſi à P. Generali, vel in Capitulo generali fuerit reſeruatus talis caſus; etiam reſpectu Prælatorum, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus.

143 Secundò limitatur, vt furtum rerum monaſterij à Religioſo commiſſum ita demum ſit caſus reſeruatus, ſi ad eam quantitatem aſcendat, quæ ſit culpa lethalis, vt patet ex illis Decreti verbis, *In ea quantitate, quæ ſit peccatum mortale.* Quæ verò quantitas exigatur ad committendam lethalem culpam ſupra declarauimus in not. quibus adde, quòd aliquando parua rei quantitas, in qua cadat affectio, poteſt eſſe materia peccati mortalis, vt patet ex ijs, quæ ſupra diximus *ampl. 2. in fine.* Quibus adde, quòd circa interpretationem Bullæ Clem. VIII. de largit. muner. ſub grauibus pœnis prohibentis munerum largitionem Religioſis, licèt culpa mortalis committatur per largitionem duorum Iuliorum in monaſterijs pauperibus: & in communibus per largitionem quatuor, vel quinque Iuliorum, vt diximus in ſupra relato not. nihilominus quoad pœnas incurrendas ſatis non eſt minor quantitas duorũ aureorum: ſiquidem pœna furti locum ſibi non habet infra dictam ſummam, cùm iudicetur res minima: & domino ſolùm competat actio recuperandi bona ſibi ſublata, vt *in l. & eleganter, §. idem Pomponius,* & *l. ſi oleum, cum l. ſeq. ff. de dolo,* & ita teſtatur *Molſ. d.c.20. nu.86.* Fuiſſe viuæ vocis oraculo declaratũ per eundem Clem. VIII. P. M. anno 1596.

144 Tertiò limitatur, vt Regularis caſum reſeruatum non incurrat ſi ſeparatim plures res minimas monaſterij abſtulerit, quæ ſimul iunctæ facerent quantitatem notabilem ſufficientem ad conſtituendam lethalem culpam; dummodo non habeat animum perueniendi ad illam ſummam in ipſo furandi actu: ſecus autem ſi habeat animũ furandi maiorem ſummam; quoniam tunc per vltimum furandi actum, quo peruentum fuerit ad notabilem ſummam reſeruatum caſum contrahit, vt videtur docere *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c.7.nu.22.* maximè ſi Regularis continuato tempore notabilem illam quantitatem conflaſſet; ſecus autem magnis interuallis interpoſitis, decem ſcilicèt dierum, viginti, aut vnius menſis, iuxta ea, quæ dicit *Nauar.in Man.c.17.nu.140.* Quod quidem verum eſſe puto, niſi Regularis actu pænès ſe habeat totam illam quantitatem furtiuam, diuerſis vicibus coaceruatam; hoc caſu ſi in ſingulis furandi actibus non habuerit animum perueniendi ad ſummam illam, quæ ſatis eſſet ad contrahendam lethalem culpam, in reſeruatum caſum incidit: nam cum eo caſu Regularis eiuſmodi notabilem quantitatem rerum monaſterij apud ſe retineat, quam reſtituere tenetur, illa retentio eſt noua contrectatio rei notabilis, atque ideò furtum rei notabilis, vt rectè inquit *Molſeſ. p.1. ſuæ ſum. Theol. tract.7.c.20.nu.94.*

145 Quartò limitatur, vt caſum reſeruatum non contrahat Religioſus, cui ab aliquo data eſt pe-

enna perferanda ad Superiorem monaſterij, vel ad procuratorem eius: & is totam, aut partem dictæ pecuniæ in proprios vſus expenderit: ſiquidem pecunia illa non poteſt dici monaſterij, cùm adhuc non fuerit illi incorporata, & poſſit monaſterium ipſum conuenire eum, qui incautè dicto Religioſo pecuniam tradidit, vt ſupra perferendam, vt habetur ex eodem *Graff. loco citato nu. 36.* Sed re vera hæc limitatio nobis non probatur ſi Regularis ille tempore, quo pecuniam prædictam recepit, animum habuit eam integram conſignandi Superiori; quia ſtatim acquiſita eſt monaſterio, cùm quicquid acquirat Monachus, acquirat monaſterio, vt *in auth. ingreſſi,* & ibi latè *Doctor. C. de ſacr. Eccl. & in Conc. Trid. ſeſſ. 25. c. 1.* Et propterea eandem ſibi poſtea appropriando, furtum committit. Et quamuis pecunia illa debita fuerit monaſterio, & ideò competat ei actio contra ſuum debitorem; nihilominus actio ipſa non poteſt dici directa pro debito conſequendo; ſed potius indirectè ad reficienda ſibi damna ſui debitoris culpa prouenta. Et denique, dato, quòd in caſu pecuniæ debitæ hoc ſit verum; non tamen verificari poteſt in pecunia data in eleemoſynam perferendam per dictum Religioſum, vt ſupra patet ex ijs, quæ ſupra diximus.

146 Quintò limitatur, vt Regularis in caſum reſeruatum non incidat, ſi res aliquas monaſterij auferat, credens probabiliter Prælatus ſibi eas conceſſurum: ſiquidem furtum committitur inuito Domino rei ſublatæ, vt *in l. 1.* & ibi *Doctor. ff. de fure.* Præſumitur autem, quòd Prælatus res illas ſibi eſſet conceſſurus, ſi valdè familiaris, ac ſingulariter dilectus ſubditus illi eſſet, *arg. tex. in l. qui iure familiaritatis, ff. de acq. poſſeſ.* Vel ratione bonæ illius vitæ præcedentis, ac ſubſequentis, *cap. cùm in iuuentute, de præſumpt. & Graff. d. c. 17. nu. 38. & 39.*

147 Sextò limitatur, vt Regularis caſum reſeruatum non contrahat, ſi res aliquas monaſterij auferat ad conſulendum maximæ ipſius neceſſitati pro conſeruatione indiuidui, Superiore præſertim requiſito, & neceſſaria denegante: ſiquidem eo caſu non dicitur furtum committere, cùm neceſſitatis tempore omnia ſint communia, *c. diſcipulos de conſecr. d. 5.* & latè *Doctor. in c. ſi quis propter neceſſitatem famis, de furt.* Non enim furtum eſt percipere ab inuito ſibi debitum, *cap. non ſanè, 14. q. 5.* Idem dicendum eſſe putat *Molf. d. c. 20. nu. 46.* Si Regularis pro aliquo ſuo neceſſario vſu res monaſterij accipiat; quoniam illa præſentanea neceſſitas tribuit ei licentiam. Quæ omnia vera putat quoad forum conſcientiæ: nam in foro exteriori poſſet puniri, dum citra Superioris facultatem res illas ſubtrahit. Et ita teſtatur *Steph. Quar. in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati, ſub nu. 6. §. ad ſextum,* fuiſſe declaratum per Sacram Congregationem Cardinalium. Sed id verum arbitror, vbi non conſtaret de præſentanea illa neceſſitate, & de petita licentia, & non obtenta: aliàs ſecus, quoniam tunc ſequeretur, quem puniri citra culpam.

Explicatio ad nonum caſum.

148 NOnus caſus eſt lapſus carnis, vt patet ex illis decreti verbis, *Lapſus carnis voluntarius, opere conſumatus.* Ad cuius explicationẽ eſt adnot. quòd quamuis *Apoſtolus Paulus in Epiſt. ad Galat. c. 5.* inter manifeſta carnis opera non ſolùm enumeret fornicationem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam; ſed etiam Idolorum ſeruitutem, veneficia, inimicitias, iras, rixas diſſentiones, ſectas, inuidias, homicidia, ebrietates, commeſſiones, & his ſimilia, quæ prædicit nobis, ſicut prædixit; quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non conſequentur; nihilominus, fornicationem voluit inter enumerata carnis opera primum locum ſibi vendicare; eo quòd dicitur lapſus carnis, ideſt carnis ruina; ſicut lapſum corporalem, atque adeò ruinam corporalem appellat eam *tex. in c. Domino ſancto, 50. diſt.* Per fornicationem enim ruit caro, ſeù corpus non tantùm interius, cùm per illam eneruetur, ac debilitetur; verùm etiam exterius fœdando, ac deturpando. Dicitur quoque fornicatio lapſus; quoniam fornicarij ad inſtar eorum, qui in lubrico figentes veſtigia in terram ruunt, in Infernum labuntur. Et ſi omnes, qui talia agunt, prædixit Apoſtolus, quod Regnum Dei non conſequentur; quid dicendum erit quæſo de Religioſis, qui in ruinam eiuſmodi prolapſi reperiuntur. Hi namque non modo ſcandalum, ac deriſio efficiuntur Populi, vt *in c. 2. de purg. can. & c. presbyter, & c. ſi mala, 11. q. 1.* Sed etiam Deo abominabiles multo magis redduntur, quàm ſæculares ita peccantes, vt in *c. ipſi Sacerdotes, 1. q. 1.* qui ſi Sacerdotes ſint offendunt amplius, *c. Sacerdotes, 49. diſt.*

149 Secundò eſt adnot. quòd eiuſmodi caſus dupliciter ſolet à Regularibus Superioribus reſeruari. Primò ſimpliciter prout in Decreto continetur: ſecundò cum hac limitatione, vbi ſcilicet lapſus carnis conſumatus eſt cum tertia perſona. Cùm priori modo reſeruatur nunquam incurritur, niſi tres concurrant cõditiones: nempe quòd caſus ſit lapſus carnis: quòd ſit voluntarius: & demum, quòd ſit opere conſumatus. Cùm verò poſteriori modo Regulares Prælati caſum prædictum ſibi reſeruant, vltra ſupradictas tres conditiones, exigitur etiam quarta, vt ſcilicet lapſus carnis ſit opere conſumatus cum tertia perſona.

150 Quoad primam conditionem eſt adnot. quod lapſus carnis licèt comprehendat ſollicitationem ad turpia, oſcula, tactus, amplexus impudicos, & alia eiuſmodi, etiam citra omnem ſeminis effuſionem; atque ideò ſi per Capitulum Generale, aut Prouinciale iuxta formam dicti decreti, huic caſui inſuper adderentur hæc verba, *Et quicquid eſt contra votum caſtitatis, quod in actum externum prodeat.* Tunc ſub eo comprehenderentur omnia ſupradicta, vt habetur per *Proſperum de Auguſtino in addit. ad Steph. Quar. in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati, nu. 10.* Nihilominus per lapſum carnis hoc loco intelligitur omnis libidinis culpa cum ſeminis effuſione, quocunq; modo prouocata in actu exteriori; de cuius ſpeciebus latè tractat *D. Thom. 22. q. 154. Sayr. lib. 8. Clau. Reg. per totum, Graff. lib. 3. caſ. reſtr. c. 8. & alij.* Vndè lapſus carnis non ſolùm comprehendit ſimplicem fornicationem, ſtuprum, tàm cum Virgine, quàm cum puero; ſed etiam pollutionem ſimplicem, & multo magis beſtialitatis crimen, ſacrilegium cum monialibus, Clericis, & Religioſis, & inceſtum cum affinibus, aut conſanguineis, *c. meretrices, 32. q. 4.*

151 Quoad ſecundam conditionem eſt adnot. quòd

quòd lapſus carnis dicitur voluntarius, quando eſt omninò volitus, ac deliberatus: ſiuè volitus ſit in ſe, cùm quis directè fornicatur, polluitur, &c. ſiuè volitus ſit in cauſa, vt cùm aliquid agit, ex quo ex ſui natura ſequitur lapſus carnis, vt ſunt impudici tactus per ſe, aut per alium: quibus caſibus ſi ſequatur pollutio, quamuis non fuerit volita per ſe; nihilominus incurritur caſus reſeruatus, cùm ſit volita in cauſa. Dicitur autem inuoluntarius eiuſmodi lapſus carnis, quando non eſt omninò deliberatus; vt cùm ſemidormientes in pollutionem incidunt: ſemi ebrij non habentes perfectum animi iudicium, ac cogitantes turpia inuoluntariè, & præter intentionem, vt dum, mediante ſtudio oportet Religioſos vacare rebus eiuſmodi ad ediſcendos conſcientiæ caſus, &c. ſiquidem ad lethalem culpam cõtrahendam integrum iudicium exigitur, ac plena deliberatio vt *in c.1. de delict. puer or*. Et propterea quamuis ad ſummum peccent venialiter; non tamen caſum reſeruatum incurrit: quia caſus reſeruatus per ſolam culpam mortalem contrahitur, vt aliàs diximus. Imò per lapſum carnis contingit aliquando non ſolùm aliquem non peccare; ſed potius mereri. Vt ſi Confeſſarius, impoſito ſibi à Superiore audiendi confeſſionis muneri ſatisfaciens inter audiendum carnalia peccata inuoluntariè polluatur, nam licèt delectationem ſentiat per ſeminis effuſionem; nihilominus non peccat; ſed potius meretur Superiori obtemperando, vt habetur ex *Turrecr. in ſum. d.6.c.1.* Dixi, vt im-
152 poſito à Superiore, &c. quoniam ſi Confeſſarius voluntariè ſe exponens ad audiendas confeſſiones, expertus fuerit, vt plurimum pollutionem pati vt ſupra, quàmuis inuoluntariam, debet ab audiendi confeſſiones munere abſtineri, vt per *Nauar. in Man. c.16. nu.7.* Dicitur quoque inuoluntarius lapſus carnis non tantùm in dormiente, vel ſemidormiente; verum etiam in eo, qui non eſt omninò expergefactus à ſomno; quoniam iſte talis licèt cognoſcat, & aduertat labi; nihilominus re vera non habet integrum animi iudicium, atque ideò ad ſummum non poteſt peccare pluſquàm venialiter, vt habetur ex *Graff. in d.c.8. nn. 31. & 32.* Imò ſi dubitet pœnitens, an vigilans, vel potius dormiens in pollutionem fuerit lapſus, atque ideò, an integrum iudicium habuerit, ſi eſt timoratæ conſcientiæ, & non ſolitus voluntariè pollui, præſumendum eſt, dormientem, & in integrum iudicium non habentem in pollutionem cecidiſſe: ſiquidem multoties id euenire ſolet illuſione dæmonum, qui conantur eiuſmodi perſonas ſcrupulis infeſtare, vt rectè inquit *Molſ. p.1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. c. 20. nu. 103.*

153 Quoad tertiam conditionem eſt adnot. quòd lapſus carnis tunc dicitur opere conſumatus, quando per actionem externam perficitur per ſeminis effuſionem: ſiuè per ſe id fiat, ſiuè per alium aut cum alia perſona, intra vel extra vas, qui tunc grauior eſt propter participationem in alterius crimine, iuxta ea, quæ habentur ex *D. Tho. 22. q.154. art. 5.* vbi etiam *Caiet. art. 11. dub.2. Sayr. d.lib.3.Clau.Reg.c.5. nu.6. & 7. & Molſ. d.c.20.nu.99. 108. 109. & 111.*

154 Ex hoc infertur primò, quòd ſi Religioſus proprijs manibus, aut alterius, vel per aliquem corporis motum in voluntariam pollutionem labatur, peccat mortaliter, & in caſum reſeruatum incidit, non ſecus ac ſi fornicationem cum muliere, ſtuprum cum virgine, aut puero, adulterium cum nupta, & inceſtum cum affine, & conſanguinea committeret; quamuis in his omnibus grauior culpa committatur, iuxta maiorem criminum quantitatem. Idem dicendum eſt de Religioſo, qui inter æquitandum voluntariè turpia cogitans, & equi motu perfricatus ſemen effudit; quia per exteriorẽ actum in pollutionem voluntariè dicitur lapſus.

155 Secundò infertur, quòd in caſum reſeruatum Regularis nõ incidit, qui rem habens cum mare, aut fœmina, intra, vel extra vas, ſemen non effudit: eiuſmodi enim carnis lapſus non eſt opere conſumatus; quamuis lethalem culpam contraxerit, & ſtuprum commiſerit ſi virginem defloraverit, aut puerum violando, vas eius contra naturam penetrauerit; atque ideò in foro exteriori tanquam ſtuprator, ac ſodomita veniet puniendus, vt habetur ex *Iulio Claro in ſua prax. crim. in ver. Sodomita, ſub nu.8.* Idem dicendum eſt ſi cum beſtijs rem habuerit animo perficiendi actum: nam ſi ſemen non effuderit, licèt ſcelus eiuſmodi ſit grauiſſimum, atque ideò grauiter veniat puniendus apud Deum, & homines; caſum tamen reſeruatum non incurrit, cùm talis carnis lapſus opere non ſit conſumatus. Quod quidem verum eſt, ſiuè lapſum carnis opere non conſumauit, quia pœnitentia ductus noluit: vel quia non potuit: ſiquidem caſuum reſeruatio cum ſit odioſa, eſt ſtrictè interpretanda, vt aliàs diximus, & habetur ex *Molſ.* cum alijs, quos allegat in *d.c.20.nu. 107.*

156 Tertiò infertur, quòd licèt Religioſus per oſcula, tactus, per prolationem verborum ad turpia incitantium tentauerit ad pollutionem deuenire, & non potuerit, vel pœnitentia ductus noluerit, licèt deuenerit ad quandam humectationem; non tamen in caſum reſeruatum incidit; quoniam huiuſmodi lapſus non eſt opere conſumatus, vt rectè docet *Graff. lib.3. caſ. reſer. c.8. nu.22.* quem ſequitur *Molſ. loco cit. nu.105.*

157 Quartò infertur, quòd etſi Religioſus ope alterius Religioſi lapſum carnis conſumauerit per ſeminis effuſionem, caſum reſeruatum contrahat; cooperans tamen in eiuſdem caſum non incidit: ſiquidem ex parte cooperantis non poteſt cenſeri lapſus carnis opere conſumatus; cùm ſupponamus, cooperantem ipſum in pollutionem non fuiſſe lapſum; quamuis apud Deum parem culpam vterque contraxerit, iuxta ea, quæ habentur ex *Sayro* cum alijs, quos allegat, *lib.8. Clau. Reg. c.5. ſub nu. 7.* Eſt tamen verum, quòd licèt id ipſcum concedat *Molſ. d.c.20.nu.111.* & alij;
158 nihilominus cum Franciſco Coriolano quoad caſum reſeruatum non diſtinguit in crimine ſodomiæ opere conſumato, inter agentem, ac patientem: ſiquidem vtrunque voluit in eum incidere: & mirantur de ignorantia eorum, qui patientem nolunt ſub decreto comprehendi; ſed tantùm agentem; cùm in hoc ſcelere agentes, & patientes pari pœna puniuntur, *l. ſi cum vir, C. de adulter. & Iul. Clar. in d. §. Sodomia, nu. 4.* Sed mihi re vera contrariam ſententiam non videtur eſſe omninò deſpiciendam, cum rationes pro ſe probabiles habeat: nam qui paſſiuè concurrit ad actum ſodomiticum citra omnem ſe-

minis effuſionem ex parte ipſius, lapſus carnis licèt ſit opere conſumatus reſpectu agentis; non tamen talis dicitur reſpectu patientis. Confirmatur, quoniam aliàs Religioſus, qui alterius Religioſi genitalia perfricans eiuſdem pollutionis cauſa fuit, caſum reſeruatum contraxiſſet: quod tamen negat ipſe *Molfeſ.* & alij. Idem eſſet dicendum de illo Religioſo, ſuper cuius vterum acenbens alter, ſemen voluntariè effunderet, cùm non poſſit aſſignari diuerſitatis ratio.

Nec obſtat, quòd in nefando ſcelere agentes, & patientes pari pœna puniuntur; quia vt ſæpè diximus, in caſuum reſeruatione non fit extenſio ex indemnitate pœnæ; ſed in ea fit ſtricta interpretatio. Eſt tamen verum, quòd ſententia *Coriol.* & aliorum videtur probabilis ex eo, quòd cenſura lata contra facientes includit etiam cooperantes, vt habetur ex *Suar. de cenſur. diſp. 21. ſec. 2. nu. 66.* quoniam agens, & cooperans ſunt vna ſimul cauſa moralis, iuxta ea, quæ habentur ex *Auila de cenſur. p. 7. diſp. 6. ſec. 3. dub. 3. nu. 1.* Sed hac ratione non obſtante, adhuc oppoſita ſententia nobis videtur probabilior: ſiquidem tunc agens, & cooperans ſunt vna ſimul cauſa moralis, quando tàm agens, quàm cooperans concurrunt actiuè ad effectum, vt ſunt plures ſimul furantes, homicidium committentes, &c. Vndè excommunicatio lata contra facientes, includit etiam cooperantes; cùm omnes concurrant actiuè ſimul in effectum; nam omnes dicuntur facere: at in caſu de quo agitur, ſodomita agens licèt ad eiuſmodi ſcelus actiuè concurrat; ſodomita tamen patiens concurrit tantùm paſſiuè; nimirum igitur ſi prior caſum reſeruatum incurrit; non autem poſterior. Eadem ratione Religioſus, qui virilium perfricatione alterius Religioſi, illi ſeminis effuſionem cauſauit, in caſum reſeruatum non incidit, vt ſupra diximus; quoniam is licèt actiuè ſe habeat ad perfricationem; paſſiuè tamen ſe habet ad lapſum carnis opere conſumatum.

159 Circa tandem ſecundum reſeruandi modum, quo ſolent vti Regulares Prælati, dum ſibi reſeruant lapſum carnis voluntarium, opere conſumatum, ſed cum tertia perſona, eſt adnot. quòd quidam volunt, id eſſe intelligendum per corporum coniunctionem: & propterea *Graff. d. c. 8. nu. 36.* putat, quòd Superior ſi caſum ſibi reſeruauerit ſupradicto modo, & Religioſus tangens, deoſculans mulierem aliquam, aut puerum, vel ſuper ipſorum veſtes ſe perfricans, vel proprijs manibus ſuper eoſdem ad ſeminis effuſionem lapſus fuerit, in caſum reſeruatum non incidit; quoniam nulla corporum interceſſit coniunctio. Sed hæc ſententia non placet *Molfeſ. loco citato, nu. 114.* & alijs; quoniam actus ſatis dicitur opere conſumatus cum tertia perſona per effuſionem ſeminis cauſatam ex oſculis, & tactibus impudicis. Idem dicendum eſt de Religioſo, qui rem agens cum muliere, aut puero, & membrum extrahens ex vaſibus, foras ſeminauerit, nam licèt ſemen ſuper terram fuderit; is tamen verè cum tertia perſona cẽſetur in carnis lapſum profluiſſe: quoniam illa ſeminis effuſio proceſſit ex præcedenti coitu cum muliere, vel puero, vt habetur ex eodem *Molf. in d. c. 20. nu. 108.* Non tamen arbitror, Religioſum incurrere caſum reſeruatum ſupradicto modo, ſi cum beſtijs quocunque modo rem habuerit, & in pollutionem deueneri: etenim reſeruationem caſus ſupponimus eſſe cum tertia perſona: at beſtia nunquam poteſt conſtituere perſonam, cùm id tantùm conueniat rationali creaturæ. Vndè Philoſophi definientes perſonam, eam eſſe dicunt naturæ rationalis indiuiduam ſubſtantiam: ergò lapidis, arboris, vel irrationalis animalis non datur perſona; ſed vel Dei, vel Angeli, vel hominis perſona dicitur. Quòd ſi beſtia nullo modo dici poteſt perſona; ergò Religioſus quocunque modo rem habeat cum ea per ſeminis effuſionem non incurrit caſū reſeruatum ſupra relato modo, quoniam cenſeri non poteſt cum tertia perſona in carnis lapſum profluiſſe.

160 Illud denique circa rem hanc nolui ſilentio eſſe prætereundum, quod *Graff.* ait *in d. c. 8. n. 33.* dum excuſat ab incurſu præſentis caſus Religioſum, qui metu mortis fuit compulſus rem habere cum muliere, aut puero: quoniam non omninò voluntariè nefas illud dicitur commiſiſſe; & caſus intelligi debet in ſuo proprio ſignificatu, cum caſus reſeruatio ſit ſtricti iuris; atque ideò caſus non expreſſus non includatur, vt ex *Graff. & Coriol.* notat *Molf. d. c. 20. nu. 21.* at hoc loco reſeruatur lapſus carnis voluntarius: ergò ad eum incurrendum exigitur, vt lapſus carnis ſit omninò voluntarius. Vndè iſte talis licèt peccet mortaliter; in caſum reſeruatum tamen non incidit: quam ſententiam probabilem putat *Molf. Ibidem num. 110.* Sed re vera id mihi videtur valdè dubium; nam lapſus carnis eiuſmodi eſt voluntarius ſimpliciter, inuoluntarius tantùm ſecundum quid: atque ideò ſicut ab excommunicatione non excuſatur committens ſcelus intrinſecè malum per excommunicationem prohibitum, non obſtante metu mortis ſibi concuſſo; quia ſi metu mortis corporalis non excuſatur à morte animæ; tanto minus excuſabitur à cenſura, quæ non dicitur mors animæ; ſed pœna, vt latè habetur ex *Panor. & alijs in c. ſacris, de his, quæ vi met. cauſa fiunt, Sanch. lib. 9. de matr. diſp. 31. nu. 4. & 6.* cum alijs, quos retulimus *in noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ, c. 2. q. 2. ſub nu. 13.* Ita, ac eadem ratione dicendum videtur in caſu noſtro, vt Religioſus, qui metu mortis fuit compulſus rem habere cum muliere, aut puero, ſicut non excuſatur à morte animæ, atque ideò à lethali culpa; ita non excuſatur à caſus reſeruatione; quæ ſe habet ad inſtar pœnæ medicinalis, ſicut excommunicatio, *c. 1. de ſent. excommunicat. in 6.* An autem ſi cum Nouitio quis peccet, teneatur eiuſmodi circumſtantiam confiteri, vide *Graff. d. c. 8. nu. 26.*

Explicatio ad decimum caſum.

161 DEcimus caſus, quem reſeruare ſibi poſſunt Regulares Prælati vi ſupradicti Decreti Clem. VIII. eſt homicidium, aut vulneratio, ſeù grauis percuſſio, vt conſtat ex illis decreti verbis, *Occiſio, aut vulneratio, ſeù grauis percuſſio cuiuſcunque perſona.* Ad cuius rei explicationem eſt adnot. quòd cùm ſupradictæ tres actiones, nempè occiſio, vulneratio, ac percuſſio, per diſiunctiuas, ſeù alternatiuas dictiones ſeparentur; hinc ſequitur, quòd ad contrahendum ſupradictum caſum reſeruatum, ſatis eſt, vnam ex prædictis actionibus concurrere: ſiquidem in alternatiuis vnum ſufficit adimpleri, vt *in c. in alternatiuis, de regul. iur. in 6.* Vndè Religioſus in caſum

reſer-

reſeruatum incidit, ſiuè tantùm occidat: ſiue
ſolùm vulneret: ſiuè denique grauiter percutiat.
162 Quoad primam actionem eſt adnot. primò,
quòd licèt occiſio non ſolum conueniat homini,
tàm actiuè, quàm paſſiuè, vt *in l. qui occidit*, &
l. ſi putator, ff. ad leg. Aquil. Sed etiam cæteris
animantibus, vt *in l. 1. §. in beſtijs*, & *§. cum
arietes, ff. ſi quadr. pauper. fecis. dicat.* Hoc loco
tamen, occiſio, refertur ad hominem non ſolùm
actiuè, verum etiam paſſiuè: ſiquidem vi decreti
reſeruatur occiſio, vulneratio, ſeù percuſſio per-
ſonæ: at perſona, vt diximus ſupra, in explica-
tione præcedentis caſus, denotat naturæ ratio-
nalis indiuiduæ ſubſtantiam; atque ideò cùm
non lapidis, vel arboris, vel bruti; ſed vel Dei,
vel Angeli, vel hominis perſona dicatur, & occi-
ſio, vulneratio, aut percuſſio non conueniat Deo,
& Angelis; hinc fit, quòd ſupradictæ actiones
non ſolùm actiuè, ſed etiam paſſiuè referuntur ad
rationalem creaturam ex anima, & corpore con-
ſiſtentem, & ſic ad hominem, tàm occidentem,
quàm occiſum, vt *in c. quadam, §. per hoc autem
ver. Niſi, de celebr. Miſſar.* Et cùm occidere
hominem non ſolùm is dicatur, qui alterum ho-
minem occidit; verùm etiam, qui ſe ipſum inter-
ficit, vt *in c. ſi non licet 23. q. 5.* hinc etiam dedu-
citur, quòd vulnerare, & percutere dicitur tam
is, qui alterum, quàm qui ſe ipſum vulnerat, &
percutit: & propterea Religioſus caſum reſerua-
tum incurrit, tàm ſi tertiam perſonam occidit, aut
vulnerat, aut grauiter percutit, quàm ſi ſe ipſum
vulneret, vel grauiter percutiat. Sic etiam cùm
eſſe perſonam non ſolum viro indiuiduo conue-
niat; ſed etiam fœminæ: eo quòd perſona, vt dixi-
mus, eſt rationalis creaturæ indiuidua ſubſtantia,
& eſſe rationalem ſubſtantiam conueniat tàm
maſculo, quàm fœminæ, ex hoc pariter ſequitur;
quòd Religioſus caſum reſeruatum contrahit,
ſiuè maſculum occidat, vulneret, aut percutiat,
vt ſupra; ſiuè fœminam. Et cùm generaliter lo-
quatur Decretum de perſona, generaliter etiam
intelligendum eſt de quacunque perſona, ſiue
fidelis ſit, ſiuè infidelis: quoniam lex generaliter
loquens, generaliter debet intelligi, & quando
non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. 1.
§. generaliter, ff. de legat. praſt.*
163 Secundò eſt aduot. quòd occiſio regulariter
iniuriam includit, vt *in l. 3. ff. ad leg. Aquil.*
Vndè licèt quilibet occiſus, dicatur mortuus; non
tamen è conuerſo quilibet mortuus appellatur
occiſus, vt *in l. proinde, la 2. ff. eod.* ſiquidem
mortuus quis dicitur propriè citra violentiam:
at occiſus cum violentia, ſiuè gladio, ſiuè fuſte,
vel alio telo, ſiuè manu, calce, capite, vel quali-
tercunque violenter interimatur, vt *in l. qua
actione, §. occiſum, ff. ad leg. Aquil. & Bart. in
l. 2. ff. ad Senatuſc. Syllan. & in l. quod ait, ff. de
adulter.* Item occiſum dicimus, qui veneno ne-
catur, vt *in l. eiuſdem legis, §. adiectio, ff. ad leg.
Cornel. de ſicar.* Eſt autem plus hominem ve-
neno occidere, quam gladio interficere; quo-
niam veneratio habet proditionem cum homi-
cidio coniunctam, *l. 1. C. de Malef. & Metham.
& Bal. conſ. 211. nu. 2. vol. 4.* Nec obſtat *tex. in
l. 1. §. occiſorum, ff. ad Senatuſc. Syllan.* Vbi
occiſorum appellatione non veniunt, qui veneno
interempti fuerunt; quoniam *tex.* ille non pro-
bat, quod veneno interemptus non ſit occiſus;
ſed quòd ſerui non tenentur de morte Domini
veneno extincti, ac ſi per vim, aut cedem fuiſſet
extinctus: ſiquidem primo caſu auxilium non
poterant præſtare Domino; ſecus autem ſecundo
caſu; atque ideò ſecundum ſubiectam materiam
inquit ille *tex. Occiſorum appellatione, eos con-
tineri Labeo ſcribit, qui per vim, aut cadem ſunt
imperfecti, vt puta, iugulatum, ſtrangulatum,
præcipitatum, vel ſaxo, vel fuſte, vel lapide per-
cuſſum, vel aliquo telo necatum. Quod ſi quis ve-
neno, vel etiam quo alio, quod clam necare ſoleat
interemptus ſit, ad hoc Senatuſconſultum vindi-
cta mortis eius non pertinebit.* Eſt denique occi-
diſſe quidem vulgò dicitur, qui mortis cauſam
quolibet modo præbuit, *l. ſi ita vulneratus, ff. ad
leg. Aquil.* atque ideò ait *Gloſa* ibi, manibus, vel
corpore, vel ſine manibus, & ſine corpore præ-
bita aliter occiſione mortis. Hoc idem habetur
in l. nihil intereſt, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.
164 Ex quibus infertur primò, quòd cum occiſio
iniuriam includat, ac dolum, vt ſupra diximus,
& patet ex *tex. in l. 4. ff. ad leg. Cornel. de ſicar.*
Si Religioſus dormiens, vel furioſus aliquem
occidat, vulneret, aut grauiter percutiat, caſum
reſeruatum non contrahit: imò nec irregularita-
tem incurrit; quoniam homicidium re vera non
committit: furioſis enim, ac dormientibus homi-
cidium non imputatur, cùm liberam voluntatem
non habeant, nec iniuriam valeant inferre, vt
*in c. vt itaque, c. aliquos, & c. ſi quis inſaniens
15. q. 1.* Nec quælibet hominis occiſio dicitur
homicidium: ſiquidem malefactores auctoritate
Principis occidentes non dicuntur homicidium
committere, *c. qui percutit, 23. q. vlt.* Vndè Sancti
Patres zelo iuſtitiæ occidendo merebantur, vt *in
c. ea vindicta, 23. q. 4.* Sic etiam de Iudicibus, &
alijs iuſtitiæ miniſtris dicendum eſt; quoniam
cùm impius interficitur, Chriſtus dilatatur, abo-
minatio aboletur, *c. nec is qui, 15. q. 5.* Eſt igitur
homicidium ſola hominis occiſio iniuſta, iuxta
165 ea, quæ ſupra diximus. Idem iudicium eſt de
Religioſo, qui caſu hominem interficit: is enim
caſum reſeruatum non incurrit, cùm præter in-
tentionem id egerit, nec lethalem culpam com-
miſerit, vt *in d. c. nec is qui, 15. q. 1. c. Ioannes,
& c. quidam, vt aſſerit, de homic. & l. ſi putator,
ff. ad leg. Aquil.* Quod verum eſt ſi diligentiam
adhibuit, & dabat operam rei licitæ: ſecus autem
ſi debitam diligentiam non adhibuerit, licèt da-
ret operam rei licitæ: vel dabat operam rei illi-
citæ; vt ſi Clericus venando ſagittam mittat, ac
hominem interimat: ſiquidem venatio cùm
Clerico ſit interdicta, *c. merito, 15. q. 1.* procul
dubio caſum reſeruatum incurrit. Religioſus pa-
166 riter ſi ludens proiecit lapidem in aliquem ho-
minem, qui volens vitare lapidis ictum, caput
offendit in alium lapidem, & vulneratus interijt;
quia dabat operam rei illicitæ, caſum reſeruatum
contrahit: quod eo magis verum eſt, quòd citra
ſui culpam hominem illum non interimit: at qui
per propriam culpam hominem occidit, non ex-
cuſatur, cùm talis occiſio iniuriam ſemper inclu-
dit, *c. teſtamentum, 6. diſt.* Eſt tamen verum, quòd
probabilior in hac re nobis videtur *Graff.* ſen-
tentia *lib. 3. caſ. reſer. c. 9. nu. 24.* Cùm homici-
dium eiuſmodi non ſit voluntarium; quamuis
illud committens daret operam rei illicitæ; atque
ideò ait, quòd Religioſus ludens cum muliere

præ-

prægnante libidinis cauſa, ſi ſequatur abortus, licèt irregularis efficiatur, cùm rei illicitæ operam dederit; non tamen in caſum reſeruatum incidit. Idem dicendum eſſe inquit de Magiſtro Nouitiorum, qui puerum edocens exceſſit modum in eo corrigendo: & de Prælato, ſubditum
167 corrigente. Homicidium quoque non dicitur committere Religioſus, qui ad ſui defenſionem inuaſorem interemit; quoniam vim vi repellere cùm ſit de iure naturali, *l. vt vim, ff. de iuſt. & iure*; & iſte talis per ſe primò intendat ſe defendere, quòd indè poſtea ſequatur aggreſſoris occiſio, id eſt per accidens: & propterea non tantùm in caſum reſeruatum non incidit; ſed nec quidem irregularitatem contrahit, vt *in clem. ſi furioſus, de homic.* Quod quippè intelligendum eſt ſi moderamen inculpatæ tutelæ interueniat iuxta ea, quæ notat *Alber. de Roſato in l. 1. C. vndè vi*, latè *Graff. d. c. 9. nu. 19. & 20.*

168 Secundò infertur, quòd cùm occiſus dicatur non modo qui telo, gladio, fuſte, &c. interimitur; ſed etiam qui veneno necatur, vt ſupra oſtendimus, Religioſus ſi hominem aliquem venenauerit, caſum reſeruatum incurrit.

169 Tertiò infertur, quòd cùm occidiſſe dicatur, qui mortis cauſam quocunque modo præbuit, & vi decreti reſeruetur occiſio, vulneratio, &c. atq; ideò verba ipſius decreti reſpiciant factum; mandans, conſulens fieri homicidium, aut illud non impediens cùm poſſit, caſum reſeruatum incurrit vt habetur ex *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c. 9. num. 17.* vbi id probat ex ijs, quæ docet *Panor. in c. mulieres, nu. 9. de ſent. excom. Bart. in l. qui aliter, §. fin. ff. quod vi, aut clam, & in l. hac verba, de adulter.* Dum volunt, quòd ſi ſtatuto puniatur committens homicidium, ſi verba ipſius ſtatuti dirigantur in perſonam, vt ſi dicat, ſi quis homicidium commiſerit pœna capitis plectatur; tunc ſtatutum non includit mandantem, conſulentem, &c. Niſi mandatum ſit factum ſeruo, filio, & alijs exiſtentibus ſub poteſtate mãdantis. Si verò verba dirigantur ad factum, vt ſi pro homicidio pœna capitis imponatur; tunc ſtatutum ſub tali pœna includit non ſolùm per ſe homicidium committentes; verum etiam mandantes, non prohibentes, cùm poſſint, & debeant, auxilium præſtantes, & conſulentes. Ergò idem dicendum eſt in caſu, de quo agitur, nam cùm verba decreti reſpiciant factum; non autem perſonam: eo quòd vi dicti decreti reſeruatur occiſio, vulneratio, &c. licèt regulariter ſub caſuum reſeruatione non includantur mandantes, conſulentes, &c. Sub hoc tamen caſu huiuſmodi perſonæ comprehenduntur. Hæc ſententia tamen nobis videtur valdè dubia: nam cùm reſeruatio caſus ſit ſtricti iuris, vt ſæpè diximus, & vi huius decreti, reſeruentur occiſio, vulneratio, & percuſſio, non videtur ſub eo comprehendi mandatum conſilium, &c. occidendi, vulnerandi, ac percutiendi, *arg. text. in l. quicquid aſtringendæ, ff. de verb. obligat.* & eo magis, quia caſuum reſeruatio eſt odioſa, & odia ſunt reſtringenda, *c. odia de regul. iur. in 6.* & propterea verba illa decreti ſunt intelligenda ſecundum propriam eorum ſignificationem, non autem fictè, ac interpetratiuè, quale eſt mandatum conſilium, & *c. vt in l. 1. §. deieciſſe, ff. de*
170 *vi, & vi arm.* Eſt tamen verum, quod mandatum de occidendo, vulnerando, &c. Si fiat à Prælato ſubditis, ſeruis, & alijs eiuſmodi, tunc mandans fortè includeretur ſub hoc caſu, ſi caſus reſeruatio non fuerit facta ab ipſo Prælato; ſed ab ipſius Prælati Superiore, aut in Capitulo generali, vel Prouinciali, vt patet ex ijs, quæ tradita ſunt per *Abbat. Panor. in d. c. mulieres, nu. 9. de ſent. excomm.* Siquidem id non dicitur propriè mandatum; ſed iuſſus, ſeù præceptum iuxta ea, quæ adnotauimus *in dictis noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 11. q. 12. nu. 4.* Quæ actiones magis tribuuntur iubenti, ac præcipienti, quàm ei, cui præcipiuntur; cùm oporteat eum obedire ſaltem de facto, ſi nõ de iure. Dixi *Mandans fortè*, Quia quòd nec iuſſus, nec præceptum includantur probabilius nobis videtur: quoniam aliàs ea, quæ diximus ſupra, & in materia cenſurarum non eſſent vera, cùm ſimpliciter, & citra vllam diſtinctionem ex communi Doctor. ſententia oſtendimus, excommunicationem latam contra facientes, nunquam includere mandantes, iubentes, ac præcipientes, niſi exprimantur, aut ſint præſentes executioni mandati, iuſſus, vel præcepti, itaut ſint cooperantes: & hanc opinionem tenet *Molf. d. c. 20. nu. 120.*

171 Quoad ſecundam actionem eſt aduot. quòd percutere latius patet, quàm vulnerare: omnis enim qui vulnerat, percutit: ſed non è contra; quoniam vulnerare eſt percutere cum aliqua corporis apertura. Hinc vulnus dicitur patens corporis apertura, ictu aliquo inflictu, vt colligitur ex *tex. in l. Diuus, ff. ad l. Cornel. de ſicar. & l. ſi ſeruus, §. inquit lex. ff. ad leg. Aquil.* Sic etiam vulnus, ſeù vulneratio dici poteſt, vbi alicui adeò os in capite fuit confractum, vt licèt in eo nulla appareat apertura; nihilominus Chirurgi opera capitis cutis neceſſariò venit incidenda; atque ideò caput ipſum aperiendum ad contuſionem huiuſmodi curandam: etenim quemadmodum nihil intereſt, vtrum occidat quis, an mortis cauſam præbeat, vt *in l. nihil intereſt, ff. ad leg. Cornel. de ſicar.* Ita non videtur intereſſe, an quis vulneret, vel vulneris cauſam præbeat, vt ex *Alter.* nos diximus *lib. 2. de Bull. Cœnæ, can. 10. q. 2. ſub nu. 5.* At vbi nulla penitus adeſt ſciſſura, non vulneratio, ſed percuſſio appellatur. Idem dicendum eſt ſi corporis apertura adeò leuis ſit, vt gutta tantum ſanguinis ex ea fluxerit; quoniã vulneris nomen non meretur: ſiquidem nõ datur vulneratio citra ſanguinis notabilem effuſionem, vt rectè docet *Gloſa in c. cùm illorum, verſ. Effuſionem ſanguinis, de ſent. excommun.* & nos latè adnotauimus *in noſtris Comment. in Bull. Cœnæ, loco citato, num. 7.* Differt etiam vulneratio, ſeù vulnus ab vlco; quoniam vlcus dicitur morbus innatus; at vulnus dicitur illatum, *l. ob quæ, §. idem ait, ff. de edil. edic.*

172 Ex dictis igitur infertur primò, quòd ſi Religioſus pugno, fuſte, gladio, vel quocunque alio inſtrumento aliquem percuſſerit cum ſanguinis effuſione, is propriè cùm dicatur vulnerare, in caſum reſeruatum incidit: quod quidem intelligendum eſt iuxta ea, quæ ſupra diximus de homicidio; nempè quòd vulneratio ſit voluntaria: ſecus ſi cauſalis; etiam ſi Religioſus operam daret rei illicitæ. Idem dicendum eſt de Religioſo, qui alicui adeò os confregerit in capite, vel in alia parte corporis, vt in eo licèt nulla appareat apertura; nihilominus oportet Medicum partem

læſam

ſum inſtrumento artificioſè aperire ad extrahendam ſaniem, & ad curandum vulnus, iuxta ea, quæ nos diximus *in d. noſtris Commentar. d. can.* 10.

173 Secundò infertur, quòd ſi Religioſus vulnuſculum in aliquem inferat, ex quo gutta tantùm ſanguinis fluxerit, caſum reſeruatum non contrahit: quoniam is propriè non dicitur vulnerare; ſicut leuis febricula non dicitur febris, *l.* 1. *§. proinde, ff. de edil. edic.* Et ſtatutum puniens vulnerantem, non comprehendit inferentem vulnuſculum, vt habetur per *Bald. in l. fin. C. de edil. edic.* & alios apud *Graff. in d.c.9. n.6. & 7.*

174 Tertiò infertur, quòd ſi Religioſus per immoderatam quantitatē vini potētis datam alicui ad bibendum: aut propter cibos ſalitos, ac calidos eidem tributos ad comedendum, fuit ipſi innatum vlcus, à quo notabilis ſanguinis, aut ſaniei quantitas effluxerit, reſeruatum caſum non contrahit; etiam ſi malitioſè id egerit ad dictũ morbum videlicet cauſandum; quoniam vt ſupra adnotauimus vlcus differt à vulnere.

175 Quartò infertur, quòd ſi Religioſus pugnum det in alicuius naribus, à quibus notabilis ſanguinis effuſio proceſſerit, is re vera ſi percuſſio ex aliqua circumſtantia non iudicatur grauis, non incidit in caſum reſeruatum: ſiquidem è naribus facilè ſanguis diffluí ſolet, & cutis non apparet extrinſecus inciſa; atque ideò non poteſt dici propriè vulneratio.

176. Quoad tertiam actionem eſt adnot. quòd licèt percutere aliquando idem ſignificet, quòd ferire, vt habetur ex *Vival. in can.* 11. *Bull. Cœnæ nu.* 4. *& Tol. ibidem propè finem*; Nihilominus cùm vi dicti decreti reſeruetur non ſolùm vulneratio; ſed etiam percuſſio, ob id vulneratio hoc loco differt à percuſſione; itaut percutere propriè idem ſignificet, quod cędere, id eſt verberare, ſeù pulſare, vt *in c. cum Beatus, 45. d.* Imò ſi percutere propriè ſumatur, latius patet, quàm verberare, aut pulſare: nam quouis modo quis lædatur, ſiuè manu, ſiuè virga, flagello, aut baculo, dicitur percuſſus. Non ſic verberare, aut pulſare, quæ ſignificant propriè flagello, aut fuſte, vel baculo cędere; non autem pugno, niſi abuſiuè, vt *in l. item, §. ait Prætor, ff. de iniur. & l. ſi ex plaga, §. Tabernarius, ff. ad leg. Aquil.* Et quamuis prædicta verba quandoque confundantur, vt *in l. Prætor ait, propè finem, ver. Si cum ſeruum meum, ff. de iniur.* Si tamen ſtrictè, ac propriè conſiderentur, verberare denotat aliquem cędere cum dolore: pulſare verò ſine dolore, vt *in l. lex Cornelia, ff. eod. & l. ſi ſine, §. fin. iuncta Gloſa, ver. Verberatus, ff. rem rat. hab.* Ex dictis igitur patet, quòd percuſſio, vt differt à vulnere dicitur quælibet pulſatio, ſiuè cum liuore fiat: ſiuè citra liuorem. Eſt autem liuor, plumbeus quidam color, ex eo procedens, quòd in corpore, duro ictu illato, exiles venæ contuſæ ſanguinem ad externam cutem diffundunt: ſiuè cum dolore inferatur; ſiuè citra dolorem, vt diximus *in d. can.* 10. *Bull. Cœnæ, q.*2, *nu.*3.

177 Eſt tamen verum, quòd nunquam percuſſio erit caſus reſeruatus, niſi ſit grauis, vt patet ex illis decreti verbis, *Seu grauis percuſſio cuiuſcunque perſonæ:* Vbi eſt adnot. quòd per grauem percuſſionem non intelligitur hoc loco quælibet percuſſio, quæ ſit culpa lethalis: nam ob illam actionem, quæ lethalis non eſt nunquam incurritur caſus reſeruatus, vt ſæpè diximus; ſed grauis dicitur percuſſio, quæ mortifera quidem eſt, ſed grauior aliqua alia mortifera, quę ipſius reſpectu & ad ipſum comparata poteſt dici leuis, vt in materia percuſſionis Clericorum iuxta *text. in c. ſi quis ſuadente diabolo, 17. q.4.* notat *Nauar. in Man. cap. 27. nu. 9.* Dicitur autem grauis, aut leuis percuſſio ſecundum circumſtantiam loci, ac perſonæ; atque ideò percuſſio in vulgarem perſonam facta in occulto, pugno, palma, pedibus, baculo, lapide, aut digito, quæ nullam maculam, neque carnium ſugillationem relinquit, neque abſcindit membrum ſine effractione dentium, ſiue auulſione multorum capillorum, citra effuſionem notabilis quantitatis ſanguinis, dicitur leuis. Hæc eadem percuſſio ſi fiat in Magiſtratum Iudicem, Magiſtrum Prælatum, Patrem, Patronum, Dominum, aut in alium in dignitate conſtitutum, erit grauis: imò eò erit grauior, ſi in loco publico, & coram nõnullis aſtantibus fuerit illata, vt colligitur ex extrauag. Perlectis, relata de verbo ad verbum à *Nauar. in Man. c.27. ſub nu.91.* quæ quidem conſtitutio loquitur de percuſſione leui, graui, & enormi facta in Clericum iuxta *tex. in d.c. ſi quis ſuadente diabolo*, & addit, quòd cùm conditio eiuſmodi negotij non patiatur integram determinationem, remittendam eſſe, inquit Epiſcopi arbitrio, vel etiam Confeſſarij, qui habeat facultatem Epiſcopi, ait ibidem *Nauar ſub nu. 92.* vbi etiam refert *Lap. alleg. 76.* concludentes eſſe percuſſionem leuem, colaphum, quem impegit Cappellanus quidam perpetuus Aretinæ Eccl. cuidam canonico in eadem Eccleſia, citra ſanguinis effuſionem. Quæ quidem omnia poſſunt applicari caſui noſtro ad iudicandum, quando percuſſio facta à Religioſo ſit grauis, aut leuis, & quando incidat, vel non incidat in caſum reſeruatum. Pro qua re videantur quoq;
b *Molf. in d.c.20.nu.118. Steph. Quar.* & ad ipsũ *Add. in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati, circa explicationem caſus*, de quo agitur: & *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c.9. & Coriol. caſu 10. §. ſequitur ſecundus terminus*, cum alijs, quos allegant. Quibus adde, quòd licèt dicta conſtitutio, Perlectis, velit, quòd percuſſio in dubio declaretur, grauis quoad contrahendam cenſuram Papalem; nihilominus quoad reſeruationem præſentis caſus, puto, percuſſionem in dubio eſſe declarandam leuem potius quàm grauem: quoniá caſus quando eſt dubius nunquam præſumitur reſeruatus, *arg. tex. in l. commodiſſimè, ff. de liber. & poſth. Graff. loco citato, c. 4. num. 40. & Coriol. apud Molf. d.c.20.nu.21.*

178 Illud denique pro completa explicatione huius caſus eſt animaduertendum, quod habetur ex *Molfeſ. loco citato, nu.* 118. dicentem dictionem illam, *Seù*, poſitam inter dictiones vulneratio, & percuſſio, debere intelligi expoſitiuè, ita vt dum vi decreti reſeruatur occiſio, aut vulneratio, ſeù grauis percuſſio cuiuſcunque perſonæ, per vulnerationem, & grauem percuſſionem ſit intelligenda vna, & eadem actio; atque ideò videtur velle, hoc loco reſeruari grauem percuſſionem, id eſt grauem vulnerationem, ſicut id ipſum voluit *Vival. & Tol. ſupra relati*, atq; ideò dictionem illam, *Seù*, ſumendam eſſe expoſitiuè, juxta ea quæ habentur ex *Panor. in c. bonæ*

memo-

memoriæ, il 1. nu. 17. de poſtul. Prel. Mihi autem eiuſmodi explicatio non probatur: & propterea arbitror dictionem illam, *Seu*, debere ſumi alternatiuè, ſeù ampliatiuè ſecundum propriam eiuſdem naturam, de qua idem *Panor.* cum alijs ad ipſam *Add. in c. inter cæteras, num. 4. de reſcr.* Etenim eodem modo citra omnem controuerſiam ſumitur dictio, *Aut*, quæ mediat inter dictionem, *Occiſio*, & dictionem *Vulneratio.* Nec poteſt aſſignari diuerſitatis ratio, cur vna dictio in ſupradicto decreto diſiungat, & non alia. Vndè concludimus ad reſeruationem dicti caſus ſatis eſſe vulnerationem, ſiuè grauis ſit, ſiuè leuis; dummodò ſit culpa mortalis, & dici non poſſit vulnuſculum cum effuſione vnius, vel alterius guttę ſanguinis, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus.

Explicatio ad vndecimum, & vltimum caſum.

VNdecimus, & vltimus caſus, quem reſeruare ſibi poſſunt Regulares Superiores, eſt impedire, aut retardare, aut aperire litteras à Supe-
179 rioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores datas, vt conſtat ex illis Decreti verbis, *Malitioſum impedimentum, aut tardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad Inferiores, & ab Inferioribus ad Superiores.*

180 Ad cuius rei explicationem eſt adnot. quòd dictio, *Aut*, licèt aliquādo ſumatur coniunctiuè, aliquando expoſitiuè, & multis alijs modis, de quibus *Alber. de Roſ. & Ioan. Cal. in eorum Diction.* nihilominus ſecundum propriam ſuam naturam diſiunctiuè, ſeù alternatiuè, vt *in l. ille, aut ille, ff. de legat. 3. & clem. 1. ver. Quæro etiam,* & ibi *Gloſa, & Cardin. de conceſ. præben.* & ita hoc loco ſumendam eſſe inquit *Graff. lib. 3. caſ. reſer. c. 10. nu. 3.* & alij citra omnem controuerſiam: & propterea cùm mediet tàm inter dictionem illam, *Impedimentum*, ac dictionem *Retardatio*, quàm intèr dictiones, *Retardatio, & apertio*, Et in alternatiuis altera pars ſufficiat adimpleri, vt in *c. in alternatiuis, de regul. iur. in 6.* hinc ſequitur, quòd ad contrahendum caſum, de quo agitur, ſatis eſt ſi Religioſus vnam ex dictis actionibus committat; nempè vel quòd impediat litteras à Superioribus ad Inferiores, & è contra: vel quòd ipſas retardet: vel denique, quòd eaſdem aperiat: nec exigitur, vt dictæ actiones omnes ſimul concurrant. Eſt tamen verum, quòd ad incurrendum, vt ſupra caſum reſeruatum prædictæ actiones malitioſè, ideſt ſcienter, ac data opera, appenſatè, & animo nocendi fieri debent; aliàs caſus reſeruatus non incurritur, & id ob dictionem illam, *Malitioſum*, in decreto contentam.

181 Ex hoc ſequitur, quòd ſi Religioſus per ignorantiam, inaduertentiam, ſimplicitate, obliuione, aut bona fide impediat, retardet, aut aperiat huiuſmodi litteras, in caſum reſeruatum non incidit; quia mortaliter non peccat, & citra lethalem culpam caſus reſeruatus nō incurritur, vt per *Graff. loco citato, nu. 2.* Imò ego arbitror, quòd Regularis etiam ſi per ignorantiam concomitantem prædictas litteras impediret, retardaret, aut aperiret, atque ideò ob id lethalem culpam contraheret, ab eiuſmodi caſus reſeruatione excuſaretur. Eſt autem ignorantia concomitans, quæ concomitanter ſe habet ad actum voluntatis: & eſt de eo quod agitur, ita tamen, vt ſi ſciretur adhuc fieret. Vt cùm quis volēs occidere hoſtem, occidit eum, putans occidere ceruum, vt habetur ex *D. Thoma*, & in eum *Medina 1. 2. q. 6. art. 8.* Vndè ignorantia concomitans diceretur in caſu noſtro, vbi Religioſus putans aperire; impedire, ſeù retardare litteras alterius generis aperuit, impediuit, ſeù retardauit litteras, de quibus agitur in hoc caſu: quas ſi ſciuiſſet, adhuc aperuiſſet, &c. Vndè quamuis Religioſus eo caſu mortaliter peccaſſet, non tamen reſeruatum caſum contrahit. Etenim ad contrahendum eiuſmodi caſum vi ſupradicti decreti exigitur, vt dictæ actiones malitioſè, ac ſcienter fiant, vt ſupra oſtendimus, ob illam dictionem, *Malitioſum*, at qui ignorantia concomitante impedit, retardat, aut legit litteras, de quibus agitur, non ſcienter, nec malitioſè eas impedit, retardat, aut legit; ſed ignoranter. Vndè meritò ait *D. Thom. loco citato*, quòd ignorantia, quæ concomitanter ſe habet ad actum voluntatis, facit non voluntarium; quia non poteſt dici actu volitum, quod ignotum: ergò excuſatur à prædicti caſus reſeruatione, vt latè nos declarauimus *in noſtris Commentar. in Bull. Cœna lib. 2. can. 1. q. 38.* vbi oſtendimus ignorantiam concomitantem excuſare etiam à cenſuris Bullæ Cœnæ, ad quas contrahendas expoſtulatur ſcientia, & dolus. Hæc tamen, quæ diximus, tunc vera eſſe cenſemus quando ignorantia concomitans eſt inuincibilis; quoniam hæc minuit malitiam peccati, vt habetur ex *Sanch. lib. 1. Decal. c. 17. n. 6.* Secus autem ſi craſſa eſſet, vel affectata; quoniam tunc ignorantia ipſa non excuſaret à præſentis caſus reſeruatione: eo quòd ignorantia prædicta eſſet ingens temeritas: & à cenſuris non excuſaret, vt diximus *in dictis Commentar. loco citato, nu. 9.*

182 Illud interea circa rem hanc eſt adnot. quòd licèt actiones prædictæ factæ ex ignorantia concomitante craſſa, & effectata nō excuſent à noſtri caſus reſeruatione; nihilominus ſi fiant ex ignorantia conſequenti, atque ideò craſſa, aut affectata abſolutè, non coniuncta cum concomitante excuſant à dicti caſus reſeruatione. Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quòd licet ignorantia multipliciter ſit, vt latè diximus *in dictis Commentar. lib. 1. c. 2. q. 5. ſub num. 4.* Nihilominus quoad rem noſtram attinet, ignorantia, ſiuè facti ſit, ſiuè iuris, eſt duplex, antecedens ſcilicèt, & conſequens. Antecedens dicitur ex *D. Thoma 12. q. 6. art. 8.* quæ antecedit actum voluntatis, & eſt cauſa volendi, atque ideò non eſt volita, & alio vocabulo dicitur inuincibilis, ſeù probabilis: vt cùm quis, diligentia adhibita neſciens aliquem tranſire per viam, proicit lapidem per feneſtram, quo tranſeuntem interficit. Conſequens verò ignorantia appellatur illa, quæ conſequitur actū voluntatis, & per conſequens eſt volita: & illa alio vocabulo dicitur vincibilis, & improbabilis; quoniam adhibita diligentia excludi poteſt, aut debet. Hæc autem ignorantia diuiditur in affectatam, & craſſam, ſeù ſupinam. Ignorantia conſequens affectata dicitur illa, quæ eſt directè volita, vt patet exemplum de eo, qui vt legem ignoret, ex propoſito illam legere, aut audire recuſat. Ignorantia denique conſequens craſſa, ſeù ſupina vocatur illa, quæ prouenit ex negligentia in ſciendis ijs, quæ alioquin ſcire debet, eſtque directè volita: ſiquidem dicitur craſſa, quoniam ex deſidia prouenit: nam qui craſſi, & pingues ſunt, ſolent eſſe deſides, ac pigri: appellatur pa-

riter

riter ſupina; quia qui ſunt deſides dicuntur veluti ſupini dormientes. Applicando igitur prædicta ad rem noſtram, dico, quòd is dicitur impedire, retardare, ſeù aperire litteras, de quibus agitur, ex ignorantia craſſa, cùm ex deſidia adhibendi debitam diligentiam in cognoſcendis dictis litteris, eas legit, impediuit, aut retardauit, exiſtimans non eſſe litteras, quæ dantur à Superioribus ad Inferiores; vel è contra; ſed alterius generis. Et ſi ex propoſito noluit illas ſcire, iſte talis cenſetur prædictas actiones facere ex ignorantia affectata.

183 His ſic ſtantibus, probatur modo, quòd actiones prædictæ factæ ex ignorantia craſſa non coniuncta cum comitante, excuſent à caſus noſtri reſeruatione: ſiquidem ad contrahendum eiuſmodi caſum vi dicti decreti probauimus exigi, vt actiones ipſæ malitioſè, ac ſcientes fiant: at quando ad contrahendam pœnam aliquam ſcientia, ſeù dolus exigitur, non ſufficit lata culpa, vt eſt *text. in l. igitur, ver. Vel generaliter, ff. de liber. cauſa, l. ſi quis id quod, ver. Doli mali, ff. de iuriſd. omn. iudic.* cum alijs allegatis, per *Sanch. lib. 9. de matr. diſp. 32. num. 36.* Atque ideò ſatis non eſt ignorantia craſſa, quæ ex lata culpa in adhibenda diligentia prouenit, vt *in c. quæſitum, de pœnit. & remiſ. & Sanch. loco citato*; Ergo actiones prædictæ, vt ſupra initæ ex ignorantia craſſa excuſant à noſtri caſus reſeruatione, quamuis non excuſent à lethali culpa. Confirmatur, quoniam ignorantia craſſa excuſat ab excommunicatione lata ob aliquem actum ſcientiam, vt ſupra requirentem, vt habetur ex *Sanch. loco relato, Suar. de cenſur. diſp. 4. ſec. 10. nu. 2.* & nos latè *in dictis noſtris Commentar. ad Bull. Cœnæ lib. 2. can. 1. q. 36.* Ergò excuſat etiam à noſtri caſus reſeruatione, cùm caſus reſeruatio ſit ſtricti iuris; ſicut

184 excommunicatio. Bene verum eſt, quòd id, quod diximus limitatur verum eſſe; niſi ignorantia eſſet adeo craſſa, vt eſſet ingens temeritas: nam tunc ignorantia craſſa non excuſaret à noſtri caſus reſeruatione; quoniam re vera tunc Religioſus diceretur in dolo eſſe, iuxta ea, quæ habentur ex eodem *Sanch. lib. 2. Decal. c. 10. n. 36.* vbi tractans de excommunicatione lata contra legentes libros hæreticorum, ait, quòd ignorantia craſſa non eſt ingens temeritas, niſi quando legens vehementem ſuſpicionem habuit malitiæ libri. Quæ diximus de ignorantia craſſa extendimus etiam ad ignorantiam affectatam; atque ideò Religioſus impediens, retardans, aut legens ſupradictas litteras ex ignorantia affectata non incidit in eiuſmodi caſum reſeruatum: nam tàm ignorantia craſſa, quàm affectata faciunt actum inuoluntarium ſecundum quid, in quantum præcedunt motum voluntatis ad aliquid agendum: & per ignorantiam affectatam, ſicut per craſſam re vera non dicitur Religioſus ſcienter impedire, retardare, &c. Vt patet ex ijs, quæ *in dictis Comment. in Bull. Cœnæ cumulauimus, lib. 2. can. 1. q. 37.* His breuiter prælibatis, deuenio ad ſingularum actionum explicationem.

185 Quoad primam igitur actionem eſt adnot. quòd impedimentum ab impedire deriuatur: quod idem eſt, quod obſtare, ne quid fiat, iuxta illud *Cicer. ad Attic. lib. 8. Ne mecum coniungeres priusquam Cæſar tuum iter impediret.* Eſt autem impedire genus quodam includens etiam inuadere; quod eſt impetu quodam aliquẽ agredi ſeù in aliquem irruere, quo eum expoliet, interficiat, damnum, aut iniuriam eidem inſerat. Vndè omnis qui inuadit, impedit; ſed non è conuersò, omnis qui impedit, inuadit. Impedimentum autem litterarum, de quibus agitur, ne ſcilicèt deferantur à Superioribus ad Inferiores: & ab Inferioribus ad Superiores multipliciter contingere ſolet: dolo malo ſcilicèt, & bona fide, immediatè, & mediatè: directè, & indirectè. Dolo malo infertur impedimentum prædictum, cùm malitioſè, appenſatè, ſcienter, & nocendi animo datur, vt ſupra diximus: bona fide verò quando iuſta ex cauſa, ad euitandum ſcilicet damnum aliquod iniuſtum ſibi, aut alteri inferendum ratione dictarum litterarum impedimentum tribuitur. Immediatè is impedit, qui per ſe ſuis manibus, aut per ſuos ſeruos, & alios ſibi ſubditos eiuſmodi literas impedit, iuxta ea, quæ habentur ex *Panor. in c. mulieres, ſub num. 9. de ſent. excom.* mediatè verò, qui per alios, qui nullo modo ſunt in poteſtate impedientis, *l. 1. §. feciſſe, ff. de eo, per quem fact. erit.* Directè denique impedimentum infertur, cùm quis ſimpliciter, & apertè, ne prædictæ litteræ deferantur, prohibet: ſiuè verbis fiat; nempè minis, contumelijs, riſibus, confuſionibus, & promiſſionibus: ſiuè facto, atque ideò tenendo, ligando eas deferentes, in carcere detinendo, &c. Indirectè verò, ſi iumentum adimatur: ne prædictæ litteræ deferantur ab Inferioribus ad Superiores, & è conuerſo, ſi dolo corrumpi fiant, concremari, lacerari, ſurripi, &c. Religioſus igitur impediens litteras ſupradictas, ne deferantur à Superioribus ad Inferiores, & è conuerſo, caſum reſeruatum incurrit.

186 Ampliatur primò hæc concluſio, vt Religioſus vt ſupra impediens reſeruatum caſum contrahat, quocunque modo impediat, ne dictæ litteræ deferantur, directè, vel indirectè; quoniam directum, & indirectum ſe habent ſicut tacitum, & expreſſum; at taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cùm quid, ff. ſi cert. petat.*

187 Secundò ampliatur, vt Religioſus vt ſupra impediens in caſum reſeruatum incidat; etiam ſi litteras à Deferentibus non adimat. Siquidem vi noſtri decreti reſeruatur ſimpliciter impedimentum litterarum, nec expoſtulat earum delatarum ablationem; ergò nec nos expoſtulare debemus, *arg. tex. in l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt. l. de pretio, ff. de public. in rem act.*

188 Tertiò ampliatur, vt non ſolùm Religioſus caſum reſeruatum contrahat, ſi facto impediat, ne ſupradictæ litteræ deferantur, vt ſupra; ſed etiam ſi verbis, nempè minis, contumelijs, &c. quoniam is dicitur etiam formaliter, ac directè impedire. Eſt tamen verum, quòd ſi Religioſus, impedienti huiuſmodi litteras, ſit præſens, paratus ad opem ferendam, ſi opus fuerit, & nihil aliud agat, nec dicat, reſeruationem noſtri caſus non contrahit; quoniam is re vera dicitur formaliter auxiliator, iuxta ea, quæ docet *Bart. in l. qui ſeruo, §. ſi duo, ff. de furt. & Vgol.* quem nos retulimus, & ſequuti ſumus *in noſtris Comment. in Bull. Cœnæ, can. 11. q. 17. nu. 2.* at excommunicatio lata contra facientes, non includit mandantes, auxiliantes, &c. Niſi auxilium, & fauor talia ſint, vt contineant cooperationem ad eandem actionem, vt habetur ex *Suar. de cenſur.*

diſp.21.ſec.2.nu.66. Vel niſi velimus in reſeruatione huius caſus idem iudicium ſerie, quod habetur ex *Panor. in c. mulieres, nu. 9. de ſent. excom. & Graff. lib.3.caſ.reſer.c.9.nu.17.in fin.* Quorum ſententiam nos reiecimus, in *explic. præcedentis caſus, verſ. Quoad primam actionem, in fine.*

189 Quartò ampliatur, vt Religioſus in caſum reſeruatum incidat, non ſolùm ſi impediat litteras proprij Superioris ad Inferiores; ſed etiam cuiuſcunq; Superioris; etiam ſi Regularis non ſit, atque ideò non ſuus: ſiquidem decretum generaliter loquitur de litteris à Superiore ad Inferiores, & è conuerſo, nec diſtinguit; ergò generaliter eſt intelligendum, nec nos diſtinguere debemus; quoniam lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quando non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, vt ſupra oſtendimus, *ampl. 2. in fine.*

190 Sic ampliata limitatur primò eadem cõcluſio vt ita demum Religioſus impediens eiuſmodi caſum reſeruatum incurrat, ſi ex tali impedimento nocumentum notabile inferatur proximo, etiã ſi illud eueniat citra lethalem intentionem, vt habetur ex *Addent. ad Steph. Quarant. in ſum. Bullar. ver. Caſus reſeruati, in explic. noſtri caſus, ſub nu.12.* Secus autem ſi nocumentum ſit parui momenti; quia de minimis non curat Prætor, *l. quod ſi Epheſi, ff. de eo quod cer. loco.* Imò ſi Religioſus ipſe per huiuſmodi impedimentum lucrum aliquod aſſequatur, & ob tale lucrum impedimentum inferre voluit, præter lethalem culpam, furtum committit: ſecus ſi non animo lucrandi, ſed iniuriam inferendi id faciat; quoniam tunc tenetur actione iniuriarum, per ea, quæ habentur ex *Bart. in l. qui tabulas, §. fin. ff. de furt. & Graff. d.c.10.nu.10.*

191 Secundò limitatur, vt concluſio vera ſit, vbi impedimentum doloſè infertur, vt ſupra diximus; ſecus autem ſi ad bonum finem, nempè ad præcauendum malum aliquod iniuſtè ſibi, aut alteri probabiliter inferendum, vt per *Addent. ad Steph. Quaran. loco ſupra cit. verſ. Non eſſet.*

192 Tertiò limitatur, vt illud impedimentum ſit caſus reſeruatus, quo per Religioſum impediuntur litteræ continentes rem grauem, ſiuè res grauis ſit ex ſui natura; ſiuè ex animi paſſione, qua pars afficeretur, dum id contra eius voluntatem fieret: ſecus autem ſi rem leuem contineant; quoniam ad contrahendum eiuſmodi caſum exigitur, vt per ſupradictum impedimentum manifeſtè lethalis culpa committatur. Ita *Addent. ad Steph. Quar. vbi ſupra, ſub nu.12.*

193 Quartò limitatur, vt Religioſus, vt ſupra impediens tunc caſum reſeruatum contrahat, quando impedit litteras iam ſcriptas; ſecus autem ſcribendas: ſiquidem litteræ ſcribendæ ſunt tantùm litteræ in potentia, & Decretum videtur loqui de litteris iam ſcriptis, cùm reſeruetur impedimentum litterarum, & verba, caſus reſeruati, intelligi debeant ſtrictè, vt ex *Molf.* & alijs apud ipſum *p.1. ſua ſum. tract.7.c.20. nu. 21.* Vndè ſi Religioſus impediat ſubditum ſcribere litteras ad ſuum Superiorem, aut Superiorem ad ſubditum, puto probabiliter eum non incidere in caſum reſeruatum; quoniam in rigore ſermonis is non dicitur impedire litteras deferri ad Superiores; ſed potius litteras ſcribi: ſecus autem ſi litteræ iam ſcriptæ ſint, & adhuc conſeruentur penès ſcribentem: nam tunc impediens deferri, caſum contraheret; eo quòd verè diceretur impedire litteras, ne deferantur.

Quintò limitatur multis alijs modis, qui colligi poſſunt ex ijs, quæ dicemus infra explicantes tertiam actionem: & ex ijs, quæ ſuperius dicta fuerunt, *verſ. Ex quo infertur.*

194 Quo verò ad ſecundam actionem eſt adnot. quòd retardatio litterarum differt ab earum impedimento; quoniam impedimentum, ait *Graff. d.c.10.nu.8.* videtur eſſe perpetuum: vt cùm quis litteras ad ſe peruentas ſcienter retinet, &c. At retardatio litterarum dicitur fieri ad tempus, vt ſi Religioſus per tres, aut quatuor dies, aut per menſem, &c. litteras ipſas ſibi retineret, & deindè reſtitueret, ſemper tamen ad incurrendum dictum caſum reſeruatum ex cauſa retardationis litterarum, exigitur dolus, ſcientia, &c. Quoniam dictio illa, *Malitioſum*, refertur ad omnes actiones in dicto decreto contentas: ſiquidem citra dolum non committitur grauis culpa, & vbi peccatum mortale non interuenit, non contrahitur caſus reſeruatio. Quæ diximus de prima actione, atque ideò de impedimento, extendi poſſunt proportionaliter ad hanc actionem, & ſic ad retardationem.

195 Quoad tertiam actionem eſt adnot. quòd licèt aliqui velint, aperientes aliorum litteras, incidere in excommunicationem, & in crimen falſi; nihilominus in contrarium eſt veritas; quoniam eiuſmodi excommunicatio in iure non reperitur expreſſa, vt habetur per *Cardinal. in c. cùm olim 2. nu. 10. de offic. Deleg.* Nec falſi pœna infligitur, niſi aperienti eiuſmodi litteras, illaſq; Aduerſario oſtendenti, *arg. tex. in l. 1. §. is qui depoſita inſtrumenta, ff. de falſ. Bart. in l. qui teſtamento, ff. eod. & Graff. in d.c.10. ſub nu. 14. & 15.* Eſt tamen verum, quòd aperiens aliorum litteras, mortaliter peccat, & contenta in eis tenetur ſub ſigillo ſecreti contegere: ſiquidem reuelare ſecreta eſt crimen grauiſſimum, vt habetur ex *Sot. de rat. tegen. memb.3.q.4. concl.3. & Graff. loco citato, num.9. & 10.* At ſi Religioſus eiuſmodi crimen committat in caſum reſeruatum inſuper incidit.

196 Ampliatur primò hæc concluſio, vt Religioſus caſum reſeruatum incurrat, non ſolùm ſi litteras aperiat proprij Superioris ad Inferiores, & è conuerſo; ſed etiam cuiuſcunque Superioris, etiam ſi proprius non ſit, atque ideò ſæcularis: quoniam Decretum generaliter loquitur, & non diſtinguit, *arg. tex. in l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt. l. cùm de pretio, ff. de publ. in rem act.*

197 Secundò ampliatur, vt Religioſus aperiens huiuſmodi litteras, caſum reſeruatum contrahat, etiam ſi à deferentibus non adimat: ſiquidem vi dicti decreti reſeruatur ſimpliciter litterarum apertio, nec earum ablationem expoſtulat; ergò nec nos expoſtulare debemus, *arg. tex. in d. l. de pretio, ff. de public. in rem actione.*

198 Sic ampliata limitatur primò eadem concluſio, vt vera ſint, vbi doloſè, & cum notabili damno alterius eiuſmodi litteræ aperiuntur, atque ideò quando lethalis culpa contrahitur, vt ſupra diximus de impedientibus: quoniam nunquam caſus reſeruatur incurritur; niſi lethalis culpa contrahatur, vt contra *Coriol.* cõtrarium ſententem

tem probat *Molfeſ. p. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. c. 20. nu.* 124. Vnde ob eandem rationem idem *Molfeſ.* poſt *Adden. ad Steph. Quar.* & alios à *nu.* 125. *vſque ad fin.* Excuſat ab huius caſus reſeruatione Religioſos litteras prædictas aperientes non animo nocendi alteri, nec ſi re ipſa ſequatur damnum; ſed ob curioſitatem, iocum, ad euitandum damnum iniuſtum ſibi, aut alteri inferendum: ſi inaduertenter aperiantur, ſi litteræ rem parui momenti contineant, & ſi aperiantur ab habentibus facultatem: nam his omnibus caſibus aperientes eiuſmodi litteras mortaliter non peccant.

199 Secundò limitatur, vt ita demum Religioſi aperientes prædictas litteras caſum reſeruatum contrahant, ſi illas apertas legant: quoniam litteræ non cenſentur apertæ ex ſola ſigilli, aut alterius ligaturæ inciſione, aut apertura; niſi re ipſa legantur, iuxta ea, quæ habentur ex *Bart.* communiter recepto, *in l. ſi quis graui, §. qui tabulas, ff. ad Syllan.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Molf. loco citato, ſub num.* 129. Dicitur autem legere ſcripturam aliquam non ſolùm qui eam per expreſſionem verborum ore prolatorum legit; ſed etiam ſi nihil exprimens oculis tantùm eandem percurrat, vt eſt *tex. in l. 1. §. legi,* & ibi *Gloſſa, & alij, ff. de his, quæ teſtam. delent. Bart. in l. qui Romæ, §. duo fratres, q. 4. in fin. ff. de verb. oblig.* Ex quo infertur, quòd ſi Religioſus huiuſmodi litteras aperiens legat, ſi eas nullo modo intelligat: & pœnitentia ductus ſtatim claudat, & deferentibus tribuat, caſum reſeruatum non contrahit; quoniam is re vera non dicitur legiſſe: nam legere, & non intelligere eſt negligere: & ſi apertio litterarum reſeruatur propter earum lectionem; multò magis reſeruata cenſetur ob cognitionem, & propalationem in eiſdem contentorum; ne ſcilicèt ſciantur, aut publicentur. Vndè ratio prohibitionis non comprehendit caſum, de quo agitur. Confirmatur ex his, quæ diximus poſt alios *in noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 1. q. 47.* vbi oſtendimus, quòd legentes libros hæreticorum hæreſim continentes, aut de Religione tractantes, non tamen illos intelligentes in excommunicationem dicti canon. non incidunt. Idem videtur dicendum de Religioſo audiente legere dictas litteras, per ea, quæ cumulauimus *in dictis Commentar. ibidem, q. 48.* Sed contrariam ſententiam puto non eſſe contemnendam per addita ad *d. q. 48. litt. A. in vltima impreſ. fol.* 183. Quod verum maximè puto, quando Religioſus per ſe prius litteras prędictas aperiat, & deindè illas tribuat alteri legendas vt audiat: quoniam tunc puto eum caſum reſeruatum contrahere, cùm eiuſmodi delicto conueniant verba, & ratio finalis Decreti.

Quænam peccata reſeruari valeant.
SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *De Iure reſeruari poſſunt peccata, tùm externa, tùm interna.*

2 *Eccleſia non iudicat de internis, puniendo actus internos directè, licet habeat directam Iuriſdictionem ſuper illos in foro interno, & ſacramentali.*

3 *Reſeruari etiam poſſunt ne dum peccata externa, & interna mortalia, ſed interna quoque venialia, maximè quæ periculum ſecum afferunt grauioris culpæ.*

4 *Simplex Sacerdos abſoluere poteſt à venialibus citra approbationem aliquam, habetq; Iuriſdictionem ad id ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine.*

5 *De facto peccata mortalia interna, ac etiam venialia, ſiuè externa, ſiuè interna ſint, non reſeruantur, nec expedit reſeruari.*

6 *Abſolutio hæreſis purè mentalis, an ſit reſeruata Papæ.*

7 *Summus Pontifex nullum peccatum ſuo Tribunali reſeruat, niſi propter excommunicationem annexam. Et ſi ipſe, vel eius Pœnitentiarius aliquem abſoluat à cenſura, poterit eumdem Confeſſarius abſoluere à culpa, tali cenſuræ annexa.*

8 *Reſeruari non poſſunt omnia mortalia collectiuè, & ſimul ſumpta, nec Papa auferre poteſt Iuriſdictionem Epiſcopis, ad abſoluendum ab omnibus mortalibus.*

An poſſint Epiſcopus, & Papa denegare aliquibus Sacerdotibus, cum eos approbant iuriſdictionem abſoluendi à mortalibus.

9 *Reſeruatio mortalium ſemper intelligitur de conſummatis, non de inchoatis. Et reſeruatio inceſtus, non intelligitur reſeruatus conatus ad inceſtum.*

An attentatus criminis reſeruari poſſit.

HAnc controuerſiam diſputamus, tàm de iure, quàm de facto, & de peccatis, & caſibus tùm externis, tùm internis, venialibus, & mortalibus; & de his in ſpecie, ac collectiuè. Atque adeò quærimus, an reſeruari poſſint peccata non ſolùm externa, ſed interna, venialia, ac mortalia, in ſpecie, ac collectiuè. Vndè pro huius rei determinatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 DE iure reſeruari poſſunt peccata non ſolùm externa, ſed etiam interna. Hæc concluſio eſt *Sot. in 4. d. 18 q. 2. art. 5. Caiet. 2. 2. q. 11. art. 3. Ledeſ. 2. 4. q. 8. art. 2. dub.* 10. *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 29. ſec. 3. nu. 3. Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. nu. 6. Sanch. lib. 2. moral. c. 8. nu. 4. Conynch. diſp. 8. dub. 11. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 1. nu. 15. & 16.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Laym. in ſumma Theol. lib. 5. tract. 6. c. 12. de ſacr. pœnit.* Probatur ipſa concluſio ex eo, quòd omnis iuriſdictio quoad forum internum quam habent Confeſſarij in abſoluendis fidelibus ab eorum peccatis pendet à Superioribus, qui iuriſdictionem eiuſmodi tribuunt: ergò ſicut Superiores poſſunt limitare iuriſdictionem Confeſſarijs inferioribus quoad peccata externa; ita quoque poſſunt eandem limitare quoad peccata interna; atque adeò, attenta iuris diſpoſitione, reſeruari poſſunt non ſolùm peccata externa; verum etiam interna. Nec obſtat ſi dicatur, quòd
2 Eccleſia non iudicat de internis; quoniam licèt Eccleſia non poſſit punire directè, ac immediatè pœnis externis actus purè internos; habet tamen in foro interno, ac ſacramentali directam iuriſdictionem ſuper illos: & proindè tenetur peccator non modo externa, ſed etiam interna peccata afferre ad huiuſmodi forum, & Diuinum iudicium; atque ideò poterit Eccleſia hoc iudi-

cium ſuper hoc, aut illud peccatum huic Con-
feſſario, & non alteri committere, aut ſibi re-
ſeruare.

3 Ampliatur hæc concluſio, vt reſeruari poſſint
non ſolùm peccata externa, & interna mortalia;
ſed etiam peccata, tàm externa, quàm interna
venialia, abſolutè loquendo; maximè illa, quæ
periculum grauioris culpæ ſecum afferunt, vt
habetur ex *Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. num. 6.
Suar. tom. 4. diſp. 29. ſec. 3. nu. 1. Fagund loco cit.
nu. 18.* & ex alijs. Rationem autem hanc eſſe vo-
lunt; quia venialia non poſſunt remitti per con-
feſſionem ſacramentalem citra iuriſdictionem
Eccleſiæ: ergò Eccleſia poteſt hanc iuriſdictio-
nem circa aliqua venialia limitare Confeſſarijs,
4 & ſibi reſeruare. Nec obſtat ſi dicatur, quòd ſim-
plex Sacerdos poteſt abſoluere à venialibus ſæ-
cularibus citra approbationem aliquam, & iuriſ-
dictionem, atque adeò videtur dicendum, nec
venialia interna, neque externa poſſe reſeruari;
quoniam reſpondetur, quòd licèt ſimplex Sacer-
dos abſoluat à venialibus ſæculares citra iuriſdi-
ctionem ſibi collatam à proprio Epiſcopo, ſeù
Ordinario, & abſque vlla approbatione; non
tamen abſoluit ſine iuriſdictione: quia iuriſdi-
ctionem habet ſimplex Sacerdos abſoluendi à
venialibus ex antiqua Eccleſiæ conſuetudine: ſi-
quidem conſuetudine introductum eſt, vt ſim-
plex Sacerdos poſſit abſoluere à venialibus, & à
mortalibus aliàs confeſſis, vt ſupra declarauimus
ſec. 7. concl. 6. Non tamen poſſunt peccata ve-
nialia ita reſeruari, vt teneatur quis ea confiteri,
cùm venialia multis alijs modis extra confeſſio-
nem remitti, & condonari valeant; ſed ſolùm
proderit talis reſeruatio, cùm quis velit per Sa-
cramentum pœnitentiæ venialia ſibi remitti, vt
habetur ex eodem *Fagund. loco citato.*

SECVNDA CONCLVSIO.

5 QVamuis peccata mortalia interna, ac etiam
venialia, ſiuè externa ſint, ſiuè interna de
iure reſeruari poſſint; de facto tamen
non reſeruantur, in vſu non eſt, neque expedit, vt
reſeruentur. Ita *Maior. in 4. d. 17. q. 5. propoſ. 2.
Barthol. Med. lib. 1. inſtr. c. 10 Henriq. de pœnit.
lib. 6. c. 14 nu. 5. Suar. tom. 4. diſp. 29. ſec. 3. Fincll.
de caſib. reſer. c. 5. nu. 6. Graff. p. 1. deciſ. lib. 1. cap.
13. nu. 71. Llamas p. 1. meth. c. 17. §. 14. Sanch.
lib. 2 moral. c. 8. nu. 4. Conynch. diſp. 8. dub. 11.
Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 12. ſub nu. 3. verſ.
Dico tertio, Layman lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 12.
ſub nu. 3. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2.
lib. 8. c. 1. nu. 17. & 18.* Qui eam rationem eſſe
volunt; quòd internorum peccatorum reſeruatio
non ita neceſſaria eſt ad Eccleſiæ gubernationem
cùm externa potiſſimum ſpectare debet. Imò ve-
nialium reſeruatio eſt omninò inutilis, ac infru-
ctuoſa, & abſolutè loquendo, tùm quia poſſunt
venialia multis alijs modis extra confeſſionem
remitti: tùm quia licèt reſeruentur, poterit pœ-
nitens ea præterire, ac tacere in confeſſione citra
culpam aliquam. Et idem dicendum eſſe de pec-
catis mortalibus aliàs confeſſis, probat *Suar. d.
diſp. 29. ſec. 3. nu. 1. & Fagund. loco citato, ſub
6 nu. 18. in fine.* Ex quibus patet non immeritò re-
probari ab *Henriq. d. c. 14. nu. 6. in addit. litt. F.*
Opinionem illorum, qui exiſtimant, abſolutio-
nem hæreſis purè mentalis reſeruatam eſſe Papæ:
ſiquidem nulla hactenus peccata interna, nec
quidem hæreſis ſunt reſeruata Rom. Pontifici;
atque ideò poſſe quemlibet pœnitentem à pec-
cato hæreſis internæ tutè abſolui à quolibet Con-
feſſario approbato; dummodò hæreſis interna
nullo ſigno externo hæreſis expreſſiuo fuerit ma-
nifeſtata, iuxta ea, quæ habētur ex *Azor. tom. 1.
Inſt. moral. lib. 8. c. 9. q. 10.* & alijs apud *Fagund.
loco citato, nu. 17. circa fin.* vbi tamen teſtatur ſe
audiuiſſe, hæreſim mentalem fuiſſe reſeruatam
in Epiſcopatu Conimbricen. in conſtitutionibus
illius.

7 Adde, quòd S. Pontifex ordinariè nullum pec-
catum ſuo tribunali reſeruat, niſi propter anne-
xam excommunicationem ſibi reſeruatam, vt ha-
betur ex *Caiet. in ſum. ver. Caſus, Henriq. lib. 6.
c. 14. nu. 1. Nauar. in Man. cap. 27. nu. 261. Tol.
lib. 3. ſua ſum. c. 14. Laym. lib. 5. ſum. tract. 6. c. 12.
nu. 2.* & ex alijs. Vndè Papa, vel eius Pœniten-
tiarius ſi aliquē abſoluat à ſola cenſura ipſi Papæ
reſeruata, inferior deindè Confeſſarius poteſt de-
indè abſoluere à culpa tali cenſuræ annexa; vt
per eundem *Henriq. ibidem, & Suar. tom. 4.
diſp. 29. ſec. 2. nu. 7.* Sic etiam ſi quis culpam con-
traxerit in Bulla Cœnæ reſeruatam, & ob iuſtam
ignorantiam à cenſura Papæ reſeruatæ tali culpæ
annexæ fuerit excuſatus, ab inferiori Confeſſario
à culpa abſolui poteſt. Ita *Henriq. ibidem, Co-
nynch. diſp. 8. dub. 11. num. 82. & Laym. loco cit.*
Vbi tamen ex his putat, non eſſe inferendum
peccatum, v. g. hæreſis, cui excommunicatio
Papalis eſt annexa per ſe, & immediatè Papæ re-
ſeruatum non eſſe: ſi quidem Sacerdos inferior
ſi bona fide, & inuincibili reſeruationis igno-
rantia laborans abſoluat, nihil efficit ex defectu
poteſtatis, vt per *Suar.* vbi ſupra, *nu. 8. Conynch.
d. dub. 11. nu. 83. & Sanch. lib. 2. moral. c. 8. nu. 5.
& Fagund. d. c. 1. nu. 28.* qui aliam rationem
quoque affert.

TERTIA CONCLVSIO.

8 LIcèt reſeruari poſſint omnia mortalia diuiſim
tùm externa, tùm etiam interna; non tamen
poſſunt reſeruari omnia mortalia collectiuè, &
ſimul ſumpta. Vndè ſicut Papa non poteſt auferre
iuriſdictionem Epiſcopis ad abſoluendum ab
omnibus mortalibus; quoniam id eſſet contra
rationem ſui muneris, & contra vtilitatem pœ-
nitentium, vt per *Suar. tom. 4. diſp. 29. ſec. 3. n. 4.*
ita etiam non poteſt Epiſcopus in propria Diœ-
ceſi reſeruare ſibi omnia peccata mortalia: eo
magis, quia hæc diceretur potius totalis iuriſdi-
ctionis negatio, quàm caſuum reſeruatio. Poſſunt
tamen Epiſcopus, & Papa non dare aliquibus Sa-
cerdotibus, cùm eos approbant, iuriſdictionem
abſoluendi à mortalibus, cum hæc ſit totalis iu-
riſdictionis negatio, non autem reſeruatio, vt
rectè docet *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2.
lib. 8. cap. 1. nu. 15. & 22.*

QVARTA CONCLVSIO.

9 REſeruatio peccatorum mortalium ſemper
intelligitur facta de mortalibus conſuma-
tis, non autem de inchoatis, & non conſumatis,
vt habetur ex *Syl. ver. Caſus, q. 5.* & ex alijs apud
*Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 12. ſub num. 3.
concl. 4.* Rationem autem hanc eſſe volunt, quia
crimen non intelligitur, niſi ſit conſumatum, *c.
hæc autem, iuncta Gloſa, de pœnit. d. 1.* Hinc ſi
reſeruetur inceſtus, pollutio extra vas cum con-
ſanguinea nō comprehenditur; ſicut nec conatus

ad

ad inceſtum; quamuis attentatio criminis reſeruari poſſit, vt inquit *Laym. loco citato*. Qui tamen caſus de iure communi, aut de conſuetudine reſeruati ſint Epiſcopis, vide *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 2. & Laym. d. c. 12. nu. 4.*

An peccatorum reſeruatio facta citra iuſtam cauſam licita ſit, & valida.

SEC. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Inſolita Epiſcoporũ caſuum reſeruatio ad obſeruantiam non obligat. Et quæ dicatur inſolita.*

2 *Non valet reſeruatio caſuum, facta Parochis citra iuſtam, ac rationabilem cauſam, facta vero alijs etiam abſque cauſa, valida eſt.*

3 *Caſuum reſeruatio ſine cauſa quamuis illicita ſit, eſt tamen valida.*

4 *Parochi, qui ob legitimam præſcriptionem poſſunt ſibi reſeruare caſus, citra cauſam, & pro mera eorum voluntate, illicitè, & nulliter reſeruant, & nu. 6.*

5 *Reſeruationem ſine cauſa eſſe illicitam, ſed validam probatur.*

6 *Parochi illicitè, non tamen inualidè reſeruant ſibi caſus ſine cauſa.*

7 *Ad caſuum reſeruationem, vt licita ſit, requiritur cauſa rationabilis, non tam vt valida ſit.*

1 IN hac re quatuor extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Henr. de pœn. lib. 6. c. 14. n. 13.* Dicentis non obligare ad ſui obſeruantiam inſolitam Epiſcoporum caſuum reſeruationem: vocat autem inſolitam illam, quæ fit abſque cauſa, vt ſe explicat *in Commento ad marginem litt. P.* Hanc eandem ſententiam docuit *Petr. Sot. de pœnit. lect. 4. q. 2. art. 5. ad 2. & Ledeſ. 2. 4. quæſt. 8. art. 2.* Dum expreſsè inquit, nimiam Epiſcoporum reſeruationem non eſſe validam. Fundamentum eorum illud eſt, quia non alia ratione nulla eſt caſuum reſeruatio in articulo mortis, niſi quia citra iuſtam cauſam fieret: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro quando inſolita eſſet caſuum reſeruatio, cùm irrationabilis eſſet.

2 Secunda ſententia eſt Angeli, ac Fumi, *in ver. Caſus*, diſtinguentium inter Parochos parochiale beneficium habentes, & inter alios Sacerdotes Confeſſarios beneficium parochiale non habentes: & dicunt non valere reſeruationem caſuum factam Parochis citra iuſtam, ac rationabilem cauſam, & pro mera reſeruantium voluntate: reſeruationem verò factam alijs Confeſſarijs eſſe validam, etiam ſi abſque vlla cauſa fieret. Rationem autem hanc eſſe volunt; quoniam Parochi habent oues proprias: Confeſſarij verò non Parochi proprias oues non habent: nimirum igitur ſi reſpectu Parochorum nõ poſſit fieri reſeruatio ſine cauſa, cùm citra iuſtam cauſam non poſſint priuari ſua iuriſdictione in proprias oues: & reſpectu aliorum Confeſſariorum validè fiat, etiam abſque cauſa.

3 Tertia ſententia eſt *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 29 ſec. 4. nu. 8. Syl. ver. Confeſſor. 3. nu. 5. in fine, Graff. lib. 1. deciſ. cap. 13. num. 77. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 1. nu. 25. & Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 6. c. 12. ſub nu. 4. q. 3.* Exiſtimantium, quòd quamuis illicita ſit caſuum reſeruatio ſine cauſa, ac ex mera reſeruantium voluntate; nihilominus eſt valida, atque ideò contra huiuſmodi reſeruationem abſoluẽtes nihil agere.

4 Quarta ſententia eſt eiuſdem *Fagund. loco citato, nu. 27.* qui licèt doceat tertiam opinionem eſſe veriorem, & probabiliorem; nihilominus eam limitat in Parochis, qui ob legitimam præſcriptionem poſſunt caſus ſibi reſeruare. Hos enim vult non poſſe reſeruare ſibi caſus citra cauſam, & pro mera eorum voluntate, & ſi eos ſine cauſa reſeruent, non ſolùm illicitè, ſed etiam nulliter ſibi reſeruant. Mouetur ex eo, quòd huiuſmodi Parochi quando legitimè præſcripſerunt facultatem reſeruandi ſibi caſus, præſcripſerunt quidem propter aliquam cauſam iuſtam, & rationabilem: & propterea non eſt extendenda vltra modos, & terminos ex cauſa rationabili præſcriptos, cùm huiuſmodi præſcriptio odioſa ſit ouibus; quia illis reddit difficiliorem vſum Sacramenti: extenderetur autem vltra illos, ſi de præſcriptione, & conſuetudine acquiſita ob cauſam, voluiſſent acquirere nouum modum reſeruandi abſque cauſa, non citra ſcandala, ac diſſentiones, quæ vt plurimum oriri ſolent ex inſolita, ac irrationabili reſeruatione inter Parochos, ac Parochianos. Confirmant ſuam ſententiam ex præſcriptione diſpenſationis votorum ex cauſa; quæ non poteſt validè fieri ſine cauſa.

5 Ex præfatis ſententijs tertia videtur vniuerſaliter vera. Et quamuis *Suar. loco citato*, hanc ipſam dubitanter doceat; nihilominus inquit in hac re inclinandum eſſe in fauorem Epiſcoporũ. Quod reſeruatio ſine cauſa ſit illicita, patet, quoniam omnis poteſtas à Chriſto Domino procedens, eſt ordinata: at poteſtas reſeruandi peccata eſt à Chriſto Domino procedens; ergò eſt ordinata, ac Eccleſiæ relicta in ædificationem illius, non autem in deſtructionem animarum, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7.* non igitur erit licita reſeruatio ſi citra iuſtam, & rationabilem cauſam fiat. Confirmatur, quia omnis reſeruatio per ſe eſt oneroſa, & odioſa ſubditis, & Confeſſarijs, cùm ſubditis reddat difficiliorem vſum Sacramenti, & Confeſſarijs reſtringat eorum iuriſdictionem: ergò vt reſeruatio ſit licita exigit cauſam iuſtam, ac rationabilem, alioquin illicita diceretur. Denique reſeruatio eſt pœna inducta in odium delinquentis, ac in pœnam peccati, vt habetur ex *Molin. tom. 1. de iuſt. & iur. diſp. 92 ver. Pœna, Sanch. lib. 9. de matr. diſp. 32. n. 18.* & alijs; ergò citra rationabilem cauſam licitè fieri nõ poteſt, aliàs daretur pœna citra aliquã cauſam. Quod autem reſeruatio huiuſmodi ſit valida, probatur, quoniam ſicut Rom. Pontifex ſupremus iuriſdictionis collator Epiſcopis, ac alijs iuriſdictionem amplam, ac reſtrictam, & limitatam poteſt ad ſui libitum citra aliquam cauſam validè conferre, vt probat idem *Fagund. d. c. 1. nu. 15.* ita valdè veriſimile eſt S. Pontificem Epiſcopis ita conferre iuriſdictionem, vt eandem inferioribus communicare poſſint amplam, vel reſtrictam, pro vt ipſis expedire viſum fuerit; Nec ex hoc ſequitur, quod citra rationabilem cauſam ſi fiat reſeruatio, efficiatur inualida: nam poteſt ferri à Iudice iniuſta ſententia; quæ tamen ſit valida, donec à Superiore Iudice reuocetur: & re vera ſi reſeruatio, de qua agitur non modo illicita, ſed etiam inualida eſſet, grauior occaſio ſchiſmatis oriri poſſit; ſiquidem facile opinari poſſent Confeſſarij, Epiſcopos, &

alios

alios Superiores in caſuum reſeruatione poteſtatis limites exceſſiſſe. Et quoniam hæc ratio maioris ſchiſmatis, ac diſſentionis militat etiam in Curatis, qui ob legitimam præſcriptioně poſſunt caſus reſeruare, ſi citra iuſtam cauſam caſus ſibi reſeruent, idcircò probabiliter videtur dicendum
6 eos quoque in tali caſu illicitè reſeruare, non tamen inualidè: atque ideò tertiam ſententiam eſſe veram non modo quoad reſeruationem factam à Papa, ac ab Epiſcopis, ſed etiam quoad reſeruationem factam à Curatis, qui poſſunt caſus ſibi reſeruare ob legitimam præſcriptionem, & ſic contra quartam ſententiam. Nec valet argumentum de eo, qui præſcripſit in diſpenſatione votorum ex cauſa, vt non poſſit validè in votis diſpenſare ſine cauſa; quoniam diſpar ratio militat in eo, qui præſcripſit in diſpenſatione votorum; nam cauſa diſpenſandi in voto eſt de ratione diſpenſationis, atque ideò ſi diſpenſatio huiuſmodi citra iuſtam cauſam fiat, diſpenſatus non eſt tutus in conſcientia, vt latè probauimus *in Commentarijs noſtris in Bull. Cœna, lib. 2. can. 7. q. 37. nu. 4.* At cauſa reſeruationis caſuum, non eſt de ratione reſeruationis; aliàs nec Papa, nec Epiſcopi validè ſibi caſus reſeruarent citra iuſtam cauſam, quod ab ipſomet *Fagund.* negatur.

7 Ad contraria primæ, & ſecundæ ſententiæ patet reſponſio: ſiquidem ratio primæ ſententiæ ſolum probat requiri cauſam rationabilem in reſeruatione caſuum, vt ſit licita, non tamen vt valida. Etenim S. Pontifex reſeruando ſibi aliquem caſum in articulo mortis, quamuis rem illicitam ageret, nihilominus valida eſſet reſeruatio, vt probat *Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll. 8. nu. 5. & q. ſeq.* latius dicemus. Eſt tamen verum, quòd Inferiores S. P. nulliter reſeruarent ſibi caſus in articulo mortis, etiam ſi per impoſſibile iuſta daretur cauſa, & ſic nnn ex defectu cauſæ, aliàs nec Papa poſſet reſeruare in articulo mortis; ſed quia per *Conc. Trid. inhibetur ſeſſ. 14. c. 7.* ſupra quod licèt ſit Papa; non tamen ſunt Papæ Inferiores. Ad rationem autem ſecundæ ſententię eodem modo reſpondetur; quoniam ad ſummum tantùm probat eſſe huiuſmodi reſeruationem illicitam, cùm ſit odioſa Parochis, eo quòd reſtringit eorum iuriſdictionem ſine cauſa: & eſt onerosa ouibus, cùm illis reddat vſum Sacramenti pœnitentiæ difficiliorem; non tamen probat eſſe nullam, vt inquit *Fagund. loco citato, ſub nu. 24. in fine.* Quæ quidem qualiter vera ſint, *q. ſeq.* latius declarabimus.

An reſeruatio alicuius caſus etiam in articulo mortis validè fieri valeat.

SEC. XVI.

SVMMARIVM.

1 Sacerdotes omnes Iure diuino facultatē habent abſoluendi conſtitutos in articulo mortis à quibus caſibus, & cenſuris quantumuis reſeruatis.

2 Dupliciter poteſt hæc controuerſia agitari.

3 Reſeruatio duplex eſt perſonalis .ſ. & legalis.

4 In quo differat perſonalis reſeruatio à legali.

5 In Eccleſia Dei eſt poteſtas reſeruandi caſus, & cenſuras etiam pro mortis articulo.

6 Hæc reſeruatio pro articulo mortis nunquam expedit.

6 Epiſcopi, alijq; Prælati, Papa inferiores, caſus, & cenſuras pro mortis articulo ſibi reſeruare non poſſunt.

8 Idque verum eſt, ſiuè de perſonali, ſiuè de legali agatur reſeruatione.

9 Reſeruatio hæc pro mortis articulo per Epiſcopos, alioſq; Prælatos, Papa inferiores, ne dum illicita, ſed etiam nulla, & inualida eſt.

10 Concluſio hæc non ſolum locum ſibi vendicat in mortis articulo, ſed etiam in mortis periculo.

11 Bannitus, qui poteſt impunè occidi, cum maneat in continuo periculo mortis, à quibuſcunque caſibus, & cenſuris quantumuis reſeruatis, abſolui poteſt.

12 Reſeruari an poſſit caſus in articulo, vel periculo mortis, ſub reſeruatione conditionata.

13 Solus Summus Pontifex poteſtatem habet reſeruandi ſibi caſus, & cenſuras pro articulo, ſeu periculo mortis.

14 Romanus Pontifex ſi ſibi reſeruet caſus, & cenſuras pro mortis articulo, reſeruatione legali, illicita, & inualida probabiliter eſt talis reſeruatio.

15 Principes abſoluti, ac Ciuitates liberæ quamuis ſint ſupra Iura poſitiua, & Summus Pontifex ſupra omnes leges ſit; non tamen ſunt ſupra Ius naturale, ac Diuinum.

16 Papa ſi ſibi aliquos caſus, vel cenſuras reſeruet in articulo mortis reſeruatione perſonali, cauſamq; reſeruationis exprimat, quæ manifeſtam contineat iniquitatem, probabiliter dici poteſt illicitè, & inualidè reſeruare.

1 IN hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Probatur, ex ijs, quæ habentur ex *Capreolo in 4. d. 19. ad 4. cōtra concl. 3. Palud. d. 20. q. 1. art. 2. & can. in relec. de ſacram. pœnit. p. 5.* Dum volunt Sacerdotes omnes iure Diuino facultatem habere abſoluendi conſtitutos in articulo mortis à quibuſcunque caſibus, & cenſuris quantumuis reſeruatis. Siquidem ex perpetua Eccleſiæ traditione, cuius initium ignoratur, nulla vnquā reſeruatio caſuum, aut cenſurarum in tali articulo habita fuit, vt conſtat ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7.* Si igitur de iure Diuino eſt ſublata reſeruatio caſuum in articulo mortis; ergò ſi caſuum reſeruatio fiat in illo articulo nulla dicitur, ac inualida, tanquam à non habente poteſtatem; cum iuri Diuino, ac naturali ſubijciantur omnes, etiam S. Pontifex, vt oſtendimus *in noſtris Comment. in Bull. Cœnæ Dom. lib. 1. c. 4. q. 5. nu. 2.* Et ad fundandum ius Diuinum ſatis eſt totius Eccleſiæ conſenſus iuxta illud *D. Pauli 2. ad Theſſal. c. 2. Tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermones, ſiuè per Epiſtolam noſtram.* Et nos adnotauimus in *d. Comment. lib. 2. can. 11. q. 18. nu. 51. & 52.*

2 Pro determinatione huius difficultatis eſt annot. quòd controuerſia huiuſmodi poteſt diſputari dupliciter. Primò, an in Eccleſia Dei ſit poteſtas reſeruandi caſus, & cenſuras, etiam conſtitutis in articulo mortis: ſiuè ſit apud Roman. Pontificem tantùm; ſiuè ſit etiam apud Inferiores Rom. Pontifici. Secundò, an ſi de facto fiat talis reſeruatio ſit valida à quocunque efficiatur: vel tantùm illicita, non autem inualida.

3 Secundò eſt adnot. quòd reſeruatio eſt duplex: perſonalis ſcilicèt, & legalis. Prior reſeruatio reſpicit perſonam tantùm reſeruantis, non

autem

autem dignitatem. Vt cùm Papa, vel Epiſcopus dicunt, Reſeruamus, vel reſeruo mihi tale, vel tale peccatum: vel dicant. In tali, vel tali peccato non abſoluatur aliquis, niſi per nos. Idem dicendum eſt, ſi dicatur, à tali peccato non abſoluatur aliquis, niſi de mandato noſtro, vel ad mandatum noſtrum, vel quoad vſque nobis placuerit, ſeù ad noſtrum beneplacitum. Poſterior autem reſeruatio, & ſic legalis dicitur illa, quæ per legem fit, aut per ſtatutum ſynodale. Conueniunt inter ſe huiuſmodi reſeruationes, quia ambæ ſunt pęnę directæ ad puniendum peccatum delinquentis, & in illius odium, vt habetur ex *Ledeſ. 2.4.q.8. art.2.dub.6. Mol. tom.1. de iuſtit. & iure, diſp. 92. verſ. Pœna, Sanch. lib. 9. de matr. diſp. 32. nu.18. Graff. lib.1.deciſ.aur.cap.13. num.60. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib.8.c.1. ſub nu. 28.* Differunt tamen prædictæ reſeruationes,
4 quòd perſonalis reſeruatio extinguitur, extincta perſona reſeruantis: legalis verò non extinguitur, ſed eſt perpetua, donec per aliam legem reuocetur, vt in *c. 1.* & ibi, *Doctor. de conſtit. in 6.* Vel donec alia publicetur, vt ſunt caſus, & cenſuræ, Bullæ Cœnæ, quorum, & quarum reſeruatio durat quouſque alia Bulla publicetur; & tamen eſt lata per viam legis, vt diffusè oſtendimus *in noſtris Comment. ad Bull. Cœnæ, lib. 1. c.3.q.7.* Nos igitur agemus de vtraque reſeruatione, tùm perſonali, tùm etiam legali, an fieri poſſit etiam conſtitutis in articulo, ſeù periculo mortis. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

5 IN Eccleſia Dei eſt poteſtas reſeruandi caſus, & cenſuras, etiam pro articulo mortis. Hæc concluſio eſt *Sot. in 4.d.18.q.4.art.4.in ver. Diſtinguitur conſequens. Henriq. de pœnit. lib. 3. c.11.nu.2. Suar. tom.4.diſp.30 ſec.3. aſſer.1.n.3. Alph. de Leone p. 2. caſ. conſc. recoll.8.nu.3. & ſeq.* ac aliorum. Mouentur ex eo, quòd iuriſdictio, quam habent Sacerdotes omnes abſoluendi à quibuſcunque caſibus, & cenſuris conſtitutos in articulo mortis, eſt eiſdem delegata ab Eccleſia, & ipſius pietati tribuitur, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.14.c.7.* in illis verbis, *Piè admodum, ne aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, &c.* Et latè *Ceuall. in ſuo ſpeculo communium contra communes, q.802. & Fillinc. tom.1 qq. moral. tract.7.nu.222.* Ergò in Eccleſia Dei eſt poteſtas reſeruandi caſus, & cenſuras etiam pro articulo mortis; ſiquidem ex reuocatione iuriſdictionis ceſſat delegatio; quæ quidem iuriſdictio poteſt reuocari ab ipſa Eccleſia, cum iuriſdictio delegata reuocari poſſit à Delegante, vt in *c.2. de offic. Deleg.*

SECVNDA CONCLVSIO.

6 QVamuis in Eccleſia Dei ſit poteſtas reſeruandi caſus, & cenſuras etiam pro articulo mortis; reſeruatio tamen eiuſmodi nunquam expedit. Prima pars concluſionis patet ex præcedenti cõcluſione. Secunda pars eſt communis, & probatur ex eo, quòd exponit periculo fidelem habentem caſum reſeruatum, aut cenſuram reſeruatam pro articulo mortis, moriendi abſque Sacramento pœnitentiæ, non ſine diſpendio ſalutis propriæ animæ, cùm Sacramentum pœnitentiæ facilè diſponat ad recipiendam gratiam iuſtificantem, eo quòd ex attrito facit contritum, & attritio facilius haberi poteſt, quàm contritio, quæ ad iuſtificationem requiritur in eo, qui conſcientiam habens peccati mortalis, Sacramentum pœnitentiæ non ſuſcipit. Vndè, ne aliquis pereat meritò fuit ſublata caſuum reſeruatio pro articulo mortis, vt patet ex *Conc. Trid. d.cap.7.* in illis verbis, *Veruntamen piè admodum ne aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei, &c.* Hæc concluſio vera eſt, ſiuè agatur de reſeruatione perſonali, ſiuè legali, cùm in vtraque militer eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad l. leg. Aquil.*

TERTIA CONCLVSIO.

7 EPpiſcopi, & alij Prælati inferiores Papæ non poſſunt ſibi reſeruare caſus, & cenſuras pro articulo mortis, Hæc concluſio eſt *Henriq. Suar.* & aliorum, quos ſupra retulimus *in 1. concl.* Probatur ex communi conſuetudine Eccleſiæ, cuius vigore talis reſeruatio nunquam fieri conſueuit, vt habetur ex *Conc. Trid. loco citato,* in illis verbis, *In eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis, &c.* At vniuerſalis conſuetudo Eccleſiæ habet vim canonis, ac legis vniuerſalis, quibus ſubijciuntur Epiſcopi, & alij Prælati Papæ inferiores, vt in *c. cum deſideres,* & ibi *Panor. nu. 2. de ſentent. excom. Innoc. in c. quod in dub. eod. tit.* & alij. Hinc Epiſcopus licèt non incidat in excommunicationem à ſe latam; communicando tamen cum excommunicato à ſe incidit in excommunicationem minorem, eo quòd excommunicatio minor, quam contrahit communicans cum excommunicato eſt lata à canone, cui ſubijcitur Epiſcopus, & alij Papæ inferiores, vt adnotauimus *in noſtris Commentar. ad Bull. Cœnæ lib.1.c.1.q.2.nu.37.*

8 Ampliatur hæc concluſio primò, vt vera ſit, ſiuè agatur de reſeruatione legali in tali ariculo, ſiuè agatur de reſeruatione perſonali: quia in vtroque caſu militat ratio defectus poteſtatis: ſiquidem talis reſeruatio cùm ſit prohibita per conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ, cenſetur prohibita per canones, ſeù per legem canonicam ſupra quam non ſunt Epiſcopi, nec alij Prælati Papæ inferiores, vt ſupra oſtendimus.

9 Secundò ampliatur ipſa concluſio, vt reſeruatio in articulo mortis per Epiſcopos, & alios Prælatos Papæ inferiores, non ſolùm ſit illicita; ſed etiam nulla, & inualida, tanquam facta contra legem prohibentem, vt in *l. non dubium, C. de legib. c. quæ contra, de regul. iur. in 6.* & nos adnotauimus *in noſtris Commentar. ad extrau. Pij V. de cenſib. §.4. q.15. nu.2.*

10 Tertiò ampliatur prædicta concluſio, vt locum ſibi vendicet, nõ ſolum in mortis articulo, verum etiam in mortis periculo: ſiquidem in vtroq; caſu militat ratio, ne quis propter eiuſmodi reſeruationem pereat, de qua in *Conc. Trid. loco citato.* Confirmatur: nam mortis articulus, & mortis periculum in materia ſimili pro eodem accipiuntur vt in *c. eos, de ſent. excom. in 6. & c. ſi quis ſuadente diabolo, 17. q.5.* & nos declarauimus *in d. noſtris Comment. ad Bull. Cœnæ, lib.3. § 2. q.2. nu.8. & ſeq.* latè *Alph. de Leone d. recoll.8.n.11. & 12.* vbi in terminis noſtræ concluſionis plures pro ea allegat, & declarat *nu. 10.* quis nam dicatur articulus mortis, & qualiter à periculo differat; ſicut & nos declarauimus quoque in *d. Commentar. loco citato.* Ex quo infertur ex *Vgol. in tract.*

tract. de offic. & poteſt. Epiſc. c.15.§.5.nu.9. poſt *Nauar. conſ.24. de ſent. excom.* Quòd Bannitus, qui poteſt impunè occidi, cùm maneat in continuo periculo mortis, poteſt abſolui à quibuſcunque caſibus, & cenſuris quantumuis reſeruatis: quod verum putat *Floron. de caſib. reſer. fauentia,p.1.c.4.§.8.in fine*; niſi eiuſmodi Bannitus habeat ſaluum conductum: & idem docet *Alph. de Leone d. recoll.8. ſub nu.13.* vbi etiam agit de condemnatis ad Triremes, & quoad eos refert priuilegium conceſſum Regularibus, & illud declarat, *nu.* 14.

12 Sic ampliata limitatur, vt concluſio ſit intelligenda de reſeruatione ſimplici in articulo, ſeù periculo mortis; ſecus autem de conditionis reſeruatione: nam poteſt Epiſcopus præcipere, ne tale crimen abſoluatur in articulo, ſeù periculo mortis, niſi præmiſſa ſatisfactione, reſtitutione, vel ſub onere iterum confitendi, &c. Vt habetur ex *Suar. tom.4. de pœnit. diſp.30. ſec.3. aſſer.1. in fine, & Alph. de Leone d. recoll.8. nu.6.*

QVARTA CONCLVSIO.

13 SOlus S. Pontifex poteſtatem habet reſeruandi caſus, & cenſuras pro articulo, ſeù periculo mortis. Hæc concluſio eſt *Sot. in 4.d.18.q.4.art.4. verſ. Diſtinguitur conſequens: Henr.* & aliorũ. Probatur ex ijs, quæ adnotauimus ſupra *in 1. & 3. concl.* vbi oſtendimus, hanc poteſtatem eſſe in Eccleſia Dei; & eam non habere Epiſcopos, & alios Prælatos Papæ inferiores: ergò ſolus Papa hanc iuriſdictionem, ſeù poteſtatem habet.

QVINTA CONCLVSIO.

14 ROm. Pontifex ſi per impoſſibile reſeruet ſibi aliquos caſus, vel cenſuras pro articulo mortis, reſeruatione legali, atque ideò per viam legis, ac conſtitutionis, probabiliter dici poteſt, eiuſmodi reſeruationem nõ ſolùm eſſe illicitam; ſed etiam nullam, atque inualidam. Quòd ſit illicita, patet ex ijs, quæ diximus ſupra in *ſecunda concl.* Confirmatur, quia caſuum reſeruatio fieri debet ad ædificationem, non autem ad deſtructionem animarum, vt in *Conc. Trid. d. ſeſſ.14. c.7.* at reſeruatio in articulo mortis cùm exponat fidelium animas periculo peremptionis, vt colligitur ex *Conc. Trid. loco citato*, procul dubio eſt illicita. Quòd autem ſit etiam nulla, ac inualida, probatur ex eo, quòd omnis lex, aut conſuetudo contra ius naturale, aut Diuinum eſt nulla, & inualida: non enim leges, nec conſuetudines nuncupari poſſunt, quæ naturali, aut Diuinæ legi, vel conſequentibus ex illis aduerſantur; ſed potius corruptelæ, & iniquitates, vt in *c. mala, c. fruſtra, & c. quo iure, 8. d. Felin. & alij in c.1. de treg. & pac.* & latè *Doctor. in c. fin. de conſuet.* Quod verum eſt, ſiuè agatur de legibus, & conſuetudinibus ciuilibus, ſiuè canonicis; quoniam licèt Prin-
15 cipes abſoluti, & Ciuitates liberæ ſint ſupra iura poſitiua: & S. Pontifex ſit ſupra omnes leges, Principes, & Poteſtates; non tamen ſunt ſupra ius naturale, & Diuinum; ſiquidem iuri naturali, ac Diuino omnes ſubijciuntur, vt oſtendimus *in noſtris Commentar. ad Bull. Cœnæ lib.2. can.7. q.37. nu.3. & 4.* Sed lex reſeruans caſus, & cenſuras, pro articulo mortis, eſt contra ius naturale, Diuinum, aut ſaltem conſequentia ex illis; ergò reſeruatio eiuſmodi facta per legem, ſeù ipſa reſeruatio legalis in articulo mortis non ſolùm eſt illicita, ſed etiam nulla, ac inualida. Maior patet ex dictis. Probatur minor ex communi omnium ſententia, qui volunt, talem reſeruationem eſſe errorem intolerabilem, atque ideò à Spiritu Sancto, cuius nomine Papa poteſtatem in ædificationem, non in deſtructionem accepit, non permitteretur id agere, vt habetur ex *Soto loco ſupra citato.* Omnes item volunt eiuſmodi reſeruationem non expedire, ac eſſe irrationabilem, & ſic contra rectam rationem; at error intolerabilis, & quæ tendunt in deſtructionem animarum, ſunt contra ius naturale, cum ſint contra dictamen rationis, vt in *d. Comment.* adnotauimus *lib.1. cap.1. q.2. nu.7. &* 8. Confirmatur ex *Conc. Trid. loco citato*, vbi colligitur eiuſmodi reſeruationem tendere in perniciem animarum, eaſdemque peremptionis diſcrimini exponere, vt patet ex illis verbis, *Ne quis pereat.* At periculo proximi noſtri, ac Reip. iure Diuino, ac naturali tenemur occurrere, vt habetur ex *Diuo Thoma 22 q.33. art.7.* ergò multo magis prohibemur ſalutem eius periculo exponere. *arg. tex. in auth. multo magis, C. de Epiſc. & cler.* Denique probatur ipſa concluſio, quia de intrinſeca ratione legis eſt, quòd pro bono publico feratur, vt probat *Suar. lib.1. de legib. c.7. & lib.3. c.17.* Ergo reſeruatio ſupradicta caſuum, & cenſurarum per viam legis, eſt nulla, ac inualida; quoniam adeò non cenſetur lata pro bono publico; vt omninò tendat in eiuſdem detrimentum, cum exponat fidelium animas periculo perpetuæ mortis, vt colligitur ex *Conc. Trid. d. c.7.*

SEXTA CONCLVSIO.

16 PApa ſi ſibi reſeruet aliquos caſus, vel cenſuras in articulo mortis, reſeruatione perſonali, & cauſam reſeruationis exprimat, quæ manifeſtam contineat iniquitatem, probabiliter dici poteſt, talem reſeruationem non ſolùm dici illicitam, ſed etiam nullam, ac inualidam. Probatur, quia reſeruatio perſonalis fit ad modũ ſententiæ, vt patet ex ſecundo notando; at ſententia quæ manifeſtam continet iniquitatem, vt quia in ipſa ſententia fuerit expreſſus error, eſt nulla, ac inualida, vt in *c. inter cæteras*, & ibi, *Gloſ. in ver. Manifeſtam, & alij Doctores de ſent. & re iud.* Ergò reſeruatio de qua agitur nulla dicitur, & inualida. Dixi ſi cauſam exprimat quæ manifeſtam contineat iniquitatem: quia ſi cauſam exprimat fortè rationabilem, quamuis in ſe non veram, tunc talis reſeruatio diceretur valida, quamuis iniuſta, ſi non ſit vera: eo quòd ſententia quamuis ſit iniqua; nihilominus ſi manifeſtam non contineat iniquitatem, eſt valida donec retractetur, vt in *d. inter cæteras*, & ibi *Gloſa in ver. Euacuari.* Idem dicendum eſt ſi nulla cauſa in ipſa reſeruationis ſententia exprimatur: quoniam præſumẽdum eſt, quod ex rationabili cauſa Rom. Pontifex fuerit motus; cum in dubio præſumendum ſit pro Iudice potius, qui tulit ſententiam, quam contra Iudicem.

Qualiter Prælatus gerere ſe debeat circa abſolutionem à caſibus reſeruatis.

SEC. XV.

SVMMARIVM.

1 *Prælatus ſi expedire Iudicet ſubdito poſcentè facultatem concedi confitendi caſum reſeruatum Sacerdoti quam ipſe elegerit, vel Prælatus deſti-*

Digitized by Google

deſtinauerit, ex lege Charitatis tenetur concedere.

2 *Libentius facultas huiuſmodi concedenda eſt Confeſſario, quàm pœnitenti.*

3 *Habens peccata tùm reſeruata, tùm non reſeruata, ſi inferiorem adeat Confeſſarium, facultatem non habentem abſoluendi à reſeruatis, non poteſt ei non reſeruata confiteri, & reſeruata Superiori.*

4 *Reſeruatio fit cum onere iterum confitendi Superiori peccata reſeruata, confeſſa prius Superiori, & ab eodem remiſſa.*

5 *Habens peccata reſeruata, & non reſeruata, ſi Confeſſarium adeat inferiorem pro adimplendo præcepto annuæ confeſſionis, aut Communionis, quæ omitti non poſſunt citra ſcandalum, aut infamiam, nec commodè adire poſſit Superiorem remanebit à non reſeruatis directè abſolutus, à reſeruatis verò indirectè.*

6 *Pœnitens ſi caſum reſeruatum habens, primum Superiorem adeat ſatis conuenienter Superior aget, ſi integram eius confeſſionem excipiat. Et quid ſi ob grauia negotia tempus non ſuppetat.*

7 *Pœnitens habens peccata reſeruata, & non reſeruata, ſi Superiorem adeat, non poteſt Superior reſeruata tantum audire, & pro non reſeruatis mittere pœnitentem ad inferiorem.*

8 *Pœnitens ſi habeat peccata reſeruata, & non reſeruata, & primo adeat Superiorem, qui facultatem habeat abſoluendi ab omnibus, exiſtente neceſſitate, aut graui cauſa ex parte Superioris, an poſſit Superior illum abſoluere tantum à reſeruatis auditis, & pro non reſeruatis mittere illum ad inferiorem.*

9 *Subditus ſi confiteatur Superiori, & ab eo ſimpliciter abſoluatur ab omnibus reſeruatis, & cenſuris, manet pro omnibus liber à reſeruatione, ſi de vno, aut altero peccato reſeruato oblitus ſit.*

10 *Proponuntur quatuor dubia diſcutienda.*

11 *Confeſſarius inferior an poſſit pœnitentem abſoluere, qui peccata habet reſeruata, & non reſeruata, audita omnium confeſſione, cum onere confitendi Superiori tantum peccatum reſeruatum pugnantes extant opiniones.*

12 *Verior eſt contraria ſententia, abſolutio namq; de Iure Diuino integra debet eſſe, ſicut & confeſſio.*

13 *Confeſſarius inferior audire non poteſt tantum peccata non reſeruata, & ab illis abſoluere, & deinde pœnitentem remittere ad Superiorem.*

14 *Superior abſoluens pœnitentem à reſeruatis tantum citra legitimam, & vrgentem cauſam, ſacrilegium committit, & inualidam abſolutionem impertit, & nu. ſeq.*

15 *Verior eſt ſententia, qui licet hoc caſu Superior peccet, & ſacrilegium committat, pœnitens tamen ſi bona fide abſolutionem accipiat validè Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipit.*

16 *Excommunicatus excommunicatione maiori, eius tamen inculpabiliter ignarus, aut oblitus, ſi pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipiat, validè ſuſcipit, & confeſſionem, non tenetur iterare.*

17 *Concurrentibus concurrendis ex parte pœnitentis, ac Iuriſdictione ex parte Superioris, Sacramenti ſuſceptio erit valida licet eo caſu Superior peccet, & ſacrilegium committat.*

18 *Superior in ſupradicto caſu illicitè agit, ſed non nulliter.*

19 *Stante bona fide pœnitentis, licitum eſt ei dimidiare confeſſionem.*

20 *Pœnitens ſi bona fide ad confeſſionem venerit, & inter ad reſeruata aliquod reſeruatum confiteatur Sacerdoti inferiori, neſciens tale eſſe reſeruatum, vel ſi ſciuerit, inculpabiliter exiſtimet poſſe ab inferiore abſolui, an non ſolum validè, ſed etiam licitè poſſit abſolui. Et nu. ſeq.*

21 *Pœnitens hoc caſu licèt validè ſuſcipiat Sacramentum pœnitentiæ, Confeſſarius tamen lethaliter peccat.*

22 *Quando Superior ratione iuſti impedimenti, & ex cauſa neceſſaria, & vrgenti pœnitentem reſeruata, & non reſeruata habentem audiuit tantum reſeruatis; pœnitens ipſe tenetur Inferiori Confeſſario confiteri non dum nõ reſeruata, verum quoque reſeruata.*

23 *Verior eſt ſententia, quod non teneatur confiteri reſeruata, à quibus ritè, ac rectè fuit per Superiorem abſolutus.*

24 *Confeſſio an, & quando materialiter integra eſſe debeat.*

IN hac re duo faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus: ſecundò dubia per ſuas quæſtiones definiemus.

1 Circa primum dico primò, certum eſt apud omnes, quòd ſi Prælatus expedire iudicet, ſubdito poſcenti facultatem impartiri confitendi caſum reſeruatum alteri Sacerdoti, quem vel ipſe ſubditus elegerit, vel ipſemet Prælatus ei deſtinauerit, tunc ex charitatis lege huiuſmodi facultatem eidem concedere tenetur. Ita *Sot. in 4. d. 18. q. 2. art. 5. verſ. Circa tertium, Henriq. de pœnit. lib. 6. c. 15. nu. 6. Suar. eod. tract. diſp. 30. ſec. 4. Conynch. q. 8. dub. 14. Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 12. nu. 7.* & alij communiter. Rationem autem hanc eſſe volunt. Ne ſcilicet Sacramentum confeſſionis, quod in animarum ſalutem fuit inſtitutum, cedat in earum perniciem, ſi peccatum reſeruatum ob id in confeſſione reticeatur, non ſine maxima Sacramenti irreuerentia, iuxta illud *D. Thomæ in 4. d. 17. q. 3. art. 3. quæſtiun. 4. ad 6.* dicentis, *Qui ſunt nimis ſoliciti, vt conſciencias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis iniiciunt, & per conſequens ſibi ipſis.* Dixi, *Si Prælatus expedire iudicet ſubdito poſcenti, aut communi bono, quod magis in hac re iſpiciendum eſt;* Quoniam ſi magis expedire iudicet, vt caſum reſeruatum ipſemet audiat, eo quòd remedium efficacius adhibiturum ſe prudenter exiſtimet, tunc licentia alteri confitendi neganda eſt, vt per *Doctores ſupra citatos.*

2 Eſt tamen verum, quòd facultas huiuſmodi libentius concedenda eſt Confeſſario, qui pœnitentis nomine eam expoſtulat, & expedire referat vt eiuſdem ſtatus ſufficienter conſcius: poteſt enim Prælatus Confeſſario tuta conſcientia credere, niſi graues in contrarium habeat præſumptiones, vt habetur ex *Laym. d. nu. 7. & Conynch. loco citato, nu. 111.* qui monent Confeſſarium in hac re debere magna vti prudentia, ne peccatum in ſpecie prodat, ſi periculũ eſſe videat prodendi perſonam pœnitentis: quòd ſi citra eiuſmodi periculum peccatum in ſpecie poteſt manifeſtare,

& Prælatus eiuſdem manifeſtationem expoſcat, tunc tenetur illud ipſi explicare. Quibus adde, quæ ſupra latius adnotauimus *ſec. 10. not. 7.*

3 Dico ſecundò certum eſſe habentem peccata, tùm reſeruata, tùm etiam non reſeruata, ſi adeat inferiorem Confeſſarium, non habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis, non poteſt reſeruata tantùm eidem confiteri, & deindè reſeruata Superiori, vt latè ſupra oſtendimus *diſp. 3. ſec. 1. concl. 5. ampl. 3. verſ. Ex hoc infertur primò*: Vndè non poteſt ab Inferiori abſolui à non reſeruatis, & à Superiore deindè à reſeruatis: ſiquidem integritas tàm confeſſionis, quàm abſolutionis eſt de iure Diuino: & vnum peccatum dimitti non poteſt ſine alio: quo circa Inferior debet pœnitentem ad Superiorem mittere, vel ab ipſo Superiore pro abſolutione à reſeruatis facultatem impetrare, vt poſt alios ibidem adnotauimus: quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 12. ſub nu. 9.*

4 Dico tertiò certum eſſe, quod cum ſit reſeruatio cum onere confitendi iterum Superiori peccata reſeruata, confeſſa prius Inferiori, & ab eodem remiſſa, tunc pœnitens ſi primò adeat Confeſſarium inferiorem, poteſt abſolui ab ipſo inferiori, tàm à non reſeruatis, quàm à reſeruatis antequam coram Superiore compareat: ſiquidem non ſolùm generali lege; ſed etiam ſpeciali priuilegio, & particulari commiſſione poteſt concedi facultas inferioribus Sacerdotibus abſoluendi à quibuſcunque peccatis mortalibus, ſub onere vt pœnitens remaneat obligatus peccata reſeruata, vel etiam omnia mortalia confitendi deindè Superiori, vt latè oſtēdimus ſupra *d. diſp. 3. ſec. 1. concl. 4. limit. 2.* & latius *concl. 5. ampl. 3. verſ. Primus caſus*, vbi quoque explicauimus qualiter concluſio eiuſmodi non ſit contra *Conc. Trid.*

5 Dico quartò, certum eſſe habentem peccata reſeruata, & non reſeruata, ſi adeat Confeſſarium inferiorem pro implendo præcepto confeſſionis annuæ, aut communionis, aut pro celebranda Miſſa, ita vt hæc omnia, aut eorum alterum non poſſint omitti citra ſcandalum, aut infamiam, vel pro quacunque alia vrgenti neceſſitate, nec commodè poſſit adire Superiorem; tunc inferior Sacerdos poterit abſoluere pœnitentem, qui remanebit abſolutus directè à peccatis non reſeruatis: & indirectè à reſeruatis, nec id erit contra *Conc. Trid.* vt ſupra fuſius declarauimus *d. concl. 5. ampl. 3. verſ. Secundus caſus*, Quibus adde *Laym. d. cap. 12. nu. 10. & 11.*

Dico quintò certum eſſe, quòd ſi pœnitens habens caſum reſeruatum primò Superiorem adeat, ... conuenienter aget ipſe Superior, ſi integram pœnitentis confeſſionem excipiat, & eum ſacramentaliter abſoluat. Quòd ſi ipſi ob alia grauia negotia tempus non ſuppetat, tunc præcipiat caſum reſeruatum ſibi aperiri ſub ſigillo ſecreti: & deindè ſacramentaliter peccatorem non abſoluat, ſed tantùm reſeruationem, aut cenſuram tollat, ſatisfactionemq; iniungat; & ad inferiorem Confeſſarium mittat, qui integram illius confeſſionem tàm reſeruatorum, quàm non reſeruatorum audiat, & demum ſacramentalem abſolutionem eidem impendat. Imò ſatis eſt eo caſu, ſi Superior cenſuram caſui annexam auferat; quoniam tunc cenſetur ſublata quoque reſeruatio caſus: & ita communiter practicari Romæ teſtatur *Canus relec. de pœnit. p. 6. concl. 2. Duran. in 4. d. 17. q. 15.* & alij apud *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 12. ſub nu. 8.*

7 Dico ſextò, certum eſſe, quòd ſi pœnitens habens peccata reſeruata, & non reſeruata adeat primò Superiorem, qui facultatem habeat abſoluendi ab omnibus, tunc non poteſt Superior ipſe reſeruata tantùm peccata audire, & ab eiſdem abſoluere, & deindè remittere pœnitentem ad inferiorem Confeſſarium; qui eum à non reſeruatis abſoluat; id enim eſſet contra ius Diuinum, vt latè ſupra probauimus *d. diſp. 3. ſec. 1. concl. 5. ampl. 3. verſ. Secundò infertur.*

8 Dico ſeptimò certum eſſe, quòd ſi pœnitens habens peccata tùm reſeruata, tùm etiam non reſeruata, adeat primò Superiorem habentem facultatem abſoluendi ab omnibus, neceſſitas eſſet, ac grauis cauſa ex parte Superioris, tunc poſſet Superior abſoluere pęnitentem à reſeruatis dumtaxat auditis, & mittere illum ad inferiorem Cōfeſſarium abſoluendum à reliquis non reſeruatis, vt ſupra diffusè declarauimus *d. diſp. 3. ſec. 1. cōcl. 5. ampl. 3. verſ. Secundò infertur.* Vbi diximus etiam ad hanc neceſſitatem non ſufficere communem negotiorum multitudinem, quam Superiores Prælati habere ſolent. Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 12. ſub nu. 8. verſ. Cæterum.*

9 Dico octauò, certum eſſe, quòd quando ſubditus confitetur Superiori, & ab illo ſimpliciter abſoluitur ab omnibus reſeruatis, & ab omnibus excommunicationibus, ſi ſubditus ipſe per obliuionem inculpabilem omiſerit vnum, aut alterū peccatum reſeruatum, vel vnam, vel alteram excommunicationem reſeruatam, proculdubio manet liber ab illa reſeruatione, ſeu excommunicatione, ita vt valeat deindè à peccato reſeruato, ſeu excommunicatione oblitis abſolui à quocunque alio Confeſſario. Ita *Couar. in c. Alma mater, par. 1 §. 11 nu 12. de ſent. excom. in 6. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 3. ſec. 1. nu. 15.* & alij apud *Fagund. de pracep. Eccl. praecep. 2. lib. 8. c. 3. nu. 12.* Qui teſtatur hanc ſententiam eſſe communiſſimam, & idem dicendum eſſe ait, ſi confeſſio eodem modo facta fuerit Religioſo, vel Sacerdoti habenti priuilegium ad abſoluendum à reſeruatis. Rationem autem hanc eſſe volunt; quia abſoluens tollit omnia peccata reſeruata formaliter, & hoc ipſum intendit formaliter, vel virtute: ergò tollit reſeruationem eorum, quæ oblita ſunt ex obliuione inculpabili: ſecus ſi dolosè, id egerit. Quæ quidem vera ſunt quoad forum internum duntaxat; nam quoad forum externum ſi quis in foro externo abſoluatur ab aliqua excommunicatione, aut pluribus, tunc ſolùm remanet abſolutus ab illis, quas manifeſtauit, & non ab alijs, quarum fuit oblitus: etenim abſolutio excommunicationum pro foro externo non excedit petitionem, vt in *c. cùm pro cauſa, de ſent. excom. & Fagund. loco citato.*

10 Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant, difficultas igitur conſiſtit in ſequentibus dubijs. Primò, an Confeſſarius inferiorem pœnitentem, qui peccata reſeruata habet, & non reſeruata, abſoluere poſſit, audita omnium peccatorum confeſſione, cum onere, vt peccatum reſeruatum tantùm Superiori poſtea confiteatur, & ab ijs

ab ijs

ab ijs directè abſoluatur, etiam ſi reſeruatam excommunicationem habeat annexam, ac etiam ſi reſeruatio ſimpliciter facta ſit, & non cum onere adeundi Superiorem pro reſeruatis cõfeſſis, iuxta reſeruationẽ, de qua ſupra diximus dicto tertio. Secundò, an pœnitens habens peccata reſeruata; ac non reſeruata, ſi bona fide excipiat abſolutionem à reſeruatis tantùm à Superiore, qui citra legitimam, & vrgentem cauſam pro mera tantùm voluntate, ac libertate ſua abſoluit ipſum pœnitentem, & hæc audiat, & nolit audire non reſeruata, ipſe pœnitens remanet abſolutus, & Sacramentum pœnitentiæ ſit validum. Tertiò, an ſi pœnitens habens peccata reſeruata, & non reſeruata, bona fide excipiat abſolutionem ab inferiori Confeſſario à non reſeruatis tantùm extra caſum neceſſitatis, & abſque eo quòd reſeruatio facta ſit cum onere adeundi Superiorem pro reſeruatis, iuxta ea, quæ ſupra diximus dico tertio. Quartò, an Superior ratione iuſti impedimenti, & ex cauſa neceſſaria, pœnitentem habentem reſeruata, & non reſeruata abſoluat, audiens tantùm reſeruatis, pœnitens ipſe teneatur inferiori Confeſſario confiteri, non modo peccata non reſeruata; ſed etiam reſeruata pariter, à quibus fuit ſacramentaliter abſolutus à Superiori.

11 Circa primum dubium pugnantes extant opiniones: nam prima ſententia eſt *Nauar. in c. conſideret, §. cantus, nu. 13. de pœnit. diſt. 5. Ang. ver. Confeſſio 5. nu. 9.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. cap. 3. nu. 13.* qui pro eadem ſententia citat etiam *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 31. ſec. 2 nu. 1. 4. & 6. & D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4.* Hæc enim ſententia docet, quòd ſi habens reſeruata primò adeat inferiorem Confeſſarium, quam Superiorem, tenetur confiteri ipſi inferiori omnia peccata tàm reſeruata, quàm non reſeruata, & inferior, auditis omnibus, ſolum eum poteſt abſoluere à non reſeruatis, & pro alijs reſeruatis tenetur eum remittere ad Superiorem, à quo pro illis abſoluatur. In eandem opinionem videtur inclinare *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 12. ſub n. 11. verſ. Dico tertio*, Dum ait, quòd quando pœnitens bona fide confitetur primò inferiori Cocfeſſario, putans non habere reſeruata, vel exiſtimans inferiorem illum habere facultatem abſoluendi à reſeruatis, tunc ne ægro animo diſcedat pœnitens citra abſolutionem poterit ipſe inferior eum abſoluere cum onere, vt ad Superiorem ſe conferat pro reſeruatis dumtaxat. Non tamen poſſet id Inferior, ſi pœnitens habeat caſũ reſeruatum excommunicationem annexam habentem: ſiquidem excommunicatio prohibet hominem à ſuſceptione Sacramentorum; niſi pœnitens ipſe inculpabiliter ignorans excommunicationem abſoluatur. Hæc *Laym. loco citato.* Imò non deſunt, qui velint, poſſe pœnitentem ſi primò adeat inferiorem Confeſſarium, ei peccata reſeruata non confiteri; ſed ſatis eſt, ſi ea confiteatur deindè Superiori. Ita *Gandau. quodl. 1. q. 29. & 30. & Alenſ. 9. par. q. 77. num. 5. art. 2. alias q. 18. nu. 4. §. 2.* Mouentur præfati Doctores ex communi praxi, & conſuetudine Rom. Eccleſiæ. Vndè abſolutio in caſu noſtri dubij directè cadit ſuper non reſeruata, etiam ſi tantùm venialia ſint; indirectè verò ſuper reſeruata.

12 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam arbitror de iure veriorem eſſe, quam docent *Riccard. in 4. d. 17. art. 2. q. 8. ad 2. Duran. ibidem, q. 15. Sot. d. 18. q. 2. art. 5. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 31. ſec. 2. ſub nu. 4. Vaſq. q. 91. art. 3. dub. 9. ſub nu. 11.* & latius ſub *dub. 10. nu. 2.* cum alijs apud eundem *Suar.* & alios, qui pro hac ſententia allegant quoque *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 2. ad 4.* & nos oſtendimus ſupra *diſp. 3. ſec. 1. concl. 5. ampl. 3. verſ. Ex hoc infertur: & verſ. Primus caſus.* Quamuis enim pœnitens omnia peccata tàm reſeruata, quàm nõ reſeruata confiteatur Confeſſario Inferiori, citra vrgentem cauſã nõ poteſt Inferior abſoluere pœnitentẽ à non reſeruatis, & pro reſeruatis eundem mittere ad Superiorem: ſiquidem de iure Diuino abſolutio debet eſſe integra, ſicut confeſſio, aliàs ſequeretur poſſe remitti vnum peccatum ſine alio, quod eſt falſum; vt in *c. maiores, §. ſed adhuc, de Baptiſ.* Quoniam aliàs Sacramentum non conferret gratiam: nam pœnitens adhuc remaneret Dei inimicus: vel ſimul eſſet Dei amicus & inimicus, quod eſt incompoſſibile. Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 7. circa finem*, ita ſe habente, *Sacerdotes cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio abſolutionis accedant.* Vndè ſi reſeruatio non ſit facta iuxta formam, de qua ſupra diximus in tertio dicto; vel non adſit vrgens neceſſitas, de qua ſupra in quarto dicto, Confeſſarius inferior non poteſt abſoluere pœnitentem à non reſeruatis, nec etiam à reſeruatis, ſed debet pœnitentem ad Superiorem mittere, vel ab eo facultatem abſoluendi petere: ſiquidem ad integritatem ſacramentalis confeſſionis pertinet, vt de omnibus peccatis mortalibus fiat coram legitimo Iudice; qualis ille tantùm eſt, qui poteſtatem habet de integra cauſa cognoſcendi, vt abſolutio ab eo ritè pronuncietur, vt rectè declarat *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 12. ſub nu. 9. & 10.* & nos fuſius declarauimus *d. diſp. 3. ſec. 1. concl. 5. ampl. 3. verſ. Ex hoc infertur; & verſ. Primus caſus: ac verſ. Secundus caſus.* Vbi multo

13 minus oſtendimus, non poſſe inferiorem Confeſſarium audire tantum peccata non reſeruata, & ab illis abſoluere, & deindè remittere pœnitentem ad Superiorem, qui eundem abſoluat à reſeruatis dumtaxat: nam hoc caſu non tantùm dimidiatur abſolutio; ſed etiam confeſſio, quarum integritas eſt de iure Diuino. Et multo minus hanc facultatem habet inferior, ſi peccatum reſeruatum habet excommunicationem annexam per ea, quæ ſupra adnotauimus. Qualiter autem intelligenda ſit ſententia *Laym.* dicemus infra dubio tertio. Reliqua ad hanc rem pertinentia omninò vide ſupra *d. diſp. 3. ſec. 1. concl. 5. amp. 3. verſ. Ex hoc infertur. verſ. Primus caſus; & verſ. Secundus caſus.*

14 Circa ſecundum dubium *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. lib. 8. c. 3. nu. 16.* inquit, quòd Superior eo caſu abſoluens pœnitentem citra legitimam, & vrgentem cauſam, non ſolùm ſacrilegium committit; ſed etiam inualidam abſolutionem confert, quamuis eam ipſe pœnitens bona fide ſuſcipiat. Mouetur ex eo, quod quamuis pœnitens ſit diſpoſitus, & bona fide ſuſcipiat Sacramentum, ac formaliter confiteatur integrè, cùm per illum non ſtet, quominus omnia non confi-

Digitized by Google

teatur; tamen ex parte Superioris deeſt legitima cauſa, vt Sacramentum ſit validum: ſiquidem licèt iuriſdictionem habeat ad abſoluendum à reſeruatis; attamen iuriſdictionem quoque habet ad abſoluendum à non reſeruatis: & de iure Diuino non minus eſt integritas confeſſionis, quàm integritas abſolutionis: quapropter quemadmodum pœnitens, qui citra iuſtam cauſam dimidiat confeſſionem illam non facit validam; ita etiam Superior ſi ſine cauſa dimidiat abſolutionem, nõ valebit talis abſolutio: quia dimidiatio eiuſmodi non erit materialis, ſed formalis. Præterea inquit, ſi non præceſſiſſet reſeruatio non poſſet Superior validè abſque vlla cauſa quædam peccata grauiora audire, & abſoluere ab illis, & alia omittere: ergò nec poſt talem reſeruationem. Antecedens patet, quoniam id eſſet deſtruere inſtitutionem Chriſti in hoc Sacramento, vt abſolutio deret de omnibus peccatis: conſequentia probatur, quia reſeruatio non confert Superiori aliquod ius nouum; ergò nec modo poſt talem reſeruationem poterit licitè, ac validè citra legitimam cauſam audire tantùm reſeruata, & alia omittere. Denique ſicut ex Chriſti inſtitutione integra debet eſſe cõfeſſio omnium peccatorum; ita etiam abſolutio, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* ergò citra legitimam cauſam nõ poteſt Superior reſeruata tantùm audire, & ab illis abſoluere pœnitentem, & alia remittere inferiori Confeſſario, aliàs ipſe pœnitens nulliter, ac inualidè recipiet abſolutionem, etiam ſi bona fide eam ſuſcipiat.

15 His tamen non obſtantibus oppoſitam ſententiam puto veriorem, quam tenet *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 31. ſec. 1. nu. 6. & ſec. 2. nu. 6.* Dicens, quòd licèt Superior citra iuſtã cauſam pro mera ſua voluntate audiens peccata tantùm reſeruata, & ab illis abſoluens, peccet, ac ſacrilegium committat; nihilominus ſi pœnitens bona fide abſolutionem accipiat credens inculpabiliter id fieri legitimè potuiſſe ab ipſo Superiore, validè Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipit, & verè abſoluitur ab omnibus peccatis, directè ſcilicèt à reſeruatis, & indirectè à non reſeruatis, cum onere tamen ea confitendi inferiori Confeſſario. Probatur, quoniam hoc caſu ſupponimus pœnitentem eſſe diſpoſitum, & paratum confiteri omnia peccata tàm reſeruata, quàm non reſeruata: vndè ex parte pœnitentis datur confeſſio formaliter integra, ſtante eius bona fide, & cum Superior habeat iuriſdictionem ſuper peccata reſeruata, & non reſeruata, eo caſu omnia ſubſtantialia concurrunt ad valorem Sacramenti; ſiquidem confeſſio iam eſt integra formaliter ex parte pœnitentis, & ex parte abſoluentis datur poteſtas abſoluendi ab ipſis reſeruatis: quod autem citra legitimam cauſam nolit audire Superior alia non reſeruata, id illicitè agit, & ſacrilegium committit contra reuerentiam Sacramenti; non autem inualidè. Hæc ſententia videtur etiam *Nauar. in Man. cap. 9. nu. 7. & Caiet. ver. Confeſſio cap. vlt.* Et & probabilem exiſtimat idem *Fagund. d. c. 3. ſub nu. 15. in fine*. Confirmatur eadem ſententia ex
16 eo, quòd excommunicatus maiori excommunicatione, eius tamen inculpabiliter ignarus, aut oblitus, ſi Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiat, validè ſuſcipit, & confeſſionem non tenetur iterare; dummodò alia requiſita ad confeſſionem concurrant; & id non alia ratione, niſi quia per excommunicationem nihil tollitur, quod ſit de ſubſtantia Sacramenti: & ex parte ſuſcipientis non interuenit aliud impedimentum, vt habetur ex *Nauar. in c. 1 §. caueus, nu. 23. & c. vlt. n. 38. & 45. de pœnit. d. 5. Couar. in c. Alma mater, p. 1 §. 6. nu. 7.* & aliorum, & facit *tex. in c. Apoſtolica. de cler. excom. miniſtr.* Ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, cùm ſupponatur pœnitens bona fide, & benè diſpoſitus ad confeſſionem, & omnia concurrant ex parte pœnitentis ad valorem Sacramenti, ac iuriſdictio requiſita ex parte Superioris abſoluentis. Denique probatur ex congruitate; quia res, quæ culpa caret, non debet in damnum reuocari, *c. 2. de conſtit.* ſed in caſu de quo agitur pœnitens culpa caret, cùm bona fide, & rectè diſpoſitus accedit ad confeſſionem, ac bona fide abſolutionem ſuſcipiat; ergò talis ſuſceptio non debet illi in damnum verti; atque ideò non erit nulla, ſed omninò valida.

17 Ad contraria facilè reſpondetur, & ad primum reſpondetur, quod cùm cætera concurrant ex parte pœnitentis, & iuriſdictio ex parte Superioris, argumentum nihil aliud probat, niſi quòd Superior eo caſu peccat, & ſacrilegium cõmittit; non tamen Sacramenti ſuſceptio erit inualida; ſicut diximus de excommunicato inculpabiliter ignorante excommunicationem, & ſuſcipiente pœnitentiæ Sacramentum. Dices ignorantia non excuſat excommunicatum denunciatum à collatione Sacramenti pœnitentiæ quoad ipſius validitatem: ergò idem dicendum eſt de excommunicato ſuſcipiente dictum Sacramentum. Sed contra, quia longè diuerſa ratio eſt de miniſtro, ac ſuſcipiente: quia quando Miniſter eſt excommunicatus eſt directè priuatus iuriſdictione, & ideò abſolutio ab ipſo lata nulla dicitur ex defectu iuriſdictionis: per excommunicationem autem pœnitentis miniſter non priuatur iuriſdictione: & propterea ſi ſine peccato accedat ad Sacramentum; cæteris concurrentibus validè illud ſuſcipit. Et quamuis pœnitens in caſu, de quo agitur dimidiet confeſſionem materialiter, id tamen facit ex probabili ignorantia, & bona fide, & propterea non ſine iuſta, & rationabili cauſa, ſtante iuſſu Superioris nolentis audire, niſi reſeruata, & bona fide pœnitentis inculpabiliter exiſtimantis, id fieri potuiſſe ab ipſo Superiore.

18 Ad ſecundum argumentum eodem modo reſpondetur, nam eo caſu probat, Superiorem ſacrilegium tantùm committere, atque adeò illicitè, non autem nulliter agere, ſuppoſita bona fide pœnitentis diſpoſiti ad confitendum illi omnia peccata.

19 Ad vltimum negatur conſequentia, quia in caſu, de quo agitur adeſt ex parte pœnitentis iuxta, ac legitima cauſa dimidiandi confeſſionem, ſtante ipſius bona fide, ac probabili ignorantia: qua propter confeſſio licèt non ſit materialiter integra; poteſt tamen dici integra formaliter.

20 Circa tertium dubium *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6 cap. 12. ſub nu. 11. verſ. Dico tertiò*, inquit quod ſi pœnitens bona fide ad confeſſionem venerit, & inter peccata non reſeruata fuerit confeſſus inferiori Sacerdoti aliquod peccatum reſeruatum, à quo Sacerdos ipſe nõ habeat facul-

Digitized by Google

facultatem abſoluendi: & id vel quia pœnitens neſciuit, tale peccatum Superiori reſeruatum eſſe: aut licèt ſciuerit, inculpabiliter tamen exiſtimauit, legitimè ſe ab inferiore Sacerdote abſolui poſſe, cùm obligatione poſtea tempore opportuniore ſe præſentandi Prælato: tunc ipſe *Laym.* arbitratur, plerumq; abſolutionem dari poſſe, dummodò pœnitens præter reſeruatum, aliud peccatū abſolutioni ſubijciat, & ideò putat, inferiorem Confeſſarium non modo validè; ſed etiam licitè, & citra culpam poſſe conferre Sacramentū pœnitentiæ. Mouetur tùm ex eo, quod aliqualis neceſſitas viget; nam pœnitens ægro animo diſcederet citra abſolutionem, cùm ex ſua parte rectè ſit diſpoſitus: tùm etiam; quia graues ſunt Doctores, qui abſolutè docent, quòd Sacerdos pœnitentem, qui peccata reſeruata habet, abſoluere poſſit cum onere, vt ea ſola Superiori poſtea confiteatur, & ab alijs directè abſoluatur, vt habetur ex *Syl. ver. Confeſſio* 1. *num.* 20. *Tol. lib.* 3. *ſum. cap.* 8. *nu.* 3. & alij apud *Fagund. de præcept. Eccl. præcep.* 2. *lib.* 8. *c.* 3. *nu.* 13.

21 Ego autem in hac re conſequenter loquens ad ea, quæ ſupra adnotauimus, puto dicendum, quòd licèt pœnitens validè ſuſcipiat Sacramentum pœnitentiæ; Confeſſarius tamen inferior lethaliter peccat, atque ideò illicitè Sacramentum confert. Patet concluſio quoad primam partem; quoniam ſtante bona fide pœnitentis, & iuriſdictione Confeſſarij quoad peccata non reſeruata, quæ ſupponimus pœnitentem confeſſum fuiſſe, concurrunt omnia requiſita ad validitatem Sacramenti: Siquidem hoc caſu ſupponimus confeſſionem eſſe non modo integram formaliter, ſed etiam materialiter, & pœnitentem ipſum eſſe rectè diſpoſitum: at ex parte Cōfeſſarij adeſt iuriſdictio ſuper non reſeruata: qua propter directè cadit abſolutio ſuper non reſeruata, & indirectè ſuper reſeruata; cum onere adeundi Superiorem, à quo directè iterum abſoluitur à reſeruatis, iuxta ea, quæ habentur ex *Laym. d. c.* 12. *nu.* 10. Confirmatur ex his, quæ ſupra adnotauimus in reſolutione præcedentis dubij. Probatur modo concluſio quoad ſecundam partem, quoniam inferior Confeſſarius, niſi expreſsè fiat reſeruatio iuxta formam contentam ſupra in tertio dicto, nullam auctoritatem habet ſuper non reſeruatis, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 5. à nobis ſuperiùs relato: ergò non poteſt abſoluere pœnitentem à non reſeruatis, & remittere eum ad Superiorem, cui tempore opportuno ſe præſentet. Nec ſufficiens cauſa abſoluendi in caſu, de quo agitur, eſt, ne pœnitens ægro animo non abſolutus diſcedat, quia cauſa debet eſſe vrgens, & quæuis cauſa non eſt ſatis iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in quarto dicto, & *diſp.* 3. *ſec.* 1. *concl.* 5. *ampl.* 3. *verſ. Secundus caſus*. Eſt tamen Sacramentum validum; quia cum ſupponamus pœnitentem cum reſeruatis fuiſſe cōfeſſum etiam non reſeruata ſuper quibus non reſeruatis ipſe Confeſſarius iuriſdictionem habebat, remanet ipſe pœnitens abſolutus, ſtante eiuſdem bona fide non ſolùm directè à nō reſeruatis, ſed etiam indirectè à reſeruatis, cum onere adeundi Superiorem habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis.

22 Circa denique quartum dubium pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Henr. lib.* 2. *de pœnit. c.* 12. *nu.* 4. *in fine*, *Tolet. lib.* 3. *ſuæ ſum. cap.* 8. *nu.* 3. *Caiet. ver. Abſolutio. Roſel. ver. Confeſſor* 9. *d.* 5. §. 19. *Med.* 2. *p.* 4. *q.* 8. *art.* 2. *dub.* 2. & aliorum, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.* 2. *lib.* 8. *cap.* 3. *nu.* 6. & 8. Docentium partem affirmatiuam, atque adeò dicentium, quòd quando Superior ratione iuſti impedimenti, & ex cauſa neceſſaria, & vrgenti abſoluit pœnitentem habentem reſeruata, & non reſeruata, auditis tantùm reſeruatis, pœnitens ipſe tenetur inferiori Confeſſario confiteri non modo peccata non reſeruata, verùm etiam reſeruata. Rationem autem hanc eſſe volunt, quia præceptum Diuinum obligat, vt confeſſio integra omnium peccatorum fiat vni Confeſſario, & non pluribus: at pœnitens ſi reſeruata quoque non confiteretur inferiori Confeſſario, confeſſio dimidiaretur, & fieret pluribus. Confirmat *Fagund.* dictam ſententiam ex eo quòd valdè probabilis eſt ſententia eorum, qui volunt, abſolutionem Superioris in caſu, de quo agitur, eſſe tantùm ablationem reſeruationis, ac proinde non tollere ipſam culpam; ſed ſolum auferre reſeruationem, ſeù excommunicationem, ſi fortè caſui reſeruato fuerit annexa: atque ideò quando quis prius abſoluitur à Superiore, à reſeruatis, & deindè ab omnibus per inferiorem Confeſſarium ex vtraque abſolutione completi vnicum tantum Sacramentum; ſicut ex vtraque confeſſione integratur vnica confeſſio, nec conferri gratiam, niſi in ſecunda abſolutione.

23 His tamen non obſtantibus oppoſitam ſententiam arbitror eſſe de iure veriorem, quam tenet *Suar. tom.* 4. *de pœnit. ſec.* 1. *nu.* 10. quem probabilem quoq; putat idem *Fagund. loco citato*; licèt oppoſitam putet probabiliorem. Inquit enim *Suar.* quòd in caſu noſtro ritè, ac rectè à ſolis reſeruatis fuit pœnitens abſolutus à Superiore, & propterea non tenetur illa amplius confiteri, ſed eum ſatisfacere integritati confeſſionis, ſi inferiori Confeſſario, illa tantùm peccata non reſeruata fateatur, quæ Superiori non fuit confeſſus. Mouetur ea potiſſimum ratione; quia in omnibus alijs caſibus, in quibus pœnitens, vel ex obliuione, vel ex cauſa vrgente dimidiat confeſſionem, pœnitens remanet abſolutus ſacramentaliter ab omnibus peccatis, etiam ab oblitis, & ex cauſa omiſſis: directè ſcilicet à confeſſis, ac indirectè ab omiſſis, ſeù oblitis: nec tenetur amplius confiteri omnia peccata; ſed illa tantùm, quorum oblitus fuit, aut quæ ex graui cauſa reliquit: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, cùm militet eadem ratio in vtroque caſu, *arg. tex. in l. illud*,
24 *ff. ad leg. Aquil.* Nec obſtat ratio in contrarium adducta, quoniam ita demum materialis confeſſio integra eſſe debet, quando non adeſt iuſta cauſa dimidiandi cōfeſſionem, vt cauſam iuſtam, ac legitimam ſupponimus in caſu noſtro. Nec dum abſoluitur pœnitens à reſeruatis dumtaxat, tollitur reſeruatio, vt *Fagund.* ſupponit, ſed pœnitens ipſe verè ſacramentaliter abſoluitur, cùm à Superiore, vt ſupra impedito abſoluatur à reſeruatis.

Quiſnam per ſe, ac directè facultatem habeat abſoluendi à reſeruatis.

S E C. XVI.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facultas, ſeù iuriſdictio directè abſoluendi à reſeruatis duplex eſt, Ordinaria ſcilicet, & delegata.*

2 *Qui peccata ſibi reſeruant, eorumq; Superiores in foro interno, ac conſcientia poſſunt ab eis per ſe, ac directè abſoluere.*

3 *Archiepiſcopi, & Patriarchæ quamuis Epiſcopis Superiores ſint in dignitate, & ordine hierarchico, nequeunt tamen abſoluere ſubditos Epiſcopi à reſeruatis ipſi Epiſcopo, niſi in cauſa appellationis.*

4 *Epiſcopus quamuis inferior ſit Rom. Pontifice poteſt tamen in foro conſcientiæ à quibuſdam caſibus, & cenſuris, ipſi Rom Pontifici reſeruatis, aliquando abſoluere, ac diſpenſare in quibuſdam irregularitatibus: idq; iure ordinario.*

5 *Multis modis dicitur delictum occultum, quod poteſt ab Epiſcopo abſolui, licet reſeruatum ſit Papæ.*

6 *Romanus Pontifex ſi facultatem concedat abſoluendi à reſeruatis, cenſetur etiam facultatem conceſſiſſe abſoluendi à cenſuris.*

7 *Epiſcopus concedendo omnes caſus ſibi reſeruatos, non videtur concedere diſpenſationem votorum, & irregularitatum.*

8 *Quid ſi aliter conſtet de voluntate Epiſcopi.*

9 *Epiſcopus, vel Prælatus Religionis ſi alicui Sacerdoti concedat prius aliquem caſum ſibi reſeruatum: addat deindè, & omnem meam poteſtatem, ac authoritatem, omnia peccata reſeruata concedere videtur.*

10 *Epiſcopus ſi Parocho ſuæ Diœceſis facultatem concedat generalem ad omnes ſubditos ſuæ Diœceſis, confeſſiones audiendas, concedere an videatur facultatem quoque ſuper omnes caſus ſibi reſeruatos.*

11 *Epiſcopus, aliuſuè Prælatus ſi ſubdito concedat facultatem eligendi ſibi Confeſſarium ex approbatis, talis Confeſſarius electus poteſtatem non habet in caſibus reſeruatis.*

12 *Epiſcopus nominatim excommunicatus non toleratus, ſuſpenſus, irregularis, vel interdictus, an validè poſſit dare licentiam alteri Sacerdoti, aliquem abſoluendi ſibi à reſeruatis. Et num. ſeq.*

13 *Verior eſt ſententia negatiua, cum hæc delegatio ſit proprius actus Iuriſdictionis.*

14 *Epiſcopus, vel Parochus ſi in vno loco ſit excommunicatus vitandus puta in Gallia, deindè in Italiam ad ſuum Epiſcopatũ, vel Parochiam ſe conferat, ibiq; cõmuniter æſtimetur idoneus, ac Iuriſdictionẽ habens, an validè deleget alteri facultatem abſoluendi ſuum ſubditum.*

15 *Epiſcopus, vel Parochus ſi nominatim non ſit excõmunicatus, vel publicus Clerici percuſſor, Iuriſdictionem non amittit, ſed eam retinet.*

16 *Facultas conceſſa Epiſcopis, aliquem abſoluendi à caſibus, & cenſuris occultis etiam Romano Pontifici reſeruatis, reuocata non ſit per Bullam Cœnæ, etiam quoad caſum hæreſis. Et nu. ſeq.*

17 *Verior probatur ſententia affirmatiua.*

18 *Ad derogandum Concilio Tridentino ſatis eſt clauſula generalis (non obſtantibus, &c.)*

19 *Epiſcopus num valeat abſolutionem ab hæreſi occulta alteri delegare.*

20 *Parochus, & quilibet alius Confeſſarius facultatem habens abſoluendi à peccatis ſui Epiſcopo reſeruatis, pœnitentem alterius quoq; Diœceſis abſoluere poteſt, etiam à reſeruatis in illa Diœceſi.*

21 *Parochus, aut Confeſſarius vnius Diœceſis, non habens poteſtatem circa reſeruata, poteſt in ea abſoluere pœnitentes alterius Diœceſis à peccatis ibidem reſeruatis, dummodo reſeruata quoque non ſint in Diœceſi abſoluentis.*

22 *Religioſus, qui crimen commiſit reſeruatum in vno Monaſterio, quod in alio non eſt reſeruatum, conferatq; ſe ad illud Monaſterium ita, vt domicilium mutet, & nouum acquirat Superiorem, à quocunq; Confeſſario abſolui poteſt, quamuis Iuriſdictionem in caſus reſeruatos non habeat.*

23 *Parochianus vnius Diœceſis, ſi in aliena Diœceſi verſetur, ibique peccata reſeruata committat, à quocunq; Confeſſario approbato abſolui poteſt, etiam non habente facultatem circa reſeruata.*

24 *Religioſi Mendicantes virtute ſuorum priuilegiorum, ſi ad alium Monaſterium proficiſcantur mox regreſſuri ad proprium Monaſterium, in quo crimen reſeruatum commiſerunt, abſolui poſſunt à Superiore illius Monaſterij, ſiuè ab alio de eius licentia.*

An id extendatur ad participantes Mendicantium priuilegia.

25 *Malè, & nulliter Superiores præcipiunt, ne ſubditi, habentes huiuſmodi priuilegia, & aliud Monaſterium adeuntes, mox reuerſuri, à reſeruatis Superioribus ipſis abſoluantur. Et quare.*

1 PRO determinatione huius difficultatis eſt adnot. quòd facultas, ſeù iuriſdictio abſoluendi directè à reſeruatis eſt duplex: ordinaria ſcilicèt, & delegata. Prior eſt, quam quis habet ex vi muneris, vt Rom. Pontifex, Epiſcopi, & alij Prælati ordinariam habentes iuriſdictionem. Delegata verò iuriſdictio ad abſoluendum à reſeruatis illa dicitur, quam quis conſequitur per delegatam facultatem, ſeù licentiam datam, vel Sacerdotibus ad abſoluendum directè à reſeruatis: vel per licentiam tributam pœnitenti ad eligendum Confeſſarium, qui eum abſoluere valeat. De vtraque igitur iuriſdictione hoc loco agemus.

2 Secundò eſt adnot. certum eſſe, quòd illi, qui peccata ſibi reſeruant, aut eorum Superiores in iuriſdictione fori interni, ac conſcientiæ, poſſunt per ſe, ac directè abſoluere à reſeruatis. Vndè Rom. Pontifex non ſolùm poteſt abſoluere caſus, & cenſuras ſibi reſeruatas; ſed etiam illos caſus, ac illas cenſuras, quos, & quas Epiſcopi ſibi reſeruant, cùm in iuriſdictione cunctis ſit Superior: & iuriſdictio Epiſcopalis ſit à Papali iuriſdictione dependens. Sic etiam Epiſcopi poſſunt per ſe, ac directè abſoluere nõ modò à cenſuris, ac peccatis, quæ ſibi reſeruant; verum etiam quæ ſibi reſeruant Curati vi alicuius priuilegij, aut conſuetudinis, cùm hæc iuriſdictio curatorum pendeat à iuriſdictione Epiſcoporum, vt habetur ex *Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. n. 9. Nauar. in Man. c. 7. nu. 263. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 1. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 8. ſub num.* 2. Qui eam eſſe rationem ait, quòd qui in iuriſdictione Superior eſt ipſo reſeruante

habet

Digitized by Google

habet reſpectu illius ſupremam, & vniuerſalem iuriſdictionem ſe extendentem ad omnia, ad quæ ſe extendebat iuriſdictio Inferioris reſeruantis.

3 Dixi in iuriſdictione fori interni, & conſcientiæ; quoniam ſatis non eſt, quod in dignitate, ac ordine Hierarchico Superiores ſint, vt ſunt omnes Archiepiſcopi, & Patriarchæ reſpectu Epiſcoporum: ſiquidem Archiepiſcopi non poſſunt abſoluere à caſibus reſeruatis Epiſcopo ſubditos Epiſcopi ſui ſuffraganei, niſi in cauſa appellationis, vel dum actu Prouinciam viſitant, & in ipſo actu viſitationis: his enim caſibus poſſunt Archiepiſcopi de iure abſoluere à caſibus, & cenſuris reſeruatis ab eorum ſuffraganeis Epiſcopis, vt habetur ex *Henriq. loco citato, Suar. d. ſec. 1. nu. 2. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. & Fagund. d. c. 8. nu. 3.* & eſt *tex. in c. 1. de cenſib. in 6.* Eſt tamen verum, quòd *Conc. Trid.* circa rem hanc præcipit *ſeſſ. 24. de refor. cap. 3.* ne Archiepiſcopi, Epiſcopos ſuffraganeos viſitent, niſi de licentia data in Conc. Prouinciali, & poſt plenè viſitatam propriam Diœceſim.

4 Tertiò eſt adnot. certum eſſe, quòd quamuis Epiſcopus ſit inferior Rom. Pontifici; nihilominus aliquando iure ordinario poteſt abſoluere in foro conſcientiæ à quibuſdam caſibus, & cenſuris ipſi Rom. Pontifici reſeruatis, & diſpenſare in irregularitatibus, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 6.* Vbi conceditur Epiſcopis abſoluere in foro conſcientiæ quoſcunque ſibi ſubditos in eorum Diœceſibus ab omnibus caſibus, & cenſuris occultis, etiam Rom. Pontifici reſeruatis, ac etiam ſi agatur de crimine hæreſis: nec non conceditur diſpenſare in irregularitatibus omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta irregularitate, quæ oritur ex homicidio voluntario. Quæ quidem facultas non eſt delegata, ſed ordinaria; quia non conceditur perſonæ, ſed dignitati, vt adnotauimus in *noſtris Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 35.* Imò quando Conc. Trid. dat facultatem eiuſmodi Epiſcopis, non dicitur eis iuriſdictionem aliquam concedere, quam prius non haberent; ſed tantùm reſeruationem tollit: ſiquidem Epiſcopus iure communi, imò iure diuino, niſi expreſsè limitetur, habet eandem poteſtatem in ſua Diœceſi erga ſuos ſubditos, quam habet Papa in vniuerſali Eccleſia; ipſi Papæ tamen vti Chriſti Vicario ſubordinatam, à quo illam modificari, ac augeri poteſt, prout ouium ſaluti iudicat expedire, vt oſtendimus in *d. Commentar. § 2. q. 5. nu. 2.* Vndè conſtat dari aliquando caſus, & cenſuras Superiori reſeruatas, à quibus Inferior iure ordinario, ac ordinaria iuriſdictione

5 abſoluere poteſt. Dicitur autem delictum occultum, vt ab Epiſcopo abſolui poſſit vt ſupra, etiam ſi reſeruatum ſit Rom. Pontifici, multis modis. Primò dicitur occultum prout diſtinguitur contra publicum, ac notorium, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 2. nu. 2. Sanch. tom. 1. Decal. lib. 2. cap. 11. nu. 10.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. cap. 8. nu. 23.* & nos adnotauimus *in noſtris Commentar. ad Bullam Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 4. & 5.* Secundò, crimen dicitur occultum, etiam ſi committatur coram quinque teſtibus, atque ideò in iudicio probari poſſit, quod an ſit verum, benè declarat *Fagund. loco citato, ſub nu. 24.* vbi etiam *& nu. 25. cum plur. alijs ſeq.* Explicat crimen quando dicatur publicum. Tertiò crimen dicitur occultum, etiam ſi in iudicio fuerit deductum, & non probatum: aut in loco, vbi ferenda ſit abſolutio ſit occultum, licet in alio loco ſit publicum, *Fagund. d. c. 8. nu. 26. 27. & 28.* cum alijs, quos allegat, quibus adde, quæ diximus *in d. noſtris Commentarijs d. q. 11.*

6 Quartò eſt adnot. circa iuriſdictionem delegatam abſoluendi à reſeruatis, certum eſſe, quòd Rom. Pontifex concedendo facultatem Confeſſario abſoluendi à caſibus reſeruatis, cenſetur etiam conceſſiſſe facultatem abſoluendi à cenſuris: ſiquidem à Rom. Pontifice de facto nunquam peccata reſeruantur ſine cenſura, & propterea conceſſa facultate abſoluendi à caſibus reſeruatis cenſetur etiam conceſſa ad abſoluendum à cenſuris. Ita *Nauar. in Man. c. 27. nu. 261. Tolet. lib. 3. ſuæ ſum. c. 14. nu. 1. Sanch. lib. 2. Decal. c. 8. nu. 5.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 8. nu. 11.* Hinc ſequitur, quòd ex quo Epiſcopi ſolent aliquando reſeruare caſus cum cenſuris, & aliquando ſine cenſuris, ſi concedant alicui Confeſſario omnes ſuos caſus, ſolùm intelliguntur conceſſi caſus ſine cenſuris: ſiquidem caſus eſt culpa, cenſura verò eſt pœna, at ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Sic etiam Epiſcopus con-

7 cedendo omnes caſus, non cenſetur concedere diſpenſationem votorum, ac irregularitatem, in quibus poteſt diſpenſare, vt habetur ex *Nauar. loco citato, & Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 3.* Imò ſi Epiſcopus concedat alicui Sacerdoti omnẽ auctoritatem ſuam in confeſſionibus audiendis hæc facultas ex vi verborum non comprehendit caſus reſeruatos, niſi aliundè euidenter appareat, eum voluiſſe comprehendere, vt per eundem *Nauar. & Suar. locis ſupra relatis, & Fagund. d. c. 8. nu. 7.* cum alijs, quos allegat, qui etiam ex *Graff. lib. 1. deciſ. c. 13. nu. 65.* Addit id verum eſſe etiam ſi Epiſcopus concederet huiuſmodi licentiam generalem, cum additione clauſulæ generalis, vt omnia ipſe Confeſſarius facere poſſit, quæ ſpecialem commiſſionem requirerent: ſiquidem in generali conceſſione, non intelliguntur illa, quæ ſpecialiter reſeruantur, vt in *c. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſ. in 6.* Limitantur tamen

8 hæc quæ diximus vera eſſe, niſi aliter conſtaret de mente Epiſcopi: nam licèt in foro fori regulariter ſtandum ſit præciſis verbis; in foro tamen interiori, in quo veritas tantùm rei attenditur, ſatis eſt, quòd conſtet aliundè de voluntate concedentis, vt patet ex *Suar. d. ſec. 1. nu. 3. & Fagund. vbi ſupra, ſub nu. 7. & 10.* Secundò, limi-

9 tantur, vbi Epiſcopus, aut Prælatus Religionis concederet Sacerdoti prius aliquem caſum reſeruatum, & deindè addat, *Et omnem meam poteſtatem, & auctoritatem.* Tunc enim cenſetur concedere omnia peccata reſeruata: quoniam illa ſpecificatio antecedens caſus reſeruati explicat verbum conſequens, & declarat intentionem, & voluntatem Superioris fuiſſe quoq; de omnibus caſibus reſeruatis, vt per *Nauar.* & alios apud eundem *Fagund. d. c. 8. nu. 8.* vbi idem dicendum eſſe volunt, ſi Prælatus dicat Confeſſario, *Concedo tibi omnes meos caſus.* Tertiò limitantur, ſi

10 Epiſcopus concedat alicui Parocho ſuæ Diœceſis generalem facultatem ad audiendas confeſſiones

omnium

omnium ſuorum ſubditorum ſuæ Diœceſis: ſiquidem putat *Graff. d.c.cap.13. num.8.* per illa verba concedere quoque facultatem ſuper omnes caſus ſibi reſeruatos: etenim Parochus eo ipſo, quòd eſt Parochus poteſt audire confeſſiones omnium ſui Epiſcopi ſubditorum: quapropter vt verba conceſſionis aliquid operentur, hoc modo intelligenda ſunt, aliàs eſſent fruſtratoria, contra *tex. in c. ſi Papa, de priuil. in 6. & l. ſi quando, ff. de legat. 1.* Hanc eandem ſententiam tenet *Franc. in c.2. de pœnit. & remiſſ. nu.11. & Fagund. d.c.8. nu.9.* vbi poſt *Graff. ibi ſub num. 69.* idem dicendum eſſe arbitratur, de Prælatis Religionum, qui in præcipuis ſolemnitatibus concedunt Confeſſarijs expoſitis ad audiendas confeſſiones Religioſorum omnem ſuam facultatem: nam vt talis licentia aliquid operetur, neceſſariò extendi debet ad caſus reſeruatos, & ad cenſuras eiſdem annexas.

11 Quintò eſt adnot. certum eſſe, quòd ſi Epiſcopus, aut alius Prælatus concedat ſubdito, vt ſibi eligat Confeſſarium, quem voluerit ex approbatis; & ſubditus eligat Confeſſarium, talis Confeſſarius non habet poteſtatem in caſibus reſeruatis, niſi id Prælatus exprimat, aut aliundè conſter de voluntate ipſius Prælati iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus not. præced. ſiquidem in generali illa conceſſione nō veniunt ea, quæ quis non eſſet in particulari tàm facile conceſſurus, vt in *d. c. ſi Epiſcopus, Suar. d. ſec. 1. nu.4.* quem ſequitur *Fagund. d.c.8 nu.12.*

Hæc omnia adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non indigeant; tota igitur difficultas conſiſtit in ſequentibus dubijs. Et primò circa primum not. An Epiſcopus nominatim excommunicatus, non toleratus, ſuſpenſus, irregularis, aut interdictus validè poſſit dare licentiam alteri Sacerdoti, vt aliquem à reſeruatis abſoluat. Secundò circa tertium not. An facultas conceſſa Epiſcopis abſoluendi ab hæreſi occulta, ſit eis adempta per Bullam Cęnæ Domini. Tertiò citra eundem not. ſuppoſito, quòd per Bull. Cœnæ dicta facultas Epiſcopis non ſit ſublata, an Epiſcopi valeant iuriſdictionē abſoluendi ab hæreſi occulta alteri delegate. Quartò circa quartum not. An Parochus, vel quilibet alius Confeſſarius approbatus poſſit abſoluere pęnitentem alterius Dięceſis à reſeruatis in ſua Dięceſi. Quintò, & vltimo circa eundem not. quæritur. An Religioſus, qui crimen commiſit reſeruatum in vno monaſterio, quod in alio non eſt reſeruatum, poſſit in eo abſolui à quocunque Confeſſario eiuſdem monaſterij, non habente poteſtatem ſuper caſus reſeruatos.

12 Circa primum dubium pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Paludani in 4.d.23.q.2.nu.17. Syl. in ſum. ver. Vnctio, nu. 1. §.4. Tabiena eod. ver. nu.6. Armil. ibi, num.5. Nauar. in c. placuit, de pœnit. d. 6. num. 51. & Redr. tom. 2. ſua ſum. c.14. nu.5. in fine,* Dicentium, Prælatum nominatim excommunicatum, aut ſuſpenſum, vel interdictum, vt ſupra, concedere licentiam alteri Sacerdoti ad abſoluendum à caſibus ipſi Prælato reſeruatis. Mouentur ex eo, quod eo caſu licentia illa non eſt conceſſio actus iuriſdictionis; ſed potius ſui iuris ceſſio: ſiquidem ob id Parochus excommunicatus non toleratus, & ſuſpenſus ab officio, poteſt validè concedere licentiam alteri Sacerdoti Parocho, vel non Parocho ad aſſiſtendum matrimonio, & ad vngendum loco ſui.

13 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam puto veriorem, quam tenent *Henriq. lib.3. confirmationis, cap.13. nu.3. in fine, Sanch. li. 3. de matr. diſp. 21. num. 7. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib.8. c.8. ſub nu.4.* Mouentur ex eo, quòd eiuſmodi delegatio, atque abſolutio eſt actus proprius iuriſdictionis, ſicut actus proprius illius eſt abſoluere ab ipſis reſeruatis: & propterea ſicut excommunicatus non poteſt abſoluere per ſe, ita etiam hanc abſolutionem non poteſt committere, ac delegare alteri Sacerdoti. Nec fundamentum primæ opinionis obſtat; quoniam militat diuerſa ratio in matrimonio, & vnctione, ac confirmatione; ſiquidem aſſiſtentia matrimonij, vngere, & confirmare non ſunt actus propriæ iuriſdictionis, ſed ius competens alicui ratione officij, cuius ceſſionem alteri poteſt facere: at dare licentiam alteri ad abſoluendum, aut abſoluere ſunt actus propriæ iuriſdictionis, vt latè probat idem *Fagund. lib.7. cap.2. nu. 49. 50. & 52. eod. præcep.* Quæ diximus de Prælato extendimus ad Parochum nominatim excommunicatum, ac denunciatum: is enim nec licitè, nec validè poteſt facultatem impartiri ſubdito ſuo, vt alieno Sacerdoti confiteatur, cùm ſit etiam iuriſdictionis actus, qua caret, ſtante excommunicatione. Vndè licèt aliorum Sacramentorum collatio poſſit à Parocho excommunicato alteri delegari; Sacramenti tamen pœnitentiæ, cùm ſit inſtitutum per modum iudicij, non poteſt, vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato, verſ. Nos qui etiam, qui nu.6.* Id ampliat locum ſibi vindicare in Epiſcopo, aut Parocho interdictis, aut priuatis adminiſtratione Sacramentorum. Eſt tamen
14 verum, quòd ſi Epiſcopus, aut Parochus in vno loco ſit excommunicatus vitandus, vt quia in Gallia, v. g. aliquem Clericum percuſſerit: & deindè ad ſuum Epiſcopatum, ſeù ad ſuam parochiam Italiam ſe conferat, & publicè ſe gerat, vt Epiſcopus, ſeù Parochus audiendo confeſſiones, tanquam communiter exiſtimatus idoneus, & iuriſdictionem habens; tunc eo caſu puto, quod ſi delegat facultatem alteri ad abſoluendum aliquem ſuum ſubditum, talem delegationem eſſe validam, & illius vigore delegatum validè abſoluere: ſiquidem communis exiſtimatio tribuit eiuſmodi excommunicato iuriſdictionem, *arg. tex. in l. Barbarius, ff. de offic. Prætor,* & faciunt ea, quæ cumulat *Suar. ex Vgol. & alijs, de cenſur. diſp. 11. ſec.2. nu. 15.* Idem dicendum eſt ſi Epi-
15 ſcopus, aut Parochus eſſet excommunicatus, ſed non nominatim, nec publicus Clericorum percuſſor; ſiquidem eiuſmodi excommunicatus non amittit iuriſdictionem, ſed eam retinet, eoque non eſt vitandus, vt patet ex *Extrau. ad euitanda ſcandala,* quam retulimus de verbo ad verbū, eandemque declarauimus in *noſtris Comment. ad Bull. Cœnæ, lib.2. can.1. q.8.* quibus adde, quæ habentur ex *Caiet. in ſum. ver. Abſolutionis impedimenta, Nauar. in Man. c.9. nu.9. & in c. 1. §. laboret, nu.10. de pœnit. d.6. Couar. in c. Alma mater, 1. p. §.6. nu. 7. verſ. Quinta concluſio, de ſent. excom. in 6. Henr. Vgol.* & alios, quos refert, & ſequitur *Say. lib. 2. Theſauri, tom. 1. c.2. num.6.*

16 Circa ſecundum dubium pugnantes quoque ſunt

ſunt opiniones. Etenim prima ſentẽtia eſt *Gutier. lib. 1. qq can. c. 13. Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 14. nu. 7 Bonn 2 2. q 13. art. 4. dub. 2. poſt ſecundam concl. verſ. Et ſi quis Aragon. ibidem art. 3. col. 10. verſ. Sed dubium eſt, Rodriq. in Cruciata, §. 9 nu. 70. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. cap. 8.* Et aliorum aſſerentium, facultatem, quam habent Epiſcopi ad abſoluendum à caſibus, & cenſuris occultis, etiam Rom. Pontifici reſeruatis non eſſe reſeruatam per Bullam Cenæ, nec quidem quoad caſum hæreſis. Vndè ſecundum hanc ſententiam ſi hæreſis ſit nota quinque, vel ſex perſonis, & ſi hæreticus quinque, vel ſex complices habeat, adhuc dicetur occulta, & ab illa potuerunt abſoluere Epiſcopi. Imò in ampla Vrbe non dicetur publica ſi nota fuerit ſeptem, vel octo, iuxta ea, quæ habentur ex *Fagund. loco citato, nu. 23. & 33.* Mouentur primò, quia Bulla Cœnæ eſt poſterior decreto Conc. Trid. & loquitur generaliter, & indirectè: at poſterior lex generaliter, ac indiſtinctè loquens limitanda eſt per legem antiquiorem, quando expreſsè illi contradicit; quamuis in lege poſteriori ſit clauſula, *Non obſtante lege contraria*, vt per *Bald. in l. de pretio, ff. de publ. in rem actione, & Anton. Gabr. tom. 2. commun. opin. lib. 10. verſ. Lex.* Et facit *tex. in l. ſed, & poſteriores, ff. de legib.* ibi, *Poſteriores leges, &c.* Cõfirmatur, quia per Bullã Cenæ nõ cẽſetur reuocata facultas Bullę Cruciatę concedentis cuilibet Confeſſario, vt valeat abſoluere ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis ab omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis. Ergò nec quidem reuocabitur facultas à Conc. Trid. Epiſcopis conceſſa. Denique, cæteris prætermiſſis per Bullam Cœnæ generaliter tantùm derogatur facultatibus abſoluendi à caſibus, & cenſuris in ipſa contentis, & nulla fit mentio Conc. Trid. concedentis facultatem Epiſcopis abſoluendi à caſibus, & cenſuris occultis, etiam Rom. Pontifici reſeruatis; vt per clauſulam generalem non cenſetur derogatum generali Concilio, niſi de eo fiat, ſpecialis mentio, vt eſt *tex.* & ibi *Gloſa in c. ex parte, verſ. Nulla mentio, de cappel.*

17 Oppoſitis tamen non obſtantibus contrariam ſententiam arbitror eſſe veriorem, quam tenent *Suar. de pœnit. diſp 30. ſec. 2. nu. 11. Molina tom. 4. de iuſt. & iur. diſp. 64. nu. 8. Azor. tom. 1. Inſt. moral. cap. 19. q 3. & cap. 10 q 10. Sanch. lib. 2. Decal. cap. 11. nu. 26. & 27. Ricciul. tract. de iure perſon. lib. 5. c. 14. nu. 9. Barb. de poteſt. Epiſc. p. 2. allegat. 40. Ricc. p. 3. deciſ. 280. nu. 1. Gratian. in diſcept. tom. 3. c. 414. nu. 20. Raguc. in Lucerna Paroch. q. 125. n. 5. Scort. in conſt. Pontiſ. Epitom. 166. Theorem. 431. Villalob. in ſum. p. 1. tract. 9. dub. 61. nu. 2. & 5. Nouar. in ſingul. concl. 3. n. 5. Homob. de exam. Eccleſiaſt. p. 2. tract. 12. c. 4. q. 10.* & alij quamplurimi, quos refert, & ſequitur *P. Diana de abſol. ab hæreſi, reſol. 6.* qui ait, hodie de hac opinione non eſſe dubitandum: ſiquidem teſtatur ita nouiſſimè fuiſſe declaratum per Sacram Congregationem Cardin. ſub die 17. Nouembr. 1628. quibus adde, quæ nos cumulauimus in *noſtris Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. § 2. q. 11. nu. 43. cum plur. ſeq.* vbi plures alias adduximus Pontificias declarationes, & reſpondimus eas inficiantibus ex eo, quod authenticè non conſtet: & quatenus conſtaret, poſſet dici, mentem Pij V. & Gregor. XIII. eam fuiſſe in Bullis Cœnæ ab ipſis editis, quæ iam expirarunt; ſed non ex hoc inferri idem voluiſſe ſucceſſores Pontifices reſpondimus inquam, quòd cùm in noſtra Bulla Pauli V. quam duximus explicandam, ſit ſublata clauſula illa: *Niſi in eis etiam caſibus, &c.* Quæ clauſula reddebat contrariam ſententiam probabilẽ, de S. Pontificis, & ſuorum mente ſatis hodie cõſtat, voluiſſe derogare Conc. Trid. & ann. 1665. fuit damnata à S. P. Alex. VII.

18 Ad contraria igitur ſatis reſpondemus in *d. noſtris Comment. nu. 43. in fine, & 44. cum plur. ſeq.* quibus adde, quæ ibidem addita fuerunt litt. D. vbi probatur, quòd ad derogandum Concil. Tridentino ſatis eſt clauſula generalis, *Non obſtantibus, &c.* Etiam ſi nõ fiat mentio Conc. Trid. vel Conciliorum in genere. Limitatur tamen hæc quę diximus quoad impeditos, vt adnotauimus in *noſtris Cõment. ad Bull. Cœnæ lib. 3. § 2 q. 8. & 9.*

† Satis enim ibi probauimus, impeditos poſſe ab Epiſcopo abſolui à quibuſcunq; caſibus, & cenſuris, etiam in Bulla Cęnæ reſeruatis, nec talis facultas eſt illi adempta per Bullam Cęnæ Domini, etiam quoad crimen hæreſis: & idem dicendũ eſt de eius Vicario ſpecialiter deputato ad abſoluendum impeditos, vt oſtendimus *d. q. 8. & 9.* Imò Epiſcopus cum ſuis ſubditis etiam nõ impeditis, poteſt diſpẽſare in omnibus irregularitatibus cõtractis ex delicto occulto, excepta ea, quæ eſt ex homicidio volũtario; licèt exiſtant in aliena Dięceſi: ſiuè alter tantũ, nẽpè Epiſcopus vel ſubditus extra propriam Dięceſim verſetur, vt habetur ex *Suar. tom. 5. de cenſur. diſp. 41. ſec. 2. n. 10. Sanch. tom. 1. Decal. lib. 2. c. 11. n. 12. & Fagund. d. c. 8. n. 35.* Siquidẽ diſpenſatio impendi poteſt etiam abſenti, & reſtrictio illa *Conc. Trid. In foro conſcientia, & in Diœceſi ſua*, Intelligẽda eſt de illa poſteriori parte tm̃, in qua Trid. concedit Epiſcopis facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ. Illud tamen in hac re eſt adnot. ꝙ magna controuerſia eſt inter DD. vtrũ quando in Iubilæis, vel in aliqua Bulla, aut priuilegio conceditur alicui facultas abſoluẽdi ab omnibus caſibus Bullę Cęnæ: intelligatur etiã poſſe abſolui à crimine occulto hęreſis. Et quamuis pro affirmatiua, & negatiua hinc, inde, *Fagund loc. cit. n. 37. & 38.* quamplurimos cumulet DD. magni ponderis; nihilominus concludit ꝙ poſſumus ſequi vtramq; opinionem, affirmatiuam. ſ. vel negatiuã. Quibus adde, quæ nos adnotauimus in *d. Comment. d q. 8 nu. 5. cum plur. ſeq.* & latius habetur in *addit. ibidem litt. A. fol. 745.*

19 Circa tertium dubium patet, quid dicendum ſit ex deciſione præcedentis dubij, cuius oppoſita ſententia, quoniam à multis æſtimatur probabilis à *Fagund* probabilior, & à quibuſdam probabiliſſima, vt patet ex eodem *Fagund. loco citato*; Idcircò ſuppoſito, quòd facultas tributa Epiſcopis à Conc. Trid. abſoluendi à quibuſcunq; caſibus, & cenſuris, etiam Rom. Pontifici reſeruatis, non ſit ſublata per Bullam Cœnæ Domini, quæritur, an Epiſcopus poſſit abſolutionem ab hæreſi occulta alteri delegare.

In hac difficultate partem negatiuam ſimpliciter etiam pro ſingulis vicibus docent *Suar. tom. 5. de cenſur. diſp. 41. ſec. 2. nu. 8. & Guttier. lib. 1. qq. can. c. 13. nu. 29.* Mouentur ex verbis Conc. Trid. loco ſupra relato, ibi, *Idem quoque Epiſcopis tantum, non eorum Vicarijs ſit permiſſum in crimine hæreſis occulta in foro conſcientiæ, &c.* Contrariam tamen opinionem puto veriorem, ſuppoſito quòd non ſit ſublata eiuſmodi facultas Epiſcopis per Bullam Cœnæ: ſiquidem in hoc non

Digitized by Google

eligitur miniſterium perſonale Epiſcopi, non nominetur Epiſcopus, ſuo proprio nomine; ſed ratione dignitatis, quæ non eſt perſona; quamuis perſonæ annexa ſit. Nec obſtant relata verba Conc. Trid. quoniam loquitur, vt Epiſcopi non valeant habere deputatum ſpecialem Vicarium ad hoc munus: atque ideò cùm id tantùm excludat, non cenſetur excludere delegationes pro ſingulis vicibus, vni, vel multis Confeſſarijs factas: & hanc ſententiam tenet *Nauar. in ſuis conſ. tit. de ſent. excomm. conſ. 15. ad tertiam quaſt. Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 8. c. 10. q. 11. Sanch. tom. 1. Decal. lib. 2, c. 11. num. 23. & Fagund. d. c. 8, ſub nu. 36.*

20 Circa quartum dubium dico primò, Parochū, vel quemlibet alium Confeſſarium approbatum habentem facultatem abſoluendi à peccatis reſeruatis Epiſcopo ſuo, poſſe abſoluere pœnitentem alterius Diœceſis à reſeruatis in ſua Diœceſi; atque adeò Sacerdos Capuanus, qui facultatem habet ab Archiepiſcopo Capuano, aut à Romano Pontifice ad abſoluendum à peccatis reſeruatis eidem Archiepiſcopo, poteſt in ipſius Diœceſi abſoluere pœnitentem Diœceſis Neapolitanæ à peccatis reſeruatis in ipſa Diœceſi Neapolitana. Hæc concluſio eſt *Nauar. in Man. c. 27. n. 161. §. Decimò dico, Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 4. Graff. lib. 1. deciſ. c. 13. nu. 48.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 8. nu. 18.* Fundantur primò in conſuetudine, quoniam ita de conſuetudine ſeruatur vbique. Secundò mouentur externo cōſenſu Epiſcoporum, quoniam ſicut Confeſſarius Capuanus approbatus iuxta formam Concilij, poteſt abſoluere quoſcunque fideles cuiuſcunq; Diœceſis à peccatis non reſeruatis, vbicunque commiſſis de conſenſu tacito ſuorum Epiſcoporum, ita Epiſcopi conſentur tacitè conſentire quoad caſus reſeruatos, quando eorum confeſſio ſit habenti poteſtatem abſoluendi à reſeruatis ſuo Epiſcopo, cum non poſſit aſſignari diuerſitatis ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Denique, qui ſic confitetur in aliena Diœceſi, non vtitur facultate aliqua eligendi ſibi Confeſſariū, à quo abſoluatur à reſeruatis, ſed ita confitetur, ac quilibet eorum, qui verſantur in ipſa Diœceſi, atque ideò abſolui poteſt, ac ſi incola eſſet talis Diœceſis: ſiquidem Confeſſarij vnius Diœceſis non tenentur ſcire caſus alios reſeruatos in alia Diœceſi.

21 Dico ſecundò Parochus, aut Cōfeſſarius vnius Diœceſis non habens poteſtatem circa caſus reſeruatos, non poteſt abſoluere in ea Diœceſi pœnitentes alterius Diœceſis à peccatis ibidem reſeruatis; atque ideo Confeſſarius Capuanus licèt facultatem non habeat abſoluendi à reſeruatis; poteſt tamen in Diœceſi Capuana abſoluere pœnitentes Diœceſis Neapolitanæ à reſeruatis Archiepiſcopo Neapolitano duntaxat, non autem reſeruatis Archiepiſcopo Capuano. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 6.* ſiquidem huiuſmodi pœnitentes iudicandi ſunt, vt incolæ illius Diœceſis, in qua abſoluuntur, & iuxta forum eius. Nec obſtat, ſi dicatur, hominem ſortiri forum ratione criminis commiſſi in aliquo territorio, vt in *l. 1. C. vbi de crim. agi oport. & l. ſoleat, de cuſtod. reor.* quoniam regula illa intelligenda eſt de foro fori, non autem de foro poli, vt habetur per *Gloſ. in c. placuit, 1. 16. q. 1. Panor. in c. ſi quis contra, nu. 50. de foro compet.* Hanc eandem concluſionem probabilem eſſe putat *Fagund. d. c. 8. ſub nu. 19. in fine*, quamuis ipſe oppoſitam ſententiam putet probabiliorem, quam videntur docere *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. col. 9. in fine*; *Vega in ſum. lib. 2. caſu 326. & Graff. lib. 1. deciſ. cap. 13. nu. 47.* Etenim abſolutè loquendo, Sacerdos alterius Diœceſis non habet iuriſdictionem in aliquos caſus reſeruatos, & pœnitens non eſt exemptus à iuriſdictione ſui Epiſcopi, qui peccatum reſeruauit. Non tamen eſt recedendum à ſententia *Suar.* quia dum ſupponimus peccatum reſeruatum in Diœceſi Neapolitana, non eſſe reſeruatum in Diœceſi Capuana, Sacerdos Capuanus cum facultatem habeat abſoluendi à tali caſu; perindè eſt, ac ſi facultatem habeat abſoluendi à reſeruatis quoad caſum reſeruatum in Diœceſi Neapolitana tantùm. Nec ratio allata in contrarium conuincit; quoniam ſi vera eſſet, non poſſet Sacerdos Capuanus abſoluere pęnitentes à reſeruatis in Diœceſi Neapolitana, etiam ſi haberet facultatē ab Archiepiſcopo Capuano abſoluendi à peccatis ſibi reſeruatis: quod eſt falſum, vt ſupra oſtendimus dicto primo. Arbitror tamen, quòd ſi pœnitens Diœceſis Neapolitanæ habens caſum reſeruatum in ſua Diœceſi, doloſè, & data opera ſe conferret in Diœceſim Capuanam, vt abſolutionem conſequatur à peccato reſeruato, aliàs eò non iturus, non poſſet abſolui à Sacerdote Capuano non habente facultatem abſoluendi à peccato illo reſeruato: quia dolus, & fraus nemini patrocinari debet, vulgatis iuribus: & multo minus ſi caſus eſſet reſeruatus in vtraque Diœceſi, iuxta communem omnium ſententiam. Nec dolus regulariter præſumitur, niſi probetur, vbi iuris præſumptiones in contrarium non adſint, iuxta ea, quæ habentur in *c. quanta de ſent. excom.* quæ iuris præſumptiones ceſſant ſi pœnitens ſe contulerit in Diœceſim Capuanam à neceſſitate, aut vtilitate aliqua compulſus. Et in, cùm agatur de re tractanda in foro interiori, in qua attenditur veritas, & non præſumptio, vt ſæpè diximus, de bona fide, aut dolo pęnitentis, ſtandum eſt in dubio eius dicto.

22 Circa quintum, & vltimum dubium breuiter dicimus, quòd ſi Religioſus, qui crimen commiſit reſeruatum in vno monaſterio, quod in alio non eſt reſeruatum, ad illud monaſterium ita ſe conferat, vt domicilium mutet, & nouum acquirat Superiorem, tunc poteſt abſolui à quolibet Confeſſario non habente iuriſdictionem in caſus reſeruatos, cùm iudicandus ſit ad modum aliorum Religioſorum ibi commorantium: Si verò ſe conferat ad aliud monaſterium mox reuerſurus ad proprium vbi commiſit caſum reſeruatum, ita vt in illo monaſterio, nec domicilium, nec habitationem, ſeù quaſi acquiſierit, tunc non poteſt abſolui, quia verè manet ſubditus Superioris, qui caſum ſibi reſeruauit, vel in cuius domo caſus erat reſeruatus, niſi priuilegium habeat: de quo paulo infra dicemus. Confirmatur; quia aliàs illuderetur lex reſeruatiua, & hanc ſententiam docent *Syl. ver. Confeſſor 1 q. 12. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3. col. 8. verſ. Aliud*, & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 8. ſub nu. 22.* vbi etiam *nu. 21.* Conſequenter ea, quæ ſupra ad-
23 notauimus, inquit, quòd ſi Parochianus vnius Dięceſis, verſetur in aliena Dięceſi, & peccata ibi reſeruata committat, poteſt abſolui à quocunque Confeſſario approbato, etiam ſi nullam habeat iuriſdictionem circa reſeruata: ſiquidem

licèt

Digitized by Google

licèt iſte talis lethalem culpam contraxerit; nullum tamen peccatum reſeruatum commiſit: quia peccata reſeruantur erga ſubditos tantùm; ille autem non eſt ſubditus: at actus iuriſdictionis qualis eſt reſeruatio non extenditur ad non ſubditos. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. num. 6.* & alij ab eodem *Fagund.* relati *ſub d. num. 21.* Eſt tamen verum, quòd circa ea, quæ ſupra diximus de Religioſis, *Medina inſtr. confeſſ. cap. 10. §. 3.* inquit, Religioſos mendicantes virtute ſuorum
24 priuilegiorum, ſi ad aliud monaſterium non mutati proficiſcantur, mox regreſſuri ad proprium monaſterium, in quo crimen reſeruatum commiſerunt, poſſe abſolui à Superiore illius monaſterij, ad quod ſe conferunt, vel ab alio de illius licentia: quod priuilegium extenditur quoque ad omnes, qui Mendicantium priuilegia participāt: quam *Medinæ* opinionem approbant *Graff.* relatus à *Fagund. d. c. 8. ſub num. 22. in fine.* Vndè
25 malè videntur præcipere, imò nulliter Superiores, ne ſubditi habentes eiuſmodi priuilegia adeuntes aliud monaſterium mox reuerſuri, abſoluantur à reſeruatis ipſis Superioribus proprij monaſterij: eo quòd inferior non poteſt aliquid præcipere contra legem Superioris: & priuilegium dicitur priuata quædam lex, vt in *c. Abbate de verb. ſignif.* Hæc pauca pro nunc dicta ſint de Proprio Sacerdote, atque adeò de Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ: reliqua verò fuſius, Deo duce, trademus in ſecundo tomo huius operis, in quo agitur de bonitate, ac ſcientia Confeſſarij; vt ita noſtri capitis ordinem proſequentes ſingulas eiuſdem particulas, vt in præfatione promiſſum, explicemus.

Ibi, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam, &c.* De ſacramentali ſatisfactione, atque ideò de ſatisfactione ex opere operato quoad forum internum.

DISP. IX.

SVMMARIVM.

1 *In noſtro capite integrum Pœnitentiæ Sacramentum implicitè præcipitur.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, ſunt recolenda, quæ ſupra diximus in principio explicationis noſtri cap. Etenim quamuis in eo annuæ confeſſionis præcepti expreſſa tantùm mentio habeatur; nihilominus integrum pœnitentiæ Sacramentum implicitè præcipitur. Nam dum Lateran. Concilium omnium peccatorum confeſſionem, & iniunctam pœnitentiam adimpleri ſtatuit, ad eam implendam ex communi omnium ſententia fideles compelli nequirent, niſi per veram, ac integram Sacramenti perceptionem materiam, & formam continentis. Vndè cùm hucuſque egimus de duplici parte materiali Sacramenti pœnitentiæ, nempè de confeſſione, ac contritione, & de proprio Sacerdote, cui facienda ſit confeſſio; modo competenti ordine ſequitur videndum de ſacramentali ſatisfactione, quæ eſt tertia, & vltima pars ipſius Sacramenti.

Quid ſit ſacramentalis ſatisfactio.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentalis ſatisfactio quid, & quotuplex ſit. Es quare dicatur ſolutio.*
2 *Quare dicatur voluntaria, ac debiti luendæ pœnæ temporalis.*
3 *Cum homo pœnitentiam agit, remittitur ei à Deo reatus culpæ, hoc eſt ex Dei inimico, fit Dei amicus: Et an homo ſatisfacere Deo poſſit ſecundùm æqualitatem? Et quotuplex ſit iuſtitia.*
4 *In peccato duo conſiderantur, culpa ſcilicet, & pœna, & ob id duplicem ſatisfactionem, tùm pro culpa, tùm pro pœna temporali apud Deum fieri oportet.*
Et an remiſſa culpa, debitum remaneat luendæ pœnæ temporalis, vel in hac vita, vel in Purgatorio. Vbi refellitur Lutherus, & Caluinus, qui nullum remanere debitum falsò aſſeruerūt
5 *Debitum luendæ pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam, exoluitur aliquando in hac vita, & aliquando in alia, nempè in Purgatorio: Et quot modis exoluatur in hac vita, & per quod in alia.*
6 *Pœna infernalis gehennæ tria complectitur, & quæ: Et cuinam ſinguli correſpondeant: Et à quibus liberetur peccator, cum ad Dei amicitiam redit.*
7 *Deus poſt remiſſam culpam, quam gratis remittit per pœnitentiam poteſt quoq; gratis remittere debitum pœnæ temporalis, prout verè facit in Baptiſmo.*
8 *Sicut qui alterum lædit, amicitiam ſimul, & Iuſtitiam violat, ſic in ſatisfaciendo, amicitiā ſimul, & iuſtitiam reſtaurare debet.*
9 *Extra pœnitentiæ Sacramentum per quæ nam opera poſſumus quoque ſatisfacere pro debito luendæ pœnæ, tùm in hac, tùm in alia vita. Vbi adducuntur verba Concil. Trid.*
10 *Reijcitur opinio Adrian. quæſt. de clau. dub. 2. Et an exolui poſſint pœnæ temporales non tantùm per mulctam à Sacerdote iniunctam, ſed etiam per alia opera ſatisfactoria voluntariè exhibita.*
11 *Debito luendæ pœnæ temporalis huius vitæ poſt culpam remiſſam ſatisfieri poteſt, tam per ſacramentalem mulctam à Sacerdote iniunctam quàm per Indulgentias à Romano Pontifice conceſſas.*
12 *Per opera ſupradicta ſatisfactoria debitū quoq; exoluitur pœnæ temporalis alterius vitæ, quæ in Purgatorio exoluenda eſſet.*
13 *Pro peccato non datur duplex ſatisfactio, noſtra ſcilicet, & Chriſti, cum noſtra Chriſti ſatisfactioni innitatur.*

1 AD hanc rem breuiter reſpondemus, quòd vt ex Theologis colligitur, ſacramentalis ſatisfactio eſt ſolutio voluntaria debiti luendæ pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam, per mulctam à Sacerdote in ſacramentali pœnitentiæ foro iniunctam.

Dixi, ſolutio, loco generis: ſiquidem ſolutio, non modo ſignificat ſatisfactionem pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam luendæ in Purgatorio poſt mortem; ſed etiam in hac vita per liberam acceptationem flagelli à Deo immiſſi, vt cum morbum à Deo inflictum, & alias mundi huius calamitates patienter toleramus, pœnitentias à Sacerdote iniunctas adimplemus, aut ſponte ſuſci-

ſuſcipimus nempè ieiunijs, orationibus, peregrinationibus, diſciplinis, eleemoſynis, & denique cùm Deo pro noſtris peccatis ſatisfacimus per indulgentiarum ſuſceptionem. eſt enim ſatiſfactio duplex, altera ex opere operantis, & altera ex opere operato. Prior eſt illa, qua Deo ſatisfacimus per pœnas ſpontè ſuſceptas, per eleemoſynas, & per flagella à Deo immiſſa patienter tolerata. Altera vero dicitur, qua ſatisfacimus per Chriſti merita: & ſubdiuiditur in illam, qua debitum luendæ pęnæ exoluimus per pœnitentiam à Sacerdotem iniunctam in ſacramentali, & interno foro: & in illam, qua debitum luendæ pœnæ exoluitur in foro exteriori per applicationem indulgentiarum, quæ ſunt merita Chriſti, ac ſanctorum, quæ omnia adeò vera ſunt, vt ea negantes anathemate feriantur, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14 can 13.* his verbis, *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſpontè ſuſceptis, vt ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis, anathema ſit.* Dixi quoque ſolutio loco generis, quoniam ſolutio in genere comprehendit cuiuſcunq; debiti ſatisfactionem: imò ſi largè ſumatur, comprehendit quoque reſtitutionem; nam qui reſtituit pecuniam, quam abſtulit, verè cēſetur eam ſoluere. Non ſic ſi ſtrictè ſumatur, quoniam ſolutio, ſeù ſatisfactio ſtrictè ſumpta differt à reſtitutione: ſiquidem reſtitutio in rebus, ſatisfactio in actionibus verſatur. Prior reſpicit damnum re ipſa illatum: ſatiſfactio verò perſonam iniuria affectam. Et deniq; reſtitutio eſt ab iniuria ceſſatio; ſatisfactio autem eſt iniuriæ illatæ reſtauratio.

2 Dixi, *Voluntaria*, quoniam ſatisfactio per quam Deo ſatisfacimus pro pęnis temporalibus relictis ex peccatis per pœnitentiam à Deo condonatis, voluntaria eſſe debet, non autem inuita. Sicut enim voluntariè culpas contraximus, voluntariè quoque debemus pro his pœnis ſatisfacere.

Dixi, *Debiti luendæ pœnæ temporalis, &c.* quoniam qui peccat, ſtatim contrahit reatum culpæ, & debitum luendæ pœnæ: ſiquidem in peccato duo conſiderantur, nempè reatus culpæ, & reatus pœnæ. Reatus culpæ nihil aliud eſt, quàm inimicitia, quam contrahit homo cum Deo propter offenſam, quam peccator dicitur inferre ipſi Deo, vel immediatè, ſeu directè per blaſphemiam, hæreſim, aut apoſtaſiam à fide, &c. vel mediatè, & indirectè, cum peccator peccando offendit creaturam: nam cum creatura rationalis dicatur Dei filius, ac ſeruus, indirectè Deus afficitur iniuria; ſicut indirectè afficitur iniuria pater per iniuriam illatam filio: & Dominus per iniuriam illatam ſeruo, vt in *l. 1. §. contumelia, ff. de iniur.* Reatus verò pœnæ eſt debitum, ſeù obligatio luendæ pœnæ propter culpam: quæ pœna ratione obiecti infiniti offenſi, nempè Dei, vt fiat culpæ proportionata, eſt infinita, ac æterna. Quando
3 igitur homo agit pœnitentiam pro peccato, remittitur ei à Deo reatus culpæ, ideſt ex Dei inimico efficitur Dei amicus. Non tamen pro amicitia Dei reformanda poteſt homo ſatisfacere ſecundum æqualitatem perfectam, & abſolutam. Etenim ſicut iuſtitia eſt duplex, altera ſcilicet, quæ verſatur in abſoluta, & perfecta æqualitate, vt cùm tantum honoris vnus alteri tribuit, quantum eius dignitas abſolutè exigit; altera verò iuſtitiæ ſpecies eſt, quæ non conſiſtit in perfecta, & abſoluta æqualitate, ſed inæqualitate imperfecta, quæ ex pacto, aut donatione, vel acceptatione alterius pendet, vt cùm quis illum honorem Principi defert, quem is ſibi deferri mandauit; licèt is honor inferior ſit Principis dignitate; ita etiam ſatisfactio quoad rem noſtram attinet, eſt duplex: altera ſcilicèt, quæ aliquando fit ad abſolutam, & perfectam æqualitatem, vt cùm iniuria inter duos homines recompenſatur per actionem illi contrariam, quæ tantum honoris habeat, quantum actio illa iniurioſa haberat contumeliæ. Aliquando autem ſatisfactio fit ad æqualitatem imperfectam, vt cùm is, qui paſſus fuit damnum mille aureorum, ſatisfieri ſibi contentatur ceſſione omnium bonorum, licèt bona illa non aſcendant ad ſummam mille aureorum. Et quoniam inter Deum, & hominem non poteſt dari iuſtitia illa perfecta, & abſoluta, per conſequens non poteſt dari ſatisfactio pro culpa quoad abſolutam, ac perfectam æqualitatem; ſiquidem cùm peccamus, quoad in nobis eſt, Deum offendimus infinitum bonum, nec in nobis eſt aliquid, quo valeamus recuperare amicitiam Dei, quæ per peccatum amittitur, quicquid enim ſumus; Dei ſumus: quicquid habemus, à Deo habemus: vndè cùm quicquid habemus, & ſumus exiguum, & finitum ſit, niſi aliqua acceptatio, vel donatio interueniat ex parte Dei, non poſſumus illi ſatisfacere pro peccatis in eum commiſſis; atque adeò ſecundum commune Theologorum placitum ſatisfactio non offeretur Deo, neque exigitur ab hominibus pro culpa, ſed gratis nos à culpa iuſtificat Deus, gratis amicitiam ſuam nobis reſtituit, vt rectè declarat *Suar. de pœnis. diſp. 37. ſec. 8.* Et quamuis veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere videantur, vt Deum ex inimico amicum reddant, atque ideò pro expianda culpa ſatisfaciant; id tamen intelligendum eſt de congruo: ideſt de ſatisfactione ſecundum æqualitatem imperfectam, modo ſupra explicato, non autem perfectam, ac abſolutam. Etenim ſicut offenſio Dei habet infinitatem quandam ex parte obiecti, cum Deus ſit infinitum bonum; ita ſatiſfactio habere debet infinitatem quādam ex parte principij ſatisfacientis; quo circa exigitur, vt opera ſatisfactoria fiant à ſpiritu Dei hominem inhabente; ſiue ab ipſo homine, & membro Chriſti, ac filio Dei iam per gratiam, & caritatem effecto. Et ſi aliqua ſatisfactio pro culpa exhiberi poſſet ab homine; hæc re vera non eſt à contritione diſtincta, neque alias conditiones requirit præter eas, de quibus ſupra tractauimus, de contritione agentes. Vide *Suar. loco citato, & D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. art. 3.*

4 Quo verò ad debitum luendæ pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam, eſt adnot. quod cùm in peccato vt ſupra diximus, duo conſiderentur, culpa ſcilicèt, & pœna, hinc fit, duplicem ſatisfactionem fieri oportere apud Deum, alteram pro culpa, & alteram pro pœna temporali; qualiter autem ſatisfactio fiat pro culpa, paulo ſupra explicauimus. Nunc autem videndum eſt qualiter ſatisfactio fiat pro pœna temporali poſt remiſſam culpam. Quòd autem, remiſſa culpa remaneat debitum luendæ pœnæ temporalis in hac vita, vel in Purgatorio licèt *Martin. Luther. in concione*

by Google

tione de Indulgentijs, quam habuit anno 1518. *& Caluin.lib.3. Inſt.c.4. §.31. & 32.* Impiè doceant, Deum à Iuſtis nullas expetere pœnas in vindictam peccati præteriti, ſed eos tantùm paternè caſtigare ad profectum, & emendationem in poſterum, atque ideò videantur concludere, quòd remiſſa culpa, non maneat debitum luendæ pœnæ; nihilominus in contrarium eſt communis & vera ſententia omnium Catholicorum, dicentium, poſt remiſſam culpam, ſæpè remanere reatum pœnæ temporalis, quod quidem de fide fuit definitum per *Conc. Trid. ſeſſ.6. c.14. & ſeſſ.14. can.12.* Et patet etiam ex 2. *Reg.c.12.* vbi Dauid poſt impetratam veniam adulterij in perſonam Berſabeæ, & homicidij in perſonam vriæ, punitus fuit morte proprij filij: *& cap. 24. eod. lib.* vbi eidem Dauidi ob peccatum numerati Populi pœnitentiam agenti, & à Deo in gratiam accepto, datur optio poſt remiſſam culpam, vt eligat in pœnam peccati bellum, famem, aut peſtem. Nec ſubſiſtens eſt Caluini reſponſio ad prędicta ſcripturæ loca, ſe habens, non fuiſſe à Deo Dauidi pœnas eiuſmodi inflictas in vindictam peccatorum præteritorum; ſed in admonitionem cauendi de cætero; atque ideo eſſe correptiones paternas, non autem Iudicis vltiones. Pro qua re allegat *Ioan. Chriſoſt. in homil. de pœnit. & confeſ.* ſic dicentem, *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens.* Etenim verè fallitur *Caluinus*: nam Sacra ſcriptura in *d.c.12.* cauſam referens mortis filij Dauid, non ait, vt caueas in futurum; ſed quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. Et ſic pro peccato præterito fuit punitus Dauid in filio, vt latè habetur ex *Card. Belarm. in ſuis controu. lib.4. de pœnit. c. 2.* vbi pro noſtra affert authoritates nonnullorum Patrum, & ad auctoritatem Ioan. Chriſoſt. reſpondetur, quòd Chriſoſt. ibi vtrumque ſcribit, nempè ſupplicium, quod Deus de nobis poſt culpam remiſſam interdum ſumit, vltionem eſſe peccatorum: & ſimul remedium contra futura, vt legenti patet, & nos non negamus. His adde, quæ habentur ex *Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 2. lib.9.c.1.nu.3. & 4.*

5 Hoc autem debitum luendæ pęnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam aliquando exoluitur in hac vita: & aliquando in alia, nempè in Purhatorio. In hac vita exoluitur, vel ex opere operantis, vel ex opere operato, vt aliàs diximus. Ex opere operantis per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: item per mortem temporalem, infirmitates, perſecutiones, amiſſionem bonorum, honoris, & per alia flagella à Deo inflicta, ac patienter tolerata, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 6. c.14. & ſeſſ.14.can.11.* Ex opere autem operato debitum exoluendæ pœnæ temporalis exoluitur dupliciter, nempè in foro externo per indulgentias, vt latè infra, Deo duce, dicemus: vel per iniunctam à Confeſſario pœnitentiam in foro pœnitentiæ: & ſic in foro interno. In alia vita debitum luendæ pœnæ temporalis exoluitur in Purgatorio per pœnam gehennæ, & eſt illa pœna ſenſus, quam patitur pœnitens in Purgatorio ſimilis pœnæ gehennæ, quam patiuntur damnati in Inferno, nec in alio differunt inter ſe, niſi quia pęnæ Purgatorij ſunt temporales Inferni verò eternæ. Tria

6 enim complectitur pęna Infernalis gehennæ, pęnam ſcilicèt damni: pęnam ſenſus: & vtriuſque pęnæ eternitatem: harum prima reſpondet auerſioni à Deo: ſecunda conuerſioni inordinatæ ad creaturas: & tertia cum ſempiterno, & infinito Deo. Ex his autem tribus modis, quæ ſunt in Infernali gehenna à primo, & tertio liberatur peccator ſtatim cum ad Dei amicitiam redit: ſolum remanet malum illud ſecundum debitum, ſcilicèt pęnæ ſenſus ad tempus luendæ in Purgatorio, vt rectè explicat *Caiet. de contr. q. 4.* Dixi ad tempus luendæ; quoniam pęna ſenſus æterna, & pęna damni æterna remittuntur ſimul cum culpa: ſiquidem cùm remiſſa culpa homo ex inimico efficitur Dei amicus, non eſt veriſimile, attenta Dei bonitate, vt velit amicum perpetuò cruciari: quo circà, remiſſa culpa, pęna eterna, quam meretur peccator propter lethalem culpã, eo quòd quoad in ſe eſt, læſit Deum infinitum bonum, ſtatim commutatur in temporalem. Pęna demum temporalis in altera vita exoluitur de condigno; in hac vero vita exoluitur de congruo.

7 Eſt tamen verum, quòd licèt Deus poſt remiſſam culpan, quam gratis remittit per pęnitentiam, poſſit etiam condonare gratis debitum luendæ pęnæ temporalis, vt re vera gratis remittit, cùm primum per Baptiſmum nos in filios recipit, vel cùm martirium pro nomine eius ſubimus; poteſt tamen, & id quoque velle, vt cùm peccamus poſt Baptiſmum, amicitia quidem gratis pęnitentibus & confitentibus peccata ſua reſtituatur, ſed maneat debitum luendæ pęnæ, quo iuſtitiæ ſatisfaciat, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ 6.c.14. & ſeſſ.14.*
8 *can. 12.* Etenim quemadmodum qui alterum lædit amicitiam ſimul, & iuſtitiam violat; ita etiam qui ſatisfacit, & iuſtitiam, ac amicitiam reſtaurare, & reintegrare debet: & quamuis vna, ac eadem actione aliquando poſſit iuſtitiæ ſimul, & amicitiæ pro peccato ſatisfieri, nempè per contrictionem magnam cum Sacramenti pęnitentiæ actuali ſuſceptione, aut Sacramenti voto; tamen ſæpè contingit amicitiæ tantùm ſatisfieri; non autem iuſtitiæ: nam qui ſola attritione Sacramentum pęnitentiæ ſuſcipit, ſatisfacere de congruo dicitur amicitię Dei; iuſtitię verò quoad debitum luendæ pęnæ temporalis poſt culpam remiſſam contingit non ſatisfacere ſaltè complete.

9 Dixi, *Per mulctam à Sacerdote, &c.* Ad differentiam ſatisfactionis, quæ fit extra Sacramentum pęnitentiæ, nempè per Indulgentias, ieiunia, orationes, eleemoſynas, & per flagella à Deo inflicta, ac etiam ab hominibus patienter tolerata, vt ſupra diximus. Per eiuſmodi enim opera extra Sacramentum pęnitentiæ poſſumus ſatisfacere pro debito luendæ pęnæ temporalis, tùm in hac, tùm etiam in alia vita; ſicut per impletionem mulctæ in Sacramento pęnitentiæ à Sacerdote iniunctæ, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap.9.* Ita ſe habente, *Docet praterea, tantam eſſe Diuinæ magnificentia largitatem, vt non ſolùm pœnis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.*

10 Ex hoc infertur, cauendum eſſe ab opinione *Adria-*

Digitized by Google

Adriani, q. de clauib. dub. 2. circa fin. dicentis, ita eſſe neceſſariam sacramentalem ſatisfactionem ſemel impoſitam ad tollendum reatum pęnę in Sacramento relictum, vt in hac vita per alia opera ſatisfactoria tolli non poſſit. Etenim exolui poſſe pęnas temporales poſt remiſſam culpam non tantùm per mulctam à Sacerdote iniunctam ſed per alia opera ſatisfactoria voluntariè exhibita, per pęnas ſpontè aſſumptas, per mortem, & calamitates à Deo inflictas, ac patienter toleratas, apertè probatur ex *Conc. Trid. d. ſeſſ. 14. c. 9.* latè *Belarm. de pœnit. c. 3. 4. & 6.* Per quamplurima ſcripturæ loca contra hæreticos contrarium ſentientes, præſertim ex illo *Iob. c. vlt.* vbi pro delicto verbo per ipſum commiſſo: ſpontè pęnitentiam egit in fauilla, & cinere, dum ait, *Inſipienter locutus ſum, idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Eiuſmodi quoque operibus ſatisfactorijs pęnas temporales huius vitæ, quas Deus ſtatuit infligendas, poſſe tolli probatur ex illo *Iona, c. vlt.* vbi Niniuitæ, quibus Deus propter grauiſſima eorum ſcelera comminatus fuerat, vt poſt quadraginta dies Niniuæ ſubuerteretur; propter eorundem tamen præces, ieiunia, ſaccos, & cineres placatus ipſe Dominus, comminatam pęnam condonauit. Idē patet ex *c. 7. Paralip.* vbi Dominus inquit, *Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, ac percepero locuſta, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatuſque me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis, & ego exaudiam de Cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.*

11 Denique pro debito luendæ pęnæ temporalis huius vitæ poſt remiſſam culpam non ſolum poteſt ſatisfieri per ſacramentalem mulctam à Sacerdote iniunctam; ſed etiam per Indulgentias à Rom. Pontifice conceſſas, vt infra, Deo duce, ſuo loco dicemus de indulgentijs agentes. Eſt tamen verum, quòd pęnæ temporales huius vitæ, quæ remanent poſt remiſſam culpam, interdum prædictis operibus ſatisfactorijs redimi non poſſunt; ſed neceſſariò ſunt luendæ. Deus enim aliquando ita pęnam aliquam conſtituit, vt nullam pro ea redemptionem recipere velit. Eiuſmodi enim pęna eſt mors; quæ per peccatum intrauit in mundum: & nullus quantumuis iuſtus quocunque opere poteſt eam effugere. Talis etiam fuit pęna illa *Dauidis 2. Reg. c. 12.* quam Deus illi poſt remiſſam culpam conſtituit his verbis, *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi morietur,* Quamuis enim Dauid ieiunauerit, cilicio, & ſacco indutus, humi cubuerit, &c. nihilominus mortem filij ſui redimere non valuit.

12 Adde, quòd ſupradictis operibus ſatisfactorijs non ſolùm exoluitur debitum luendæ pęnæ in hac vita, ſed etiam debitum luendæ pęnæ temporalis alterius vitæ, quæ in Purgatorio poſt remiſſam culpam luenda eſſet, vt contra *Luth. Caluin.* & alios hæreticos, patet ex quampluribus ſcripturæ locis, Patrum teſtimonijs, ac etiam ratione. Scriptura Sacta probatur *Tob. c. 4.* dicentis, quòd eleemoſyna à peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras: omnes enim volunt, *Tobiam* ibi, locutum fuiſſe de pęnis vitæ futuræ, quæ per eleemoſynam compenſantur. Confirmatur ex illo *Eccl. c. 3.* vbi ait, quòd ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Hoc idem patet ex *c. 11. Luca*, in quo habetur, Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis: quod Doctores intelligunt de munditia à reatu pęnæ. Et *Ioan. c. 14.* ait Dominus, ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, remittet vobis Pater cæleſtis: remiſſio enim iniuriarum, quædam eleemoſyna eſt, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 1.* vbi etiam *ſec. 10.* plura alia cumulat ad rem hanc pertinentia. Præterea ex Patrum teſtimonijs hoc ipſum probatur ex illo *Ioan. Chriſoſt. homil 4. de pœnit.* id colligentis ex *pſal. 6.* ibi, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, &c. Vndè inquit, quòd ſi nos peccati meminerimus, Deus obliuiſcetur: à nobis vltionem ſumamus, nos ipſos accuſemus, & ita placabimus Iudicem. Et in *homil. de Lazaro 4. in fine*, ait quoque, ne pęnas demus, vnuſquiſq; ſe ipſum affligat, lacrimis, ieiunijs, &c. Denique hæc ipſa catholica veritas probatur ratione: ſiquidem homo in hac vita cùm ſit in ſtatu viæ, oportuit, locum, tempus, & modum illi concedi, quibus poſſit anima perfectè purgari ab omni culpa, & reatu pęnæ. Eò magis, quia plus eſt mereri vitam æternam, quàm remiſſionem pęnæ temporalis aſſequi. Imò hoc modo homines ad virtutem, & ad creſcēdum in meritis magis excitantur: & hæc eſt optima via ad reſecanda vitia, & radices peccatorum mortificandas. Nec pro
13 peccato ſequitur duplicem dari ſatisfactionem, noſtram ſcilicèt, & Chriſti ſatisfacientis: nam ſatisfactio noſtra Chriſti ſatisfactioni innitur, nō ſolùm quia per illum habemus virtutem ſatisfaciendi; verum etiam quia noſtra ſatisfactio per ipſum acceptatur, & vt rationem iuſtitiæ participet, in eius ſatisfactione fundatur; atque ideò cùm ſatisfacimus per virtutem, & ſufficientiam à Chriſto ſuſceptam, ſatisfacimus, ſicut & meremus: id autem Chriſti dignitati non repugnat. Eſt tamen verum, quòd dum homo pęnas huius ſæculi, & futuri prædictis operibus ſatisfactorijs redimit, ſimpliciter dicitur pro ſuis peccatis ſatisfacere, vt contra Michelem Baium, & nonnullos alios hæreticos eſt communis omnium catholicorum ſententia. Etenim prædictis operibus verè coram Deo meremur; ergò eodem pacto per noſtra bona opera ſatisfacimus: nam non eſt maius ſatisfacere, quàm mereri, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ 6. c. 14.* vbi eodem modo de merito, ac ſatisfactione loquitur, latè *Suar. de pœnit. ſec. 6. nu. 8.*

An mulcta à Sacerdote iniuncta, & opera, quibus redimitur debitum pęnæ poſt remiſſam culpam, adhoc vt ſint ſatisfactoria debeant fieri ab homine exiſtente in gratia.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Satisfactio per mulctam à Sacerdote iniunctam dicitur ſimpliciter ex opere operato. Et ſecundum quid dici quoque poteſt ex opere operantis.*

2 *Homo Dei gratia carens, an poſſit ſatisfacere Deo pro pœna temporali, remanente poſt remiſſam culpam.*

3 *Nullus in mortali peccato exiſtens ſatisfacere poteſt*

poteſt pro pœna temporali, ſibi debitam poſt culpam remiſſam.

4 *Satisfactio pœnæ per mulctam, à Sacerdote iniunctam, exhibita in ſtatu peccati mortalis ſatis eſt ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem impoſitam à Sacerdote.*

5 *Satisfactio pœnæ vt ſupra poſt culpam remiſſam, in peccato mortali impleta, effectum non confert operanti, & per conſequens pœnam temporalem non remittit.*

6 *Homo citra gratiam iuſtificantem non poteſt in hac vita ſatisfacere pro pœnis temporalibus alterius vitæ.*

7 *Conſtitutus in peccato mortali, nec de condigno, nec de congruo pro pœna temporali, poſt culpam remanente ſatisfacere dicitur.*

8 *Exiſtens in peccato mortali adimplendo mulctam à Confeſſario iniunctam, vel alia bona opera faciens pro pœna temporali poſt culpam remiſſam, obicem ponit, huic remiſſioni contrarium.*

9 *Satisfactio pœnæ temporalis per pænitentiam, à Sacerdote iniunctam, facta in peccato mortali, licet effectum non habeat ex opere operato recedente tamen fictione, habebit ſuum effectum, & pœna remittetur.*

10 *Datur Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, & ſatisfactio valida, & informis: Et ſicut quis reiterare non tenetur confeſſionem validam, ſed informem, ita neque huiuſmodi ſatisfactionem.*

11 *Non eſt improbabilis Soti opinio, & aliorum abſolutè negantium eiuſmodi ſatisfactionem habere effectum recedente fictione.*

12 *Baptiſmus quamuis cum peccato mortali ſuſcipiatur, recedente tamen fictione remittit totam pœnam ſimul cum culpa propter Characterem.*

12 *Satisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſpontè ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali, non confert effectum operanti, nec opera prædicta, facta in peccato mortali, adueniente gratia reuiuiſcunt.*

14 *Pœna, debita poſt remiſſam culpam, licet temporalis ſit, & finita, exolui tamen non poteſt ab homine exiſtente in peccato mortali, etiam ſi voluntariè eam exoluat.*

14 *Apud Deum nulla pœna valet ad expiandum delictum, niſi ſit voluntariè acceptata.*

16 *Pœna æterna commutatur in temporalem, voluntariam tamen, & amicabilem, & quæ à damnatis exolui non poteſt in inferno.*

17 *Tam mulcta, à Sacerdote inflicta, quam opera, quibus remittitur reatus pœnæ poſt culpam remiſſam, vt ſint ſatisfactoria, fieri debent ab exiſtente in gratia.*

18 *Durante peccato etiam veniali, non poteſt quis pro pœna illi debita ſatisfacere in hac vita, ſed ipſam in Purgatorio exoluet.*

19 *Deus in primo inſtanti in quo immediatè ſequitur mors, ſeu in vltimo inſtanti ſeparationis animæ cauſat in anima hominis dolorem peccati venialis voluntariè relicti, vel obliti, per quem reatus culpæ venialis remittitur.*

1 AD tituli intelligentiam eſt adnot. quòd licèt hoc loco eſſet agendum de operibus dumtaxat, quæ in Sacramento pœnitentiæ per Sacerdotem imponuntur: etenim ſatisfactio per mulctam à Sacerdote iniunctam dicitur ſimpliciter ex opere operato, atque adeò habet effectum remittendi pœnam temporalem poſt culpam remiſſam ex opere operato: ſiquidem ſi nullum effectum haberet virtute clauium, non eſſet maioris virtutis, & efficaciæ ſatisfactio ſacramentalis, quàm non ſacramentalis: quod eſt abſurdum; quia non eſſet ratio, cur pars Sacramenti pęnitentiæ appellaretur; nihilominus quoniam ſatisfactio ſacramentalis ſecundũ quid dici quoq; poteſt ex opere operantis, pro ea parte, qua ipſe pęnitens concurrit ad ſatisfaciendum ſubeundo mulctã, & opera laborioſa à Sacerdote iniuncta, vt colligitur ex his, quæ dicit *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 2. nu. 2.* Idcircò vnica quæſtione de prædictis omnibus duximus diſcutiendum.

2 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Scoti in 4. d. 15. q. 1. art. 4. Maior q. 1. Gabr. d. 16. q. 2. art. 2. lib. 3. Nauar. c. 1. de pœnit. d. 6. nu. 47.* Et aliorum, dicentium poſſe hominem Dei gratia carentem ſatisfacere ipſi Deo pro pęna temporali, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Probant eorum ſententiam hoc argumento. Pęna temporalis debita poſt culpam remiſſam eſt finita; ergò compenſari poteſt per æqualem pęnam abſque gratia, ſeu dignitate perſonæ patientis: ergò, &c. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quoniam opera in gratia requiruntur ad ſatisfaciendum pro pęna infinita, adhoc, vt ſit proportio inter ſatisfactionem, & eum, qui ſatisfacit; nempè, vt is fiat ordinis quodammodo ſupernaturalis per inhabitantem in eo Spiritum Sanctum. Ex hoc inferunt præfati Doctores, quòd eiuſmodi pęna etiam in Inferno exoluitur ſatisfaciendo, cum ſit finita intenſione, & duratione; eo quòd temporalis eſt: ergò qui illam patitur, nihil amplius debebit in quocunq; ſtatu illam ſuſtineat. Confirmatur, quia aliàs pęna, quæ per pęnitentiam, ex æterna in temporalem commutata erat, per ſubſequens peccatum ex temporali fieret æterna: quod eſt inconueniens; cùm Dei dona ſint citra pęnitentiam.

3 Secunda ſententia, quæ nobis magis probatur, & hodie eſt *D. Thomæ in 4. d. 15. art. 3. q. 2. Soti d. 19. q. 1. art. 4. Petri Soti lect. vlt. de ſatisfact. Riccar. Duran. Palud. Alen. Bonau. Caiet.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 2. nu. 3. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 1. nu. 7.* Qui dicunt, nullum in peccato mortali exiſtentem poſſe ſatisfacere pro pęna temporali ſibi debita poſt culpã remiſſam. Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quòd hæc controuerſia de neceſſitate luendi pęnam temporalem poſt remiſſam culpam in ſtatu gratiæ, quoad ſacramentalem ſatisfactionem poteſt intelligi dupliciter; primò quoad integritatem Sacramenti pęnitentiæ, vt ſcilicet tunc Sacramentum pęnitentiæ dicatur integrum, cùm mulcta à Sacerdote iniuncta, fiat in gratia, aliàs non: ſecundò, quoad effectum Sacramẽti, nempè quoad remiſſionem pęnæ temporalis poſt remiſſam culpam: & id duobus quoque modis, altero videlicet, an mulcta impleta in peccato mortali, ſtatim habeat aliquem effectum ex opere operato: & altero, an ſaltem habeat illum, recedente fictione. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRI-

PRIMA CONCLVSIO.

4 SAtisfactio pęnæ per mulctam à Sacerdote iniunctam exhibita in ſtatu peccati mortalis ſatis eſt ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem à Sacerdote impoſitam. Probatur, quia Sacerdos opus tantùm præcipit, & non modum eius: præcipit .n. orare, ieiunare, eleemoſynam dare, &c. non tamen in gratia. Confirmatur, quia in alijs præceptis, vel Sacramentis ſatis eſt ſubſtantiam operis exhibere; etiam ſi extra charitatem fiant; ergò idem dicendum eſt in Sacramento pœnitentiæ ad id perficiendum. Hæc concluſio adeo vera eſt, vt ſi opus ipſum ſatisfactorium ex aliqua circumſtantia ſit peccatum ob eandē rationem ſatis erit: & exemplum ponunt Doctores in mulcta à Confeſſario iniuncta de ieiunando, & pœnitens, vel in quantitate excedat, vel in fine deficiat, ſi tamen formam ieiunij ſeruet, implebit onus ſibi impoſitū.

SECVNDA CONCLVSIO.

5 SAtisfactio pœnæ vt ſupra poſt culpā remiſſam impleta in peccato mortali non confert effectum operanti, & conſequenter pœna temporalis per talem ſatisfactionem non remittitur. Hæc concluſio non ſolùm eſt *D. Thomæ*, & aliorum, quos retulimus pro ſecunda ſententia, atque ideò magis communis; ſed etiam hodie clara, ita vt hodie contrarium defendi probabiliter, inquit *Fagund. loco ſupra citato, ſub num.* 7. Etenim *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 8. *& can.* 13. apertè definiuit, ſatisfactionem eiuſmodi non eſſe opus noſtrarum virium, ſed eſſe opus gratiæ datæ per Chriſtum IESVM, à quo omnis noſtra ſufficientia eſt, vt patet ex illis Conc. verbis, *d. c.* 8. *Nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil poſſumus, cooperante, qui nos confortat, omnia poſſumus, in quo ſumus, viuimus, & ſatisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, & per illum offeruntur, & acceptantur à Patre.* Et quamuis Concilium clauſerit os de hac re litigantium; nihilominus hæc ipſa concluſio probatur quoque fortiſſimis rationibus; Primò,
6 quia homo citra gratiam iuſtificantem nō poteſt in hac vita ſatisfacere pro pœnis temporalibus alterius vitæ: ergò ſatisfactio pœnæ temporalis poſt culpam remiſſam impleta in peccato mortali non confert effectum operanti, atque adeò per eam non remittitur dicta pœna temporalis. Conſequentia patet. Probatur antecedens, quia pęnæ huius vitæ, per quas pro pœnis alterius vitæ ſatiſfacere poſſumus, proportionem non habent, nec comparabiles ſunt cum dictis pęnis alterius vitæ; ergò ex ſe valorem non habent ſine Chriſti meritis ad remittendam pœnam alterius vitæ; atque ideò neceſſaria eſt gratia, à qua valorem accipiant: eiuſmodi autem gratia non poteſt eſſe ſolum auxilians, quoniam auxilians poteſt eſſe cum exiſtente in lethali culpa; ergò neceſſario debet eſſe iuſtificans, vt conferat dignitatem perſonæ, à qua ſatisfactio ipſa habeat valorem, & moralem proportionem ad debitum perſoluendum. Secundò remiſſio pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam eſt effectus ſupernaturalis aliquo modo, præparans hominem, ac remouens impedimentum gloriæ: ergò ei tantum confertur, qui eſt proportionatus ad gloriam, & in gratia Dei: non ergò ſatisfactio dictæ pœnæ temporalis poteſt fieri ab exiſtente in peccato
7 mortali. Tertiò conſtitutus in peccato mortali ſi poſſet ſatisfacere pro pœna temporali, quæ remanet poſt culpam, id profectò fieret de condigno, vel de congruo: neutro modo, ergò, &c. Non poteſt dici primum, quia peccator quandiù in lethali culpa perſeuerat, dignus eſt, vt omni bono priuetur, atque adeò indignus multo magis efficitur, vt pęnæ veniā mereatur. Nec etiam ſecundum, quia nec reuelatione, nec aliquo ſcripturæ loco conſtat, quòd Deus velit hac liberalitate cum ſuis inimicis vti, vt eis remittat pœnas, pro quibus non ſatisfaciunt, cum lex generalis exiſtat, vt quanto quis ſe glorificauit in delicijs; tantum detur ei tormentorum: & generalis quoque lex eſt, quod ſine charitate fit, nihil proſit, vt latè habetur ex *Suar. de pœnit. diſp.* 37. *ſec.* 2. *nu.* 5. *& diſp.* 38. *ſec.* 8. *num.* 3. 4. *&* 6. Vbi
8 plura ex dictis infert. Denique exiſtens in peccato mortali adimplendo mulctam à Confeſſario iniunctam, aut alia opera bona faciens pro pęna temporali, quæ remanet poſt remiſſam culpam, ponit obicem remiſſioni pœnæ contrarium: ergò per eiuſmodi mulctæ impletionem, & opera exhibita non conſequitur prædictæ pœnæ temporalis remiſſionem. Conſequentia patet, quia ſicut is, qui in peccato mortali ſuſcipit Baptiſmum, & Euchariſtiam, quia ponit obicem non ſuſcipit effectum eiuſmodi Sacramentorum; ita etiam exiſtens in peccato mortali, quia ponit obicem, vt ſupra non conſequitur remiſſionem pęnæ temporalis, quæ remanet poſt culpam.

TERTIA CONCLVSIO.

9 SAtisfactio pœnæ temporalis per mulctam à Sacerdote iniunctam, facta in peccato mortali, licèt non habeat ſuum effectum ex opere operato; tamen recedente fictione, atque ideò peccatore per pœnitentiam reconciliato, ſatiſfactio huiuſmodi habebit ſuum effectum ex opere operato, & pœna remittetur. Hæc concluſio habet duas partes. Prima pars eſt quod ſatisfactio pœnæ temporalis per mulctam à Sacerdote iniunctam facta in peccato mortali, nō habet ſuum effectum ex opere operato. Secunda pars eſt, quod recedente fictione, ſatisfactio huiuſmodi habebit ſuum effectum ex opere operato. Prima pars eſt communis, vt teſtatur *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep.* 2. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 7. vbi quamplurimos allegat: eſt tamen contra *Marſil. in* 4. *quæſt.* 11. *art.* 3. *Medina de confeſ. q. de pœnitentia extra gratiam impleta*, *Scot.* & alios: & patet ex dictis *in præced. concl.* Nec obſtat fundamentum contrariæ opinionis; nempè quòd Confeſſarius mutat pœnam Purgatorij in talem mulctam, & non præcipit, quòd fiat in gratia; quoniam reſpondetur, quòd Sacerdos imponendo mulctam pœnitenti, per quam ſatisfaciat pęnæ temporali, non ita commutat pęnam Purgatorij, vt ex vi operis impoſiti remittatur, ipſa pęna temporalis; ſed vt per illud opus mulctæ, ſeù pęnitentiæ iniunctæ applicetur virtus paſſionis Chriſti; quæ non applicatur, niſi
10 ſubiecto diſpoſito, & non ponenti obicem.

Probatur modo eadem concluſio quoad ſecundam partem, quia, vt ſupra oſtendimus *diſp.* 2. *ſec.* 3. datur Sacramentum pęnitentiæ validum, ſed informe, ſicut & confeſſio valida, & informis, quod Sacramentum habet ſuum effectum recedente fictione: ergò datur ſatisfactio valida, & in-

& informis, quæ recedente fictione ſuum habeat effectum: ſiquidem ſatisfactio eſt pars Sacramenti pęnitentiæ, ſicut & confeſſio, & pars debet neceſſariò naturam totius imitari. Confirmatur quoniam ſicut quis non tenetur iterare confeſſionem validam, & informem ita non tenetur, quis iterare ſatisfactionem exhibitam extra ſtatum gratiæ, quæ valida dici poteſt, & informis: ergò ſicut recedente fictione redit effectus Sacramenti confeſſionis ex opere operato debitus, ita etiam recedente fictione, redibit effectus ſatisfactionis ex opere operato: etenim licèt illa ſatisfactio à Confeſſario impoſita, vt eſt opus operantis, ſit opus mortuum, atque ideò nunquã habeat effectum; tamen vt eſt opus ſacramentale, & vt illi à Confeſſario virtute Sacramenti applicantur merita Chriſti, opus ex ſe, & ſui natura eſt viuum, mortificatum tamen ratione ſubiecti, ita vt in illo ratione ſtatus peccati ſuum effectum ex opere operato habere non poſſit, recedente autem obice, poſſit. Hac eadem ratione qui fictè accedit ad Sacramentum Baptiſmi, licèt Baptiſmus ex parte ſuſcipientis ſit peccaminoſus; tamen recedente fictione remittit totam pęnam ſimul cum culpa. Denique impletio mulctæ à Sacerdote impoſitæ, quoad ſui ſubſtantiam eſt actio bona, & punitio delicti, & vt ſic eſt inſtrumentum, quo applicatur Chriſti ſatisfactio: ergò recedente fictione habebit ſuum effectum ex opere operato.

11 Eſt tamen verum, quòd ſententia *Soti in 4. d. 19. q. 1. art. 5. Ledeſmæ*, & aliorum negantium abſolutè, eiuſmodi ſatisfactionem habere effectum, recedente fictione, non eſt improbabilis; ſiquidem reditio talis effectus maximum beneficium eſt, cuius indignus fuit ille, qui in peccato mortali pœnitentiam impleuit: & nullibi reperitur in ſcriptura Sacra promiſſio talis reditionis; eò maximè, quia cum ſatisfactio pro pœna temporali iterari poſſit per aliam confeſſionem peccatorum, & multis modis dicta pœna temporalis remitti, ac tolli, nulla videtur ratio ſufficiens, ob quam dicamus redire præfatum effectum remiſſionis penæ temporalis ex opere operato, recedente fictione, ſeù obice. Et multo magis hæc ſententia eſt probabilis, ſi ſatisfactio, ac mulcta à Confeſſario impoſita impleatur non ſolum in ſtatu peccati mortalis; ſed etiam per opus peccaminoſum: vt ſi Confeſſarius iniungat vt bis, ter, aut quater in anno pęnitens confiteatur, & ille confeſſiones ſacrilegas efficiat: nam vt opus illud ſit ſatisfactorium de ſe, & vt habeat ſuum effectum ex opere operato, neceſsè eſt, vt non ſit malum; quoniam non poteſt eſſe quatenus tale in-
12 ſtrumentum ad hunc effectum. Nec obſtat, quòd Baptiſmus etiam ſi cum fictione, & peccato mortali ſuſcipiatur, poſtea recedẽte fictione, remittit totam pœnam ſimul cum culpa, & ſuum effectũ habet ex opere operato: quoniam reſpondetur quòd in Baptiſmo eſt diuerſa ratio propter characterem: & quia actio illa ſatisfactoria quoad ſubſtantiam fuit mala, & non fuit punitio delicti: & quatenus mala non poteſt eſſe inſtrumentum, per quod applicentur Chriſti merita. Ita *Fagund. d. c. 4. nu. 10.* vbi etiam addit *nu. 11.* probabiliter dici poſſe, implentem ſatisfactionem iniunctam à Confeſſario in peccato mortali, peccare mortaliter; quoniam ponit obicem parti Sacramenti pęnitentiæ; ſicut mortaliter peccat qui ponit obicem toti Sacramẽto: eſt enim eadem ratio totius, & partis, *arg. tex. in l. quæ de tot. ff. de rei vend.* quamuis deindè concludat cùm *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 8. nu. 7.* Implentem ſatiſfactionem eiuſmodi in peccato mortali, non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter.

QVARTA CONCLVSIO.

13 SAtisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſpontè ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali, ſicut non confert effectum operanti in peccato exiſtenti; ita nec ceſſante fictione, & conſequenter bona opera prædicta facta in peccato mortali, aduemente gratia, non reuiuiſcunt quoad effectum ſatisfaciendi ex opere operantis. Hæc concluſio habet duas partes. Prior eſt, quòd ſatisfactio pęnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſpontè ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali non confert effectum operanti. Poſterior autem pars eſt, quòd eiuſmodi ſatisfactio nec quidẽ ceſſante fictione, effectum habet. Prima pars patet ex ijs, quæ ſupra diximus, *concl. 2.* Probatur modo concluſio quoad ſecundam partem, primò ex communi ſententia omnium Theologorum relata à *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 2. nu. 7.* Secundò probatur ratione, quoniam opera illa facta in peccato mortali nõ fuerunt mortificata, ſed omninò mortua: ergò non poſſunt reuiuiſcere, ceſſante fictione, ab obice, vt benè declarat *Suar. loco citato,* qui *nu. 9.* quoque addit, quòd cùm opera prædicta facta in peccato mortali, ſint ex ſe bona, ſunt vtilia ad multa: primò quia cum dicta opera ſint bona, ſunt expetenda, & cõducunt ad ſimilia opera facilius exhibenda. Secundò valent ad impedienda peccata, & conſequenter ad mitigandam pœnam Inferni, non quidem minuendo eam, quæ peccatis alijs debetur, ſed impediendo maiorem reatum. Tertiò deſeruiunt ad pręmium aliquod temporale de congruo; non tamen de condigno, cùm peccator nullius meriti de condigno ſit capax. Quartò vtilia eſſe poſſunt ad impetrandum à Deo aliquod auxilium, præſertim ſi in gratia fiant, iuxta illud *Prouer. c. 15. Per miſericordiam, & fidẽ purgantur peccata.* Et *Daniel. c. 4. Peccata tua eleemoſynis redime.* Vide *Suar. ibidem, nu. 9.*

Reſtat modo, vt contraria ſoluamus.

14 AD fundamentum igitur contrariæ ſententię reſpondetur negando cõſequentiam: nam licèt pęna relicta poſt remiſſam culpam ſit temporalis, & finita; non tamen poteſt exolui ab homine exiſtente in peccato mortali, etiam ſi voluntariè eam exoluat: ſiquidem pœna æterna, quæ per pęnitentiam condonata fuit, & remiſſa homini peccatori, cùm illi fuit indultum peccatum, non ſimpliciter, & abſolutè fuit remiſſa; ſed fuit commutata in pęnam temporalem, & non in quamcunque pęnam temporalem; ſed in pęnam temporalem voluntariam, & amicabilem, quæ ab homine tantùm Dei amico, & in gratia exiſtente in hac vita, vel in Purgatorio exolui poteſt vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.*

15 Ad illationem eodem modo reſpondemus: & eo magis quoniam apud Deum nulla pęna valet ad expiandum delictum, ſeu reatum eius, niſi ſit voluntariè acceptata; at in Inferno nulla pœna voluntariè acceptatur, neque vllo modo

Digitized by Google

teatur; tamen ex parte Superioris deeſt legitima cauſa, vt Sacramentum ſit validum: ſiquidem licèt iuriſdictionem habeat ad abſoluendum à reſeruatis; attamen iuriſdictionem quoque habet ad abſoluendum à non reſeruatis: & de iure Diuino non minus eſt integritas confeſſionis, quàm integritas abſolutionis: quapropter quemadmodum pœnitens, qui citra iuſtam cauſam dimidiat confeſſionem illam non facit validam; ita etiam Superior ſi ſine cauſa dimidiat abſolutionem, nõ valebit talis abſolutio: quia dimidiatio eiuſmodi non erit materialis, ſed formalis. Præterea inquit, ſi non præceſſiſſet reſeruatio non poſſet Superior validè abſque vlla cauſa quædam peccata grauiora audire, & abſoluere ab illis, & alia omittere: ergò nec poſt talem reſeruationem. Antecedens patet, quoniam id eſſet deſtruere inſtitutionem Chriſti in hoc Sacramento, vt abſolutio detur de omnibus peccatis: conſequentia probatur, quia reſeruatio non confert Superiori aliquod ius nouum; ergò nec modo poſt talem reſeruationem poterit licitè, ac validè citra legitimam cauſam audire tantùm reſeruata, & alia omittere. Denique ſicut ex Chriſti inſtitutione integra debet eſſe cõfeſſio omnium peccatorum; ita etiam abſolutio, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* ergò citra legitimam cauſam nõ poteſt Superior reſeruata tantùm audire, & ab illis abſoluere pœnitentem, & alia remittere inferiori Confeſſario, aliàs ipſe pœnitens nulliter, ac inualidè recipiet abſolutionem, etiam ſi bona fide eam ſuſcipiat.

15 His tamen non obſtantibus oppoſitam ſententiam puto veriorem, quam tenet *Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 31. ſec. 2. nu. 6. & ſec. 2. nu. 6.* Dicens, quod licet Superior citra iuſtã cauſam pro mera ſua voluntate audiens peccata tantùm reſeruata, & ab illis abſoluens, peccet, ac ſacrilegium committat; nihilominus ſi pœnitens bona fide abſolutionem accipiat credens inculpabiliter id fieri legitimè potuiſſe ab ipſo Superiore, validè Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipit, & verè abſoluitur ab omnibus peccatis, directè ſcilicèt à reſeruatis, & indirectè à non reſeruatis, cum onere tamen ea confitendi inferiori Confeſſario. Probatur, quoniam hoc caſu ſupponimus pœnitentem eſſe diſpoſitum, & paratum confiteri omnia peccata tàm reſeruata, quàm non reſeruata: vndè ex parte pœnitentis datur confeſſio formaliter integra, ſtante eius bona fide, & cum Superior habeat iuriſdictionem ſuper peccata reſeruata, & non reſeruata, eo caſu omnia ſubſtantialia concurrunt ad valorem Sacramenti; ſiquidem confeſſio iam eſt integra formaliter ex parte pœnitentis, & ex parte abſoluentis datur poteſtas abſoluendi ab ipſis reſeruatis: quod autem citra legitimam cauſam nolit audire Superior alia non reſeruata, id illicitè agit, & ſacrilegium committit contra reuerentiam Sacramenti; non autem inualidè. Hæc ſententia videtur etiam *Nauar. in Man. cap. 9. nu. 7. & Caiet. ver. Confeſſio cap. vlt.* Et & probabilem exiſtimat idem *Fagund. d. c. 3. ſub nu. 15. in fine.* Confirmatur eadem ſententia ex

16 eo, quòd excommunicatus maiori excommunicatione, eius tamen inculpabiliter ignarus, aut oblitus, ſi Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiat, validè ſuſcipit, & confeſſionem non tenetur iterare; dummodò alia requiſita ad confeſſionem concurrant; & id non alia ratione, niſi quia per excommunicationem nihil tollitur, quod ſit de ſubſtantia Sacramenti: & ex parte ſuſcipientis non interuenit aliud impedimentum, vt habetur ex *Nauar. in c. 1 §. cautus, nu. 25. & c. vlt. n. 38. & 45. de pœnit. d. 5. Couar. in c. Alma mater, p. 1 §. 6. nu. 7.* & aliorum, & facit *tex. in c. Apoſtolicæ, de cler. excom. miniſtr.* Ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, cùm ſupponatur pœnitens bona fide, & benè diſpoſitus ad confeſſionem, & omnia concurrant ex parte pœnitentis ad valorem Sacramenti, ac iuriſdictio requiſita ex parte Superioris abſoluentis. Denique probatur ex congruitate; quia res, quæ culpa caret, non debet in damnum reuocari, *c. 2. de conſtit.* ſed in caſu de quo agitur pœnitens culpa caret, cùm bona fide, & rectè diſpoſitus accedat ad confeſſionem, ac bona fide abſolutionem ſuſcipiat; ergò talis ſuſceptio non debet illi in damnum verti; atque ideò non erit nulla, ſed omninò valida.

17 Ad contraria facilè reſpondetur, & ad primum reſpondetur, quod cùm cætera concurrant ex parte pœnitentis, & iuriſdictio ex parte Superioris, argumentum nihil aliud probat, niſi quòd Superior eo caſu peccat, & ſacrilegium cõmittit; non tamen Sacramenti ſuſceptio erit inualida; ſicut diximus de excommunicato inculpabiliter ignorante excommunicationem, & ſuſcipiente pœnitentiæ Sacramentum. Dices ignorantia non excuſat excommunicatum denunciatum à collatione Sacramenti pœnitentiæ quoad ipſius validitatem: ergò idem dicendum eſt de excommunicato ſuſcipiente dictum Sacramentum. Sed contra, quia longè diuerſa ratio eſt de miniſtro, ac ſuſcipiente: quia quando Miniſter eſt excommunicatus eſt directè priuatus iuriſdictione, & ideò abſolutio ab ipſo lata nulla dicitur ex defectu iuriſdictionis: per excommunicationem autem pœnitentis miniſter non priuatur iuriſdictione: & propterea ſi ſine peccato accedat ad Sacramentum; cæteris concurrentibus validè illud ſuſcipit. Et quamuis pœnitens in caſu, de quo agitur dimidiet confeſſionem materialiter, id tamen facit ex probabili ignorantia, & bona fide, & propterea non ſine iuſta, & rationabili cauſa, ſtante iuſſu Superioris nolentis audire, niſi reſeruata, & bona fide pœnitentis inculpabiliter exiſtimantis, id fieri potuiſſe ab ipſo Superiore.

18 Ad ſecundum argumentum eodem modo reſpondetur, nam eo caſu probat, Superiorem ſacrilegium tantùm committere, atque adeò illicitè, non autem nulliter agere, ſuppoſita bona fide pœnitentis diſpoſiti ad confitendum illi omnia peccata.

19 Ad vltimum negatur conſequentia, quia in caſu, de quo agitur adeſt ex parte pœnitentis iuxta, ac legitima cauſa dimidiandi confeſſionem, ſtante ipſius bona fide, ac probabili ignorantia: qua propter confeſſio licèt non ſit materialiter integra; poteſt tamen dici integra formaliter.

20 Circa tertium dubium *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6 cap. 12. ſub nu. 11. verſ. Dico tertiò,* inquit quod ſi pœnitens bona fide ad confeſſionem venerit, & inter peccata non reſeruata fuerit confeſſus inferiori Sacerdoti aliquod peccatum reſeruatum, à quo Sacerdos ipſe nõ habeat facul-

Digitized by Google

facultatem abſoluendi: & id vel quia pœnitens neſciuit, tale peccatum Superiori reſeruatum eſſe: aut licèt ſciuerit, inculpabiliter tamen exiſtimauit, legitimè ſe ab inferiore Sacerdote abſolui poſſe, cùm obligatione poſtea tempore opportuniore ſe præſentandi Prælato: tunc ipſe *Laym.* arbitratur, plerumq; abſolutionem dari poſſe, dummodò pœnitens præter reſeruatum, aliud peccatū abſolutioni ſubijciat, & ideò putat, inferiorem Confeſſarium non modo validè; ſed etiam licitè, & citra culpam poſſe conferre Sacramentū pœnitentiæ. Mouetur tùm ex eo, quod aliqualis neceſſitas vrget; nam pœnitens ægro animo diſcedet citra abſolutionem, cùm ex ſua parte rectè ſit diſpoſitus: tùm etiam; quia graues ſunt Doctores, qui abſolutè docent, quòd Sacerdos pœnitentem, qui peccata reſeruata habet, abſoluere poſſit cum onere, vt ea ſola Superiori poſtea confiteatur, & ab alijs directè abſoluatur, vt habetur ex *Syl. ver. Confeſſio 1. num. 20. Tol. lib. 3. ſum. cap. 8. nu. 3.* & alij apud *Fagund. de præcept. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 3. nu. 13.*

21 Ego autem in hac re conſequenter loquens ad ea, quæ ſupra adnotauimus, puto dicendum, quòd licèt pœnitens validè ſuſcipiat Sacramentum pœnitentiæ; Confeſſarius tamen inferior lethaliter peccat, atque ideò illicitè Sacramentum confert. Patet concluſio quoad primam partem; quoniam ſtante bona fide pœnitentis, & iuriſdictione Confeſſarij quoad peccata non reſeruata, quæ ſupponimus pœnitentem confeſſum fuiſſe, concurrunt omnia requiſita ad validitatem Sacramenti: Siquidem hoc caſu ſupponimus confeſſionem eſſe non modo integram formaliter, ſed etiam materialiter, & pœnitentem ipſum eſſe rectè diſpoſitum: at ex parte Cōfeſſarij adeſt iuriſdictio ſuper non reſeruata: qua propter directè cadit abſolutio ſuper non reſeruata, & indirectè ſuper reſeruata; cum onere adeundi Superiorem, à quo directè iterum abſoluitur à reſeruatis, iuxta ea, quæ habentur ex *Laym. d. c. 12. nu. 10.* Confirmatur ex his, quæ ſupra adnotauimus in reſolutione præcedentis dubij. Probatur modo concluſio quoad ſecundam partem, quoniam inferior Confeſſarius, niſi expreſsè fiat reſeruatio iuxta formam contentam ſupra in tertio dicto, nullam auctoritatem habet ſuper non reſeruatis, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 5.* à nobis ſuperiùs relato: ergò non poteſt abſoluere pœnitentem à non reſeruatis, & remittere eum ad Superiorem, cùm tempore opportuno ſe præſentet. Nec ſufficiens cauſa abſoluendi in caſu, de quo agitur, eſt, ne pœnitens ægro animo non abſolutus diſcedat, quia cauſa debet eſſe vrgens, & quæuis cauſa non eſt ſatis iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in quarto dicto, & *diſp. 5. ſec. 1. concl. 5. ampl. 3. verſ. Secundus caſus.* Eſt tamen Sacramentum validum; quia cum ſupponamus pœnitentem cum reſeruatis fuiſſe cōfeſſum etiam non reſeruata ſuper quibus non reſeruatis ipſe Confeſſarius iuriſdictionem habebat, remanet ipſe pœnitens abſolutus, ſtante eiuſdem bona fide non ſolùm directè à nō reſeruatis, ſed etiam indirectè à reſeruatis, cum onere adeundi Superiorem habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis.

22 Circa denique quartum dubium pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Henr. lib. 2. de pœnit. c. 12. nu. 4. in fine, Tolet. lib. 3. ſuæ ſum. cap. 8. nu. 3. Caiet. ver. Abſolutio. Roſel. ver. Confeſſor 9. d. 5. §. 19. Med. 2 p. 4. q. 8. art. 2. dub. 2.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. cap. 3. nu. 6. & 8.* Docentium partem affirmatiuam, atque adeò dicentium, quòd quando Superior ratione iuſti impedimenti, & ex cauſa neceſſaria, & vrgenti abſoluit pœnitentem habentem reſeruata, & non reſeruata, auditis tantùm reſeruatis, pœnitens ipſe tenetur inferiori Confeſſario confiteri non modo peccata non reſeruata, verum etiam reſeruata. Rationem autem hanc eſſe volunt, quia præceptum Diuinum obligat, vt confeſſio integra omnium peccatorum fiat vni Confeſſario, & non pluribus: at pœnitens ſi reſeruata quoque non confiteretur inferiori Confeſſario, confeſſio dimidiaretur, & fieret pluribus. Confirmat *Fagund.* dictam ſententiam ex eo quòd valdè probabilis eſt ſententia eorum, qui volunt, abſolutionem Superioris in caſu, de quo agitur, eſſe tantùm ablationem reſeruationis, ac proinde non tollere ipſam culpam; ſed ſolum auferre reſeruationem, ſeù excommunicationem, ſi fortè caſui reſeruato fuerit annexa: atque ideò quando quis prius abſoluitur à Superiore, à reſeruatis, & deindè ab omnibus per inferiorem Confeſſarium ex vtraque abſolutione compleri vnicum tantum Sacramentum; ſicut ex vtraque confeſſione integratur vnica confeſſio, nec conferri gratiam, niſi in ſecunda abſolutione.

23 His tamen non obſtantibus oppoſitam ſententiam arbitror eſſe de iure veriorem, quam tenet *Suar. tom. 4. de pœnit. ſec. 1. nu. 10.* quem probabilem quoq; putat idem *Fagund. loco citato*; licèt oppoſitam putet probabiliorem. Inquit enim *Suar.* quòd in caſu noſtro ritè, ac rectè à ſolis reſeruatis fuit pœnitens abſolutus à Superiore, & propterea non tenetur illa amplius confiteri, ſed eum ſatisfacere integritati confeſſionis, ſi inferiori Confeſſario, illa tantùm peccata non reſeruata fateatur, quæ Superiori non fuit confeſſus. Mouetur ea potiſſimum ratione; quia in omnibus alijs caſibus, in quibus pœnitens, vel ex obliuione, vel ex cauſa vrgente dimidiat confeſſionem, pœnitens remanet abſolutus ſacramentaliter ab omnibus peccatis, etiam ab oblitis, & ex cauſa omiſſis: directè ſcilicet à confeſſis, ac indirectè ab omiſſis, ſeù oblitis: nec tenetur amplius confiteri omnia peccata; ſed illa tantùm, quorum oblitus fuit, aut quæ ex graui cauſa reliquit: ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, cùm militet eadem ratio in vtroque caſu, *arg. tex. in l. illud,*
24 *ff. ad leg. Aquil.* Nec obſtat ratio in contrarium adducta, quoniam ita demum materialis confeſſio integra eſſe debet, quando non adeſt iuſta cauſa dimidiandi cōfeſſionem, vt cauſam iuſtam, ac legitimam ſupponimus in caſu noſtro. Nec dum abſoluitur pœnitens à reſeruatis dumtaxat, tollitur reſeruatio, vt *Fagund.* ſupponit, ſed pœnitens ipſe verè ſacramentaliter abſoluitur, cùm à Superiore, vt ſupra impedito abſoluatur à reſeruatis.

Quiſnam per ſe, ac directè facultatem habeat abſoluendi à reſeruatis.

SEC. XVI.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Facultas, ſeu iuriſdictio directè abſoluendi à reſeruatis duplex eſt, Ordinaria ſcilicet, & delegata.*

2 *Qui peccata ſibi reſeruant, eorumq; Superiores in foro interno, ac conſcientia poſſunt ab eis per ſe, ac directè abſoluere.*

3 *Archiepiſcopi, & Patriarchæ quamuis Epiſcopis Superiores ſint in dignitate, & ordine hierarchico, nequeunt tamen abſoluere ſubditos Epiſcopi à reſeruatis ipſi Epiſcopo, niſi in cauſa appellationis.*

4 *Epiſcopus quamuis inferior ſit Rom. Pontifice poteſt tamen in foro conſcientiæ à quibuſdam caſibus, & cenſuris, ipſi Rom. Pontifici reſeruatis, aliquando abſoluere, ac diſpenſare in quibuſdam irregularitatibus: idq; iure ordinario.*

5 *Multis modis dicitur delictum occultum, quod poteſt ab Epiſcopo abſolui, licet reſeruatum ſit Papæ.*

6 *Romanus Pontifex ſi facultatem concedat abſoluendi à reſeruatis, cenſetur etiam facultatem conceſſiſſe abſoluendi à cenſuris.*

7 *Epiſcopus concedendo omnes caſus ſibi reſeruatos, non videtur concedere diſpenſationem votorum, & irregularitatum.*

8 *Quid ſi aliter conſtet de voluntate Epiſcopi.*

9 *Epiſcopus, vel Prælatus Religionis ſi alicui Sacerdoti concedat prius aliquem caſum ſibi reſeruatum: addat deindè, & omnem meam poteſtatem, ac authoritatem, omnia peccata reſeruata concedere videtur.*

10 *Epiſcopus ſi Parocho ſuæ Diœceſis facultatem concedat generalem ad omnes ſubditos ſuæ Diœceſis, confeſſiones audiendas, concedere an videatur facultatem quoque ſuper omnes caſus ſibi reſeruatos.*

11 *Epiſcopus, aliuſuè Prælatus ſi ſubdito concedat facultatem eligendi ſibi Confeſſarium ex approbatis, talis Confeſſarius electus poteſtatem non habet in caſibus reſeruatis.*

12 *Epiſcopus nominatim excommunicatus non toleratus, ſuſpenſus, irregularis, vel interdictus, an validè poſſit dare licentiam alteri Sacerdoti, aliquem abſoluendi ſibi à reſeruatis. Et num. ſeq.*

13 *Verior eſt ſententia negatiua, cum hæc delegatio ſit proprius actus Iuriſdictionis.*

14 *Epiſcopus, vel Parochus ſi in vno loco ſit excommunicatus vitandus puta in Gallia, deindè in Italiam ad ſuum Epiſcopatũ, vel Parochiam ſe conferat, ibiq; cõmuniter æſtimetur idoneus, ac Iuriſdictionẽ habens, an validè deleget alteri facultatem abſoluendi ſuum ſubditum.*

15 *Epiſcopus, vel Parochus ſi nominatim non ſit excõmunicatus, vel publicus Clerici percuſſor, Iuriſdictionem non amittit, ſed eam retinet.*

16 *Facultas conceſſa Epiſcopis, aliquem abſoluendi à caſibus, & cenſuris occultis etiam Romano Pontifici reſeruatis, reuocata non ſit per Bullam Cœnæ, etiam quoad caſum hæreſis. Et nu. ſeq.*

17 *Verior probatur ſententia affirmatiua.*

18 *Ad derogandum Concilio Tridentino ſatis eſt clauſula generalis (non obſtantibus, &c.)*

19 *Epiſcopus num valeat abſolutionem ab hæreſi occulta alteri delegare.*

20 *Parochus, & quilibet alius Confeſſarius facultatem habens abſoluendi à peccatis ſui Epiſcopi reſeruatis, pœnitentem alterius quoq; Diœceſis abſoluere poteſt, etiam à reſeruatis in illa Diœceſi.*

21 *Parochus, aut Confeſſarius vnius Diœceſis, non habens poteſtatem circa reſeruata, poteſt in ea abſoluere pœnitentes alterius Diœceſis à peccatis ibidem reſeruatis, dummodo reſeruata quoque non ſint in Diœceſi abſoluentis.*

22 *Religioſus, qui crimen commiſit reſeruatum in vno Monaſterio, quod in alio non eſt reſeruatum, conferatq; ſe ad illud Monaſterium ita, vt domicilium mutet, & nouum acquirat Superiorem, à quocunq; Confeſſario abſolui poteſt, quamuis Iuriſdictionem in caſus reſeruatos non habeat.*

23 *Parochianus vnius Diœceſis, ſi in aliena Diœceſi verſetur, ibique peccata reſeruata committat, à quocunq; Confeſſario approbato abſolui poteſt, etiam non habente facultatem circa reſeruata.*

24 *Religioſi Mendicantes virtute ſuorum priuilegiorum, ſi ad alium Monaſterium proficiſcantur mox regreſſuri ad proprium Monaſterium, in quo crimen reſeruatum commiſerunt, abſolui poſſunt à Superiore illius Monaſterij, ſiuè ab alio de eius licentia.*

An id extendatur ad participantes Mendicantium priuilegia.

25 *Malè, & nulliter Superiores præcipiunt, ne ſubditi, habentes huiuſmodi priuilegia, & aliud Monaſterium adeuntes, mox reuerſuri, à reſeruatis Superioribus ipſis abſoluantur. Et quare.*

1 PRO determinatione huius difficultatis eſt adnot. quòd facultas, ſeù iuriſdictio abſoluendi directè à reſeruatis eſt duplex: ordinaria ſcilicèt, & delegata. Prior eſt, quam quis habet ex vi muneris, vt Rom. Pontifex, Epiſcopi, & alij Prælati ordinariam habentes iuriſdictionem. Delegata verò iuriſdictio ad abſoluendum à reſeruatis illa dicitur, quam quis conſequitur per delegatam facultatem, ſeù licentiam datam, vel Sacerdotibus ad abſoluendum directè à reſeruatis: vel per licentiam tributam pœnitenti ad eligendum Confeſſarium, qui eum abſoluere valeat. De vtraque igitur iuriſdictione hoc loco agemus.

2 Secundò eſt adnot. certum eſſe, quòd illi, qui peccata ſibi reſeruant, aut eorum Superiores in iuriſdictione fori interni, ac conſcientiæ, poſſunt per ſe, ac directè abſoluere à reſeruatis. Vndè Rom. Pontifex non ſolùm poteſt abſoluere caſus, & cenſuras ſibi reſeruatas; ſed etiam illos caſus, ac illas cenſuras, quos, & quas Epiſcopi ſibi reſeruant, cùm in iuriſdictione cunctis ſit Superior: & iuriſdictio Epiſcopalis ſit à Papali iuriſdictione dependens. Sic etiam Epiſcopi poſſunt per ſe, ac directè abſoluere nõ modò à cenſuris, ac peccatis, quæ ſibi reſeruant; verum etiam quæ ſibi reſeruant Curati vi alicuius priuilegij, aut conſuetudinis, cùm hæc iuriſdictio curatorum pendeat à iuriſdictione Epiſcoporum, vt habetur ex *Henriq. lib. 6. de pœnit. c. 14. n. 9. Nauar. in Man. c. 7. nu. 263. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 1. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 8. ſub num. 2.* Qui eam eſſe rationem ait, quòd qui in iuriſdictione Superior eſt ipſo reſeruante

habet

habet reſpectu illius ſupremam, & vniuerſalem
iuriſdictionem ſe extendentem ad omnia, ad quæ
ſe extendebat iuriſdictio Inferioris reſeruantis.
3 Dixi in iuriſdictione fori interni, & conſcientiæ;
quoniam ſatis non eſt, quod in dignitate, ac ordi-
ne Hierarchico Superiores ſint, vt ſunt omnes
Archiepiſcopi, & Patriarchæ reſpectu Epiſcopo-
rum: ſiquidem Archiepiſcopi non poſſunt abſol-
uere à caſibus reſeruatis Epiſcopo ſubditos Epi-
ſcopi ſui ſuffraganei, niſi in cauſa appellationis,
vel dum actu Prouinciam viſitant, & in ipſo actu
viſitationis: his enim caſibus poſſunt Archiepi-
ſcopi de iure abſoluere à caſibus, & cenſuris re-
ſeruatis ab eorum ſuffraganeis Epiſcopis, vt ha-
betur ex *Henriq. loco citato, Suar. d. ſec. 1. nu. 2.
Sot. in 4 d. 18. q. 9. 4. art. 2 & Fagund. d. c. 8 nu. 3.*
& eſt *tex. in c. 1. de cenſ. b. in 6.* Eſt tamen verum,
quòd *Conc. Trid.* circa rem hanc præcipit *ſeſſ.
24. de refor. cap 3.* ne Archiepiſcopi, Epiſcopos
ſuffraganeos viſitent, niſi de licētia data in Conc.
Prouinciali, & poſt plenè viſitatam propriam
Diœceſim.

4 Tertiò eſt adnot. certum eſſe, quòd quamuis
Epiſcopus ſit inferior Rom. Pontifici; nihilomi-
nus aliquando iure ordinario poteſt abſoluere in
foro conſcientiæ à quibuſdam caſibus, & cenſu-
ris ipſi Rom. Pontifici reſeruatis, & diſpenſare
in irregularitatibus, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.
24. de reform. c. 6.* Vbi conceditur Epiſcopis ab-
ſoluere in foro conſcientiæ quoſcunque ſibi ſub-
ditos in eorum Diœceſibus ab omnibus caſibus,
& cenſuris occultis, etiam Rom. Pontifici reſer-
uatis, ac etiam ſi agatur de crimine hæreſis: nec
non conceditur diſpenſare in irregularitatibus
omnibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto
prouenientibus, excepta irregularitate, quæ ori-
tur ex homicidio voluntario. Quæ quidem facul-
tas non eſt delegata, ſed ordinaria; quia non con-
ceditur perſonæ, ſed dignitati, vt adnotauimus in
*noſtris Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2.
q. 11. nu. 35.* Imò quando Conc. Trid. dat faculta-
tem eiuſmodi Epiſcopis, non dicitur eis iuriſdi-
ctionem aliquam concedere, quam prius non ha-
berent; ſed tantùm reſeruationem tollit: ſiqui-
dem Epiſcopus iure communi, imò iure diuino,
niſi expreſsè limitetur, habet eandem poteſtatem
in ſua Diœceſi erga ſuos ſubditos, quam habet
Papa in vniuerſali Eccleſia; ipſi Papæ tamen vti
Chriſti Vicario ſubordinatam, à quo illam mo-
dificari, ac augeri poteſt, prout ouium ſaluti iu-
dicat expedire, vt oſtendimus in *d. Commentar.
§ 1. q 5. nu. 2.* Vndè conſtat dari aliquando caſus,
& cenſuras Superiori reſeruatas, à quibus Infe-
rior iure ordinario, ac ordinaria iuriſdictione
5 abſoluere poteſt. Dicitur autem delictum occul-
tum, vt ab Epiſcopo abſolui poſſit vt ſupra, etiam
ſi reſeruatum ſit Rom. Pontifici, multis modis.
Primò dicitur occultum prout diſtinguitur con-
tra publicum, ac notorium, vt habetur ex *Suar.
de pœnit. diſp 30 ſec. 2. nu. 2. Sanch. tom. 1. Decal.
lib. 2. cap. 11. nu. 10.* & ex alijs, quos refert, & ſe-
quitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8.
cap. 8. nu. 23.* & nos adnotauimus *in noſtris Com-
mentar. ad Bullam Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 4. &
5.* Secundò, crimen dicitur occultum, etiam ſi
committatur coram quinque teſtibus, atque ideò
in iudicio probari poſſit, quod an ſit verum, benè
declarat *Fagund. loco citato, ſub nu. 24.* vbi etiam
& nu. 25. cum plur. alijs ſeq. Explicat crimen
quando dicatur publicum. Tertiò crimen dicitur
occultum, etiam ſi in iudicio fuerit deductum, &
non probatum: aut in loco, vbi ferenda ſit abſo-
lutio ſit occultum, licet in alio loco ſit publicum,
Fagund. d. c. 8. nu. 26. 27. & 28. cum alijs, quos
allegat, quibus adde, quæ diximus *in d. noſtris
Commentarijs d. q. 11.*

6 Quartò eſt adnot. circa iuriſdictionem delega-
tam abſoluendi à reſeruatis, certum eſſe, quòd
Rom. Pontifex concedendo facultatem Confeſ-
ſario abſoluendi à caſibus reſeruatis, cenſetur
etiam cōceſſiſſe facultatem abſoluēdi à cenſuris:
ſiquidem à Rom. Pontifice de facto nunquam
peccata reſeruantur ſine cenſura, & propterea
conceſſa facultate abſoluendi à caſibus reſeruatis
cenſetur etiam conceſſa ad abſoluendum à cen-
ſuris. Ita *Nauar. in Man. c. 27. nu. 261 Tolet. lib.
3. ſuæ ſum. c. 14. nu. 2. Sanch. lib. 2. Decal. c. 8.
nu. 5.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de
præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 8. nu. 11.* Hinc ſe-
quitur, quòd ex quo Epiſcopi ſolent aliquando
reſeruare caſus cum cenſuris, & aliquando ſine
cenſuris, ſi concedant alicui Confeſſario omnes
ſuos caſus, ſolùm intelliguntur conceſſi caſus ſine
cenſuris: ſiquidem caſus eſt culpa, cenſura verò
eſt pœna, at ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinia-
nus exuli, ff. de minor.* Sic etiam Epiſcopus con-
7 cedendo omnes caſus, non cenſetur concedere
diſpenſationem votorum, ac irregularitatem, in
quibus poteſt diſpenſare, vt habetur ex *Nauar.
loco citato, & Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 3.*
Imò ſi Epiſcopus concedat alicui Sacerdoti omnē
auctoritatem ſuam in confeſſionibus audiendis
hæc facultas ex vi verborum non comprehendit
caſus reſeruatos, niſi aliundè euidenter appareat,
eum voluiſſe comprehendere, vt per eundem
*Nauar. & Suar. locis ſupra relatis, & Fagund.
d. c. 8. nu. 7.* cum alijs, quos allegat, qui etiam ex
Graff. lib. 1. deciſ. c. 13. nu. 65. Addit id verum
eſſe etiam ſi Epiſcopus concederet huiuſmodi li-
centiam generalem, cum additione clauſulæ ge-
neralis, vt omnia ipſe Confeſſarius facere poſſit,
quæ ſpecialem commiſſionem requirerent: ſiqui-
dem in generali conceſſione, non intelliguntur
illa, quæ ſpecialiter reſeruantur, vt in *c. ſi Epi-
ſcopus, de pœnit. & remiſ. in 6.* Limitantur tamen
8 hæc quæ diximus vera eſſe, niſi aliter conſtaret
de mente Epiſcopi: nam licèt in foro fori regula-
riter ſtandum ſit præciſis verbis; in foro tamen
interiori, in quo veritas tantùm rei attenditur,
ſatis eſt, quòd conſtet aliundè de voluntate con-
cedentis, vt patet ex *Suar. d. ſec. 1. nu. 3. & Fa-
gund. vbi ſupra, ſub nu. 7. & 10.* Secundò, limi-
9 tantur, vbi Epiſcopus, aut Prælatus Religionis
concederet Sacerdoti prius aliquem caſum reſer-
uatum, & deindè addat, *Et omnem meam pote-
ſtatem, & auctoritatem.* Tunc enim cenſetur con-
cedere omnia peccata reſeruata: quoniam illa
ſpecificatio antecedens caſus reſeruati explicat
verbum conſequens, & declarat intentionem, &
voluntatem Superioris fuiſſe quoq; de omnibus
caſibus reſeruatis, vt per *Nauar.* & alios apud
eundem *Fagund. d. c. 8. nu. 8.* vbi idem dicendum
eſſe volunt, ſi Prælatus dicat Confeſſario, *Con-
cedo tibi omnes meos caſus.* Tertiò limitantur, ſi
10 Epiſcopus concedat alicui Parocho ſuæ Diœceſis
generalem facultatem ad audiendas confeſſiones

omnium

omnium ſuorum ſubditorum ſuæ Diœceſis: ſiquidem putat *Graff. d.c.cap.13. num.8.* per illa verba concedere quoque facultatem ſuper omnes caſus ſibi reſeruatos: etenim Parochus eo ipſo, quòd eſt Parochus poteſt audire confeſſiones omnium ſui Epiſcopi ſubditorum: quapropter vt verba conceſſionis aliquid operentur, hoc modo intelligenda ſunt, aliàs eſſent fruſtratoria, contra *tex. in c. ſi Papa, de priuil. in 6. & l. ſi quando, ff. de legat. 1.* Hanc eandem ſententiam tenet *Franc. in c.2. de pœnit. & remiſſ. nu.11. & Fagund. d.c.8. nu.9.* vbi poſt *Graff. ibi ſub num. 69.* idem dicendum eſſe arbitratur, de Prælatis Religionum, qui in præcipuis ſolemnitatibus concedunt Confeſſarijs expoſitis ad audiendas confeſſiones Religioſorum omnem ſuam facultatem: nam vt talis licentia aliquid operetur, neceſſariò extendi debet ad caſus reſeruatos, & ad cenſuras eiſdem annexas.

11 Quintò eſt adnot. certum eſſe, quòd ſi Epiſcopus, aut alius Prælatus concedat ſubdito, vt ſibi eligat Confeſſarium, quem voluerit ex approbatis; & ſubditus eligat Confeſſarium, talis Confeſſarius non habet poteſtatem in caſibus reſeruatis, niſi id Prælatus exprimat, aut aliundè conſter de voluntate ipſius Prælati iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus not. præced. ſiquidem in generali illa conceſſione nõ veniunt ea, quæ quis non eſſet in particulari tàm facile conceſſurus, vt in *d. c. ſi Epiſcopus, Suar. d. ſec.1. nu.4.* quem ſequitur *Fagund. d.c.8 nu.12.*

Hæc omnia adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non indigeant; tota igitur difficultas conſiſtit in ſequentibus dubijs. Et primò circa primum not. An Epiſcopus nominatim excommunicatus, non toleratus, ſuſpenſus, irregularis, aut interdictus validè poſſit dare licentiam alteri Sacerdoti, vt aliquem à reſeruatis abſoluat. Secundò circa tertium not. An facultas conceſſa Epiſcopis abſoluendi ab hæreſi occulta, ſit eis adempta per Bullam Cęnæ Domini. Tertiò citra eundem not. ſuppoſito, quòd per Bull. Cœnæ dicta facultas Epiſcopis non ſit ſublata, an Epiſcopi valeant iuriſdictionẽ abſoluendi ab hæreſi occulta alteri delegare. Quartò circa quartum not. An Parochus, vel quilibet alius Confeſſarius approbatus poſſit abſoluere pęnitentem alterius Dięceſis à reſeruatis in ſua Dięceſi. Quintò, & vltimo circa eundem not. quæritur. An Religioſus, qui crimen commiſit reſeruatum in vno monaſterio, quod in alio non eſt reſeruatum, poſſit in eo abſolui à quocunque Confeſſario eiuſdem monaſterij, non habente poteſtatem ſuper caſus reſeruatos.

12 Circa primum dubium pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Paludani in 4. d.23. q.2. nu.17. Syl. in ſum. ver. Vnctio, nu. 1. §.4. Tabiena eod. ver. nu.6. Armil. ibi, num.5. Nauar. in c. placuit, de pœnit. d. 6. num. 51. & Rodr. tom. 2. ſua ſum. c.14. nu.5. in fine,* Dicentium, Prælatum nominatim excommunicatum, aut ſuſpenſum, vel interdictum, vt ſupra, concedere licentiam alteri Sacerdoti ad abſoluendum à caſibus ipſi Prælato reſeruatis. Mouentur ex eo, quod eo caſu licentia illa non eſt conceſſio actus iuriſdictionis; ſed potius ſui iuris ceſſio: ſiquidem ob id Parochus excommunicatus non toleratus, & ſuſpenſus ab officio, poteſt validè concedere licentiam alteri Sacerdoti Parocho, vel non Parocho ad aſſiſtendum matrimonio, & ad vngendum loco ſui.

13 His tamen non obſtantibus contrariam ſetentiam puto veriorem, quam tenent *Henriq. lib.3. confirmationis, cap.13. nu.3. in fine, Sanch. li. 3. de matr. diſp. 21. num. 7. & Fagund. de præcep. Eccl. precep.2. lib.8. c.8. ſub nu.4.* Mouentur ex eo, quòd eiuſmodi delegatio, atque abſolutio eſt actus proprius iuriſdictionis, ſicut actus proprius illius eſt abſoluere ab ipſis reſeruatis: & propterea ſicut excommunicatus non poteſt abſoluere per ſe, ita etiam hanc abſolutionem non poteſt committere, ac delegare alteri Sacerdoti. Nec fundamentum primæ opinionis obſtat; quoniam militat diuerſa ratio in matrimonio, & vnctione, ac confirmatione; ſiquidem aſſiſtentia matrimonij, vngere, & confirmare non ſunt actus propriæ iuriſdictionis, ſed ius competens alicui ratione officij, cuius ceſſionem alteri poteſt facere: at dare licentiam alteri ad abſoluendum, aut abſoluere ſunt actus propriæ iuriſdictionis, vt latè probat idem *Fagund. lib.7. cap.2. nu. 49. 50. & 52. eod. precep.* Quæ diximus de Prælato extendimus ad Parochum nominatim excommunicatum, ac denunciatum: is enim nec licitè, nec validè poteſt facultatem impartiri ſubdito ſuo, vt alieno Sacerdoti confiteatur, cùm ſit etiam iuriſdictionis actus, qua caret, ſtante excommunicatione. Vndè licèt aliorum Sacramentorum collatio poſſit à Parocho excommunicato alteri delegari; Sacramenti tamen pœnitentiæ, cùm ſit inſtitutum per modum iudicij, non poteſt, vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato, verſ. Nos qui etiam, qui nu.6.* Id ampliat locum ſibi vindicate in Epiſcopo, aut Parocho interdictis, aut priuatis adminiſtratione Sacramentorum. Eſt tamen
14 verum, quòd ſi Epiſcopus, aut Parochus in vno loco ſit excommunicatus vitandus, vt quia in Gallia, v. g. aliquem Clericum percuſſerit: & deindè ad ſuum Epiſcopatum, ſeu ad ſuam parochiam Italiam ſe conferat, & publicè ſe gerat, vt Epiſcopus, ſeu Parochus audiendo confeſſiones, tanquam communiter exiſtimatus idoneus, & iuriſdictionem habens; tunc eo caſu puto, quod ſi delegat facultatem alteri ad abſoluendum aliquem ſuum ſubditum, talem delegationem eſſe validam, & illius vigore delegatum validè abſoluere: ſiquidem communis exiſtimatio tribuit eiuſmodi excommunicato iuriſdictionem, *arg. tex. in l. Barbarius, ff. de offic. Prætor,* & faciunt ea, quæ cumulat *Suar. ex Vgol. & alijs, de cenſur. diſp. 11. ſec. 2. nu. 15.* Idem dicendum eſt ſi Epi-
15 ſcopus, aut Parochus eſſet excommunicatus, ſed non nominatim, nec publicus Clericorum percuſſor; ſiquidem eiuſmodi excommunicatus non amittit iuriſdictionem, ſed eam retinet, eoque non eſt vitandus, vt patet ex *Extrau. ad euitanda ſcandala,* quam retulimus de verbo ad verbũ, eandemque declarauimus in *noſtris Comment. ad Bull. Cœnæ, lib.2. can.1. q.8.* quibus adde, quæ habentur ex *Caiet. in ſum. ver. Abſolutionis impedimenta, Nauar. in Man. c.9. nu.9. & in c. 1. §. laboret, nu.10. de pœnit. d.6. Conar. in c. Alma mater, 1. p. §.6. nu. 7. verſ. Quinta concluſio, de ſent. excom. in 6. Henr. Vgol.* & alios, quos refert, & ſequitur *Say. lib. 2. Theſauri, tom. 1. c.2. num.6.*

16 Circa ſecundum dubium pugnantes quoque

ſunt

ſunt opiniones. Etenim prima ſentẽtia eſt *Gutier. lib. 1. qq. can. c. 13. Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 14. nu. 7 Bann 2. 2. q. 13. art. 4. dub. 2. poſt ſecundam concl. verſ. Et ſi quis Aragon. ibidem art. 3. col. 10. verſ. Sed dubium eſt, Rodriq. in Cruciata, §. 9 nu. 70. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. cap. 8.* Et aliorum aſſerentium, facultatem, quam habent Epiſcopi ad abſoluendum à caſibus, & cenſuris occultis, etiam Rom. Pontifici reſeruatis non eſſe reſeruatam per Bullam Cęnæ, nec quidem quoad caſum hæreſis. Vndè ſecundum hanc ſententiam ſi hæreſis ſit nota quinque, vel ſex perſonis, & ſi hæreticus quinque, vel ſex complices habeat, adhuc dicetur occulta, & ab illa potuerunt abſoluere Epiſcopi. Imò in ampla Vrbe non dicetur publica ſi nota fuerit ſeptem, vel octo, iuxta ea, quæ habentur ex *Fagund. loco citato, nu. 23. & 33.* Mouentur primò, quia Bulla Cœnæ eſt poſterior decreto Conc. Trid. & loquitur generaliter, & indirectè: at poſterior lex generaliter, ac indiſtinctè loquens limitanda eſt per legem antiquiorem, quando expreſsè illi contradicit; quamuis in lege poſteriori ſit clauſula, *Non obſtante lege contraria*, vt per *Bald. in l. de pretio, ff. de publ. in rem actione, & Anton. Gabr. tom. 2. commun. opin. lib. 10. verſ. Lex.* Et facit *tex. in l. ſed, & poſteriores, ff. de legib.* ibi, *Poſteriores leges, &c.* Cõfirmatur, quia per Bullã Cęnæ nõ cẽſetur reuocata facultas Bullę Cruciatę concedentis cuilibet Confeſſario, vt valeat abſoluere ſemel in vita, & ſemel in articulo mortis ab omnibus caſibus in Bulla Cœnæ contentis. Ergò nec quidem reuocabitur facultas à Conc. Trid. Epiſcopis conceſſa. Denique, cæteris prætermiſſis per Bullam Cœnæ generaliter tantùm derogatur facultatibus abſoluendi à caſibus, & cenſuris in ipſa contentis, & nulla fit mentio Conc. Trid. concedentis facultatem Epiſcopis abſoluendi à caſibus, & cenſuris occultis, etiam Rom. Pontifici reſeruatis; vt per clauſulam generalem non cenſetur derogatum generali Concilio, niſi de eo fiat, ſpecialis mentio, vt eſt *tex.* & ibi *Gloſa in c. ex parte, verſ. Nulla mentio, de cappel.*

17 Oppoſitis tamen non obſtantibus contrariam ſententiam arbitror eſſe veriorem, quam tenent *Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 2. nu. 11. Molina tom. 4. de iuſt. & iur. diſp. 64. nu. 8. Azor. tom. 1. Inſt. moral. cap. 19. q. 3. & cap. 10 q. 10. Sanch. lib. 2. Decal. cap. 11. nu. 26. & 27. Ricciul. tract. de iure perſon. lib. 5. c. 14. nu. 9. Barb. de poteſt. Epiſc. p. 2. allegat. 40. Ricc. p. 3. deciſ. 280. nu. 1. Gratian. in diſcept. tom. 3. c. 414. nu. 20. Raguc. in Lucerna Paroch. q. 125. n. 5. Scort. in conſt. Pontiſ. Epitom. 166. Theorem. 431. Villalob. in ſum. p. 1. tract. 9. dub. 61. nu. 2. & 5. Nouar. in ſingul. concl. 3. n. 5. Homob. de exam. Eccleſiaſt. p. 2. tract. 12. c. 4 q. 10.* & alij quamplurimi, quos refert, & ſequitur *P. Diana de abſol. ab hæreſi, reſol. 6.* qui ait, hodie de hac opinione non eſſe dubitandum: ſiquidem teſtatur ita nouiſſimè fuiſſe declaratum per Sacram Congregationem Cardin. ſub die 17. Nouembr. 1628. quibus adde, quæ nos cumulauimus in *noſtris Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. § 2. q. 11. nu. 43. cum plur. ſeq.* vbi plures alias adduximus Pontificias declarationes, & reſpondimus eas inficiantibus ex eo, quod authenticè non conſtet: & quatenus conſtaret, poſſet dici, mentem Pij V. & Gregor. XIII. eam fuiſſe in Bullis Cœnæ ab ipſis editis, quæ iam expirarunt; ſed non ex hoc inferri idem voluiſſe ſucceſſores Pontifices reſpondimus inquam, quòd cùm in noſtra Bulla Pauli V. quam duximus explicandam, ſit ſublata clauſula illa: *Niſi in eis etiam caſibus, &c.* Quæ clauſula reddebat contrariam ſententiam probabilẽ, de S. Pontificis, & ſuorum mente ſatis hodie cõſtat, voluiſſe derogare Conc. Trid. & ann. 1665. fuit damnata à S. P. Alex. VII.

18 Ad contraria igitur ſatis reſpondemus in *d. noſtris Comment. nu. 43. in fine, & 44. cum plur. ſeq.* quibus adde, quæ ibidem addita fuerunt litt. D. vbi probatur, quòd ad derogandum Concil. Tridentino ſatis eſt clauſula generalis, *Non obſtantibus, &c.* Etiam ſi nõ fiat mentio Conc. Trid. vel Conciliorum in genere. Limitatur tamen hæc quę diximus quoad impeditos, vt adnotauimus in *noſtris Cõment. ad Bull. Cœnæ lib. 3. § 2. q. 8. & 9.*

† Satis enim ibi probauimus, impeditos poſſe ab Epiſcopo abſolui à quibuſcunq; caſibus, & cenſuris, etiam in Bulla Cęnæ reſeruatis, nec talis facultas eſt illi adempta per Bullam Cęnæ Domini, etiam quoad crimen hæreſis: & idem dicendũ eſt de eius Vicario ſpecialiter deputato ad abſoluendum impeditos, vt oſtendimus *d. q. 8. & 9.* Imò Epiſcopus cum ſuis ſubditis etiam nõ impeditis, poteſt diſpẽſare in omnibus irregularitatibus cõtractis ex delicto occulto, excepta ea, quæ eſt ex homicidio volũtario; licèt exiſtant in aliena Dięceſi: ſiuè alter tantũ, nẽpè Epiſcopus vel ſubditus extra propriam Dięceſim verſetur, vt habetur ex *Suar. tom. 5. de cenſur. diſp. 41. ſec. 2. n. 10. Sanch. tom. 1. Decal. lib. 2. c. 11. n. 12. & Fagund. d. c. 8. n. 35.* Siquidẽ diſpenſatio impendi poteſt etiam abſenti, & reſtrictio illa *Conc. Trid. In foro conſcientiæ, & in Diœceſi ſua*, Intelligẽda eſt de illa poſteriori parte tm̃, in qua Trid. concedit Epiſcopis facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis Sedi Apoſtolicæ. Illud tamen in hac re eſt adnot. ꝙ magna controuerſia eſt inter DD. vtrũ quando in Iubilæis, vel in aliqua Bulla, aut priuilegio conceditur alicui facultas abſoluẽdi ab omnibus caſibus Bullę Cęnæ: intelligatur etiã poſſe abſolui à crimine occulto hęreſis. Et quamuis pro affirmatiua, & negatiua hinc, inde, *Fagund loc. cit. n. 37. & 38.* quamplurimos cumulet DD. magni ponderis; nihilominus concludit ꝙ poſſumus ſequi vtramq; opinionem, affirmatiuam. ſ. vel negatiuã. Quibus adde, quæ nos adnotauimus in *d. Comment. d q. 8 nu. 5. cum plur. ſeq.* & latius habetur in *addit. ibidem litt. A. fol. 745.*

19 Circa tertium dubium patet, quid dicendum ſit ex deciſione præcedentis dubij, cuius oppoſita ſententia, quoniam à multis æſtimatur probabilis à *Fagund.* probabilior, & à quibuſdam probabiliſſima, vt patet ex eodem *Fagund. loco citato*; Idcircò ſuppoſito, quòd facultas tributa Epiſcopis à Conc. Trid. abſoluendi à quibuſcunq; caſibus, & cenſuris, etiam Rom. Pontifici reſeruatis, non ſit ſublata per Bullam Cœnæ Domini, quæritur, an Epiſcopus poſſit abſolutionem ab hæreſi occulta alteri delegare.

In hac difficultate partem negatiuam ſimpliciter etiam pro ſingulis vicibus docent *Suar. tom. 5. de cenſur. diſp. 41. ſec. 2. nu. 8. & Guttier. lib. 1. qq. can. c. 13. nu. 29.* Mouentur ex verbis Conc. Trid. loco ſupra relato, ibi, *Idem quoque Epiſcopis tantum, non eorum Vicarijs ſit permiſſum in crimine hæreſis occulta in foro conſcientiæ, &c.* Contrariam tamen opinionem puto veriorem, ſuppoſito quòd non ſit ſublata eiuſmodi facultas Epiſcopis per Bullam Cœnæ: ſiquidem in hoc non

eligitur miniſterium perſonale Epiſcopi, non nominetur Epiſcopus, ſuo proprio nomine; ſed ratione dignitatis, quæ non eſt perſona; quamuis perſonæ annexa ſit, Nec obſtant relata verba Conc. Trid. quoniam loquitur, vt Epiſcopi non valeant habere deputatum ſpecialem Vicarium ad hoc munus: atque ideò cùm id tantùm excludat, non cenſetur excludere delegationes pro ſingulis vicibus, vni, vel multis Confeſſarijs ſactas: & hanc ſententiam tenet *Nauar. in ſuis conſ. tit. de ſent. excomm. conſ. 15. ad tertiam quæſt. Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 8. c. 10. q. 11. Sanch. tom. 1. Decal. lib. 2. c. 11. num. 23. & Fagund. d. c. 8. ſub nu. 36.*

20 Circa quartum dubium dico primò, Parochũ, vel quemlibet alium Confeſſarium approbatum habentem facultatem abſoluendi à peccatis reſeruatis Epiſcopo ſuo, poſſe abſoluere pœnitentem alterius Diœceſis à reſeruatis in ſua Diœceſi; atque adeò Sacerdos Capuanus, qui facultatem habet ab Archiepiſcopo Capuano, aut à Romano Pontifice ad abſoluendum à peccatis reſeruatis eidem Archiepiſcopo, poteſt in ipſius Diœceſi abſoluere pœnitentem Diœceſis Neapolitanæ à peccatis reſeruatis in ipſa Diœceſi Neapolitana. Hæc concluſio eſt *Nauar. in Man. c. 27. n. 161. §. Decimò dico, Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 4. Graff. lib. 1. deciſ. c. 13. nu. 48.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 8. c. 8. nu. 18.* Fundantur primò in conſuetudine, quoniam ita de conſuetudine ſeruatur vbique. Secundò mouentur externo cõſenſu Epiſcoporum, quoniam ſicut Confeſſarius Capuanus approbatus iuxta formam Concilij, poteſt abſoluere quoſcunque fideles cuiuſcunq; Diœceſis à peccatis non reſeruatis, vbicunque commiſſis de conſenſu tacito ſuorum Epiſcoporum, ita Epiſcopi conſentiur tacitè conſentire quoad caſus reſeruatos, quando eorum confeſſio fit habenti poteſtatem abſoluendi à reſeruatis ſuo Epiſcopo, cum non poſſit aſſignari diuerſitatis ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Denique, qui ſic confitetur in aliena Diœceſi, non vtitur facultate aliqua eligendi ſibi Confeſſariũ, à quo abſoluatur à reſeruatis, ſed ita confitetur, ac quilibet eorum, qui verſantur in ipſa Diœceſi, atque ideò abſolui poteſt, ac ſi incola eſſet talis Diœceſis: ſiquidem Confeſſarij vnius Diœceſis non tenentur ſcire caſus alios reſeruatos in alia Diœceſi.

21 Dico ſecundò Parochus, aut Cõfeſſarius vnius Diœceſis non habens poteſtatem circa caſus reſeruatos, non poteſt abſoluere in ea Diœceſi pœnitentes alterius Diœceſis à peccatis ibidem reſeruatis; atque ideò Confeſſarius Capuanus licèt facultatem non habeat abſoluendi à reſeruatis; poteſt tamen in Diœceſi Capuana abſoluere pœnitentes Diœceſis Neapolitanæ à reſeruatis Archiepiſcopo Neapolitano duntaxat, non autem reſeruatis Archiepiſcopo Capuano. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. nu. 6.* ſiquidem huiuſmodi pœnitentes iudicandi ſunt, vt incolæ illius Diœceſis, in qua abſoluuntur, & iuxta forum eius. Nec obſtat, ſi dicatur, hominem ſortiri forum ratione criminis commiſſi in aliquo territorio, vt in *l. 1. C. vbi de crim. agi oport. & l. ſoleat, de cuſtod. reor.* quoniam regula illa intelligenda eſt de foro fori, non autem de foro poli, vt habetur per *Gloſ. in c. placuit, 1. 16. q. 1. Panor. in c. ſi quis contra, nu. 50. de foro compet.* Hanc eandem concluſionem probabilem eſſe putat *Fagund. d. c. 8. ſub nu. 19. in fine*, quamuis ipſe oppoſitam ſententiam putet probabiliorem, quam videntur docere *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 2. col. 9. in fine*; *Vega in ſum. lib. 2. caſu 326. & Graff. lib. 1. deciſ. cap. 13. nu. 47.* Etenim abſolutè loquendo, Sacerdos alterius Diœceſis non habet iuriſdictionem in aliquos caſus reſeruatos, & pœnitens non eſt exemptus à iuriſdictione ſui Epiſcopi, qui peccatum reſeruauit. Non tamen eſt recedendum à ſententia *Suar.* quia dum ſupponimus peccatum reſeruatum in Diœceſi Neapolitana, non eſſe reſeruatum in Diœceſi Capuana, Sacerdos Capuanus cum facultatem habeat abſoluendi à tali caſu; perindè eſt, ac ſi facultatem habeat abſoluendi à reſeruatis quoad caſum reſeruatum in Diœceſi Neapolitana tantùm. Nec ratio allata in contrarium conuincit; quoniam ſi vera eſſet, non poſſet Sacerdos Capuanus abſoluere pœnitentes à reſeruatis in Diœceſi Neapolitana, etiam ſi haberet facultatẽ ab Archiepiſcopo Capuano abſoluendi à peccatis ſibi reſeruatis: quod eſt falſum, vt ſupra oſtendimus dicto primo. Arbitror tamen, quòd ſi pœnitens Diœceſis Neapolitanæ habens caſum reſeruatum in ſua Diœceſi, doloſè, & data opera ſe conferret in Diœceſim Capuanam, vt abſolutionem conſequatur à peccato reſeruato, aliàs eò non iturus, non poſſet abſolui à Sacerdote Capuano non habente facultatem abſoluendi à peccato illo reſeruato: quia dolus, & fraus nomini patrocinari debet, vulgatis iuribus: & multo minus ſi caſus eſſet reſeruatus in vtraque Diœceſi, iuxta communem omnium ſententiam. Nec dolus regulariter præſumitur, niſi probetur, vbi iuris præſumptiones in contrarium non adſint, iuxta ea, quæ habentur in *c. quanta de ſent. excom.* quæ iuris præſumptiones ceſſant ſi pœnitens ſe contulerit in Diœceſim Capuanam à neceſſitate, aut vtilitate aliqua compulſus. Etenim cùm agatur de re tractanda in foro interiori, in qua attenditur veritas, & non præſumptio, vt ſæpè diximus, de bona fide, aut dolo pœnitentis, ſtandum eſt in dubio eius dicto.

22 Circa quintum, & vltimum dubium breuiter dicimus, quòd ſi Religioſus, qui crimen commiſit reſeruatum in vno monaſterio, quod in alio non eſt reſeruatum, ad illud monaſterium ita ſe conferat, vt domicilium mutet, & nouum acquirat Superiorem, tunc poteſt abſolui à quolibet Confeſſario non habente iuriſdictionem in caſus reſeruatos, cùm iudicandus ſit ad modum aliorum Religioſorum ibi commorantium: Si verò ſe conferat ad aliud monaſterium mox reuerſurus ad proprium vbi commiſit caſum reſeruatum, ita vt in illo monaſterio, nec domicilium, nec habitationem, ſeù quaſi acquiſierit, tunc non poteſt abſolui, quia verè manet ſubditus Superioris, qui caſum ſibi reſeruauit, vel in cuius domo caſus erat reſeruatus, niſi priuilegium habeat: de quo paulo infra dicemus. Confirmatur; quia aliàs illuderetur lex reſeruatiua, & hanc ſententiam docent *Syl. ver. Confeſſor 1. q. 12. Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3. col. 8. verſ. Aliud*, & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 8. ſub nu. 22.* vbi etiam *nu. 21.* Conſequenter ea, quæ ſupra adnotauimus, inquit, quòd ſi Parochianus vnius

23 Diœceſis, verſetur in aliena Diœceſi, & peccata ibi reſeruata committat, poteſt abſolui à quocunque Confeſſario approbato, etiam ſi nullam habeat iuriſdictionem circa reſeruata: ſiquidem

licèt

licèt iſte talis lethalem culpam contraxerit; nullum tamen peccatum reſeruatum commiſit: quia peccata reſeruantur erga ſubditos tantùm; ille autem non eſt ſubditus: at actus iuriſdictionis qualis eſt reſeruatio non extenditur ad non ſubditos. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 30. ſec. 1. num. 6.* & alij ab eodem *Fagund.* relati *ſub d. num. 21.* Eſt tamen verum, quòd circa ea, quæ ſupra diximus de Religioſis, *Medina inſtr. confeſſ. cap. 10. §. 3.* inquit, Religioſos mendicantes virtute ſuorum
24 priuilegiorum, ſi ad aliud monaſterium non mutati proficiſcantur, mox regreſſuri ad proprium monaſterium, in quo crimen reſeruatum commiſerunt, poſſe abſolui à Superiore illius monaſterij, ad quod ſe conferunt, vel ab alio de illius licentia: quod priuilegium extenditur quoque ad omnes, qui Mendicantium priuilegia participāt quam *Medina* opinionem approbant *Graff.* relatus à *Fagund. d. c. 8. ſub num. 22. in fine.* Vndè
25 malè videntur præcipere, imò nulliter Superiores, ne ſubditi habentes eiuſmodi priuilegia adeuntes aliud monaſterium mox reuerſuri, abſoluantur à reſeruatis ipſis Superioribus proprij monaſterij: eo quòd inferior non poteſt aliquid præcipere contra legem Superioris: & priuilegium dicitur priuata quædam lex, vt in *c. Abbate de verb. ſignif.* Hæc pauca pro nunc dicta ſint de Proprio Sacerdote, atque adeò de Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ: reliqua verò fuſius, Deo duce, trademus in ſecundo tomo huius operis, in quo agitur de bonitate, ac ſcientia Confeſſarij; vt ita noſtri capitis ordinem proſequentes ſingulas eiuſdem particulas, vt in præfatione promiſſum, explicemus.

Ibi, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam, &c.* De ſacramentali ſatisfactione, atque ideò de ſatisfactione ex opere operato quoad forum internum.

D I S P. IX.

S V M M A R I V M.

1 *In noſtro capite integrum Pœnitentiæ Sacramentum implicitè præcipitur.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, ſunt recolenda, quæ ſupra diximus in principio explicationis noſtri cap. Etenim quamuis in eo annuæ confeſſionis præcepti expreſſa tantùm mentio habeatur; nihilominus integrum pœnitentiæ Sacramentum implicitè præcipitur. Nam dum Lateran. Concilium omnium peccatorum confeſſionem, & iniunctam pœnitentiam adimpleri ſtatuit, ad eam implendam ex communi omnium ſententia fideles compelli nequirent, niſi per veram, ac integram Sacramenti perceptionem materiam, & formam continentis. Vndè cum hucuſque egimus de duplici parte materiali Sacramenti pœnitentiæ, nempè de confeſſione, ac contritione, & de proprio Sacerdote, cui facienda ſit confeſſio; modo competenti ordine ſequitur videndum de ſacramentali ſatiſfactione, quæ eſt tertia, & vltima pars ipſius Sacramenti.

Quid ſit ſacramentalis ſatisfactio.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Sacramentalis ſatisfactio quid, & quotuplex ſit. Et quare dicatur ſolutio.*
2 *Quare dicatur voluntaria, ac debiti luendæ pœnæ temporalis.*
3 *Cum homo pœnitentiam agit, remittitur ei à Deo reatus culpæ, hoc eſt ex Dei inimico, fit Dei amicus: Et an homo ſatisfacere Deo poſſit ſecundū æqualitatem: Et quotuplex ſit iuſtitia.*
4 *In peccato duo conſiderantur, culpa ſcilicet, & pœna, & ob id duplicem ſatisfactionem, tùm pro culpa, tùm pro pœna temporali apud Deum fieri oportet.*
Et an remiſſa culpa, debitum remaneat luendæ pœnæ temporalis, vel in hac vita, vel in Purgatorio. Vbi refellitur Lutherus, & Caluinus, qui nullum remanere debitum falsò aſſeruerūt
5 *Debitum luendæ pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam, exoluitur aliquando in hac vita, & aliquando in alia, nempè in Purgatorio: Et quot modis exoluatur in hac vita, & per quod in alia.*
6 *Pœna infernalis gehennæ tria complectitur, & quæ: Et cuinam ſingula correſpondeant: Et à quibus liberetur peccator, cum ad Dei amicitiam redit.*
7 *Deus poſt remiſſam culpam, quam gratis remittit per pœnitentiam poteſt quoq; gratis remittere debitum pœnæ temporalis, prout verè facit in Baptiſmo.*
8 *Sicut qui alterum lædit, amicitiam ſimul, & Iuſtitiam violat, ſic in ſatisfaciendo, amicitiā ſimul, & iuſtitiam reſtaurare debet.*
9 *Extra pœnitentiæ Sacramentum per quænam opera poſſumus quoque ſatisfacere pro debito luendæ pœnæ, tùm in hac, tùm in alia vita. Vbi adducuntur verba Concil. Trid.*
10 *Reijcitur opinio Adrian. quæſt. de clau. dub. 2. Et an exolui poſſint pœnæ temporales non tantum per mulctam à Sacerdote iniunctam, ſed etiam per alia opera ſatisfactoria voluntariè exhibita.*
11 *Debito luendæ pœnæ temporalis huius vitæ poſt culpam remiſſam ſatisfieri poteſt, tam per ſacramentalem mulctam à Sacerdote iniunctam quàm per Indulgentias à Romano Pontifice conceſſas.*
12 *Per opera ſupradicta ſatisfactoria debitū quoq; exoluitur pœnæ temporalis alterius vitæ, quæ in Purgatorio exoluenda eſſet.*
13 *Pro peccato non datur duplex ſatisfactio, noſtra ſcilicet, & Chriſti, cum noſtra Chriſti ſatisfactioni innitatur.*

1 AD hanc rem breuiter reſpondemus, quòd vt ex Theologis colligitur, ſacramentalis ſatisfactio eſt ſolutio voluntaria debiti luendæ pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam, per mulctam à Sacerdote in ſacramentali pœnitentiæ foro iniunctam.

Dixi, ſolutio, loco generis: ſiquidem ſolutio, non modo ſignificat ſatisfactionem pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam luendæ in Purgatorio poſt mortem; ſed etiam in hac vita per liberam acceptationem flagelli à Deo immiſſi, vt cum morbum à Deo inflictum, & alias mundi huius calamitates patienter toleramus, pœnitentias à Sacerdote iniunctas adimplemus, aut ſpōte

ſuſcipimus nempè ieiunijs, orationibus, peregrinationibus, diſciplinis, eleemoſynis, & denique cùm Deo pro noſtris peccatis ſatisfacimus per indulgentiarum ſuſceptionem. eſt enim ſatiſfactio duplex, altera ex opere operantis, & altera ex opere operato. Prior eſt illa, qua Deo ſatisfacimus per pœnas; ſpontè ſuſceptas, per eleemoſynas, & per flagella à Deo immiſſa patienter tolerata. Altera vero dicitur, qua ſatisfacimus per Chriſti merita: & ſubdiuiditur io illam, qua debitum luendæ pęnæ exoluimus pet pœnitentiam à Sacerdotem iniunctam in ſacramentali, & interno foto: & in illam, qua debitum luendæ pœnæ exoluitur in foro exteriori per applicationem indulgentiatum, quæ ſunt merita Chriſti, ac ſanctorum, quæ omnia adeò veta ſunt, vt ea negantes anathemate feriantur, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. can* 13. his verbis, *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſpontè ſuſceptis, vt ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis, anathema ſit*. Dixi quoque ſolutio loco generis, quoniam ſolutio in genere comprehendit cuiuſcunq; debiti ſatisfactionem: imò ſi largè ſumatur, comprehendit quoque reſtitutionem; nam qui reſtituit pecuniam, quam abſtulit, verè cẽſetur eam ſoluere. Non ſic ſi ſtrictè ſumatur, quoniam ſolutio, ſeù ſatisfactio ſtrictè ſumpta differt à reſtitutione: ſiquidem reſtitutio in rebus, ſatisfactio in actionibus verſatur. Prior reſpicit damoum re ipſa illatum: ſatiſfactio verò perſonam iniuria affectam. Et deniq; reſtitutio eſt ab ioiuria ceſſatio; ſatisfactio autem eſt iniuriæ illatæ reſtauratio.

2 Dixi, *Voluntaria*, quoniam ſatisfactio per quam Deo ſatisfacimus pro pęnis temporalibus relictis ex peccatis per pœnitentiam à Deo condonatis, voluntaria eſſe debet, non autem inuita. Sicut enim voluntariè culpas contraximus, voluntariè quoque debemus pro his pœnis ſatisfacere.

Dixi, *Debiti luendæ pœnæ temporalis, &c.* quoniam qui peccat, ſtatim contrahit reatum culpæ, & debitum luendæ pœnæ: ſiquidem in peccato duo conſiderantur, nempè reatus culpæ, & reatus pœnæ. Reatus culpæ nihil aliud eſt, quàm inimicitia, quam coutrahit homo cum Deo propter offenſam, quam peccator dicitur inferre ipſi Deo, vel immediatè, ſeu directè per blaſphemiam, hæreſim, aut apoſtaſiam à fide, &c. vel mediatè, & indirectè, cum peccator peccando offendit creaturam: nam cum creatura rationalis dicatur Dei filius, ac ſeruus, indirectè Deus afficitur iniuria; ſicut indirectè afficitur iniuria pater per iniuriam illatam filio: & Dominus per iniuriam illatam ſeruo, vt in *l. 1. §. contumelia, ff. de iniur.* Reatus verò pœnæ eſt debitum, ſeù obligatio luendæ pœnæ propter culpam: quæ pœna ratione obiecti infiniti offenſi, nempè Dei, vt fiat culpæ proportionata, eſt infinita, ac æterna. Quando
3 igitur bomo agit pœnitentiam pro peccato, remittitur ei à Deo reatus culpæ, ideſt ex Dei inimico efficitur Dei amicus. Non tamen pro amicitia Dei reformanda poteſt homo ſatisfacere ſecundum æqualitatem perfectam, & abſolutam. Etenim ſicut iuſtitia eſt duplex, altera ſcilicet, quæ verſatur in abſoluta, & perfecta æqualitate, vt cùm tantum honoris vnus alteri tribuit, quantum eius dignitas abſolutè exigit; altera verò iuſtitiæ ſpecies eſt, quæ non conſiſtit in perfecta, & abſoluta æqualitate, ſed inæqualitate imperfecta, quæ ex pacto, aut donationa, vel acceptatione alterius pendet, vt cùm quis illum honorem Principi defert, quem is ſibi deferri mandauit; licèt is honor inferior ſit Principis dignitate; ita etiam ſatisfactio quoad rem noſtram attinet, eſt duplex: altera ſcilicèt, quæ aliquando fit ad abſolutam, & perfectam æqualitatem, vt cùm iniuria inter duos homines recompenſatur per actionem illi contrariam, quæ tantum honoris habeat, quantum actio illa iniurioſa haberat contumeliæ. Aliquando autem ſatisfactio fit ad æqualitatem imperfectam, vt cùm is, qui paſſus fuit damnum mille aureorum, ſatisfieri ſibi contentatur ceſſione omnium bonorum, licèt bona illa non aſcendant ad ſummam mille aureorum. Et quoniam inter Deum, & hominem non poteſt dari iuſtitia illa perfecta, & abſoluta, per conſequens non poteſt dari ſatisfactio pro culpa quoad abſolutam, ac perfectam æqualitatem; ſiquidem cùm peccamus, quoad in nobis eſt, Deum offendimus infinitum bonum, nec in nobis eſt aliquid, quo valeamus recuperare amicitiam Dei, quæ per peccatum amittitur, quicquid enim ſumus; Dei ſumus: quicquid habemus, à Deo babemus: vndè cùm quicquid habemus, & ſumus exiguum, & finitum ſit, niſi aliqua acceptatio, vel donatio interueniat ex parte Dei, non poſſumus illi ſatisfacere pro peccatis in eum commiſſis; atque adeò ſecundum commune Theologorum placitum ſatisfactio non offeretur Deo, neque exigitur ab hominibus pro culpa, ſed gratis nos à culpa iuſtificat Deus, gratis amicitiam ſuam nobis reſtituit, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 8.* Et quamuis veteres Patres interdum actionibus humanis tribuete videantur, vt Deum ex inimico amicum reddant, atque ideò pro expianda culpa ſatisfaciant; id tamen intelligendum eſt de congruo: ideſt de ſatisfactione ſecundum æqualitatem imperfectam, modo ſupra explicato, non autem perfectam, ac abſolutam. Etenim ſicut offenſio Dei habet infinitatem quandam ex parte obiecti, cum Deus ſit infinitum bonum; ita ſatiſfactio habere debet iofinitatem quãdam ex parte principij ſatisfacientis; quo circa exigitur, vt opera ſatisfactoria fiant à ſpiritu Dei hominem inhabente; ſiue ab ipſo homine, & membro Chriſti, ac filio Dei iam per gratiam, & caritatem effecto. Et ſi aliqua ſatisfactio pro culpa exhiberi poſſet ab homine; hæc re veta oon eſt à contritione diſtincta, neque alias conditiones requirit præter eas, de quibus ſupra tractauimus, de contritione agentes. Vide *Suar. loco citato, & D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. art. 3.*

4 Quo verò ad debitum luendæ pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam, eſt adnot. quod cùm in peccato vt ſupra diximus, duo conſiderentur, culpa ſcilicèt, & pœna, hinc fit, duplicem ſatisfactionem fieri oportere apud Deum, alteram pro culpa, & alteram pro pœna temporali; qualiter autem ſatisfactio fiat pro culpa, paulo ſupra explicauimus. Nunc autem videndum eſt qualiter ſatisfactio fiat pro pœna temporali poſt remiſſam culpam. Quòd autem, remiſſa culpa remaneat debitum luendæ pœnæ temporalis in hac vita, vel in Purgatorio licèt *Martin. Luther. in con-*

cione

ciene de Indulgentijs, quam habuit anno 1518. *& Caluin.lib.*2. *Inſt.c.*4. §.31. *&* 32. Impiè doceant, Deum à Iuſtis nullas expetere pœnas in vindictam peccati præteriti, ſed eos tantùm paternè caſtigare ad profectum, & emendationem in poſterum, atque ideò videantur concludere, quòd remiſſa culpa, non maneat debitum luendæ pœnæ; nihilominus in contrarium eſt communis & vera ſententia omnium Catholicorum, dicentium, poſt remiſſam culpam, ſæpè remanere reatum pœnæ temporalis, quod quidem de fide fuit definitum per *Conc. Trid. ſeſſ.*6. *c.*14. *& ſeſſ.*14. *can.*12. Et patet etiam ex 2. *Reg.c.*12. vbi Dauid poſt impetratam veniam adulterij in perſonam Berſabeæ, & homicidij in perſonam vriæ, punitus fuit morte proprij filij; & *cap.* 24. *eod. lib.* vbi eidem Dauidi ob peccatum numerati Populi pœnitentiam agenti, & à Deo in gratiam accepto, datur optio poſt remiſſam culpam, vt eligat in pœnam peccati bellum, famem, aut peſtem. Nec ſubſiſtens eſt Caluini reſponſio ad prędicta ſcripturæ loca, ſe habens, non fuiſſe à Deo Dauidi pœnas eiuſmodi inflictas in vindictam peccatorum præteritorum; ſed in admonitionem cauendi de cætero; atque ideo eſſe correptiones paternas, non autem Iudicis vltiones. Pro qua re allegat *Ioan. Chriſoſt. in homil. de pœnit. & confeſ.* ſic dicentem, *Propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens*. Etenim verè fallitur *Caluinus*: nam Sacra ſcriptura in *d.c.*12. cauſam referens mortis filij Dauid, non ait, vt caueas in futurum; ſed quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi, morte morietur. Et ſic pro peccato præterito fuit punitus Dauid in filio, vt latè habetur ex *Card. Belarm. in ſuis controu. lib.*4. *de pœnit. c.* 2. vbi pro noſtra affert authoritates nonnullorum Patrum, & ad auctoritatem Ioan. Chriſoſt. reſpondetur, quòd Chriſoſt. ibi vtrumque ſcribit, nempè ſupplicium, quod Deus de nobis poſt culpam remiſſam interdum ſumit, vltionem eſſe peccatorum: & ſimul remedium contra futura, vt legenti patet, & nos non negamus. His adde, quæ habentur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.* 2. *lib.*9. *c.*1. *nu.*3. *&* 4.

5 Hoc autem debitum luendæ pęnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam aliquando exoluitur in hac vita: & aliquando in alia, nempè in Purhatorio. In hac vita exoluitur, vel ex opere operantis, vel ex opere operato, vt aliàs diximus. Ex opere operantis per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: item per mortem temporalem, infirmitates, perſecutiones, amiſſionem bonorum, honoris, & per alia flagella à Deo inflicta, ac patienter tolerata, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *c.*14. *& ſeſſ.*14. *can.*11. Ex opere autem operato debitum exoluendæ pœnæ temporalis exoluitur dupliciter, nempè in foro externo per indulgentias, vt latè infra, Deo duce, dicemus: vel per iniunctam à Confeſſario pœnitentiam in foro pœnitentiæ: & ſic in foro interno. In alia vita debitum luendæ pœnæ temporalis exoluitur in Purgatorio per pœnam gehennæ, & eſt illa pœna ſenſus, quam patitur pœnitens in Purgatorio ſimilis pœnæ gehennæ, quam patiuntur damnati in Inferno, nec in alio differunt inter ſe, niſi quia pęnæ Purgatorij ſunt temporales Inferni verò eternæ. Tria
6 enim complectitur pęna Infernalis gehennæ, pęnam ſcilicèt damni: pęnam ſenſus: & vtriuſque pęnæ eternitatem: harum prima reſpondet auerſioni à Deo: ſecunda conuerſioni inordinatæ ad creaturas: & tertia cum ſempiterno, & infinito Deo. Ex his autem tribus modis, quæ ſunt in Infernali gehenna à primo, & tertio liberatur peccator ſtatim cum ad Dei amicitiam redit: ſolum remanet malum illud ſecundum debitum, ſcilicèt pęnæ ſenſus ad tempus luendæ in Purgatorio, vt rectè explicat *Caiet. de contr. q.* 4. Dixi ad tempus luendæ; quoniam pęna ſenſus æterna, & pęna damni æterna remittuntur ſimul cum culpa: ſiquidem cùm remiſſa culpa homo ex inimico efficitur Dei amicus, non eſt veriſimile, attenta Dei bonitate, vt velit amicum perpetuò cruciari; quo circà, remiſſa culpa, pęna eterna, quam meretur peccator propter lethalem culpá, eo quòd quoad in ſe eſt, læſit Deum infinitum bonum, ſtatim commutatur in temporalem. Pęna demum temporalis in altera vita exoluitur de condigno; in hac vero vita exoluitur de congruo.
7 Eſt tamen verum, quòd licèt Deus poſt remiſſam culpan, quam gratis remittit per pęnitentiam, poſſit etiam condonare gratis debitum luendæ pęnæ temporalis, vt re vera gratis remittit, cùm primum per Baptiſmum nos in filios recipit, vel cùm martirium pro nomine eius ſubimus; poteſt tamen, & id quoque velle, vt cùm peccamus poſt Baptiſmum, amicitia quidem gratis pęnitentibus & confitentibus peccata ſua reſtituatur, ſed maneat debitum luendæ pęnæ, quo iuſtitiæ ſatiſfaciat, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ* 6. *c.*14. *& ſeſſ.*14.
8 *can.* 12. Etenim quemadmodum qui alterum lædit amicitiam ſimul, & iuſtitiam violat; ita etiam qui ſatisfacit, & iuſtitiam, ac amicitiam reſtaurare, & reintegrare debet: & quamuis vna, ac eadem actione aliquando poſſit iuſtitiæ ſimul, & amicitiæ pro peccato ſatisfieri, nempè per contrictionem magnam cum Sacramenti pęnitentiæ actuali ſuſceptione, aut Sacramenti voto; tamen ſæpè contingit amicitiæ tantùm ſatisfieri; non autem iuſtitiæ: nam qui ſola attritione Sacramentum pęnitentiæ ſuſcipit, ſatisfacere de congruo dicitur amicitię Dei; iuſtitię verò quoad debitum luendæ pęnæ temporalis poſt culpam remiſſam contingit non ſatisfacere ſaltē completē.

9 Dixi, *Per mulctam à Sacerdote, &c.* Ad differentiam ſatisfactionis, quæ fit extra Sacramentum pęnitentiæ, nempè per Indulgentias, ieiunia, orationes, eleemoſynas, & per flagella à Deo inflicta, ac etiam ab hominibus patienter tolerata, vt ſupra diximus. Per eiuſmodi enim opera extra Sacramentum pęnitentiæ poſſumus ſatisfacere pro debito luendæ pęnæ temporalis, tùm in hac, tùm etiam in alia vita; ſicut per impletionem mulctæ in Sacramento pęnitentiæ à Sacerdote iniunctæ, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.*9. Ita ſe habente, *Docet præterea, tantam eſſe Diuinæ magnificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœnis ſpontè à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus*.

10 Ex hoc infertur, cauendum eſſe ab opinione *Adria-*

Digitized by Google

Adriani, q. de clauib. dub. 2. circa fin. dicentis, ita eſſe neceſſariam ſacramentalem ſatisfactionem ſemel impoſitam ad tollendum reatum pęnę in Sacramento relictum, vt in hac vita per alia opera ſatisfactoria tolli non poſſit. Etenim exolui poſſe pęnas temporales poſt remiſſam culpam non tantùm per mulctam à Sacerdote iniunctam ſed per alia opera ſatisfactoria voluntariè exhibita, per pęnas ſpontè aſſumptas, per mortem, & calamitates à Deo inflictas, ac patienter toleratas, apertè probatur ex *Conc. Trid. d. ſeſſ. 14. c. 9.* latè *Belarm de pœnit. c. 3. 4. & 6.* Per quamplurima ſcripturæ loca contra hæreticos contrarium ſentientes, præſertim ex illo *Iob. c. vlt.* vbi pro delicto verbo per ipſum commiſſo: ſpontè pęnitentiam egit in fauilla, & cinere, dum ait, *Inſipienter locutus ſum, idcirco ipſe me reprehendo, & ego pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Eiuſmodi quoque operibus ſatisfactorijs pęnas temporales huius vitæ, quas Deus ſtatuit infligendas, poſſe tolli probatur ex illo *Iona, c. vlt.* vbi Niniuitæ, quibus Deus propter grauiſſima eorum ſcelera comminatus fuerat, vt poſt quadraginta dies Niniuæ ſubuerteretur; propter eorundem tamen præces, ieiunia, ſaccos, & cineres placatus ipſe Dominus, comminatam pęnam condonauit. Idē patet ex *c. 7. Paralip.* vbi Dominus inquit, *Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, ac percepero locuſta, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprocatuſque me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis, & ego exaudiam de Cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.*

11 Denique pro debito luendæ pęnæ temporalis huius vitæ poſt remiſſam culpam non ſolum poteſt ſatisfieri per ſacramentalem mulctam à Sacerdote iniunctam; ſed etiam per Indulgentias à Rom. Pontifice conceſſas, vt infra, Deo duce, ſuo loco dicemus de indulgentijs agentes. Eſt tamen verum, quòd pęnæ temporales huius vitæ, quæ remanent poſt remiſſam culpam, interdum prædictis operibus ſatisfactorijs redimi non poſſunt; ſed neceſſariò ſunt luendæ. Deus enim aliquando ita pęnam aliquam conſtituit, vt nullam pro ea redemptionem recipere velit. Eiuſmodi enim pęna eſt mors; quæ per peccatum intrauit in mundum: & nullus quantumuis iuſtus quocunque opere poteſt eam effugere. Talis etiam fuit pęna illa *Dauidis 2. Reg. c. 12.* quam Deus illi poſt remiſſam culpam conſtituit his verbis, *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi morietur,* Quamuis enim Dauid ieiunauerit, cilicio, & ſacco indutus, humi cubuerit, &c. nihilominus mortem filij ſui redimere non valuit.

12 Adde, quòd ſupradictis operibus ſatisfactorijs non ſolùm exoluitur debitum luendæ pęnæ in hac vita, ſed etiam debitum luendæ pęnæ temporalis alterius vitæ, quæ in Purgatorio poſt remiſſam culpam luenda eſſet, vt contra *Luth. Caluin.* & alios hæreticos, patet ex quamplurimis ſcripturæ locis, Patrum teſtimonijs, ac etiam ratione. Scriptura Sacra probatur *Tob. c. 4.* dicentis, quòd eleemoſyna à peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras: omnes enim volunt, *Tobiam* ibi, locutum fuiſſe de pęnis vitæ futuræ, quæ per eleemoſynam compenſantur. Confirmatur ex illo *Eccl. c. 3.* vbi ait, quòd ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Hoc idem patet ex *c. 11. Luca*, in quo habetur, Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis: quod Doctores intelligunt de munditia à reatu pęnæ. Et *Ioan. c. 14.* ait Dominus, ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, remittet vobis Pater cæleſtis: remiſſio enim iniuriarum, quædam eleemoſyna eſt, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 1.* vbi etiam *ſec. 10.* plura alia cumulat ad rem hanc pertinentia. Præterea ex Patrum teſtimonijs hoc ipſum probatur ex illo *Ioan. Chriſoſt. homil 4. de pœnit.* id colligentis ex *pſal. 6.* ibi, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, &c. Vndè inquit, quòd ſi nos peccati meminerimus, Deus obliuiſcetur: à nobis vltionem ſumamus, nos ipſos accuſemus, & ita placabimus Iudicem. Et in *homil. de Lazaro 4. in fine*, ait quoque, ne pęnas demus, vnuſquiſq; ſe ipſum affligat, lacrimis, ieiunijs, &c. Denique hæc ipſa catholica veritas probatur ratione: ſiquidem homo in hac vita cùm ſit in ſtatu viæ, oportuit, locum, tempus, & modum illi concedi, quibus poſſit anima perfectè purgari ab omni culpa, & reatu pęnæ. Eò magis, quia plus eſt mereri vitam æternam, quàm remiſſionem pęnæ temporalis aſſequi. Imò hoc modo homines ad virtutem, & ad creſcēdum in meritis magis excitantur: & hæc eſt optima via ad reſecanda vitia, & radices peccatorum mortificandas. Nec pro
13 peccato ſequitur duplicem dari ſatisfactionem, noſtram ſcilicèt, & Chriſti ſatisfacientis: nam ſatisfactio noſtra Chriſti ſatisfactioni innitur, nō ſolùm quia per illum habemus virtutem ſatisfaciendi; verum etiam quia noſtra ſatisfactio per ipſum acceptatur, & vt rationem iuſtitiæ participet, in eius ſatisfactione fundatur; atque ideò cùm ſatisfacimus per virtutem, & ſufficientiam à Chriſto ſuſceptam, ſatisfacimus, ſicut & meremur: id autem Chriſti dignitati non repugnat. Eſt tamen verum, quòd dum homo pęnas huius ſæculi, & futuri prædictis operibus ſatisfactorijs redimit, ſimpliciter dicitur pro ſuis peccatis ſatisfacere, vt contra Michelem Baium, & nonnullos alios hæreticos eſt communis omnium catholicorum ſententia. Etenim prædictis operibus verè coram Deo meremur; ergò eodem pacto per noſtra bona opera ſatisfacimus: nam non eſt maius ſatisfacere, quàm mereri, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ 6. c. 14.* vbi eodem modo de merito, ac ſatisfactione loquitur, latè *Suar. de pœnit. ſec. 6. nu. 8.*

An mulcta à Sacerdote iniuncta, & opera, quibus redimitur debitum pęnæ poſt remiſſam culpam, adhoc vt ſint ſatisfactoria debeant fieri ab homine exiſtente in gratia.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Satisfactio per mulctam à Sacerdote iniunctam dicitur ſimpliciter ex opere operato. Et ſecundum quid dici quoque poteſt ex opere operantis.*

2 *Homo Dei gratia carens, an poſſit ſatisfacere Deo pro pœna temporali, remanente poſt remiſſam culpam.*

3 *Nullus in mortali peccato exiſtens ſatisfacere poteſt.*

Digitized by Google

poteſt pro pœna temporali, ſibi debitam poſt culpam remiſſam.

4 *Satisfactio pœna per mulctam, à Sacardote iniunctam, exhibita in ſtatu peccati mortalis ſatis eſt ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem impoſitam à Sacerdote.*

5 *Satisfactio pœnæ ve ſupra poſt culpam remiſſam, in peccato mortali impleta, effectum non confere operanti, & per conſequens pœnam temporalem non remittit.*

6 *Homo citra gratiam iuſtificantem non poteſt in hac vita ſatisfacere pro pœnis temporalibus alterius vita.*

7 *Conſtitutus in peccato mortali, nec de condigno, nec de congruo pro pœna temporali, poſt culpam remanente ſatisfacere dicitur.*

8 *Exiſtens in peccato mortali adimplendo mulctam à Confeſſario iniunctam, vel alia bona opera faciens pro pœna temporali poſt culpam remiſſam, obicem ponit, huic remiſſioni contrarium.*

9 *Satisfactio pœnæ temporalis per pœnitentiam, à Sacerdote iniunctam, facta in peccato mortali, licet effectum non habeat ex opere operato recedente tamen fictione, habebit ſuum effectum, & pœna remittetur.*

10 *Datur Sacramentum pœnitentiæ validum, ſed informe, & ſatisfactio valida, & informis: Et ſicut quis reiterare non tenetur confeſſionem validam, ſed informem, ita neque huiuſmodi ſatisfactionem.*

11 *Non eſt improbabilis Soti opinio, & aliorum abſolutè negantium eiuſmodi ſatisfactionem habere effectum recedente fictione.*

12 *Baptiſmus quamuis cum peccato mortali ſuſcipiatur, recedente tamen fictione remittit totam pœnam ſimul cum culpa propter Characterem.*

12 *Satisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſponte ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali, non confert effectum operanti, nec opera prædicta, facta in peccato mortali, aduenıente gratia reuiuiſcunt.*

14 *Pœna, debita poſt remiſſam culpam, licet temporalis ſit, & finita, exolui tamen non poteſt ab homine exiſtente in peccato mortali, etiam ſi voluntariè eam exoluat.*

14 *Apud Deum nulla pœna valet ad expiandum delictum, niſi ſit voluntariè acceptata.*

16 *Pœna æterna commutatur in temporalem, voluntariam tamen, & amicabilem, & quæ à damnatis exolui non poteſt in inferno.*

17 *Tam mulcta, à Sacerdote inflicta, quam opera, quibus remittitur reatus pœnæ poſt culpam remiſſam, vt ſint ſatisfactoria, fieri debent ab exiſtente in gratia.*

18 *Durante peccato etiam veniali, non poteſt quis pro pœna illi debita ſatisfacere in hac vita, ſed ipſam in Purgatorio exoluet.*

19 *Deus in primo inſtanti in quo immediatè ſequitur mors, ſeu in vltimo inſtanti ſeparationis animæ cauſat in anima hominis dolorem peccati venialis voluntariè relicti, vel obliti, per quem reatus culpæ venialis remittitur.*

1 AD tituli intelligentiam eſt adnot. quòd licèt hoc loco eſſet agendum de operibus dumtaxat, quæ in Sacramento pœnitentiæ per Sacerdotem imponuntur: etenim ſatisfactio per mulctam à Sacerdote iniunctam dicitur ſimpliciter ex opere operato, atque adeò habet effectum remittendi pœnam temporalem poſt culpam remiſſam ex opere operato: ſiquidem ſi nullum effectum haberet virtute clauium, non eſſet maioris virtutis, & efficaciæ ſatisfactio ſacramentalis, quàm non ſacramentalis: quod eſt abſurdum; quia non eſſet ratio, cur pars Sacramenti pœnitentiæ appellaretur; nihilominus quoniam ſatisfactio ſacramentalis ſecundū quid dici quoq; poteſt ex opere operantis, pro ea parte, qua ipſe pœnitens concurrit ad ſatisfaciendum ſubeundo mulctā, & opera laborioſa à Sacerdote iniuncta, vt colligitur ex his, quæ dicit *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 2. nu. 2.* Idcircò vnica quæſtione de prædictis omnibus duximus diſcutiendum.

2 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Scoti in 4 d. 15. q. 1. art. 4. Maior q. 1. Gabr. d. 16. q 2. art. 2. lib. 3. Nauar. c. 1. de pœnit. d. 6. nu. 47.* Et aliorum, dicentium poſſe hominem Dei gratia carentem ſatisfacere ipſi Deo pro pœna temporali, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Probant eorum ſententiam hoc argumento. Pœna temporalis debita poſt culpam remiſſam eſt finita; ergò compenſari poteſt per æqualem pœnam abſque gratia, ſeu dignitate perſonæ patientis: ergò, &c. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quoniam opera in gratia requiruntur ad ſatisfaciendum pro pœna infinita, adhoc, vt ſit proportio inter ſatisfactionem, & eum, qui ſatisfacit; nempe, vt is fiat ordinis quodammodo ſupernaturalis per inhabitantem in eo Spiritum Sanctum. Ex hoc inferunt præfati Doctores, quòd eiuſmodi pœna etiam in Inferno exoluitur ſatisfaciendo, cùm ſit finita intenſione, & duratione; eo quòd temporalis eſt: ergò qui illam patitur, nihil amplius debebit in quocunq; ſtatu illam ſuſtineat. Confirmatur, quia aliàs pœna, quæ per pœnitentiam, ex æterna in temporalem commutata erat, per ſubſequens peccatum ex temporali fieret æterna: quod eſt inconueniens; cùm Dei dona ſint citra pœnitentiam.

3 Secunda ſententia, quæ nobis magis probatur, & hodie eſt *D. Thomæ in 4 d. 15. art. 3. q. 2. Soto d. 19. q 1 art. 4. Petri Soti lect. vlt. de ſatisfact. Riccar. Duran. Palud. Alen. Bonau. Caiet.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec 2. nu. 3. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9 c. 1. nu. 7.* Qui dicunt, nullum in peccato mortali exiſtentem poſſe ſatisfacere pro pœna temporali ſibi debita poſt culpā remiſſam. Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quòd hæc controuerſia de neceſſitate luendi pœnam temporalem poſt remiſſam culpam in ſtatu gratiæ, quoad ſacramentalem ſatisfactionem poteſt intelligi dupliciter; primò quoad integritatem Sacramenti pœnitentia, vt ſcilicet tunc Sacramentum pœnitentia dicatur integrum, cùm mulcta à Sacerdote iniuncta, fiat in gratia, aliàs non: ſecundò, quoad effectum Sacramēti, nempè quoad remiſſionem pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam: & id duobus quoque modis, altero videlicet, an mulcta impleta in peccato mortali, ſtatim habeat aliquem effectum ex opere operato: & altero, an ſaltem habeat illum, recedente fictione. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

Digitized by Google

& informis, quæ recedente fictione ſuum habeat effectum: ſiquidem ſatisfactio eſt pars Sacramenti pœnitentiæ, ſicut & confeſſio, & pars debet neceſſariò naturam totius imitari. Confirmatur quoniam ſicut quis non tenetur iterare confeſſionem validam, & informem ita non tenetur, quis iterare ſatisfactionem exhibitam extra ſtatum gratiæ, quæ valida dici poteſt, & informis: ergò ſicut recedente fictione redit effectus Sacramenti confeſſionis ex opere operato debitus, ita etiam recedente fictione, redibit effectus ſatisfactionis ex opere operato: etenim licèt illa ſatisfactio à Confeſſario impoſita, vt eſt opus operantis, ſit opus mortuum, atque ideò nunquã habeat effectum; tamen vt eſt opus ſacramentale, & vt illi à Confeſſario virtute Sacramenti applicantur merita Chriſti, opus ex ſe, & ſui natura eſt viuum, mortificatum tamen ratione ſubiecti, ita vt in illo ratione ſtatus peccati ſuum effectum ex opere operato habere non poſſit, recedente autem obice, poſſit. Hac eadem ratione qui fictè accedit ad Sacramentum Baptiſmi, licèt Baptiſmus ex parte ſuſcipientis ſit peccaminoſus; tamen recedente fictione remittit totam pœnam ſimul cum culpa. Denique impletio mulctæ à Sacerdote impoſitæ, quoad ſui ſubſtantiam eſt actio bona, & punitio delicti, & vt ſic eſt inſtrumentum, quo applicatur Chriſti ſatisfactio: ergò recedente fictione habebit ſuum effectum ex opere operato.

11 Eſt tamen verum, quòd ſententia *Soti in 4. d. 19. q. 1. art. 5. Ledeſma*, & aliorum negantium abſolutè, eiuſmodi ſatisfactionem habere effectum, recedente fictione, non eſt improbabilis; ſiquidem reditio talis effectus maximum beneficium eſt, cuius indignus fuit ille, qui in peccato mortali pœnitentiam impleuit: & nullibi reperitur in ſcriptura Sacra promiſſio talis reditionis; eò maximè, quia cum ſatisfactio pro pœna temporali iterari poſſit per aliam confeſſionem peccatorum, & multis modis dicta pœna temporalis remitti, ac tolli, nulla videtur ratio ſufficiens, ob quam dicamus redire præfatum effectum remiſſionis pœnæ temporalis ex opere operato, recedente fictione, ſeù obice. Et multo magis hæc ſententia eſt probabilis, ſi ſatisfactio, ac mulcta à Confeſſario impoſita impleatur non ſolum in ſtatu peccati mortalis; ſed etiam per opus peccaminoſum: vt ſi Confeſſarius iniungat vt bis, ter, aut quater in anno pœnitens confiteatur, & ille confeſſiones ſacrilegas efficiat: nam vt opus illud ſit ſatisfactorium de ſe, & vt habeat ſuum effectum ex opere operato, neceſsè eſt, vt non ſit malum; quoniam non poteſt eſſe quatenus tale in-
12 ſtrumentum ad hunc effectum. Nec obſtat, quòd Baptiſmus etiam ſi cum fictione, & peccato mortali ſuſcipiatur, poſtea recedẽte fictione, remittit totam pœnam ſimul cum culpa, & ſuum effectũ habet ex opere operato: quoniam reſpondetur quòd in Baptiſmo eſt diuerſa ratio propter characterem: & quia actio illa ſatisfactoria quoad ſubſtantiam fuit mala, & non fuit punitio delicti: & quatenus mala non poteſt eſſe inſtrumentum, per quod applicentur Chriſti merita. Ita *Fagund. d. c. 4. nu. 10.* vbi etiam addit *nu. 11.* probabiliter dici poſſe, implentem ſatisfactionem iniunctam à Confeſſario in peccato mortali, peccare mortaliter; quoniam ponit obicem parti Sacramenti pœnitentiæ; ſicut mortaliter peccat qui ponit obicem toti Sacramẽto: eſt enim eadem ratio totius, & partis, *arg. tex. in l. qua de tot. 2. ff. de rei vend.* quamuis deindè concludat cùm *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 8. nu. 7.* Implentem ſatisfactionem eiuſmodi in peccato mortali, non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter.

QVARTA CONCLVSIO.

13 SAtisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſpontè ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali, ſicut non confert effectum operanti in peccato exiſtenti; ita nec ceſſante fictione, & conſequenter bona opera prædicta facta in peccato mortali, adueniente gratia, non reuiuiſcunt quoad effectum ſatisfaciendi ex opere operantis. Hæc concluſio habet duas partes. Prior eſt, quòd ſatisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſpontè ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali non confert effectum operanti. Poſterior autem pars eſt, quòd eiuſmodi ſatisfactio nec quidẽ ceſſante fictione, effectum habet. Prima pars patet ex ijs, quæ ſupra diximus, *concl. 2.* Probatur modo concluſio quoad ſecundam partem, primò ex communi ſententia omnium Theologorum relata à *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 2. nu. 7.* Secundò probatur ratione, quoniam opera illa facta in peccato mortali nõ fuerunt mortificata, ſed omninò mortua: ergò non poſſunt reuiuiſcere, ceſſante fictione, ab obice, vt benè declarat *Suar. loco citato*, qui *nu. 9.* quoque addit, quòd cùm opera prædicta facta in peccato mortali, ſint ex ſe bona, ſunt vtilia ad multa: primò quia cum dicta opera ſint bona, ſunt expetenda, & cõducunt ad ſimilia opera facilius exhibenda. Secundò valent ad impedienda peccata, & conſequenter ad mitigandam pœnam Inferni, non quidem minuendo eam, quæ peccatis alijs debetur, ſed impediendo maiorem reatum. Tertiò deſeruiunt ad præmium aliquod temporale de congruo; non tamen de condigno, cum peccator nullius meriti de condigno ſit capax. Quartò vtilia eſſe poſſunt ad impetrandum à Deo aliquod auxilium, præſertim ſi in gratia fiant, iuxta illud *Prouer. c. 15. Per miſericordiam, & fidẽ purgantur peccata.* Et *Daniel. c. 4. Peccata tua eleemoſynis redime.* Vide *Suar. ibidem, nu. 9.*

Reſtat modo, vt contraria ſoluamus.

14 AD fundamentum igitur contrariæ ſententiæ reſpondetur negãdo cõſequentiam: nam licèt pœna relicta poſt remiſſam culpam ſit temporalis, & finita; non tamen poteſt exolui ab homine exiſtente in peccato mortali, etiam ſi voluntariè eam exoluat: ſiquidem pœna æterna, quæ per pœnitentiam condonata fuit, & remiſſa homini peccatori, cùm illi fuit indultum peccatum, non ſimpliciter, & abſolutè fuit remiſſa; ſed fuit commutata in pœnam temporalem, & non in quamcunque pœnam temporalem; ſed in pœnam temporalem voluntariam, & amicabilem, quæ ab homine tantùm Dei amico, & in gratia exiſtente in hac vita, vel in Purgatorio exolui poteſt vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.*

15 Ad illationem eodem modo reſpondemus: & eo magis quoniam apud Deum nulla pœna valet ad expiandum delictum, ſeù reatum eius, niſi ſit voluntariè acceptata; at in Inferno nulla pœna voluntariè acceptatur, neque vllo modo

refertur in Dei honorem, vel ſatisfactionem.

16 Ad confirmationem dicitur, quòd pęna æterna commutatur in temporalem non quamcunque, ſed voluntariam, & amicabilem, quæ exolui non poteſt à damnatis in Inferno. Nec propterea Deum pęnitet gratiæ, ſeù liberalitatis factæ; quoniam ipſe remittendo peccatum, contulit gratiam & conſtituit hominem in ſtatu, in quo poſſet pęnam temporalem poſt culpam remiſſam perſoluere: at homo denuò mortaliter peccando, & permanens in ſtatu peccati mortalis, ſua culpa ſe conſtituit in eo ſtatu, in quo non poteſt ſatisfacere, vt rectè declarat *Suar. d. diſp. 37. ſec. 2. nu. 10. & 11.*

17 Ex dictis patet, quòd tàm mulctà à Sacerdote iniuncta, quàm opera, quibus remittitur reatus pœnæ poſt remiſſam culpam, adhoc vt ſint ſatiſfactoria, debent fieri ab homine exiſtente in gratia; ſecus autem ſi fiant ab homine exiſtente in peccato mortali. Quod quidem adeò verum eſt, vt exiſtens in lethali culpa, nec pro pœna quidem vnius peccati venialis ſatisfacere valeat, nec in hac, nec in alia vita, vt rectè poſt alios declarat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 1. nu. 7. & 13.* At verò in Dei gratia ex ſiens non tantùm ſatisfacere poteſt pro pœnis temporalibus omnium ſuorum peccatorum mortalium, aut venialium remiſſorum, ſed etiam pro pœnis temporalibus vnius peccati mortalis remiſſi, aut venialis condonati, & non pro alijs remiſſis, ac condonatis, vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato num. 22.* vbi idem dicendum eſſe ait, vbi vnum peccatum veniale remittatur, non remiſſis alijs: nam poteſt ſatisfacere homo pro pęna temporali debita huic peccato remiſſo; non ſatisfaciendo pro alijs pęnis debitis non remiſſis, ſiquidem peccata venialia non tollunt gratiam, nec Dei amicitiam diſſoluunt: quapropter ſicut homo poteſt conſequi remiſſionem vnius venialis, & non alterius, ita poteſt pro pęna vni debita ſatiſfacere, non alteri, ſi culpa illius iam ſit remiſſa.
Dixi, *Si culpa illius iam ſit remiſſa*. Quia du-
18 rante peccato, etiam veniali, non poteſt quis pro
pęna illi debita ſatisfacere in hac vita, ſed pęnam ipſam in Purgatorio explicet. Siquidem quamdiù peccatum durat, & non eſt remiſſum dignus eſt homo pęna ipſius peccati. Vndè pugnat, poſſe quem ſatisfacere pro pęna, quam iuſtiſſimè meretur quis ratione culpæ ante remiſſionem illius. In Purgatorio autem pęnam peccati venialis non remiſſis exoluet; quia peccata venialia, vt diximus non diſſoluunt amicitiam Dei, & illorum pęna non eſt æterna, vt commutaretur in pęnam temporalem; ſed ex ſua natura eſſe pęnam temporalem, pro qua quis poteſt ſatisfacere in igne Purgatorio, & ſoluta pęna, ſtatim Cęlos ingredi-
19 tur. Etenim quamuis nihil coinquinatum Cęlos
ingrediatur, & peccatũ veniale ſuo modo cauſet in anima maculam, & Purgatorius ignis non ſit locus merendi, ſed ſatisfaciendi; Deus tamen in illo primo inſtanti, quod immediatè ſequitur mors, ſeù in vltimo inſtanti ſeparationis animæ, cauſat in homine, ſeù in anima hominis dolorem peccati venialis voluntariè relicti, vel obliti, per quem actum doloris macula illa, & reatus culpæ venialis remittitur, atque ideò coinquinatus non dicitur Cęlos ingredi. Nec id eſt propriè mereri in alia vita, quia cùm adhuc homo non ſit iudicatus, & ille actus habeatur in vltimo inſtanti ſeparationis animæ à corpore, adhuc pertinere dicitur ad vitam præſentem. Ita *Suar.* quos refert *Fagund. d. c. 1. n. 11.* qui etiam refert opinionem *D. Thomæ* exiſtimantis, peccatum veniale non cauſare malum in anima, ſed moralem quandam imputationem cum pęna temporali debita tali peccato; quæ imputatio ceſſat in hora mortis, manente tantùm pęna temporali illius, pro qua pęna ſatisfaciens homo in Purgatorio, & ad Cęlos eleuatus, non dicitur illos ingredi coinquinatus.

Quæ nam opera imponi poſſint à Confeſſario pęnitenti in ſatisfactionem pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Omnia opera ſatisfactoria ad tria genera reducuntur ad ieiunium ſcilicet orationem, & eleemoſynam.*

2 *Opera miſericordiæ præſtantiora ſunt operibus afflictiuis.*

3 *Opera ſupradicta, vel externa ſunt, vel interna. Vel quæ ſponte ſuſcipiunt, vel quæ patienter tolerantur: Vel præcepta, & debita, vel non: vel publica, vel ſecreta.*

4 *Omnia bona moralia imponi poſſunt pœnitenti à Cõfeſſario in mulctã, & ſatisfactionem pœnæ quæ remanet poſt culpam remiſſam.*

5 *Ad remittendam pœnam prædictam maioris efficaciæ eſt vnius pſalmi recitatio à Cõfeſſario iniuncta, quam totius pſalterij ſponte ſuſcepta.*

6 *Non ſemper expedit eiuſmodi opera omnia, vel eorum aliqua, pœnitentibus imponi: Et quomodo debeat eſſe Confeſſarius.*

7 *Confeſſarius ſemper curare debet, vt ſatisfactio ab eo imponenda præſeruatiua ſit in futurum.*

8 *Poteſt à Confeſſario imponi ſuſceptio Sacramẽti pœnitentiæ, & Euchariſtiæ bis in hebdomada, vel in menſe.*

9 *Poteſt à Confeſſario iniungi non ſolum opus aliquod in particulari, ſed etiam in generali per illa verba: Quidquid boni feceris, &c.*

10 *Paſſiones, & pœnæ, quas aliundè pati debet pœnitens poſſunt ipſi à Confeſſario imponi in ſatisfactionem pœnæ temporalis, remanentis poſt remiſſam culpam.*

11 *Confeſſarius in ſatisfactionem pœnæ prædictæ iniungere pœnitenti poteſt opera ex præcepto, vel ex alio titulo debita.*

12 *Prudenter tamen aget, ſi cum imponit opera præcepta, vel aliàs debita, aliquid aliud addat.*

De quibus operibus ſit intelligendus Confeſſarius ſi opera determinata ſimpliciter iniungat.

13 *Pœnitentiæ publicæ an ſint omninò reprobandæ.*

14 *Pro peccato occulto imponi non poteſt pœnitentia publica, ſecus pro publico. Et reiicitur Nauarri interpretatio ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 8.*

15 *Non ſolum imponi poteſt pœnitentia publica, occulta tamen perſona, vel cauſa pœnitentiæ, ſed etiam quæ ita ſit coram alijs, vt ex ea colligi poſſit propter graue crimen fuiſſe à Confeſſario impoſitam.*

16 *Pœnitentia publica tunc iniungi poteſt in foro pœni-*

Digitized by Google

pœnitentiali, cum neceſſaria eſt ad tollendum aliquod ſcandalum, & pœnitens conſentit, vultque eam ſubire.

17 *Confeſſarius an poſſit iniungere pro pœnitentijs, & ſatisfactionibus pœnarum temporalium opera merè interna.*

18 *Verior eſt ſententia, quod valeat hæc opera merè interna iniungere.*

19 *Per actus purè internos ſatisfacere poſſumus extra Sacramentum pro pœna remanente poſt remiſſam culpam.*

20 *Actus interni, vt ſint pars Sacramenti viſibilis, ſatis eſt, vt ſint per accidens viſibiles.*

IN hac re tria faciemus. Primò aliqua adnotabimus. Secundò certa ab incertis ſecernemus. Tertiò dubia per ſuas quæſtiones diluemus.

1 Circa primum eſt adnot. quòd omnia opera ſatisfactoria reducuntur ad tria genera, nempè ad ieiunium, orationem, & eleemoſynas. Siquidem ad ieiunium reducuntur omnia opera afflictiua, vt vigiliæ, flagella, peregrinationes, virginitatem, & caſtitatem ſeruare, & Religionem ingredi iniuriarum tolerationes, & reliqua omnia quæ afflictio, aut moleſtia eſſe poſſunt. Ad orationem verò reducuntur omnia opera miſericordiæ ſpiritualia, qualia ſunt docere ignorantes, conſulere, corrigere errantes, mediante correctione fraterna, conſolari afflictos, remittere iniurias eaſdemq; ferre patienter, & orare. Ad eleemoſynas denique reducuntur omnia opera miſericordiæ corporalia, nempè viſitare infirmos, & carceratos, cibare eſurientes potum dare ſitientibus, redimere captiuos, & carceratos, veſtire nudos, hoſpitari peregrinos, & ſe-
2 pelire mortuos. Eſt tamen verum, quòd opera miſericordiæ præſtantiora ſunt operibus afflictiuis, vt habetur ex *Chriſoſt. homil. 34. ad Popul. Antiochen.* his verbis, *Ieiunare quidem, & exercere virginitatem, & temperanter agere, ſolis hac obeuntibus vtilitatem afferunt, quæ verò proximis à nobis exibentur, vt eleemoſyna, doctrina, & charitas, & nobis ipſis, & proximis, ad quos tranſeunt, proſunt.*

3 Secundò eſt adnot. quòd omnia ſupradicta opera, aut externa ſunt, aut interna: quæ ſpontè ſuſcipi ſolent, vel quæ patienter tolerantur: præcepta, & aliàs debita, & non præcepta, nec debita: publica, vel ſecreta. De his omnibus controuertitur, an à Confeſſario pœnitenti imponi poſſint in ſatisfactionem pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam: & denique dubium pariter de Sacramentis an iniungi valeat eorum ſuſceptio ab ipſo Confeſſario in ſatisfactionem eiuſdem pœnæ, eadem controuerſia abſoluemus, nec non & dubium, an bona opera in genere præcipi poſſint exhibenda ad arbitrium pœnitentis.

4 Circa ſecundum dico primò certum eſſe apud omnes, quòd regulariter omnia opera bona moralia, nempè eleemoſyna, orationes, ieiunia, peregrinationes, cilitia, & ſimilia opera corporis afflictiua imponi poſſunt pęnitenti à Confeſſario in mulctam, & ſatisfactionē pęnæ, quæ remanet poſt culpam remiſſam, vt habetur ex *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 9.* ex eo vbi *nu. 3.* Etenim per eiuſmodi opera quis poteſt ſatisfacere, etiam ſi non dentur in mulctam, ſeù pœnitentiam à Confeſſario, ſed ſpontè exhibeantur ab homine pro pœna, quæ remanet poſt remiſſam culpam, vt ſupra *ſec. 1. & 2.* diximus, & patet ex traditis ab eodem *Fagund. loco citato, p. 2. num. 5.* Ergò non eſt ratio, cur regulariter iniungi non poſſint à Confeſſario in Sacramento, cùm id cedat in maiorem vtilitatem pœnitentis, eo quòd eiuſmodi opera eleuantur virtute Sacramenti, & effectum habeat ex opere operato, ac virtute cla-
5 uium, ita vt ad remittendam pœnam prædictam aliquando maioris efficaciæ ſit recitatio vnius pſalmi iniuncta à Confeſſario, quàm recitatio totius pſalterij à Confeſſario non impoſita, ſed ſpontè ab aliquo habita. Et id verum eſt etiam ſi pęnitens in exequendis eiuſmodi operibus delectationem ſentiat, quoniam ipſa ſatisfactio non ſolum datur, ac iniungitur à Confeſſario, vt pęnitens dolorem, ac pęnam corporalem ſentiat; verum etiam vt acquirat facilitatem in bene operando, boniſq; operibus exercendo, atque ideò non poſſunt dici minoris meriti, quia cum voluptate, & facilitate exercentur, vt rectè inquit *Fagund. d. c. 5. nu. 3.* qui idem putat eſſe dicendum de operibus eiuſmodi ſpontè ſuſceptis, & à Confeſſario non iniunctis, vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato, c. 2. nu. 5.*

6 Dixi, *Regulariter omnia bona moralia, &c.* quia non ſemper expedit, eiuſmodi opera omnia, vel eorum aliqua imponi pęnitentibus. Etenim ſi pęnitens ſit puer, vel adeo debilis, aut ſenex, vt non valeat ieiunare, nec peregrinari, non debet Confeſſarius in ſatisfactionem ipſi imponere peregrinationem, aut ieiunium: & ſi ſit pauperrimus, non debet eidem iniungere eleemoſynas, & ſic de alijs. Ob id enim ait Concil. Lateran. in noſtro capite, quòd Confeſſarius debet eſſe diſcretus, & cautus, vt moræ periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantiam, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſal-
7 uandum ægrotum. Vndè debet Confeſſarius ſemper curare, vt ſatisfactio ab eo imponenda, ſit præſeruatiua in futurum: nam ob id pęnitentiæ non ſunt determinatæ, ſed omnes arbitrariæ, prudentis Confeſſarij arbitrio remiſſæ, vt habetur ex *D. Thoma, Soto,* & alijs apud *Fagund. d. cap. 5. num. 1.* qui *nu. 2.* etiam addit, quòd non oportet, vt ſatisfactio à prudenti Confeſſario iniuncta talis ſit, quæ ſatisfaciat pro tota pęna temporali, quæ debetur in Purgatorio; quoniam eiuſmodi ſatisfactio non conſiſtit in indiuiſibili, & in æquilibrio, ſed habet ſuam latitudinem: nec ſtatim quòd imponitur ſuum ſortitur effectum ſed poſtquam fuit impleta à pęnitente, ſi is poſt abſolutionem aliquem habeat reatum pęnę. Dixi *Si aliquem habeat reatum pœnæ*; quia tanta poſſet eſſe diſpoſitio pęnitentis, & voluntas implendi pęnitentiam, & virtute clauium ante ipſam adimpletam, probabiliter quidem teneant per abſolutionem Sacerdotis remitti ei totum reatum pęnæ: vel ſaltem partem iuxta quantitatem diſpoſitionis, non modo culpam, & pęnam æternam, ſic etiam parua ſatisfactio iniuncta à Confeſſario ſi fiat ex magno motu pęnitentis poteſt aliquando remittere totam pęnam, quæ remanet poſt remiſſam culpam, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. lib. 5. cap. 22. nu. 10.*

8 Dico ſecundò certum eſſe, quòd à Confeſſario imponi poteſt ſuſceptio Sacramenti pœnitentiæ, Euchariſtiæ, nempè, vt bis confiteatur, & communicet in hedomada, vel in menſe, vt habetur ex *Fagund.d.c.5.nu.4.* poſt *Tolet.lib.5.ſuæ ſum. cap.13.nu.6.* Qui dicunt hoc eſſe maximum remedium contra pollutionem voluntariam: nam cum Sacramenta omnia, & præſertim Sacramentum confeſſionis inſtitutæ ſint à Chriſto, vt fidelibus rectè diſpoſitis Chriſti merita applicentur per eorundem ſuſceptionē, hinc fit rectè à Confeſſario præcipi prædictorum Sacramentorum frequentem ſuſceptionem ad redimendas pœnas temporales per peccatis dimiſſis debitas, & ad præcauendas culpas infuturum. Idem dicendũ putat ipſe *Fagund.* de Sacramento Chriſmatis; quoniam ad id tenentur fideles ex decentia, ſi poſſunt: & de Sacramento extremæ vnctionis, ſi infirmus reperiatur in extremis. Negat tamen poſſe Cõfeſſarium dare in ſatisfactionem, vt Sacramentum ordinis pœnitens ſuſcipiat, cum ſuſceptio ordinis ſit meræ voluntatis, ad quem Deus neminem voluit obligare: & eadem ratione negat imponi poſſe ſuſceptionem matrimonij, aut Religionis ingreſſum: etenim hæc omnia poſſunt Confeſſarij ſuadere, & conſulere pœnitentibus, ſi videant eorum ſaluti expedire.

9 Dico tertiò certum eſſe iniungi poſſe à Confeſſario non ſolùm opus aliquod in particulari; ſed etiam in generali: vt patet ex communi conſuetudine Confeſſariorum, qui in fine abſolutionis illa verba proferunt, *Quicquid boni feceris, vel mali ſuſtineris, &c.* Hæc enim verba denotant impoſitionem ſatisfactionis per opera in genere: & proindè Confeſſarius poſſet in pœnitentiam imponere quid hodie, vel hæc hedomoda, vel menſe boni fecerit, aut mali ſuſtinuerit, vt habetur ex *D. Thoma, quodlib.3. art.28. Palud. in 4.diſt.14. q.6. Petro Soto lec.2. de ſatisfac. Nauar. in ſum. cap.26.num.24. & de pœnit.diſt.6 nu 26. Suar. de pœnit. diſp.38.ſec.2.* quos refert, & ſequitur *Fagund.d.c.5. ſub n.11.* Etenim ſi peccatum in communi poteſt eſſe materia Sacramenti pœnitentiæ, non poteſt aſſignari ratio, cur nõ poſſit eſſe quoque ſatisfactio in communi, cum ſit pars materialis eiuſdem Sacramenti.

10 Dico quartò certum eſſe, paſſiones, & pœnas, quas aliundè pati debet pœnitens ab extrinſeco, nempè flagella à Deo immiſſa: infamem mortem auctoritate publica ſibi conſtituta ob ſua demerita, & alia eiuſmodi, poſſe à Confeſſario pœnitenti imponi in ſatisfactionem pęnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Etenim eiuſmodi flagella patienter tolerata ſunt ſatisfactoria ſi patienter ferantur, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, vt de fide fuit definitum per *Conc. Trid. ſeſſ.14. c.9. & can.13.* & rectè declarat *Fagund.* poſt alios *de præcep. Eccleſ. præcep.2. lib 9 cap.2.n.13.* Ergò non poteſt aſſignari ratio, cur hæc omnia iniungi quoque poſſint pœnitenti, cum id cedat in bonum pœnitentis, cum opera eiuſmodi patienter tolerata eleuentur virtute Sacramenti. Confirmatur hoc dictum ex præcedenti dicto: nec non ſupra ex dicto primo, in quo diximus, quod omnia opera moraliter bona poſſunt à Confeſſario iniungi in ſatisfactione: flagella autem patienter tolerata, ſiuè à Deo infligantur, ſiuè ab hominibus procul dubio bona opera moraliter dicuntur.

11 Dico quintò certum eſſe Confeſſarium poſſe pœnitenti iniungere in ſatisfactionem pœnæ temporalis, quæ remanent poſt remiſſam culpam opera ex præcepto, vel ex alio titulo debita, vt habetur ex *Suar.* poſt alios *de pœnit. diſp.38. ſec.6.nu.5. Laym.lib.5. ſuæ ſum.tract.6.c.15.nu.10. & Fagund. d.c.5.nu.8.* qui inſuper addit ex *Nauar.* id ſæpè expedire propter hominum fragilitatem. Etenim eiuſmodi opera bona ſunt, & virtute clauium poſſunt eleuari ad effectum remiſſionis dictæ pœnæ. Confirmatur, quia in idem opus poſſunt cadere diuerſæ obligationes, & vnica actione omnibus ſatisfieri: atque ideò ſi quis recitet Roſarium ſibi in ſatisfactionem iniunctam à Confeſſario, tempore quo audit ſacrum ex præcepto, ſatisfacit tàm præcepto Eccleſiæ de audiendo Miſſam die feſto, quam pœnitentiæ iniunctæ à Confeſſario. Denique per hæc eadem opera ſpontè aſſumpta à pœnitente poteſt eidem remitti dicta pœna temporalis. Contentus eſt enim liberalis creditor Deus, vt opus ſit ſub noſtro dominio, & noſtrũ, & quod à nobis liberè fiat, & poſſit non fieri. Ita *Henr. lib.5. de pœnit.cap.19.nu.5. Sot. in 4.diſt.19.q.2. art.1. circa fin. Nauar. in Man. cap.26.nu.23.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d.c.2. nu.8.* Etenim implendo Diuina præcepta meremur vitam æternam, vt conſtat ex *Conc. Trid. ſeſſ.6. cap.10. & 16.* Ergò, & ſatisfacimus, cùm non minus requiratur ad meritum, quàm ad ſatisfactionem: quòd ſi hæc vera ſunt, non poteſt aſſignari ratio, cur hæc ipſa opera non poſſint à Confeſſario iniungi in ſatisfactionem prædictæ pœnæ temporalis, cùm id cedat in maiorem vtilitatem pœnitentis; eo quòd opera illa eleuantur virtute clauium, atque ideò ſunt multo magis ſatisfactoria. Eſt tamen verum, quòd quando

12 Confeſſarius opera aliàs præcepta, ac debita pœnitenti imponit, prudenter aget, ſi aliquid aliud addat, vt ſi iniungat, vt diebus feſtis Miſſā audiat, addat, vt eam audiat genuflexo: & ſi ieiunium in Vigilijs, aut in Quadrageſima, addat vt vinum non bibat, niſi ſemel, aut aliud ſimile. Etenim regulariter loquendo in ſatisfactionem à Confeſſarijs à pœnitentibus iniungenda ſunt illa opera, quæ non ſunt ex præcepto, vel aliàs debita, vt maior ſit ſatisfactio, & pœnitentes in pluribus operibus, & actionibus bonis maiorem facilitatem benè operandi adipiſcantur. Ob id autem Confeſſarius, quando in imponendis ſatisfactionibus, opera determinata ſimpliciter iniungit, ſemper intelligendus eſt de operibus non debitis, vt ſi imponat ieiunium, non eſt intelligendus de ieiunio quadrageſimali, vigiliarum, ac temporum, aut alterius diei, in quo quis vouit ieiunare, vt rectè declarat idem *Fagund. d.c.5.nu.9.* Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant, ſola igitur difficultas conſiſtit in duobus. Primò, an Confeſſarius poſſit imponere pœnitenti opera publica: Secundò, an poſſit iniungere opera merè interna.

13 Circa primum dubium duæ ſunt opiniones. Nam prima opinio eſt *Nauar. in c. Sacerdos de pœnit. diſt.6.nu.86. & in Man. c.8. nu.10.* Reprobantis omninò pœnitentias publicas; atque

ideò

ideò dicentis à Confeſſarijs pœnitentibus imponi non poſſe pœnitentias, ſeù ſatisfactiones publicas in Sacramento pœnitentiæ. Mouetur ex eo, quòd Sacramenti ſigillo oſſiciunt, & perſonam produnt peccatoris; & quamuis pœnitens videatur eiuſmodi pœnitentijs conſentire; talis tamen conſenſus eſt veluti coactus, & inuoluntarius, & contra illius famam.

Secunda ſententia eſt *D. Thomæ in 4. d. 14. q. 1. art. 5. quæſtiun. 1. ad 1. & d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 4. ad 4. Alenſ. 4. p. q. 14. mem. 6. art. 1. aliàs q. 64. mem. 1. Palud. d. c. 14. q. 6. Dur. q. 4. Sot. d. 19. q. 2. art. 5. D. Anton. 3. par. tit. 14. c. 17. §. 6. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 6. n. 3.* Et aliorum diſtinguentium, quòd aut peccatum eſt occul-
14 tum, aut eſt publicum. Primo caſu negant pro peccato occulto imponi poſſe pœnitentiam, ſeù ſatisfactionem publicam, & id tum ob formidinem, ac periculum violationis ſacramentalis ſigilli, tum etiam quia talis pœnitentia eſt improportionata peccatis occultis. Secundò verò caſu, atque adeò pro peccatis publicis volunt iniungi poſſe à Confeſſario pœnitenti pœnitentias publicas. Mouentur ex eo, quòd ita expedit ad Eccleſiæ ſatisfactionem, & publicum aliorum exemplum ad tollendum ſcandalum. Pro hac ſententia facere videtur *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 8.* dum inquit, *Apoſtolus monet, publicè peccantes palam eſſe puniendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vndè alios ſcandalo offenſos, commotoſq; fuiſſe, non ſit dubitandum huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet, vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocauit, ſua emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam: Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire.* Nec videtur ſubſiſtens *Nauar.* interpretatio exiſtimantis Conc. Trid. loqui de pœnitentijs in foro externo, & iudiciario à Poteſtate publica Eccleſiaſtica impoſitis; quoniam *in d. cap.* 8. Concilium quædam ſtatuit de pœnitentiario confeſſionẽ audituro in Cathedralibus Eccleſijs, in illis verbis immediatè ſupra relata Concilij verba ſequentibus, *In omnibus Cathedralibus Eccleſijs, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis, &c.* Vndè dicendum eſt, Concilium loqui de pœnitentijs publicis, quæ imponuntur à Pœnitentiarijs in foro ſacramentali, ac interno, & non de illis, quæ infliguntur in foro externo, ac iudiciario: ſiquidem vna pars legis per aliam declaratur, & antecedentia per ſubſequentia, & è contrario, *arg. tex. in l. ſi ſeruus plurium, §. fin. ff. de legat. 1. Bart. in l. virum, ff. de pet. hæred.* & nos adnotauimus in *noſtris Comment. in Bull. Cœnæ Domini lib. 2. can. 2. q. 7. nu. 37. & can. 9. q. 35. ſub nu. 3.*

15 Ampliatur hæc concluſio, vt non modo vera ſit de impoſitione pœnitentiæ publicæ, non ſolùm illius, quæ coram alijs fit occulta perſona, vel cauſa pœnitentiæ, de qua non eſt dubium, quòd imponi poſſit, vt patet ex Doctoribus communiter, quos ſequuntur *Suar. & Fagund. locis citatis*; ſed etiam illius, quæ ita fit coram alijs, vt ex illa colligi poſſit, Confeſſarium propter graue crimen ſibi confeſſum eam impoſuiſſe, vt per Doctores, quos ſupra retulimus pro ſecunda ſententia.

16 Limitatur tamen hæc ipſa concluſio, vt ita demum pœnitentia publica in foro pœnitentiali iniungi poſſit, quando neceſſaria eſt ad tollendum aliquod ſcandalum: & pœnitens conſentit, ac vult eam ſubire, vt habetur ex *D. Thoma, & Suar. locis ſupra relatis: & Fagund. d. c. 5. ſub nu. 6. & 7.* Qui teſtatur hanc eſſe communem opinionem: & non eſſe contra ſigillum, quia fit ex conſenſu pœnitentis, nec eo caſu poteſt dici eum cogi, ſed rationabiliter induci ad id, quod facere tenetur, & ita remanent ſoluta contraria.

16 Quoad verò ad ſecundum dubium pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Alen. 4. p. quæſt. 84. memb. 2. art. 1. & Almayni d. 15. q. 1.* Dicentium, Confeſſarios non poſſe iniungere pro pœnitentijs, ac ſatisfactionibus pœnarum temporalium, quæ remanent poſt remiſſas culpas, pœnitentibus opera purè interna. Mouentur ex eo, quòd pœnitentia iniuncta, ſeù ſatisfactio eſt pars materialis Sacramenti pœnitentiæ, quòd cum ſit ſignum ſenſibile, ſeù viſibile inuiſibilis gratiæ, oportet, vt etiam pars illius ſit ſenſibilis. Confirmatur, quoniam ſatisfactionis, & pœnitentiæ impoſitio iniungitur per modum præcepti humani: at præceptum humanum non cadit in actum purè internum. Pro hac opinione citantur etiam *Scot. d. 15. q. 3. §. de ſecundo principali, & Gabr. d. 16. q. 2. art. 1.* Dum volunt, quòd totus valor ad ſatisfaciendum in hac vita per opera pœnalia conſiſtit in actu externo.

18 His tamen non obſtantibus, cõtraria ſententia eſt verior, quam tenet *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 5. nu. 5.* Et aliorum dicentium, quod licèt magis conueniens ſit, & modus magis viſitatus in pœnitentiam, & ſatisfactionem imponi pœnitenti actus externos; actus tamen purè interni iniungi poſſunt, maximè rationabili ſubſiſtente cauſa. Vndè ſi Confeſſarius iudicet ad bonum conſcientiæ pœnitentis expedire, vt ipſe proponat ſæpè in die, ſe non peccaturum, id ei poteſt imponere. Sic etiam ſi pœnitens ita ægrotet, vt nihil externum poſſit operari, poteſt ei imponi, vt actum amoris, vel contritionis habeat, aut in corde ſuo repetat dulciſſimum Ieſu Chriſti nomen. Etenim Sacramentum pœnitentiæ cùm ad internum animæ bonum pertineat & internam fidelis ſalutem intendat, meritò Confeſſarius actus merè internos in ſatisfactionem iniungere poteſt. Confirmatur, quia Confeſſarius abſoluit à peccatis purè internis; ergò poteſt in pœnitentiam imponere actus purè internos. Præterea contritio eſt actus merè internus, & tamen eleuatur virtute clauiũ: ergò idem dicendum eſt de alijs actibus ſatisfactorijs purè internis. Denique per actus purè internos poſſumus ſatisfacere extra Sacramentum pro pœna,
19 quæ remanet poſt remiſſam culpam; vt latè poſt alios probat idem *Fagund. loco citato, c. 2. n. 20.* ergò poſſunt imponi in ſatisfactionem eiuſdem pœnæ à Confeſſario pœnitenti; cum non poſſit aſſignari diuerſitatis ratio, cur actus interni ſponte habiti extra Sacramentum pœnitentiæ proſint ad remiſſionem pœnæ: & non poſſint præcipi à Confeſſario.

20 Ad contraria patet reſponſio: nam actus interni, vt ſint pars Sacramenti viſibilis, ſatis eſt vt

ſint

ſint per accidens viſibiles: at per accidens efficiuntur ſenſibiles, quando exterius imponuntur à Confeſſario, & acceptantur à pœnitente.

An Confeſſarius teneatur condignam ſatisfactionem imponere pœnitenti, & quam menſuram ſeruare debeat.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarius audita confeſſione pœnitentis tenetur eidem mulctam imponere, ſeu ſatisfactionem pro pœna ſolutione, quæ remanet poſt culpam remiſſam.*

2 *Poteſt interdum Confeſſarius abſoluere pœnitentem, nulla impoſita pœnitentia.*

3 *An Confeſſarius obligetur omninò ad imponendam condignam pœnitentiam.*

4 *Pœnitentiæ omnes, à Confeſſario iniungendæ, arbitrariæ ſunt, & eorũ arbitrio remittendæ.*

5 *Sacerdotis arbitrium non eſt eius voluntati relinquendum, ſed pro criminum qualitate, ac pœnitentium fragilitate ſatisfactionem debet iniungere.*

6 *Confeſſores in mitiorem partem ſemper debent inclinare, & condeſcendere pœnitentibus.*

7 *Septennem pœnitentiam eſſe imponendam pro ſingulis peccatis mortalibus fabuloſum eſſe, nonnulli volunt: Et de quibus pœnitentijs intelligenda ſint decreta, determinantia certas pœnas pro qualitate criminum.*

Et an Confeſſarius admonere teneatur pœnitentem, cum multo leuiorem ſatisfactionem iniungit, ob illius fragilitatem.

8 *Arbitrium Confeſſarij non eſſe abſolutè eius voluntati relictum, ſed pro qualitate criminum, & pœnitentium fragilitatem, eſſe pœnitentiam imponendã, probatur ex Conc. Trid.*

Non tamen poteſt in ea imponenda tam exactè ſeruari æqualitas rei ad rem.

9 *Pœnitentia, ſeu ſatisfactio, à Confeſſario impoſita, opus non eſt, vt ſit talis, quæ ſatisfaciat pro tota culpa.*

10 *Prudens pœnitentia, licèt ſit leuior iuſto, totam remittit pœnam, maximè ſi fiat ex magno motu pœnitentis.*

An pœnitentia minima, & improportionata tollat totam pœnam.

11 *Pœnæ ſolutio per pœnitentiam à Sacerdote iniunctam procul dubio fieri dicitur de cõdigno.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt eſt adnot. quòd hoc loco non quærimus, an Confeſſarius, audita confeſſione pœnitentis teneatur eidem imponere mulctam, ſeu ſatisfactionem pro ſolutione pœnæ, quæ remanet poſt culpam remiſſam: certum eſt enim, eum teneri, vt conſtat ex noſtro canone, in illis verbis, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam, &c.* Et ex *Conc. Trid. de reform. ſeſſ. 14. c. 8.* Etenim Confeſſarius tenetur ad integritatem Sacramenti pœnitentiæ, concurrentibus alijs conditionibus ad illud requiſitis, tùm ex parte ipſius Confeſſarij: tùm etiam ex parte pœnitentis; at ſatisfactio eſt pars integralis dicti Sacramenti; ergò tenetur eam imponere, aliàs non conferret integrum Sacramentum. Confirmatur, quia Confeſſarius non modo eſt Medicus, vt in noſtro canone, ibi, *Vt more periti Medici.* Sed etiam eſt Iudex, vt *in can. verbum de pœnit. d. 1.* ita ſe habente, *Verbum Dei dimittit peccata: Sacerdos eſt Iudex, &c.* Ergò vt Medicus tenetur curare vulnera pœnitentis, & vt Iudex æqualitatem ſeruare. Vndè cùm iudicet inter Deum, & hominem, ſicut tenetur abſoluere pœnitentem benè diſpoſitum, ita etiam curare debet, vt pœnitens ipſe ſatisfaciat Deo per mulctæ, ſeù pœnitentiæ impoſitionem: quam quidem obligationem grauem eſſe, cum ad integritatem Sacramenti, & Religionem Deo debitam pertineat, per ſe loquendo, docet *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 3. nu. 1. in fine.* Dixi, *Per ſe loquendo,*

2 Quoniam interdum poteſt Confeſſarius abſoluere pœnitentem, nulla impoſita pœnitentia, vt cùm pœnitens adeò eſt morti propinquus, vt ſit impotens ad illam implendam, & præſertim ſi nihil percipere poſſit: quia ſatisfactio cum non ſit pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ; ſed tantùm integralis, ſicut digitus reſpectu totius hominis, non eſt omittendum Sacramentum propter incapacitatem pœnitentis. Idem dicendum eſt, vbi Confeſſarius ex ipſa pœnitentis confeſſione, & ex materia, & ſignis eius intelligit pœnitentem integrè ſatisfeciſſe pro ſuis peccatis: etenim quemadmodum æquitas iudicij poſtulat, vt condemnetur debitor; ita vt abſoluatur, qui iam ſoluit. Imò Confeſſarius quamuis regulariter, & per ſe loquendo, vt diximus, teneatur imponere pœnitentiam; non ſemper tamen tenetur eam imponere per modum præcepti; ſed aliquando poteſt iniungere pœnitentiam, ſi pœnitens velit illam ſubire, vel ſolùm conſilium, vt rectè declarat *Suar. loco citato, ſub nu. 2.* Sola igitur controuerſia noſtra eſt de Confeſſario, an teneatur condignam ſatisfactionem imponere pœnitenti: quando ad imponendam pœnitentiam tenetur.

3 In hac difficultate videtur prima facie dicendum, Confeſſarium omninò obligari ad imponendam condignam pœnitentiam, ſeù ſatisfactionem pœnitenti. Probatur primò per *text. in c. falſas, de pœnit. d. 6.* vbi ex D. Gregorio ita habetur, *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.* Si igitur falſa eſt pœnitentia, quæ pro qualitate criminum non imponitur; ergo ad condignam pœnitentiam pro qualitate criminum imponendam obligatur Confeſſarius. Secundò, quoniam nonnulli canones extant, in quibus pro ſingulis peccatis certum pœnitentiæ tempus, & modus taxatur, ita vt olim ſeptennis pœnitentia pro ſingulis peccatis mortalibus præciperetur. Tertiò confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* vbi ſic legitur, *Debent autem Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, ac prudentia ſugeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes fiant.* Ergò Confeſſarius tenetur pœnitenti condignam iniungere ſatisfactionem, ſeù pœnitentiam. Denique ſatisfactio iniungitur pœnitenti ad exoluendam pœnam, quæ remanet poſt remiſſam culpam, ergò debet eſſe proportionata culpæ,

atque

Digitized by Google

atque ideò Confeſſarius tenetur iniungere pęnitenti condignam ſatisfactionem, ſeù pęnitentiam. Antecedens patet. Probatur conſequentia ex his, quæ ſupra diximus in notan. dum oſtendimus Confeſſarium in conferendo Sacramentum pęnitentiæ, eſſe Iudicem inter Deum, & hominem, & vt Iudex debet æqualitatem ſeruare, atque ideò ſicut tenetur abſoluere pęnitentem benè diſpoſitum; ita quoque curare debet, vt pęnitens ipſe ſatisfaciat Deo per condignæ pęnitentiæ impoſitionem; ergò tenetur pęnitenti condignam iniungere ſatisfactionem, ſeù pęnitentiam.

4 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis ſententia, quam tenet *Sot. in 4. d. 20. q. 2. art. 2. Nauar. in Man. c. 26. nu. 18. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 5. nu. 1.* Et alij dicentes, omnes pęnitentias pro peccatis à Confeſſarijs in confeſſione iniungendas eſſe arbitrarias, & eorum arbitrio remittendas. Probatur primò hæc opinio ex noſtro canone, vbi iniunctam pęnitentiam adimpleri tantùm præcipit, & inquiri diligenter à Confeſſario peccatoris circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere conſilium, & remedium adhibere: nec in eo de condigna pęnitentia ſit aliqua mentio. Confirmatur ex *Conc. Floren.* relato ab eodem *Fagund. loco citato*, dum ait, tertia pars Sacramenti pęnitentiæ eſt ſatisfactio ſecundum arbitrium. Præterea patet ex *tex. in c. menſuram, de pœnit. d. 1.* vbi apertè habetur, quòd canones non præfigunt pęnitentias pro quocunque crimine; ſed magis arbitrio Sacerdotis intelligētis id relinquendū ſtatuunt. Secundò probatur hæc ipſa ſententia ratione: nam Sacramentum pęnitentiæ ordinatur præcipuè in bonum, & curationem pęnitentis: at pęnitentis diſpoſitio poteſt eſſe varia: ergò nec eadem quantitas, nec idem modus pęnitentiæ poteſt omnibus expedire, atque ideò totum id Confeſſarij arbitrio eſt remittendum.

Reſtat modo, vt contraria diluamus.

5 AD primum dicimus, arbitrium Sacerdotis non eſſe abſolutè eius voluntati relictum, ſed pro qualitate criminum, & pęnitentium fragilitate debet ſatisfactionem iniungere, vt rectè reſpondet *Gloſa in d. c. menſuram, de pœnit. d. 1.* Propter impotentiam enim, & fragilitatem pęnitentis, aut ex alia rationabili cauſa poteſt Confeſſarius diſſimulare, & leuiorem ſatisfactionem imponere, quàm peccati grauitas expoſtulat: ſiquidem in Sacramento pęnitentiæ magis intenditur ſalus pęnitentis, eiuſdemque emendatio, quam pęnæ ſolutio: & cauſa Dei ſemper remanet integra; quia ſi in hac vita pęnitens plenè pęnam non exoluet, in Purgatorio ſatisfaciet

6 vſque ad minimum quadrantem. Hinc in *c. alligant, 26. q. 7. ex D. Chriſoſtomo* habetur, quòd Confeſſores ſemper debent in mitiorem partem inclinare, & condeſcendere pęnitentibus; quoniam in hoc minus periculi eſt, quàm ſi grauioribus pęnitentijs homines deterreant, vel in deſperationem inducant: & tanto fortius, quia melius eſt per miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem: vbi enim Paterfamilias largus, diſpenſator non debet eſſe tenax: ſi Deus benignus, cur Sacerdos eius auſterus vult apparere. *Nazian.* etiam *orat. 26. circa fin.* ſic ait. Hanc rationem tene, vt partim illum corrigas, idq; leuiter, & humanè; non vt hoſtis, neque durus, ac rigidus Medicus: & inferius; Habes medicinæ regulam, Chriſti diſcipulus es, mitis, & benignus, qui noſtras infirmitates portauit.

7 Ad illud de ſeptenni pęnitentia pro ſingulis peccatis mortalibus, reſpondetur, quòd nonnulli volunt, id eſſe fabuloſum, cùm nullibi reperiatur tale decretum: alia verò decreta determinantia certas pęnas pro qualitate criminum, vel non loquuntur de pęnitentijs imponendis in foro pęnitentiali; ſed in foro exteriori: vel ſi aliquæ pertinerent ad forum pęnitentiæ, ſemper dabatur locus arbitrio Confeſſoris, vt ſupra diximus. Vel certè hodie ex conſuetudine totum hoc negotium arbitrio Confeſſarij committitur, vt benè inquit, *Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 5. Nauar. Petr. Sot. & alij*, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 4.* Eſt tamen verum, quòd ipſe *Nauar. in Man. c. 26. nu. 19. & 20.* Inquit, quòd quando Confeſſarius multò leniorem ſatisfactionem iniungit ob pęnitentis fragilitatem quàm eiuſdem peccata merentur, debet pœnitentem ipſum admonere, dicens, pœnitentiam, ſeù ſatisfactionem illam, non eſſe ſufficientem pœnam; ſed propter eius indiſpoſitionem cum eo benignius agere: ne fortè ex leuitate pœnæ occaſionem ſumat peccandi.

8 Ad Conc. Trid. reſpondetur eodem modo, quo reſpondimus ad primum: nihil enim aliud ex eo colligitur, niſi quòd arbitrium Confeſſarij non eſt abſolutè eius voluntati relictum; ſed pro qualitate criminum, & pœnitentium fragilitate debet ſatisfactionem imponere: non tamen in ea imponenda poteſt tàm exactè æqualitas rei ad rem ſeruari; quia Confeſſarius non habet ſufficientem notitiam extremorum, vt poſſit ea inter ſe comparare, & compenſare, ſed ſecundum generales quaſdam rationes pro grauioribus delictis debet grauiores ſatisfactiones imponere pœnitenti; attenta tamen ſemper pœnitentis diſpoſitione, ac fragilitate, emendatione, & præſeruatione in futurum, in quibus omnibus certa regula aſſignari non poteſt, ſed in omnibus prudentia opus eſt, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 6.*

9 Ad vltimum argumentum negatur conſequentia: non enim opus eſt pœnitentia, ſeù ſatisfactio impoſita à Confeſſario, vt talis ſit, quæ ſatisfaciat pro tota pœna, quia vt ſupra diximus Confeſſarius non habet ſufficientem cognitionem extremorum, & cauſa Dei ſemper remanet integra; quoniam ſi in hac vita pœnitens non ſatisfaciat plenè, in Purgatorio totam pœnam

10 exoluet. Imò non deſunt, qui velint, prudentem pœnitentiam, licèt ſit leuior iuſto, remittere totam pœnam, maximè ſi fiat ex magno motu pœnitentis; quia tunc ex opere operato, & ex opere operantis remittit, vt habetur ex *Henriq. lib. 5. de pœnit. c. 22. num. 10. Sot. in 4. d. 20. q. 2. art. 3. Fagund. d. c. 5. nu. 2.* & ex alijs. Regulariter tamen ſi pœnitentia ſit minima, & improportionata non tollit totam pœnam; ſed illa exoluitur tota pœna, quæ eſt proportionata peccatis. Etenim pœna Purgatorij quantumuis minima, licèt ſit omnium pęnarum huius ſæculi maxima; pœnitentia tamen iniuncta à Sacerdote cum

virtute

Digitized by Google

virtutē habeat ex opere operato ſi proportionata eſt, poteſt remittere totam pœnam; vndè fit, vt interdum ſatisfactio excedat reatum: aliquando ſit minor reatus, & tunc habebit ſolum ex parte effectum iuxta proportionem, quam cum ipſo reatu habuerit: & aliquando eſt reatui æqualis, atque ideò proportionata, & tunc exoluit totam pęnam temporalem, quæ remanet poſt remiſſam culpā, vt latè declarat *Suar. d. diſp. 38. ſec. 1. n. 3.*

11 Hæc autem pœnæ ſolutio proculdubio dicitur fieri de condigno. Etenim opera bona Iuſtorum per ſe virtutem habent ſatisfaciendi pro pœna temporali peccatis noſtris debita, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, & de condigno: ſiquidem homines in hac vita ſi iuſti ſunt, ſicut bonis operibus gratiæ augumentum, & præmium æternum per Chriſti merita ex condigno mereri poſſunt; ita quoque pro pœna temporali in Purgatorio luenda ex condigno ſatisfacere: nam ſuppoſita Dei promiſſione, & acceptatione, & alijs conditionibus requiſitis, de quibus latè *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 9. c. 2. n. 1. cum pluribus ſeq.* opus bonum, quod viator in ſtatu merendi, ac ſatisfaciendi exiſtens exhibet, eſt aliquo modo æquiualens pęnæ in altera vita luendæ, vel ſecundum iuſtitiam commutatiuam iuxta Doctorum opinionem, quos refert *Laym. lib. 5. ſua ſum. Theol. tract. 6. c. 15. ſub nu. 3.* Vel ſi non ex rigore iuſtitiæ commutatiuæ, ſaltem ex iuſtitia vindicatiua, vt rectè declarat *Fagund. d. c. 2. nu. 17.* Quòd ſi opera in ſtatu gratiæ ſpontè à fidelibus exhibita extra Sacramentum, & à Confeſſario nō iniuncta ſatis ſunt ad ſatisfaciendum de condigno; multo magis id dicendum eſt de operibus bonis iniunctis à Confeſſario; poſtquam eiuſmodi opera longè magis, & certius ſatisfactoria ſunt, quatenus ex Chriſti inſtitutione à Sacerdote peccatori pręcipiuntur in eum finem, vt per opera impoſita virtute clauium, peccatum etiam ſecundum pœnæ reatum deſtruatur, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 17. q. 2. art. 6. q. 1. Suar. de pœnit diſp. 38. ſec. 2.* & ex alijs quos refert, & ſequitur *Laym. d. c. 15. ſub nu. 3. verſ. Notandum quartè.*

An pœnitens teneatur ſatisfactionem ſibi impoſitam acceptare, & acceptam implere.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitens non tenetur ad pœnitentiam acceptandam, ſi tamen illam acceptet tenetur ad illam adimplendam.*

2 *Secundum Caiet. neque tenetur ad eam adimplendam: Et quare.*

3 *Vera eſt ſententia, quod teneatur acceptare, & implere.*

4 *In Sacerdote adeſt poteſtas ligandi non tantum ad infirmitatis medelam, ſed ad peccati commiſſi vindictam.*

5 *Pœnitens ſi pœnitentiam nō acceptet, vel acceptatam non impleat mortaliter peccat regulariter.*

6 *Tàm Sacrdos, quàm pœnitens tenetur Sacramenti ſeruare integritatem.*

7 *Pœnitens acceptare tenetur pœnitentiam iniunctam ſibi à Confeſſario, quamuis illam acceptare noluerit, nec abſolutionem recipere; ſed alium Confeſſarium velit adire, modo ſit iuſta, prudenter, & rationabiliter impoſita.*

8 *Curare debet Confeſſarius ne incongruas pœnitentias imponat, nec adeo graues, nec vt ſi tali die non impleatur duplicetur; nec facile permittere debet pœnitenti, vt voueat, vel iuret, ſe in poſterum non commiſſurum tale peccatū.*

9 *Pœnitens non ſolum tenetur acceptare iuſtam, & rationabilem pœnitentiam, ſed etiam poteſt aliquando compelli ad eam acceptandam, antequam abſoluatur.*

10 *Pœnitens non acceptando pœnitentiam, vel non implendo acceptatam, tunc mortaliter peccat, cum confeſſio eſt de materia mortali, & neceſſaria, & pœnitentia eſt grauis; ſecus verò ſi eſſet de materia veniali, vel peccatorum alias confeſſorum.*

11 *Leuis pœnitentia ſi ob mortalia imponatur, eius impletio non obligat ſub mortali.*

12 *Confeſſarius ſi pro mortalibus leuem imponat pœnitentiam, non præſumitur in dubio voluiſſe obligare pœnitentem ad eam adimplendam ſub mortali, niſi hoc exprimat.*

13 *Stando in ſolo iure naturæ, & extra Sacramentum pœnitentiæ, licèt pœnitens poſſit ſatiſfactionem temporalis pœnæ poſt culpā remiſſā in Purgatorio reſeruare, tenetur, tamen pœnitentiam impoſitam acceptare ob Sacramenti integritatem.*

14 *Confeſſarius, an & quando obligare poſſit pœnitentem ad acceptandam ſatiſfactionem condignam.*

15 *Confeſſarij docti non conſueuerunt pœnitentes abſoluere citra pœnitentiæ impoſitionem, niſi in mortis articulo: Et in quibus caſibus poſſit non iniungere pęnitentiam.*

1 IN hac difficultate tres extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Scoti in 4. d. 18. q. 1. art. 1. Gabr. q. 1. art. 3. dub. 1. & d. 16. art. 3. dub. 5. Panorm. in c. ſignificauit, de pęnit. & remiſ. Nauar. in Man. cap 26. nu. 20. Armil. in ſua ſum. ver. Confeſſio, §. 29.* Et aliorum dicentium, pœnitentem non teneri ad acceptandam pœnitentiam; verum ſi illam acceptet, teneri ad illam adimplendam. Quòd pœnitens non poſſit compelli ad acceptandam pœnitentiam, probatur ex eo, quòd peccator in hac vita non tenetur ſatisfacere pro pœna temporali, quæ remanet poſt remiſſam culpam, ſed ſatis eidem eſt propoſitum ſatisfaciendi Deo in hac vita, vel in Purgatorio: ergò quoad hoc non tenetur ſe ſubdere clauibus, & pœnitentiam acceptare. Antecedens patet, quia non aliàs teneretur, niſi vt Dei iuſtitiæ ſatisfaceret: at Dei cauſa ſemper ſalua remanet; quia ſi in hac vita non ſatisfecerit, in Purgatorio ſoluet vſque ad minimum quadrantem. Conſequentia probatur, quia clauibus non tenetur ſe ſubdere, niſi propter ea, ad quæ de iure compellitur, nempe propter peccata mortalia: nam ob id non tenetur ob venialia. Confirmatur, quoniam aliàs pœnitens teneretur condignam pœnitentiam acceptare, etiam ſi grauiſſima foret. Denique probant præfati Doctores hanc ipſam ſententiam ex communi conſuetudine omnium Confeſſariorum: nullus enim Confeſſarius negat abſolutionem pœnitenti eo ſolùm, quòd nolit pœnitentiam acceptare. Quòd

tamen

Digitized by Google

tamen teneatur pœnitentiam acceptatam implere, ſuaderi poteſt ex eo, quod per acceptationem pœnitentiæ quoad hunc quoq; actum ſubditur clauibus: & propterea non implendo pœnitentiam dicitur facere contra obligationem in re graui: nam multa ab initio ſunt voluntatis, quæ ex poſtfacto fiunt neceſſitatis.

2 Secunda ſententia eſt *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 6. q. 2.* ad ſecundam, non ſolùm negantis, penitentem teneri ad acceptandam pœnitentiam, iuxta *Scoti* opinionem, & aliorum, quos ſupra retulimus; ſed etiam ſi acceptet, teneri ad eam implendam. Etenim inquit, acceptatio non eſt votum, nec promiſſio; ſed tantùm ſimplex propoſitum. Si ergò præceptum Confeſſoris per ſe non inducit obligationem ex prima opinione, nec acceptatio illam inducet.

3 Tertia ſententia, quæ nobis probatur tanquam vera eſt *Magiſtri in 4. ſent. d. 16. & 18. vbi D. Thom. q. 1. art. 3. quæſtiun. 3. Riccar. art. 2. q. 5. Palud. Maior. Dur. Alenſ.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Suar. diſp. 38. de penit. ſec. 7. nu. 2. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 3. nu. 12.* vbi quamplurimos alios allegat, & *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. ſub num. 6.* Probatur hæc opinio, primò, quia Confeſſor eſt Iudex, vt in *c. verbum, de penit. d. 1.* Vndè tanquam Iudex poteſt obligare ſubditum, vt pœnitentiam impoſitam acceptet, & impleat, & ille tenetur obedire. Secundò probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* vbi decernitur, in

4 Sacerdote eſſe poteſtatem ligandi, non tantùm ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccati commiſſi vindictam: & in *can. 15.* datam eſſe Sacerdoti poteſtatem nō ſolùm abſoluendi, ſed etiam ligandi, & ſic obligandi ad opus pœnitentiæ implendum. Si igitur Sacerdos ad vindictam peccati commiſſi poteſt ſatiſfactionem, ſeù pœnitentiam pœnitenti iniungere, & illum obligare ad eam implendam: ergò & ipſe pœnitens tenetur obedire, & pœnitentiam adimplere, iuxta præceptum noſtri canonis, in illis verbis, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere.* Denique probatur ex *Conc. Galeguſtad. c. 18. in 3. tom.* Conc. dicente, quod multi tanta falluntur ſtultitia, vt capitali crimine culpati, pœnitentiam à ſuis Sacerdotibus acceptare nolint. Hæc adeò hodie tenenda eſt, ſtante maximè diſpoſitione, *Conc. Trid. loco citato,* vt contrariam ſine temeritate defendi non poſſe putet, *Suar. d. diſp. 38. ſec. 5. nu. 2.* Etenim ſi Confeſſarius tenetur ſatiſfactionem imponere, vt ex *d. Conc. Trid.* oſtendimus *ſec. præced. in not.* ergò & pœnitens tenetur illam acceptare; ſiquidem tàm Sacerdos, quàm pœnitens concurrant ad Sacramentum pœnitentiæ, vterque pariter tenetur eiuſdem integritatem ſeruare: altàs valdè inefficax eſſet Sacerdotis vindicatiua poteſtas.

5 Ampliatur hæc concluſio, vt adeò pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare, eandemque implere, vt ſi non acceptet, aut acceptatam non impleat, regulariter mortaliter peccet: ſiquidem obligatio acceptandi pœnitentiam, & illam implendi, ex ſuo genere grauis eſt, ad Religionem, & iuſtitiam Diuinam pertinens: ergò contrafaciens non excuſatur à culpa mortali. Ita *Magiſt. in 4. ſent. d. 16. & 18.* vbi etiam *D. Thom. q. 1. art. 3. quæſtiun. 3. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 7. nu. 2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. cap. 3. nu. 12. 13. 16. & 17. & Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 15. num. 7.* Confirmatur; quia tàm Sacerdos,

6 quàm penitens tenentur Sacramenti pœnitentiæ integritatem ſeruare, vt ſupra diximus: ergò ſicut Sacerdos non iniungendo pœnitentiam facit contra integritatem illius, atq; ideò peccat mortaliter, ita etiam pœnitens non acceptando pœnitentiam, vel acceptatam non implendo. Ob id *Nauar. in Man. c. 26. nu. 10. Suar. d. diſp. 38. ſec. 3. in fine,* & alij, quos allegat, & ſequitur *Laym. loco citato, nu. 8.* putant, pœnitentiam rectius à Sacerdote decerni ante abſolutionem à peccatis, quàm poſtea. Et hanc communem opinionem eſſe teſtatur ipſe *Laym.* & id etiam, vt ordo iudicij, & iuſtitiæ vindicatiuæ melius ſeruetur, ſi pœnitens ſatiſfactionem prius ſpondeat, quàm abſoluatur: & vt omnes Sacramenti partes materiales ſubijciantur Sacerdotis abſolutioni.

7 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam ſibi à Cōfeſſario iniunctam, etiam ſi nolit illam acceptare, nec abſolutionem ab eo Confeſſario recipere; ſed alium Confeſſarium velit adire, cui de nouo ſua peccata aperiat, & abſoluatur: quoniam non eſt abſolutè liberum, nec licitum pœnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis iudicium, cui ſe ſemel ſubdidit, & alium quærere: ſiquidem citra irreuerentiam Sacramenti id fieri non poteſt, vt habetur ex *Suar. d. diſp. 38. ſec. 7. nu. 4.* quem ſequitur *Fagund. loco ſupra relato, ſub nu. 18.* Quod quidem verum eſſe dicunt, quando pœnitentia eſt iuſta, prudenter, ac rationabiliter impoſita à Cōfeſſario: nec ab eo plus nimio obiurgationibus exagitentur pœnitentes: nec aliqua alia ſit cauſa effugiendi iudicium, & non integrandi Sacramentum. Vndè Confeſſarius tantùm poteſt excedere in pœnitentijs iniungendis, & in obiurgationibus, vt iuſtam cauſam præbeat pœnitenti non integrandi Sacramentum, & ad alium Confeſſarium confugiendi. Quo circa caueat Con-

8 feſſarius, ne incongruas pœnitentias imponat, nempè mulieribus peregrinationes; valdè occupatis multas preces: pauperi, vel filiofamilias eleemoſynas: operarijs, vel debilibus perſonis ieiunia. Item ne adeò graues pœnitentias imponat, vt pœnitentis domeſtici, aut alij commiſſū crimen concipere poſſint. Caueat præterea, ne pœnitentiam iniungat, vt ſi tali die non impleatur, duplicetur: nec facile permittere debet pœnitenti, vt voueat, vel iuret, ſe in poſterum non commiſſurum tale peccatum, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Nauar. in Man. c. 26. à num. 10. ad 29. D. Antonino Henriq.* & ex alijs relatis à *Laym. d. c. 5. ſub nu. 11.* Qui poſt alios probat etiam non poſſe iniungi in pœnitentiam pœnitenti, vt Religionem ingrediatur, & profeſſionem emittat: aut matrimonium contrahat, quoniam tàm matrimonium carnale, quàm ſpirituale liberæ electionis eſſe debent. Cæterum Confeſſarius in pœnitentijs imponendis duo attendere debet peccatorum magnitudinem, & peccatoris diſpoſitionem, vt colligitur ex noſtro canone, & ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* & latè declarat *Nauar. d. c. 26. nu. 18. & 20. in c. men-*

Tt *ſum,*

ſuſcipimus nempè ieiunijs, orationibus, peregrinationibus, diſciplinis, eleemoſynis, & denique cùm Deo pro noſtris peccatis ſatisfacimus per indulgentiarum ſuſceptionem. eſt enim ſatiſfactio duplex, altera ex opere operantis, & altera ex opere operato. Prior eſt illa, qua Deo ſatisfacimus per pœnas ſpontè ſuſceptas, per eleemoſynas, & per flagella à Deo immiſſa patienter tolerata. Altera vero dicitur, qua ſatisfacimus per Chriſti merita: & ſubdiuiditur in illam, qua debitum luendæ pęnæ exoluimus per pœnitentiam à Sacerdotem iniunctam in ſacramentali, & interno foro: & in illam, qua debitum luendæ pœnæ exoluitur in foro exteriori per applicationem indulgentiarum, quæ ſunt merita Chriſti, ac ſanctorum, quæ omnia adeò vera ſunt, vt ea negantes anathemate feriantur, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. can 13.* his verbis, *Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote iniunctis, ſed neque ſpontè ſuſceptis, vt ieiunijs, orationibus, & eleemoſynis, anathema ſit.* Dixi quoque ſolutio loco generis, quoniam ſolutio in genere comprehendit cuiuſcunq; debiti ſatisfactionem: imò ſi largè ſumatur, comprehendit quoque reſtitutionem; nam qui reſtituit pecuniam, quam abſtulit, verè cēſetur eam ſoluere. Non ſic ſi ſtrictè ſumatur, quoniam ſolutio, ſeù ſatisfactio ſtrictè ſumpta differt à reſtitutione: ſiquidem reſtitutio in rebus, ſatisfactio in actionibus verſatur. Prior reſpicit damnum re ipſa illatum: ſatiſfactio verò perſonam iniuria affectam. Et deniq; reſtitutio eſt ab iniuria ceſſatio; ſatisfactio autem eſt iniuriæ illatæ reſtauratio.

2 Dixi, *Voluntaria*, quoniam ſatisfactio per quam Deo ſatisfacimus pro pęnis temporalibus relictis ex peccatis per pænitentiam à Deo condonatis, voluntaria eſſe debet, non autem inuita. Sicut enim voluntariè culpas contraximus, voluntariè quoque debemus pro his pœnis ſatisfacere.

Dixi, *Debiti luendæ pœnæ temporalis, &c.* quoniam qui peccat, ſtatim contrahit reatum culpæ, & debitum luendæ pœnæ: ſiquidem in peccato duo conſiderantur, nempè reatus culpæ, & reatus pœnæ. Reatus culpæ nihil aliud eſt, quàm inimicitia, quam contrahit homo cum Deo propter offenſam, quam peccator dicitur inferre ipſi Deo, vel immediatè, ſeu directè per blaſphemiam, hæreſim, aut apoſtaſiam à fide, &c. vel mediatè, & indirectè, cum peccator peccando offendit creaturam: nam cum creatura rationalis dicatur Dei filius, ac ſeruus, indirectè Deus afficitur iniuria; ſicut indirectè afficitur iniuria pater per iniuriam illatam filio: & Dominus per iniuriam illatam ſeruo, vt in *l. 1. §. contumelia, ff. de iniur.* Reatus verò pœnæ eſt debitum, ſeù obligatio luendæ pœnæ propter culpam: quæ pœna ratione obiecti infiniti offenſi, nempè Dei, vt fiat culpæ proportionata, eſt infinita, ac æterna. Quando
3 igitur homo agit pœnitentiam pro peccato, remittitur ei à Deo reatus culpæ, ideſt ex Dei inimico efficitur Dei amicus. Non tamen pro amicitia Dei reformanda poteſt homo ſatisfacere ſecundum æqualitatem perfectam, & abſolutam. Etenim ſicut iuſtitia eſt duplex, altera ſcilicet, quæ verſatur in abſoluta, & perfecta æqualitate, vt cùm tantum honoris vnus alteri tribuit, quantum eius dignitas abſolutè exigit; altera verò iuſtitiæ ſpecies eſt, quæ non conſiſtit in perfecta, & abſoluta æqualitate, ſed inæqualitate imperfecta, quæ ex pacto, aut donatione, vel acceptatione alterius pendet, vt cùm quis illum honorem Principi defert, quem is ſibi deferri mandauit; licèt is honor inferior ſit Principis dignitate; ita etiam ſatisfactio quoad rem noſtram attinet, eſt duplex: altera ſcilicèt, quæ aliquando fit ad abſolutam, & perfectam æqualitatem, vt cùm iniuria inter duos homines recompenſatur per actionem illi contrariam, quæ tantum honoris habeat, quantum actio illa iniurioſa haberat contumeliæ. Aliquando autem ſatisfactio fit ad æqualitatem imperfectam, vt cùm is, qui paſſus fuit damnum mille aureorum, ſatisfieri ſibi contentatur ceſſione omnium bonorum, licèt bona illa non aſcendant ad ſummam mille aureorum. Et quoniam inter Deum, & hominem non poteſt dari iuſtitia illa perfecta, & abſoluta, per conſequens non poteſt dari ſatisfactio pro culpa quoad abſolutam, ac perfectam æqualitatem; ſiquidem cùm peccamus, quoad in nobis eſt, Deum offendimus infinitum bonum, nec in nobis eſt aliquid, quo valeamus recuperare amicitiam Dei, quæ per peccatum amittitur, quicquid enim ſumus; Dei ſumus: quicquid habemus, à Deo habemus: vndè cùm quicquid habemus, & ſumus exiguum, & finitum ſit, niſi aliqua acceptatio, vel donatio interueniat ex parte Dei, non poſſumus illi ſatisfacere pro peccatis in eum commiſſis; atque adeò ſecundum commune Theologorum placitum ſatisfactio non offeretur Deo, neque exigitur ab hominibus pro culpa, ſed gratis nos à culpa iuſtificat Deus, gratis amicitiam ſuam nobis reſtituit, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 8.* Et quamuis veteres Patres interdum actionibus humanis tribuere videantur, vt Deum ex inimico amicum reddant, atque ideò pro expianda culpa ſatisfaciant; id tamen intelligendum eſt de congruo: ideſt de ſatisfactione ſecundum æqualitatem imperfectam, modo ſupra explicato, non autem perfectam, ac abſolutam. Etenim ſicut offenſio Dei habet infinitatem quandam ex parte obiecti, cum Deus ſit infinitum bonum; ita ſatiſfactio habere debet infinitatem quādam ex parte principij ſatisfacientis; quo circa exigitur, vt opera ſatisfactoria fiant à ſpiritu Dei hominem inhabente; ſiue ab ipſo homine, & membro Chriſti, ac filio Dei iam per gratiam, & caritatem effecto. Et ſi aliqua ſatisfactio pro culpa exhiberi poſſet ab homine; hæc re vera non eſt à contritione diſtincta, neque alias conditiones requirit præter eas, de quibus ſupra tractauimus, de contritione agentes. Vide *Suar. loco citato, & D. Thom. in 4. d. 15. q. 1. art. 3.*

4 Quo verò ad debitum luendæ pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam, eſt adnot. quod cùm in peccato vt ſupra diximus, duo conſiderentur, culpa ſcilicèt, & pœna, hinc fit, duplicem ſatisfactionem fieri oportere apud Deum, alteram pro culpa, & alteram pro pœna temporali; qualiter autem ſatisfactio fiat pro culpa, paulo ſupra explicauimus. Nunc autem videndum eſt qualiter ſatisfactio fiat pro pœna temporali poſt remiſſam culpam. Quòd autem, remiſſa culpa remaneat debitum luendæ pœnæ temporalis in hac vita, vel in Purgatorio licèt *Martin. Luther. in concione*

tione de Indulgentijs, quam habuit anno 1518.
*& Caluin.lib.*1. *Inſt.c.*4. §.31. *&* 32. Impiè do-
ceant, Deum à Iuſtis nullas expetere pœnas in
vindictam peccati præteriti, ſed eos tantùm pa-
ternè caſtigare ad profectum, & emendationem
in poſterum, atque ideò videantur concludere,
quòd remiſſa culpa, non maneat debitum luendæ
pœnæ; nihilominus in contrarium eſt communis
& vera ſententia omnium Catholicorum, dicen-
tium, poſt remiſſam culpam, ſæpè remanere rea-
tum pœnæ temporalis, quod quidem de fide fuit
definitum per *Conc. Trid.ſeſſ.*6. *c.*14. *& ſeſſ.*14.
*can.*12. Et patet etiam ex 2. *Reg.c.*12. vbi Dauid
poſt impetratam veniam adulterij in perſonam
Berſabeæ, & homicidij in perſonam vriæ, puni-
tus fuit morte proprij filij: & *cap.* 24. *eod. lib.*
vbi eidem Dauidi ob peccatum numerati Populi
pœnitentiam agenti, & à Deo in gratiam accepto,
datur optio poſt remiſſam culpam, vt eligat in
pœnam peccati bellum, famem, aut peſtem. Nec
ſubſiſtens eſt Caluini reſponſio ad prędicta ſcrip-
turæ loca, ſe habens, non fuiſſe à Deo Dauidi pœ-
nas eiuſmodi inflictas in vindictam peccatorum
præteritorum; ſed in admonitionem cauendi de
cætero; atque ideo eſſe correptiones paternas,
non autem Iudicis vltiones. Pro qua re allegat
Ioan. Chriſoſt. in homil. de pœnit. & confeſ. ſic
dicentem, *Propter hoc imponit nobis pœnam, non
de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos
corrigens*. Etenim verè fallitur *Caluinus*: nam
Sacra ſcriptura in *d.c.*12. cauſam referens mortis
filij Dauid, non ait, vt caueas in futurum; ſed
quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domi-
ni, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi,
morte morietur. Et ſic pro peccato præterito fuit
punitus Dauid in filio, vt latè habetur ex *Card.
Belarm. in ſuis contron. lib.*4. *de pœnis. c.* 2. vbi
pro noſtra affert autboritates nonnullorum
Patrum, & ad auctoritatem Ioan. Chriſoſt. re-
ſpondetur, quòd Chriſoſt. ibi vtrumque ſcribit,
nempè ſupplicium, quod Deus de nobis poſt cul-
pam remiſſam interdum ſumit, vltionem eſſe
peccatorum: & ſimul remedium contra futura,
vt legenti patet, & nos non negamus. His adde,
quæ habentur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.*
2. *lib.*9. *c.*1. *nu.*3. *&* 4.

5 Hoc autem debitum luendæ pęnæ temporalis,
quæ remanet poſt remiſſam culpam aliquando
exoluitur in hac vita: & aliquando in alia, nempè
in Purgatorio. In hac vita exoluitur, vel ex opere
operantis, vel ex opere operato, vt aliàs diximus.
Ex opere operantis per ieiunia, eleemoſynas,
orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia:
item per mortem temporalem, infirmitates, per-
ſecutiones, amiſſionem bonorum, honoris, &
per alia flagella à Deo inflicta, ac patienter tole-
rata, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *c.*14. *&
ſeſſ.*14. *can.*11. Ex opere autem operato debitum
exoluendæ pœnæ temporalis exoluitur duplici-
ter, nempè in foro externo per indulgentias, vt
latè infra, Deo duce, dicemus: vel per iniunctam
à Confeſſario pœnitentiam in foro pœnitentiæ:
& ſic in foro interno. In alia vita debitum luen-
dæ pœnæ temporalis exoluitur in Purgatorio per
pœnam gehennæ, & eſt illa pœna ſenſus, quam
patitur pœnitens in Purgatorio ſimilis pœnæ ge-
hennæ, quam patiuntur damnati in Inferno, nec
in alio differunt inter ſe, niſi quia pęnæ Purga-
torij ſunt temporales Inferni verò eternæ. Tria
6 enim complectitur pęna Infernalis gehennæ, pę-
nam ſcilicèt damni: pęnam ſenſus: & vtriuſque
pęnæ eternitatem: harum prima reſpondet auer-
ſioni à Deo: ſecunda conuerſioni inordinatæ ad
creaturas: & tertia cum ſempiterno, & infinito
Deo. Ex his autem tribus modis, quæ ſunt in
Infernali gehenna à primo, & tertio liberatur
peccator ſtatim cum ad Dei amicitiam redit: ſo-
lum remanet malum illud ſecundum debitum,
ſcilicèt pęnæ ſenſus ad tempus luendæ in Purga-
torio, vt rectè explicat *Caiet. de contr. q.* 4. Dixi
ad tempus luendæ; quoniam pęna ſenſus æterna,
& pęna damni æterna remittuntur ſimul cum
culpa: ſiquidem cùm remiſſa culpa homo ex ini-
mico efficitur Dei amicus, non eſt veriſimile,
attenta Dei bonitate, vt velit amicum perpetuò
cruciari; quocircà, remiſſa culpa, pęna eterna,
quam meretur peccator propter lethalem culpã,
eo quòd quoad in ſe eſt, læſit Deum infinitum
bonum, ſtatim commutatur in temporalem. Pęna
demum temporalis in altera vita exoluitur de
condigno; in hac vero vita exoluitur de congruo.
7 Eſt tamen verum, quòd licèt Deus poſt remiſſam
culpam, quam gratis remittit per pęnitentiam,
poſſit etiam condonare gratis debitum luendæ
pęnæ temporalis, vt re vera gratis remittit, cùm
primum per Baptiſmum nos in filios recipit, vel
cùm martirium pro nomine eius ſubimus; poteſt
tamen, & id quoque velle, vt cùm peccamus poſt
Baptiſmum, amicitia quidem gratis pęnitentibus
& confitentibus peccata ſua reſtituatur, ſed ma-
neat debitum luendæ pęnæ, quo iuſtitiæ ſatisfa-
ciat, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ* 6. *c.*14. *& ſeſſ.*14.
8 *can.* 12. Etenim quemadmodum qui alterum
lædit amicitiam ſimul, & iuſtitiam violat; ita
etiam qui ſatisfacit, & iuſtitiam, ac amicitiam
reſtaurare, & reintegrare debet: & quamuis vna,
ac eadem actione aliquando poſſit iuſtitiæ ſimul,
& amicitiæ pro peccato ſatisfieri, nempè per con-
tritionem magnam cum Sacramenti pęnitentiæ
actuali ſuſceptione, aut Sacramenti voto; tamen
ſæpè contingit amicitiæ tantùm ſatisfieri; non
autem iuſtitiæ: nam qui ſola atritione Sacra-
mentum pęnitentiæ ſuſcipit, ſatisfacere de con-
gruo dicitur amicitię Dei; iuſtitię verò quoad de-
bitum luendæ pęnæ temporalis poſt culpam re-
miſſam contingit non ſatisfacere ſatè complerè.

9 Dixi, *Per mulctam à Sacerdote, &c.* Ad diffe-
rentiam ſatisfactionis, quæ fit extra Sacramen-
tum pęnitentiæ, nempè per Indulgentias, ieiunia,
orationes, eleemoſynas, & per flagella à Deo in-
flicta, ac etiam ab hominibus patienter tolerata,
vt ſupra diximus. Per eiuſmodi enim opera extra
Sacramentum pęnitentiæ poſſumus ſatisfacere
pro debito luendæ pęnæ temporalis, tùm in hac,
tùm etiam in alia vita; ſicut per impletionem
mulctæ in Sacramento pęnitentiæ à Sacerdote
iniunctæ, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.*9.
Ita ſe habente, *Docet præterea, tantam eſſe Di-
uinæ magnificentiæ largitatem, vt non ſolùm pœ-
nis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſcep-
tis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti
impoſitis; ſed etiam, quod maximum amoris argu-
mentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis,
& à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem
per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.*

10 Ex hoc infertur, cauendum eſſe ab opinione
Adria-

Digitized by Google

Adriani, q. de clauib. dub. 2. circa fin. dicentis, ita eſſe neceſſariam ſacrementalem ſatisfactionem ſemel impoſitam ad tollendum reatum pęnę in Sacramento relictum, vt in hac vita per alia opera ſatisfactoria tolli non poſſit. Etenim exolui poſſe pęnas temporales poſt remiſſam culpam non tantùm per mulctam à Sacerdote iniunctam ſed per alia opera ſatisfactoria voluntariè exhibita, per pęnas ſpontè aſſumptas, per mortem, & calamitates à Deo inflictas, ac patienter toleratas, apertè probatur ex *Conc. Trid. d. ſeſſ. 14. c. 9.* latè *Belarm de pœnit. c. 3. 4. & 6.* Per quamplurima ſcripturæ loca contra hæreticos contrarium ſentientes, præſertim ex illo *Iob. c. vlt.* vbi pro delicto verbo per ipſum commiſſo: ſpontè pęnitentiam egit in fauilla, & einere, dum ait, *Inſipienter locutus ſum, idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.* Eiuſmodi quoque operibus ſatisfactorijs pęnas temporales huius vitæ, quas Deus ſtatuit infligendas, poſſe tolli probatur ex illo *Ionæ, c. vlt.* vbi Niniuitæ, quibus Deus propter grauiſſima eorum ſcelera comminatus fuerat, vt poſt quadraginta dies Niniuæ ſubuerteretur; propter eorundem tamen præces, ieiunia, ſaccos, & cineres placatus ipſe Dominus, comminatam pęnam condonauit. Idē patet ex *c. 7. Paralip.* vbi Dominus inquit, *Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero, ac percepero locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatuſque me fuerit, & exquiſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à vijs ſuis peſſimis, & ego exaudiam de Cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & ſanabo terram eorum.*

11 Denique pro debito luendæ pęnæ temporalis huius vitæ poſt remiſſam culpam non ſolum poteſt ſatisfieri per ſacramentalem mulctam à Sacerdote iniunctam; ſed etiam per Indulgentias à Rom. Pontifice conceſſas, vt infra, Deo duce, ſuo loco dicemus de indulgentijs agentes. Eſt tamen verum, quòd pęnæ temporales huius vitæ, quæ remanent poſt remiſſam culpam, interdum prædictis operibus ſatisfactorijs redimi non poſſunt; ſed neceſſariò ſunt luendæ. Deus enim aliquando ita pęnam aliquam conſtituit, vt nullam pro ea redemptionem recipere velit. Eiuſmodi enim pęna eſt mors; quæ per peccatum intrauit in mundum: & nullus quantumuis iuſtus quocunque opere poteſt eam effugere. Talis etiam fuit pęna illa *Dauidis 2. Reg. c. 12.* quam Deus illi poſt remiſſam culpam conſtituit his verbis, *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini, propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi morietur,* Quamuis enim Dauid ieiunauerit, cilicio, & ſacco indutus, humi cubuerit, &c. nihilominus mortem filij ſui redimere non valuit.

12 Adde, quòd ſupradictis operibus ſatisfactorijs non ſolùm exoluitur debitum luendæ pęnæ in hac vita, ſed etiam debitum luendæ pęnæ temporalis alterius vitæ, quæ in Purgatorio poſt remiſſam culpam luenda eſſet, vt contra *Luth. Caluin.* & alios hæreticos, patet ex quamplurimis ſcripturæ locis, Patrum teſtimonijs, ac etiam ratione. Scriptura Sacra probatur *Tob. c. 4.* dicentis, quòd eleemoſyna à peccato liberat, & non patietur animam ire in tenebras: omnes enim volunt, *Tobiam* ibi, locutum fuiſſe de pęnis vitæ futuræ, quæ per eleemoſynam compenſantur. Confirmatur ex illo *Eccl. c. 3.* vbi ait, quòd ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Hoc idem patet ex *c. 11. Lucæ*, in quo habetur, Date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis: quod Doctores intelligunt de munditia à reatu pęnæ. Et *Ioan. c. 14.* ait Dominus, ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, remittet vobis Pater cæleſtis: remiſſio enim iniuriarum, quædam eleemoſyna eſt, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 1.* vbi etiam *ſec. 10.* plura alia cumulat ad rem hanc pertinentia. Præterea ex Patrum teſtimonijs hoc ipſum probatur ex illo *Ioan. Chriſoſt. homil 4. de pœnit.* id colligentis ex *pſal. 6.* ibi, Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, &c. Vndè inquit, quòd ſi nos peccati meminerimus, Deus obliuiſcetur: à nobis vltionem ſumamus, nos ipſos accuſemus, & ita placabimus Iudicem. Et in *homil. de Lazaro 4. in fine*, ait quoque, ne pęnas demus, vnuſquiſq; ſe ipſum affligat, lacrimis, ieiunijs, &c. Denique hæc ipſa catholica veritas probatur ratione: ſiquidem homo in hac vita cùm ſit in ſtatu viæ, oportuit, locum, tempus, & modum illi concedi, quibus poſſit anima perfectè purgari ab omni culpa, & reatu pęnæ. Eò magis, quia plus eſt mereri vitam æternam, quàm remiſſionem pęnæ temporalis aſſequi. Imò hoc modo homines ad virtutem, & ad creſcēdum in meritis magis excitantur: & hæc eſt optima via ad reſecanda vitia, & radices peccatorum mortificandas. Nec pro
13 peccato ſequitur duplicem dari ſatisfactionem, noſtram ſcilicèt, & Chriſti ſatisfacientis: nam ſatisfactio noſtra Chriſti ſatisfactioni innititur, nō ſolùm quia per illum habemus virtutem ſatisfaciendi; verum etiam quia noſtra ſatisfactio per ipſum acceptatur, & vt rationem iuſtitiæ participet, in eius ſatisfactione fundatur; atque ideò cùm ſatisfacimus per virtutem, & ſufficientiam à Chriſto ſuſceptam, ſatisfacimus, ſicut & meremur: id autem Chriſti dignitati non repugnat. Eſt tamen verum, quòd dum homo pęnas huius ſæculi, & futuri prædictis operibus ſatisfactorijs redimit, ſimpliciter dicitur pro ſuis peccatis ſatisfacere, vt contra Michelem Baium, & nonnullos alios hæreticos eſt communis omnium catholicorum ſententia. Etenim prædictis operibus verè coram Deo meremur; ergò eodem pacto per noſtra bona opera ſatisfacimus: nam non eſt maius ſatisfacere, quàm mereri, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ 6. c. 14.* vbi eodem modo de merito, ac ſatisfactione loquitur, latè *Suar. de pœnit. ſec. 6. nu. 8.*

An mulcta à Sacerdote iniuncta, & opera, quibus redimitur debitum pęnæ poſt remiſſam culpam, adhuc vt ſint ſatisfactoria debeant fieri ab homine exiſtente in gratia.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Satisfactio per mulctam à Sacerdote iniunctam dicitur ſimpliciter ex opere operato. Et ſecundum quid dici quoque poteſt ex opere operantis.*

2 *Homo Dei gratia carens, an poſſit ſatisfacere Deo pro pœna temporali, remanente poſt remiſſam culpam.*

3 *Nullus in mortali peccato exiſtens ſatisfacere poteſt.*

poteſt pro pœna temporali, ſibi debitam poſt culpam remiſſam.

4 *Satisfactio pœna per multtam, à Sacardote iniunctam, exhibita in ſtatu peccati mortalis ſatis eſt ad integritatem Sacramenti, & ad implendam obligationem impoſitam à Sacerdote.*

5 *Satisfactio pœnæ vt ſupra poſt culpam remiſſam, in peccato mortali impleta, effectum non confert operanti, & per conſequens pœnam temporalem non remittit.*

6 *Homo citra gratiam iuſtificantem non poteſt in hac vita ſatisfacere pro pœnis temporalibus alterius vita.*

7 *Conſtitutus in peccato mortali, nec de condigno, nec de congruo pro pœna temporali, poſt culpam remanente ſatisfacere dicitur.*

8 *Exiſtens in peccato mortali adimplendo multtam à Confeſſario iniunctam, vel alia bona opera faciens pro pœna temporali poſt culpam remiſſam, obicem ponit, huic remiſſioni contrarium.*

9 *Satisfactio pœnæ temporalis per pænitentiam, à Sacerdote iniunctam, facta in peccato mortali, licet effectum non habeat ex opere operato recedente tamen fictione, habebit ſuum effectum, & pœna remittetur.*

10 *Datur Sacramentum pœnitentia validum, ſed informe, & ſatisfactio valida, & informis: Et ſicut quis reiterare non tenetur confeſſionem validam, ſed informem, ita neque huiuſmodi ſatisfactionem.*

11 *Non eſt improbabilis Soti opinio, & aliorum abſolutè negantium eiuſmodi ſatisfactionem habere effectum recedente fictione.*

12 *Baptiſmus quamuis cum peccato mortali ſuſcipiatur, recedente tamen fictione remittit totam pœnam ſimul cum culpa propter Characterem.*

12 *Satisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſponte ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali, non confert effectum operanti, nec opera prædicta, facta in peccato mortali, adueniente gratia reuiuiſcunt.*

14 *Pœna, debita poſt remiſſam culpam, licet temporalis ſit, & finita, exolui tamen non poteſt ab homine exiſtente in peccato mortali, etiam ſi voluntariè eam exoluat.*

14 *Apud Deum nulla pœna valet ad expiandum delictum, niſi ſit voluntariè acceptata.*

16 *Pœna æterna commutatur in temporalem, voluntariam tamen, & amicabilem, & qua à damnatis exolui non poteſt in inferno.*

17 *Tam mulcta, à Sacerdote inflicta, quam opera, quibus remittitur reatus pœnæ poſt culpam remiſſam, vt ſint ſatisfactoria, fieri debent ab exiſtente in gratia.*

18 *Durante peccato etiam veniali, non poteſt quis pro pœna illi debita ſatisfacere in hac vita, ſed ipſam in Purgatorio exoluet.*

19 *Deus in primo inſtanti in quo immediatè ſequitur mors, ſeu in vltimo inſtanti ſeparationis animæ cauſat in anima hominis dolorem peccati venialis voluntariò relicti, vel obliti, per quem reatus culpa venialis remittitur.*

1 AD tituli intelligentiam eſt adnot. quòd licèt hoc loco eſſet agendum de operibus dumtaxat, quæ in Sacramento pœnitentiæ per Sacerdotem imponuntur: etenim ſatisfactio per mulctam à Sacerdote iniunctam dicitur ſimpliciter ex opere operato, atque adeò habet effectum remittendi pœnam temporalem poſt culpam remiſſam ex opere operato: ſiquidem ſi nullum effectum haberet virtute clauium, non eſſet maioris virtutis, & efficaciæ ſatisfactio ſacramentalis, quàm non ſacramentalis: quod eſt abſurdum; quia non eſſet ratio, cur pars Sacramenti pœnitentiæ appellaretur; nihilominus quoniam ſatisfactio ſacramentalis ſecundũ quid dici quoq; poteſt ex opere operantis, pro ea parte, qua ipſe pœnitens concurrit ad ſatisfaciendum ſubeundo mulctã, & opera laborioſa à Sacerdote iniuncta, vt colligitur ex his, quæ dicit *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 2. nu. 2.* Idcircò vnica quæſtione de prædictis omnibus duximus diſcutiendum.

2 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Scoti in 4. d. 15. q. 1. art. 4. Maior q. 1. Gabr. d. 16. q. 2. art. 2. lib. 3. Nauar. c. 1. de pœnit. d. 6. nu. 47.* Et aliorum, dicentium poſſe hominem Dei gratia carentem ſatisfacere ipſi Deo pro pœna temporali, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Probant eorum ſententiam hoc argumento. Pœna temporalis debita poſt culpam remiſſam eſt finita; ergò compenſari poteſt per æqualem pœnam abſque gratia, ſeu dignitate perſonæ patientis: ergò, &c. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quoniam opera in gratia requiruntur ad ſatisfaciendum pro pœna infinita, adhoc, vt ſit proportio inter ſatisfactionem, & eum, qui ſatisfacit; nempè, vt is fiat ordinis quodammodo ſupernaturalis per inhabitantem in eo Spiritum Sanctum. Ex hoc inferunt præfati Doctores, quòd eiuſmodi pœna etiam in Inferno exoluitur ſatisfaciendo, cùm ſit finita intentione, & duratione; eo quòd temporalis eſt: ergò qui illam patitur, nihil amplius debebit in quocumq; ſtatu illam ſuſtineat. Confirmatur, quia aliàs pœna, quæ per pœnitentiam, ex æterna in temporalem commutata erat, per ſubſequens peccatum ex temporali fieret æterna: quod eſt inconueniens; cùm Dei dona ſint citra pœnitentiam.

3 Secunda ſententia, quæ nobis magis probatur, & hodie eſt *D. Thomæ in 4. d. 15. art. 3. q. 2. Soti d. 19. q. 1. art. 4. Petri Soti lect. vlt. de ſatisfact. Riccar. Duran. Palud. Alen. Bonau. Caiet.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 2. nu. 3. & Fagund. de precep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 1. nu. 7.* Qui dicunt, nullum in peccato mortali exiſtentem poſſe ſatisfacere pro pœna temporali ſibi debita poſt culpã remiſſam. Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quòd hæc controuerſia de neceſſitate luendi pœnam temporalem poſt remiſſam culpam in ſtatu gratiæ, quoad ſacramentalem ſatisfactionem poteſt intelligi dupliciter; primò quoad integritatem Sacramenti pœnitentia, vt ſcilicet tunc Sacramentum pœnitentia dicatur integrum, cùm mulcta à Sacerdote iniuncta, fiat in gratia, aliàs non: ſecundò, quoad effectum Sacramẽti, nempè quoad remiſſionem pœnæ temporalis poſt remiſſam culpam: & id duobus quoque modis, altero videlicet, an mulcta impleta in peccato mortali, ſtatim habeat aliquem effectum ex opere operato: & altero, an ſaltem habeat illum, recedente fictione. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

& informis, quæ recedente fictione ſuum habeat effectum: ſiquidem ſatisfactio eſt pars Sacramenti pęnitentiæ, ſicut & confeſſio, & pars debet neceſſariò naturam totius imitari. Confirmatur quoniam ſicut quis non tenetur iterare confeſſionem validam, & informem ita non tenetur, quis iterare ſatisfactionem exhibitam extra ſtatum gratiæ, quæ valida dici poteſt, & informis: ergò ſicut recedente fictione redit effectus Sacramenti confeſſionis ex opere operato debitus, ita etiam recedente fictione, redibit effectus ſatisfactionis ex opere operato: etenim licèt illa ſatisfactio à Confeſſario impoſita, vt eſt opus operantis, ſit opus mortuum, atque ideò nunquã habeat effectum; tamen vt eſt opus ſacramentale, & vt illi à Confeſſario virtute Sacramenti applicantur merita Chriſti, opus ex ſe, & ſui natura eſt viuum, mortificatum tamen ratione ſubiecti, ita vt in illo ratione ſtatus peccati ſuum effectum ex opere operato habere non poſſit, recedente autem obice, poſſit. Hac eadem ratione qui fictè accedit ad Sacramentum Baptiſmi, licèt Baptiſmus ex parte ſuſcipientis ſit peccaminoſus; tamen recedente fictione remittit totam pęnam ſimul cum culpa. Denique impletio mulctæ à Sacerdote impoſitæ, quoad ſui ſubſtantiam eſt actio bona, & punitio delicti, & vt ſic eſt inſtrumentum, quo applicatur Chriſti ſatisfactio: ergò recedente fictione habebit ſuum effectum ex opere operato.

11 Eſt tamen verum, quòd ſententia *Soti in 4. d. 19. q. 1. art. 5. Ledeſmæ*, & aliorum negantium abſolutè, eiuſmodi ſatisfactionem habere effectum, recedente fictione, non eſt improbabilis; ſiquidem reditio talis effectus maximum beneficium eſt, cuius indignus fuit ille, qui in peccato mortali pœnitentiam impleuit: & nullibi reperitur in ſcriptura Sacra promiſſio talis reditionis; eò maximè, quia cum ſatisfactio pro pœna temporali iterari poſſit per aliam confeſſionem peccatorum, & multis modis dicta pœna temporalis remitti, ac tolli, nulla videtur ratio ſufficiens, ob quam dicamus redire præfatum effectum remiſſionis penæ temporalis ex opere operato, recedente fictione, ſeù obice. Et multo magis hæc ſententia eſt probabilis, ſi ſatisfactio, ac mulcta à Confeſſario impoſita impleatur non ſolum in ſtatu peccati mortalis; ſed etiam per opus peccaminoſum: vt ſi Confeſſarius iniungat vt bis, ter, aut quater in anno pęnitens confiteatur, & ille confeſſiones ſacrilegas efficiat: nam vt opus illud ſit ſatisfactorium de ſe, & vt habeat ſuum effectum ex opere operato, neceſsè eſt, vt non ſit malum; quoniam non poteſt eſſe quatenus tale in-
12 ſtrumentum ad hunc effectum. Nec obſtat, quòd Baptiſmus etiam ſi cum fictione, & peccato mortali ſuſcipiatur, poſtea recedẽte fictione, remittit totam pœnam ſimul cum culpa, & ſuum effectũ habet ex opere operato: quoniam reſpondetur quòd in Baptiſmo eſt diuerſa ratio propter characterem: & quia actio illa ſatisfactoria quoad ſubſtantiam fuit mala, & non fuit punitio delicti: & quatenus mala non poteſt eſſe inſtrumentum, per quod applicentur Chriſti merita. Ita *Fagund. d. c. 4. nu. 10.* vbi etiam addit *nu. 11.* probabiliter dici poſſe, implentem ſatisfactionem iniunctam à Confeſſario in peccato mortali, peccare mortaliter; quoniam ponit obicem parti Sacramenti pęnitentiæ; ſicut mortaliter peccat qui ponit obicem toti Sacramẽto: eſt enim eadem ratio totius, & partis, *arg. tex. in l. qua de tot. ff. de rei vend.* quamuis deindè concludat cùm *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 8. nu. 7.* Implentem ſatisfactionem eiuſmodi in peccato mortali, non peccare mortaliter, ſed tantùm venialiter.

QVARTA CONCLVSIO.

13 Satisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſpontè ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali, ſicut non confert effectum operanti in peccato exiſtenti; ita nec ceſſante fictione, & conſeqitenter bona opera prædicta facta in peccato mortali, adueniente gratia, non reuiuiſcunt quoad effectum ſatisfaciendi ex opere operantis. Hæc concluſio habet duas partes. Prior eſt, quòd ſatisfactio pęnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa ſpontè ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali non confert effectum operanti. Poſterior autem pars eſt, quòd eiuſmodi ſatisfactio nec quidẽ ceſſante fictione, effectum habet. Prima pars patet ex ijs, quæ ſupra diximus, *concl. 2.* Probatur modo concluſio quoad ſecundam partem, primò ex communi ſententia omnium Theologorum relata à *Suar. de pœnit. diſp. 37. ſec. 2. nu. 7.* Secundò probatur ratione, quoniam opera illa facta in peccato mortali nõ fuerunt mortificata, ſed omninò mortua: ergò non poſſunt reuiuiſcere, ceſſante fictione, ab obice, vt benè declarat *Suar. loco citato*, qui *nu. 9.* quoque addit, quòd cùm opera prædicta facta in peccato mortali, ſint ex ſe bona, ſunt vtilia ad multa: primò quia cum dicta opera ſint bona, ſunt expetenda, & cõducunt ad ſimilia opera facilius exhibenda. Secundò valent ad impedienda peccata, & conſequenter ad mitigandam pœnam Inferni, non quidem minuendo eam, quæ peccatis alijs debetur, ſed impediendo maiorem reatum. Tertiò deſeruiunt ad pręmium aliquod temporale de congruo; non tamen de condigno, cùm peccator nullius meriti de condigno ſit capax. Quartò vtilia eſſe poſſunt ad impetrandum à Deo aliquod auxilium, præſertim ſi in gratia fiant, iuxta illud *Prouer. c. 15. Per miſericordiam, & fidẽ purgantur peccata.* Et *Daniel. c. 4. Peccata tua eleemoſynis redime.* Vide *Suar. ibidem, nu. 9.*

Reſtat modo, vt contraria ſoluamus.

14 Ad fundamentum igitur contrariæ ſententię reſpondetur negando cõſequentiam: nam licèt pęna relicta poſt remiſſam culpam ſit temporalis, & finita, non tamen poteſt exolui ab homine exiſtente in peccato mortali, etiam ſi voluntariè eam exoluat: ſiquidem pœna æterna, quæ per pęnitentiam condonata fuit, & remiſſa homini peccatori, cùm illi fuit indultum peccatum, non ſimpliciter, & abſolutè fuit remiſſa; ſed fuit commutata in pęnam temporalem, & non in quamcunque pęnam temporalem; ſed in pęnam temporalem voluntariam, & amicabilem, quæ ab homine tantùm Dei amico, & in gratia exiſtente in hac vita, vel in Purgatorio exolui poteſt vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.*

15 Ad illationem eodem modo reſpondemus: & eo magis quoniam apud Deum nulla pęna valet ad expiandum delictum, ſeù reatum eius, niſi ſit voluntariè acceptata; at in Inferno nulla pœna voluntariè acceptatur, neque vllo modo

Digitized by Google

refertur in Dei honorem, vel ſatisfactionem.
16 Ad confirmationem dicitur, quòd pęna æterna
commutatur in temporalem non quamcunque,
ſed voluntariam, & amicabilem, quæ exolui non
poteſt à damnatis in Inferno. Nec propterea
Deum pęniret gratiæ, ſeù liberalitatis factæ; quo-
niam ipſe remittendo peccatum, contulit gratiam
& coſtituit homioem in ſtatu, in quo poſſet pę-
nam temporalem poſt culpam remiſſam perſol-
uere: at homo denuò mortaliter peccando, & per-
manens in ſtatu peccati mortalis, ſua culpa ſe
conſtituit in eo ſtatu, in quo non poteſt ſatisfa-
cere, vt rectè declarat *Suar. d. diſp. 37. ſec. 2.*
nu. 10. & 11.
17 Ex dictis patet, quòd tàm mulctà à Sacerdote
iniuncta, quàm opera, quibus remittitur reatus
pœnæ poſt remiſſam culpam, adhoc vt ſint ſatiſ-
factoria, debent fieri ab homine exiſtente in
gratia; ſecus autem ſi fiant ab homine exiſtente
in peccato mortali. Quod quidem adeò verum
eſt, vt exiſtens in lethali culpa, nec pro pœna
quidem vnius peccati venialis ſatisfacere valeat,
nec in hac, nec in alia vita, vt rectè poſt alios de-
clarat *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 9.*
c. 1. nu. 7. & 13. At verò in Dei gratia exiſtens
non tantùm ſatisfacere poteſt pro pœnis tempo-
ralibus omnium ſuorum peccatorum mortalium,
aut venialium remiſſorum, ſed etiam pro pœnis
temporalibus vnius peccati mortalis remiſſi, aut
venialis condonati, & non pro alijs remiſſis, ac
condonatis, vt habetur ex eodem *Fagund. loco*
citato num. 22. vbi idem dicendum eſſe ait, vbi
vnum peccatum veniale remittatur, non remiſſis
alijs: nam poteſt ſatisfacere homo pro pęna tem-
porali debita huic peccato remiſſo; non ſatisfa-
ciendo pro alijs pęnis debitis non remiſſis, ſiqui-
dem peccata venialia non tollunt gratiam, nec
Dei amicitiam diſſoluunt: quapropter ſicut homo
poteſt conſequi remiſſionem vnius venialis, &
non alterius, ita poteſt pro pęna vni debita ſatiſ-
facere, non alteri, ſi culpa illius iam ſit remiſſa.
Dixi, *Si culpa illius iam ſit remiſſa*. Quia du-
18 rante peccato, etiam veniali, non poteſt quis pro
pęna illi debita ſatisfacere in hac vita, ſed pęnam
ipſam in Purgatorio explicet. Siquidem quam-
diù peccatum durat, & non eſt remiſſum dignus
eſt homo pęna ipſius peccati. Vndè pugnat, poſſe
quem ſatisfacere pro pęna, quam iuſtiſſimè me-
retur quis ratione culpæ ante remiſſionem illius.
In Purgatorio autem pęnam peccati venialis non
remiſſis exoluet; quia peccata venialia, vt dixi-
mus non diſſoluunt amicitiam Dei, & illorum
pęna non eſt æterna, vt commutaretur in pęnam
temporalem; ſed ex ſua natura eſſe pęnam tem-
poralem, pro qua quis poteſt ſatisfacere in igne
Purgatorio, & ſoluta pęna, ſtatim Cęlos ingredi-
19 tur. Etenim quamuis nihil coinquinatum Cęlos
ingrediatur, & peccatū veniale ſuo modo cauſet
in anima maculam, & Purgatorius ignis non ſit
locus merendi, ſed ſatisfaciendi; Deus tamen in
illo primo inſtanti, quod immediatè ſequitur
mors, ſeù in vltimo inſtanti ſeparationis animæ,
cauſat in homine, ſeù in anima hominis dolorem
peccati venialis voluntariè relicti, vel obliti, per
quem actum doloris macula illa, & reatus culpæ
venialis remittitur, atque ideò coinquinatus non
dicitur Cęlos ingredi. Nec id eſt propriè mereri
in alia vita, quia cùm adhuc homo non ſit iudi-
catus, & ille actus habeatur in vltimo inſtanti ſe-
parationis animæ à corpore, adhuc pertinere di-
citur ad vitam præſentem. Ita *Suar.* quos refert
Fagund. d. c. 1. n. 11. qui etiam refert opinionem
D. Thomæ exiſtimantis, peccatum veniale non
cauſare malum in anima, ſed moralem quandam
imputationem cum pęna temporali debita tali
peccato; quæ imputatio ceſſat in hora mortis,
manente tantùm pęna temporali illius, pro qua
pęna ſatisfaciens homo in Purgatorio, & ad Cę-
los eleuatus, non dicitur illos ingredi coinqui-
natus.

Quænam opera imponi poſſint à Confeſſario pę-nitenti in ſatisfactionem pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Omnia opera ſatisfactoria ad tria genera redu-cuntur ad ieiunium ſcilicet orationem, & elee-moſynam.*

2 *Opera miſericordiæ præſtantiora ſunt operibus afflictiuis.*

3 *Opera ſupradicta, vel externa ſunt, vel inter-na. Vel quæ ſponte ſuſcipiunt, vel quæ patienter tolerantur: Vel præcepta, & debita, vel non: vel publica, vel ſecreta.*

4 *Omnia bona moralia imponi poſſunt pœnitenti à Cōfeſſario in mulctā, & ſatisfactionem pœnæ quæ remanet poſt culpam remiſſam.*

5 *Ad remittendam pœnam prædictam maioris efficaciæ eſt vnius pſalmi recitatio à Cōfeſſario iniuncta, quam totius pſalterij ſponte ſuſcepta.*

6 *Non ſemper expedit eiuſmodi opera omnia, vel eorum aliqua, pœnitentibus imponi: Et quo-modo debeat eſſe Confeſſarius.*

7 *Confeſſarius ſemper curare debet, vt ſatisfactio ab eo imponenda, præſeruatiua ſit in futurum.*

8 *Poteſt à Confeſſario imponi ſuſceptio Sacramēti pœnitentiæ, & Euchariſtiæ bis in hedomada, vel in menſe.*

9 *Poteſt à Confeſſario iniungi non ſolum opus ali-quod in particulari, ſed etiam in generali per illa verba: Quidquid boni feceris, &c.*

10 *Paſſiones, & pœnæ, quas aliundè pati debet pœ-nitens poſſunt ipſi à Confeſſario imponi in ſa-tisfactionem pœnæ temporalis, remanentis poſt remiſſam culpam.*

11 *Confeſſarius in ſatisfactionem pœnæ prædictæ iniungere pœnitenti poteſt opera ex præcepto, vel ex alio titulo debita.*

12 *Prudenter tamen aget, ſi cum imponit opera præcepta, vel alias debita, aliquid aliud addat.*

De quibus operibus ſit intelligendus Confeſſa-rius ſi opera determinata ſimpliciter iniungat.

13 *Pœnitentia publica an ſint omninò reprobanda.*

14 *Pro peccato occulto imponi non poteſt pœnitentia publica, ſecus pro publico. Et reiicitur Nauarri interpretatio ad Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. cap. 8.*

15 *Non ſolum imponi poteſt pœnitentia publica, occulta tamen perſona, vel cauſa pœnitentiæ, ſed etiam quæ ita ſit coram alijs, vt ex ea colligi poſſit propter graue crimen fuiſſe à Con-feſſario impoſitam.*

16 *Pœnitentia publica tunc iniungi poteſt in foro*

pœni-

pœnitentiali, cum neceſſaria eſt ad tollendum aliquod ſcandalum, & pœnitens conſentit, vultque eam ſubire.

17 *Confeſſarius an poſſit iniungere pro pœnitentijs, & ſatisfactionibus pœnarum temporalium opera merè interna.*

18 *Verior eſt ſententia, quod valeat hæc opera merè interna iniungere.*

19 *Per actus purè internos ſatisfacere poſſumus extra Sacramentum pro pœna remanente poſt remiſſam culpam.*

20 *Actus interni, vt ſint pars Sacramenti viſibilis, ſatis eſt, vt ſint per accidens viſibiles.*

IN hac re tria faciemus. Primò aliqua adnotabimus. Secundò certa ab incertis ſecernemus. Tertiò dubia per ſuas quæſtiones diluemus.

1 Circa primum eſt adnot. quòd omnia opera ſatisfactoria reducuntur ad tria genera, nempè ad ieiunium, orationem, & eleemoſynas. Siquidem ad ieiunium reducuntur omnia opera afflictiua, vt vigiliæ, flagella, peregrinationes, virginitatem, & caſtitatem ſeruare, & Religionem ingredi iniuriarum tolerationes, & reliqua omnia quæ afflictio, aut moleſtia eſſe poſſunt. Ad orationem verò reducuntur omnia opera miſericordiæ ſpiritualia, qualia ſunt docere ignorantes, conſulere, corrigere errantes, mediante correctione fraterna, conſolari afflictos, remittere iniurias eaſdemq; ferre patienter, & orare. Ad eleemoſynas denique reducuntur omnia opera miſericordiæ corporalia, nempè viſitare infirmos, & carceratos, cibare eſurientes potum dare ſitientibus, redimere captiuos, & carceratos, veſtire nudos, hoſpitari peregrinos, & ſe-
2 pelire mortuos. Eſt tamen verum, quòd opera miſericordiæ præſtantiora ſunt operibus afflictiuis, vt habetur ex *Chriſoſt. homil. 34. ad Popul. Antiochen.* his verbis, *Ieiunare quidem, & exercere virginitatem, & temperanter agere, ſolis hæc obeuntibus vtilitatem afferunt, quæ verò proximis à nobis exibentur, vt eleemoſyna, doctrina, & charitas, & nobis ipſis, & proximis, ad quos tranſeunt, proſunt.*

3 Secundò eſt adnot. quòd omnia ſupradicta opera, aut externa ſunt, aut interna: quæ ſpontè ſuſcipi ſolent, vel quæ patienter tolerantur: præcepta, & aliàs debita, & non præcepta, nec debita: publica, vel ſecreta. De his omnibus controuertitur, an à Confeſſario pœnitenti imponi poſſint in ſatisfactionem pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam: & denique dubium pariter de Sacramentis an iniungi valeat eorum ſuſceptio ab ipſo Confeſſario in ſatisfactionem eiuſdem pœnæ, eadem controuerſia abſoluemus, nec non & dubium, an bona opera in genere præcipi poſſint exhibenda ad arbitrium pœnitentis.

4 Circa ſecundum dico primò certum eſſe apud omnes, quòd regulariter omnia opera bona moralia, nempè eleemoſyna, orationes, ieiunia, peregrinationes, cilitia, & ſimilia opera corporis afflictiua imponi poſſunt pęnitenti à Confeſſario in mulctam, & ſatisfactionē pęnæ, quæ remanet poſt culpam remiſſam, vt habetur ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9.* ex eo vbi *nu. 3.* Etenim per eiuſmodi opera quis poteſt ſatisfacere, etiam ſi non dentur in mulctam, ſeù pœnitentiam à Confeſſario, ſed ſpontè exhibeantur ab homine pro pœna, quæ remanet poſt remiſſam culpam, vt ſupra *ſec. 1. & 2.* diximus, & patet ex traditis ab eodem *Fagund. loco citato, p. 2. num. 5.* Ergò non eſt ratio, cur regulariter iniungi non poſſint à Confeſſario in Sacramento, cùm id cedat in maiorem vtilitatem pœnitentis, eo quòd eiuſmodi opera eleuantur virtute Sacramenti, & effectum habeat ex opere operato, ac virtute cla-
5 uium, ita vt ad remittendam pœnam prædictam aliquando maioris efficaciæ ſit recitatio vnius pſalmi iniuncta à Confeſſario, quàm recitatio totius pſalterij à Confeſſario non impoſita, ſed ſpontè ab aliquo habita. Et id verum eſt etiam ſi pęnitens in exequendis eiuſmodi operibus delectationem ſentiat, quoniam ipſa ſatisfactio non ſolum datur, ac iniungitur à Confeſſario, vt pęnitens dolorem, ac pęnam corporalem ſentiat; verum etiam vt acquirat facilitatem in bene operando, boniſq; operibus exercendo, atque ideò non poſſunt dici minoris meriti, quia cum voluptate, & facilitate exercentur, vt rectè inquit *Fagund. d. c. 5. nu. 3.* qui idem putat eſſe dicendum de operibus eiuſmodi ſpontè ſuſceptis, & à Confeſſario non iniunctis, vt habetur ex eodem *Fagund. loco citato, c. 2. nu. 5.*

6 Dixi, *Regulariter omnia bona moralia, &c.* quia non ſemper expedit, eiuſmodi opera omnia, vel eorum aliqua imponi pęnitentibus. Etenim ſi pęnitens ſit puer, vel adeo debilis, aut ſenex, vt non valeat ieiunare, nec peregrinari, non debet Confeſſarius in ſatisfactionem ipſi imponere peregrinationem, aut ieiunium: & ſit pauperrimus, non debet eidem iniungere eleemoſynas, & ſic de alijs. Ob id enim ait Concil. Lateran. in noſtro capite, quòd Confeſſarius debet eſſe diſcretus, & cautus, vt more periti Medici ſuperinfundat vinum, & oleum vulneribus ſauciati, diligenter inquirens, & peccatoris circumſtantiam, & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & remedium adhibere, diuerſis experimentis vtendo ad ſal-
7 uandum ægrotum. Vndè debet Confeſſarius ſemper curare, vt ſatisfactio ab eo imponenda ſit præſeruatiua in futurum: iam ob id pęnitentiæ non ſunt determinatæ, ſed omnes arbitrariæ, prudentis Confeſſarij arbitrio remiſſæ, vt habetur ex *D. Thoma, Soto,* & alijs apud *Fagund. d. cap. 5. num. 1.* qui *nu. 2.* etiam addit, quòd non oportet, vt ſatisfactio à prudenti Confeſſario iniuncta talis ſit, quæ ſatisfaciat pro tota pęna temporali, quæ debetur in Purgatorio; quoniam eiuſmodi ſatisfactio non conſiſtit in indiuiſibili, & in æquilibrio, ſed habet ſuam latitudinem: nec ſtatim quòd imponitur ſuum ſortitur effectum ſed poſtquam fuit impleta à pęnitente, ſi is poſt abſolutionem aliquem habeat reatum pęnę. Dixi *Si aliquem habeat reatum pœnæ*; quia tanta poſſet eſſe diſpoſitio pęnitentis, & voluntas implendi pęnitentiam, & virtute clauium ante ipſam adimpletam, probabiliter quidem teneant per abſolutionem Sacerdotis remitti ei totum reatum pęnæ: vel ſaltem partem iuxta quantitatem diſpoſitionis, non modo culpam, & pęnam æternam, ſic etiam parua ſatisfactio iniuncta à Confeſſario ſi fiat ex magno motu pęnitentis poteſt aliquando remittere totam pęnam, quæ remanet poſt remiſſam culpam, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. lib. 5. cap. 22. nu. 10.*

8 Dico ſecundò certum eſſe, quòd à Confeſſario imponi poteſt ſuſceptio Sacramenti pœnitentiæ, Euchariſtiæ, nempè, vt bis confiteatur, & communicet in hedomada, vel in menſe, vt habetur ex *Fagund. d. c. 5. nu. 4.* poſt *Tolet. lib. 5. ſuæ ſum. cap. 13. nu. 6.* Qui dicunt hoc eſſe maximum remedium contra pollutionem voluntariam: nam cum Sacramenta omnia, & præſertim Sacramentum confeſſionis inſtitutæ ſint à Chriſto, vt fidelibus rectè diſpoſitis Chriſti merita applicentur per eorundem ſuſceptionē, hinc fit rectè à Confeſſario præcipi prædictorum Sacramentorum frequentem ſuſceptionem ad redimendas pœnas temporales per peccatis dimiſſis debitas, & ad præcauendas culpas infuturum. Idem dicendū putat ipſe *Fagund.* de Sacramento Chriſmatis; quoniam ad id tenentur fideles ex decentia, ſi poſſunt: & de Sacramento extremæ vnctionis, ſi infirmus reperiatur in extremis. Negat tamen poſſe Cōfeſſarium date in ſatisfactionem, vt Sacramentum ordinis pœnitens ſuſcipiat, cum ſuſceptio ordinis ſit meræ voluntatis, ad quem Deus neminem voluit obligare: & eadem ratione negat imponi poſſe ſuſceptionem matrimonij, aut Religionis ingreſſum: etenim hæc omnia poſſunt Confeſſarij ſuadere, & conſulere pœnitentibus, ſi videant eorum ſaluti expedire.

9 Dico tertiò certum eſſe iniungi poſſe à Confeſſario non ſolùm opus aliquod in particulari; ſed etiam in generali: vt patet ex communi conſuetudine Confeſſariorum, qui in fine abſolutionis illa verba proferunt, *Quicquid boni feceris, vel mali ſuſtineris, &c.* Hæc enim verba denotant impoſitionem ſatisfactionis per opera in genere: & proindè Confeſſarius poſſet in pœnitentiam imponere quid hodie, vel hæc hedomoda, vel menſe boni fecerit, aut mali ſuſtinuerit, vt habetur ex *D. Thoma, quodlib. 3. art. 28. Palud. in 4. diſt. 14. q. 6. Petro Soto lec. 2. de ſatisfac. Nauar. in ſum. cap. 26. num. 24. & de pœnit. diſt. 6 nu 26. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 2.* quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 5. ſub n. 11.* Etenim ſi peccatum in communi poteſt eſſe materia Sacramenti pœnitentiæ, non poteſt aſſignari ratio, cur nō poſſit eſſe quoque ſatisfactio in communi, cum ſit pars materialis eiuſdem Sacramenti.

10 Dico quartò certum eſſe, paſſiones, & pœnas, quas aliundè pati debet pœnitens ab extrinſeco, nempè flagella à Deo immiſſa: infamem mortem auctoritate publica ſibi conſtituta ob ſua demerita, & alia eiuſmodi, poſſe à Confeſſario pœnitenti imponi in ſatisfactionem pęnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Etenim eiuſmodi flagella patienter tolerata ſunt ſatisfactoria ſi patienter ferantur, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ, vt de fide fuit definitum per *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 9. & can. 13.* & rectè declarat *Fagund.* poſt alios *de præcep. Eccleſ. præcep. 2. lib 9 cap. 2. n. 13.* Ergò non poteſt aſſignari ratio, cur hæc omnia iniungi quoque poſſint pœnitenti, cum id cedat in bonum pœnitentis, cum opera eiuſmodi patienter tolerata eleuentur virtute Sacramenti. Confirmatur hoc dictum ex præcedenti dicto: nec non ſupra ex dicto primo, in quo diximus, quod omnia opera moraliter bona poſſunt à Confeſſario iniungi in ſatisfactione: flagella autem patienter tolerata, ſiuè à Deo infligantur, ſiuè ab hominibus procul dubio bona opera moraliter dicuntur.

11 Dico quintò certum eſſe Confeſſarium poſſe pœnitenti iniungere in ſatisfactionem pœnæ temporalis, quæ remanent poſt remiſſam culpam opera ex præcepto, vel ex alio titulo debita, vt habetur ex *Suar.* poſt alios *de pœnit. diſp. 38. ſec. 6. nu. 5. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 15. nu. 10. & Fagund. d. c. 5. nu. 8.* qui inſuper addit ex *Nauar.* id ſæpè expedire propter hominum fragilitatem. Etenim eiuſmodi opera bona ſunt, & virtute clauium poſſunt eleuari ad effectum remiſſionis dictæ pœnæ. Confirmatur, quia in idem opus poſſunt cadere diuerſæ obligationes, & vnica actione omnibus ſatisfieri: atque ideò ſi quis recitet Roſarium ſibi in ſatisfactionem iniunctam à Confeſſario, tempore quo audit ſacrum ex præcepto, ſatisfacit tàm præcepto Eccleſiæ de audiendo Miſſam die feſto, quàm pœnitentiæ iniunctæ à Confeſſario. Denique per hæc eadem opera ſpontè aſſumpta à pœnitente poteſt eidem remitti dicta pœna temporalis. Contentus eſt enim liberalis creditor Deus, vt opus ſit ſub noſtro dominio, & noſtrū, & quod à nobis liberè fiat, & poſſit non fieri. Ita *Henr. lib. 5. de pœnit. cap. 19. nu. 5. Sot. in 4. diſt. 19. q. 2. art. 1. circa fin. Nauar. in Man. cap. 26. nu. 23.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 2. nu. 8.* Etenim implendo Diuina præcepta meremur vitam æternam, vt conſtat ex *Conc. Trid. ſeſſ. 6. cap. 10. & 16.* Ergò, & ſatisfacimus, cùm non minus requiratur ad meritum, quàm ad ſatisfactionem: quòd ſi hæc vera ſunt, non poteſt aſſignari ratio, cur hæc ipſa opera non poſſint à Confeſſario iniungi in ſatisfactionem prædictæ pœnæ temporalis, cùm id cedat in maiorem vtilitatem pœnitentis; eo quòd opera illa eleuantur virtute clauium, atque ideò ſunt multo magis ſatisfactoria. Eſt tamen verum, quòd quando

12 Confeſſarius opera aliàs præcepta, ac debita pœnitenti imponit, prudenter aget, ſi aliquid aliud addat, vt ſi iniungat, vt diebus feſtis Miſsā audiat, addat, vt eam audiat genuflexo: & ſi ieiunium in Vigilijs, aut in Quadrageſima, addat vt vinum non bibat, niſi ſemel, aut aliud ſimile. Etenim regulariter loquendo in ſatiſfactionem à Confeſſarijs à pœnitentibus iniungenda ſunt illa opera, quæ non ſunt ex præcepto, vel aliàs debita, vt maior ſit ſatisfactio, & pœnitentes in pluribus operibus, & actionibus bonis maiorem facilitatem benè operandi adipiſcantur. Ob id autem Confeſſarius, quando in imponendis ſatisfactionibus, opera determinata ſimpliciter iniungit, ſemper intelligendus eſt de operibus non debitis, vt ſi imponat ieiunium, non eſt intelligendus de ieiunio quadrageſimali, vigiliarum, ac temporum, aut alterius diei, in quo quis vouit ieiunare, vt rectè declarat idem *Fagund. d. c. 5. nu. 9.* Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant, ſola igitur difficultas conſiſtit in duobus. Primò, an Confeſſarius poſſit imponere pœnitenti opera publica: Secundò, an poſſit iniungere opera merè interna.

13 Circa primum dubium duæ ſunt opiniones. Nam prima opinio eſt *Nauar. in c. Sacerdos de pœnit. diſt. 6. nu. 86. & in Man. c. 8. nu. 10.* Reprobantis omninò pœnitentias publicas; atque ideò

ideò dicentis à Confeſſarijs pœnitentibus imponi non poſſe pœnitentias, ſeù ſatisfactiones publicas in Sacramento pœnitentiæ. Mouetur ex eo, quòd Sacramenti ſigillo officinnt, & perſonam produnt peccatoris: & quamuis pœnitens videatur eiuſmodi pœnitentijs conſentire; talis tamen conſenſus eſt veluti coactus, & inuoluntarius, & contra illius famam.

Secunda ſententia eſt *D. Thomæ in 4. d. 14. q. 1. art. 5. quæſtiun. 1. ad 1. & d. 17. q. 3. art. 4. quæſtiun. 4. ad 4. Alenſ. 4. p. q. 14. mem. 6. art. 1. aliàs q. 64. mem. 1. Palud. d. c. 14. q. 6. Dur. q. 4. Sot. d. 19. q. 2. art. 5. D. Anton. 3. par. tit. 14. c. 17. §. 6. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 6. n. 3.* Et aliorum diſtinguentium, quòd aut peccatum eſt occul-
14 tum, aut eſt publicum. Primo caſu negant pro peccato occulto imponi poſſe pęnitentiam, ſeù ſatisfactionem publicam, & id tum ob formidinem, ac periculum violationis ſacramentalis ſigilli; tum etiam quia talis pœnitentia eſt improportionata peccatis occultis. Secundò verò caſu, atque adeò pro peccatis publicis volunt iniungi poſſe à Confeſſario pœnitenti pœnitentias publicas. Mouentur ex eo, quòd ita expedit ad Eccleſiæ ſatisfactionem, & publicum aliorum exemplum ad tollendum ſcandalum. Pro hac ſententia facere videtur *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 8.* dum inquit, *Apoſtolus monet, publicè peccantes palam eſſe puniendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, vndè alios ſcandalo offenſos, commotoſq; fuiſſe, non ſit dubitandum huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè iniungi oportet, vt quos exemplo ſuo ad malos mores prouocanit, ſua emendationis teſtimonio ad rectam reuocet vitam: Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis iudicauerit expedire.* Nec videtur ſubſiſtens *Nauar.* interpretatio exiſtimantis Conc. Trid. loqui de pœnitentijs in foro externo, & iudiciario à Poteſtate publica Eccleſiaſtica impoſitis; quoniam *in d. cap.* 8. Concilium quædam ſtatuit de pœnitentiario confeſſionē audituro in Cathedralibus Eccleſijs, in illis verbis immediatè ſupra relata Concilij verba ſequentibus, *In omnibus Cathedralibus Eccleſijs, vbi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis, &c.* Vndè dicendum eſt, Concilium loqui de pœnitentijs publicis, quæ imponuntur à Pœnitentiarijs in foro ſacramentali, ac interno, & non de illis, quæ infliguntur in foro externo, ac iudiciario: ſiquidem vna pars legis per aliam declaratur, & antecedentia per ſubſequentia, & è contrario, *arg. tex. in l. ſi ſeruus plurium, §. fin. ff. de legat. 1. Bart. in l. virum, ff. de per. hæred.* & nos adnotauimus in *noſtris Comment. in Bull. Cœnæ Domini lib. 2. can. 2. q. 7. nu. 37. & can. 9. q. 35. ſub nu. 3.*

15 Ampliatur hæc concluſio, vt non modo vera ſit de impoſitione pęnitentiæ publicæ, non ſolùm illius, quæ coram alijs fit occulta perſona, vel cauſa pœnitentiæ, de qua non eſt dubium, quòd imponi poſſit, vt patet ex Doctoribus communiter, quos ſequuntur *Suar. & Fagund. locis citatis*; ſed etiam illius, quæ ita fit coram alijs, vt ex illa colligi poſſit, Confeſſarium propter graue crimen ſibi confeſſum eam impoſuiſſe, vt per Doctores, quos ſupra retulimus pro ſecunda ſententia.

16 Limitatur tamen hæc ipſa concluſio, vt ita demum pœnitentia publica in foro pœnitentiali iniungi poſſit, quando neceſſaria eſt ad tollendum aliquod ſcandalum: & pœnitens conſentit, ac vult eam ſubire, vt habetur ex *D. Thoma, & Suar. locis ſupra relatis: & Fagund. d. c. 5. ſub nu. 6. & 7.* Qui teſtatur hanc eſſe communem opinionem: & non eſſe contra ſigillum, quia fit ex conſenſu pœnitentis, nec eo caſu poteſt dici eum cogi, ſed rationabiliter induci ad id, quod facere tenetur, & ita remanent ſoluta contraria.

16 Quouero ad ſecundum dubium pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Alen. 4. p. quæſt. 84. memb. 2. art. 1. & Almayni d. 15. q. 1.* Dicentium, Confeſſarios non poſſe iniungere pro pœnitentijs, ac ſatisfactionibus pœnarum temporalium, quæ remanent poſt remiſſas culpas, pœnitentibus opera purè interna. Mouentur ex eo, quòd pęnitentia iniuncta, ſeù ſatisfactio eſt pars materialis Sacramenti pœnitentiæ, quòd cum ſit ſignum ſenſibile, ſeù viſibile inuiſibilis gratię, oportet, vt etiam pars illius ſit ſenſibilis. Confirmatur, quoniam ſatisfactionis, & pœnitentiæ impoſitio iniungitur per modum præcepti humani: at præceptum humanum non cadit in actum purè internum. Pro hac opinione citantur etiam *Scot. d. 15. q. 3. §. de ſecundo principali, & Gabr. d. 16. q. 2. art. 1.* Dum volunt, quòd totus valor ad ſatisfaciendum in hac vita per opera pœnalia conſiſtit in actu externo.

18 His tamen non obſtantibus, cōtraria ſententia eſt verior, quam tenet *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 5. nu. 5.* Et aliorum dicentium, quod licèt magis conueniens ſit, & modus magis vſitatus in pœnitentiam, & ſatisfactionem imponi pœnitenti actus externos; actus tamen purè interni iniungi poſſunt, maximè rationabili ſubſiſtente cauſa. Vndè ſi Confeſſarius iudicet ad bonum conſcientiæ pœnitentis expedire, vt ipſe proponat ſæpè in die, ſe non peccaturum, id ei poteſt imponere. Sic etiam ſi pœnites ita ægrotet, vt nihil externum poſſit operari, poteſt ei imponi, vt actum amoris, vel contritionis habeat, aut in corde ſuo repetat dulciſſimum Ieſu Chriſti nomen. Etenim Sacramentum pœnitentiæ cùm ad internum animę bonum pertineat & internam fidelis ſalutem intendat, meritò Confeſſarius actus merè internos in ſatisfactionem iniungere poteſt. Confirmatur, quia Confeſſarius abſoluit à peccatis purè internis; ergò poteſt in pœnitentiam imponere actus purè internos. Præterea contritio eſt actus merè internus, & tamen eleuatur virtute clauiū: ergò idem dicendum eſt de alijs actibus ſatisfactorijs purè internis. Denique per actus purè internos poſſumus ſatisfacere extra Sacramentum pro pœna,
19 quæ remanet poſt remiſſam culpam; vt latè poſt alios probat idem *Fagund. loco citato, c. 2. n.* 20. ergò poſſunt imponi in ſatisfactionem eiuſdem pœnæ à Confeſſario pœnitenti; cum non poſſit aſſignari diuerſitatis ratio, cur actus interni ſpontè habiti extra Sacramentum pœnitentiæ proſint ad remiſſionem pœnæ: & non poſſint præcipi à Confeſſario.

20 Ad contraria patet reſponſio: nam actus interni, vt ſint pars Sacramenti viſibilis, ſatis eſt vt

ſint

Digitized by Google

ſint per accidens viſibiles: at per accidens efficiuntur ſenſibiles, quando exterius imponuntur à Confeſſario, & acceptantur à pœnitente.

An Confeſſarius teneatur condignam ſatisfactionem imponere pęnitenti, & quam menſuram ſeruare debeat.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarius audita confeſſione pœnitentis tenetur eidem mulctam imponere, ſeu ſatisfactionem pro pœnæ ſolutione, quæ remanet poſt culpam remiſſam.*

2 *Poteſt interdum Confeſſarius abſoluere pœnitentem, nulla impoſita pœnitentia.*

3 *An Confeſſarius obligetur omninò ad imponendam condignam pœnitentiam.*

4 *Pœnitentiæ omnes, à Confeſſario iniungendæ, arbitrariæ ſunt, & eorũ arbitrio remittendæ.*

5 *Sacerdotis arbitrium non eſt eius voluntati relinquendum, ſed pro criminum qualitate, ac pœnitentium fragilitate ſatisfactionem debet iniungere.*

6 *Confeſſores in mitiorem partem ſemper debent inclinare, & condeſcendere pœnitentibus.*

7 *Septennem pœnitentiam eſſe imponendam pro ſingulis peccatis mortalibus fabuloſum eſſe, nonnulli volunt: Et de quibus pœnitentijs intelligenda ſint decreta, determinantia certas pœnas pro qualitate criminum.*

Et an Confeſſarius admonere teneatur pœnitentem, cum multo leniorem ſatiſfactionem iniungit, ob illius fragilitatem.

8 *Arbitrium Confeſſarij non eſſe abſolutè eius voluntati relictum, ſed pro qualitate criminum, & pęnitentium fragilitatem, eſſe pœnitentiam imponendã, probatur ex Conc. Trid.*

Non tamen poteſt in ea imponenda tam exactè ſeruari æqualitas rei ad rem.

9 *Pœnitentia, ſeu ſatisfactio, a Confeſſario impoſita, opus non eſt, vt ſit talis, quæ ſatisfaciat pro tota culpa.*

10 *Prudens pœnitentia, licèt ſit lenior iuſto, totam remittit pœnam, maximè ſi fiat ex magno motu pœnitentis.*

An pęnitentia minima, & improportionata tollat totam pœnam.

11 *Pœnæ ſolutio per pęnitentiam à Sacerdote iniunctam procul dubio fieri dicitur de cõdigno.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt eſt aduer. quòd hoc loco non quærimus, an Confeſſarius, audita confeſſione pęnitentis teneatur eidem imponere mulctam, ſeù ſatisfactionem pro ſolutione pęnæ, quæ remanet poſt culpam remiſſam: certum eſt enim, eum teneri, vt conſtat ex noſtro canone, in illis verbis, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam, &c.* Et ex *Conc. Trid. de reform. ſeſſ. 14. c. 8.* Etenim Confeſſarius tenetur ad integritatem Sacramenti pęnitentiæ, concurrentibus alijs conditionibus ad illud requiſitis, tùm ex parte ipſius Confeſſarij: tùm etiam ex parte pęnitentis; at ſatisfactio eſt pars integralis dicti Sacramenti; ergò tenetur eam imponere, aliàs non conferret integrum Sacramentum. Confirmatur, quia Confeſſarius non modo eſt Medicus, vt in noſtro canone, ibi, *Vt more periti Medici.* Sed etiam eſt Iudex, vt *in can. verbum de pęnit. d. 1.* ita ſe habente, *Verbum Dei dimittit peccata: Sacerdos eſt Iudex, &c.* Ergò vt Medicus tenetur curare vulnera pęnitentis, & vt Iudex æqualitatem ſeruare. Vndè cum iudicet inter Deum, & hominem, ſicut tenetur abſoluere pęnitentem benè diſpoſitum, ita etiam curare debet, vt pęnitens ipſe ſatisfaciat Deo per mulctæ, ſeù pęnitentiæ impoſitionem: quam quidem obligationem grauem eſſe, cum ad integritatem Sacramenti, & Religionem Deo debitam pertineat, per ſe loquendo, docet *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 3. nu. 1. in fine.* Dixi, *Per ſe loquendo,*

2 Quoniam interdum poteſt Confeſſarius abſoluere pœnitentem, nulla impoſita pœnitentia, vt cùm pœnitens adeò eſt morti propinquus, vt ſit impotens ad illam implendam, & præſertim ſi nihil percipere poſſit: quia ſatisfactio cum non ſit pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ; ſed tantùm integralis, ſicut digitus reſpectu totius hominis, non eſt omittendum Sacramentum propter incapacitatem pęnitentis. Idem dicendum eſt, vbi Confeſſarius ex ipſa pęnitentis confeſſione, & ex materia, & ſignis eius intelligit pęnitentem integrè ſatisfeciſſe pro ſuis peccatis; etenim quemadmodum æquitas iudicij poſtulat, vt condemnetur debitor; ita vt abſoluatur, qui iam ſoluit. Imò Confeſſarius quamuis regulariter, & per ſe loquendo, vt diximus, teneatur imponere pęnitentiam; non ſemper tamen tenetur eam imponere per modum præcepti; ſed aliquando poteſt iniungere pęnitentiam, ſi pęnitens velit illam ſubire, vel ſolùm conſilium, vt rectè declarat *Suar. loco citato, ſub nu. 2.* Sola igitur controuerſia noſtra eſt de Confeſſario, an teneatur condignam ſatisfactionem imponere pęnitenti: quando ad imponendam pęnitentiam tenetur.

3 In hac difficultate videtur prima facie dicendum, Confeſſarium omninò obligari ad imponendam condignam pęnitentiam, ſeù ſatisfactionem pęnitenti. Probatur primò per *text. in c. falſas, de pœnit. d. 6.* vbi ex D. Gregorio ita habetur, *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.* Si igitur falſa eſt pęnitentia, quæ pro qualitate criminum non imponitur; ergò ad condignam pęnitentiam pro qualitate criminum imponendam obligatur Confeſſarius. Secundò, quoniam nonnulli canones extant, in quibus pro ſingulis peccatis certum pęnitentiæ tempus, & modus taxatur, ita vt olim ſeptennis pęnitentia pro ſingulis peccatis mortalibus præciperetur. Tertiò confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* vbi ſic legitur, *Debent autem Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, ac prudentia ſugeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares ſatiſfactiones iniungere, ne ſi forsè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes fiant.* Ergò Confeſſarius tenetur pęnitenti condignam iniungere ſatisfactionem, ſeù pęnitentiam. Denique ſatisfactio iniungitur pęnitenti ad exoluendam pęnam, quæ remanet poſt remiſſam culpam, ergò debet eſſe proportionata culpæ,

atque

Digitized by Google

atque ideò Confeſſarius tenetur iniungere pœnitenti condignam ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam. Antecedens patet. Probatur conſequentia ex his, quæ ſupra diximus in notan. dum oſtendimus Confeſſarium in conferendo Sacramentum pœnitentiæ, eſſe Iudicem inter Deum,& hominem, & vt Iudex debet æqualitatem ſeruare, atque ideò ſicut tenetur abſoluere pœnitentem benè diſpoſitum; ita quoque curare debet, vt pœnitens ipſe ſatisfaciat Deo per condignæ pœnitentiæ impoſitionem; ergò tenetur pœnitenti condignam iniungere ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam.

4 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis ſententia, quam tenet *Sot. in 4. d. 20. q. 2. art. 2. Nauar. in Man. c. 26. nu. 18. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 5. nu. 1.* Et alij dicentes, omnes pœnitentias pro peccatis à Confeſſarijs in confeſſione iniungendas eſſe arbitrarias, & eorum arbitrio remittendas. Probatur primò hæc opinio ex noſtro canone, vbi iniunctam pœnitentiam adimpleri tantùm præcipit,& inquiri diligenter à Confeſſario peccatoris circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere conſilium, & remedium adhibere: nec in eo de condigna pœnitentia fit aliqua mentio. Confirmatur ex *Conc. Floren.* relato ab eodem *Fagund. loco citato*, dum ait, tertia pars Sacramenti pœnitentiæ eſt ſatisfactio ſecundum arbitrium. Præterea patet *ex tex. in c. menſuram, de pœnit. d. 1.* vbi apertè habetur, quòd canones non præfigunt pœnitentias pro quocunque crimine; ſed magis arbitrio Sacerdotis intelligẽtis id relinquendũ ſtatuunt. Secundò probatur hæc ipſa ſententia ratione: nam Sacramentum pœnitentiæ ordinatur præcipuè in bonum, & curationem pœnitentis: at pœnitentis diſpoſitio poteſt eſſe varia: ergò nec eadem quantitas, nec idem modus pœnitentiæ poteſt omnibus expedire, atque ideò totum id Confeſſarij arbitrio eſt remittendum.

Reſtat modo, vt contraria diluamus.

5 AD primum dicimus, arbitrium Sacerdotis non eſſe abſolutè eius voluntati relictum, ſed pro qualitate criminum, & pœnitentium fragilitate debet ſatisfactionem iniungere, vt rectè reſpondet *Gloſa in d. c. menſuram, de pœnit. d. 1.* Propter impotentiam enim, & fragilitatem pœnitentis, aut ex alia rationabili cauſa poteſt Confeſſarius diſſimulare,& leuiorem ſatisfactionem imponere, quàm peccati grauitas expoſtulat: ſiquidem in Sacramento pœnitentiæ magis intenditur ſalus pœnitentis, eiuſdemque emendatio, quam pœnæ ſolutio: & cauſa Dei ſemper remanet integra; quia ſi in hac vita pœnitens plenè pœnam non exoluet, in Purgatorio ſatisfaciet

6 vſque ad minimum quadrantem. Hinc in *c. alligant, 26. q. 7. ex D. Chriſoſtomo* habetur, quòd Confeſſores ſemper debent in mitiorem partem inclinare, & condeſcendere pœnitentibus; quoniam in hoc minus periculi eſt, quàm ſi grauioribus pœnitentijs homines deterreant, vel in deſperationem inducant: & tanto fortius, quia melius eſt per miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem: vbi enim Paterfamilias largus, diſpenſator non debet eſſe tenax: ſi Deus benignus, cur Sacerdos eius auſterus vult apparere. *Nazian.* etiam *orat. 26. circa fin.* ſic ait. Hanc rationem tene, vt partim illum corrigas, idq; leuiter,& humanè; non vt hoſtis, neque durus, ac rigidus Medicus: & inferius; Habes medicinæ regulam, Chriſti diſcipulus es, mitis, & benignus, qui noſtras infirmitates portauit.

7 Ad illud de ſeptenni pœnitentia pro ſingulis peccatis mortalibus, reſpondetur, quòd nõnulli volunt, id eſſe fabuloſum, cùm nullibi reperiatur tale decretum: alia verò decreta determinantia certas pœnas pro qualitate criminum, vel non loquuntur de pœnitentijs imponendis in foro pœnitentiali; ſed in foro exteriori: vel ſi aliquæ pertinerent ad forum pœnitentiæ, ſemper dabatur locus arbitrio Confeſſoris, vt ſupra diximus. Vel certè hodie ex conſuetudine totum hoc negotium arbitrio Confeſſarij committitur, vt benè inquit, *Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 5. Nauar. Petr. Sot. & alij*, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 4.* Eſt tamen verum, quòd ipſe *Nauar. in Man. c. 26. nu. 19. & 20.* Inquit, quòd quando Confeſſarius multò leuiorem ſatisfactionem iniungit ob pœnitentis fragilitatem quàm eiuſdem peccata merentur, debet pœnitentem ipſum admonere, dicens, pœnitentiam, ſeu ſatisfactionem illam, non eſſe ſufficientem pœnam; ſed propter eius indiſpoſitionem cum eo benignius agere: ne fortè ex leuitate pœnæ occaſionem ſumat peccandi.

8 Ad Conc. Trid. reſpondetur eodem modo, quo reſpondimus ad primum: nihil enim aliud ex eo colligitur, niſi quòd arbitrium Confeſſarij non eſt abſolutè eius voluntati relictum; ſed pro qualitate criminum, & pœnitentium fragilitate debet ſatisfactionem imponere: non tamen in ea imponenda poteſt tàm exactè æqualitas rei ad rem ſeruari; quia Confeſſarius non habet ſufficientem notitiam extremorum, vt poſſit ea inter ſe comparare,& compenſare, ſed ſecundum generales quaſdam rationes pro grauioribus delictis debet grauiores ſatisfactiones imponere pœnitenti; attenta tamen ſemper pœnitentis diſpoſitione, ac fragilitate, emendatione, & præſeruatione in futurum, in quibus omnibus certa regula aſſignari non poteſt, ſed in omnibus prudentia opus eſt, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 6.*

9 Ad vltimum argumentum negatur conſequentia: non enim opus eſt pœnitentia, ſeu ſatisfactio impoſita à Confeſſario, vt talis ſit, quæ ſatisfaciat pro tota pœna, quia vt ſupra diximus Confeſſarius non habet ſufficientem cognitionem extremorum, & cauſa Dei ſemper remanet integra; quoniam ſi in hac vita pœnitens non ſatisfaciat plenè, in Purgatorio totam pœnam

10 exoluet. Imò non deſunt, qui velint, prudentem pœnitentiam, licèt ſit leuior iuſto, remittere totam pœnam, maximè ſi fiat ex magno motu pœnitentis; quia tunc ex opere operato, & ex opere operantis remittit, vt habetur ex *Henriq. lib. 5. de pœnit. c. 22. num. 10. Sot. in 4. d. 20. q. 2. art. 3. Fagund. d. c. 5. nu. 2.* & ex alijs. Regulariter tamen ſi pœnitentia ſit minima,& improportionata non tollit totam pœnam; ſed illa exoluitur tota pœna, quæ eſt proportionata peccatis. Etenim pœna Purgatorij quantumuis minima, licèt ſit omnium pœnarum huius ſæculi maxima; pœnitentia tamen iniuncta à Sacerdote cum virtute

Digitized by Google

tamen teneatur pœnitentiam acceptatam implere, ſuaderi poteſt ex eo, quod per acceptationem pœnitentiæ quoad hunc quoq; actum ſubditur clauibus: & propterea non implendo pœnitentiam dicitur facere contra obligationem in re graui: nam multa ab initio ſunt voluntatis, quæ ex poſtfacto fiunt neceſſitatis.

2 Secunda ſententia eſt *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 6. q. 2.* ad ſecundam, non ſolùm negantis, pœnitentem teneri ad acceptandam pœnitentiam iuxta *Scoti* opinionem, & aliorum, quos ſupra retulimus; ſed etiam ſi acceptet, teneri ad eam implendam. Etenim inquit, acceptatio non eſt votum, nec promiſſio; ſed tantùm ſimplex propoſitum. Si ergò præceptum Confeſſoris per ſe non inducit obligationem ex prima opinione, nec acceptatio illam inducet.

3 Tertia ſententia, quæ nobis probatur tanquam vera eſt *Magiſtri in 4. ſent. d. 16. & 18. vbi D. Thom. q. 1. art. 3. quæſtiun. 3. Riccar. art. 2. q. 5. Palud. Maior. Dur. Alenſ.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Suar. diſp. 38. de pœnit. ſec. 7. nu. 2. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 3. nu. 12.* vbi quamplurimos alios allegat, & *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. ſub num. 6.* Probatur hæc opinio, primò, quia Confeſſor eſt Iudex, vt in *c. verbum, de pœnit. d. 1.* Vndè tanquam Iudex poteſt obligare ſubditum, vt pœnitentiam impoſitam acceptet, & impleat, & ille tenetur obedire. Secundò probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* vbi decernitur, in
4 Sacerdote eſſe poteſtatem ligandi, non tantùm ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccati commiſſi vindictam: & in *can. 15.* datam eſſe Sacerdoti poteſtatem nõ ſolùm abſoluendi, ſed etiam ligandi, & ſic obligandi ad opus pœnitentiæ implendum. Si igitur Sacerdos ad vindictam peccati commiſſi poteſt ſatisfactionem, ſeù pœnitentiam pœnitenti iniungere, & illum obligare ad eam implendam: ergò & ipſe pœnitens tenetur obedire, & pœnitentiam adimplere, iuxta præceptum noſtri canonis, in illis verbis, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere.* Denique probatur ex *Conc. Galeguſtad. c. 18. in 3. tom.* Conc. dicente, quod multi tanta falluntur ſtultitia, vt capitali crimine culpati, pœnitentiam à ſuis Sacerdotibus acceptare nolint. Hæc adeò hodie tenenda eſt, ſtante maximè diſpoſitione, *Conc. Trid. loco citato*, vt contrariam ſine temeritate defendi non poſſe putet, *Suar. d. diſp. 38. ſec. 5. nu. 2.* Etenim ſi Confeſſarius tenetur ſatisfactionem imponere, vt ex *d. Conc. Trid.* oſtendimus *ſec. præced. in not.* ergò & pœnitens tenetur illam acceptare; ſiquidem tàm Sacerdos, quàm pœnitens concurrant ad Sacramentum pœnitentiæ, vterque pariter tenetur eiuſdem integritatem ſeruare: aliàs valdè inefficax eſſet Sacerdotis vindicatiua poteſtas.

5 Ampliatur hæc concluſio, vt adeò pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare, eandemque implere, vt ſi non acceptet, aut acceptatam non impleat, regulariter mortaliter peccet: ſiquidem obligatio acceptandi pœnitentiam, & illam implendi, ex ſuo genere grauis eſt, ad Religionem, & iuſtitiam Diuinam pertinens: ergò contrafaciens non excuſatur à culpa mortali. Ita *Magiſt. in 4. ſent. d. 16. & 18.* vbi etiam *D. Thom. q. 1. art. 3. quæſtiun. 3. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 7. nu. 2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. cap. 3. nu. 12. 13. 16. & 17. & Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 15. num. 7.* Confirmatur; quia tàm Sacerdos,
6 quàm pœnitens tenentur Sacramenti pœnitentiæ integritatem ſeruare, vt ſupra diximus: ergò ſicut Sacerdos non iniungendo pœnitentiam facit contra integritatem illius, atq; ideò peccat mortaliter, ita etiam pœnitens non acceptando pœnitentiam, vel acceptatam non implendo. Ob id *Nauar. in Man. c. 26. nu. 10. Suar. d. diſp. 38. ſec. 3. in fine*, & alij, quos allegat, & ſequitur *Laym. loco citato, nu. 8.* putant, pœnitentiam rectius à Sacerdote decerni ante abſolutionem à peccatis, quàm poſtea. Et hanc communem opinionem eſſe teſtatur ipſe *Laym.* & id etiam, vt ordo iudicij, & iuſtitiæ vindicatiuæ melius ſeruetur, ſi pœnitens ſatisfactionem prius ſpondeat, quàm abſoluatur: & vt omnes Sacramenti partes materiales ſubijciantur Sacerdotis abſolutioni.

7 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam ſibi à Cõfeſſario iniunctam, etiam ſi nolit illam acceptare, nec abſolutionem ab eo Confeſſario recipere; ſed alium Confeſſarium velit adire, cui de nouo ſua peccata aperiat, & abſoluatur: quoniam non eſt abſolutè liberum, nec licitum pœnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis iudicium, cui ſe ſemel ſubdidit, & alium quærere: ſiquidem citra irreuerentiam Sacramenti id fieri non poteſt, vt habetur ex *Suar. d. diſp. 38. ſec. 7. nu. 4.* quem ſequitur *Fagund. loco ſupra relato, ſub nu. 18.* Quod quidem verum eſſe dicunt, quando pœnitentia eſt iuſta, prudenter, ac rationabiliter impoſita à Cõfeſſario: nec ab eo plus nimio obiurgationibus exagitentur pœnitentes: nec aliqua alia ſit cauſa effugiendi iudicium, & non integrandi Sacramentum. Vndè Confeſſarius tantùm poteſt excedere in pœnitentijs iniungendis, & in obiurgationibus, vt iuſtam cauſam præbeat pœnitenti non integrandi Sacramentum, & ad alium Confeſſarium confugiendi. Quo circa caueat Con-
8 feſſarius, ne incongruas pœnitentias imponat, nempè mulieribus peregrinationes; valdè occupatis multas preces: pauperi, vel filiofamilias eleemoſynas: operarijs, vel debilibus perſonis ieiunia. Item ne adeò graues pœnitentias imponat, vt pœnitentis domeſtici, aut alij commiſſũ crimen concipere poſſint. Caueat præterea, ne pœnitentiam iniungat, vt ſi tali die non impleatur, duplicetur: nec facilè permittere debet pœnitenti, vt voueat, vel iuret, ſe in poſterum non commiſſurum tale peccatum, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Nauar. in Man. c. 26. à num. 20. ad 29. D. Antonino Henriq.* & ex alijs relatis à *Laym. d. c. 5. ſub nu. 11.* Qui poſt alios probat etiam non poſſe iniungi in pœnitentiam pœnitenti, vt Religionem ingrediatur, & profeſſionem emittat: aut matrimonium contrahat, quoniam tàm matrimonium carnale, quàm ſpirituale liberæ electionis eſſe debent. Cæterum Confeſſarius in pœnitentijs imponendis duo attendere debet peccatorum magnitudinem, & peccatoris diſpoſitionem, vt colligitur ex noſtro canone, & ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* & latè declarat *Nauar. d. c. 26. nu. 18. & 20. in c. menſum,*

ſum, nu. 5. & 6. de pœnit. d. 1. Suar. d. diſp. 38. ſec. 4. nu. 4. & Laym. loco citato.

9 Tertiò ampliatur, vt pœnitens non ſolùm teneatur acceptare iuſtam, ac rationabilem pęnitentiam, ſed etiam aliquando poſſit compelli ad eam implendam antequam abſoluatur; ſi in curationem, & in medicinam Confeſſarius id iudicet expedire ad ſalutem animæ pęnitentis, vt habetur ex *Suar. d. diſp. 38. ſec. 7. nu. 9. & Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 2. lib. 9. c. 3. nu. 19.* Dixi, *In curationem, & medicinam, &c.* Quia ſi loquamur de pœnitentia, vt eſt vindicta ſceleris commiſſi, & pęnæ relictæ, per ſe loquendo dicunt præfati Doctores, Confeſſarium nullum ad hoc ius habere, nec iuſtam cauſam differendi abſolutionem. Poteſt tamen, imò ſatis prudenter aget, ſi antequam abſolutionem impendat, pœnitentiam iniungat pęnitenti, vt ſupta oſtendimus *ampl. 1. circa finem.*

10 Sic ampliata limitatut hæc ipſa concluſio quoad primam ampliationem, vt ita demum pęnitens committat lethalem culpam non acceptando pęnitentiam, vel acceptatam nõ implendo, quando confeſſio eſt de materia mortali, & neceſſaria, & pęnitentia impoſita etiam ſit grauis: ſecus autem ſi materia ſit venialis, aut peccatorum aliàs confeſſatorum, quia tunc ex leuitate materię eſſet tantùm peccatum veniale. Ita *Suar. d. diſp 38. ſec. 7. nu. 4. 6. & 7. & Laym. d. c. 15. ſub num. 7. verſ. Addit verò Suar.* qui ob id damnant ſententiam *Henriq. de pœnit. lib. 5. c. 20. nu. 3.* quem ſequitur *Fagund. loco paulo ſupra citato, nu. 13.* Et alij, exiſtimantes teneri pęnitentem, pęnitentiam acceptatam, ſi grauis ſit, implere ſub mortali; etiam ſi grauis illa pęnitentia pro peccatis iam ritè confeſſis, & abſolutis impoſita fuerit, imò & pro venialibus poneretur, vt plerunq; fieri ſolet in longa, ac diuturna confeſſione totius vitæ, vel cum viro Religioſo pro peccatis venialibus ſæpè iteratis grauis pęnitentia iniungitur pro compenſatione pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Etenim valdè durum videtur, vt pęnitens poſteaquàm peccata mortalia ſemel confeſſus eſt, & iniunctam pęnitentiam impleuit, ſi iterum eadem peccata à libera voluntate confiteatur, quod nouam obligationem ſatisfaciendi ſub culpa mortali contrahat. Non tamen negat ipſe *Laym.* ibi, per accidens id fieri poſſe, ſi pęnitens verſetur in probabili periculo peccandi mortaliter, niſi remedia pęnitentiæ ipſi imperata exequatur.

11 Illud autem hoc loco nolo ſilentio eſſe prætereundum, quod idem *Henriq. & Suar.* dicunt *locis citatis*, quòd ſi è contra leuis pęnitentia ob mortale, vel mortalia imponatur, vt pęnitenti infirmo imponi ſolet, aut tempore Iubilæi, in quo alia opera, & actiones ſatisfactoriæ præcedere ſolent: aut ſi ab eis peccatis fuerat pęnitens iam indirectè abſolutus, & illorũ oblitus fuerit: & in quocunque alio caſu, in quo leuis pęnitentia pro grauibus culpis imponitur; nempè ob nimiam patientiam, & tolerantiam pęnitentis in perferenda obiurgatione Confeſſarij, vel magnum dolorem illius, aut conſcientiæ timorem: tunc impletio talis pęnitentiæ non obligat ſub mortali: ſiquidem hæc obligatio Confeſſarij non tam reſpicit cauſam, ſeù culpam, quàm gra-

12 uitatem pęnitentiæ. Imò ſi Confeſſarius pro mortalibus imponat leuem pęnitẽtiam, vt ſupra, in dubio non præſumitur voluiſſe obligare pęnitentem ad implendam pęnitentiam ſub mortali, niſi id exprimat, & notificet pęnitenti, quia tunc non habebit vim obligatiuam ex quantitate, & grauitate pęnitentiæ iniunctæ, ſed ex intentione Iudicis imponentis, vt declarat *Fagund. poſt alios d. c. 3. ſub nu. 5.* vbi ponit exemplum de eo qui emiſit votum de re minima, aut de te minima iurauit; quoniam non obligatur ad voti, vel iuramenti impletionem ſub mortali, niſi ſe ex ſpeciali intentione ſub mortali voluerit obligare.

Reſtat modo, vt ad contraria reſpondeamus.

13 AD primum dicimus, quòd licet ſtando in ſolo iure naturæ, & extra Sacramentum pęnitentiæ, pęnitens poſſet temporalis pęnæ poſt culpam remiſſam, ſatisfactionem in Purgatorio reſeruare; tamen cum ſe ſubdit clauibus per ſacramentalem confeſſionem, tenetur pęnitentiam impoſitam acceptare, tùm propter integritatem Sacramenti, ac iudicij, ad quam ſeruandam non modo tenetur Sacerdos imponendo pęnitentiam ſed etiam pęnitens eandem acceptando; tum etiam quia cùm Sacramentum pęnitentiæ ſit inſtitutum, per modum iudicij, vt in *c. verbum, de pœnit. d. 1.* in iudicio recto, & benè inſtituto arbitrium pęnæ non eſt commiſſum reo, ſed Iudici, apud quem eſt poteſtas vindicatiua, & coactiua: & quamuis coactio in præſenti iudicio, cum ſit voluntarium propriè locum non habeat; nihilominus ſit quodammodo, prout poteſt ligando per præcepti neceſſitatem.

14 Ad confirmationem negatur conſequentia per ſe loquendo; quoniam licèt Confeſſarius poſſit obligare pęnitentem ad acceptandam ſatisfactionem condignam, quamuis grauem; id tamen verum eſt, quando ſatisfactio non tantum eſt vindicatiua, ſed etiam medicinalis, atque ideò tolerabilis, & accomodata humanæ fragilitati.

15 Ad conſuetudinem reſpondetur negando talem conſuetudinem: nam Confeſſarij docti contrarium efficiunt, vt teſtatur *Fagund. d. c. 3. ſub nu. 17. in fine.* Non enim conſueuerunt Confeſſarij pęnitentes abſoluere citra pęnitentiæ impoſitionem, niſi in mortis articulo, in quo ſatis eſt contritio, & dolor morbi loco pęnitentiæ. Imò in eo articulo ſatis conuenienter aget prudens Confeſſarius ſi breuem orationem, aut tunſionem pectoris, vel inuocationem ſanctiſſimi nominis Ieſus ſaltem corde, ſi ore non poſſit, pęnitenti in ſatisfactionem imponat, vt habetur ex *Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 20. nu. 6.* & ex alijs apud *Fagund. loco citato, ſub num. 9.* vbi etiam numerat duos alios caſus, in quibus Confeſſarius poteſt non iniungere pęnitentiam, quorum alter eſt, quando ſcrupuloſus homo ſæpius intra horam redit cum nouis culpis, vt ſæpè abſoluatur: alter verò eſt ſi credat Confeſſarius pęnitentem ob vehementiſſimam contritionem integrè Deo ſatisfeciſſe: quia non eſt de integritate huius iudicij imponatur pęnitentia, ſed tunc ſolum, quando intelligitur durare reatus pęnæ. Vide *Suar. d. diſp. 38. ſec. 3. num. 4.* Sunt autem quidam, qui prædictis caſibus addunt alium, nempè quando Confeſſarius probabiliter

nouit,

nouit, pęnitentem nullam admiſſurum penitentiam, quem caſum rectè non admittit *Fagund. vbi ſupra nu. 10. & alij.*

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ patet reſponſio ex dictis.

An ſatisfactio à Confeſſario impoſita poſſit per alium impleri.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia iniuncta pœnitenti à Confeſſario, num poſſit ab alio impleri.*

2 *Satisfactio, ſeu pœnitentia aliquando præcipitur per actum virtutis, quæ fit per alium tanquam cauſam principalem, aliquando verò per alium, vt miniſtrum.*

3 *Pœnitens pœnitentiam ſibi iniunctam, an poſſit per alium implere citra Confeſſarij voluntatem: Et quid ex illius voluntate.*

4 *Satisfactio ſacramentalis, & ſic pœnitentia, à Confeſſario iniuncta, poteſt impleri per alium, tanquam miniſtrum.*

5 *Non poteſt tamen per alium impleri, tanquam cauſam principalem.*

6 *Idque verum eſt, ſiuè Confeſſarius præcipiat, vt per ſe pœnitens ieiunet, ſiuè ſimpliciter.*

7 *Quamuis regulariter pœnitentia, à Confeſſario impoſita, impleri non poſſit per alium, poteſt tamen vnus pro alio ſatisfacere quoad pœnam Purgatorij.*

8 *Confeſſarius ſi expedire iudicauerit, poterit pœnitentiam, per alium implendam, etiam tanquam per cauſam principalem.*

9 *Satisfactio hæc non tantum valet ad implendum præceptum, ſed ad ſatisfaciendum quoq; ex opere operato pro illo, pro quo fit.*

10 *Si à principio Confeſſarius non ſe explicauerit intellexerit tamen velle pœnitentiam implere per alium, poteſt ſuam mentem explicare in eo caſu, quo pœnitens non intellexerit.*

Quid ſi à principio Confeſſarius nō intellexerit pœnitentiam fore per alium implendam.

An cauere debeant Confeſſarij, dictre circumſtantibus, vt pro conſtituto in mortis articulo grauem pœnitentiam, quam ipſe præſtare non poteſt, expleant.

11 *Pœnitentiam per alium implendam iniungere non debet Confeſſarius citra iuſtam, & rationabilem cauſam.*

AD tit. explicationem eſt adnot. quòd dum quærimus, an ſatisfactio, ſeu pœnitentia à Confeſſario impoſita poſſit per alium impleri, quæſtio noſtra eſt non ſolum ad implendum præceptum Confeſſarij; verum etiam ad conſequendum effectum ex opere operato remiſſionis pœnæ temporalis pro illo, pro quo fit.

1 In hac difficultate duæ extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Ledeſ. q. 14. art. 4.* Negantis ſimpliciter pęnitentiam à Confeſſario pęnitenti iniunctam poſſe ab alio impleri. Mouetur ex eo, quòd ſi pœnitentia impleatur per alium, ille actus impletionis prædictæ pęnitentiæ, non eſt pars Sacramenti, cùm Sacramenti pęnitentiæ partes ſint actus ipſiuſmet pęnitentis; nempe contritio, confeſſio, ac ſatiſfactio: qua propter ſatiſfactio in caſu de quo agitur, cum non ſit actus pęnitentis, nō poteſt eſſe pars Sacramenti, nec ſubiectus Eccleſiæ clauibus.

Secunda ſententia eſt communis, quam tenent *D. Bonauen. in 4. diſt. 29. art. 1. q. 1. & 2. Duran. ibidem, q. 2. Sot. diſt. 19 q. 2. art. 4. Corduba, lib. 5. de indulg. q. 5. ad octauum circa finem, quæſtionis, Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 9. num. 1. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9 c. 4. ſub num. 12.* cum alijs, quos allegant; quæ quidem opinio cùm explicatione indigeat, idcircò pro eiuſdem determinatione eſt.

2 Primò, adnot. quòd ſatisfactio, ſeu pęnitentia aliquando præcipitur per actum virtutis, qui fit per alium tanquam per cauſam principalem, vt eſt ieiunium, oratio, diſciplina, & his ſimilia. Secundò præcipitur ſatisfactio implenda per actum virtutis, quæ fit per alium, vt miniſtrum, vt eſt eleemoſyna.

3 Secundò eſt adnot. quòd dum quæritur, an pęnitentia, ſeu ſatisfactio à Confeſſario iniuncta poſſit per alium impleri; id poteſt dupliciter intelligi: primò, an pęnitens citra voluntatem Confeſſoris poſſit pęnitentiam per alium implere: ſecundò, an ex illius voluntate poſſit: & id adhuc duobus modis, nempè an id fieri poſſit, quando à principio Confeſſarius impoſuit ſatisfactionē, explicando pęnitenti, vt illam poſſit per alium implere: vel per alium tandem poſſit pęnitens ſatisfactionem implere, quādo à principio Confeſſarius non declarauit. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 SAtisfactio ſacramentalis, & ſic pœnitentia à Confeſſario iniuncta poteſt per alium impleri tanquam miniſtrum. Vndè ſi Confeſſarius imponat pęnitenti in ſatisfactionem pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam, eleemoſynam, poteſt ipſe pęnitens eam implere per alium, ſiuè voluntas acceſſerit Cōfeſſarij, ſiuè non acceſſerit. Hæc concluſio eſt communis, & à nemine negatur, vt patet ex Doctoribus ſupra relatis pro ſecunda ſententia: Qui mouentur ex eo, quòd actio non tribuitur inſtrumento, ſed principali agenti: & qui per alium facit tanquam per cauſā inſtrumentalem, per ſe ipſum facere videtur, *l. 1. §. deieciſſe, ff. de vi, & vi arm. & c. qui per alium, de regul. iur. in 6.* Imò illa eleemoſyna iniuncta, quam pęnitens dat ſeruo, vt pauperibus diſtribuat, poteſt ſuo modo dici perſonalis, cùm de ſuo, & de bonis ſuæ propriæ perſonæ fiat: & propterea quamuis per alium diſtribuatur, non ſolùm valet ad implendum præceptum Confeſſarij, ſed etiam ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit: ſiquidē ex motione, & petitione pęnitentis eleemoſyna erogatur per ſeruum, & de bonis pęnitentis: ergò vt ſic ſatisfactio huiuſmodi poteſt dici pars Sacramenti ab illo ſuſcepti, & effectum habet ex opere operato. Quam quidem concluſionem puto veram, etiam ſi pęnitens roget aliquem, vt de ſua pecunia nomine ipſius pęnitentis det eleemoſynam pauperibus: quia ſi ſpontè, ac voluntariè, & liberè diſtribuatur pauperibus, cenſetur primò donata pęnitenti, & deindè nomine ipſius pauperibus erogata; atque ideò de bonis pęnitentis, & ad petitionem eiuſdem facta.

SECVNDA CONCLVSIO.

5 SAtisfactio ſacramentalis nō poteſt per alium adimpleri tāquam per cauſam principalem; atque ideò cùm præcipitur pœnitenti à Confeſſario ieiunium, oratio, & ſimiles actus, debet ipſe pœnitens per ſe ieiunare, orare, &c. Nec per alium eiuſmodi pœnitentias implere poteſt. Etenim hæc obligatio oritur ex præcepto: ergò ſi Confeſſarius præcipit pęnitenti, vt ipſe ieiunet v. g. non implebit præceptum; etiam ſi alius ieiunet ſuo nomine. Ita Doctores ſupra relati.

6 Ampliatur hæc concluſio, vt vera ſit, ſiuè Cōfeſſarius præcipiat, vt per ſe pœnitens ieiunet; ſiuè nihil explicans abſolutè iniungat pęnitenti, vt ieiunet, aut hoc, aut illud faciat: ſiquidem cenſetur imponere obligationem perſonalem pœnitenti, per ſe ipſum, & non per alium adimplendam: quoniam hæc præſumitur intentio Confeſſarij, cum ſit rationabilis, & verbis eius magis commoda: etenim hæc ſatisfactio cùm ſimul ſit medicina, quoad hanc partem nō poteſt per alium impleri: ſicut vnus infirmus fruſtra ſuſcipit medicinam nomine alterius infirmi. Cōfirmatur; quoniam id eſt magis conſentaneum naturæ Sacramenti.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt locum non habeat in articulo mortis conſtituto: nam talis poteſt alicui committere ſatisfactionem ſuo nomine adimplendam, vt docet *Alph. de Madrigal. de pœnitentibus, ſub rubrica*, quæ incipit, *Conſideratio pœnitenti circa pœnitentiam tempore ſua mortis.* Et ratio eſſe poteſt, quia articulus mortis cum ſit extremæ neceſſitatis, in illo articulo cenſetur adeſſe tacita Confeſſarij voluntate, cum pœnitens reddatur impotens ad implendam ſatisfactionem: at pœnitens poteſt implere pœnitentiam per alium tanquam per cauſam principalem, ex expreſſa Confeſſarij voluntate, etiam extra articulum mortis, vt ſequenti concluſione demonſtrabimus, ergò ex tacita in mortis articulo: ſiquidem taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cum quid, ff ſi cert. petat.* Quæ quidem ſatisfactio fortè valida erit, non ſolùm ad implendum pręceptum Confeſſarij; ſed etiam ad ſatisfaciendum ex operato pro illo, pro quo fit: quia talis ſatisfactio fit ex tacita quoque motione, & petitione pœnitentis, cùm credat pœnitens in ſuſpicienda pęnitentia intentionem Confeſſarij non eſſe obligandi eum ad eam implendam per ſe in illo articulo, ſed ſatis eſſe adimpleri per alium.

7 Secundò limitatur eadem concluſio, vt quamuis regulariter non poſſit impleri per alium pœnitentia iniuncta à Confeſſario in foro ſacramentali, nihilominus poteſt vnus ſatisfacere pro pœna Purgatorij, quæ debetur alteri poſt remiſſam culpam, etiam de condigno, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 20 q. 1. art. 2. quaſtiun. 3. Henr. lib. 5. de pœnit. cap. 19. nu. 6. Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 4.* & ex alijs quamplurimis, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 48. de ſuffrag. ſec. 2. nu. 4. & Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 2. lib. 9. cap. 2. ſub nu. 20. ex Catechiſmo Pij V. in fine, de Sacramento pœnitentia, nu. 81.* in illis verbis, *In hoc ſumma Dei bonitas, & clementia maximis laudibus pradicanda eſt, qui humana imbecillitati hoc condonauit, vt vnus poſſit pro alio ſatisfacere.* Et infra, *Qui Diuina gratia praditi ſunt, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur perſoluere; quare fit, vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur;* Et tandem inferius ita concludit, *Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitādi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur.* Rationes autem vide apud *Fagund. loco citato*, qui etiam contraria ſoluit.

TERTIA CONCLVSIO.

8 SI Confeſſarius iudicauerit expedire, poterit imponere pœnitentiam per alium implendam, etiam tanquam per cauſam principalem. Probatur, quia cùm hoc præceptum pendeat ex voluntate Confeſſarij, non eſt mirum, ſi illi ſatisfaciat, ſi iuxta eandem voluntatem impleatur.

9 Ampliatur hæc concluſio, vt hæc ſatisfactio non tantùm valeat ad implendum præceptum; ſed etiam ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit: ſiquidem quando imponitur per alium implenda, ſemper intelligitur facienda ex motione, & petitione ipſius pęnitentis; & ſic eſt aliquo modo illius: ergò vt ſic poteſt quoque eſſe aliquo modo pars Sacramenti ab illo ſuſcepti, atque ideò poteſt habere effectum ex opere operato circa illum, Ita *Suar. d. diſp. 38. ſec. 9. & Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 2. lib. 9. c. 4. nu. 12.*

10 Secundò ampliatur ipſa concluſio, vt locum habeat, non ſolùm quando Confeſſarius à principio impoſuit pęnitentiam, explicando pœnitenti, vt poſſit illam per alium adimplere: ſed etiam ſi à principio non ſe explicauerit, & id intellexerit, poſſit ſuam mentem explicare in eo caſu, quo pęnitens non intellexerit: etenim Iudices in ſoro externo ſæpè mentem ſuæ ſententiæ, quando non ita benè percipitur declarant. Dixi, *Et id intellexerit.* Quoniam ſi à principio Confeſſarius non intellexit pœnitentiam fore per alium adimplendam, non poteſt deindè declarare, vt pœnitentia per alium impleatur, niſi in alia confeſſione, quia iam expleuit actum iudicij huius fori. Ita *Fagund. d. c. 4. nu. 13.* In omnem euentum caueant Confeſſarij dicere circumſtantibus in articulo mortis conſtitutum, vt grauem pęnitentiam, quàm moriturus præſtare non poteſt, pro eo expleant: ſiquidem id continet quandam ſigilli ſacramentalis violationem: ſatis eſt igitur circumſtantes generatim hortari, vt pro morituro orationes, & alia opera ſatisfactoria præſtent, vt rectè aduertit *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 15. ſub n. 13. circa fin.*

11 Sic ampliata limitatur prædicta concluſio, vt quamuis Confeſſarius poſſit pęnitenti iniungere pęnitentiam per alium implendam; id tamen efficere non debet citra iuſtam, & rationabilem cauſam: ſiquidem hic ſatisfactionis modus in Eccleſia non eſt adeo vſitatus: nec ad finem Sacramenti pęnitentiæ adeo expediens: quoniam eiuſmodi ſatisfactio, nec deſeruire poteſt per modum medicinæ; neque ipſa ratio ſatisfactionis ſatis certa eſt: nam multi dicunt, quòd hæc ſatisfactio ſufficit tantùm ad adimplendum præceptum Confeſſarij, non autem ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit; licet id non probetur, *d. ſec. 9.*

Ex dictis igitur patet reſponſio ad contrarium primæ ſententiæ.

Quiſ-

Digitized by Google

Quiſnam poſſit ſatisfactionem impoſitam interpretari, tollere, mutare, vel ſuper eam diſpenſare.

S E C. VII.

S V M M A R I V M.

1 *Aliud eſt ſatisfactionem impoſitã interpretari, aliud ſuper eam diſpenſare, aliud tolli, & aliud mutari.*

2 *Idem Confeſſarius ſatisfactionem impoſitam interpretari poteſt tàm in confeſſione, quam extra.*

3 *Vbi pœnitentia fuerit à principio iuſtè impoſita, pœnitens tamen ſit factus impotens phiſicè, vel moraliter, locum ſibi vendicat interpretatio, etiam ab ipſo pœnitente, ſi rectum iudicium, & ſcientiam habeat.*

Quibus in caſibus ceſſet obligatio implendi pœnitentiam.

4 *Superior pœnitentiam, ab inferiori iniunctam tollere poteſt, eandemq; mutare, & ſuper eam diſpenſare.*

5 *Superior ſi facultatem habeat concedendi indulgentias poterit pœnitentiam, ab inferiori impoſitam omninò tollere.*

6 *Pœnitentia, ſeù ſatisfactio ſacramentalis poteſt ab eodem Confeſſario commutari in Sacramento pœnitentia, repetita tamen peccatorum confeſſione.*

An poſſit interdum illam omninò tollere, & leuiſſimam, aut nullam imponere.

7 *Confeſſarius pœnitentiam, ab altero ſibi æquali iniunctam, an poſſit commutare, vel tollere.*

8 *Confeſſarius inferior pœnitentiam à Superiore iniunctam, nec mutare, nec tollere poteſt.*

9 *Communis eſt ſententia, quod non tantum Superior, ſed etiam æqualis, vel inferior, iuſta de cauſa commutare poteſt pœnitentiam iniunctam, etiam in minorem, & aliquando in totum tollere.*

10 *Diuerſa eſt ratio Iudicis, ac iudicij fori externi, ac fori interni.*

11 *In commutanda pœnitentia iniuncta nulla interuenit Sacerdotis imponentis iniuria, cum hoc iudicium ad bonum pœnitentis ordinetur.*

12 *Pœnitentia Sacramentum, quia ſit à Domino inſtitutum per modum iudicij, eius tamen forma ſemper eſt ordinata ad bonum Rei.*

13 *Reſpondetur ad tex. in c. placuit, de pœnit. d. 6.*

14 *Inferior pœnitentiam à Superiore impoſitam pro reſeruatis, an mutare valeat, quatenus inferior eſt, & neque per priuilegium, neque per ſe poſſit a reſeruatis abſoluere, & num. 17. & 18.*

15 *Superior, audita reſeruatorum confeſſione, & pro illis impenſa abſolutione nõ remanet amplius Superior, ſed inferiori æqualis.*

16 *In votis reſeruatis poſtquam Superior commutauit aliquod ſibi reſeruatum in aliam materiam, poteſt tunc inferior, ſi poteſtatem habeat commutandi ordinaria vota, illam materiam quoque commutare.*

17 *Communis eſt ſententia, quod inferior pœnitentiam à Superiore impoſitam pro caſibus reſeruatis commutare non valeat.*

18 *Prior tamen ſententia affirmatiua videtur ſatis probabilis. Et an peccata remiſſa in primo ſacramentali Iudicio, conſiderentur, vt commiſſa ſecundum quid, non vero, vt commiſſa ſimpliciter.*

Reſpondetur quoque in Iura in contrarium adducta.

19 *Ex Epicheia, & in aliquo neceſſitatis caſu, maximè ſi facilis non ſit ad Superiorem recurſus, poteſt inferior commutare, minuere, & etiam tollere pœnitentiam, à Superiore impoſitam pro reſeruatis.*

20 *Confeſſarium poſſe ex iuſta cauſa pœnitentiam mutare extra Sacramentum pœnitentia, eſt ſententia à pluribus frequentata in praxi.*

21 *Reÿcitur tamen tanquam falſa à nonnullis, & quare.*

22 *Idem Sacerdos poteſt pœnitentiam mitigare, ac etiam commutare non iterata confeſſione, ſi pœnitens ad ipſum recurrat infra breue tẽpus.*

23 *Alius Confeſſarius, audita confeſſione, quamuis non repetita eorundem peccatorum pro quibus iniuncta fuit pœnitentia, pœnitentiam ipſam mutare, moderare, & tollere, & nu. ſeq.*

24 *Contraria vero ſententia eſt cõmunis, & verior*

1 PRO terminorum declaratione eſt adnot. quòd aliud eſt ſatisfactionem impoſitam interpretari, aliud ſuper eam diſpenſari, aliud tolli, & aliud mutari. Etenim interpretari ſatiſfactionem non eſt actus iuriſdictionis, ſed prudentiæ, vel doctrinæ. Diſpenſare verò eſt ſatiſfactionem, rationabili ſubſiſtente cauſa tollere. Tollere autem eſt præciſa omni cauſa pœnitentem à ſatisfactione liberare. Mutare tandem dicitur in æqualem, vel maiorem ſatisfactionem commutare. Quæ omnia præter interpretari, ſunt actus iuriſdictionis. Vndè de quatuor perſonis poteſt eſſe quæſtio. Primò de eodem Cõfeſſario. Secundò de æquali. Tertiò de Superiori. Quartò de Inferiori.

In hac re duo faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus. Secũdò dubia per ſuas quæſtiones diluemus. Circa primum.

2 Dico primò certum eſſe eundem Confeſſarium, & quemlibet alium, tàm in confeſſione, quàm extra confeſſionem poſſe ſatisfactionem interpretari. Etenim, vt ſupra diximus, interpretari non eſt actus iuriſdictionis, & poteſtatis; ſed actus prudentiæ, & ſcientiæ: ergò quilibet prudens, ac ſciens, etiam ſi Sacerdos non ſit, ſed ſæcularis; imò & ipſe pœnitens poteſt ſatisfactionem impoſitam interpretari, ſi iudicio polleat. Vndè ſi quis rationabiliter iudicet, clauem à principio erraſſe, seù pœnitẽntiam iniuſtè impoſitam fuiſſe, atque ideò non eſſe implendam; tunc pœnitens non tenetur eam implere, ſiuè idem Confeſſarius id declaret, ſiuè alius Sacerdos, ſiuè laicus, aut ipſemet pœnitens, ſi iudicio polleant, & ſufficienter ſcientiam habeant, vt benè declarat *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. ſub nu. 16. verſ. Locuti autem*
3 *ſumus*: vbi etiam *nu.* 17. Idem dicendum eſſe putat, vbi pœnitentia à principio iuſtè fuerit impoſita, verùm pœnitens factus ſit impotens phyſicè propter infirmitatem, aut aliud accidens: vel moraliter, vt quia ſuborta ſit ſufficiens cauſa, quæ illum excuſet: tunc enim locum ſibi vendicat interpretatio, quæ à quocunque fieri poteſt; etiam ab ipſo pœnitente ſi iudicium rectum & ſcientiam habeant: & quando cauſa, ſeù

impo-

impotentia re vera eſt ſufficiens ad excuſandum, non tenetur pœnitens commutationem poſtulare; quia nulla eſt ratio talis obligationis, vt in alijs præceptis, & votis patet: ſiquidem obligatio cadit ſuper talem actum, vel materiam, & ille actus iam non eſt probabilis moraliter, vt quia non ſit conueniens; vel phyſicè, vt quia ieiunium iniunctum ob infirmitatem nō poteſt implere; ergò ceſſat obligatio. Idem dicendum eſt, ſi pœnitens pœnitentiæ ſibi iniunctæ oblitus fuerit; nam adhuc ceſſat implendi obligatio. Eſt tamen verum, quòd ſi negligentia lata, ſeù mortalis interuenerit, neceſsè erit hoc peccatum confiteri, vt habetur ex *Laym. loco citato, ſub nu. 17. verſ. Sed quid*, Vbi etiam poſt alios conſulit pęnitenti, vt in proxima confeſſione poſtulet à Confeſſario pęnitentiam talem ſibi deceruì, qualis pro lethalibus culpis imponi ſolet, ſiuè pęnitentiæ culpabiliter, ſiuè inculpabiliter oblitus fuerit.

4 Dico ſecundò certum eſſe Superiorem tollere poſſe pęnitentiam ab Inferiori iniunctam, eandemq; mutare, ac minuere, & ſuper eam diſpenſare, vt habetur ex *Soto in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3. Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 31. n. 8.* & ex alijs apud *Laym. loco ſupra citato, nu. 16.* Et id non quia Inferior Confeſſarius ſit Superiori ſubordinatus in poteſtate abſoluendi, ſicut Iudex inferior in exteriori foro ſubordinatur Superiori; nam in foro interiori vnus Confeſſarius non eſt alteri ſubordinatus, vt habetur ex *Laym. loco citato*: ſed quoniam in abſolutionis munere omnes Sacerdotes ſunt æquales; eo quòd proferunt vltimam, & definitiuam ſententiam, vt Chriſti immediati Miniſtri, vt infra melius explicabimus. Vndè pęnitentia ſemel iniuncta ab inferiori Confeſſario, per ſuperiorem Sacerdotem iuſta de cauſa in aliam etiam minorem commutari poteſt, ſi pęnitenti ad animæ ſalutem expedire

5 videatur. Imò ſi Superior facultatem habeat concedendi indulgentias poterit pęnitentiam ab inferiori impoſitam per cōceſſionem indulgentiarum omninò tollere: quod dupliciter fieri contingit, primò concedendo plenariam indulgentiam: nam per illam extinguitur obligatio aliarum ſatisfactionum: ſecundò quando expreſsè conceditur remiſſio huius, vel illius partis pęnitentiarum iniunctarum, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 18. q. 1. art. 2. Bonauen.* & alij, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. nu. 8. 9. & 10.* Eſt tamen animaduertendum per eiuſmodi indulgentias remitti pęnitentias, vt ſatisfactiuæ ſunt, & ſic pęnales; nō autem medicinales, quæ dantur in medicinam, & præſeruationem à peccatis in futurum: quoniam indulgentia non datur in deſtructionem, ſed in ædificationem animæ. Idem dicendum eſt de ipſomet pęnitente; nam ſi bona fide arbitratur ſe ſatisfaciſſe pro peccatis commiſſis ſufficienter per alia opera, vel pœnas, quas pro Chriſto ſubſtinuit, moraliter loquendo, eo ipſo ceſſat illi obligatio implendi alias pęnitentias impoſitas, quas cum culpa, vel ſine antea implere non valuit: ſiquidem nemo tenetur debitum bis ſoluere, & ceſſante intrinſeco, & adæquato fine legis, ceſſat lex, *l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patr.* At verò conſiderata ratione medicinæ ſemper manet eiuſmodi obligatio; eo magis, quoniam vix poteſt conſtare, aliquem adæquatè ſatisfeciſſe pro ſuis peccatis. Ita *Suar. loco ſupra relato, nu. 11.*

6 Dico tertiò certum eſſe apud omnes, ab eodem Confeſſario poſſe pęnitentiam, ſeù ſatisfactionem ſacramentalem commutari in Sacramento pęnitentiæ, repetita confeſſione peccatorum, pro quibus fuit impoſita pęnitentia. Etenim pęnitens poteſt eandem cauſam, & ſic eadem peccata in iudicium afferre, & nouam ſententiam poſtulare: ergò etiam idem Confeſſarius poterit ſuo arbitratu pęnitentiam imponere iuxta præſentem ſtatum pęnitentis, ac ſi prius non eſſet cauſa iudicata, ergò poterit etiam mutare priorem pęnitentiam in poſteriorem. Imò idem Confeſſarius audita confeſſione, & repetita vt ſupra peccatorum, pro quibus fuit pęnitentia iniuncta poterit interdum pęnitentiam omninò tollere, & leuiſſimam, aut nullam imponere, vt ſi pęnitens accedat multo melius diſpoſitus, magiſque contritus, & alijs vijs ſatisfecerit: ſi fortè indulgentias fuerit conſecutus: aut propter curationem intelligatur non indigere tali medicina iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in præcedenti dicto. Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non indigeant. Difficultas modo eſt de æquali, ac inferiori, an ille poſſit alterius æqualis: & iſte ſui Superioris pęnitentias iniunctas commutare, tollere, aut ſuper eiſdem diſpenſare. Secundò ſuppoſito, quòd ſic, an valeant pęnitentias mutare, ac tollere iniunctas pro peccatis reſeruatis. Tertiò, an eiuſmodi pęnitentiæ commutari, & tolli valeant extra Sacramentum pęnitentiæ; vel in ipſo Sacramento, audita confeſſione. Quartò, & vltimo, dato, quòd commutatio non aliter fieri poſſit, quàm in Sacramento pęnitentiæ, audita confeſſione, an ſit repetenda confeſſio peccatorum, pro quibus impoſita fuit pęnitentia.

7 Quoad primam difficultatem, & circa æqualem Confeſſarium an poſſit commutare pęnitentiam iniunctam ab altero ſibi æquali, pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 4. Vill. in ſum. n. 323.* Et aliorum dicentium, pęnitentiam nullo modo poſſe commutari, & multo minus tolli à Confeſſario æqualem habente poteſtatem, etiam iterata peccatorum confeſſione. Probant eorum ſententiam primò, quia par in parem non habet imperium: ergò æqualis Sacerdos non poteſt commutare, nec tollere pęnitentiam iniunctam ab æquali Sacerdote, ſeù Confeſſario. Antecedens patet. Probatur conſequentia, quia hæc eadem ratione Iudex eiuſdem poteſtatis non poteſt mutare, aut tollere ſententiam ab æquali Iudice latam. Secundò commutatio illa, ſeù ablatio ab æquali Sacerdote nō poteſt fieri citra notabilem iniuriam æqualis Sacerdotis, qui primò pęnitentiam iniunxit, cùm iuſtè ſupponatur tuliſſe ſententiam, & legitimum eſſe Iudicem in illo foro: ergò non poteſt iuſtè recuſari ab altero æquali per commutationem, ſeù ablationem pęnitentiæ. Tertiò cauſa, & iudicium fuit à priori Confeſſario præuentum, & illi ſe pęnitens ſpontè ſubmiſit, & ab eodem pęnitentiæ præceptum acceptauit, & culpæ remiſſionem obtinuit: ergò ſi in executione pęna debet eidem patere.

Circa

8 Circa verò Inferiorem Confeſſarium, vt non poſſit mutare, nec tollere pœnitentiam à ſuo Superiore iniunctam, præfati Doctores multo magis docent. Mouentur ex eo, quòd hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum iudicij, vt in *c. verbum, de pœnit. d. 1.* At in foro iudiciali externo non poteſt Iudex inferior mutare, nec tollere ſententiam Superioris: ergò Confeſſarius, & ſic Iudex ſpiritualis inferior non poteſt commutare, nec tollere pœnitentiam à Sacerdote, ac Iudice Superiore in foro ſacramentali iniunctâ. Confirmatur ex *c. placuit de pœnit. d. 6.*

9 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis eſt ſententia, quam tenent *Henriq. de pœnitentia, lib. 5. cap. 22. in prin. & num. 2. Nauar. in Man. c. 26. n. 22. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. n. 4.* cum alijs, quos allegat *Fagund. de præcep. Eccl. lib. 9. c. 4. nu. 15. & 20. & Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. nu. 16.* Cum alijs quamplurimis, quos allegant dicentes, non tantum Superiorem, ſed etiam æqualem, & inferiorem Sacerdotem poſſe iuſta de cauſa commutare pœnitentiam iniunctam, etiam in minorem, & in totum tollere ſi pœnitenti ad animæ ſalutem expedire videatur; Mouentur ex eo, quòd vnus Confeſſarius non ſit alteri ſubordinatus in poteſtate abſoluendi, ſed ſecluſa materia reſeruata, omnes Confeſſarij ſunt æquales, & miniſtri ſunt Sacramenti pœnitentiæ, & omnes Iudices ſupremi; quia omnes abſoluunt vt Chriſti miniſtri, Confirmatur, quia idem Sacerdos poteſt commutare, & tollere pœnitentiam à ſe iniunctam, vt citra omnem controuerſiam ſupra oſtendimus dicto primo: ergò non modo ſuperior, ſed etiam inferior, & æqualis; conſequentia patet, quia quòd Miniſtri Sacramenti pœnitentiæ ſint veluti materialiter diuerſi, per accidens eſt; ſed hæc poteſtas ſemper eſt eadem. Vndè ſicut ad perfectam poteſtatem eiuſdem Sacerdotis, & ad perfectum huius Sacramenti vſum, ac ad maius animarum remedium pertinet, vt vnus, & idem Sacerdos poſſit mutare medicinam, ita in diuerſis Sacerdotibus, cùm æqualem habeant poteſtatem. An autem extra confeſſionem pœnitentiam mutare, aut tollere, & quid dicendum ſit de pœnitentijs iniunctis pro peccatis reſeruatis, infra dubijs ſequentibus explicabimus.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

10 AD primum negatur conſequentia: & ad probationem dicitur, quòd diuerſa eſt ratio vtriuſque Iudicis, & iudicij: quia Iudex forenſis non poteſt reuocare ſententiam, niſi per viam appellationis: at verò Iudex ſacramentalis, & ſic Confeſſarius poteſt reuocare ſententiam per viam principalis iudicij, ac ſi nunquam lata fuiſſet. Vndè antecedens, quòd par in parem non habet Imperium, poteſt intelligi verum eſſe in iudicio forenſi, non autem ſacramentali, vt patet ex ijs, quæ ſupra diximus.

11 Ad ſecundum negatur antecedens: ſiquidem hoc caſu nulla interuenit Sacerdotis iniuria; quoniam iudicium hoc ad bonum pœnitentis ordinatur, non autem in vtilitatem aliquam Iudicis, eo magis, quia eiuſmodi iudicium tale eſt, vt ſuper eandem cauſam ſit iterabile in fauorem pœnitentis, & id non per viam appellationis; ſed per modum noui iudicij, æqualis præcedenti, & ideò nec poſterior Iudex facit iniuriam priori, nec inferior Superiori, nec è contra.

12 Ad tertium quoad inferiorem reſpectu Superioris, negatur conſequentia: nam quamuis Sacramentum pœnitentiæ ſit à Dominò inſtitutum per modum iudicij; tamen eius forma ſemper ordinata eſt ad bonum Rei, atque ideò pœnitentis; & propterea iudicium ſacramentale eſt diuerſæ rationis à iudicio forenſi.

13 Ad vltimum ex *text. in d. c. placuit, de pœnit. diſt. 6.* reſpondet *Henriq. lib. 5. de pœnit. c. 22. tex.* illum loqui de pœnitentia impoſita in foro, & iudicio externo, qualis eſt illa, quam Papa, vel cenſores fidei imponunt, quia perturbaretur iuris ordo, & debita reuerentia erga Superiores non ſeruaretur, ſi Confeſſarius in foro ſacramentali poſſet abſoluere quos Papa, vel Epiſcopi nominatim volunt ligare cenſuris, pœnitentijs, & cum hac reſponſione videtur pertranſire *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 4. ſub nu. 20. circa finem.* Secundò reſpondetur, & melius, quòd *tex.* ille loquitur de proprio Sacerdote, à quo non poteſt diſcedere pœnitens, & alteri confiteri ſine eius licentia, excepta cauſa ignorantiæ, vt per *Gloſ.* ibi.

14 Quo verò ad ſecundam difficultatem, in qua quæritur, an Inferior poſſit mutare pœnitentiam impoſitam pro peccatis reſeruatis à Superiore, quatenus inferior eſt, & neque per priuilegium, neque per ſe poteſt abſoluere à reſeruatis, iuxta caſum formatum à *Fagund. loco citato, ſub n. 58.* Duæ adhuc oppoſitæ ſunt opiniones. Nam prima opinio eſt *Nauar. conſ. 25. de pœnit. & remiſ. & 3. altàs 6. de voto*, ac aliorum exiſtimantium, poſſe inferiorem Sacerdotem mutare ſatisfactionem impoſitam à Superiore, etiam pro peccatis reſeruatis. Mouentur ex eo, quòd peccata illa iam non manent reſeruata; ergò poteſt Confeſſarius ab illis abſoluere: ergò pœnitentiam pro illis imponere, & alteram pœnitentiam in hanc commutare. Probatur vltima cõſequentia, quoniam nemo tenetur duplicem ſatisfactionem pro eiſdem peccatis ſubire, ergò eo ipſo, quòd alter Sacerdos pœnitentiam pro eiuſmodi peccatis iniungit, liberat hominem ab obligatione alterius pœnitentiæ implendæ, quæ eſt virtualis quædam commutatio. Confirmatur, quia Su-

15 perior audita confeſſione peccatorum reſeruatorum, impenſa pro illis abſolutione, & pœnitentia iniuncta, pro eiſdem peccatis per ſe loquendo non remanet Superior, atque ideò inferior audiendo confeſſionem dictorum peccatorum non poteſt dici inferior, ſed æqualis neque exercet Imperium in Superiorem, ſed in conſcientiam pœnitentis ſibi plenè ſubiecti circa ea peccata; quæ iam non ſunt reſeruata, ergò poteſt ab illis abſoluere, & pœnitentiam à Superiore

16 iniunctam commutare. Præterea in votis reſeruatis poſtquam Superior commutauit votum ſibi reſeruatum in aliam materiam, poteſt Inferior, ſeu quilibet alius habens poteſtatem commutandi ordinaria vota, etiam illam materiam commutare, vt ex communi ſententia docet *Sayr. lib. 6. Theſ. tom. 2. c. 12. nu. 23.* ergò, &c. Denique hæc eadem opinio probatur ex *Gloſa in c. accedens per illum tex. 50. diſt. & c. tempora, 26. q. 7.* Dicente pœnitentias omnes eſſe arbitrarias; & ideò poſſe Epiſcopum minuere pœni-

pœnitentiam, quam induxit Papa. Idem habetur in *c. Latorem, 33. q. 2.* Illudque extendit ad Clericum inferiorem, vt poſſit imminuere pœnitentiam ab Epiſcopo impoſitam.

17 Secunda ſententia nobis magis probatur eſt *Card. in clem. vlt. de pœnit. & remiſ. Angeli in ſum. ver. Confeſſio 6. nu. 4. Tabiena ver. Confeſſio 2. nu. 21. Suar. de pœnit. tom. 4. diſp. 38. ſec. 10. nu. 14. Fagund. de præcep. Eccl. præcep 2. lib. 9. c. 4. nu. 18.* Et aliorum, quos ipſi allegant, negantium inferiorem Confeſſarium poſſe pœnitentiam à Superiore impoſitam pro caſibus reſeruatis commutare, tollere, &c. Et hanc ſententiam communem eſſe teſtantur *Suar. & Fagund. locis citatis*. Probant eorum ſententiam ex eo, quod inferior non habet iuriſdictionem ſuper eiuſmodi peccata præciſè ſumpta, quatenus talia ſunt, ſeu quatenus commiſſa ſunt; ergò non poteſt pęnitentiam mutare, quæ pro illis ſic ſpectatis iniuncta fuerat. Antecedens patet, quoniam peccata illa, vt commiſſa ſunt reſeruata. Conſequentia probatur, tùm quia non poteſt pœnitentiam iniungere pro peccatis, qui non poteſt ab illis abſoluere, cùm poteſtatem ligandi ac ſoluendi Sacerdos habeat, & pęnitentia coniuncta eſt abſolutioni, ſicut acceſſorium principali: tùm etiam, quoniam Sacerdos non poteſt iniunctam pœnitentiam commutare, niſi aliam pro peccatis imponat. Cum igitur peccata ſint reſeruata, non poteſt Confeſſarius inferior pro illis pœnitentiam imponere, niſi ex ſuppoſitione prioris iudicij: ergò illa ſecunda ſatisfactionis impoſitio fieri debet citra detrimentum, & iniuriam prioris iudicij, ſed illud firmum, ac ſtabile conſeruare. Non igitur habet ibi locum commutatio. Præterea pœnitentia illa à Superiore iniuncta pro peccatis reſeruatis includit quandam præcepti ſpeciem à Superiore ipſo impoſiti, quatenus Superior eſt: at Inferior non poteſt mutare præceptum Superioris per ſe loquendo, ac iure ordinario; ergò, &c. Denique probant dictam opinionem per *tex in d. c. accedens, 50 d.* vbi Rom. Pontifex ſpecialem conceſſit Epiſcopo facultatem ad minuendam pœnitentiam à ſe iniunctam ſub certis limitationibus, & conditionibus: ergò ſignum eſt id non poſſe inferiorem iure ordinario; ſed ex Superioris tantùm permiſſu.

18 Hæc ſententia licèt ſit communis, vt ſupra diximus, à qua non videtur de facili eſſe recedendum; prior tamen videtur mihi ſatis probabilis per rationes pro ea adductas: & eò maximè quòd ad rationes præfatæ ſecundæ ſententiæ faciliter videtur reſponderi poſſe. Nam ad primum negari poteſt antecedens: nam peccata remiſſa in primo ſacramentali iudicio, cùm iterum ſupponuntur clauibus in ſecundo iudicio, conſiderantur non vt commiſſa ſimpliciter, ſed ſecundum quid, nempè vt commiſſa quoad pœnam, & remiſſa quoad culpam, qua ratione peccata non remanent reſeruata: & ideò ſuper illis Inferior habet iuriſdictionem: & cùm iudicium ſacramentale ſit iterabile ſuper eiſdem peccatis, poterit nouam pœnitentiam imponere, & ſic priorem mutare, ac etiam tollere, ſi expedire videbitur. Nec iura in contrarium adducta, & retorta aliquid faciunt; nam licèt S. Pontifex in *d. c. accedens*, videatur conceſſiſſe Epiſcopo facultatem minuendi pęnitentiam ab ipſo S. P. iniunctam; non tamen ob id cenſetur ei tollere facultatem, quæ de iure eidem Epiſcopo conceditur: vltra quod multi volunt, *eex.* illum loqui de pęnitentia iniuncta extra Sacramentum. Nec denique obſtat, quòd ſatisfactio iniungitur à Superiore per modum præcepti; quoniam ſi aliquid roboris haberet argumentum, idem dicendum eſſet de ſatisfactione impoſita pro peccatis non reſeruatis; niſi dicamus, quòd in abſolutione à peccatis non reſeruatis omnes Confeſſarij ſunt æqualis poteſtatis.

19 Sed quicquid ſit de dicta ſecunda opinione; prima tamen opinio, quæ eſt communis poteſt limitari, vt nõ habeat locum ſaltem ex Epicheia, & in aliquo caſu neceſſitatis, maximè quando non facilis recurſus ad Superiorem, quoniam tunc Inferior ex præſumpta voluntate Superioris poteſt commutare, minuere, ac etiam tollere pęnitentiam à Superiore iniunctam pro peccatis reſeruatis, vt habetur ex *Henriq. lib. 5. de pœnit. c. 22.* & alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. cap. 4. ſub nu. 21.* Qui id verum eſſe ait, poſt *Suar.* dummodò cauſa ſit grauis: & Superior ſibi ſpecialiter commutationem, aut remiſſionem pęnitentiæ ſibi non reſeruauerit.

20 Quoad tertiam difficultatem *Nauarr. lib. 5. conſil. 26. de pœnit. & remiſ. edit. 2. & in Man. cap. 26. nu. 22. Vict. in ſua ſum. §. 211. Tolet. lib. 3. ſua ſum. cap. 11. n. 12. Viuald. de ſatisfact. nu. 37. Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 31. num. 7. Sà verbo Satisfactio, num. 5. Beiap. 3. caſu 1.* Expreſsè volunt, Confeſſarium ex iuſta cauſa pęnitentiam mutare poſſe, etiam non audita confeſſione peccatorum, pro quibus fuit impoſita pœnitentia, repetitione opus non eſſe. Quam ſententiam à pluribus in praxi frequentatam fuiſſe teſtatur *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. ſub nu. 16. verſ. Porrò*: Et propterea inquit, quòd vnuſquiſque Confeſſarius ſequi poterit; præſertim ſi pęnitens ad repetenda peccata difficile induci poſſe videatur: vel ſi tempus id non patiatur.

21 Hæc autem ſententia à *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. n. 4. à Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. cap. 4. n. 17.* Et à nonnullis alijs tanquam falſa omninò reijcitur. Rationem vero eam eſſe aiunt: quoniam in Sacramento pęnitentię eadem eſt poteſtas ad ligandum, ac ad ſoluendum: vnde ſicut Confeſſarius extra Sacramentum non poteſt ligare, ita etiam non poteſt ſoluere: quæ ratio probat non ſolum de eodem Confeſſario, æquali, & inferiori, ſed etiam de Superiori, vt non poſſint extra Sacramentum mutare, moderare, nec tollere pęnitentiam aliàs impoſitam, vt habetur per *Fagund. loco citato poſt alios*: qui tamen addit, quòd quando agitur de pęnitentia tollenda, mutanda, aut moderanda ab eodem Cõfeſſario, ſatis eſt ſi pęnitens in generali dicat, confiteor omnia peccata, quæ iam confeſſus ſum ſi Confeſſarius eorum recordetur, cum attritione ſaltem: aliàs ſi non recordetur, omnia ne-
22 ceſſaria iterum repetenda erunt. Eſt tamen verum, quòd *Sot. in 4. diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. Suar. loco citato, nu. 3.* Et alij limitant hanc ſententiam, vt poſſit idem Sacerdos mitigare pęnitentiam, vel etiam commutare, non iterata confeſſione, ſi

pęni-

penitens ad ipſum recurrat infra tempus adeo breue, vt moraliter poſſit idem iudicium æſtimari. Hoc autem breue tempus indicatur præcipuè, donec Confeſſarius cauſam memoriæ retineat, vt ſi poſt vnum, vel alterum diem ipſe penitens ad eundem Confeſſarium redeat pro mutanda, vel moderanda penitentia, & idem tenet *Laym. loco citato, verſ. Dico ſecundo*, qui pro hac re allegat *Coninch. diſp. 10. nu. 99.*

23 Circa tandem vltimam difficultatem *Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 22. nu. 1.* putat poſſe alium Confeſſarium, audita confeſſione, quamuis non repetita eorundem peccatorum, pro quibus penitentia iniuncta fuit, ipſam penitentiam ab alio iniunctam immutare, moderari, ac tollere: & idem docet *Nauar. in Man. c. 26. nu. 22.* Quòd ſi alius Confeſſarius id poteſt, multo magis hoc ipſum poterit idem, præſertim ſi ſtatum penitentis memoriæ retineat. Etenim hi dicuntur in Sacramento penitentiæ ſoluere penitentem, in quo poſſunt eundem ligare.

24 Contraria tamen ſententia eſt communis, & verior, quam tenent *Syl. in ver. Confeſſio 2. nu. 31. q. 27. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. num. 5. Fagund. de praecep. Eccl. praecep. 2. lib. 9. c. 4. ſub nu. 22.* Et alij, dicentes non poſſe Confeſſarium mutare, moderari, aut tollere penitentiam alias impoſitam, niſi iterata confeſſione peccatorum, pro quibus fuit iniuncta. Mouentur ex eo, quòd ſententia non fertur in audita cauſa: & cum penitentia illa ſit medicinalis ad curanda vulnera, & ad remittendam penam temporalem, quæ remanet poſt remiſſam culpam: At Medicus non curat vulnera, quæ non videt. Et re vera quomodo poterit iudicare Confeſſarius Medicus, & Iudex, medicinam penitentiæ iniunctæ ſimile aſperam, vel duram, niſi in confeſſione, audiat peccata, pro quibus fuit impoſita. Et ſic patet reſponſio ad contrarium: licèt enim fiat mutatio intra Sacramentum, & in confeſſione, in quo Confeſſarius habet poteſtatem ſoluendi, & ligandi, nihilominus ſi non fiat repetitio peccatorum, pro quibus fuit impoſita penitentia, ipſius mutatio fieret cauſa non cognita. Eſt tamen verum quod ſi idem Confeſſarius velit mutare penitentiam, & recordetur peccatorum, pro quibus fuit iniuncta, ſatis erit, ſi penitens dicat, Confiteor omnia peccata, quæ confeſſus ſum, iuxta ea, quæ docet *Fagund. d. c. 4. ſub nu. 17.*

De ſatisfactione ex opere operato extra Sacramentum pœnitentiæ, & ſic de Indulgentijs, ſeù remiſſionibus.

DISP. X.

SVMMARIVM.

1 *Satisfactio per Indulgentias dicitur etiam ex opere operato extra Sacramentum.*

1 TRactauimus ſupra de ſatisfactione ex opere operato, quæ ſacramentalis eſt; eo quòd à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ iniungitur pœnitenti: & quoniam datur etiam ſatisfactio ex opere operato, quæ impenditur extra Sacramentum, qualis eſt ſatisfactio, quæ præſtatur per indulgentias; meritò, ac competenti ordine de ea hoc loco, atque ideò de indulgentijs duximus diſſerendum; & ſic de remiſſionibus, vt in *rubr. noſtri cap.* Etenim indulgentiæ remiſſiones ſunt.

De definitione indulgentiæ.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Omnis de aliqua re inſtitutio debet à definitione proficiſci.*
Et vndè Indulgentia deriuetur.
2 *Indulgentia quid ſit.*
3 *Sacerdos formam abſolutionis impendens effectiuè dicitur concurrere, tum ad abſolutionem culpa, tum ad abſolutionem pœna æterna.*
4 *Attritus virtute Sacramenti conſequitur gratiam, ac ſi contritus eſſet.*
5 *Omnis Indulgentia, tam pro viuis, quàm pro defunctis, eſt actus clauium, ſed cum differentia, & qua.*
Et quid nam ſint Indulgentia in ſe ipſis conſiderata.
6 *Romani Pontifices, & DD. indulgentias pro viuis ſimpliciter appellant remiſſiones, relaxationes, &c. Pro defunctis verò non ſic, nec dicunt ſe remittere, ſed ſolum concedere viuis, vt per modum ſuffragij poſſit eas pro defunctis offerre.*
7 *Indulgentia diſtinguitur à ſuffragio, quod non eſt actus clauium, ſed charitatis: Et quid ſit ſuffragium.*
8 *Quomodo ſumus coniuncti Capiti noſtro Chriſto tum in hac vita, tum in Purgatorio, tum denique in Paradiſo.*
9 *Dum ſumus vnius corporis membra, quod patitur vnum membrum, compatiuntur omnia: Et ſi conglorificatur vnum, omnia cõgaudent: Idemq; operabitur membra in miſtico Eccleſiæ corpore, ac vnumquodq; membrum in humano corpore.*
10 *Hoc ſuffragiũ appellatur ex opere operantis; ſed datur quoq; ſuffragiũ ex opere operato: nempè per ſacrificium Miſſæ, vel per Indulgentias.*
11 *Opus bonum quatenus eſt meritorium, non excedit perſonam merentis ſaltem de condigno; Chriſto Domino excepto; quatenus verò eſt ſatiſfactorium illam excedere poteſt, etiam de condigno.*
12 *Per indulgentiam non fit remiſſio culpa, nec pœna æterna, vt fit per Sacramentum pœnitentia, vel baptiſmi, ſed ſolum remittitur pœna temporalis remanſa poſt culpam remiſſam.*
13 *Quomodo intelligenda ſint multa Indulgentiarum Bulla, in quibus legitur concedi Indulgentiam, abſoluentem à culpa, & pœna.*
14 *Per Indulgentias remittitur pœna temporalis, ſiuè iniuncta ſit à Confeſſario in Sacramento Pœnitentia, ſiuè à Deo in Purgatorio iniungenda.*
Et an per Indulgentias remittantur quoque pœna, qua debentur in Purgatorio.
15 *Iubilaum ſolet ab Eccleſia Romana dici Indulgentia pleniſſima culpæ, & pœna. Et quare.*
Et quomodo per Iubilaum remittatur culpa, & pœna æterna.
16 *Annus Iubilaus non dicitur à Iubilo, quod magnam lætitiam ſignificat, ſed à voce hebrea Iobal, quod latinè ſignificat quinquaginta.*
Conueniuntq; annus Iubilaus Chriſtianorum, & Hæbreorum quoad plenariam remiſſionem. Et in quo differant.
17 *Indulgentia partialis pro parte tantum remittit pœnam temporalem.*

18 *Pœna æterna remittitur in Sacramento pœnitentiæ, & baptiſmatis: vna cum culpa, ſed pro pœna peccati originalis locum non habet Indulgentia.*

19 *Indulgentiæ ſumuntur ex Theſauro Eccleſiæ, ex meritis ſcilicet Chriſti, & ſanctorum differuntq; autem ab alijs pijs operibus, quæ pœnã remittunt ex opere operantis.*

20 *Remiſſio pœnæ temporalis, quæ fit per Indulgentias differt ab ea, quæ fit per adimpletam ſatisfactionem impoſitam à Confeſſario in ipſo Pœnitentiæ Sacramento.*

1 AIT *Cicer lib. 1.* quòd omnis, quæ à ratione ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit id, de quo diſputatum, vt igitur ordinatè procedamus, de indulgentijs tractatum habituri, indolgentiæ definitionem ante omnia in medium afferre operepretium eſſe duximus. Deriuatur autem indulgentia ab indulgendo, quod idem eſt, quod parcere, ſeù remittere: quocirca meritò in iure indulgentiæ remiſſiones appellantur, vt in *c. quod autem, & in rubr. noſtra de pœnit. & remiſ.* Et quamuis à Doctoribus variæ tradantur indulgentiæ definitiones, vt videre eſt apud *Henriq. de pœnit. lib. 7. c. 1. Sot. in 4. d. 20. q. 1. art. 1. Suar. tom. 4. in 3. p. D. Thom. diſp. 49. ſec. 4. Molfeſ. in ſua ſum. Theol. p. 1. tract. 7. c. 26. nu. 35.* Cum alijs, quos allegant; nos tamen eam
2 hoc pacto definiri poſſe arbitramur. Indulgentia eſt actus clauium; quo mediante indulgetur peccatori, in totum, vel pro parte pœna temporalis, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam, ex opere operato, extra Sacramentum.

Dixi, *Actus clauium*: loco generis: nam actus clauium non ſolùm dicitur remiſſio pœnæ temporalis per indulgentias extra Sacramentum pęnitentię, de qua nos loquimur; ſed etiam actus clauium eſt remiſſio pœnæ; quæ fit in Sacramento pęnitentiæ per Sacerdotem; ſicut etiam, & remiſſio culpæ, & pęnæ æternæ, iuxta illud, *Matt. c. 16. Quodcunque ligaueris, &c.* Etenim
3 Sacerdos formam abſolutionis impendens, effectiuè dicitur concurrere tùm ad abſolutionem culpæ, tùm etiam ad abſolutionem pęnæ æternæ, quæ debetur propter lethalem culpam: ſiquidem poteſtas clauium potiſſimum in peccatorum remiſſione vim habet: & Sacramenta nouæ legis non ſolùm ſignificant, ſed efficiunt, quod ſignificant. Vndè rectè definitur Sacramentum, quòd ſit inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ita vt eius Imaginem gerat, & cauſa exiſtat: vt habetur ex *D. Thoma 3. p. q. 84. art. 3. & Sot. in 4. d. 14. q. 2. art. 3.* & patet etiam ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6. & can. 9. de ſanctiſ. pœnit. Sacram.* Vbi habetur abſolutionem non eſſe tantùm miſterium declarandi eſſe remiſſa peccata, ſed actum iudicialem. Idem fuit determinatum in *Conc. Flor. ſeſſ. vlt. in Decreto Eug.* Vbi dicitur remiſſionem peccatorum eſſe rem Sacramenti. Imò Greg. XIII. in quadam ſua Bulla fertur damnaſſe quaſdam propoſitiones, inter quas erat vna, quæ dicebat, quòd pęnitens non viuificatur miniſterio Sacerdotis; ſed à ſolo Deo: quoniam non ita à ſolo Deo viuificatur, vt Sacerdos nullo modo concurrat: nam concurrit inſtrumentaliter, & vt Dei minister. Et re vera ſi ad remiſſionem culpæ, & pęnæ Sacerdos non concurreret effectiuè, ſequeretur, quòd impendendo abſolutionem ſuper attritum tantum illum, nec à culpa nec à reatu pœnæ æternæ abſolueret: quod eſt manifeſtè falſum; cùm ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4.*
4 Attritus virtute Sacramenti cõſequitur gratiam, ac ſi contritus eſſet. Vndè idem *Conc. ibi, c. 14.* inquit, quòd quando homo perfectè contritus accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, tunc reconciliatio non eſt tribuenda contritioni, niſi pro vt includit Sacramenti votum: & pœna Sacramento, vel Sacramenti voto tollitur. Non igitur ſunt audiendi *Magiſt. in 4. d. 18. Abulen.* & alij contrariam ſententiam docentes: nam quæ diximus hodie, ſtante Conc. Trid. determinatione, ſunt de fide; & oppoſitam ſententiam ait *Sot. loco citato*, parum diſtare ab hæreſi.

5 Dixi, *Actus clauium*, quoniam omnis indulgentia tàm pro viuis, quàm pro defunctis eſt actus clauium, cum hac tamen differentia, quòd indulgentia pro viuis ita eſt actus clauium, vt ſit etiam actus iuriſdictionis, & poteſtatis; atque ideò conſtituitur in genere abſolutionis: nam per eam quis abſoluitur à reatu pœnæ temporalis, quæ remanet poſt actualem culpam remiſſã. Enim quamuis indulgentiæ in ſe ipſis conſideratæ non ſint aliud, quàm merita Chriſti, & ſanctorum eius; & ſi conſiderentur reſpectu vtilitatis, quam fidelibus afferunt, dicantur Theſaurum, tùm quia animæ per illas remittitur pęna temporalis; tùm etiam, quoniam eas ſuſcipientes liberantur à nonnullis malis præſentis vitæ, quæ propter eorum peccata ſubire tenerentur; & ſi ſpectentur in ordine ad Diuinam iuſtitiam, appellentur ſatisfactiones, & ſi denique reſpectu concedentium vocentur donationes: nihilominus ſi indulgentiæ conſiderentur in ordine ad eos, qui illas ſuſcipiunt, dicuntur abſolutiones, ſeù remiſſiones, ac redemptiones, vt in *c. quod autem, eodem tit. noſtro, de pœnit. & remiſ.* Indulgentia verò pro Defunctis licèt ſit quoque actus clauium; nõ tamen eſt iuriſdictionis actus, ſed ſubſidium quodam, quod per modũ ſuffragij, ſeù donationis pro Defunctis offertur; atque ideò indulgentia pro Defunctis nihil aliud eſt, quàm applicatio ſatisfactionis Chriſti, & Sanctorum, vt latè probat *Cardin. Bellar. lib. 2. de Purgator. c. 16.*

6 Vndè Rom. Pontifices, & Doctores omnes diuerſo modo loquuntur de indulgentijs pro viuis, ac de indulgentijs pro Defunctis: ſiquidem priores ſimpliciter vocare ſolent remiſſiones, relaxationes, abſolutiones: poſteriores autẽ, quæ pro Defunctis conceduntur, non ita appellantur: nec Pontifices dicunt, ſe remittere, ac indulgere pœnas Defunctis; nec eos illis abſoluere; ſed concedere has, vel illas indulgentias viuis, vt per modum ſuffragij poſſint eas offerre pro Defunctis. Rationem autem hanc eſſe Doctores volunt; quòd Rom. Pontifex concedens indulgentias habet directam iuriſdictionem in homines viuentes; atque ideò poteſt illos abſoluere à peccatis in Sacramento, vel extra Sacramentum ſecundum diuerſas poteſtates, quas habet, ac diuerſos ſuæ poteſtatis actus. In animas verò Purgatorij non habet directam iuriſdictionem; eo quòd poteſtas clauium directè fuit Principi Apoſtolorum à Chriſto Dom no conceſſa

Digitized by Google

ceſſa ſuper terram, non autem ſub terram, vt patet ex Domini verbis *Matth. c. 16. Quodcunq; ſolueris ſuper terram, &c.* Et ſicut animæ per mortem conſtituuntur extra ſtatum viæ; ita etiam ſunt extra forum Eccleſiæ militantis: & propterea directè non ſubſunt iuriſdictioni eius: & ſic indulgentia reſpectu illarum non poteſt habere rationem abſolutionis; ſed tantùm rationem ſuffragij.

7 Dixi, *Actus clauium*. Vt indulgentia diſtinguatur à ſuffragio; quod non eſt actus clauium, ſed actus charitatis. Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quòd ſuffragium ex *D. Thom. & alijs in 4. d. 45.* nihil aliud eſt, niſi auxilium, ac ſubſidium quodam, quod ab vno fideli alteri præſtatur ad obtinendum à Deo remiſſionem pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam: aut aliquid aliud eiuſmodi. Etenim vt ait *Apoſt. Paul. ad Rom. c. 2.* Nos multi vnum corpus ſumus; ſinguli autem alter alterius membra. Omnes enim ſumus vnum corpus miſticum Chriſti, tàm nos in hoc mundo viuentes, inter quos ſunt membra infirma, vt ſunt peccatores, & ſumus Eccleſia militans: tùm animæ in Purgatorio exiſtentes, quæ dicuntur Eccleſia pœnitens: tum demum Beati in Paradiſo, qui appellantur Eccleſia triunfans. Nos igitur con-
8 iuncti ſumus capiti noſtro Chriſto per fidem, & amorem; verùm per peccatum ſeparari poſſumus non ſecundum eſſentiam, & præſentiam, quoniam Deus eſt vbique præſens; ſed per contrarias voluntates. In Purgatorio verò permanentes ſunt Chriſto magis coniuncti, cùm ſint in bono confirmati, & effecti impeccabiles, ita vt per peccatum ſeparari nequeant: eò quòd illorum liberum arbitrium non poteſt irrui in malum. Exiſtentes denique in Paradiſo ſunt Chriſto omnium coniunctiſſimi; quoniam non tantùm confirmati ſunt in gratia; ſicut in Purgatorio exiſtentes, verum etiam ſunt Chriſto Deo vniti per claram viſionem Diuinæ eſſentiæ. Hinc eſt quòd Deus eſt caput Chriſti: Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ, quæ dicitur Corpus Chriſti. In Paradiſo regnantes membra ſunt ſana, ac integra citra reatum culpæ, ac pęnæ; atque ideò ſunt pura, ſancta, fortia, glorioſa, opulenta meritorum gloriæ, ac virtutis. Qui in Purgatorio detinentur incluſi, cùm ſint impeccabiles, quamuis dici poſſint membra fortia, & ſtabilia; nihilominus non poſſunt dici omninò purificata; quoniam reſtant purificanda propter reatum pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam. Nos autem viuentes in hoc mundo licèt ſimus Chriſti Domini membra debilia, infirma, miſera, ſauciata, cùm etiam iuſtus in die ſepties cadat.

9 Vndè cùm ſimus vnius corporis membra, ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mebra, ait *Apoſtol. Chor. c. 12.* Et ſi glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Et quemadmodum in humano corpore vnumquodq; membrum non in ſuam tantum, ſed in aliorum vtilitatem operatur; ita quoque in miſtico Eccleſiæ corpore, membra, quæ viua ſunt, ac vtiliter operari poſſunt, non ſolùm ſibi mereri valent; verùm etiam alijs præſtare poſſunt auxilium, iuxta illud Iacobi, *c. 5. Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Et *Apoſt. Paul. ad Rom. c. 15. Obſecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me à Deo.* Quod quidem ſuffragium
10 appellatur ex opere operantis. Datur quoque ſuffragium ex opere operato, & eſt illud auxilium, quod præſtatur fidelibus per ſacrificium Miſſæ, vel per indulgentias non ſolùm pro remittendis pœnis temporalibus, quæ debentur in Purgatorio poſt remiſſam culpam; ſed etiam pro remiſſione, ac redemptione nonnullorum flagellorum, quæ Diuina iuſtitia decreuerit à peccatoribus poſt remiſſam culpam in hoc mundo fore ſubeunda. Imò membrum viuum, atque ideò iuſtus in hac vita vno & eodem actu poteſt pro ſe ipſo mereri præmium, & pro quouis altero ſatisfacere, citra vllum ſui pręmij detrimentum, vt patet *Exod. c. 32.* vbi Moyſen ſua feruenti oratione, qua Deum deprecabatur, vt populo ſuo parceret, aut ſe de libro vitæ deleret, pręmium ſibi comparuit, & Populo pœna remiſſionem obtinuit. Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus licèt ſanguinem pro peccatoribus fuderit, & acerbiſſimam mortem pertulerit, vt nobis peccata dimitterentur; non tamen ob id ſuæ paſſionis pręmio fuit fruſtratus: ſiquidem propter hoc Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c. & inquit *Apoſt. ad Philipp. c. 1.* Etenim merita, & ſatisfactio non tantùm re, quàm ratione differunt; cùm omne opus bonum factum ab eo, qui eſt in charitate, ſit meritorium ea ratione, qua eſt bonum, & quis pro eo meretur Beatitudinem: & ſatisfactionem ea ratione; qua eſt perſonale, & per illud quis pęnas patitur.

11 Et licèt opus bonum quatenus eſt meritorium non excedat perſonam merentis, cùm nullus poſſit æternam fælicitatem alteri mereri, ſaltem de condigno excepto Chriſto Domino, cui ſoli tributa fuit gratia vniuerſalis, quæ ob ſui eminentiam in alios tanquam in membra deriuaretur, vt habetur per *D. Thom. 3. p. q. 8. art. 5. & 6.* atque ideò meruit illam alijs omnibus, vt per eundem *D. Thom. ibidem, in reſp. ad 2. & q. 34. par. 3.* nihilominus opus bonum, quatenus eſt ſatisfactorium, etiam de condigno eam excedit; atque ideò non modo Chriſti merita pęnaliſſima verum etiam quamplurima aliorum ſanctorum, qui vel nullas culpas habuerunt, vel vltra pęnas eis debitas paſſi ſunt, manent vt aliqui putant irremunerata quatenus ſatisfactoria: eo quòd non fuerunt ſortita effectum quoad virtutem ſatisfaciendi: nam quamuis nullus ſit, cui non cumulatius pręmium in Cęlo à Deo tribuatur, quam in hoc ſæculo meruerit; innumeri tamen ſunt, qui longè graues tribulationes, & pœnas ſubierunt, quàm ad ſuorum criminum expiationem ſatis eſſent. Vndè Eccleſiæ omnium piæ matri fuerunt relicta, vt ea in ſuo Theſauro habeat, & pro aliorum filiorum ſuorum debitis pęnis ſatisfaciat, directè ſcilicet viuentibus concedendo indulgentias, quæ ſunt Chriſti Domini, & ſanctorum merita, vt ſupra diximus: & indirectè animabus in Purgatorio exiſtentibus, nempè per modum ſuffragij, concedendo indulgentias viuis, vt per modum ſuffragij poſſint eas offerre pro Defunctis iuxta explicationem ſupra à nobis traditam: & habetur ex *Nauar. de Iubil. & indulg. not. 13.*

12 Dixi, *Indulgetur pœna temporalis*. Quoniam

ſint per accidens viſibiles; at per accidens efficiuntur ſenſibiles, quando exterius imponuntur à Confeſſario, & acceptantur à pœnitente.

An Confeſſarius teneatur condignam ſatisfactionem imponere pęnitenti, & quam menſuram ſeruare debeat.

S E C. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Confeſſarius audita confeſſione pœnitentis tenetur eidem mulctam imponere, ſeu ſatisfactionem pro pœna ſolutione, quę remanet poſt culpam remiſſam.*

2 *Poteſt interdum Confeſſarius abſoluere pœnitentem, nulla impoſita pœnitentia.*

3 *An Confeſſarius obligetur omninò ad imponendam condignam pœnitentiam.*

4 *Pœnitentiæ omnes, à Confeſſario iniungendæ, arbitrariæ ſunt, & eorũ arbitrio remittendæ.*

5 *Sacerdotis arbitrium non eſt eius voluntati relinquendum, ſed pro criminum qualitate, ac pœnitentium fragilitate ſatisfactionem debet iniungere.*

6 *Confeſſores in mitiorem partem ſemper debent inclinare, & condeſcendere pœnitentibus.*

7 *Septennem pœnitentiam eſſe imponendam pro ſingulis peccatis mortalibus fabuloſum eſſe, nonnulli volunt: Et de quibus pœnitentijs intelligenda ſint decreta, determinantia certas pœnas pro qualitate criminum.*

Et an Confeſſarius admonere teneatur pœnitentem, cum multo leuiorem ſatisfactionem iniungit, ob illius fragilitatem.

8 *Arbitrium Confeſſarij non eſſe abſolutè eius voluntati relictum, ſed pro qualitate criminum, & pęnitentium fragilitatem, eſſe pœnitentiam imponendã, probatur ex Conc. Trid.*

Non tamen poteſt in ea imponenda tàm exactè ſeruari æqualitas rei ad rem.

9 *Pœnitentia, ſeu ſatisfactio, a Confeſſario impoſita, opus non eſt, vt ſit talis, quæ ſatisfaciat pro tota culpa.*

10 *Prudens pœnitentia, licèt ſit leuior iuſto, totam remittit pœnam, maximè ſi fiat ex magno motu pœnitentis.*

An pœnitentia minima, & improportionata tollat totam pœnam.

11 *Pœnæ ſolutio per pęnitentiam à Sacerdote iniunctam procul dubio fieri dicitur de cõdigno.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt eſt adnot. quòd hoc loco non quærimus, an Confeſſarius, audita confeſſione pęnitentis teneatur eidem imponere mulctam, ſeù ſatisfactionem pro ſolutione pęnæ, quæ remanet poſt culpam remiſſam: certum eſt enim, eum teneri, vt conſtat ex noſtro canone, in illis verbis, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam, &c.* Et ex *Conc. Trid. de reform. ſeſſ. 14. c. 8.* Etenim Confeſſarius tenetur ad integritatem Sacramenti pęnitentiæ, concurrentibus alijs conditionibus ad illud requiſitis, tùm ex parte ipſius Confeſſarij: tùm etiam ex parte pęnitentis; at ſatisfactio eſt pars integralis dicti Sacramenti; ergò tenetur eam imponere, aliàs non conferret integrum Sacramentum. Confirmatur, quia Confeſſarius non modo eſt Medicus, vt in noſtro canone, ibi, *Vt more periti Medici.* Sed etiam eſt Iudex, vt *in can. verbum de pęnit. d. 1.* ita ſe habente, *Verbum Dei dimittit peccata: Sacerdos eſt Iudex, &c.* Ergò vt Medicus tenetur curare vulnera pęnitentis, & vt Iudex æqualitatem ſeruare. Vndè cùm iudicet inter Deum, & hominem, ſicut tenetur abſoluere pęnitentem benè diſpoſitum, ita etiam curare debet, vt pęnitens ipſe ſatisfaciat Deo per mulctæ, ſeù pęnitentiæ impoſitionem: quam quidem obligationem grauem eſſe, cum ad integritatem Sacramenti, & Religionem Deo debitam pertineat, per ſe loquendo, docet *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 3. nu. 1. in fine.* Dixi, *Per ſe loquendo,*

2 Quoniam interdum poteſt Confeſſarius abſoluere pœnitentem, nulla impoſita pœnitentia, vt cùm pœnitens adeò eſt morti propinquus, vt ſit impotens ad illam implendam, & præſertim ſi nihil percipere poſſit: quia ſatisfactio cum non ſit pars eſſentialis Sacramenti pœnitentiæ; ſed tantùm integralis, ſicut digitus reſpectu totius hominis, non eſt omittendum Sacramentum propter incapacitatem pęnitentis. Idem dicendum eſt, vbi Confeſſarius ex ipſa pęnitentis confeſſione, & ex materia, & ſignis eius intelligit pęnitentem integrè ſatisfeciſſe pro ſuis peccatis; etenim quemadmodum ęquitas iudicij poſtulat, vt condemnetur debitor; ita vt abſoluatur, qui iam ſoluit. Imò Confeſſarius quamuis regulariter, & per ſe loquendo, vt diximus, teneatur imponere pęnitentiam; non ſemper tamen tenetur eam imponere per modum præcepti; ſed aliquando poteſt iniungere pęnitentiam, ſi pęnitens velit illam ſubire, vel ſolùm conſilium, vt rectè declarat *Suar. loco citato, ſub nn. 2.* Sola igitur controuerſia noſtra eſt de Confeſſario, an teneatur condignam ſatisfactionem imponere pęnitenti: quando ad imponendam pęnitentiam tenetur.

3 In hac difficultate videtur prima facie dicendum, Confeſſarium omninò obligari ad imponendam condignam pęnitentiam, ſeù ſatisfactionem pęnitenti. Probatur primò per *text. in c. falſas, de pœnit. d. 6.* vbi ex D. Gregorio ita habetur, *Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritatem ſanctorum Patrum pro qualitate criminum imponuntur.* Si igitur falſa eſt pęnitentia, quæ pro qualitate criminum non imponitur; ergo ad condignam pęnitentiam pro qualitate criminum imponendam obligatur Confeſſarius. Secundò, quoniam nonnulli canones extant, in quibus pro ſingulis peccatis certum pęnitentiæ tempus, & modus taxatur, ita vt olim ſeptennis pęnitentia pro ſingulis peccatis mortalibus præciperetur. Tertiò confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* vbi ſic legitur, *Debent autem Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus, ac prudentia ſugeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate ſalutares ſatisfactiones iniungere, ne ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes fiant.* Ergò Confeſſarius tenetur pęnitenti condignam iniungere ſatisfactionem, ſeù pęnitentiam. Denique ſatisfactio iniungitur pęnitenti ad exoluendam pęnam, quæ remanet poſt remiſſam culpam, ergò debet eſſe proportionata culpæ,

atque

atque ideò Confeſſarius tenetur iniungere pęnitenti condignam ſatisfactionem, ſeù pęnitentiam. Antecedens patet. Probatur conſequentia ex his, quæ ſupra diximus in notan. dum oſtendimus Confeſſarium in conferendo Sacramentum pęnitentiæ, eſſe Iudicem inter Deum, & hominem, & vt Iudex debet æqualitatem ſeruare, atque ideò ſicut tenetur abſoluere pęnitentem benè diſpoſitum; ita quoque curare debet, vt pęnitens ipſe ſatisfaciat Deo per condignæ pęnitentiæ impoſitionem; ergò tenetur pęnitenti condignam iniungere ſatisfactionem, ſeù pęnitentiam.

4 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis ſententia, quam tenet *Sot. in 4.d.20. q.2.art.2.Nauar. in Man.c.26.nu.18. Fagund. de præcep. Eccl. præcep.2. lib.9. c.5.nu.1.* Et alij dicentes, omnes pęnitentias pro peccatis à Confeſſarijs in confeſſione iniungendas eſſe arbitrarias, & eorum arbitrio remittendas. Probatur primò hæc opinio ex noſtro canone, vbi iniunctam pęnitentiam adimpleri tantùm præcipit, & inquiri diligenter à Confeſſario peccatoris circumſtantias, & peccati, quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere conſilium, & remedium adhibere: nec in eo de condigna pęnitentia ſit aliqua mentio. Confirmatur ex *Conc. Floren.* relato ab eodem *Fagund. loco citato*, dum ait, tertia pars Sacramenti pęnitentiæ eſt ſatisfactio ſecundum arbitrium. Præterea patet ex *tex. in c. menſuram, de pœnit.d.1.* vbi apertè habetur, quòd canones non præfigunt pęnitentias pro quocunque crimine; ſed magis arbitrio Sacerdotis intelligẽtis id relinquendũ ſtatuunt. Secundò probatur hæc ipſa ſententia ratione: nam Sacramentum pęnitentiæ ordinatur præcipuè in bonum, & curationem pęnitentis: at pęnitentis diſpoſitio poteſt eſſe varia: ergò nec eadem quantitas, nec idem modus pęnitentiæ poteſt omnibus expedire, atque ideò totum id Confeſſarij arbitrio eſt remittendum.

Reſtat modo, vt contraria diluamus.

5 AD primum dicimus, arbitrium Sacerdotis non eſſe abſolutè eius voluntati relictum, ſed pro qualitate criminum, & pęnitentium fragilitate debet ſatisfactionem iniungere, vt rectè reſpondet *Gloſa in d.c.menſuram, de pœnit.d.1.* Propter impotentiam enim, & fragilitatem pęnitentis, aut ex alia rationabili cauſa poteſt Confeſſarius diſſimulare, & leuiorem ſatisfactionem imponere, quàm peccati grauitas expoſtulat: ſiquidem in Sacramento pęnitentiæ magis intenditur ſalus pęnitentis, eiuſdemque emendatio, quam pęnæ ſolutio: & cauſa Dei ſemper remanet integra; quia ſi in hac vita pęnitens plenè pęnam non exoluet, in Purgatorio ſatisfaciet
6 vſque ad minimum quadrantem. Hinc in *c. alligant, 26. q. 7. ex D. Chriſoſtomo* habetur, quòd Confeſſores ſemper debent in mitiorem partem inclinare, & condeſcendere pęnitentibus; quoniam in hoc minus periculi eſt, quàm ſi grauioribus pęnitentijs homines deterreant, vel in deſperationem inducant: & tanto fortius, quia melius eſt per miſericordiam rationem reddere, quàm propter crudelitatem: vbi enim Paterfamilias largus, diſpenſator non debet eſſe tenax: ſi Deus benignus, cur Sacerdos eius auſterus vult apparere. *Nazian.* etiam *orat. 26. circa fin.* ſic ait. Hanc rationem tene, vt partim illum corrigas, idq; leuiter, & humanè; non vt hoſtis, neque durus, ac rigidus Medicus: & inferius; Habes medicinæ regulam, Chriſti diſcipulus es, mitis, & benignus, qui noſtras infirmitates portauit.

7 Ad illud de ſeptenni pęnitentia pro ſingulis peccatis mortalibus, reſpondetur, quòd nõnulli volunt, id eſſe fabuloſum, cùm nullibi reperiatur tale decretum: alia verò decreta determinantia certas pęnas pro qualitate criminum, vel non loquuntur de pęnitentijs imponendis in foro pęnitentiali; ſed in foro exteriori: vel ſi aliquæ pertinerent ad forum pęnitentiæ, ſemper dabatur locus arbitrio Confeſſoris, vt ſupra diximus. Vel certè hodie ex conſuetudine totum hoc negotium arbitrio Confeſſarij committitur, vt benè inquit, *Sot. in 4. d.19. q. 2. art. 5. Nauar. Petr. Sot. & alij*, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit.diſp.38. ſec. 4.* Eſt tamen verum, quòd ipſe *Nauar. in Man.c.26. nu.19. & 20.* Inquit, quòd quando Confeſſarius multò leuiorem ſatisfactionem iniungit ob pęnitentis fragilitatem quàm eiuſdem peccata merentur, debet pœnitentem ipſum admonere, dicens, pœnitentiam, ſeù ſatisfactionem illam, non eſſe ſufficientem pœnam; ſed propter eius indiſpoſitionem cum eo benignius agere: ne fortè ex leuitate pœnæ occaſionem ſumat peccandi.

8 Ad Conc. Trid. reſpondetur eodem modo, quo reſpondimus ad primum: nihil enim aliud ex eo colligitur, niſi quòd arbitrium Confeſſarij non eſt abſolutè eius voluntati relictum; ſed pro qualitate criminum, & pœnitentium fragilitate debet ſatisfactionem imponere: non tamen in ea imponenda poteſt tàm exactè æqualitas rei ad rem ſeruari; quia Confeſſarius non habet ſufficientem notitiam extremorum, vt poſſit ea inter ſe comparare, & compenſare, ſed ſecundum generales quaſdam rationes pro grauioribus delictis debet grauiores ſatisfactiones imponere pœnitenti; attenta tamen ſemper pœnitentis diſpoſitione, ac fragilitate, emendatione, & præſeruatione in futurum, in quibus omnibus certa regula aſſignari non poteſt, ſed in omnibus prudentia opus eſt, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp.38. ſec.6.*

9 Ad vltimum argumentum negatur conſequentia: non enim opus eſt pœnitentia, ſeù ſatiſfactio impoſita à Confeſſario, vt talis ſit, quæ ſatisfaciat pro tota pœna, quia vt ſupra diximus Confeſſarius non habet ſufficientem cognitionem extremorum, & cauſa Dei ſemper remanet integra; quoniam ſi in hac vita pœnitens non ſatisfaciat plenè, in Purgatorio totam pœnam
10 exoluet. Imò non deſunt, qui velint, prudentem pœnitentiam, licèt ſit leuior iuſto, remittere totam pœnam, maximè ſi fiat ex magno motu pœnitentis; quia tunc ex opere operato, & ex opere operantis remittit, vt habetur ex *Henriq. lib.5. de pœnit. c.22.num.10. Sot. in 4.d.20.q.2. art.3. Fagund.d.c.5.nu.2.* & ex alijs. Regulariter tamen ſi pœnitentia ſit minima, & improportionata non tollit totam pœnam; ſed illa exoluitur tota pœna, quæ eſt proportionata peccatis. Etenim pœna Purgatorij quantumuis minima, licèt ſit omnium pęnarum huius ſæculi maxima; pœnitentia tamen iniuncta à Sacerdote cum

virture

Digitized by Google

tamen teneatur pœnitentiam acceptatam implere, ſuaderi poteſt ex eo, quod per acceptationem pœnitentiæ quoad hunc quoq; actum ſubditur clauibus: & propterea non implendo pœnitentiam dicitur facere contra obligationem in re graui: nam multa ab initio ſunt voluntatis, quæ ex poſtfacto fiunt neceſſitatis.

2 Secunda ſententia eſt *Caiet. tom. 1. opuſc. tract. 6. q. 2.* ad ſecundam, non ſolùm negantis, pœnitentem teneri ad acceptandam pœnitentiam, iuxta *Scoti* opinionem, & aliorum, quos ſupra retulimus; ſed etiam ſi acceptet, teneri ad eam implendam. Etenim inquit, acceptatio non eſt votum, nec promiſſio; ſed tantùm ſimplex propoſitum. Si ergò præceptum Confeſſoris per ſe non inducit obligationem ex prima opinione, nec acceptatio illam inducet.

3 Tertia ſententia, quæ nobis probatur tanquam vera eſt *Magiſtri in 4. ſent. d. 16. & 18. vbi D. Thom. q. 1. art. 3. quæſtiun. 3. Riccar. art. 2. q. 5. Palud. Maior. Dur. Alenſ.* & aliorum, quos refert, & ſequitur *Suar. diſp. 38. de pœnit. ſec. 7. nu. 2. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 3. nu. 12.* vbi quamplurimos alios allegat, & *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. ſub num. 6.* Probatur hæc opinio, primò, quia Confeſſor eſt Iudex, vt in *c. verbum, de pœnit. d. 1.* Vndè tanquam Iudex poteſt obligare ſubditum, vt pœnitentiam impoſitam acceptet, & impleat, & ille tenetur obedire. Secundò probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* vbi decernitur, in

4 Sacerdote eſſe poteſtatem ligandi, non tantùm ad infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad peccati commiſſi vindictam: & in *can. 15.* datam eſſe Sacerdoti poteſtatem nõ ſolùm abſoluendi, ſed etiam ligandi, & ſic obligandi ad opus pœnitentiæ implendum. Si igitur Sacerdos ad vindictam peccati commiſſi poteſt ſatisfactionem, ſeù pœnitentiam pœnitenti iniungere, & illum obligare ad eam implendam: ergò & ipſe pœnitens tenetur obedire, & pœnitentiam adimplere, iuxta præceptum noſtri canonis, in illis verbis, *Et iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere.* Denique probatur ex *Conc. Galeguſtad. c. 18. in 3. tom.* Conc. dicente, quod multi tanta falluntur ſtultitia, vt capitali crimine culpati, pœnitentiam à ſuis Sacerdotibus acceptare nolint. Hæc adeò habet tenenda eſt, ſtante maximè diſpoſitione, *Conc. Trid. loco citato,* vt contrariam ſine temeritate defendi non poſſe putet, *Suar. d. diſp. 38. ſec. 5. nu. 2.* Etenim ſi Confeſſarius tenetur ſatisfactionem imponere, vt ex *d. Conc. Trid.* oſtendimus *ſec. præced. in not.* ergò & pœnitens tenetur illam acceptare; ſiquidem tàm Sacerdos, quàm pœnitens concurrant ad Sacramentum pœnitentiæ, vterque pariter tenetur eiuſdem integritatem ſeruare: aliàs valdè inefficax eſſet Sacerdotis vindicatiua poteſtas.

5 Ampliatur hæc concluſio, vt adeò pœnitens teneatur pœnitentiam acceptare, eandemque implere, vt ſi non acceptet, aut acceptatam non impleat, regulariter mortaliter peccet: ſiquidem obligatio acceptandi pœnitentiam, & illam implendi, ex ſuo genere grauis eſt, ad Religionem, & iuſtitiam Diuinam pertinens: ergò contrafaciens non excuſatur à culpa mortali. Ita *Magiſt. in 4. ſent. d. 16. & 18.* vbi etiam *D. Thom. q. 1. art. 3. quæſtiun. 3. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 7. nu. 2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. cap. 3. nu. 12. 13. 16. & 17. & Laym. in ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 15. num. 7.* Confirmatur; quia iàm Sacerdos,

6 quàm pœnitens tenentur Sacramenti pœnitentiæ integritatem ſeruare, vt ſupra diximus: ergò ſicut Sacerdos non iniungendo pœnitentiam facit contra integritatem illius, atq; ideò peccat mortaliter, ita etiam pœnitens non acceptando pœnitentiam, vel acceptatam non implendo. Ob id *Nauar. in Man. c. 26. nu. 10. Suar. d. diſp. 38. ſec. 3. in fine,* & alij, quos allegat, & ſequitur *Laym. loco citato, nu. 8.* putant, pœnitentiam rectius à Sacerdote decerni ante abſolutionem à peccatis, quàm poſtea. Et hanc communem opinionem eſſe teſtatur ipſe *Laym.* & id etiam, vt ordo iudicij, & iuſtitiæ vindicatiuæ melius ſeruetur, ſi pœnitens ſatisfactionem prius ſpondeat, quàm abſoluatur: & vt omnes Sacramenti partes materiales ſubijciantur Sacerdotis abſolutioni.

7 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt pœnitens teneatur acceptare pœnitentiam ſibi à Cõfeſſario iniunctam, etiam ſi nolit illam acceptare, nec abſolutionem ab eo Confeſſario recipere; ſed alium Confeſſarium velit adire, cui de nouo ſua peccata aperiat, & abſoluatur: quoniam non eſt abſolutè liberum, nec licitum pœnitenti Sacramentum inchoatum relinquere, & effugere Sacerdotis iudicium, cui ſe ſemel ſubdidit, & alium quærere: ſiquidem citra irreuerentiam Sacramenti id fieri non poteſt, vt habetur ex *Suar. d. diſp. 38. ſec. 7. nu. 4.* quem ſequitur *Fagund. loco ſupra relato, ſub nu. 18.* Quod quidem verum eſſe dicunt, quando pœnitentia eſt iuſta, prudenter, ac rationabiliter impoſita à Cõfeſſario: nec ab eo plus nimio obiurgationibus exagitentur pœnitentes: nec aliqua alia ſit cauſa effugiendi iudicium, & non integrandi Sacramentum. Vndè Confeſſarius tantùm poteſt excedere in pœnitentijs iniungendis, & in obiurgationibus, vt iuſtam cauſam præbeat pœnitenti non integrandi Sacramentum, & ad alium Confeſſarium confugiendi. Quo circa caueat Con-

8 feſſarius, ne incongruas pœnitentias imponat, nempè mulieribus peregrinationes; valdè occupatis multas preces: pauperi, vel filiofamilias eleemoſynas: operarijs, vel debilibus perſonis ieiunia. Item ne adeò graues pœnitentias imponat, vt pœnitentis domeſtici, aut alij commiſſũ crimen concipere poſſint. Caueat præterea, ne pœnitentiam iniungat, vt ſi tali die non impleatur, duplicetur: nec facile permittere debet pœnitenti, vt voueat, vel iuret, ſe in poſterum non commiſſurum tale peccatum, vt colligitur ex ijs, quæ habentur ex *Nauar. in Man. c. 26. à num. 20. ad 29. D. Antonino Henriq.* & ex alijs relatis à *Laym. d. c. 5. ſub nu. 11.* Qui poſt alios probat etiam non poſſe iniungi in pœnitentiam pœnitenti, vt Religionem ingrediatur, & profeſſionem emittat: aut matrimonium contrahat, quoniam tàm matrimonium carnale, quàm ſpirituale liberæ electionis eſſe debent. Cæterum Confeſſarius in pœnitentijs imponendis duo attendere debet peccatorum magnitudinem, & peccatoris diſpoſitionem, vt colligitur ex noſtro canone, & ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 8.* & latè declarat *Nauar. d. c. 26. nu. 18. & 20. in c. men-*

ſum, nu. 5. & 6. de pœnit. d. 1. Suar. d. diſp. 38. ſec. 4. nu. 4. & Laym. loco citato.

9 Tertiò ampliatur, vt pœnitens non ſolùm teneatur acceptare iuſtam, ac rationabilem pęnitentiam, ſed etiam aliquando poſſit compelli ad eam implendam antequam abſoluatur; ſi in curationem, & in medicinam Confeſſarius id iudicet expedire ad ſalutem animæ pęnitentis, vt habetur ex *Suar. d. diſp. 38. ſec. 7. nu. 9. & Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 9. c. 3. nu. 19.* Dixi, *In curationem, & medicinam, &c.* Quia ſi loquamur de pœnitentia, vt eſt vindicta ſceleris commiſſi, & pęnæ relictæ, per ſe loquendo dicunt præfati Doctores, Confeſſarium nullum ad hoc ius habere, nec iuſtam cauſam differendi abſolutionem. Poteſt tamen, imò ſatis prudenter aget, ſi antequam abſolutionem impendat, pœnitentiam iniungat pęnitenti, vt ſupra oſtendimus *ampl. 1. circa finem.*

10 Sic ampliata limitatur hæc ipſa concluſio quoad primam ampliationem, vt ita demum pęnitens committat lethalem culpam non acceptando pęnitentiam, vel acceptatam nō implendo, quando confeſſio eſt de materia mortali, & neceſſaria, & pęnitentia impoſita etiam ſit grauis: ſecus autem ſi materia ſit venialis, aut peccatorum aliàs confeſſatorum, quia tunc ex leuitate materię eſſet tantùm peccatum veniale. Ita *Suar. d. diſp 38. ſec. 7. nu. 4. 6. & 7. & Laym. d. c. 15. ſub num. 7. verſ. Addit verò Suar.* qui ob id damnant ſententiam *Henriq. de pœnit. lib. 5. c. 20. nu. 3.* quem ſequitur *Fagund. loco paulò ſupra citato, nu. 13.* Et alij, exiſtimantes teneri pęnitentem, pęnitentiam acceptatam, ſi grauis ſit, implere ſub mortali; etiam ſi grauis illa pęnitentia pro peccatis iam ritè confeſſis, & abſolutis impoſita fuerit, imò & pro venialibus poneretur, vt plerunq; fieri ſolet in longa, ac diuturna confeſſione totius vitæ, vel cum viro Religioſo pro peccatis venialibus ſæpè iteratis grauis pęnitentia iniungitur pro compenſatione pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Etenim valdè durum videtur, vt pęnitens poſteaquàm peccata mortalia ſemel confeſſus eſt, & iniunctam pęnitentiam impleuit, ſi iterum eadem peccata à libera voluntate confiteatur, quod nouam obligationem ſatisfaciendi ſub culpa mortali contrahat. Non tamen negat ipſe *Laym.* ibi, per accidens id fieri poſſe, ſi pęnitens verſetur in probabili periculo peccandi mortaliter, niſi remedia pęnitentiæ ipſi imperata exequatur.

11 Illud autem hoc loco nolo ſilentio eſſe prætereundum, quod idem *Henriq. & Suar.* dicunt *locis citatis*, quòd ſi è contra leuis pęnitentia ob mortale, vel mortalia imponatur, vt pęnitenti infirmo imponi ſolet, aut tempore Iubilæi, in quo alia opera, & actiones ſatisfactoriæ præcedere ſolent: aut ſi ab eis peccatis fuerat pęnitens iam indirectè abſolutus, & illorū oblitus fuerit: & in quocunque alio caſu, in quo leuis pęnitentia pro grauibus culpis imponitur; nempè ob nimiam patientiam, & tolerantiam pęnitentis in perferenda obiurgatione Confeſſarij, vel magnum dolorem illius, aut conſcientiæ timorem: tunc impletio talis pęnitentiæ non obligat ſub mortali: ſiquidem hæc obligatio Confeſſarij non tam reſpicit cauſam, ſeu culpam, quàm gra-

12 uitatem pęnitentiæ. Imò ſi Confeſſarius pro mortalibus imponat leuem pęnitētiam, vt ſupra, in dubio non præſumitur voluiſſe obligare pęnitentem ad implendam pęnitentiam ſub mortali, niſi id exprimat, & notificet pęnitenti, quia tunc non habebit vim obligatiuam ex quantitate, & grauitate pęnitentiæ iniunctæ, ſed ex intentione Iudicis imponentis, vt declarat *Fagund. poſt alios d. c. 3. ſub nu. 5.* vbi ponit exemplum de eo qui emiſit votum de re minima, aut de re minima iurauit; quoniam non obligatur ad voti, vel iuramenti impletionem ſub mortali, niſi ſe ex ſpeciali intentione ſub mortali voluerit obligare.

Reſtat modo, vt ad contraria reſpondeamus.

13 AD primum dicimus, quòd licet ſtando in ſolo iure naturæ, & extra Sacramentum pęnitentiæ, pęnitens poſſet temporalis pęnæ poſt culpam remiſſam, ſatisfactionem in Purgatorio reſeruare; tamen cum ſe ſubdit clauibus per ſacramentalem confeſſionem, tenetur pęnitentiam impoſitam acceptare, tùm propter integritatem Sacramenti, ac iudicij, ad quam ſeruandam non modo tenetur Sacerdos imponendo pęnitentiam ſed etiam pęnitens eandem acceptando; tum etiam quia cùm Sacramentum pęnitentiæ ſit inſtitutum, per modum iudicij, vt in *c. verbum, de pœnit. d.* 1. in iudicio recto, & benè inſtituto arbitrium pęnæ non eſt commiſſum reo, ſed Iudici, apud quem eſt poteſtas vindicatiua, & coactiua: & quamuis coactio in præſenti iudicio, cum ſit voluntarium propriè locum non habeat; nihilominus ſit quodammodo, prout poteſt ligando per præcepti neceſſitatem.

14 Ad confirmationem negatur conſequentia per ſe loquendo; quoniam licèt Confeſſarius poſſit obligare pęnitentem ad acceptandam ſatisfactionem condignam, quamuis grauem; id tamen verum eſt, quando ſatisfactio non tantum eſt vindicatiua, ſed etiam medicinalis, atque ideò tolerabilis, & accomodata humanæ fragilitati.

15 Ad conſuetudinem reſpondetur negando talem conſuetudinem: nam Confeſſarij docti contrarium efficiunt, vt teſtatur *Fagund. d. c. 3. ſub nu. 17. in fine.* Non enim conſueuerunt Confeſſarij pęnitentes abſoluere citra pęnitentiæ impoſitionem, niſi in mortis articulo, in quo ſatis eſt contritio, & dolor morbi loco pęnitentiæ. Imò in eo articulo ſatis conuenienter aget prudens Confeſſarius ſi breuem orationem, aut tunſionem pectoris, vel inuocationem ſanctiſſimi nominis Ieſus ſaltem corde, ſi ore non poſſit, pęnitenti in ſatisfactionem imponat, vt habetur ex *Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 20. nu. 6.* & ex alijs apud *Fagund. loco citato, ſub num. 9.* vbi etiam numerat duos alios caſus, in quibus Confeſſarius poteſt non iniungere pęnitentiam, quorum alter eſt, quando ſcrupuloſus homo ſæpius intra horam redit cum nouis culpis, vt ſæpè abſoluatur: alter verò eſt ſi credat Confeſſarius pęnitentem ob vehementiſſimam contritionem integrè Deo ſatisfeciſſe: quia non eſt de integritate huius iudicij imponatur pęnitentia, ſed tunc ſolum, quando intelligitur durare reatus pęnæ. Vide *Suar. d. diſp. 38. ſec. 3. num. 4.* Sunt autem quidam, qui prædictis caſibus addunt alium, nempè quando Confeſſarius probabiliter

nouit,

Digitized by Google

nouit, pęnitentem nullam admiſſurum pęnitentiam, quem caſum rectè non admittit *Fagund. vbi ſupra nu. 10. & alij.*

Ad fundamentum ſecundæ ſententiæ patet reſponſio ex dictis.

An ſatisfactio à Confeſſario impoſita poſſit per alium impleri.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentia iniuncta pœnitenti à Confeſſario, num poſſit ab alio impleri.*

2 *Satisfactio, ſeu pœnitentia aliquando præcipitur per actum virtutis, quæ fit per alium tanquam cauſam principalem, aliquando verò per alium, vt miniſtrum.*

3 *Pœnitens pœnitentiam ſibi iniunctam, an poſſit per alium implere citra Confeſſarij voluntatem: Et quid ex illius voluntate.*

4 *Satisfactio ſacramentalis, & ſic pœnitentia, à Confeſſario iniuncta, poteſt impleri per alium, tanquam miniſtrum.*

5 *Non poteſt tamen per alium impleri, tanquam cauſam principalem.*

6 *Idque verum eſt, ſiuè Confeſſarius præcipiat, vt per ſe pœnitens ieiunet, ſiuè ſimpliciter.*

7 *Quamuis regulariter pœnitentia, à Confeſſario impoſita, impleri non poſſit per alium, poteſt tamen vnus pro alio ſatisfacere quoad pœnam Purgatorij.*

8 *Confeſſarius ſi expedire iudicauerit, poterit pœnitentiam, per alium implendam, etiam tanquam per cauſam principalem.*

9 *Satisfactio hæc non tantum valet ad implendum præceptum, ſed ad ſatisfaciendum quoque ex opere operato pro illo, pro quo fit.*

10 *Si à principio Confeſſarius non ſe explicauerit intellexerit tamen velle pœnitentiam implere per alium, poteſt ſuam mentem explicare in eo caſu, quo pœnitens non intellexerit.*

Quid ſi à principio Confeſſarius nō intellexerit pœnitentiam fore per alium implendam.

An cauere debeant Confeſſarij, dicere circumſtantibus, vt pro conſtituto in mortis articulo grauem pœnitentiam, quam ipſe præſtare non poteſt, expleant.

11 *Pœnitentiam per alium implendam iniungere non debet Confeſſarius citra iuſtam, & rationabilem cauſam.*

AD tit. explicationem eſt adnot. quòd dum quærimus, an ſatisfactio, ſeu pœnitentia à Confeſſario impoſita poſſit per alium impleri, quæſtio noſtra eſt non ſolùm ad implendum præceptum Confeſſarij; verum etiam ad conſequendum effectum ex opere operato remiſſionis pœnæ temporalis pro illo, pro quo fit.

1 In hac difficultate duæ extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Ledeſ. q. 14. art. 4.* Negantis ſimpliciter pęnitentiam à Confeſſario pęnitenti iniunctam poſſe ab alio impleri. Mouetur ex eo, quòd ſi pœnitentia impleatur per alium, ille actus impletionis prædictæ pęnitentiæ, non eſt pars Sacramenti, cùm Sacramenti pęnitentiæ partes ſint actus ipſiuſmet pęnitentis; nempe contritio, confeſſio, ac ſatisfactio: quapropter ſatisfactio in caſu de quo agitur, cum non ſit actus pęnitentis, nō poteſt eſſe pars Sacramenti, nec ſubiectus Eccleſiæ clauibus.

Secunda ſententia eſt communis, quam tenent *D. Bonauen. in 4. diſt. 29. art. 1. q. 1. & 2. Duran. ibidem, q. 2. Sot. diſt. 19 q. 2. art. 4. Corduba, lib. 5. de indulg. q. 5. ad octauum circa finem, quæſtionis, Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 9. num. 1. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9 c. 4. ſub num. 12.* cum alijs, quos allegant; quæ quidem opinio cùm explicatione indigeat, idcircò pro eiuſdem determinatione eſt.

2 Primò, adnot. quòd ſatisfactio, ſeu pęnitentia aliquando præcipitur per actum virtutis, qui fit per alium tanquam per cauſam principalem, vt eſt ieiunium, oratio, diſciplina, & his ſimilia. Secundò præcipitur ſatisfactio implenda per actum virtutis, quæ fit per alium, vt miniſtrum, vt eſt eleemoſyna.

3 Secundò eſt adnot. quòd dum quæritur, an pęnitentia, ſeu ſatisfactio à Confeſſario iniuncta poſſit per alium impleri; id poteſt dupliciter intelligi: primò, an pęnitens citra voluntatem Confeſſoris poſſit pęnitentiam per alium implere: ſecundò, an ex illius voluntate poſſit: & id adhuc duobus modis, nempè an id fieri poſſit, quando à principio Confeſſarius impoſuit ſatisfactionē, explicando pęnitenti, vt illam poſſit per alium implere: vel per alium tandem poſſit pęnitens ſatisfactionem implere, quādo à principio Confeſſarius non declarauit. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 SAtisfactio ſacramentalis, & ſic pœnitentia à Confeſſario iniuncta poteſt per alium impleri tanquam miniſtrum. Vndè ſi Confeſſarius imponat pęnitenti in ſatisfactionem pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam, eleemoſynam poteſt ipſe pęnitens eam implere per alium, ſiuè voluntas acceſſerit Cōfeſſarij, ſiuè non acceſſerit. Hæc concluſio eſt communis, & à nemine negatur, vt patet ex Doctoribus ſupra relatis pro ſecunda ſententia: Qui mouentur ex eo, quòd actio non tribuitur inſtrumento, ſed principali agenti: & qui per alium facit tanquam per cauſā inſtrumentalem, per ſe ipſum facere videtur, *l. 1. §. deieciſſe, ff. de vi, & vi arm. & c. qui per alium, de regul. iur. in 6.* Imò illa eleemoſyna iniuncta, quam pęnitens dat ſeruo, vt pauperibus diſtribuat, poteſt ſuo modo dici perſonalis, cùm de ſuo, & de bonis ſuæ propriæ perſonæ fiat: & propterea quamuis per alium diſtribuatur, non ſolùm valet ad implendum præceptum Confeſſarij, ſed etiam ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit: ſiquidē ex motione, & petitione pęnitentis eleemoſyna erogatur per ſeruum, & de bonis pęnitentis: ergò vt ſic ſatisfactio huiuſmodi poteſt dici pars Sacramenti ab illo ſuſcepti, & effectum habet ex opere operato. Quam quidem concluſionem puto veram, etiam ſi pęnitens roget aliquem, vt de ſua pecunia nomine ipſius pęnitentis det eleemoſynam pauperibus: quia ſi ſpontè, ac voluntariè, & liberè diſtribuatur pauperibus, cenſetur primò donata pęnitenti, & deindè nomine ipſius pauperibus erogata; atque ideò de bonis pęnitentis, & ad petitionem eiuſdem facta.

SECVNDA CONCLVSIO.

5 SAtiſfactio ſacramentalis nõ poteſt per alium adimpleri tãquam per cauſam principalem; atque ideò cùm præcipitur pœnitenti à Confeſſario ieiunium, oratio, & ſimiles actus, debet ipſe pœnitens per ſe ieiunare, orare, &c. Nec per alium eiuſmodi pœnitentias implere poteſt. Etenim hæc obligatio oritur ex præcepto: ergò ſi Confeſſarius præcipit pęnitenti, vt ipſe ieiunet v. g. non implebit præceptum; etiam ſi alius ieiunet ſuo nomine. Ita Doctores ſupra relati.

6 Ampliatur hæc concluſio, vt vera ſit, ſiuè Cõfeſſarius præcipiat, vt per ſe pœnitens ieiunet; ſiuè nihil explicans abſolutè iniungat pęnitenti, vt ieiunet, aut hoc, aut illud faciat: ſiquidem cenſetur imponere obligationem perſonalem pœnitenti, per ſe ipſum, & non per alium adimplendam: quoniam hæc præſumitur intentio Confeſſarij, cum ſit rationabilis, & verbis eius magis commoda: etenim hæc ſatisfactio cùm ſimul ſit medicina, quoad hanc partem nõ poteſt per alium impleri: ſicut vnus infirmus fruſtra ſuſcipit medicinam nomine alterius infirmi. Confirmatur; quoniam id eſt magis conſentaneum naturæ Sacramenti.

Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt locum non habeat in articulo mortis conſtituto: nam talis poteſt alicui committere ſatisfactionem ſuo nomine adimplendam, vt docet *Alph. de Madrigal. de pœnitentibus, ſub rubrica*, quæ incipit, *Conſideratio pœnitenti circa pœnitentiam tempore ſua mortis.* Et ratio eſſe poteſt, quia articulus mortis cum ſit extremæ neceſſitatis, in illo articulo cenſetur adeſſe tacita Confeſſarij voluntate, cum pœnitens reddatur impotens ad implendam ſatisfactionem: at pœnitens poteſt implere pœnitentiam per alium tanquam per cauſam principalem, ex expreſſa Confeſſarij voluntate, etiam extra articulum mortis, vt ſequenti concluſione demonſtrabimus, ergò ex tacita in mortis articulo: ſiquidem taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cum quid, ff ſi cert. petat.* Quæ quidem ſatisfactio fortè valida erit, non ſolùm ad implendum pręceptum Confeſſarij; ſed etiam ad ſatisfaciendum ex operato pro illo, pro quo fit: quia talis ſatisfactio fit ex tacita quoque motione, & petitione pœnitentis, cùm credat pœnitens in ſuſpicienda pęnitentia intentionem Confeſſarij non eſſe obligandi eum ad eam implendam per ſe in illo articulo, ſed ſatis eſſe adimpleri per alium.

7 Secundò limitatur eadem concluſio, vt quamuis regulariter non poſſit impleri per alium pœnitentia iniuncta à Confeſſario in foro ſacramentali, nihilominus poteſt vnus ſatisfacere pro pœna Purgatorij, quæ debetur alteri poſt remiſſam culpam, etiam de condigno, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 20 q. 1. art. 2. quæſtiun. 3. Henr. lib. 5. de pœnit. cap. 19. nu. 6. Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 4.* & ex alijs quamplurimis, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 48. de ſuffrag. ſec. 2. nu. 4. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. cap. 2. ſub nu. 20. ex Catechiſmo Pij V. in fine, de Sacramento pœnitentiæ, nu. 81.* in illis verbis, *In hoc ſumma Dei bonitas, & clementia maximis laudibus prædicanda eſt, qui humanæ imbecillitati hoc condonauit, vt vnus poſſit pro alio ſatisfacere.* Et infra, *Qui Diuina gratia præditi ſunt, alterius nomine poſſunt, quod Deo debetur perſoluere; quare fit, vt quodam pacto alter alterius onera portare videatur;* Et tandem inferius ita concludit, *Nec vero de hoc cuiquam fidelium dubitãdi locus relictus eſt, qui in Apoſtolorum Symbolo Sanctorum communionem profitemur.* Rationes autem vide apud *Fagud. loco citato*, qui etiam contraria ſoluit.

TERTIA CONCLVSIO.

8 SI Confeſſarius iudicauerit expedire, poterit imponere pœnitentiam per alium implendam, etiam tanquam per cauſam principalem. Probatur, quia cùm hoc præceptum pendeat ex voluntate Confeſſarij, non eſt mirum, ſi illi ſatisfaciat, ſi iuxta eandem voluntatem impleatur.

9 Ampliatur hæc concluſio, vt hæc ſatisfactio non tantùm valeat ad implendum præceptum; ſed etiam ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit: ſiquidem quando imponitur per alium implenda, ſemper intelligitur facienda ex motione, & petitione ipſius pęnitentis; & ſic eſt aliquo modo illius: ergò vt ſic poteſt quoque eſſe aliquo modo pars Sacramenti ab illo ſuſcepti, atque ideò poteſt habere effectum ex opere operato circa illum, Ita *Suar. d. diſp. 38. ſec. 9. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 4. nu. 12.*

10 Secundò ampliatur ipſa concluſio, vt locum habeat, non ſolùm quando Confeſſarius à principio impoſuit pęnitentiam, explicando pœnitenti, vt poſſit illam per alium adimplere: ſed etiam ſi à principio non ſe explicauerit, & id intellexerit, poſſit ſuam mentem explicare in eo caſu, quo pęnitens non intellexerit: etenim Iudices in foro externo ſæpè mentem ſuæ ſententiæ, quando non ita benè percipitur declarant. Dixi, *Et id intellexerit.* Quoniam ſi à principio Confeſſarius non intellexit pœnitentiam fore per alium adimplendam, non poteſt deindè declarare, vt pœnitentia per alium impleatur, niſi in alia confeſſione, quia iam expleuit actum iudicij huius fori. Ita *Fagund. d. c. 4. nu. 13.* In omnem euentum caueant Confeſſarij dicere circumſtantibus in articulo mortis conſtitutum, vt grauem pęnitentiam, quàm moriturus præſtare non poteſt, pro eo expleant: ſiquidem id continet quandam ſigilli ſacramentalis violationem: ſatis eſt igitur circumſtantes generatim hortari, vt pro moribundo orationes, & alia opera ſatisfactoria præſtent, vt rectè aduertit *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. c. 15. ſub n. 13. circa fin.*

11 Sic ampliata limitatur prædicta concluſio, vt quamuis Confeſſarius poſſit pęnitenti iniungere pęnitentiam per alium implendam; id tamen efficere non debet citra iuſtam, & rationabilem cauſam: ſiquidem hic ſatisfactionis modus in Eccleſia non eſt adeo vſitatus: nec ad finem Sacramenti pęnitentiæ adeo expediens: quoniam eiuſmodi ſatisfactio, nec deſeruire poteſt per modum medicinæ; neque ipſa ratio ſatisfactionis ſatis certa eſt: nam multi dicunt, quòd hæc ſatisfactio ſufficit tantum ad adimplendum præceptum Confeſſarij, non autem ad ſatisfaciendum ex opere operato pro illo, pro quo fit; licet id non probetur, *d. ſec. 9.*

Ex dictis igitur patet reſponſio ad contrarium primæ ſententiæ.

Quiſ-

Quiſnam poſſit ſatisfactionem impoſitam interpretari, tollere, mutare, vel ſuper eam diſpenſare.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Aliud eſt ſatisfactionem impoſitã interpretari, aliud ſuper eam diſpenſare, aliud tolli, & aliud mutari.*

2 *Idem Confeſſarius ſatisfactionem impoſitam interpretari poteſt tàm in confeſſione, quam extra.*

3 *Vbi pœnitentia fuerit à principio iuſtè impoſita, pœnitens tamen ſit factus impotens phiſicè, vel moraliter, locum ſibi vendicat interpretatio, etiam ab ipſo pœnitente, ſi rectum iudicium, & ſcientiam habeat.*

Quibus in caſibus ceſſet obligatio implendi pœnitentiam.

4 *Superior pœnitentiam, ab inferiori iniunctam tollere poteſt, eandemq; mutare, & ſuper eam diſpenſare.*

5 *Superior ſi facultatem habeat concedendi indulgentias poterit pœnitentiam, ab inferiori impoſitam omninò tollere.*

6 *Pœnitentia, ſeù ſatisfactio ſacramentalis poteſt ab eodem Confeſſario commutari in Sacramento pœnitentia, repetita tamen peccatorum confeſſione.*

An poſſit interdum illam omninò tollere, & leuiſſimam, aut nullam imponere.

7 *Confeſſarius pœnitentiam, ab altero ſibi æquali iniunctam, an poſſit commutare, vel tollere.*

8 *Confeſſarius inferior pœnitentiam à Superiore iniunctam, nec mutare, nec tollere poteſt.*

9 *Communis eſt ſententia, quod non tantum Superior, ſed etiam æqualis, vel inferior, iuſta de cauſa commutare poteſt pœnitentiam iniunctam, etiam in minorem, & aliquando in totum tollere.*

10 *Diuerſa eſt ratio Iudicis, ac iudicij fori externi, ac fori interni.*

11 *In commutanda pœnitentia iniuncta nulla interuenit Sacerdotis imponentis iniuria, cum hoc iudicium ad bonum pœnitentis ordinetur.*

12 *Pœnitentia Sacramentum, quis ſit à Domino inſtitutum per modum iudicij, eius tamen forma ſemper eſt ordinata ad bonum Rei.*

13 *Reſpondetur ad tex. in c. placuit, de pœnit. d. 6.*

14 *Inferior pœnitentiam à Superiore impoſitam pro reſeruatis, an mutare valeat, quatenus inferior eſt, & neque per priuilegium, neque per ſe poſſit a reſeruatis abſoluere, & num. 17. & 18.*

15 *Superior, audita reſeruatorum confeſſione, & pro illis impenſa abſolutione nõ remanet amplius Superior, ſed inferiori æqualis.*

16 *In votis reſeruatis poſtquam Superior commutauit aliquod ſibi reſeruatum in aliam materiam, poteſt tunc inferior, ſi poteſtatem habeat commutandi ordinaria vota, illam materiam quoque commutare.*

17 *Communis eſt ſententia, quod inferior pœnitentiam à Superiore impoſitam pro caſibus reſeruatis commutare non valeat.*

18 *Prior tamen ſententia affirmatiua videtur ſatis probabilis. Et an peccata remiſſa in primo ſacramentali Iudicio, conſiderentur, vt commiſſa ſecundum quid, non vero, vt commiſſa ſimpliciter.*

Reſpondetur quoque in Iura in contrarium adducta.

19 *Ex Epicheia, & in aliquo neceſſitatis caſu, maximè ſi facilis non ſit ad Superiorem recurſus, poteſt inferior commutare, minuere, & etiam tollere pœnitentiam, à Superiore impoſitam pro reſeruatis.*

20 *Confeſſarium poſſe ex iuſta cauſa pœnitentiam mutare extra Sacramentum pœnitentia, eſt ſententia à pluribus frequentata in praxi.*

21 *Reijcitur tamen tanquam falſa à nonnullis, & quare.*

22 *Idem Sacerdos poteſt pœnitentiam mitigare, ac etiam commutare non iterata confeſſione, ſi pœnitens ad ipſum recurrat infra breue tẽpus.*

23 *Alius Confeſſarius, audita confeſſione, quamuis non repetita eorundem peccatorum pro quibus iniuncta fuit pœnitentia, pœnitentiam ipſam mutare, moderare, & tollere, & nu. ſeq.*

24 *Contraria vero ſententia eſt cõmunis, & verior*

1 PRO terminorum declaratione eſt adnot. quòd aliud eſt ſatisfactionem impoſitam interpretari, aliud ſuper eam diſpenſari, aliud tolli, & aliud mutari. Etenim interpretari ſatiſfactionem non eſt actus iuriſdictionis, ſed prudentiæ, vel doctrinæ. Diſpenſare verò eſt ſatiſfactionem, rationabili ſubſiſtente cauſa tollere. Tollere autem eſt præciſa omni cauſa pœnitentem à ſatisfactione liberare. Mutare tandem dicitur in æqualem, vel maiorem ſatisfactionem commutare. Quæ omnia præter interpetrari, ſunt actus iuriſdictionis. Vndè de quatuor perſonis poteſt eſſe quæſtio. Primò de eodem Cõfeſſario. Secundò de æquali. Tertiò de Superiori. Quartò de Inferiori.

In hac re duo faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus. Secũdò dubia per ſuas quæſtiones diluemus. Circa primum.

2 Dico primò certum eſſe eundem Confeſſarium, & quemlibet alium, tàm in confeſſione, quàm extra confeſſionem poſſe ſatisfactionem interpetrari. Etenim, vt ſupra diximus, interpetrari non eſt actus iuriſdictionis, & poteſtatis; ſed actus prudentiæ, & ſcientiæ: ergò quilibet prudens, ac ſciens, etiam ſi Sacerdos non ſit, ſed ſæcularis; imò & ipſe pœnitens poteſt ſatisfactionem impoſitam interpretari, ſi iudicio polleat. Vndè ſi quis rationabiliter iudicet, clauem à principio erraſſe, ſeù pœnitẽtiam iniuſtè impoſitam fuiſſe, atque ideò non eſſe implendam; tunc pœnitens non tenetur eam implere, ſiuè idem Confeſſarius id declaret, ſiuè alius Sacerdos, ſiuè laicus, aut ipſemet pœnitens, ſi iudicio polleant, & ſufficienter ſcientiam habeant, vt benè declarat *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. ſub nu. 16. verſ. Locuti autem*
3 *ſumus*: vbi etiam *nu.* 17. Idem dicendum eſſe putat, vbi pœnitentia à principio iuſtè fuerit impoſita, verùm pœnitens factus ſit impotens phyſicè propter infirmitatem, aut aliud accidens: vel moraliter, vt quia ſuborta ſit ſufficiens cauſa, quæ illum excuſet: tunc enim locum ſibi vendicat interpretatio, quæ à quocunque fieri poteſt; etiam ab ipſo pœnitente ſi iudicium rectum & ſcientiam habeant: & quando cauſa, ſeù

impo-

impotentia re vera eſt ſufficiens ad excuſandum, non tenetur pœnitens commutationem poſtulare; quia nulla eſt ratio talis obligationis, vt in alijs præceptis, & votis patet: ſiquidem obligatio cadit ſuper talem actum, vel materiam, & ille actus iam non eſt probabilis moraliter, vt quia non ſit conueniens; vel phyſicè, vt quia ieiunium iniunctum ob infirmitatem nõ poteſt implere; ergò ceſſat obligatio. Idem dicendum eſt, ſi pœnitens pœnitentiæ ſibi iniunctæ oblitus fuerit; nam adhuc ceſſat implendi obligatio. Eſt tamen verum, quòd ſi negligentia lata, ſeù mortalis interuenerit, neceſsè erit hoc peccatum confiteri, vt habetur ex *Laym. loco citato, ſub nu. 17. verſ. Sed quid*, Vbi etiam poſt alios conſulit penitenti, vt in proxima confeſſione poſtulet à Confeſſario penitentiam talem ſibi decerni, qualis pro lethalibus culpis imponi ſolet, ſiuè penitentiæ culpabiliter, ſiuè inculpabiliter oblitus fuerit.

4 Dico ſecundò certum eſſe Superiorem tollere poſſe penitentiam ab Inferiori iniunctam, eandemq; mutare, ac minuere, & ſuper eam diſpenſare, vt habetur ex *Soto in 4. diſt. 20. q. 2. art. 3. Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 31. n. 8.* & ex alijs apud *Laym. loco ſupra citato, nu.* 16. Et id non quia Inferior Confeſſarius ſit Superiori ſubordinatus in poteſtate abſoluendi, ſicut Iudex inferior in exteriori foro ſubordinatur Superiori; nam in foro interiori vnus Confeſſarius non eſt alteri ſubordinatus, vt habetur ex *Laym. loco citato*: ſed quoniam in abſolutionis munere omnes Sacerdotes ſunt æquales; eo quod proferunt vltimam, & definitiuam ſententiam, vt Chriſti immediati Miniſtri, vt infra melius explicabimus. Vndè penitentia ſemel iniuncta ab inferiori Confeſſario, per ſuperiorem Sacerdotem iuſta de cauſa in aliam etiam minorem commutari poteſt, ſi penitenti ad animæ ſalutem expedire
5 videatur. Imò ſi Superior facultatem habeat concedendi indulgentias poterit penitentiam ab inferiori impoſitam per cõceſſionem indulgentiarum omninò tollere: quod dupliciter fieri contingit, primò concedendo plenariam indulgentiam: nam per illam extinguitur obligatio aliarum ſatisfactionum: ſecundò quando expreſsè conceditur remiſſio huius, vel illius partis penitentiarum iniunctarum, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 18. q. 1. art. 2. Bonauen.* & alij, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. nu. 8. 9. & 10.* Eſt tamen animaduertendum per eiuſmodi indulgentias remitti penitentias, vt ſatisfactiuæ ſunt, & ſic penales; nõ autem medicinales, quæ dantur in medicinam, & præſeruationem à peccatis in futurum: quoniam indulgentia non datur in deſtructionem, ſed in ædificationem animæ. Idem dicendum eſt de ipſomet penitente; nam ſi bona fide arbitratur ſe ſatisfeciſſe pro peccatis commiſſis ſufficienter per alia opera, vel pœnas, quas pro Chriſto ſuſtinuit, moraliter loquendo, eo ipſo ceſſat illi obligatio implendi alias penitentias impoſitas, quas cum culpa, vel ſine antea implere non valuit: ſiquidem nemo tenetur debitum bis ſoluere, & ceſſante intrinſeco, & adæquato fine legis, ceſſat lex, *l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patr.* At verò conſiderata ratione medicinæ ſemper manet eiuſmodi obligatio; eo magis, quoniam vix poteſt conſtare, aliquem adæquatè ſatisfeciſſe pro ſuis peccatis. Ita *Suar. loco ſupra relato, nu. 11.*

6 Dico tertiò certum eſſe apud omnes, ab eodem Confeſſario poſſe penitentiam, ſeù ſatisfactionem ſacramentalem commutari in Sacramento penitentiæ, repetita confeſſione peccatorum, pro quibus fuit impoſita penitentia. Etenim penitens poteſt eandem cauſam, & ſic eadem peccata in iudicium afferre, & nouam ſententiam poſtulare: ergò etiam idem Confeſſarius poterit ſuo arbitratu penitentiam imponere iuxta præſentem ſtatum penitentis, ac ſi prius non eſſet cauſa iudicata, ergò poterit etiam mutare priorem penitentiam in poſteriorem. Imò idem Confeſſarius audita confeſſione, & repetita vt ſupra peccatorum, pro quibus fuit penitentia iniuncta poterit interdum penitentiam omninò tollere, & leuiſſimam, aut nullam imponere, vt ſi penitens accedat multo melius diſpoſitus, magiſque contritus, & alijs vijs ſatisfecerit: ſi fortè indulgentias fuerit conſecutus: aut propter curationem intelligatur non indigere tali medicina iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in præcedenti dicto. Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non indigeant. Difficultas modo eſt de æquali, ac inferiori, an ille poſſit alterius æqualis: & iſte ſui Superioris penitentias iniunctas commutare, tollere, aut ſuper eiſdem diſpenſare. Secundò ſuppoſito, quòd ſic, an valeant penitentias mutare, ac tollere iniunctas pro peccatis reſeruatis. Tertiò, an eiuſmodi penitentiæ commutari, & tolli valeant extra Sacramentum penitentiæ; vel in ipſo Sacramento, audita confeſſione. Quartò, & vltimo, dato, quod commutatio non aliter fieri poſſit, quàm in Sacramento penitentiæ, audita confeſſione, an ſit repetenda confeſſio peccatorum, pro quibus impoſita fuit penitentia.

7 Quoad primam difficultatem, & circa æqualem Confeſſarium an poſſit commutare penitentiam iniunctam ab altero ſibi æquali, pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Sot. in 4. d. 19. q. 2. art. 4. Vict. in ſum. n. 323.* Et aliorum dicentium, penitentiam nullo modo poſſe commutari, & multo minus tolli à Confeſſario æqualem habente poteſtatem, etiam iterata peccatorum confeſſione. Probant eorum ſententiam primò, quia par in parem non habet imperium: ergò æqualis Sacerdos non poteſt commutare, nec tollere penitentiam iniunctam ab æquali Sacerdote, ſeù Confeſſario. Antecedens patet. Probatur conſequentia, quia hæc eadem ratione Iudex eiuſdem poteſtatis non poteſt mutare, aut tollere ſententiam ab æquali Iudice latam. Secundò commutatio illa, ſeù ablatio ab æquali Sacerdote nõ poteſt fieri citra notabilem iniuriam æqualis Sacerdotis, qui primò penitentiam iniunxit, cùm iuſtè ſupponatur tuliſſe ſententiam, & legitimum eſſe Iudicem in illo foro: ergò non poteſt iuſtè recuſari ab altero æquali per commutationem, ſeù ablationem penitentiæ. Tertiò cauſa, & iudicium fuit à priori Confeſſario præuentum, & illi ſe penitens ſpontè ſubmiſit, & ab eodem penitentiæ præceptum acceptauit, & culpæ remiſſionem obtinuit: ergò ſi in executione pena debet eidem parere.

Circa

Digitized by Google

8 Circa verò Inferiorem Confeſſarium, vt non poſſit mutare, nec tollere pœnitentiam à ſuo Superiore iniunctam, præfati Doctores multo magis docent. Mouentur ex eo, quòd hoc Sacramentum eſt inſtitutum per modum iudicij, vt in *c. verbum, de pœnit. d.* 1. At in foro iudiciali externo non poteſt Iudex inferior mutare, nec tollere ſententiam Superioris: ergò Confeſſarius, & ſic Iudex ſpiritualis inferior non poteſt commutare, nec tollere pœnitentiam à Sacerdote, ac Iudice Superiore in foro ſacramentali iniunctā. Confirmatur ex *c. placuit de pœnit. d.* 6.

9 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis eſt ſententia, quam tenent *Henriq. de pœnitentia, lib. 5. cap. 22. in prin. & num. 2. Nauar. in Man. c. 26. n. 22. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. n. 4.* cum alijs, quos allegat *Fagund. de precep. Eccl. lib. 9. c. 4. nu. 15. & 20. & Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. nu. 16.* Cum alijs quamplurimis, quos allegant dicentes, non tantum Superiorem, ſed etiam æqualem, & inferiorem Sacerdotem poſſe iuſta de cauſa commutare pęnitentiam iniunctam, etiam in minorem, & in totum tollere ſi pœnitenti ad animæ ſalutem expedire videatur; Mouentur ex eo, quòd vnus Confeſſarius non ſit alteri ſubordinatus in poteſtate abſoluendi, ſed ſecluſa materia reſeruata, omnes Confeſſarij ſunt æquales, & miniſtri ſunt Sacramenti pœnitentiæ, & omnes Iudices ſupremi; quia omnes abſoluunt vt Chriſti miniſtri, Confirmatur, quia idem Sacerdos poteſt commutare, & tollere pœnitentiam à ſe iniunctam, vt citra omnem controuerſiam ſupra oſtendimus dicto primo: ergò non modo ſuperior, ſed etiam inferior, & æqualis; conſequentia patet, quia quòd Miniſtri Sacramenti pęnitentiæ ſint veluti materialiter diuerſi, per accidens eſt; ſed hæc poteſtas ſemper eſt eadem. Vndè ſicut ad perfectam poteſtatem eiuſdem Sacerdotis, & ad perfectum huius Sacramenti vſum, ac ad maius animarum remedium pertinet, vt vnus, & idem Sacerdos poſſit mutare medicinam, ita in diuerſis Sacerdotibus, cùm æqualem habeant poteſtatem. An autem extra confeſſionem pœnitentiam mutare, aut tollere, & quid dicendum ſit de pœnitentijs iniunctis pro peccatis reſeruatis, infra dubijs ſequentibus explicabimus.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

10 AD primum negatur conſequentia: & ad probationem dicitur, quod diuerſa eſt ratio vtriuſque Iudicis, & iudicij: quia Iudex forenſis non poteſt reuocare ſententiam, niſi per viam appellationis: at verò Iudex ſacramentalis, & ſic Confeſſarius poteſt reuocare ſententiam per viam principalis iudicij, ac ſi nunquam lata fuiſſet. Vndè antecedens, quòd par in parem non habet Imperium, poteſt intelligi verum eſſe in iudicio forenſi, non autem ſacramentali, vt patet ex ijs, quæ ſupra diximus.

11 Ad ſecundum negatur antecedens: ſiquidem hoc caſu nulla interuenit Sacerdotis iniuria; quoniam iudicium hoc ad bonum pęnitentis ordinatur, non autem in vtilitatem aliquam Iudicis, eo magis, quia eiuſmodi iudicium tale eſt, vt ſuper eandem cauſam ſit iterabile in fauorem pœnitentis, & id non per viam appellationis; ſed per modum noui iudicij, æqualis præcedenti, & ideò nec poſterior Iudex facit iniuriam priori, nec inferior Superiori, nec è contra.

12 Ad tertium quoad inferiorem reſpectu Superioris, negatur conſequentia: nam quamuis Sacramentum pœnitentiæ ſit à Dominò inſtitutum per modum iudicij; tamen eius forma ſemper ordinata eſt ad bonum Rei, atque ideò pœnitentis; & propterea iudicium ſacramentale eſt diuerſæ rationis à iudicio forenſi.

13 Ad vltimum ex *text. in d. c. placuit, de pœnit. diſt. 6.* reſpondet *Henriq. lib. 5. de pœnit. c. 22. tex.* illum loqui de pœnitentia impoſita in foro, & iudicio externo, qualis eſt illa, quam Papa, vel cenſores fidei imponunt, quia perturbaretur iuris ordo, & debita reuerentia erga Superiores non ſeruaretur, ſi Confeſſarius in foro ſacramentali poſſet abſoluere quos Papa, vel Epiſcopi nominatim volunt ligare cenſuris, vel pęnitentijs, & cum hac reſponſione videtur pertranſire *Fagund. de precep. Eccl. precep. 2. lib. 9. c. 4. ſub nu. 20. circa finem.* Secundò reſpondetur, & melius, quòd *tex.* ille loquitur de proprio Sacerdote, à quo non poteſt diſcedere pœnitens, & alteri confiteri ſine eius licentia, excepta cauſa ignorantiæ, vt per *Gloſ.* ibi.

14 Quo verò ad ſecundam difficultatem, in qua quæritur, an Inferior poſſit mutare pœnitentiam impoſitam pro peccatis reſeruatis à Superiore, quatenus inferior eſt, & neque per priuilegium, neque per ſe poteſt abſoluere à reſeruatis, iuxta caſum formatum à *Fagund. loco citato, ſub n. 18.* Duæ adhuc oppoſitæ ſunt opiniones. Nam prima opinio eſt *Nauar. conſ. 25. de pœnit. & remiſ. & 3. altàs 6. de voto*, ac aliorum exiſtimantium, poſſe inferiorem Sacerdotem mutare ſatisfactionem impoſitam à Superiore, etiam pro peccatis reſeruatis. Mouentur ex eo, quòd peccata illa iam non manent reſeruata; ergò poteſt Confeſſarius ab illis abſoluere: ergò pœnitentiam pro illis imponere, & alteram pœnitentiam in hanc commutare. Probatur vltima cōſequentia, quoniam nemo tenetur duplicem ſatisfactionem pro eiſdem peccatis ſubire, ergò eo ipſo, quòd alter Sacerdos pœnitentiam pro eiuſmodi peccatis iniungit, liberat hominem ab obligatione alterius pęnitentiæ implendæ, quæ eſt virtualis quædam commutatio. Confirmatur, quia Su-
15 perior audita confeſſione peccatorum reſeruatorum, impenſa pro illis abſolutione, & pœnitentia iniuncta, pro eiſdem peccatis per ſe loquendo non remanet Superior, atque ideò inferior audiendo confeſſionem dictorum peccatorum non poteſt dici inferior, ſed æqualis neque exercet Imperium in Superiorem, ſed in conſcientiam pœnitentis ſibi plenè ſubiecti circa ea peccata; quæ iam non ſunt reſeruata, ergò poteſt ab illis abſoluere, & pœnitentiam à Superiore
16 iniunctam commutare. Præterea in votis reſeruatis poſtquam Superior commutauit votum ſibi reſeruatum in aliam materiam, poteſt Inferior, ſeù quilibet alius habens poteſtatem commutandi ordinaria vota, etiam illam materiam commutare, vt ex communi ſententia docet *Sayr. lib. 6. Theſ. tom. 2. c. 12. nu. 23.* ergò, &c. Denique hæc eadem opinio probatur ex *Gloſa in c. accedens per illum tex. 50. diſt. & c. tempora, 26. q. 7.* Dicente pœnitentias omnes eſſe arbitrarias; & ideò poſſe Epiſcopum minuere

pœni-

Digitized by Google

pœnitentiam, quam induxit Papa. Idem habetur in *c. Latorem*, 33. *q.* 2. Illudque extendit ad Clericum inferiorem, vt poſſit imminuere pœnitentiam ab Epiſcopo impoſitam.

17 Secunda ſententia nobis magis probatur eſt *Card. in clem. vlt. de pœnit. & remiſ. Angeli in ſum. ver. Confeſſio 6. nu. 4. Tabiena ver. Confeſſio 2. nu. 21. Suar. de pœnit. tom. 4. diſp. 38. ſec. 10. nu. 14. Fagund. de præcep. Eccl. præcep 2. lib. 9. c. 4. nu.* 18. Et aliorum, quos ipſi allegant, negantium inferiorem Confeſſarium poſſe pœnitentiam à Superiore impoſitam pro caſibus reſeruatis commutare, tollere, &c. Et hanc ſententiam communem eſſe teſtantur *Suar. & Fagund. locis citatis*. Probant eorum ſententiam ex eo, quod inferior non habet iuriſdictionem ſuper eiuſmodi peccata præcisè ſumpta, quatenus talia ſunt, ſeu quatenus commiſſa ſunt; ergò non poteſt pęnitentiam mutare, quæ pro illis ſic ſpectatis iniuncta fuerat. Antecedens patet, quoniam peccata illa, vt commiſſa ſunt reſeruata. Conſequentia probatur, tùm quia non poteſt pœnitentiam iniungere pro peccatis, qui non poteſt ab illis abſoluere, cùm poteſtatem ligandi ac ſoluendi Sacerdos habeat, & pęnitentia coniuncta eſt abſolutioni, ſicut acceſſorium principali: tùm etiam, quoniam Sacerdos non poteſt iniunctam pœnitentiam commutare, niſi aliam pro peccatis imponat. Cum igitur peccata ſint reſeruata, non poteſt Confeſſarius inferior pro illis pœnitentiam imponere, niſi ex ſuppoſitione prioris iudicij: ergò illa ſecunda ſatisfactionis impoſitio fieri debet citra detrimentum, & iniuriam prioris iudicij, ſed illud firmum, ac ſtabile conſeruare. Non igitur habet ibi locum commutatio. Præterea pœnitentia illa à Superiore iniuncta pro peccatis reſeruatis includit quandam præcepti ſpeciem à Superiore ipſo impoſiti, quatenus Superior eſt: at Inferior non poteſt mutare præceptum Superioris per ſe loquendo, ac iure ordinario; ergò, &c. Denique probant dictam opinionem per *tex in d. c. accedens*, 50 *d.* vbi Rom. Pontifex ſpecialem conceſſit Epiſcopo facultatem ad minuendam pœnitentiam à ſe iniunctam ſub certis limitationibus, & conditionibus: ergò ſignum eſt id non poſſe inferiorem iure ordinario; ſed ex Superioris tantùm permiſſu.

18 Hæc ſententia licèt ſit communis, vt ſupra diximus, à qua non videtur de facili eſſe recedendum; prior tamen videtur mihi ſatis probabilis per rationes pro ea adductas: & eò maximè quòd ad rationes præfatæ ſecundæ ſententiæ faciliter videtur reſponderi poſſe. Nam ad primum negari poteſt antecedens: nam peccata remiſſa in primo ſacramentali iudicio, cùm iterum ſupponuntur clauibus in ſecundo iudicio, conſiderantur non vt commiſſa ſimpliciter, ſed ſecundum quid, nempè vt commiſſa quoad pœnam, & remiſſa quoad culpam, qua ratione peccata non remanent reſeruata: & ideò ſuper illis Inferior habet iuriſdictionem: & cùm iudicium ſacramentale ſit iterabile ſuper eiſdem peccatis, poterit nouam pœnitentiam imponere, & ſic priorem mutare, ac etiam tollere, ſi expedire videbitur. Nec iura in contrarium adducta, & retorta aliquid faciunt; nam licèt S. Pontifex in *d. c. accedens*, videatur conceſſiſſe Epiſcopo facultatem minuendi pęnitentiam ab ipſo S. P. iniunctam; non tamen ob id cenſetur ei tollere facultatem, quæ de iure eidem Epiſcopo conceditur: vltra quod multi volunt, *tex.* illum loqui de pęnitentia iniuncta extra Sacramentum. Nec denique obſtat, quòd ſatisfactio iniungitur à Superiore per modum præcepti; quoniam ſi aliquid roboris haberet argumentum, idem dicendum eſſet de ſatisfactione impoſita pro peccatis non reſeruatis; niſi dicamus, quòd in abſolutione à peccatis non reſeruatis omnes Confeſſarij ſunt æqualis poteſtatis.

19 Sed quicquid ſit de dicta ſecunda opinione; prima tamen opinio, quæ eſt communis poteſt limitari, vt nō habeat locum ſaltem ex Epicheia, & in aliquo caſu neceſſitatis, maximè quando non facilis recurſus ad Superiorem, quoniam tunc Inferior ex præſumpta voluntate Superioris poteſt commutare, minuere, ac etiam tollere pęnitentiam à Superiore iniunctam pro peccatis reſeruatis, vt habetur ex *Henriq. lib. 5. de pœnit. c.* 22. & alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep 2. lib. 9. cap. 4. ſub nu.* 21. Qui id verum eſſe ait, poſt *Suar.* dummodò cauſa ſit grauis: & Superior ſibi ſpecialiter commutationem, aut remiſſionem pęnitentiæ ſibi non reſeruauerit.

20 Quoad tertiam difficultatem *Nauarr. lib. 5. conſil. 26. de pœnit. & remiſ. edit. 2. & in Man. cap. 26. nu. 22. Vict. in ſua ſum. §. 211. Tolet. lib. 3. ſua ſum. cap. 11. n. 12. Viuald. de ſatisfact. nu. 37. Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 31. num. 7. Sà verbo Satisfactio, num. 5. Beiap. 3. caſu* 1. Expreſsè volunt, Confeſſarium ex iuſta cauſa pęnitentiam mutare poſſe, etiam non audita confeſſione peccatorum, pro quibus fuit impoſita pœnitentia, repetitione opus non eſſe. Quam ſententiam à pluribus in praxi frequentatam fuiſſe teſtatur *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 6. cap. 15. ſub nu. 16. verſ. Porrò*: Et propterea inquit, quòd vnuſquiſque Confeſſarius ſequi poterit; præſertim ſi pęnitens ad repetenda peccata difficile induci poſſe videatur: vel ſi tempus id non patiatur.

21 Hæc autem ſententia à *Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. n. 4. à Fagund. de præcep Eccl. præcep. 2. lib. 9. cap. 4. n.* 17. Et à nonnullis alijs tanquam falſa omninò reijcitur. Rationem vero eam eſſe aiunt: quoniam in Sacramento pęnitentię eadem eſt poteſtas ad ligandum, ac ad ſoluendum: vndè ſicut Confeſſarius extra Sacramentum non poteſt ligare, ita etiam non poteſt ſoluere: quæ ratio probat non ſolum de eodem Confeſſario, æquali, & inferiori, ſed etiam de Superiori, vt non poſſint extra Sacramentum mutare, moderare, nec tollere pęnitentiam aliàs impoſitam, vt habetur per *Fagund. loco citato poſt alios*: qui tamen addit, quòd quando agitur de pęnitentia tollenda, mutanda, aut moderanda ab eodem Cōfeſſario, ſatis eſt ſi pęnitens in generali dicat, confiteor omnia peccata, quæ iam confeſſus ſum ſi Confeſſarius eorum recordetur, cum attritione ſaltem: aliàs ſi non recordetur, omnia ne-
22 ceſſaria iterum repetenda erunt. Eſt tamen verum, quòd *Sot. in 4. diſt. 20. quæſt. 2. art. 3. Suar. loco citato, nu.* 3. Et alij limitant hanc ſententiam, vt poſſit idem Sacerdos mitigare pęnitentiam, vel etiam commutare, non iterata confeſſione, ſi

pęni-

pęnitens ad ipſum recurrat infra tempus adeo breue, vt moraliter poſſit idem iudicium æſtimari. Hoc autem breue tempus indicatur præcipuè, donec Confeſſarius cauſam memoriæ retineat, vt ſi poſt vnum, vel alterum diem ipſe pęnitens ad eundem Confeſſarium redeat pro mutanda, vel moderanda pęnitentia, & idem tenet *Laym. loco citato, verſ. Dico ſecundo*, qui pro hac re allegat *Coninch. diſp. 10. nu. 99.*

23 Circa tandem vltimam difficultatem *Henriq. lib. 5. de pœnit. cap. 22. nu. 1.* putat poſſe alium Confeſſarium, audita confeſſione, quamuis non repetita eorundem peccatorum, pro quibus pęnitentia iniuncta fuit, ipſam pęnitentiam ab alio iniunctam immutare, moderari, ac tollere: & idem docet *Nauar. in Man. c. 26. nu. 22.* Quòd ſi alius Confeſſarius id poteſt, multo magis hoc ipſum poterit idem, præſertim ſi ſtatum pęnitentis memoriæ retineat. Etenim hi dicuntur in Sacramento pęnitentiæ ſoluere pęnitentem, in quo poſſunt eundem ligare.

24 Contraria tamen ſententia eſt communis, & verior, quam tenent *Syl. in ver. Confeſſio 2. nu. 31. q. 27. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 10. num. 5. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 9. c. 4. ſub nu. 22.* Et alij, dicentes non poſſe Confeſſarium mutare, moderari, aut tollere pęnitentiam alias impoſitam, niſi iterata confeſſione peccatorum, pro quibus fuit iniuncta. Mouentur ex eo, quòd ſententia non fertur in audita cauſa: & cum pęnitentia illa ſit medicinalis ad curanda vulnera, & ad remittendam pęnam temporalem, quæ remanet poſt remiſſam culpam: At Medicus non curat vulnera, quæ non videt. Et re vera quomodo poterit iudicare Confeſſarius Medicus, & Iudex, medicinam pęnitentiæ iniunctæ ſiue aſperam, vel duram, niſi in confeſſione, audiat peccata, pro quibus fuit impoſita. Et ſic patet reſponſio ad contrarium: licèt enim fiat mutatio intra Sacramentum, & in confeſſione, in quo Confeſſarius habet poteſtatem ſoluendi, & ligandi, nihilominus ſi non fiat repetitio peccatorum, pro quibus fuit impoſita pęnitentia, ipſius mutatio fieret cauſa non cognita. Eſt tamen verum quod ſi idem Confeſſarius velit mutare pęnitentiam, & recordetur peccatorum, pro quibus fuit iniuncta, ſatis erit, ſi pęnitens dicat, Confiteor omnia peccata, quæ confeſſus ſum, iuxta ea, quæ docet *Fagund. d. c. 4. ſub nu. 17.*

De ſatisfactione ex opere operato extra Sacramentum pœnitentiæ, & ſic de Indulgentijs, ſeu remiſſionibus.

DISP. X.

SVMMARIVM.

1 *Satisfactio per Indulgentias dicitur etiam ex opere operato extra Sacramentum.*

1 TRactauimus ſupra de ſatisfactione ex opere operato, quæ ſacramentalis eſt; eo quòd à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ iniungitur pœnitenti: & quoniam datur etiam ſatisfactio ex opere operato, quæ impenditur extra Sacramentum, qualis eſt ſatisfactio, quæ præſtatur per Indulgentias; meritò, ac competenti ordine de ea hoc loco, atque ideò de indulgentijs duximus diſſerendum; & ſic de remiſſionibus, vt in *rubr. noſtri cap.* Etenim indulgentiæ remiſſiones ſunt.

De definitione indulgentiæ.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Omnis de aliqua re inſtitutio debet à definitione proficiſci.*
Et vnde Indulgentia deriuetur.

2 *Indulgentia quid ſit.*

3 *Sacerdos, formam abſolutionis impendens, effectiuè dicitur concurrere, tum ad abſolutionem culpæ, tum ad abſolutionem pœnæ æternæ.*

4 *Attritus virtute Sacramenti conſequitur gratiam, ac ſi contritus eſſet.*

5 *Omnis Indulgentia, tam pro viuis, quàm pro defunctis, eſt actus clauium, ſed cum differentia, & qua.*
Et quid nam ſint Indulgentiæ in ſe ipſis conſideratæ.

6 *Romani Pontifices, & DD. indulgentias pro viuis ſimpliciter appellant remiſſiones, relaxationes, &c. Pro defunctis verò non ſic, nec dicunt ſe remittere, ſed ſolum concedere viuis, vt per modum ſuffragij poſſit eas pro defunctis offerre.*

7 *Indulgentia diſtinguitur à ſuffragio, quod non eſt actus clauium, ſed charitatis: Et quid ſit ſuffragium.*

8 *Quomodo ſumus coniuncti Capiti noſtro Chriſto tum in hac vita, tum in Purgatorio, tum denique in Paradiſo.*

9 *Dum ſumus vnius corporis membra, quod patitur vnum membrum, compatiuntur omnia: Et ſi conglorificatur vnum, omnia cõgaudent. Idemq; operabitur membra in miſtico Eccleſiæ corpore, ac vnumquodq; membrum in humano corpore.*

10 *Hoc ſuffragiũ appellatur ex opere operantis; ſed datur quoq; ſuffragiũ ex opere operato: nempè per ſacrificium Miſſæ, vel per Indulgentias.*

11 *Opus bonum quatenus eſt meritorium, non excedit perſonam merentis ſaltem de condigno; Chriſto Domino excepto; quatenus verò eſt ſatisfactorium illam excedere poteſt, etiam de condigno.*

12 *Per indulgentiam non fit remiſſio culpæ, nec pœnæ æternæ, vt fit per Sacramentum pœnitentiæ, vel baptiſmi, ſed ſolum remittitur pœna temporalis remanſa poſt culpam remiſſam.*

13 *Quomodo intelligendæ ſint multæ Indulgentiarum Bullæ, in quibus legitur concedi Indulgentiam, abſoluentem à culpa, & pœna.*

14 *Per Indulgentias remittitur pœna temporalis, ſiuè iniuncta ſit à Confeſſario in Sacramento Pœnitentiæ, ſiuè à Deo in Purgatorio iniungenda.*
Et an per Indulgentias remittantur quoque pœnæ, quæ debentur in Purgatorio.

15 *Iubilæum ſolet ab Eccleſia Romana dici Indulgentia pleniſſima culpæ, & pœnæ. Et quare.*
Et quomodo per Iubilæum remittatur culpa, & pœna æterna.

16 *Annus Iubilæus non dicitur à Iubilo, quod magnam lætitiam ſignificat, ſed à voce hebrea Iobal, quod latinè ſignificat quinquaginta.*
Conueniuntq; annus Iubilæus Chriſtianorum, & Hebræorum quoad plenariam remiſſionem. Et in quo differant.

17 *Indulgentia partialis pro parte tantum remittit pœnam temporalem.*

18 *Pœna æterna remittitur in Sacramento pœnitentiæ, & baptiſmatis: vna cum culpa, ſed pro pœna peccati originalis locum non habet Indulgentia.*

19 *Indulgentiæ ſumuntur ex Theſauro Eccleſiæ, ex meritis ſcilicet Chriſti, & ſanctorum differuntq; autem ab alijs pijs operibus, quæ pœnã remittunt ex opere operantis.*

20 *Remiſſio pœnæ temporalis, quæ fit per Indulgentias differt ab ea, quæ fit per adimpletam ſatisfactionem impoſitam à Confeſſario in ipſo Pœnitentiæ Sacramento.*

1 AIT *Cicer lib. 1.* quòd omnis, quæ à ratio-
ne ſuſcipitur de aliqua re inſtitutio, debet
à definitione proficiſci, vt intelligatur quid ſit
id, de quo diſputatum, vt igitur ordinatè proce-
damus, de indulgentijs tractatum habituri, in-
dulgentiæ definitionem ante omnia in medium
afferre operepretium eſſe duximus. Deriuatur
autem indulgentia ab indulgendo, quod idem
eſt, quod parcere, ſeu remittere: quocirca me-
ritò in iure indulgentiæ remiſſiones appellan-
tur, vt in *c. quod autem, & in rubr. noſtra de
pœnit. & remiſ.* Et quamuis à Doctoribus variæ
tradantur indulgentiæ definitiones, vt videre eſt
apud *Henriq. de pœnit. lib. 7. c. 1. Sot. in 4. d. 20.
q. 1. art. 1. Suar. tom. 4. in 3. p. D. Thom. diſp. 49.
ſec. 4. Molfeſ. in ſua ſum. Theol. p. 1. tract. 7. c. 26.
nu. 35.* Cum alijs, quos allegant; nos tamen eam
2 hoc pacto definiri poſſe arbitramur. Indulgentia
eſt actus clauium; quo mediante indulgetur
peccatori, in totum, vel pro parte pœna tempo-
ralis, quæ remanet poſt remiſſam actualem cul-
pam, ex opere operato, extra Sacramentum.

Dixi, *Actus clauium*: loco generis: nam actus
clauium non ſolùm dicitur remiſſio pœnæ tem-
poralis per indulgentias extra Sacramentum
pęnitentię, de qua nos loquimur; ſed etiam actus
clauium eſt remiſſio pœnæ, quæ fit in Sacra-
mento pęnitentiæ per Sacerdotem; ſicut etiam,
& remiſſio culpæ, & pęnæ æternæ, iuxta illud,
Matt. c. 16. Quodcunque ligaueris, &c. Etenim
3 Sacerdos formam abſolutionis impendens, effe-
ctiuè dicitur concurrere tùm ad abſolutionem
culpæ, tùm etiam ad abſolutionem pęnæ æternæ,
quæ debetur propter lethalem culpam: ſiquidem
poteſtas clauium potiſſimum in peccatorum re-
miſſione vim habet: & Sacramenta nouæ legis
non ſolùm ſignificant, ſed efficiunt, quod ſigni-
ficant. Vndè rectè definitur Sacramentum, quòd
ſit inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ita vt eius
Imaginem gerat, & cauſa exiſtat: vt habetur ex
*D. Thoma 3. p. q. 84. art. 3. & Sot. in 4. d. 14. q. 2.
art. 3.* & patet etiam ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6.
& can. 9. de ſanctiſ. pœnit. Sacram.* Vbi habe-
tur abſolutionem non eſſe tantùm miſterium
declarandi eſſe remiſſa peccata, ſed actum iudi-
cialem. Idem fuit determinatum in *Conc. Flor.
ſeſſ. vlt. in Decreto Eug.* Vbi dicitur remiſſio-
nem peccatorum eſſe rem Sacramenti. Imò
Greg. XIII. in quadam ſua Bulla fertur damnaſſe
quaſdam propoſitiones, inter quas erat vna, quæ
dicebat, quòd pęnitens non viuificatur mini-
ſterio Sacerdotis; ſed à ſolo Deo: quoniam non
ita à ſolo Deo viuificatur, vt Sacerdos nullo
modo concurrat: nam concurrit inſtrumentali-
ter, & vt Dei miniſter. Et re vera ſi ad remiſſio-
nem culpæ, & pęnæ Sacerdos non concurret
effectiuè, ſequeretur, quòd impendendo abſolu-
tionem ſuper attritum tantum illum, nec à culpa
nec à reatu pœnæ æternæ abſolueret: quod eſt
manifeſtè falſum; cùm ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 4*
4 Attritus virtute Sacramenti cóſequitur gratiam,
ac ſi contritus eſſet. Vndè idem *Conc. ibi, c. 14.*
inquit, quòd quando homo perfectè contritus
accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, tunc re-
conciliatio non eſt tribuenda contritioni, niſi
pro vt includit Sacramenti votum: & pœna Sa-
cramento, vel Sacramenti voto tollitur. Non
igitur ſunt audiendi *Magiſt. in 4. d. 18. Abulen.*
& alij contrariam ſententiam docentes: nam quæ
diximus hodie, ſtante Conc. Trid. determina-
tione, ſunt de fide: & oppoſitam ſententiam ait,
Sot. loco citato, parum diſtare ab hæreſi.
5 Dixi, *Actus clauium*, quoniam omnis indul-
gentia tàm pro viuis, quàm pro defunctis eſt
actus clauium, cum hac tamen differentia, quòd
indulgentia pro viuis ita eſt actus clauium, vt ſit
etiam actus iuriſdictionis, & poteſtatis; atque
ideò conſtituitur in genere abſolutionis: nam
per eam quis abſoluitur à reatu pœnæ tempora-
lis, quæ remanet poſt actualem culpam remiſsã.
Enim quamuis indulgentiæ in ſe ipſis conſide-
ratæ non ſint aliud, quàm merita Chriſti, & ſan-
ctorum eius; & ſi conſiderentur reſpectu vtili-
tatis, quam fidelibus afferunt, dicantur Theſau-
rum, tùm quia animæ per illas remittitur pęna
temporalis; tùm etiam, quoniam eas ſuſcipientes
liberantur à nonnullis malis præſentis vitæ, qua
propter eorum peccata ſubire tenerentur; & ſi
ſpectentur in ordine ad Diuinam iuſtitiam, ap-
pellentur ſatisfactiones, & ſi denique reſpectu
concedentium vocentur donationes: nihilomi-
nus ſi indulgentiæ conſiderentur in ordine ad
eos, qui illas ſuſcipiunt, dicuntur abſolutiones,
ſeù remiſſiones, ac redemptiones, vt in *c. quod
autem, eodem tit. noſtro, de pœnit. & remiſ.* In-
dulgentia verò pro Defunctis licèt ſit quoque
actus clauium; nó tamen eſt iuriſdictionis actus,
ſed ſubſidium quoddam, quod per modũ ſuffragij,
ſeù donationis pro Defunctis offertur; atque
ideò indulgentia pro Defunctis nihil aliud eſt,
quàm applicatio ſatisfactionis Chriſti, & San-
ctorum, vt latè probat *Cardin. Bellar. lib. 2. de
Purgator. c. 16.*
6 Vndè Rom. Pontifices, & Doctores omnes
diuerſo modo loquuntur de indulgentijs pro
viuis, ac de indulgentijs pro Defunctis: ſiqui-
dem priores ſimpliciter vocare ſolent remiſſio-
nes, relaxationes, abſolutiones: poſteriores autẽ,
quæ pro Defunctis conceduntur, non ita appel-
lantur: nec Pontifices dicunt, ſe remittere, ac
indulgere pœnas Defunctis; nec eos illis abſol-
uere; ſed concedere has, vel illas indulgentias
viuis, vt per modum ſuffragij poſſint eas offerre
pro Defunctis. Rationem autem hanc eſſe Do-
ctores volunt; quòd Rom. Pontifex concedens
indulgentias habet directam iuriſdictionem in
homines viuentes; atque ideò poteſt illos abſol-
uere à peccatis in Sacramento, vel extra Sacra-
mentum ſecundum diuerſas poteſtates, quas ha-
bet, ac diuerſos ſuæ poteſtatis actus. In animas
verò Purgatorij non habet directam iuriſdictio-
nem; eo quòd poteſtas clauium directè fuit
Principi Apoſtolorum à Chriſto Domino con-
ceſſa

Digitized by Google

ceſſa ſuper terram, non autem ſub terram, vt patet ex Domini verbis *Matthæ. 16. Quodcunq; ſolueris ſuper terram, &c.* Et ſicut animæ per mortem conſtituuntur extra ſtatum viæ; ita etiam ſunt extra forum Eccleſiæ militantis: & propterea directè non ſubſunt iuriſdictioni eius: & ſic indulgentia reſpectu illarum non poteſt habere rationem abſolutionis; ſed tantùm rationem ſuffragij.

7 Dixi, *Actus clauium*. Vt indulgentia diſtinguatur à ſuffragio; quod non eſt actus clauium, ſed actus charitatis. Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quòd ſuffragium ex *D. Thom. & alijs in 4. d. 45.* nihil aliud eſt, niſi auxilium, ac ſubſidium quodam, quod ab vno fideli alteri præſtatur ab obtinendum à Deo remiſſionem pęnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam: aut aliquid aliud eiuſmodi. Etenim vt ait *Apoſt. Paul. ad Rom. c. 2.* Nos multi vnum corpus ſumus; ſinguli autem alter alterius membra. Omnes enim ſumus vnum corpus miſticum Chriſti, tàm nos in hoc mundo viuentes, inter quos ſunt membra infirma, vt ſunt peccatores, & ſumus Eccleſia militans: tùm animæ in Purgatorio exiſtentes, quæ dicuntur Eccleſia pœnitens: tum demum Beati in Paradiſo, qui appellantur Eccleſia triunfans. Nos igitur con-
8 iuncti ſumus capiti noſtro Chriſto per fidem, & amorem; verùm per peccatum ſeparari poſſumus non ſecundum eſſentiam, & præſentiam, quoniam Deus eſt vbique præſens; ſed per contrarias voluntates. In Purgatorio verò permanentes ſunt Chriſto magis coniuncti, cùm ſint in bono confirmati, & effecti impeccabiles, ita vt per peccatum ſeparari nequeant: eò quòd illorum liberum arbitrium non poteſt irrui in malum. Exiſtentes denique in Paradiſo ſunt Chriſto omnium coniunctiſſimi; quoniam non tantùm confirmati ſunt in gratia; ſicut in Purgatorio exiſtentes, verum etiam ſunt Chriſto Deo vniti per claram viſionem Diuinæ eſſentiæ. Hinc eſt quòd Deus eſt caput Chriſti: Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ, quæ dicitur Corpus Chriſti. In Paradiſo regnantes membra ſunt ſana, ac integra citra reatum culpæ, ac pęnæ; atque ideò ſunt pura, ſancta, fortia, glorioſa, opulenta meritorum gloriæ, ac virtutis. Qui in Purgatorio detinentur incluſi, cùm ſint impeccabiles, quamuis dici poſſint membra fortia, & ſtabilia; nihilominus non poſſunt dici omninò purificata; quoniam reſtant purificanda propter reatum pęnæ, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam. Nos autem viuentes in hoc mundo licèt ſimus Chriſti Domini membra debilia, infirma, miſera, ſauciata, cùm etiam iuſtus in die ſepties cadat.

9 Vndè cùm ſimus vnius corporis membra, ſi quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mebra, ait *Apoſtol. Chor. c. 52.* Et ſi glorificatur vnum membrum, congaudent omnia membra. Et quemadmodum in humano corpore vnumquodq; membrum non in ſuam tantum, ſed in aliorum vtilitatem operatur; ita quoque in miſtico Eccleſiæ corpore, membra, quæ viua ſunt, ac vtiliter operari poſſunt, non ſolùm ſibi mereri valent; verùm etiam alijs præſtare poſſunt auxilium, iuxta illud Iacobi, *c. 5. Orate pro inuicem, vt ſaluemini.* Et *Apoſt. Paul. ad Rom. c. 15. Obſecro vos fratres, vt adiuuetis me in orationibus pro me à Deo.* Quod quidem ſuffragium
10 appellatur ex opere operantis. Datur quoque ſuffragium ex opere operato, & eſt illud auxilium, quod præſtatur fidelibus per ſacrificium Miſſæ, vel per indulgentias non ſolùm pro remittendis pœnis temporalibus, quæ debentur in Purgatorio poſt remiſſam culpam; ſed etiam pro remiſſione, ac redemptione nonnullorum flagellorum, quæ Diuina iuſtitia decreuerit à peccatoribus poſt remiſſam culpam in hoc mundo fore ſubeunda. Imò membrum viuum, atque ideò iuſtus in hac vita vno & eodem actu poteſt pro ſe ipſo mereri premium, & pro quouis altero ſatisfacere, citra vllum ſui pręmij detrimentum, vt patet *Exod. c. 32.* vbi Moyſen ſua feruenti oratione, qua Deum deprecabatur, vt populo ſuo parceret, aut ſe de libro vitæ deleret, pręmium ſibi comparuit, & Populo pœna remiſſionem obtinuit. Et Dominus noſter Ieſus Chriſtus licèt ſanguinem pro peccatoribus ſuderit, & acerbiſſimam mortem pertulerit, vt nobis peccata dimitterentur; non tamen ob id ſuæ paſſionis pręmio ſuit fruſtratus: ſiquidem propter hoc Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, &c. & inquit *Apoſt. ad Philipp. c. 1.* Etenim merita, & ſatisfactio non tantùm re, quàm ratione differunt; cùm omne opus bonum factum ab eo, qui eſt in charitate, ſit meritorium ea ratione, qua eſt bonum, & quis pro eo meretur Beatitudinem: & ſatisfactionem ea ratione; qua eſt perſonale, & per illud quis pęnas patitur.

11 Et licèt opus bonum quatenus eſt meritorium non excedat perſonam merentis, cùm nullus poſſit æternam fœlicitatem alteri mereri, ſaltem de condigno excepto Chriſto Domino, cui ſoli tributa fuit gratia vniuerſalis, quæ ob ſui eminentiam in alios tanquam in membra deriuaretur, vt habetur per *D. Thom. 3. p. q. 8. art. 5. & 6.* atque ideò meruit illam alijs omnibus, vt per eundem *D. Thom. ibidem, in reſp. ad 2. & q. 34. par. 3.* nihilominus opus bonum, quatenus eſt ſatisfactorium, etiam de condigno eam excedit; atque ideò non modo Chriſti merita pęnaliſſima verum etiam quamplurima aliorum ſanctorum, qui vel nullas culpas habuerunt, vel vltra pęnas eis debitas paſſi ſunt, manent vt aliqui putant irremunerata quatenus ſatisfactoria: eo quòd non fuerunt ſortita effectum quoad virtutem ſatisfaciendi: nam quamuis nullus ſit, cui non cumulatius pręmium in Cęlo à Deo tribuatur, quam in hoc ſæculo meruerit; innumeri tamen ſunt, qui longè graues tribulationes, & pœnas ſubierunt, quàm ad ſuorum criminum expiationem ſatis eſſent. Vndè Eccleſiæ omnium piæ matri fuerunt relicta, vt ea in ſuo Theſauro habeat, & pro aliorum filiorum ſuorum debitis pęnis ſatisfaciat, directè ſcilicet viuentibus concedendo indulgentias, quæ ſunt Chriſti Domini, & ſanctorum merita, vt ſupra diximus: & indirectè animabus in Purgatorio exiſtentibus, nempè per modum ſuffragij, concedendo indulgentias viuis, vt per modum ſuffragij poſſint eas offerre pro Defunctis iuxta explicationem ſupra à nobis traditam: & habetur ex *Nauar. de Iubil. & indulg. not. 13.*

12 Dixi, *Indulgetur pœna temporalis*. Quoniam

 per

per indulgentiam non fit remiſſio culpæ, nec pœnæ æternæ, vt fit per Sacramentum pęnitentię & Baptiſmatis; ſed tantùm remittitur pœna temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Etenim ſecundum communem Catholicorum ſententiam Eccleſia non habet facultatem remittendi culpam mortalem, ac pęnam æternam; niſi per Sacramenta; ſiquidem ad remittendam lethalem culpam, & pęnam æternam exigitur infuſio gratiæ; at Eccleſia non habet poteſtatem conferendi gratiam, niſi per adminiſtrationem Sacramentorum: aliàs poſſet ipſa inſtituere noua Sacramenta: quod aſſerere eſt contra fidem Catholicam. Confirmatur, quoniam Eccleſia non habet poteſtatem ligandi, & ſoluendi, niſi iudicando, vt in *c. verbum, de pœnit. d.* 1. At indulgentia non datur per modum iudicij, ſed per modum relaxationis pęnarum: ergò per indulgentiam non fit remiſſio culpæ, & pęnæ æternæ, ſed tantum temporalis. Nec obſtat ſi dicatur, quòd in multis Bullis indulgentiarum legitur,
13 concedi indulgentiam abſoluentem à culpa, & pęna, & reducentem fideles ad innocentiam Baptiſmalem; quoniam reſpondetur, quòd indulgentia eſt propriè remiſſio pęnæ temporalis: impropriè verò remiſſio culpæ, & pęnæ æternæ: ſiquidem indulgentia ſupponit, fidelem habilem ad lucrandum indulgentias, atque ideò ſupponit peccatorem abſolutum eſſe à culpa, & pœna æterna, & illi ſolùm reſtare pœnam temporalem, à qua cùm abſoluatur per indulgentiam, dicitur conſequenter abſolui à culpa, & pœna; quoniam perficit integram peccatoris abſolutionem, maximè quando eſt plenaria, & ſic reſtituitur ad innocentiam baptiſmalem; nam per Baptiſmũ fit remiſſio culpæ originalis, ac actualis, & pœnæ æternæ, & totius pœnæ temporalis, ita vt ſi quis poſt conſecutam indulgentiam plenariam moriatur, ſicut qui baptizatus mox decedit, ſtatim eleuatur ad gloriam æternam, vt habetur ex *Palud. in 4. d. 20. q. 4. circa fin. Suar. tom. 4. diſp. 49. ſec. 4. Reginal. lib. 7. ſua prax. nu.* 105. & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Molfeſ. p. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 26. nu. 36. 37. & 38.* & nos infra latius dicemus, *verſ. Dixi in totum de Iubilæo agentes.*

14 Dixi, *Pœna temporalis*. Siuè ſit iniuncta à Confeſſario in Sacramento pœnitentiæ; ſiue iniungenda ſit à Deo in Purgatorio: vt colligitur ex *Extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſ.* Et patet ex communi vſu Eccleſiæ, quæ per conceſſionem indulgentiæ plenariæ, intendit fidelibus omnem pœnam temporalem remitti, ſiue iniuncta ſit à Confeſſario, ſiuè non; ſed veniat iniungenda à Deo in Purgatorio. Nec obſtat, quòd in Bullis aliquando exprimitur concedi indulgentias de pœnitentijs iniunctis; quoniam reſpondetur, id fieri gratia maioris expreſſionis: ſiquidem per illa verba non minuitur indulgentia, ita vt per eam non remittatur tota pœna, quæ remanet poſt remiſſam culpam; ſed exageratur, vt ſcilicet habeat effectum, etiam in cauſis iam iudicatis, & non ſolùm quoad pœnam Purgatorij; ſed etiam quoad pœnitentias iniunctas in Sacramento pœnitentiæ, vt infra etiam dicemus *ſec. ſeq.* quibus adde *Molf. loco citato, ſub num.* 42. qui reſpondet ad argumenta Maldon. exiſtimantis per indulgentias non remitti pęnas quæ debentur in Purgatorio, ſed tantùm pœnitentias iniunctas à Confeſſario, moti ex eo, quòd Eccleſia non habet poteſtatem applicandi Theſaurum Chriſti, niſi per Sacramenta. Etenim Eccleſia per indulgentias non remittit pœnam extra Sacramentum; ſed incluſo Sacramento: quia dum ſublata eſt culpa, & pœna æterna per abſolutionem ſacramentalem, Eccleſia remittit per indulgentiam omnem pœnam temporalem, ſiuè iniuncta ſit per Confeſſarium, ſiuè iniungenda ſit à Deo in Purgatorio.

15 Dixi, *In totum*, vt comprehendat indulgentiam plenariam, ſeù Iubilæum, quæ ab Eccleſia Romana dici ſolet indulgẽtia pleniſſima culpæ, & pęnæ: non quia per Iubilæum remittantur culpa, & pœna, æterna; quoniam culpa, & pęna æterna non poſſunt ab Eccleſia remitti, niſi per Sacramenta, vt ſupra oſtendimus; ſed quia per Iubilæum ſolet concedi facultas Confeſſarijs abſoluendi ab omnibus, & quibuſcunq; peccatis, ac cenſuris, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis. Vndè cùm fideles tempore Iubilæi abſolui poſſint in Sacramento pœnitentiæ ab omnibus peccatis, & conſequenter à pęna æterna, quæ debetur pro lethalibus culpis, & per ipſum Iubilæum abſoluantur à tota pęna corporali, quæ remanet poſt remiſſam culpam, meritò Iubilæum dicitur indulgentia pleniſſima culpæ, & pęnæ, ad inſtar indulgentiæ, quæ concedebatur in veteri lege ſingulis quinquaginta annis, vt patet *Leuit. c.* 25. & appellebatur annus Iubilæus. Vndè Roman. Pontifex ſolet concedere, vt hæc indulgentia pleniſſima vocetur Iubilæus, ſeù annus Iubilęus,
16 & annus Sactus. Nec dicitur annus noſter Iubilæus à iubilo, eo quòd magnam lætitiam afferat Chriſtianis, dum eis de Theſauro Eccleſię conceditur plenaria, ſeù pleniſſima indulgentia pro remiſſione omnium pęnarum temporalium, quæ debentur poſt remiſſam culpam; & datur facultas Confeſſarijs abſoluendi fideles à reſeruatis, commutandi vota, ac diſpenſandi ſuper eis, vt quidam arbitrantur, quos ſequitur *Molf. d. c. 26. nu.* 46. Sed appellatur annus Iubilæus ad inſtar anni Iubilæi veteris legis, qui deriuatur à Iobal hebraicè, quod latinè denotat quinquaginta; eo quòd in veteri lege concedebatur ſingulis quinquaginta annis, vt ſupra. Etenim tàm annus Iubilæus Chriſtianorum, quàm Hebræorum conueniunt quoad plenariam remiſſionem: & vterque dicitur remiſſionis annus, ſeù annus Iubilæus; cum hac tamen differentia, quòd in anno Iubilæi veteris legis dimittebantur bona temporalia, & ob id dicebatur annus remiſſionis, in quo agrorum cultura ceſſabat, debita relaxabantur: in noſtro vero Iubilæo dimittuntur ſpiritualia, nempè peccata, & propriæ pęnæ, quæ nobis debentur poſt remiſſam culpam, per ſatisfactionem Chriſti, & ſanctorum eius: & reſtituuntur nobis merita, & gratia, mediante remiſſione culpæ, & pęnæ modo ſupra explicato. In illo poterant exules ad Patriam redire: in hoc poſſumus redire ad noſtram Cęleſtem Patriam poſt mortem abſque eo, quòd detineamur in Purgatorio pro pęna poſt remiſſam culpam. Item in illo liberabantur ſerui à ſeruitute aliena: in hoc liberamur à ſeruitute peccati. Et denique Iubilæus veteris legis publicabatur per tubarum ſonitum: Iubilæus verò nouæ legis publi-

Digitized by Google

publicatur voce Romani Pontificis Chriſti Vicarij. Et quamuis antiquitus Iubilæus noſter celebrari conſueuerit ſingulis centenis annis, vt in *Extrauag. 1. de pœnit. & remiſ.* Nihilominus Clem. VI. fuit primus, qui decreuit, vt ſingulis quinquaginta annis celebraretur ad inſtar Iubilæi antiquæ legis. Poſtremò Paul. II. conceſſit, vt ſingulis viginti quinque annis celebraretur; ita vt inciperet à vigilia Natiuitatis Domini, vt refert Sixt. IV. in *extrauag.* quemadmodum, *de pœnit. & remiſ.* Quonam pacto differant inter ſe indulgentia plenaria, & Iubilæus, infra, Deo duce, declarabimus *ſec. ſeq.* de diuiſione indulgentiæ tractantes.

17 Dixi, *Vel pro parte*, vt comprehendat indulgentiam partialem, qua non remittitur in totum pœna temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam; ſed pro parte tantùm, vt eſt indulgentia quadraginta dierum, totidem annorum, tertiæ partis pęnæ, &c. vt *ſec. 4.* latius dicemus.

18 Dixi, *Poſt remiſſam actualem culpam*. Ad differentiam pęnæ æternæ, quæ dimittitur in Sacramento pęnitentiæ, & in Sacramento Baptiſmatis vna cum culpa. Dixi, *Actualem culpam*. Quoniam indulgentia eſt remiſſio culpę temporalis debitæ propter actualem culpam: ſiquidem pro pęna peccati originalis non habet locum indulgentia, vt bene declarat *Molf. loc. cit. nu. 43.*

19 Dixi, *Ex opere operato*. Quoniam ex Theſauro Eccleſiæ ſumuntur indulgentiæ, nempè ex meritis Chriſti, & ſanctorum, quæ ingrediuntur in Theſaurum Eccleſiæ, vt ſupra adnotauimus, & optimè explicatur ex *Molf. vbi ſupra, n. 45.* Dixi etiam, *Ex opere operato*, ad differentiam pęnæ, quæ remittitur fidelibus poſt remiſſam actualē culpam, ex opere operantis, nempè per ieiunia, eleemoſynas, orationes, vigilias, diſciplinas, & per alia opera pęnalia, & charitatis, quæ exibentur ab ipſiſmet fidelibus pro remiſſione temporalis pęnæ poſt remiſſam culpam.

20 Dixi, *Extra Sacramentum*. Ad differentiam remiſſionis pęnæ temporalis, quæ remanet poſt culpam, & fit vi Sacramenti pęnitentiæ per adimpletam ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam impoſitam à Confeſſario in ipſo pęnitentiæ Sacramento, & ad differentiam totalis remiſſionis pęnæ, quæ confertur in ſuſceptione Baptiſmatis; aut aliorum Sacramentorum.

An indulgentia ſit res odioſa, vel fauorabilis, atque ideò, an ſtrictè, vel amplè ſit interpetranda.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia res eſt odioſa, & ſtrictè interpetranda.*

2 *Indulgentia, abſolutè conceſſa alicui Eccleſiæ pro tali feſto ſingulis annis, ad quot annos reſtringatur, & nn. 3. & 4.*

Vbi complures adducuntur Regulæ Cancellariæ circa hoc.

3 *Contraria eſt ſententia quod Indulgentia res ſit fauorabilis, atque ideo latè interpetranda.*

4 *Poteſtas concedendi Indulgentias odioſa eſt, & ſtrictè interpetranda.*

5 *Atenta voluntate concedentis Indulgentias, Indulgentia eſt fauorabilis, & amplam, ac benignam recipit interpetrationem.*

Et reſpondetur ad Regulas Cancellariæ.

6 *Indulgentia ſi concedatur Populo Romano, extenditur ad omnes Clericos Vrbis, imò etiam ad Monachos.*

7 *Iubilaum lucratur quis ex præſumpta voluntate concedentis, quamuis in adimplendo opere præſcripto, non attendatur Rigor verborum ipſius Iubilæi, ſeu Indulgentiæ.*

Et an ſi Indulgentia concedatur contritis, & confeſſis, ſufficiat confeſſio in voto.

8 *Indulgentia conceſſa viſitantibus talem Eccleſiam, vel in ea orantibus, intelligi poteſt non modo de viſitatione per corporalem ingreſſum in Eccleſia, ſed etiam moralem tantum, nempè per acceſſum ad porticum, vel ad gradus.*

9 *Indulgentia ſi ad eam lucrandam expoſcat viſitationem quinq; Altarium in aliqua Eccleſia non requiritur corporalis motus de vno Altare ad aliud, ſed ſatis eſt, de vno loco preces fundere modo corpus, & caput inclinet in ſignum diſtinctæ viſitationis.*

10 *Si ad lucrandam Indulgentiam, vel Iubilæum præcipiatur confeſſio; & quis citra tempus à Iubilæo præſcriptum confiteatur, ſed ante conſequutionem Indulgentiæ, non tenetur amplius confiteri, ſed ſolum conteri.*

11 *Excommunicatus ſi ſit contritus, & paratus ſatisfacere quoad poſſit, dum non poteſt ſacramentalem confeſſionem præmittere, ſatis erit ad lucrandam Indulgentiam, ſi alia opera, quæ poteſt exhibeat.*

Et an id intelligendum ſit de iuſtè excommunicatis, an verò de iniuſtè, quia ſcilicet non eſſent ſoluendi.

12 *Si ad lucrandam Indulgentiam, vel Iubilæum præcipiatur confeſſio, & communio, & quis intra tempus præſcriptum confiteatur, & poſt confeſſionem peccet mortaliter, deindè hoc non obſtante communicet, an opus ſit, vt iterum communicet.*

13 *Si ad conſequendum Iubilæum expoſtuletur, vt quarta, & ſexta feria, ac Sabbato ieiunetur, & die Dominico Sanctiſſima Communio ſumatur, an qui vult aſſequi Iubilæum, poſſit communicare in alia hebdomada.*

14 *Si in Iubilæo præcipiatur tribus diebus ieiuniorum fieri eleemoſynam, orationes, &c. & quis in alijs diebus opera prædicta adimpleat, an lucretur Iubilæum.*

15 *Si in Bulla Iubilæi habeatur, vt qui illud non ſuſceperit in prima hebdomada, aſſequi idem poſſit in ſecunda: ſi quis opera expoſtulata impleuerit intra duas hebdomadas, Iubilæum lucrabitur.*

Maximè ſi rationabilis, aut neceſſaria ſubſiſtat cauſa diuidendi ipſa opera.

16 *Contraria ſententia licet in praxi ſeruetur non per hoc hæc ſententia improbabilis eſt.*

17 *Qui lucratus eſt Iubilæum in prima hebdomada, probabiliter poteſt iterum illud aſſequi in ſecunda.*

18 *Qui tempore Iubilæi non lucratur indulgentiam, remaneret tamen abſolutus à cenſuris, & caſibus reſeruatis.*

19 *Opera, in Iubilæo præcepta ad illum lucrandum poſſunt incipi in vna Ciuitate, ſeu Terra, & in alia compleri intra tempus, à Bulla præſcriptum.*

Digitized by Google

10 *In Indulgentijs, ſi pars minima oneris iniuncti omittatur adhuc indulgentia lucrabitur.*

1 IN hac difficultate tres extant opiniones: nam prima ſententia eſt *Palud. d. 20. q. 4. art. 3. Nauar. de indulg. & Iubil. not. 9. num. 8. & 9. Bal. in l. humanitatis, C. de impub. & alijs ſubſt.* Et aliorum, dicentium indulgentiam eſſe rem odioſam, atque ideò ſtrictè eſſe interpetrandam. Probatur primò ex *text. in c. cum ex eo, infra eod. tit. noſtro de pœnit. & remiſ.* Vbi habetur quòd per indulgentiam eneruatur ſatisfactio pęnitentialis, & Eccleſiæ claues contemnuntur: ergò indulgentia eſt res odioſa, cùm ſit contraria pęnitentiali ſatisfactioni, & Eccleſiæ clauibus; & propterea ſtrictam exigit interpre-
2 tationem. Hinc ex varijs regulis Cancell. indulgentia abſolutè conceſſa alicui Eccleſiæ pro tali feſto ſingulis annis; reſtringitur ad 20. annos, vt in *regula* 57. vbi etiam habetur, quòd conceſſa indulgentia tali Eccleſiæ, tacita alia quantumuis patua, illa prius conceſſa nullam vim habet. Regula quoque 58. ſe habet, quòd conceſſio indulgentiarum inſtar alterius pij loci generaliter conceſſarum, non valeat, niſi ſpecificentur, quæ ſint illæ indulgentiæ: quod tamen intelligendum eſt quoad forum exterius: nam quoad forum interius vim habet; eo quòd regula illa prohibet tantùm Bullas expediri: at gratia ſtatim quod ſignatur, eſt perfecta, vt in *c. conſtitutionis,* 25. *q.* 2. Item ſi indulgentia ſimpliciter petatur pro feſto, vel feſtis alicuius loci pij, & Papa conceſſerit per verbum fiat, dumtaxat, ſi Eccleſia ſit Cathedralis, vel inſignis Collegiata, aut ſolemne Monaſterium, tres, alioquin duo anni, & totidem quadragenæ: & per, fiat vt petitur, Cathedrali, Collegiatæ, vel Monaſterio, quatuor: alijs verò tres anni conceſſi cenſentur, vt patet ex *Regula Cancell.* 59. Denique facultas lucrandi omnes indulgentias ſtationum Romanarum, vel alterius loci pij, hoc, vel illud facienti non comprehendit indulgentias plenarias, ſed tantùm non plenarias, vt habetur ex *Nauar. de indulg. not.* 8. *nu.* 16. & 57. Quod quamplurimi Doctores volunt verum eſſe etiam quoad facultatem eiuſmodi conceſſam in Bulla Cruciatæ, vt docent *Cord. lib. 5. de indulg. q. 41. Henriq. lib. 7. de indulg. c. 10. nu. 2. Ludouic. della Cruz in Bulla Cruciata diſp. 1. c. 8. dub. 2. nu. 3. P. Alph. de Leone de Iubil. p. 1. q. 6. n. 229. Iacob. Granad 3. p. de Sacr. contr. 12. tract. 6. diſp. 2. nu. 4. & 7. & alij.* Vndè cùm in materia fauorabili huiuſmodi reſtrictiones non fiant, ſignum eſt indulgentiam rem eſſe odioſam, & ſic reſtringendam, cùm odia reſtringi, & fauores conueniat ampliari, *c. odia, de reg. iur. in 6.* Secundò probatur hæc ipſa ſententia ex eo, quòd indulgentia eſt diſpenſatio quædam: ergò res eſt odioſa, & ſtrictam recipit interpetrationem. Antecedens patet; quia per indulgentiam diſpenſatur ſupra ius Diuinum, quo iure pęnitenti debetur pœna temporalis poſt remiſſam culpam, conſequentia probatur; quoniam omnis diſpenſatio in iure communi eſt odioſa, *arg. text. in c. 1. & 2. de fil. presbyt.* Ob id enim priuilegia ſunt odioſa, & ſtricti iuris: quia per priuilegia diſpenſatur ſuper ius commune, vt eſt *text. in c. priuilegia,* 3. *d.* & latè *Ioan. Andr. Butr. & alij in c. olim, de verb. ſignif.* Tertiò conceſſio indulgentiæ eſt ſolutio debiti alterius de alienis bonis; ſoluitur enim debitum luendæ pœnæ in Purgatorio à Diuina iuſtitia præfinitum poſt remiſſam culpā de Theſauro Eccleſiæ, quæ ſunt merita Chriſti, & ſanctorum eius, vt ſæpè diximus, ergò eſt odioſa, ac ſtricti iuris, *arg. text. in l. quicquid aſtringenda, ff. de verb. obligat.* Et ſi diſpenſatio non fiat ſecundum voluntatem expreſſam, vel ſaltem præſumptam Domini rei, diſpenſans non diceretur bonus diſpēſator; ſed diſſipator potius.

3 Secunda ſententia eſt *Gloſa in clem. vnica de reliq. & venerat. ſanctor. Syl. in ſum. ver. Indulgentia, nu. 8. in fine, & nu. 20. & 27. Angel. eod. ver. nu. 2. Conynck. tom. 2. diſp. 52. dub. 4.* Et aliorum dicentium, indulgentiam eſſe rem fauorabilem; atque ideò latè eſſe interpetrandam. Probatur ex eo quòd indulgentia eſt beneficium Principis: ergò eſt res fauorabilis, & latiſſimè eſt interpetranda ad fauorem eius, cui conceditur: ſiquidem beneficium Principis, ſicut & priuilegium conceſſum latiſſimè eſt interpetrandum, cùm res ſit fauorabilis, vt nos adnotauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. c. 2. q. 5. & in addit. ad ipſam, litt. B. fol.* 217. Et eo maximè quando beneficium Principis citra tertij præiudicium impendi poteſt, vt in *c. olim de verb. ſignif. & l. vlt. ff. de conſtit. Princ.* vt eſt ipſa indulgentiæ conceſſio; quæ ob id etiam dicitur opus charitatis: eo quòd indulgentia commodum affert ei, cui conceditur, & nulli nocumentum, cùm Deo fiat integra ſatisfactio: & quamuis fiat ex meritis Chriſti, & ſanctorum eius; id tamen non eſt citra commiſſionem, & poteſtatem ab ipſo Chriſto Domino tributam: & Theſaurus non propterea minuitur; quoniam ſemper infinitus remanet. Nec denique Eccleſia læditur; quin potius per eiuſmodi remiſſionem purior, & quodammodo gratioſior in ſuis membris efficitur.

4 Tertia ſententia, quæ nobis magis probatur, eſt *Suar. de pœnit. diſp. 56. ſec. 2. à nu. 4. vſque in finem, Laym. lib. 5. ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 15. ſub n. 6. verſ. Sequitur quartò,* Et aliorum, mediam viam tenentium, ſeu diſtinguentium inter poteſtatem concedendi indulgentias; & inter voluntatem concedentis. Etenim ſi dubitetur de poteſtate concedentis indulgentiam tàm amplam, tunc indulgentia eſt res odioſa, & debet ſtrictè interpretari, cùm aliàs periculum ſit, ne iuri Diuino derogetur: & per indiſcretas indulgentias diſciplina Eccleſiaſtica eneruetur, & ita intelligitur *tex. in d. c. cum ex eo, eod. tit. noſtro de pœnit. & remiſ.* pro prima ſententia allata: & in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. in fine, in Decreto de indulgent.* Vbi in indulgentijs concedendis moderationem iuxta veterem probatam Eccleſiæ conſuetudinem adhiberi præcipit, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina eneruetur. Et eodem modo ſunt intelligendæ rationes ipſius primæ ſententiæ.

5 Si verò dubitetur de voluntate concedentis indulgentiam, vtrum ſcilicèt voluerit concedere indulgentiam amplam, vel reſtrictam, ſecundum perſonas, temporis durationem, &c. tunc indulgentia eſt fauorabilis, & amplam, ac benignam recipit interpetrationem ad fauorem eius, cui conceditur; ſeruata tamen verborum

pro-

propietate: & dummodo conſtet de poteſtate, ac ſufficienti cauſa tàm amplam indulgentiam concedendi: & id probant rationes ſecundæ ſententiæ. Nec obſtant Regulæ Cancell. quas pro prima ſententia retulimus: nam ſi rectè conſiderentur, potius faciunt pro noſtra ſententia, quam contra: ſiquidem illis caſibus indulgentia eſſet amplè interpretanda: nam concedens indulgentiam alicui Eccleſiæ, intelligi de iure deberet de perpetua, cùm ſit res fauorabilis: & propterea Regula Cancellariæ reduxit ad temporalem, & ſic de alijs, vt habetur ex *Laym. loco citato*, Imò non deſunt qui velint, ſtilum Rom. Curiæ, ac Regiæ Cancell. non comprehendere Bullam Cruciatæ, quin per eam quis lucretur omnes indulgentias etiam plenarias ſtationum Vrbis Romæ; alias ſequeretur per Bullam Cruciatæ non lucrari aliquam indulgentiam plenariam, niſi ſemel in vita, & in morte: quod exiſtimant eſſe falſum *Villalobos in ſum. tract. 27. clauſ. 8. nu. 3. Trullench. in Bulla Cruciata lib. 1. §. 6. dub. 1. n. 5.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. Reſol. moral. tract. 12. reſol. 2.* Et probant ex ſummario indulgentiam ex Bulla Hyſpana iuſſu Commiſſarij generalis compoſito, & ita ſe habente, *Sommario de las eſtaciones, y Indulgencias di Roma, las quales concede la Santidad à todas las perſonas, que tomaren eſta Bula, y hizieren, y compliren cerca deſto lo en ella contenido.* Et deindè ſequitur *El primer dia de Quareſima en Santa Sabina indulgentia plenaria.* Et ſic de alijs, commemorando plures dies, in quibus Romæ conceduntur indulgentiæ plenariæ; atque ideò dicunt, nefas eſſe credere, Bullæ Cruciatæ Commiſſarium in re tam graui velle fideles omnes decipere. Alias rationes cumulat idem *Diana d. reſol. 2.* & contraria ſoluit, & in fine addit ex eodem *Villal.* probabiliter exiſtimante, dictam indulgentiam poſſe lucrari pluries in die.

6 Ex dictis infertur, quòd indulgentia cùm ſit fauorabilis reſpectu voluntatis concedentis, ſi indulgentia concedatur Populo Romano, extenditur ad omnes clericos Vrbis, imò fortè etiam ad monachos, qui dicuntur ciues illius Ciuitatis, in cuius Monaſterio ſunt aſſignati: ſiquidem in caſu dubio vbi agitur de materia fauorabili, nomine Populi venit etiam clerus: & ſi concedatur clero, etiam Epiſcopo, & Religioſis talis loci cenſetur conceſſa. Non tamen appellatione Monachorum veniunt clerici, vt in *c. duo ſunt genera*, 12. q. 1. niſi clerici ſint Regulares, atque ideo Religioſi, vt diximus in noſtris *Comment. in Bull. Cœna lib. 2. c. 17. q. 8.* & rectè declarat *Laym. d. c. 15. ſub nu. 6.*

7 Secundò infertur, quòd cùm indulgentia ſit res fauorabilis, lucratur Iubilæus ex præſumpta voluntate concedentis, etiam ſi in adimplendo opere præſcripto nō attendatur rigor verborum ipſius Iubilæi, ſeù indulgentiæ. Hinc fit, quòd quando indulgentia conceditur contritis, & confeſſis, licèt volens lucrari indulgentiam debeat præmittere contritionem, & ſecurior ſit opinio eorum exiſtimantium eſſe præmittendam confeſſionem quoque re ipſa, ac actu; nihilominus ſatis eſt confeſſio in voto nempè, quòd habeat propoſitum confitendi peccata ſua intra tempus præſcriptum, vel in Bullis, vel ab Eccleſia, vt per *Gloſ.* communiter receptam in *clem. unica, ver. Confeſſis, de reliq. & vener. Sanctor. Suar. tom. 4. de pœnit. diſp. 50. ſec. 5.* præſertim *nu. 4. cum plur. ſeq.* & alios, quos refert, & ſequitur *Molf. p. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 26. ſub nu. 58.* Quod verum puto quando volens lucrari indulgentiam verè contritus eſt; ſecus autem ſi ſit tantum attritus, & lethalem culpam commiſerit, quoniam tunc teneretur etiam præmittere actualem confeſſionem, qua mediante ex attrito fieret contritus: aliàs iſte talis non eſſet in gratia, atque ideò reus eſſet pœnæ æternæ: at per indulgentiam non remittitur, niſi pœna temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam, & pœnam æternam, vt ſæpè diximus. Et de hac re latius, Deo duce dicemus, infra *ſec. 16.*

8 Tertiò infertur, quòd indulgentia conceſſa viſitantibus talem Eccleſiam, vel orantibus in ea cum viſitatio eiuſmodi ſit oneris impoſitio, poteſt intelligi nō modo de viſitatione per corporalem ingreſſum in Eccleſiam; ſed etiam moralem tantum; nempè per acceſſum ad porticū, vel gradus eiuſdem, vndè ſi quis præ hominum multitudine maximè non poſſit Eccleſiam ingredi, & in ea orare ſatis eſt, ſi accedat ad porticum, vel ad gradus ipſius; quoniam is dicitur moraliter accedere ad Eccleſiam, eam viſitare, & in eadem orare; quod ſatis eſſe ad conſequendam indulgentiam, cùm ſit res fauorabilis, & in fauorabilibus verba latè ſint interpetranda, vt habetur per *Ioan. Prepoſ. in 3. p. D. Thom q. 14. de indulg. dub. 10. nu. 87. Philipp. della Cruz in Theſ. Eccl. tract. 1. §. 19. num. 4.* & alios, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 19.* Vbi idem dicendum eſſe putant, ſi quis Cimiterium Eccleſiæ annexum viſitaret, in eo oraret, ſeù ſacrificaret, ſi indulgentia expoſceret non tantùm viſitatiooem Eccleſiæ; verum etiam in ea orationem, vel ſacrificium. Siquidem appellatione Eccleſiæ in fauorabilibus venit etiam eius Cæmeterium. Quæ quidem vera ſunt, niſi ex modo loquendi aliter conſtet de voluntate concedentis indulgentiam, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 1. nu. 7.*

9 Quartò infertur, quòd ſi indulgentia ad eam lucrandam expoſceret viſitationem quinque Altarium in Eccleſia, ſatis erit, ſi volens eam conſequi ex vno loco preces fundat, ſiue corporali motu de vno in aliud Altare, atque ideò ſufficit ſi in vno loco fixus preces fundat verſus quinque Altaria: is enim dicitur moraliter moueri de vno Altare ad aliud; licèt corde tantùm moueatur, vt habetur ex *Ludouico della Cruz diſp. 1. dub. 13. nu. 4.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral tract. 11. reſol. 102. & p. 5. tract. 12. reſol. 16. contra Ioanne de Garnica in expl. Bulla Cruciata, §. Item ſe concede.* Vbi id amplius verum eſſe, etiam ſi nullum adſit impedimentum, quo quis formaliter impediretur ſingula Altaria viſitare corporaliter. Siquidem ſi vnum tantùm eſſet Altare in illa Eccleſia, volentem lucrari indulgentiam non oporteret quinquies illud motu corporali viſitare; ſed ſatis eſſet quinquies verſus illud preces fundere. Eſt tamen verum, quòd *Trullench. in Bull. Cruc. lib. 1. §. 6. dub. 2. nu. 4.* quem refert, & videtur ſequi idem *Diana loco citato in fine d. reſol. 16.* inquit, quòd quando quis vnum, &

idem

Digitized by Google

idem Altare quinquies viſitat, licet non teneatur loco dimouere; ſed eodem loco fixum poſſe illud quinquies viſitare, tamen putat, quòd qualibet viſitatione finita, ſaltem corpus, & caput inclinet in ſignum diſtinctæ viſitationis: quæ quidem ſententia mihi quoque probatur; aliàs non diceretur; nec phyſicè, nec moraliter Altare illud quinquies viſitari.

10 Quintò infertur, quòd ſi in indulgentia, ſeù Iubilæo præcipiatur confeſſio ad indulgentiam ipſam conſequendam: & quis intra tempus à Iubilæo præſcriptum confiteatur, & ante conſecutionem indulgentiæ contrahat denuò lethalem culpam, is non tenetur amplius confiteri ad lucrandum Iubilæum, ſed ſatis eſt, ſi conteratur tempore illius conſecutionis. Vndè ſi præſcribatur confeſſio infra hebdomadam, & volens conſequi Iubilæum fuerit confeſſus die Iouis: verum ante abſolutum Sabbatum, in quo Iubilæum conſequitur nouam culpam mortalem contraxerit, tunc ad conſequendam indulgentiam, ſeù Iubilæum non eſt neceſſaria denuò cōfeſſio, ſed ſufficit, vt in Sabbato ſit in gratia per contritionem. Etenim cùm in forma indulgentiæ duo regulariter concurrant, impoſitio ſcilicet alicuius oneris, & conceſſio alicuius remiſſionis, tunc reſpectu eius cui indulgentia conceditur, oneris impoſitio eſt ſtrictè interpetranda, & conceſſio remiſſionis amplè, cùm res ſit fauorabilis, & oneris reſtrictio ſit remiſſionis amplificatio. In caſu igitur noſtro confeſſio eſt oneris impoſitio; ergò ſatis eſt ſi ſemel fiat ad lucrandam indulgentiam, & poſt aliud peccatum commiſſum de eo habeatur contritio cum propoſito confitendi infra tempus ab Eccleſia præſcriptum. Hanc ſententiam docent *Ioan. Præpoſit. in 3. p. D. Thom. q. 14. de indulg. dub. 10. Nugn. in addit. ad 3. p. q. 23. art. 3. dub. 4. Iacob. Granad. in 3. p. de Sacram. contr. 12. tract. 5. diſp. 4. nu. 8. & Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 1. contra Suar. Fillinc.* Et alios, moti ex eo, quòd cum confeſſio non ſit neceſſariò facienda in vltimo tempore Iubilæi, ſed poteſt fieri ante dies aliquot, non poteſt aſſignari ratio, cur nouum onus alterius confeſſionis imponatur: ſiquidem citra illud adimpletur ſufficienter conditio requiſita in tenore indulgentiæ: & aliundè abſolui poteſt lethalis culpa poſtea commiſſa, nempè per contritionem. Ob id etiam addunt præfati Doctores, quòd quamuis tempore confeſſionis talis confeſſus alicuius lethalis culpæ fuerit oblitus; non tamen tenetur ad illius confeſſionem intra tempus Iubilæi; niſi fortè non communicaſſet, & eſſet vi indulgentiæ præcepta communio: quo caſu nec ſatis eſt contritio priori caſu, contracta culpa mortali poſt confeſſionem; ſed omninò debet præmitti confeſſio ad dignam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſceptionem, iuxta ea quæ ſupra adnotauimus, *tom. 1. §. 2. ſec. 7.* niſi quis excuſaretur aliquo ex caſibus ibidem relatis: nam ſaltem poſſet commutari communio in aliud opus, ſi rationabilis, & iuſta ſubſiſtat cauſa, & hoc caſu rato locum ſibi vendicare opinionem *Suar.* & aliorum, contrarium ſentientium. His adde *Dian. p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 20. in fine.* Et vide, quæ infra adnotauimus, *ſec. 16. in fine.*

11 Sexto infertur, quòd indulgentia cùm ſit res fauorabilis, ſi quis reperiatur excommunicationis ſententia alligatus, & quamuis ſit contritus, & paratus ſatisfacere quoad poſſit, non tamen poteſt obtinere abſolutionem, tunc & eo caſu, ſi excommunicatus non poteſt ſacramentalem confeſſionem præmittere, ſatis eſt ad indulgentiam lucrandam ſi alia opera, quæ poteſt exhibeat: & id ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam cum onere confitendi. Etenim non præſumitur eſſe intentio Piæ Matris Eccleſiæ priuare huiuſmodi ſuffragijs filios obedientes, & quantum ex ſe omninò à contumacia recedentes. *Ita Henriq. lib. 7. c. 18. nu. 2. Eman. Sà verb. Indulgentia, nu. 1. Alph. de Leone de Iubil. p. 1. num. 197. Boſſ. de tripl. Iubilæo, ſec. 4. caſu 22. ſi. nu. 12.* & hanc ſententiam piam, & probabilem cenſet eſſe *P. Diana p. 5. Reſol. Moral. tract. 12. reſol. 13.* Et eſt valde notanda; quoniam caſus poteſt frequenter accidere quoad eos, qui in aliquem hæreſim inciderint: aut ſunt excommunicati ob penſiones, aut alia debita, & ſunt impotentes ad ſoluendum. Et quamuis ipſe *Diana* contrariam opinionem arbitretur eſſe probabiliorem, quam docent *Sot. in 4. d. 22. q. . . art. 1. Nugn. in addit. ad 3. p. q. 17. art. 1. Fernand. in exam. Theol. moral. p. 3. c. 7. §. 4. nu. 2. Laym. lib. 1. ſua ſum. tract. 5. p. 2. c. 2. nu. 2.* & alij, quos refert. & ſequitur *Fauſt. de Iubilæo lib. 3. q. 55.* Et quibus ego quoque adhæreo propter validiſſimam rationem, qua mouentur, nempe quòd excommunicati licèt contriti, & proindè iuſti, verè remanent excommunicati; quoniam excommunicatio non tollitur pœnitentia, & iuſtificatione, ſed abſolutione: nihilominus prior ſententia citra omnem controuerſiam vera eſt quoad eos, qui cùm non eſſent ſoluendi fuerunt excommunicati ob penſiones non ſolutas, & alia debita: quoniam hi fuerunt nulliter excommunicati; ſiquidem non ſoluentes, quia non ſunt ſoluendi, non peccant: at excommunicatio non contrahitur citra lethalem culpam: vndè hoc caſu ſuppoſita excommunicationis nullitate in foro ſaltem interiori poteſt, & ſic abſolutus poteſt alia opera præcepta implere, & indulgentiam, ſeù Iubilæum conſequi: imò ſi inter alia opera præcipiatur communio, aut aliud opus, quod per excommunicatum non poſſet impleri citra ſcandalum, ſtante excommunicatione, tunc communio, aut opus poſſunt commutari in alia opera ad euitandū ſcandalum ex præſumpta voluntate indulgentiam concedentis, iuxta ea, quæ infra Deo duce, ſuo loco dicemus.

12 Septimò infertur, quòd ſi ad lucrandam indulgentiam, vel Iubilæum præcipiatur confeſſio, & communio: & quis intra tempus ab indulgentia præceptum confiteatur, & poſt confeſſionem peccet mortaliter, & deinde non obſtante lethali culpa, communicet; atque ideò aliam culpam mortalem contrahat; non eſt opus, vt iſte talis iterum communicet, aut confiteatur, ſed ſatis eſt ſi ſit in gratia tempore conſecutionis Iubilæi, atque ideò ſit ſufficienter contritus tàm de peccato commiſſo poſt confeſſionem, quàm de communione ſumpta in peccato, vt patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *illat. 5.* Etenim in caſu, de quo agitur tam confeſſio, quàm communio dicunt impoſitionem oneris reſpectu illius, cui quærenda eſt indulgentia: & propterea talis impoſitio eſt ſtrictè interpetranda: ſiquidem

dera

dem oneris reſtrictio eſt remiſſionis amplificatio: & eò magis ea, quæ ſupradicta ſunt, procedunt, quia vt ſuo loco dicemus infra *ſec.* 10. non deſunt qui velint, ad acquirendam indulgentiam non eſſe opus, vt opus poſtulatum ſit honeſtum in indiuiduo. Vndè *Boſſ. de Iubilao ſec. 4. caſu* 20. *ſub nu.* 17. quem refert *Diana p. 5. reſol. moral. tract.* 12. *reſol.* 17. & alij, quos refert idem *Diana d. 3. tract. 4. reſol.* 150. Dum probabiliter volunt, communionem factam in peccato mortali ſufficere ad ſatisfaciendum oneri communionis iniuncto ad lucrandum Iubilæum, ſi eadem communio non ſit vltimum opus in Iubilæo præſcriptum. Et id etiam ſi in Iubilæo præciperetur communio reuerenter, & deuotè ſumenda; eo quòd illa verba poſſunt ſumi adhortatiuè, & de externa ſaltē reuerentia, & deuotione, cùm Eccleſia regulariter nō poſſit præcipere actus internos, eo quòd non iudicat de internis, niſi quatenus interna principia ſunt actuum externorum: quæ omnia an vera ſint, ſuo loco latius, Deo duce, dicemus infra, explicantes controuerſiam, an opus poſtulatum in indulgentia debeat eſſe honeſtum in indiuiduo: & an per Eccleſiam poſſit expoſtulari ad indulgentiam conſequendam non ſolùm opus ſecundum ſe bonum; ſed etiam bonum in indiuiduo, vt in *ſec.* 10.

13 Octauò infertur, quòd cum indulgentia ſit res fauorabilis, ſi in Iubilæo ad illud aſſequendum expoſtuletur, vt quarta, & ſexta feria, ac Sabbato ieiunetur, & die Dominico ſanctiſſima communio ſumatur, non deſunt, qui probabiliter putent, vt volens aſſequi Iubilæum ſatis ſit, ſi in alia die infra hebdomadam communicet. Ita *Boſſ. de Iubilao ſec. 4. caſu* 20. *nu.* 17. quem videtur ſequi quoque *Diana p. 5. Reſol. moral. tract.* 12. *reſol.* 17. Moti ex eo, quod ſi licitum eſt communicare fer. 2. poſt Dominicam, multo magis licitum erit communicare in aliquo die infra hebdomadam. Siquidem talis ordo non cenſetur expoſtulatus vt neceſſarius; ſicut quidam æſtimauerunt de Iubilæo conceſſo à Sixto anno 1585. expoſtulante die Dominico communionem poſt eleemoſynas, & alia opera præcepta: nam ob id ad tollendam omnem dubitationem alij Pontifices in ſuis Bullis Iubilæorum addiderunt illa verba, ***Aut in alio die dictarum hebdomadarum***. Et quaſi declarantes mentem Pontificis; dicerent, quòd licèt conuenientius ſit præmittere ieiunia, & alia opera, & deinde ſacroſanctam Euchariſtiæ Sacramentum ſumere nihilominus non eſſe neceſſarium talem ordinem ſeruare, ſed ſatis eſſe, ſi communio fiat in alio die hebdomadarum. Eſt tamen verùm, quòd ſi clarè conſtaret de mente Rom. Pontificis concedentis Iubilæum, vt omninò velit communionem fieri die Dominico poſt ieiunia, & alia opera præcepta exhibita, ſtandum eſſet eiuſdem voluntati: quoniam indulgentia non operatur vltra voluntatem concedentis. His tamen adde, quæ infra dicemus, *ſec.* 25. *verſ. Eſt tamen verum.*

14 Nonò infertur, quòd ſi in Iubilæo præcipiatur, tribus diebus ieiuniorum fieri eleemoſynam orationes, &c. Et quis in alijs diebus opera expoſtulata impleat, licèt *Sanctarell. de Iubilæo c. 7. dub. 1. P. Alph. de Leone, eod. tract. p. 1 nu.* 24. Et alij velint, talem non lucrari Iubilæum, cum ad indulgentiam aſſequendam ſit ſeruanda forma præſcripta; nihilominus cùm indulgentia ſit res fauorabilis, ex præſumpta ſaltem voluntate concedentis *Boſſ. de Iubilao ſec. 4. caſu* 8. *nu.* 9. quem ſequitur *Diana p. 5. Reſol. moral. tract.* 12. *reſol.* 22. Et alij probabiliter tenent talem aſſequi Iubilæum, ſi ob probabilem ignorantiā, ſeù inaduertentiam, aut imprudentiam citra eius culpam diſtulerit vſque ad Sabbatum, vel diem Dominicum eleemoſynam facere, & alia opera expoſtulata adimplere; maximè ſi tunc eleemoſynas, & orationes præceptas maiores notabiliter faceret. Imò idem *Boſſ. poſt Nauar.* idem dicendum eſſe ait de eo, qui fer. 4. fecit eleemoſynam æquiualentem tribus ieiuniorum diebus faciendam, & id ex æquitate, & tacita concedentis voluntate: ſiquidem his caſibus videtur impleri voluntas Papæ ordinantis eleemoſynam ad pauperum ſubleuationem. Quibus adde ex eiſdem *Boſſ. & Diana locis citatis*, quòd ſi in Bulla Iubilæi expreſsè non habeatur, vt oratio, viſitatio, & eleemoſyna fiat tribus diebus, ſed tantùm indeterminatè præcipiatur viſitatio, oratio, & eleemoſyna, tunc ſatis eſt ſemel viſitare, orare, & eleemoſynam facere, etiam die Dominico, non ſolùm antè, verum poſt communionem.

15 Decimò infertur, quòd ſi in Bulla Iubilæi habeatur, vt qui non ſuſceperit illud in prima hebdomada poſſit aſſequi in ſecūda, ſi quis adimpleuerit opera expoſtulata intra duas hebdomadas lucrabitur Iubilæum, vt probabiliter docent *Ioannes Prapoſit. in 3. par. D. Thom. q.* 14. *de indulg. dub.* 10. *num.* 87. *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 8. nu.* 10. *dub.* 4. *Nald. in ſum. ver. Indulgentia, nu.* 14. quos refert, & ſequitur *Diana p. 1. Reſol. tract.* 12. *reſol.* 24. qui quidem *Nald.* teſtatur, ita reſpondiſſe Patres ſacræ Pœnitentiariæ Roman. & Eminentiſſimum Gypſium S. R. E. Cardinalem, dum eſſet Ariminenſis Epiſcopus. Quod tamen verum putat *Laym.* præſertim ſi rationabilis, aut neceſſaria ſubſiſtat cauſa diuidendi ipſa opera: & *Prapoſit.* limitat dummodò ieiunia vna, & eadem hebdomada compleantur: nam id facit ad ſcopum Roman. Pontificis, nempè ad maiorem carnis macerationem. Sed re vera nobis videtur dicendum, tùm *Naldo*, qui ſimpliciter docet dictam ſententiam ita vt locum ſibi vendicet etiam nulla ſubſiſtente cauſa; atque ideò diuidi poſſint etiam ieiunia ex ſola pœnitentis libera voluntate, & citra omnē Confeſſarij legitimam conceſſionem obtentam, cuius opinioni ego adhæreo: nam verba Bullæ, vt vel prima, vel altera hebdomada opera præſcripta fiant, ſatis impleri videntur: tum etiam, quoniam ſecundum Epicheiam interpetrari poſſumus, mentem Rom. Pontificis eſſe, vt etiam tali caſu Iubilæus aſſequatur: eo magis, quia indulgentia eſt res fauorabilis; & propterea impoſitio onerum eſt ſtrictè interpetranda reſpectu illius, cui conceditur: nam oneris reſtrictio eſt indulgētiæ, ac remiſſionis amplificatio, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *illat.* 5. & quòd ieiunia partiantur in duas hebdomadas, vel fiant in vna parum intereſt quoad maiorem, vel minorem carnis macerationem, quæ per ea intenditur.

16 Cæterum, quoniam contraria ſententia in

praxi obſeruatur, vt teſtantur *Laym. Diana locis citatis*, & alij; non tamen ob id ſequitur noſtram ſententiam eſſe improbabilem: ſiquidem idcircò oppoſita ſententia ſeruatur in praxi quoniam eſt tutior, & verbis Iubilæi magis conformis. Vndè *Alph. de Leone de Iubilao, par. 2. nu. 18. & 169. Sanctarell. eod. tract. c. 7. dub. 1.* Et alij, qui volunt, opera omnia eſſe præſtanda intra eandem hebdomadam; fundantur in verbis Bullæ Iubilæi, quæ dicunt id ſignificare: at re vera verba illa ita ſignificant opera omnia eſſe facienda infra vnam, & eandem hebdomadam, vt poſſint ſignificare earum impletionem intra duas hebdomadas poſſe etiam fieri; quæ interpetratio cùm non ſit contra tenorem Bullæ, & amplificet indulgentiam, poteſt piè ſequi, dum non conſtat de contraria voluntate Rom. Pontificis; ſtante indulgentia re fauorabili, vt ſæpè diximus.

17 Vndecimò infertur, quòd indulgentia cùm ſit res fauorabilis, probabiliter eſt dicendum, vt qui lucratus eſt Iubilæum in prima hebdomada, poſſit etiam iterum in ſecunda hebdomada illud aſſequi: nam id vi Bullæ Iubilæi ſupponimus expreſsè non prohiberi: & hæc ſententia eſt magis pia, & amplificat indulgentiam, & magis congruit pietati piæ Matris Eccleſiæ. Hanc opinionem tenent *Bonzon. de Iubilao lib. 5. c. 15. dub. 23. Zerola eod. tract. lib. 1. c. 16. q. 10. Sanctarell. de Iubilao, c. 5. dub. 4. Nald. in ſum. ver. Indulgentia, nu. 4. Lanor. Alph. de Leone Fernand. & Floron.* quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. Reſol. moral. tract. 12. reſol. 28. contra Fauſtum*, & alios ab eodem *Diana* relatos *d. reſol. 28. & p. 2. tract. 17. reſol. 49.* Qui pro ſua allegant declarationem Sacræ Congregationis, cui meritò eſſet ſtandum, ſi de illa conſtaret: maximè ſi confirmata foret à Romano Pontifice, iuxta ea, quæ nos adnotauimus in noſtris *Commentar. in extrauag. Pij V. de camb. §. 1. q. 42. ſub nu. 33. & q. 47. nu. 2.* Dixi, *Probabiliter.* Quia in rigore Fauſti, & ſociorum opinio eſt probabilior, vt infra dicemus, *ſec. 3. ver. Quartò diuiditur.*

18 In omnem euentũ, ſecluſa declaratione ſacræ Congregationis ſupra relata, non poteſt negari quin noſtra ſententia ſit valdè probabilis: & quamuis aliquis tempore Iubilæi, ſi ſequatur aliquam opinionem probabilem circa illud, non lucretur indulgentiam, ſi oppoſita opinio ſit vera iuxta ſententiam *Bartholom. à S. Fauſto in tract. de Iubilao lib. 4. q. 64.* quam probabilem eſſe inquit *Diana p. 5. Reſol. moral. reſol. 32.* Nihilominus iſte talis remaneret abſolutus à cenſuris, & caſibus reſeruatis, quia opinio probabilis confert iuriſdictionem, vt per *Boſſ. de Iubilao, ſec. 4. caſu 87. nu. 5. & Dianam loco citato*, atque ideò idem dicendum eſt in conſimilibus caſibus ſupra relatis, pro quibus adeſt probabilis ſententia. Quibus adde, quæ infra dicemus, *ſec. 3. verſ. Quartè diuiditur.*

19 Duodecimò infertur, opera in Iubilæo præcepta ad lucrandum illum poſſe incipi in vna Ciuitate, ſeù Terra, & compleri in alia intra tempus à Bulla Iubilæi præſcriptum; atque ideò ſi vi Iubilæi, & eiuſdem Bullæ præcipiatur ieiunia 4. 6. feria, & Sabbato, viſitatio Eccleſiarum, orationes, & eleemoſynæ, poterit quis Capuæ ieiunare quarta feria, & Eccleſias viſitare, aut eleemoſynas, vel orationes facere, & deinde reliqua opera Neapoli adimplere, & Iubilæum conſequi. Etenim in rigore iſte talis dicitur impleuiſſe omnia vi Iubilæi expoſtulata ad lucrandam indulgentiam: & opus expoſtulatum eſt impoſitio oneris reſpectu illius, cui quærenda eſt indulgentia; atque ideò eſt reſtringenda, cùm indulgentia ſit res fauorabilis, & amplianda ſiquidem reſtrictio oneris eſt indulgentiæ amplificatio, vt ſæpè diximus, & qui hoc modo opera præcepta implet non facit contra verba Bullæ, nec præſumitur facere contra mentem Rom. Pontificis indulgentiam concedentis. Ita *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 8. n. 11. & Dian. p. 5. Reſolut. tract. 12. reſol. 53.* Vbi etiam dicunt, quod iſte talis poterit vbique ſibi eligere Confeſſarium. Eſt tamen verum, quòd ipſe *Laym.* addit, quod ſecurius eſt in Patria, vel ſaltem in loco, vbi Iubilæus promulgatus fuit, opera omnia perficere; valdè tamen credibile eſſe, illum etiam hoc caſu indulgentiam Iubilæi conſecuturum eſſe. Vndè hæc, quæ diximus *Laym.* probabiliter tantum videtur docere. At ego citra omnem difficultatem dictæ ſententiæ adhæreo per rationes ſupra relatas, ſi incipiens opera in vna Ciuitate ex aliqua rationabili cauſa ſe conferat in aliam, & ibi reliqua opera compleat: & id ex præſumpta ſaltem mente Rom. Pontificis.

20 Tertiodecimò infertur, quòd cum indulgentia ſit res fauorabilis, ſi pars minima oneris iniuncti omittatur, adhuc tamen indulgentia lucrabitur, vt habetur ex *Trullench. in explic. Bulla Cruciata, lib. 1. §. 1. dub. 15. num. 2. Rodriq. p. 1. ſua ſum. c. 188. nu. 4. & 5. Philipp. Faber in 4. ſent. d. 19. q. vnica. diſp. 38. c. 7. nu. 205. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 6. nu. 153. Prapoſit. in 3. par. q. 14. de indulg. dub. 10. nu. 87. Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 52. ſec. 5. nu. 1. Boſſ. de Iubilao ſec. 4. caſu 8. num. 3. & 6. Alphon. de Leone eod. tract. p. 2. nu. 150. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. nu. 3. Sanctarell. & Lanor.* quos refert, & ſequitur *Diana par. 5. Reſol. moral. tract. 12. reſol. 23.* Etenim minima pars in Moralibus non attenditur: nam de minimis non curat *Prætor, l. quod ſi ephesſi, ff. de eo, quod cert. loco*, facit etiam *text. in l. cum hæres, §. Stychus, ff. de ſtatu liber.* Et *l. fin. C. de condit. inſer.* quibus quoque adde *Pauin. in extrauag. Multarum, de pœnit. & remiſ.* Benè verum eſt, quòd *Rodriq. loco citato*, & multi alij intelligunt hanc ſententiam, extante legitima cauſa impedimenti. Et ſupra relati Doctores eandem limitant, niſi pars minima eſſet grauis reſpectu oneris iniuncti, vt declarat *Diana vbi ſupra.*

De multiplici diuiſione Indulgentiæ, & qualiter differat à Iubilæo.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia alia eſt lata, alia ferenda, & quæ ſint.*

2 *Alia indulgentia eſt perſonalis, alia realis, & localis alia.*

3 *Viſitans Eccleſiam, cui indulgentia abſolutè & citra omnem temporis determinationem, toties illam lucrabitur quoties Eccleſiam viſitabit.*

4 Si ob

4 *Si ob hominnis multitudinem non poſſis quis ingredi Eccleſiam, ſatis eſt ad indulgentiam lucrandam, ſi ad portieum eiuſdem accedat, aut ad gradus, vel ad Cameterium.*

5 *Diruta Eccleſia in qua fuit conceſſa indulgentia, an, & quando locus priuetur indulgentia.*

6 *Alia indulgentia dicitur pro viuis, & eſt actus clauium, ac iuriſdictionis, alia pro Defunctis, & eſt actus clauium, ſed non iuriſdictionis.*

7 *Indulgentia alia eſt perpetua, alia temporalis, & vtraq; qua nam ſit.*

Et quid ſi indulgentia conceſſa ſit ad modum Iubilai, an qui in prima hebdomada non potuit illam lucrari, poſſit in ſecunda. Vel an bis lucrari valeat, tum in prima, tum in ſecunda.

8 *Negatiua ſententia videtur probabilior, & quare. Affirmatiua vero eſt probabilis, quam ſi quis ſequi velles remaneret à cenſuris, & reſeruatis abſolutus.*

9 *Si quis bona fide abſolutionem acceperit à reſeruatis, vel diſpenſatum a voto, ſi tamen citra culpam, vel etiam cum culpa indulgentiam non acceperit, valeat abſolutio, & diſpenſatio. An remaneat indirectè abſolutus à reſeruatis oblitis, ita vt tranſacto Iubilæo poſſit abſolui, qui bona fide tanquam Iubilæum lucraturus confeſſus ſit peccata ſua. Et quid dicendum in commutatione votorum.*

10 *Alia indulgentia dicitur non plena, ſeu non plenaria, & alia plena, ſeu plenaria. Et an per indulgentiam non plenariam remittatur alicui aliquando tota pœna temporalis, quæ ſibi debetur poſt remiſſam culpam.*

11 *Communior eſt ſententia, diem, vel annum in indulgentijs propriè ſignificare durationem ſatisfactionis pœnitentialis, pro peccatis exhibenda. Et quanta pœna remittatur Purgatorij per hanc indulgentiam.*

12 *Plena, ſeu plenaria indulgentia, quæ nam dicatur. Diuiditurq; in plenam pleniorem, & pleniſſimam. Et an detur differētia inter illas.*

13 *Multipliciter concedi ſolet hæc indulgentia: Et primo ſub his verbis (contritis, & confeſſis. Et quid denotent verba iſta.*

14 *Solet etiam ſuperaddi, & remiſſio omnium peccatorum: Et an aliquid addant indulgentiæ hæc verba, vel potius explicent indulgentiam ipſam.*

15 *Solet etiam concedi indulgentia plenaria, & ſimul addi indulgentia partialis, quo caſu reſpectu ſui conſequitur, quis plenariam, partialem verò poteſt pro alijs offerre per modum ſuffragij.*

16 *Solet etiam concedi indulgentia plenaria, & inſuper addi, & remiſſio tertiæ peccatorum. Et cuius vis ſint hæc verba.*

17 *Solet quoque hæc indulgentia concedi pro pœnitentijs iniunctis, & quid operētur verba iſta.*

18 *Solet etiam concedi indulgentia plenaria ad inſtar Iubilæi. Et in quo differat hæc indulgentia ab ea ſimpliciter conceſſa.*

9 *Conceditur quoq; indulgentia in anno Iubilæo: Et quo tempore celebratur antiquitus, & quo tempore hodie. Et in quo differat hæc indulgentia ab ea ſimpliciter conceſſa.*

Et an facultas abſoluendi à quibuſcunque reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, comprehendat abſolutionem ab hæreſi quantumuis occulta.

20 *In anno Iubilæo omnes indulgentiæ ſuſpenduntur etiam ad inſtar Iubilæi conceſſæ. Sic, & facultates commutandi, ſeu diſpenſandi in votis, componendi ſuper ablatis, incertis, &c. In indulgentia verè plenaria non ita.*

1 DIuiditur primò indulgentia in latam, & ferendam. Prior dicitur, quâ poſita conditione, fidelis à concedente immediatè abſoluitur à pœna temporali, quæ remanet poſt remiſſā culpam, & pœnam æternam: nec alterius actio expoſtulatur ad producendum ſuum effectum. Vt cùm Rom. Pontifex v.g. concedit indulgentiam eo, ipſo quòd quis in gratia, omnibus culpis remiſſis, moritur. Poſterior autem eſt cùm concedens indulgentiam, immediatè non abſoluit a pœna; ſed concedit alteri, vt abſoluere poſſit, vt cùm Papa concedit alicui, vt cùm peruenerit ad articulum mortis, poſſit à Confeſſario abſolui non ſolùm à culpa; ſed etiam ab omni pœna, vt rectè declarat *Suar. in 3. par. tom. 4. diſp. 56. ſec. 1. nu. 2.*

2 Secundò diuiditur indulgentia in perſonalem, realem, & localem. Perſonalis ita conceditur perſonæ, vt illi quaſi inhæreat talis fauor, ſeu gratia, ita vt quocunq; pergat, ſecum illam deferat, & extinguitur, extincta perſona, vt cùm Sum. Pontifex directè concedit alicui talem indulgentiam, quoties ſalutationem Angelicam dixerit, ieiunauerit, aut aliud opus fecerit. Realis verò indulgētia alicui rei mobili quodammodo inhæret, in ordine tamen ad perſonas, vt eſt indulgentia, quæ datur imaginibus, coronis, granis, & alijs eiuſmodi: & per eas hominibus communicatur, ita vt quicunq; coram tali imagine orauerit, tales coronas recitauerit, &c. pœnæ remiſſionem conſequatur, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Localis denique indulgentia appellatur ex eo, quòd quodammodo inhæret loco, in ordine tamen ad perſonas; qualis eſt indulgentia, quæ conceditur fidelibus in tali loco orantibus, vel aliud pium opus ibi facientibus. Vndè fauor ille dicitur inhærere loco; quoniam in illo tantum, & non in alio eiuſmodi indulgentia obtinetur: nec eius effectus communicatur hominibus, niſi mediante loco. Ex quibus colligitur, quòd omnes indulgentiæ in hoc conueniunt, quòd omnes ordinantur ad vſum hominis, in illis ſolum habet effectum, & omnes ſunt abſolutiones, ſeu remiſſiones alicuius pœnæ temporalis, quæ remittuntur poſt remiſſam culpam.

3 Eſt tamen adnot. circa localem indulgentiam, quod viſitans Eccleſiam, cui indulgentia conceſſa eſt citra omnem temporis determinationē, & abſolutè, toties indulgentiam lucrabitur, quoties Eccleſiam ipſam viſitabit. Quòd ſi conceſſa ſit cum temporis determinatione, vt tali die, vel tempore, nempè Paſchali, aut in anniuerſario dedicationis Eccleſiæ, tunc viſitans eam, ſemel tantùm indulgentiam aſſequetur: & id ex præſumpta voluntate concedentis, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 20. q. vn. art. 3. quæſtiun. 2. ad 3. Palud. ibid. q. 4. art. 1. §. Quantum ad tertiam concl. 1. Suar. in 3. p. tom. 4. diſp. 57. ſec. 1.* & ex
4 alijs, quos refert, & ſequitur *Laym. 5. ſua ſum.*

tract.7.c.8. Et hanc ſententiam dicunt per conſuetudinem approbari. Quibus adde quæ adnotauimus infra *ſec.33*. Secundò eſt adnot. quòd ſi ob hominum multitudinem non poſſit quis ingredi Eccleſiam, ſatis eſt ad lucrandam indulgentiam ſi accedat ad porticum, & gradus eiuſdem, aut ad Cemeterium, vt ſupra oſtendimus *ſec.2 illat.3. vbi illat.3*. probauimus quoque, quòd ſi indulgentia expoſceret viſitationem quinque Altarium, ſatis eſſe ad eam eſſequendam; ſi ex vno loco omnia viſitentur. Tertiò eſt
5 adnot. quòd Eccleſia, in qua fuit conceſſa indulgentia, diruta, ſi iterum non ædificetur, locus priuatur indulgentia, cùm non loco ſimpliciter, ſed Eccleſiæ fuerit conceſſa. Si verò Eccleſia reædificetur in eodem loco, retinet indulgentiam, ſicut & alia priuilegia, cùm moraliter eadem Eccleſia cenſeatur; niſi Superioris auctoritate deſtruatur in pœnam delinquentium: quoniam tunc cum eius extinctione extinguuntur priuilegia, nec per reædificationem recuperantur, ſed indiget noua priuilegiorum conceſſione, vt poſt alios docet *Laym. loco citato c.3. ſub nu. 5. & Diana p. 5. Reſol. moral. tract. 12. reſolut.* Qui tamen addunt, quòd ſi Eccleſia Superioris auctoritate deſtructa, in alium locum transferatur, tunc & indulgentiæ, & alia eiuſdem priuilegia transferuntur, niſi indulgentia, ac priuilegia conceſſa ſint ratione ſitus: nam tunc inquiunt non transferri.

6 Tertiò partitur indulgentia in indulgentiam pro viuis, & in indulgentiam pro Defunctis. Prima eſt actus clauium, & iuriſdictionis. Secunda verò licet ſit actus clauium; non tamen eſt actus iuriſdictionis: ſiquidem animæ Defunctorum non ſunt ſub iuriſdictione Rom. Pontificis; ſed tantum viuentes, iuxta illud Domini, *Quodcunq; ſolueris ſuper terram, &c.* Quocirca Rom. Pontifex viuentibus directè concedit indulgentias: animabus verò Defunctorum exiſtentibus in Purgatorio indirectè; nempè concedit indulgentias fidelibus viuentibus, vt ipſi per modum ſuffragij poſſint eas applicare animabus Defunctorum, vt ſupra explicauimus *ſec. 1. verſ. Dixi actus clauium*, quoniam; & infra latius, Deo duce, dicemus.

7 Quarto diuiditur indulgentia in perpetuam, & temporalem. Prior dicitur, quæ perſonæ, loco, aut alteri rei ita conceditur, vt tam diù duret, quàm diù res, & perſona illa cui conceſſa eſt, durat; niſi à concedente, vel Superiore eius reuocetur. Poſterior verò indulgentia nuncupatur qua certo die, vel anno determinato conceditur; qua propter eo elapſo indulgentia ipſa expirat, ex hac diſtinctione patet quid dicendum ſit de controuerſia illa inter Doctores circa indulgentiam conceſſam ad modum Iubilæi, pro qua obtinenda aſſignatur duplicatum tempus, nempè duarum hebdomadum, vt quibus prima hebdomade opportunitas non fuit, altera conſequi eam poſſint; & quæritur, an qui prima hebdomade indulgentiam fuit cōſecutus, altera hebdomade, repetendo opera expoſtulata, iterum eam lucrari valeat?

8 In hac re licet partem affirmatiuam doceant *Henriq. lib.7. de pœnit. c.11. nu.1. Rodriq. tom.1. ſua ſum. c.184.* & alij, quos ſupra retulimus *ſec. 2. illat. 11.* nihilominus negatiua ſententia nobis videtur probabilior, quàm tenet *D. Thom. in 4. d 20. q. vnica art.3 quæſtiun.2. ad 4. Palud. ibid q 4. art. 1. § Quantum ad tertium, concl. Cord. q 30. Suar. de pœnit diſp.57. ſec.1. nu.7. Nauar. de indulg. not.31*: quos refert, & ſequitur *Laym. lib.5. ſua ſum. tract 7. c.8. nu.8.* & citat etiam *Diana p.2. Reſol. moral. tract.17. reſol.49. & p.5. tract 12. reſol. 28.* Vbi pro hac ipſa ſententia adducit *Fauſt.* dicentem, ac teſtantem ita fuiſſe determinatum, ſeù declaratum per Sacram Congregationem. Etenim *Laym.* & alij diſtingunt indulgentiam in perpetuam, & temporalem: & indulgentia, de qua controuertitur cùm ſit temporalis, videtur Rom. Pontifex tale temporis ſpacium definire; atque ideò, dum duplicatum tempus aſſignat, nempè duarum hebdomadum ad lucrandam indulgentiam intelligendus ſit, vt quibus prima hebdomade opportunitas non fuit, altera eam conſequi poſſint; non autem quod iidem ſæpius, & hanc eſſe communem praxim, & communem fidelium perſuaſionem, ait *Laym. loco citato*, quæ quidem communis praxis eſt optima interpres mentis concedentis eiuſmodi indulgentiam. Confirmatur, quoniam aliàs non poſſet aſſignari ratio, cur indulgentia pro certa die conceſſa nō poſſit totiès in illa die lucrari, quoties in tali die opera poſtulata impleta fuerint. Nec obſtat fundamentum contrariæ ſententiæ, nempè, quòd conceſſio indulgentiæ ſit fauorabilis; & propterea amplianda; quoniam reſpondetur; quòd quamuis ſit fauorabilis, ita tamen eſt interpetranda, vt à voluntate concedentis rationabiliter præſumpta non recedamus: quæ quidem voluntas ex communi Eccleſiæ conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres clariſſimè patet. Eſt tamen verum, quod contraria opinio probabilis eſt; atque ideò, ſecluſa Sacræ Congregationis declaratione, cui ſi de ea conſtaret, eſſet omnino ſtandum, ſi quis eam ſequi vellet, eſto quòd ſit falſa, remaneret tamen abſolutus à cenſuris, & caſibus reſeruatis, licet non lucraret indulgentiam; quia opinio probabilis confert iuriſdictionem, vt oſtendimus *d. ſec. 2. illat. 11. verſ. In omnem euentum*: quamuis contrarium teneat idem *Laym. ibi, verſ. Corollarium*, ex eo quòd poteſtas abſoluendi a caſibus reſeruatis, diſpenſandi in votis, &c. Confeſſarijs non abſolutè confertur; ſed reſpectu eorum, qui indulgentiam

9 Iubilæi aſſequuntur. Conceditur autem, quod ſi quis bona fide abſolutionem a reſeruatis, vel diſpenſationem à voto acceperit cum intentione lucrandi Iubilæum; ſi tamen citra culpam, vel etiam culpatè indulgentiam non ſuſcipiat, valet abſolutio, ac diſpenſatio, iuxta ſententiā *Nauar. lib. 5. conſ. 19. de pœnit. edit. 2.* qui quidem *Laym.* addit quoque ibidem, *verſ. Deinde*, quòd ſi aliquis bona fide tanquam lucraturus, Iubilæum confiteatur ſua peccata, & vnius vel plurium reſeruatorum citra lethalem culpam oblitus fuerit, remanet ſaltem indirectè abſolutus etiam à reſeruatis; imò commutatione votorum ſecundum *Henriq lib 7. c.11. nu.2.* ita vt ea commutari poſſint, etiam poſt tranſactum Iubilæum: licèt quoad votorum commutationem contrarium doceat ipſe *Laym.* de qua re latius in propria quæſtione, Deo duce, agemus.

10 Quintò diuiditur indulgentiam in non plenā,

ſeu

ſeù non plenariam, & in plenam, ſeù plenariam. Indulgentia non plena eſt indulgentia partialis, quia non remittitur tota pœna temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam; ſed tantùm pars pœnæ, vt eſt indulgentia 40. dierum, totidem annorum, centum, mille, &c. Eſt tamen verum, quòd per indulgentiam non plenam ex *Nauar. in ſuo tract. de indulg. & iubil. not. 9. num. 2.* Quandoque per accidens remittitur alicui tota pœna temporalis, quæ ſibi debetur poſt remiſſam culpam, vt indulgentia v. g. dierum, vel annorum applicata illi, cui ex vi Diuina iuſtitia pro ſuis peccatis non debetur in Purgatorio maior pœna, licèt indulgentia illa per ſe conſiderata non ſit plena; tamen per accidens tali perſonæ dicitur plena; eo quòd per eiuſmodi indulgentiam liberatur à tota pena temporali, quæ ei debebatur in Purgatorio. Nunquam tamen partialis indulgentia, per quam remittitur tertia pars, aut dimidia peccatorum, aut pars alia, poteſt eſſe alicui totalis, & plenaria; nec per ſe, nec per accidens, vt conſideranti patet. Eſt tamen
11 animaduertendum, quòd quamuis multæ ſint Doctorum opiniones circa computationé annorum, vel dierum indulgentiæ partialis; nihilominus communis, & verior ſententia eſt, diem, vel annum in eiuſmodi indulgentijs propriè ſignificare durationem pœnitentialis ſatisfactionis in hac vita exhibendæ pro peccatis: per indulgentiam autem remitti nõ ſolùm ſatisfactionem pœnitentialem, quæ iniungitur à Sacerdote in Sacramento pœnitentiæ; ſed etiam tantam pœnam Purgatorij, quanta per pœnitentiam vnius diei, vel anni remitteretur, vt latè habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 50. ſec. 5. & Sot.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract 7. c. 3. ſub nu. 1. verſ. Quapropter.*

12 Plena verò, ſeu plenaria indulgentia dicitur illa, qua remittitur tota pœna, quæ remanet poſt remiſſam culpam. Et licet ex *Nauar. in ſuo tract. de indulg. & Iubil. not. 9. nu. 3.* Partiatur in plenam, pleniorem, & pleniſſimam, vt colligitur ex *tex. in extrauag. 1. de pœnit. & remiſ.* Ita vt plena ſecundum ipſum *Nauar.* dicatur, quæ per ſe totam pœnitentiam pro peccatis iniunctam, vel iniungendam tollat: plenior, quæ totam pœnam pro omnibus peccatis confeſſis debitam remittet: pleniſſimam autem, quæ totam pœnam pro omnibus peccatis tàm confeſſis, quàm non confeſſis, tàm lethalibus, quàm venialibus auferat; atque ideò ſatis eſt, vt pro eis habeatur contritio: quæ quidem diuiſio vera eſſe potuit antiquitus, attenta diſpoſitione *d. extrauag.* Nihilominus ſecundum præſentem ſtatum, ac vſum nulla videtur differentia inter plenam, pleniorem, & pleniſſimam quoad proprium indulgentiæ effectum. Conſtat enim ſecundum præſentem Eccleſiæ vſum, ſolum appellari indulgentiam plenariã, quæ totalis eſt, vt in *extrauag. quemadmodum de pœnit. & remiſ.* vbi Sixt. IV. volens reuocare omnes indulgentias, etiam ad inſtar Iubilæi conceſſas, ſolùm inquit, ſe reuocare omnes, & ſingulas indulgentias plenarias, etiam ad inſtar Iubilæi conceſſas. In Decreto quoque pro expeditione Terræ Sanctæ, in fine, Concil. Lateran. ſub Inn. III. plena tantùm peccatorum venia conceditur quam tamen conſtat fuiſſe pleniſſimam, vt notat *Suar. de pœnit. diſp. 50. ſec. 4. nu. 7.* Vndè conceſſa indulgentia plenaria, ſeù plena, cenſetur coceſſa pariter plenior, & pleniſſima, contra *Nauar. loc. cit. n. 9.*

13 Solet autem hæc indulgentia multipliciter concedi. Conceditur enim primò ſub his verbis, *Contritis, & confeſſis, &c.* Quæ quidem verba denotant indulgentiam ſub conditione concedi, ita vt volens illam conſequi debeat eſſe contritus, & confeſſus, atque ideò vt re ipſa confiteatur ſecundum aliquos; quamuis *Gloſa* communiter recepta in *clem. vnica, ver. Confeſſis, de Reliq. & vener. Sanct.* & alij, quos refert, & ſequitur *Suar d. diſp. 50. ſec. & Molfeſ.* cum alijs ab eo allegatis, *p. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 26. nu. 58.* Velint ſatis eſſe, ſi confeſſio fiat in voto, & ſic ad lucrandam indulgentiam plenariam conceſſam contritis, & confeſſis, ſufficere ſi propoſitum habeant confitendi infra tempus præſcriptum in Bullis, ſeù ab Eccleſia, vt ſupra adnotauimus, *ſec. 2. illat. 2.*

14 Secundò concedi debet indulgentia plenaria, & inſuper addi, *Et remiſſio omnium peccatorum.* Vt patet in Bulla indulgentiarum, quas conceſſit Paul. V. ſub die 14. menſis Septembr. ſui Pontificatus anno 9. ad inſtantiam Hyſpaniarum Regis Philippi III. in venerationem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, ſub his verbis, *Item concede Sua Santità a tutti fideli Chriſtiani, che nell'articolo della morte terranno in mano l'Imagine del Santiſſimo Sacramento, e diranno con deuotione: ſia lodato il Santiſſimo Sacramento: & non potendo con la bocca con il cuore, Indulgenza plenaria, e remiſſione di tutti ſuoi peccati.* Vbi eſt adnot. quod verba illa, *E remiſſione di tutti ſuoi peccati:* Nihil addunt indulgentiæ plenariæ primò conceſſæ, ſed potius declarant, & explicant indulgentiam ipſam, qua conceditur remiſſio totius pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam.

15 Tertiò concedi ſolet dicta indulgentia plenaria, & inſuper addi indulgentia partialis, vt patet ex ſupra relata Bulla indulgentiarum in venerationem Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, inter alia ita ſe habente, *Item concede Sua Santità Indulgenza plenaria, e cento giorni di perduono a qualſiuoglia perſona, che portarà ſopra in Medaglia, ò in Stampa l'impronto del Santiſſimo Sacramento, e ſcritto in quello: ſia lodato il Santiſſimo Sacramento.* Ex quibus verbis patet, in vna, & eadem conceſſione concedi plenariam, & partialem indulgentiam centum dierum; & prius plenariam, & deindè partialem. Quæ quidem conceſſio, licèt videatur deluſoria; nihilominus non eſt talis: ſiquidem volens lucrari huiuſmodi indulgentias reſpectu ſui conſequitur plenariam: partialem autem centum annorum quoque lucratur, & per modum ſuffragij poſſet illas pro alijs offerre, vt conſtat ex ijs, quæ habentur ex *Suar. d. diſp. 50. ſec. 4. nu. 9.* quem refert, & ſequitur *Molfeſ. d. c. 26. nu. 61.*

16 Quartò concedi ſolet indulgentia plenaria, & inſuper addi, *Et remiſſio tertia partis peccatorum,* Vt in ſupra relata Bulla ſimiliter habetur, per hæc verba, *Item concede la Santita ſua indulgenza plenaria, e remiſſione della terza parte di tutti ſuoi peccati à qualſiuoglia perſona, che in ſua caſa tenerà ſcritto, doue altri lo poſſa leggere.*

Digitized by Google

leggere: Sia lodato il Santiſſimo Sacramento. Et le medeſime indulgenze guadagni chi lo legge, per ogni volta lo leggerà: e quello, che non ſaperà leggere, facendo riuerenza alla carta, doue ſtà ſcritto. Ex vi verborum eiuſmodi indulgentiæ, poſſet quis pro ſe lucrari partialem, & offerre alteri plenariam: vel è contra pro ſe plenariam, & alteri per modum ſuffragij offerre partialem.

17 Quintò concedi ſolet indulgentia plenaria pro pœnitentijs iniunctis: quæ verba non ob id minuunt indulgentiam, ſed potius eam exagerant, vt ſcilicet effectum habeat etiam in cauſis iudicatis; atque ideò non ſolùm quoad pœnam iniungendam à Deo in Purgatorio, verum etiam quoad pœnitentiam ſacramentalem à Cōfeſſario iniunctam, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 1. verſ. Dixi pœna temporalis.*

18 Sextò concedi ſolet indulgentia plenaria ad inſtar Iubilæi: hæc autem indulgentia differt ab indulgentia plenaria ſimpliciter conceſſa: ſiquidem per hanc, vt ſupra oſtendimus, remittitur tantùm tota pœna temporalis, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam: at per indulgentiam plenariam ad inſtar Iubilæi, non ſolùm remittitur tota pœna temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam actualem; ſed inſuper datur facultas abſoluendi à quibuſcunq; peccatis, etiam Rom. Pontifici, & Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, ac in bulla Cœnæ contentis. Præterea differunt inter ſe indulgentia plenaria abſolutè conceſſa, & indulgentia plenaria ad inſtar Iubilæi: quoniam ſuper indulgentijs tàm plenarijs, quàm non plenarijs conceſſis ad inſtar aliarum talis loci, non debent expediri Bullæ, niſi ſpecificentur, vt in *Reg. Cancell. 57.* & ibi *Gloſa*. Sed ſuper indulgentijs conceſſis ad inſtar Iubilæi expediuntur Bullæ citra indulgentiarum Iubilæarum expreſſionem: quæ tamen intelligenda ſunt iuxta ea, quæ dicit *Nauar. in ſuo tract. de indul. & Iubil. noe. 26. nu. 5. cum plurib. ſeq.* Vbi illud eſt notandū, quòd ſublatis indulgentijs alicuius Eccleſiæ, Hoſpitalis, Ordinis, vel Societatis, non cenſentur ſublatæ indulgentiæ conceſſæ alij inſtar earum, arg. eorum, quæ dicit *Bald. in l. omnia, C. de Epiſc. & Cler.*

19 Septimò conceditur indulgentia plenaria in anno Iubilæo noſtri temporis, qui celebrabatur antiquitus ſingulis centenis annis; deindè ſingulis quinquaginta, & hodie ſingulis vigintiquinque annis, ad inſtar anni Iubilæi veteris legis, ſeù indulgentiæ, quæ concedebatur in anno Iubilæo veteris legis, vt ſupra declarauimus, *ſec. 1. in verſ. Dixi in totum*. Differt autem indulgentia plenaria ab anno Iubilæo noſtri temporis in multis. Etenim indulgentia plenaria abſolutè conceſſa eſt remiſſio dumtaxat totius pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam: at per Iubilæum non ſolùm remittitur tota pena temporalis; ſed inſuper conceditur facultas, vt poſſint abſolui fideles ſacramentaliter à quibuſcunque peccatis reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis. Non tamen hæc facultas cenſetur conceſſa quoad abſolutionem à crimine hæreſis quantumuis occultæ; niſi de ea fiat ſpecialis mentio, & ſpecie concedatur: eo quòd in hæreſi ſpecialis quædam ratio conſideratur non tantùm quoad grauitatem ſceleris, ſed etiam quoad reſeruationem, vt nos oſtendimus in *noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 11. ſub num. 43. & 48.* & latius Addentes ibi, *litt. A. fol. 761.* Vndè abſolutio ab hæreſi commiſſā eſt Inquiſitoribus Regnorum Hyſpaniarum quoad forum interius, & exterius, vt habetur ex *Rodriq. in ſua ſum. p. 1. c. 188. nn. 2. in fine.* Imò eiuſmodi facultas competit cuilibet Inquiſitori quoad forum tàm internum, quàm externum, vt nos probauimus in dictis *Commen. loco citato, q. 12. ſub nu. 4. cum plur. ſeq.* Et eandem facultatem habet Epiſcopus quoad forum exterius dumtaxat, vt ibidem probauimus, *n. 12.* vbi etiam *Addentes litt. A. & B. fol. 765.* Se-
20 cundò differunt inter ſe annus Iubilæus noſtri temporis, & indulgentia plenaria: ſiquidem annus Iubilæus connotat tempus; in quo omnes indulgentiæ plenariæ, etiam ad inſtar Iubilæi ſuſpenduntur: facultates quoque commutandi vota, aut ſuper eis diſpenſandi: & ſuper malè ablatis incertis, aut quouis modo illicito extortis, componendi, aut illa ſub certis modo, ac forma remittendi: nec non deputandi Confeſſores cum poteſtate abſoluendi, etiam à caſibus Apoſt. Sedi reſeruatis: & alia, de quibus in *extrauag. quemadmodum, de pœnit. & remiſ.* At verò indulgentia plenaria non item, etiam ſi conceſſa ſit ad modum, ſeù ad inſtar Iubilæi: nam pro eo tempore, quo durat non ſuſpenduntur aliæ plenariæ. Tertiò differunt inter ſe annus Iubilæus noſtri temporis, & indulgentia plenaria: quia indulgentia plenaria conceditur per diem, per menſem, per annum, ac etiam in perpetuum; anni verò Iubilæi indulgentia expirat elapſo anno; atque ideò durat tantùm annus.

Quo iure ſint indulgentiæ, & qui concedi illas facultatem habeant.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Lutherus, & cæteri hæretici negant eſſe in Eccleſia poteſtatem concedendi indulgentias, nec eſſe Ius Diuinum, quo hæc poteſtas tribuatur.*

2 *Catholicorum eſt, & vera ſententia affirmentium, in Eccleſia Dei eſſe poteſtatem concedendi indulgentias: Multi tamen multa dixerunt circa effectum indulgentiæ.*

3 *De Iure Diuino tributa eſt Eccleſiæ poteſtas concedendi Indulgentias: Et ad quid.*

4 *Solus Summus Pontifex Iure Diuino concedendi indulgentias habet poteſtatem, immediatè à Chriſto Domino ſuſceptam.*

5 *Concilium Sede vacante, quantumuis ex vniuerſis Epiſcopis congregatum, haud valet concedere indulgentias.*

6 *Nec Collegium Cardinalium Sede vacante hanc poteſtatem habet.*

7 *Quamuis Iure Diuino ſolus Papa poſſit concedere indulgentias hanc tamen poteſtatem poteſt communicare alijs.*

8 *Poteſtas concedendi indulgentias eſt actus Iuriſdictionis.*

9 *Non eſt quidem actus Iuriſdictionis cogentis, ſed miſerentis, ſeù benefacientis, ac ſoluentis, quæ poteſt exerceri in ſe ipſum.*

10 *An potius ſit actus paternæ miſericordiæ, quàm Iuriſdictionis.*

11 *Poteſtas concedendi Indulgentias per ſe, & formali-*

Digitized by Google

maliter loquendo nullo modo conſiſtit in poteſtate Ordinis, neque neceſſariò illam ſupponit, ac præreq̃uirit, ſed ad poteſtatem Iuriſdictionis pertinet.

12 *Quod non prærequiratur neceſſariò Ordinis poteſtas ad Indulgentias, nec vt principium, nec vt conditio probatur.*

13 *Datur quandoq; caſus, in quo indulgentiarum conceſſio ſit actus Ordinis, & Iuriſdictionis non externa, ſed interna: Et quando.*

14 *Vſus concedendi indulgentias eſt de Iure humano, & in Eccleſia antiquiſſimus, ac legitimus.*

15 *Recoluntur Patres, qui de indulgentijs loquuntur.*

16 *Vſus concedendi indulgentias, atque condonandi pœnas poſt culpas remiſſas, quare frequentari cœperit.*

17 *Quamuis per indulgentias relaxentur pœnitentiæ à Sacerdote iniunctæ in pœnitentia Sacramento; Remittitur quoque pœna temporalis pro peccatis debita in foro Dei poſt remiſſam actualem culpam.*

18 *Eccleſia concedere poteſt tùm viuis, & quidem directè: tùm etiam Defunctis, ſed per modum ſuffragij.*

1 IN hac re Luther. qui occaſionem ſui erroris, & omnium hæreſum, quas in Eccleſia ſeminauit, ſumpſit ex affectu impugnandi indulgentias: & nonnulli alij hæretici eius ſequaces negant in Eccleſia eſſe poteſtatem concedendi indulgentias; atque ideò non eſſe ius aliquod Diuinum, quo huiuſmodi poteſtas tribuatur ad effectum remittendi Purgatorij pœnas. Probant primò ex eo quòd talis poteſtas ex nullo ſcripturæ loco ſufficienter colligitur: etenim ſi ex ea colligeretur, vtique vel ex illo *Ioan. c. 20.* colligi poſſet; nempè ex illis verbis, *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.* Vel ex illo *Matt. c. 16. & 18. Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata, &c.* Non poteſt dici primum; quoniam illud *Ioan.* intelligitur de remiſſione, quæ fit in Sacramento pœnitentiæ; & ad ſummum extenditur ad illam, quæ fit per Sacramentum extremæ vnctionis, vel etiam per Baptiſmum: ſiquidem ibi eſt præcipuè ſermo de poteſtate Ordinis ſupra Corpus Chriſti miſticum. Nec poted dici ſecundum; quoniam ibi agitur de poteſtate ligandi per leges, ac cenſuras, & abſoluendi: non igitur eſt ius aliquod, quo poteſtas tribuatur concedendi indulgentias, ad effectum remittendi Purgatorij pœnas. Secundò probant, quia ex antiquo Eccleſiæ vſu eiuſmodi poteſtas concedendi indulgentias non habetur: ergò talis poteſtas iure aliquo in Eccleſia non eſt. Antecedens probatur ex eo quòd quamuis aliquando Paſtores Eccleſiæ ſoliti fuerint remittere aliquas pœnas, iuxta illud *Apoſt. Corinth. c. 2.* non tamen intelligendi ſunt de pœnis, quæ debentur in Diuino foro; ſed de his tantùm, quæ debentur in foro Eccleſiæ. Vndè in Pontificijs decretis, de pœnarum remiſſione agentibus, ad id denotandum ſemper adduntur verba illa, *De pœnitentijs iniunctis, &c.* vt in *c. cùm ex eo, de pœnit. & remiſ. & clem. vnica, de Reliq. & vener. Sanct.* Denique dicunt, in Eccleſia Dei neceſſariam non eſſe poteſtatem concedendi indulgentias; ergò in Eccleſia Dei talis poteſtas non extat. Cõſequentia patet; quoniã Deus, & natura nihil agunt fruſtra. Antecedens probat ex eo, quòd citra eiuſmodi poteſtſtam, in Eccleſia Dei ſunt alia media ſufficientiſſima pro remittendis peccatorum pœnis; nempè Sacramenta præſertim pœnitentię, & extremæ Vnctionis, ex ſacrificio Miſſæ, & ex alijs ſuffragijs. Confirmant eorum impietatem, & eorum impiam argumẽtationem ex eo, quòd per talem poteſtatem eneruaretur Diuina iuſtitia eidemq; talis poteſtas repugnat; cum irritæ fierent pœnæ debitæ pro peccatis in alia vita per conceſſionem indulgentiarum.

2 Secunda ſententia eſt Catholicorum, & vera, dicentium in Eccleſia Dei eſſe poteſtatem concedendi indulgentias. Eſt tamen verum, quod quidam Catholicorum dixerunt, per indulgentias non remitti reatum pœnæ apud Deum, ſed tantùm tolli obligationem implendi canonicas pœnas per Eccleſiam iniunctas, vt refert *Suar. de pœnit. diſp. 49. ſec. 1. num. 4. in fine.* Quidam verò putauerunt, Eccleſiam poſſe concedere indulgentias viuis; non autem Defunctis. Pro determinatione igitur huius difficultatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 DE Iure Diuino tributa eſt Eccleſiæ poteſtas concedendi indulgentias pro remittendis fidelibus pœnis, quæ apud Deum debentur poſt remiſſas culpas. Hæc concluſio eſt de fide, & patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de reform. c. 9.* Vbi indulgentias cęleſtes Theſauros appellat, & *ſeſſ. 25. in Decreto de indulg.* ſic ait, *Cùm poteſtas conferendi indulgentias à Chriſto Eccleſiæ conceſſa ſit; atque huiuſmodi poteſtate diuinitus ſibi tradita, antiquiſſimis etiam temporibus illa vſa fuerit, Sancta Synodus indulgentiarum vſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet, & præcipit; eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant.* Probatur autem ex illo *Matt. c. 16. Quodcunque ſolueris ſuper terram, &c.* Vbi cùm verba ſint vniuerſaliſſima, ex vi ſua omnem actum indulgentiæ, qui ad aperiendum Regnũ Cęlorum poſſit eſſe accomodatus, comprehendunt, atque ideò indulgentia non ſolùm includit poteſtatem ſoluendi à præceptis, & obligationibus; verùm etiam ab omnibus vinculis, & impedimentis, quæ niſi tollantur, non poteſt ingredi Regnum Cęlorum: ſiquidem ob id non dicitur, *Quæcunque ſolueris.* Sed *Quodcunq; ſolueris.* Ideſt quodcunq; vinculum, vel impedimentum Regni Cęlorum abſtuleris: ergò ſub præfata poteſtate omninò comprehenditur huiuſmodi actus, quo remittuntur pœnæ debitæ poſt remiſſam culpam remanentes per indulgentias: etenim reatus pœnę temporalis prædictæ, eſt vnum ex impedimentis, & vinculis, quæ fideles impediunt à Regni Cęlorum ingreſſu: quæ quidem intelligentia maximè confirmatur ex Eccleſiæ traditione; quæ eſt optima ſacræ ſcripturæ interpres.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 SOlus Sum. Pontifex Diuino iure concedendi indulgentias poteſtatem habet, immediatè ſuſceptam à Chriſto Domino. Hæc concluſio eſt communis, quam docent *D. Thom. in 4. d. 20. q. 1.*

q.1.art.4. D. Bonauen. art.2.q.3. Ricchard.art. 5.q.3. Durand.q.5. ad 2. Alenſ.p.4.q.33.memb. 3. Laym.lib.5. ſua ſum.tract.7.c.4.nu.1. & aly. Probatur concluſio ex illo *Matt. c.16.* Vbi ſoli Petro Apoſtolorum Principi Chriſtus Dominus eiuſmodi poteſtatem promiſit, dicẽs, *Quodcunq; ſolueris, &c.* Iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *concl. præcedenti*: & deindè eandem conceſſit, *Ioan. c. 21.* dum ait Dominus eidem Apoſtolorum Principi, *Paſce oues meas*: Illi enim immediatè data fuit prædicta poteſtas, cui antea fuerat promiſſa, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 49. ſec. 1. nu. 4. & 15. cum ſeq.* qui ſub Ly. Paſce inquit includi omnem actum iuriſdictionis, qui ad claudendum, vel aperiendum Regnum Cęlorum conferre poteſt: ergò ſolus Sum. Pontifex, vt Apoſtolorum Principi ſucceſſor Iure Diuino poteſtatem habet concedendi indulgentias. Cõfirmatur, quia omnis poteſtas iuriſdictionis ordinariæ, & perpetuò duraturæ in Eccleſia, ſoli Apoſtolorum Principi immediatè conceſſa fuit, vt per ipſum deindè ſuis ſucceſſoribus communicaretur, & nos explicauimus in *noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 2. c. 1. q. 3.* ergò, & poteſtas quoque cõcedendi indulgentias fuit Apoſtolo conceſſa, & ſuis ſucceſſoribus Pontificibus; atque ideò ſucceſſiuè Rom. Pontifici.

5 Ampliatur hæc concluſio, vt Iure Diuino adeò Papa ſolus poſſit indulgentias concedere, vt nec Concilium quidem, ſede vacante, valeat quantumuis ex vniuerſis Epiſcopis fuerit congregatum: ſiquidem eiuſmodi Concilium ea tantùm præſtare poſſet, quæ præcisè neceſſaria ſunt ad regimen Eccleſiæ, donec Sum. Pontifex fuerit electus, vt contra *Cordub. de indulg. q.10. prop. 8.* probat *Suar. de pœnit. diſp. 55. ſec. 1. num. 7.* quem ſequitur *Laym. loco ſupra relato*. Dixi, *Concilium ſede vacante*; quoniam Concilium Generale, incluſo capite, atque ideò viuente Papa, habet concedendi indulgentias: ſiquidem eiuſmodi Cõcilium, incluſo capite, repræſentat totum corpus Eccleſiæ, vt habetur ex ipſo *Laym. ibidem, & lib. 1. tract. 4. c. 6. §. 2.*

6 Secundò ampliatur, vt adeò ſoli Papæ Diuino Iure conceſſa ſit facultas concedendi indulgentias, vt nec Collegium Cardinalium, Sede vacante, hanc poteſtatem habeat; cùm non habeat poteſtatem condendi leges, nec in nullo poſſit ſe intromittere, præter quam in electione Rom. Pontificis, & in caſu magnæ neceſſitatis, nemine diſcrepante iuxta ea, quæ adnotauimus in *dictis noſtris Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 1. q. 1. nu. 8.* & latius *lib. 2. c. 1. q. 53. nu. 4. & 5.* At eiuſmodi facultas ſummam poteſtatem expoſtulat, vt infra dicemus, *lim. ſeq.*

7 Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt quamuis iure Diuino ſolus Papa facultatem habeat concedendi indulgentias; nihilominus hanc ipſam facultatem poteſt ipſe Papa communicare alijs ſibi inferioribus limitatam ad ſui libitum, vt de facto quamplurimis communicauit, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 20. q. 3. art. 4. Ricchar. art. 5. q. 3. Duran. q. 5. ad 2. Conynch. diſp. 12. dub. 1. concl. 4.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur idem *Laym. d. c. 4. ſub nu. 1. aſſert. 2.* Qui id probat tùm ex eo, quòd Epiſcopi, & alij Papæ inferiores non immediatè à Chriſto iuriſdictionem accipiunt; ſed à Sum. Pontifice; qui proindè ijs limitatam, ac reſtrictam concedere poteſt, ac ſolet, iuxta ea, quæ nos oſtendimus in *d. noſtris Commentar. lib. 2. c. 7. q. 4. nu. 3. contra Sot. in 4. d. 22. q. 2. art. 1.* Tùm etiam ſpecialiter ex ratione indulgentiæ: ſiquidem ſiuè dicatur remiſſio pœnæ debitæ poſt remiſſam culpam; ſiuè diſpenſatio theſauri Eccleſiæ, ſtatim conſtat, vnam ex grauioribus cauſis eſſe, quę ad ſummam poteſtatem, atque ideò ad ſolum Sum. Pontificem ſpectare debeat. Hinc eſt, quòd Concil. generale Lateran. ſub Inn. III. conceſſit Epiſcopis, vt poſſint vnius anni indulgentias concedere in die dedicationis Eccleſiæ: & ob aliam cauſam 40. dierum, vt in *c. cùm ex eo, de pœnit. & remiſ.* atque ideò hanc poteſtatem dependenter habent à Sum. Pontifice: quia conſideratur Concilium, vnito capite. An autem conſuetudine acquiri poſſit poteſtas ipſa concedendi indulgẽtias, ſicut diſpẽſandi in votis, ac iuramẽtis, vide eundem *Laym. vbi ſupra, nu. 3. & 4.* vbi plura circa rem hanc cumulat: & nos latius, Deo duce, ſuo loco dicemus.

TERTIA CONCLVSIO.

8 POteſtas concedendi indulgentias, eſt iuriſdictionis actus. Probatur hæc concluſio primò ex ijs, quæ ſupra diximus *concl. præced.* vbi oſtendimus, Chriſtum Dominum promiſiſſe eiuſmodi poteſtatem *Matt. c. 16.* & dediſſe *Ioan. c. 21.* per illa verba, *Paſce oues meas*. Ibi enim Dominus nõ dedit Apoſtolorum Principi aliam poteſtatem, niſi iuriſdictionis. Secundò probatur ex *tex. in c. quòd autem ſupra tit. noſtro, de pœnit. & remiſ.* Vbi conſultus Alex. III. an indulgentiæ conceſſæ ab Epiſcopis in dedicatione Eccleſiarum proſint alijs, quàm eorum ſubditis? reſpondet, nõ prodeſſe: & rationem aſſignans ſic ait; quia ſicut nemo poteſt à Iudice nõ ſuo ligari, ita neque ſolui: ergò poteſtas concedendi indulgentias eſt actus iuriſdictionis. Nec obſtat ſi dicatur, quòd ſi indulgentia eſſet actus iuriſdictionis, non poſſet eam conſequi concedens, cùm nemo poſſit exercere iuriſdictionem in ſe ipſum quoniam reſpondetur, quòd poteſtas cõcedendi indulgentias licèt ſit iuriſdictionis, non tamen
9 eſt iuriſdictionis cogentis; ſed miſerentis, ſeù benefacientis, ac ſoluentis: ſiquidem conceſſio indulgentiæ ſit per modum diſpenſationis, & opus eſt miſericordiæ, ac actus iuriſdictionis voluntariæ, quæ tantùm in volentes exercetur, *l. 2. ff. de off. Proconſ.* Vndè reſpondendo ad argumentum dicimus, quòd quamuis actus iuriſdictionis cogentis à nemine exerceri poſſit circa ſe ipſum; actus verò iuriſdictionis fauorabilis, ac benefactiuæ, vt eſt actus indulgentiæ, eſſe poteſt eiuſdem ad ſe ipſum, ſub diuerſis rationibus conſideratum: ſiquidem Papa vt Vicarius Chriſti concedit indulgentiam: & eandem conſequitur, vt peccator; & ſic datur actus iuriſdictionis, qui ſit eiuſdem ad ſe ipſum. Sicut cùm ipſe Papa dat iuriſdictionem Confeſſario, cui ſubijcitur, & ab eodem à peccatis abſoluitur: dat enim iuriſdictionem, vt Chriſti Vicarius; & eidem ſubijcitur, vt peccator. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 49. ſec. 3. ſub num. 8.* Qui addit, id facilius euenire, quando actus iuriſdictionis directè reſpicit communitatem, & effectus eius redundat in concedentem, vt partem communitatis: tunc enim Papa concedens Eccleſiæ, vel Ciuitati

Iubi-

Digitized by Google

Iubilæum, illo frui poteſt, vt infra latius, Deo duce, ſuo loco dicemus.

10 Nec etiam valet dicere, quòd conceſſio indulgentiæ ſit diſpenſatio quædam Eccleſiaſtici theſauri ad ſubueniendum ſpiritaliter indigentibus; atque ideò indulgētia dicenda potius ſit paterna quædam miſericordia, quàm actus iuriſdictionis, vt inquit *Durand. in 4. d. 20. q. 3. & 5. & alij*; Quoniam licèt nos concedamus, indulgentiam concedi per quandam diſpenſationem Eccleſiaſtici theſauri, & eam eſſe magnum beneficium, & opus miſericordiæ concedentis; negamus tamen inde ſequi non eſſe actum iuriſdictionis: ſiquidem illi duo non repugnant; neque actus ille miſericordię exerceri poteſt, niſi à Superiore in ſubditos, niſi quatenus tales ſunt: & propterea indulgentia ita eſt actus miſericordiæ, vt non excludat æquitatem iuſtitiæ. Etenim diſpenſatio huiuſmodi exigit rationabilem cauſam, vt infra dicemus: & remiſſio pœnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam nunquam fit citra aliquam ſufficientem compenſationem reſpectu Dei, vt rectè declarat idem *Suar. loco citato*.

11 Amplitur hæc concluſio, vt conceſſio indulgentiæ adeò ad poteſtatem iuriſdictionis pertineat, vt per ſe, ac formaliter loquendo, nullo modo conſiſtat in poteſtate ordinis: neque neceſſariò illam ſupponit, ac præréquirit, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 4. quæſtiun. 2. & ibidem Palud. q. 4. Sot. d. 21. q. 1. art. 4. Syl. in ſum. ver. Indulgentia, nu. 13.* & ex alijs communiter: Etenim nemo poteſt indulgentias concedere, niſi ſuis ſubditis, vt in *c. quod autem, ſupra eod. tit. noſtro, de pænit. & remiſ.* Ergò indulgentiæ conceſſio nullo modo conſiſtit in poteſtate ordinis: quoniam non eo ipſo, quòd aliquis eſt ordinatus, habet ſubditos. Confirmatur, quia poteſtas concedendi indulgentias, poteſt augeri, minui, & moderari, iuxta *text. in c. cum ex eo, infra tit. noſtro, de pænit. & remiſ. & c. Romana, eod. tit.* At poteſtas ordinis non poteſt reſtringi, nec limitari; non ergò poteſtas concedendi indulgentias, eſt ordinis formaliter.

12 Quòd autem non prærequitatur neceſſariò poteſtas ordinis ad indulgentias concedendas, nec vt principium, nec vt conditio, patet: ſiquidem ſi aliqua eſſet; maximè foret poteſtas Sacerdotalis; ſed conſequens eſt falſum, ergò & antecedens. Maior patet; quoniam inferiores ordines per ſe non ordinantur ad remittenda peccata; ſed potius inſtituti ſunt ad miniſtrandum Sacerdoti, quatenus poteſtatem exercet in Corpus Chriſti verum; atque ideò nec pro remittendis peccatis in Sacramento pœnitentiæ ſunt neceſſarij; ſed tantùm, quatenus ſecundum debitum ordinem ſupponūtur ad Sacerdotalem ordinem: ergò ſi excludatur in caſu noſtro neceſſitas Sacerdotalis ordinis; per conſequens excluderetur neceſſitas cuiuſcunq; ordinis inferioris. Minor probatur, nempè quòd poteſtas Sacerdotalis neceſſaria non ſit ad conſequendas indulgentias, primò ex vſu Eccleſiæ: ſæpè enim Diaconi Cardinales, & alij ex conceſſione Papæ indulgentias concedunt, & ipſe quoque Sum. Pontifex electus duntaxat, licèt non ſit conſecratus, neque ordinatus Sacerdos: & ſicut poteſt abſoluere à cenſuris; ita etiam poteſt indulgentias concedere, vt infra dicemus, Confirmatur ratione, quia poteſtas ordinis Sacerdotalis per ſe, & ex intrinſeca neceſſitate ſolùm requiritur ad Sacramentum aliquod perficiendum: hæc autem remiſſio, quæ per indulgentiam fit, non eſt actus ſacramentalis; ſed quædam diſpenſatio Eccleſiaſtici theſauri, quæ fit extra Sacramētum.

13 Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt detur quandoq; caſus, in quo conceſſio indulgentiarum ſit actus ordinis, & iuriſdictionis non externæ, ſed internæ. Probatur, quoniam Sacerdotes Confeſſarij licèt facultatem non habeant concedendi indulgentias publicè, ac determinatè, ſicut illi qui iuriſdictionem habent in foro exteriori; nihilominus conceditur eis applicare Paſſionem Chriſti, & Sanctorum, per illa verba, *Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti, & merita Sanctorum, &c.* Per quam applicationem relaxantur pęnitentibus multæ pœnæ iuxta diſpoſitionem eorum; & ſic dicuntur concedere indulgentias in foro interno, ac ſacramentali, vt rectè probat *Iſidor. Valſeran. in ſuo tract. de Indulg. nu. 13.* Et tamen iuriſdictio quam habent Confeſſarij ſupponit ordinem Sacerdotalem; cùm non Sacerdos non poſſit eſſe Confeſſarius, ac miniſter Sacramenti pœnitentiæ. Sed re vera hæc applicatio non eſt indulgentiarū conceſſio; ſed eſt ſatisfactionis ſacramentalis impoſitio, cùm non ſit actus iuriſdictionis externæ.

QVARTA CONCLVSIO.

14 VSus concedendi indulgentias eſt de iure humano: & in Eccleſia antiquiſſimus, ac legitimus. Hæc concluſio habet tres partes: prima quòd vſus concedendi indulgentias ſit de iure humano: ſecunda, quòd talis vſus ſit antiquiſſimus: & tertia quòd ſit legitimus. Prima pars patet ex communi Eccleſiæ vſu, cùm paſſim Eccleſia vtatur poteſtate concedendi indulgentias. Secunda pars probatur ex illo *Apoſtoli 2. Corinth. c. 2.* Dum eiuſmodi poteſtate fuit vſus erga Corinthium illum inceſtuoſum, quem antea excommunicauerat *1. Corinth. c. 5.* Et pœnis Eccleſiaſticis ſubiecerat, ne nimia triſtitia deficeret, rogantibus etiam pro illo Corinthijs, abſoluens, remiſſa illi per clauium poteſtatem ſpiritalem pœna adhuc remanente, ita inquit, *Sufficit illi, qui huiuſmodi eſt obiurgatio hæc, & infra: & ego quod donaui, ſi quid donaui propter vos in perſona Chriſti, &c.* Quibus verbis volunt Chryſoſtomus, Theophilactus, Occumenius, Ambroſius, & alij expoſitores, Diuum Paulum ſignificare liberalem remiſſionem, & condonationem; quoniam inceſtuoſus ille non plenè ſatisfecerat pro delicto inceſtus, quod commiſerat: & per illa verba, *In perſona Chriſti:* Conceſſiſſe veram indulgentiam, applicando merita Chriſti in remiſſionem pœnæ, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam. Confirmatur etiam ex *text. in c. quod autem, eod. tit. noſtro, de pænit. & remiſ.* Vbi Alex. III. qui ſedit anno Domini 1160. meminit indulgentiarum, quæ concedebantur in dedicationibus eccleſiarum, ac Pontium: eaſdemque memorauit non vt res nouas, ſed vt antiquas.

15 De indulgentijs quoque loquuntur *Tertull. lib. ad Martires, c. 1. & D. Cypr. lib. 3. epiſt. 5. & 15. & ſerm. de lapſ.* Dicentes, quòd cum olim variæ pœnæ, ac ſatisfactiones ob varia delicta præſcripta eſſent, ſemper fuit in poteſtate

Digitized by Google

Epiſcoporum aliquid de eis remittere, vel propter diſpoſitionem pœnitentium, vel per interceſſionem fidelium, præſertim Martirum, qui in carceribus detinebantur: & id ad ſatisfactionem non ſolùm Eccleſiæ, ſed etiam Dei vt expreſsè colligitur ex *D. Cypr. vbi ſupra, ſerm. de lapſ.* paulò ante medium, in illis verbis, *Qui ſic Deo ſatisfecerit, &c. exauditus, & auditus à Domino, quam contriſtauerat nuper, lætam faciat Eccleſiam: nec ſolum Dei veniam merebitur, ſed coronam*. Et in fine eiuſdem ſermonis ita ſubdit, *Poteſt Deus indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt flectere; pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt acceptum ferre quicquid pro talibus, & petierint Martires, & fecerint Sacerdotes. Epiſt.* quoq; 18. *eod. lib.* 3. *Lapſi, qui libellum ſupplicatorium ad Epiſcopos à Martiribus acceperunt, auxilio eorum adiuuari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt.* Et *Tertull.* poſtquam in hæreſim fuit lapſus, eiuſmodi indulgentias per martirum ſuffragia conceſſas, *lib. de pudic. c.* 22. his verbis oppugnare fuit agreſſus: *Sufficiat Martiri propria delicta purgaſſe: ingrati, vel ſuperbi eſt in alio quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus. Quis alienam mortem ſua ſoluit, niſi ſolus Dei filius? nam & in ipſa Paſſione liberauit Latronem: ad hoc enim venerat, vt ipſe à delictis purus, & omnis ſanctus, pro peccatoribus obediret. Proinde qui illum emularis donando delicta; ſi nihil ipſe deliquiſti, plenè patere pro me: ſi verò peccator es, quomodo oleum faculæ tuæ ſufficere, & mihi, & tibi poterit.*

16 Vſus autem concedendi indulgentias, atque ideò condonandi pœnas poſt culpas remiſſas ex eo frequentari cæpit, quòd in principio naſcentis Eccleſiæ pœnitentiæ ita pro culparum qualitate iniungebantur, vt nihil iudicio Sacerdotis relinqueretur in Purgatorio exoluendum, vt colligitur ex pęnitentijs per pœnitentiales canones decretis, & ob id, quoniam tunc feruor ſanguinis Chriſti in cauſa erat, vti Chriſtiani ad nutum eſſent Eccleſiæ obſequentes. Deinde, aucta fidelium multitudine, cæpit refrigeſcere canonum ille rigor, ita vt pœnitentiarum impoſitio Sacerdotum arbitrio committeretur. Pręterea cum neque onus illud fideles ſufferre valerent, fuit adinuentus alius pietatis modus, quo pœnitentiarum rigor in eleemoſynas commutabatur, in cauſas pias, & in publicam vtilitatem erogandas, vt conſtat ex *tex. in d. c. quod autem, eod. tit. noſtro.* Denique quoniam proceſſu temporis pœnitentiæ nimis tenuæ eſſe cæperunt, & hodiè præſertim Turcharum incurſus ſunt nobis infeſtiſſimi, factum eſt, vt in ſubſidium aduerſus illos indulgentiarum vſus percrebuerit non ſolùm tempore Alex. III. qui ſedit anno 1160 vt ſupra diximus, ſed multo tempore antea dictum Sum. Pontificem, vt habetur ex *Soto in* 4. *d.* 21. *q.* 1. *art.* 3. *concl.* 1. 2. & 3. Probatur demum concluſio quoad tertiam partem, nempè quòd vſus indulgentiarum ſit legitimus. Etenim ex communi acceptatione, & conſenſu Catholicæ Eccleſiæ, impoſſibile eſt, quòd vniuerſalis Eccleſia in re tanti momenti, morali, & ad bonos mores fidelium pertinente, errauerit, & erret, hæreticos decernens talem vſum reprehendentes, & poteſtatem concedendi indulgentias negantes, vt latè probat *Suar. d. diſp.* 49. *ſec.* 2. *nu.* 2.

QVINTA CONCLVSIO.

17 Qvamuis omnes Doctores Catholici conueniant, per indulgentias relaxari pœnitentias in Sacramento pœnitentiæ à Sacerdote iniunctas; nihilominus per indulgentias, quæ de facto ſunt in vſu Eccleſiæ, remittitur quoque pœna temporalis pro peccatis debita in foro Dei poſt remiſſam actualem culpam. Hæc cõcluſio habet duas partes. Prima eſt, quòd indulgentia remittit pœnitentias à Sacerdote iniunctas in Sacramento pœnitentiæ: ſecunda pars, quòd indulgentia remittat quoque pœnas in foro Dei, atque ideò in Purgatorio debitas poſt remiſſam actualem culpam. Probatur concluſio quoad primam partem, quoniam id expreſsè habetur in Decretis, ac Bullis concedentibus indulgentias: & in iure ſæpè cauetur dari indulgentias pro pœnitentijs iniunctis, vt in *d. c. cum ex eo, c. Romana, eod. tit. noſtro, & Clem. vnica, de Reliq. & vener. Sanctor.* Et patet etiam ex ijs, quæ ſupra adnotauimus in *præced. concl.* Confirmatur etiam ex eo, quòd ſæpè Summi Pontifices concedunt indulgentias ſub hac forma, *Concedimus ſeptem annos, vel* 40. *dies, vel tot quadragenas indulgentiæ, &c.* Et ſic iuxta canones pœnitentiales taxantes eo modo pœnitentias pro peccatis imponendas; quamuis hodiè Pontifices per illa verba non ſolùm intendere remiſſionem pœnitentiarum in hac vita exoluendarum, ſed etiam pœnitentiarum ſacramentalium, vt habetur ex *Soto*, ex alijs, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp.* 50. *ſec.* 5. *nu.* 12. Probatur denique concluſio quoad ſecundam partem, quoniam priuilegium Principis Apoſtolorum Petri eſt, vt quod ſoluit in terris, ſit ſolutum in Cęlis, vt patet ex illo *Matt. c.* 16. Ergò remiſſio; quæ fit per indulgentias in foro Eccleſiæ, valet quoque in foro Dei. Secundò probatur; quoniam aliàs Eccleſia magis damnificaret fideles, quam iuuaret: ſiquidem abſolueret eos à pœnitentijs iniunctis, & remitteret ad Pęnas Purgatorij longè grauiores.

SEXTA CONCLVSIO.

18 Eccleſia non modò poteſt concedere indulgentias viuis; ſed etiam Defunctis. Viuis ſcilicet directè: Defunctis autem per modum ſuffragij. Hæc concluſio eſt communis omnium Theologorum in 4. *d.* 20. & 45. & *Canoniſtarum*, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp.* 53. *ſec.* 1. *nu.* 3. & *ſec.* 2. Probatur primò ex ijs, quæ ſupra diximus *ſec.* 5. *verſ. Dixi actus clauium quoniam, & ſec.* 3. *verſ. Tertiò partitur.* Secundò probatur ex eo, quòd indulgentiæ conceduntur ex Theſauro ſatisfactionum Chriſti, & Sanctorum: at ſatisfactio Chriſti quantum ex ſe, non ſolùm viuis; verum etiam Defunctis indigentibus, & capacibus prodeſſe poteſt. Sancti quoque cũ ſuper abundãtes ſatisfactiones operantur, per ſe cenſentur velle implicitè ſaltem, vel aliquando explicitè etiam volunt, vt proſint omnibus, licèt Defunctis, ad quos non minus ſe extendit charitas, quàm ad viuentes: ergò omninò dicendum eſt, Chriſtum Dominum reliquiſſe in Eccleſia modum aliquem, quo poſſit eiuſmodi Theſaurus Defunctis quoque diſpenſari: ſed Theſaurus iſte non diſpenſatur, niſi per indul-

indulgentias extra Sacramentum, ac ſacrificia; igitur poſſint indulgentiæ Defunctis etiam aliquo modo communicari, vt latè declarat *Suar. loco citato*, & nos latius infra ſuo loco, Deo duce dicemus. Quòd autem indulgentiæ Defunctis concedantur per modum ſuffragij dumtaxat, & non per modum ſolutionis patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus *d. ſec. 2. verſ. Dixi actus clanium quoniam. Et ſec. 3. verſ. Tertiò partitur.*

Ad contraria patet reſponſio ex dictis: quibus adde, quæ habentur ex *Suar. de pœnit. diſp. 41. ſec. 1.*

An poteſtas, quam habet Ecleſia concedendi indulgentias, ſit ordinaria, vel delegata.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Poteſtas iuriſdictionis, vel eſt ordinaria, vel delegata: Et vtraque, vel eſt interior, vel exterior.*

2 *Poteſtas, & iuriſdictio, quam habet Papa concedendi indulgentias, ordinaria eſt, eamque Apoſtolorum Princeps ſuſcepit à Chriſto.*

3 *Nemo hodie eligi poteſt in Papam, niſi Cardinalis ſit, dummodo inter Cardinales reperiatur idoneus.*

An ſi eligeretur Laicus, poſſit ante ordinationem exercere iuriſdictionem Eccleſiaſticam.

4 *Epiſcopi quamuis Papa inferiores, poteſtatem tamen habent, ac iuriſdictionem ordinariam, ab ipſo communicatā cōcedendi indulgentias.*

5 *Licet plures Epiſcopi, qui Eccleſia conſecrationi, vel dedicationi adſunt, vnius tantum anni indulgentiam cōcedere poſſint, Epiſcopus tamen loci, & Metropolitanus plures quatragenas concedere poſſunt.*

6 *Epiſcopus ſi vltra limites ſua iuriſdictionis, ac poteſtatis indulgentiam concedat, erit tantum inualidam quoad exceſſum, ac ſolum valebit pro viuis: Et competit hac poteſtas Epiſcopo ſtatim, ac electus, & confirmatus fuerit.*

7 *Quæ dicta ſunt de Epiſcopis, an extendantur ad Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas, quo ad poteſtatem concedendi indulgentias.*

8 *Cardinales, legati Apoſtolici, alijq; Prælati non Epiſcopi iuriſdictionem non habent concedendi indulgentias, nec Collegium Cardinalium, nec Concilium generale, vel Capitulum Sede vacante.*

9 *An huiuſmodi poteſtatem habere poſſint ex ſpeciali Sum. Pontificis conceſſione, ſiuè ſæculares ſint, ſiuè regulares.*

10 *Poteſtas hæc concedendi indulgentias concedi à Summo Pontifice poteſt non modo Prælatis ſæcularibus, & Cardinalibus non Epiſcopis, verum etiam Prælatis Regularibus iuriſdictionis Eccleſiæ capacibus.*

11 *In priuilegijs indulgentiarum num delegetur Prælato facultas concedendi indulgentias, vel dentur immediatè à Summo Pontifice ijs, qui membra, ſeu benefactores ſunt alicuius Religionis, &c.*

12 *Poteſtas concedendi indulgentias etiam ordinaria acquiri poteſt non modo ex expreſſa Sum. Pontificis conceſſione, verum quoque conſuetudine, maximè à Prælatis Epiſcopo inferioribus.*

1 Ad euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, ſunt recolenda ea, quæ ſupra adnotauimus *diſp. 8. ſec. 7. nos. 4.* dum diuiſimus poteſtatem iuriſdictionis in ordinariam, & delegatam; ita vt ordinaria dicatur illa, quæ alicui competit ex vi muneris, ſeù ex officio, à iure, à Summo Principe, à conſuetudine, vel conſenſu vniuerſitatis acquiſita, vt per *Gloſ. in l. & quia, ver. Nec ipſa lex, ff. de iuriſd. omn. iudic.* Delegata verò eſt facultas tradita ab ijs, qui ordinariam habent iuriſdictionem, vel à legato Rom. Pontificis, vt colligitur ex *Gloſa loco citato, & toto tit. C. de offic. eius, cui mand. eſt iuriſd.* Vtraq; verò iuriſdictionis poteſtas diuiditur in interiorem, quæ ordinatur ad forum ſacramentale, & internum bonū animæ: & exteriorem, quæ ordinatur ad gubernandam Eccleſiam in exteriori foro, & ſubdiuiditur in temporalem, quæ exercetur in ciuili foro ad lites dirimendas, & ad delicta punienda: & in ſpiritualem, qua feruntur cenſuræ, & conceduntur indulgentiæ, & nos latè declarauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. c. 1. q. 3.* His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 Certum eſt, poteſtatem, & iuriſdictionem, quam habet Papa concedendi indulgentias eſſe ordinariam: ſiquidem iuriſdictionem, quam Princeps Apoſtolorum ſuſcepit à Chriſto Domino, *Io. c. 21.* fuit ordinaria, cui ſucceſſiuè ſuccederent omnes alij Sum. Pontifices, qui poſſent eam communicare Epiſcopis, & alijs Papæ inferioribus vndè Sum. Pontifex ſtatim poſt eiuſdem electionem à Deo eiuſmodi poteſtatem ſuſcipit, etiam ſi non ſit ordinatus Sacerdos, nec conſecratus, vt ſupra oſtendimus *ſec. 4. concl. 3. ampl. vnica, verſ. Quod autem.* Imò licet
3 hodie nemo poſſit in Papam eligi, niſi ſit Diaconus Cardinalis; *Niſi inter Cardinales ad Pontificatum non reperiatur idoneus, nam tunc etiam non Cardinalis in Pontificem eligi poteſt, vt in c. in nomine Domini, 23. d. & in c. oportebat, & c. nullus, 79. d.* Si tamen daremus eligi poſſe in Papam merè laicum, vt eligi omninò prohibetur, vt in *d. c. nullus*, tunc procul dubio etiam ante ordinationem poſſet exercere iuriſdictionem Eccleſiaſticam, & indulgentias concedere: ſiquidem iure Diuino non prohibetur laicus exercere iuriſdictionem Eccleſiaſticam: quo circa Sum. Pontifex de abſoluta poteſtate poſſet viro purè laico, & fœmina facultatem tribuere concedendi indulgentias, vt rectè docet *Suar. de pœnit. diſp. 55. ſec. 6. nu. 3.* Sicut etiam laicis, & fœminis poteſt poteſtatem concedere ferendi cenſuras, & exercere quamcunq; iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vt habetur ex *eod. Suar. de cenſur. diſp. 2. ſec. 3. nu. 12. & Sayr. eod. tract. lib. 1. c. 5. nu. 18.*

SECVNDA CONCLVSIO.

4 Epiſcopi licèt ſint Papæ inferiores; eſt tamen eis ab ipſo Papa communicata ordinaria poteſtas, ac iuriſdictio concedendi indulgentias in conſecratione, ſeù dedicatione Eccleſiarum, & inferentibus ad ædificationem Pontium, vt habetur ex *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 4. ſub nu. 2. §. Porrò.* Siquidem talis poteſtas fuit conceſſa dignitati Epiſcopali, vt in *c. quod autem, & c. cùm ex eo, infra eod. tit. noſtro de pœnit. &*

remiſ. Vbi Inn. III. in Conc. Lateran. reſtrinxit poteſtatem Epiſcopis concedendi indulgentias, vt cùm dedicatur Baſilica, indulgentia non extendatur vltra annum; ſiuè ab vno ſolo, ſiuè à pluribus Epiſcopis dedicetur: ac deindè in anniuerſario dedicationis tempore quadraginta dies de iniunctis pœnitentijs remiſſio non excedat. Vndè cùm in iuriſdictione concedendi indulgentias collata Epiſcopis mentio fiat dignitatis Epiſcopalis, & non determinatæ perſonæ electæ in Epiſcopum. clarè conſtat, præfatam poteſtatem eſſe ordinariam, non autem delegatam; cùm ex vi muneris dignitatis ſuæ talis poteſtas licèt non ſit abſolutè neceſſaria; tamen eſt valdè conueniens; atque ideò poteſt alteri delegari iuxta ea, quæ ſupra diximus *d. diſp. 8. ſec. 7. not. 4. & concl. vnica.*

5 Eſt tamen verum, quòd licèt plures Epiſcopi, qui ad Eccleſiæ conſecrationem, ſeù dedicationem adſunt, non poſſint niſi vnius anni indulgentiæ ſimul concedere, vt ſupra diximus ex *tex. in d. c. ex eo, infra eod. tit. noſtro*; nihilominus non obſtat quin plures, quorum ſinguli iuriſdictionem habent; nempè loci Epiſcopus, & Metropolitanus, ſeù Archiepiſcopus, ſimul, vel ſucceſſiuè plures quadragenas eidem Eccleſie concedant. vt inquit *Suar. de pœnit. diſp. 55. ſec. 2. nu. 5.* quem refert, & ſequitur *Laym. loco citato aſſert. 2. verſ. Secundò licèt plures*: vbi etiam addit, non obſtare, quod alicui loco, ſeù Eccleſiæ proprius Epiſcopus pro feſtiuitate Patroni, v. g. vnam quadragenam conceſſerit: & alienus Epiſcopus eidem Eccleſiæ quadragenam quoque concedat, lucrandam tantùm à ſuis ſubditis, ſi tali die Eccleſiam illam inuiſerint: ſiquidem talis conceſſio nō excedit limites iuriſdictionis, cùm propriè non fiat loco; ſed perſonis ſubditis in ordine ad talem locum. Imò poterit etiam Epiſcopus proprius loci indulgentiam eiuſmodi trahere ad ſuos quoque ſubditos, ſi ipſis licentiam tribuat lucrandi talem indulgentiam; atque ideò ſubditi loci duas eo caſu quadragenas vno die lucrari poſſunt, vt habetur etiam ex *Palud. in 4. d. 20. art. 2. concl. 4.*

6 Quòd ſi Epiſcopus vltra limites ſuæ iuriſdictionis, ac poteſtatis ſuæ indulgentiam concedat, licèt inualida ſit quoad exceſſum, vt in *c. 1. & vlt. de pœnit. & remiſ. in 6.* Valebit tamen vſque ad terminum conceſſum: quoniam vtile *de regul. iur. eod. lib. 6.* quæ regula maximè locum habet in fauorabilibus, ac liberalitatibus, vt ait *Gloſa in d. c. vlt.* & eſt *tex. in l. ſancimus, C. de donat.* Eò fortius, quia hoc caſu vtile ab inutili ſeparari poteſt, iuxta ea, quæ habentur ex *Dino, & alijs Doctor. in d. regula vtile*, & rectè declarat *Henr. lib. 7. de pœnit. c. 31 nu. 4. & Suar. d. diſp. 55. ſec. 3. nu. 12.* quos refert, & ſequitur *Laym. loco cit. aſſert. 2. verſ. Tertiò ſi Epiſcopus*: vbi etiam addit *verſ. Quartò Epiſcopi*: Viuis tantùm, non autem Defunctis indulgentias concedere poſſe, vt ex communi ſententia docet *Suar. d. diſp. 55. ſec. 2. num. 9* ſiquidem ſolùm conceſſum eſt Epiſcopis quaſdam indulgentias concedere ſubditis ſuis, vt in *c. quod autem, ſupra eod. tit. noſtro*: Ergò facultas eiuſmodi non extenditur ad Defunctos: quippè qui ſubditi hominibus non ſunt; ſed tantùm Dei iudicio reſeruantur, ac ſupponuntur. Et cùm Epiſcopi poteſtatem hanc ordinariam habeant, eo ipſo quòd ſunt electi, & confirmati; etiam ſi conſecrati non ſint, nec Sacerdotes, poteſtatem habent concedendi indulgentias: nam iuriſdictionem habent, & indulgentiarum conceſſio eſt iuriſdictionis externæ, vt ſæpè diximus, & habetur ex *Molfeſ. p. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 26. nu. 30.*

7 Quæ diximus de Epiſcopis extendimus quoq; ad Archiepiſcopos, Primates, & Patriarchas: ſiquidem hi omnes ſunt Epiſcopi, vt habetur ex *Nauar. in ſuis Commentar. de indulg. not. 31. nu. 6. Reginal. lib. 7. ſua prax. nu. 122.* & latè *Suar. d. ſec. 3. nu. 21.* Vbi licèt poteſtatem hanc cōcedat Archiepiſcopis, tàm in propria Diœceſi, quam in Prouincia; etiam extra tempus viſitationis; Primatibus tamen, & Patriarchis negat, vt tales ſunt, ſed tantùm, vt Archiepiſcopi: atque ideò Primas in toto Regno indulgentiam concedere non poteſt. Et multò minus Prælatus Epiſcopo inferior ordinario iure facultatem ordinariam habet concedendi indulgentias, vt in *c. accedentibus, de exceſſ. Prælat.* Vbi reprehenduntur Abbates indulgentias concedere præſumentes, cùm facultas concedendi indulgentias ſolius Epiſcopalis ſit dignitatis. Vndè quamuis Vicarij, & Epiſcopi idem ſit auditorium, & tribunal, vt in *c. 2. de conſuet. in 6.* Et capitulum Sede vacante, iuriſdictionem habeat Epiſcopalem, & ſuccedat in omnibus ijs, quæ competunt Epiſcopo iure ordinario, vt habetur ex *Panor. in c. verum, nu. 9. de foro compet. Felin. in c. cam te, num. 17.* & latè de hac re egimus in noſtris *Comentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 11. nu. 17.* Nihilominus nec Epiſcoporum Vicarij, nec capitulum, ſede vacante, poteſtatem habent concedendi indulgentias, cùm nullo iure id eis conceſſum reperiatur. Imò nec eam habent Abbates & alij Prælati exempti epiſcopalem iuriſdictionem habentes, & immediatè Rom. Pontifici ſubiecti: quoniam de iure eccleſiaſtico dignitati tantùm Epiſcopali poteſtas hæc tributa fuit, vt in *d. c. accedentibus, de exceſſ. Prælat.* Et à fortiori multo minus Parochis, & alijs Sacerdotibus, quantumuis plenam iuriſdictionem habentibus ordinariam iſtam facultatem concedendi indulgentias Diuino, vel humano iure tributam fuiſſe conſtat.

TERTIA CONCLVSIO.

8 CArdinales, Legati Apoſtolici, & alij Prælati ſi Epiſcopi non ſint, quamuis in alijs epiſcopalem iuriſdictionem habeant; nihilominus ordinariam iuriſdictionem de iure non habent concedendi indulgentias; quoniam iure communi id non reperitur cautum, ſed epiſcopali tantùm dignitati conceſſum, vt ſupra oſtendimus ex *text. in d. c. accedentibus, de exceſſ. Prælat.* Et eadem ratione hanc ipſam poteſtatem ordinariam non habent Collegium Cardinalium, ac Conſilium generale; ſede vacante, vt ſupra diximus *ſec. 4. concl. 2. ampl. 1. & 2.* Et quamuis à Prælatis ordinum admittantur Deuoti, ac Benefactores maximè ſuarum Religionum in communionem bonorum operum, ac meritorum earundem, perindè ac ſi eſſent ipſarum Congregationum membra; talis tamen operum, ac meritorum communicatio non habet indulgentiarum rationem; ſed per modum impetrationis fructus bonorum operum de congruo

gruo

gno proſint ijs, qui aſſumpti ſunt in participationem meritorum alicuius Religionis, vt per *Suar. de pœnit. diſp. 55. ſec. 5. nu. 2.* & ij, vt rectè declarat *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 4. ſub nu. 5. cum plur. ſeq.*

QVARTA CONCLVSIO.

9 CArdinales, Legati Apoſtolici, & alij Prælati, qui Epiſcopi non ſint, ſiuè ſæculares ſint, ſiuè Regulares, licèt de iure communi, ac ordinario iuriſdictionem, ac poteſtatem non habeant concedendi indulgentias, etiam ſi quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem habeant; ex ſpeciali tamen commiſſione Sum. Pontificis eiuſmodi poteſtatem habere poſſunt: ſiquidem Rom. Pontifex ſummam iuriſdictionem cùm à Deo acceperit, vt ſit alijs communicabilis, poteſt illam communicare alijs; ſicut de facto communicauit Epiſcopis ordinariam, & nonnullis quoque delegatam.

10 Ampliatur hæc concluſio, vt eiuſmodi poteſtas concedendi indulgentias non modo poſſit concedi à Rom. Pontifice Prælatis ſæcularibus, & Cardinalibus, qui Epiſcopi non ſint, vt ſupra diximus; ſed etiam Prælatis Regularibus, & alijs perſonis iuriſdictionis Eccleſiaſticæ capacibus: etenim ſumma poteſtas iuriſdictionis, quam habet Sum. Pontifex in concedendis indulgentijs, eſt communicabilis omnibus fidelibus, vt aliàs diximus; & id non tantùm maſchulis; ſed etiam fœminis: quoniam de iure Diuino laici, & fœminæ non ſunt incapaces iuriſdictionis Eccleſiaſticæ: atque ideò ex commiſſione Papæ poſſent ferre cenſuras Eccleſiaſticas, vt nos oſtendimus in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ lib. 1. c. 1. q. 2. num. 33.* Ergò poſſunt quoque de potentia abſoluta ipſius Papæ habere facultatem concedendi indulgentias: ſiquidem hæc poteſtas eſt iuriſdictionis ſpiritualis in foro externo; ſicut poteſtas ferendi cenſuras Eccleſiaſticas, vt ſupra

11 declarauimus in not. Eſt tamen aduertendum in priuilegijs indulgentiarum, vtrum Prælato, alijſque perſonis delegetur facultas concedendi indulgentias; an verò immediatè à Sum. Pontifice concedatur indulgentia ijs, qui alicuius Religionis membra, aut benefactores fuerint, vel Eccleſias, aut Sacramenta apud ipſos frequentauerint, quoniam tunc Religioſi Prælati dicere non debent, ſe indulgentias concedere, ſed admonere tantùm fideles de indulgentia à Rom. Pontifice conceſſa; cuius participare poſſint, ſi hoc, vel illud opus præſtiterint, vt habetur ex *Nauar. de indul. not. 30. nu. 14.*

12 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt poteſtas concedendi indulgentias, etiam ordinaria acquiri poſſit, non modò ex expreſſa Roman. Pontificis conceſſione; ſed etiam conſuetudine à Prælatis maximè Epiſcopo inferioribus, vt per *Gloſ. in c. accedentibus, ver. Legitima cauſa,* vbi etiam *Hoſt. & Panor. nu. 2. de exceſſ. Prælat.* quorum opinionem probabilem quoque exiſtimat *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 4. nu. 4.* ad quod allegat *text. in c. cùm contingat, de foro compet.* Et confirmari poteſt ex eo, quòd Doctores communiter docent apud *Palud. in 4. d. 38. q. 4. art. 4. concl. 4.* vt teſtatur *Sanch. lib. 4. moral. c. 38. nu. 21.* Dicentes, poteſtatem diſpenſandi in votis, ac in iuramentis ab inferioribus Prælatis per conſuetudinem acquiri poſſe; cùm diſpenſatio eiuſmodi ſoluat etiam animas in foro Dei, ita *Laym. loco citato,* qui contrariam ſoluit: & *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 21. contra Sot. in 4. d. 22. q. 1. art. 4. Suar. de pœnit. diſp. 15. ſec. 4. nu. 3.* & alios contrariam ſententiam edocentes.

An Rom. Pontifex, & alij Prælati exiſtentes in peccato mortali facultatem habeant concedendi indulgentias.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Plus eſt indulgentias conferre, quam ſuſcipere.*

2 *Poteſtas concedendi indulgentias ad iuriſdictionẽ pertinet, quæ non ammittitur per culpam lethalem.*

3 *Indulgentias conferre plus eſt quoad poteſtatem plus tamen exigitur ad earum fructum percipiendum.*

1 PRO parte negatiua facit argumentum, quòd plus eſt indulgentias conferre, quàm ſuſcipere; ſed qui eſt in peccato mortali non poteſt indulgentias percipere, vt infra ſuo loco, Deo duce, dicemus: ergò nec conferre.

2 In contrariam tamen eſt veritas. Etenim poteſtas concedendi indulgentias pertinet ad iuriſdictionem, quæ per lethalem culpam non ammittitur. Confirmatur; quia fructus indulgentiæ non ex merito conferentis, ſed ex theſauro Chriſti, ac Sanctorum prouenit.

3 Ad argumentum patet reſponſio: non enim ex inde ſequitur, quòd quis exiſtens in peccato mortali poſſit indulgentias aſſequi: quoniam licèt plus ſit quoad poteſtatem indulgentias cõferre, quàm recipere; tamen quoad vtilitatem plus exigitur ad eorum fructum percipiendum.

An Rom. Pontifex, & alij Prælati habentes poteſtatem concedendi indulgentias, poſſint illas ſibi ipſis concedere.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia eſt actus iuriſdictionis, & nemo iuriſdictionem habet in ſe ipſum.*

2 *Habentes poteſtatem concedendi indulgentias, poſſunt, & ſibimet ipſis illas concedere.*

3 *Papa poteſt ſibi ipſi diſpenſare: Et Rex poteſt cum filijs ſuis diſpenſare, eos legitimando in ordine ad temporalem hæreditatem.*

4 *Epiſcopi, aliique Prælati, facultatem habentes diſpenſandi, non poſſunt in proprio voto, atque in Iure Diuino diſpenſare, nec alijs hanc poteſtatem committere: ſed ſolum Rom. Pontifex poteſt ſecum in voto diſpenſare.*

1 IN hac difficultate videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Etenim indulgentia eſt actus iuriſdictionis; at nemo habet iuriſdictionem in ſe ipſum, cùm iuriſdictionis actus exigat diſtinctionem perſonarum, ita vt vnus ſit ſuperior, & alter inferior, ac ſubditus, vt in *c. cùm inferior,* & ibi *Gloſa, d. 21.* Et nullus ſibi ipſi inferior, ac ſuperior eſſe poſſit: ergò Rom. Pontifex, & alij, qui poteſtatem habent concedendi indulgentias non poſſunt illas ſibi

ipſis

Digitized by Google

ipſis concedere. Hinc Rom. Pontifex, & alij habentes poteſtatem ferendi cenſuras, non incidunt in excommunicationes, & cenſuras ab ipſis latas, vt oſtendimus in noſtris *Commen. in Bull. Cœnæ lib. 1. c. 1. q. 2. nu. 34. & 35.*

2 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis ſententia, quam docent *D. Thom. in 4. d. 2. q. 4. art. 5. Gabr. d. 45. art. 2. concl. 7.* & alij, quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 1. nu. 14.* Probatur, quoniam Prælati non debent eſſe peioris conditionis, quàm inferiores, ac eorum ſubditi; atque ideò ſicut alij poſſunt eſſe participes fructus theſauri Eccleſiæ, ita etiam & ipſi. Id autem poſſunt tùm directè concedendo ſibi ipſis indulgentiam, maximè Rom. Pontifex, qui in hoc plenam habet poteſtatem: tùm etiam indirectè, & ſecundariò per conceſſionem indulgentiarum alicui communitati: quapropter Rom. Pontifex Iubilæum à ſe conceſſum lucratur.

3 Ad contraria patet reſponſio ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 4. concl. 3.* cui nos remittimus, ne bis idem repetere videamur. Quibus adde, quòd quamuis demus, conceſſionem indulgentiarum eſſe diſpenſationem quandam; nihilominus non ob id ſequitur, quod habentes facultatem concedendi indulgentias, non poſſint eas concedere ſibi ipſis: nam Papa poteſt ſibi ipſi diſpenſare: ſiquidem vna, & eadem perſona poteſt diuerſimodè conſiderari. Etenim Papa poteſt conſiderari vt Papa, & vt homo: & propterea diſpenſat, vt Papa, & diſpenſatur vt homo. Hinc fuit decretum in *tex. in c. per venerabilem qui fil. ſint legit.* poſſe Regem, qui in temporalibus ſupremus eſt cum filijs ſuis diſpenſare eos legitimando in ordine ad temporalem hæreditatem, & alias dignitates ſæculares; & tamen diſpenſatio illa virtualiter quoque cenſetur facta cum ipſo Rege, non ſolùm quia filius vna, & eadem perſona cenſetur cum patre, vt in *l. fin. C. de impub. & alijs ſubſt. & §. ei verò, in inſtit. de inutil. ſtipul.* Sed etiam propter correlationem: nam diſpenſando cum filio, vt poſſit eſſe hæres, diſpenſatur cum patre, vt poſſit illum hæredem inſtituere. Vndè diſpenſat vt Rex; & diſpenſatur, vt Pater. Hoc ipſum patet in naturalibus; ſiquidem ſub diuerſis rationibus aliquãdo idem eſt agens, & patiens. Sic anima mouet corpus, & ipſa mouetur ad motum corporis. Pro hac re facit quoque *tex. in c. à collatione, de appellat. in 6.* vt rectè explicat *Suar. d. diſp. 52. ſec. 1. & 2.* Qui demum ait, quòd quamuis conceſſio indulgentiæ ſit actus iuriſdictionis, qui exercetur in ſubditos; nihilominus cùm Papa ſuperiorem non habeat, ſubditus dicitur ſuæ dignitati, atque ideò vt ſubditus poteſt participare actum à ſua poteſtate manantem: & ita eſt ſuperior, vt Papa; ſubditus verò vt homo.

4 Et quamuis Epiſcopus, & alij Prælati diſpenſandi facultatem habentes non poſſint in proprio voto, atque ideò in iure Diuino diſpenſare, nec alijs eiuſmodi poteſtatem committere, vt cum ipſis diſpenſent, cùm in facto proprio auctorizare nemo valeat, *Clem. 2. de reb. eccl. non alien.* Nihilominus Rom. Pontifex poteſt ſecum in voto diſpenſare: nam in iuriſdictione voluntaria ac ſuprema non eſt inconueniens, eundem vt Pontificem operari . n ſe vt hominem, vt habetur ex *Suar. de Relig. p. 2. tract. 6. lib. 6. de irrit. & diſpenſ. voti, c. 11.* cum alijs ab eo relatis. Quocirca ex magna, iuſta, ac legitima cauſa, ſecundum regulas traditas à *Suar. loco citato, c. 17.* Puto S. Pontificem habere facultatem diſpenſandi ſecum etiam in voto caſtitatis; itaut poſſit vxorem ducere, & eſſe Papa; cùm id non repugnet ſubſtantiæ Papatus. Etenim Petrus Apoſtolus vxorem habebat, cùm ad Pontificatum fuit à Domino promotus: & continentiam ſeruare Eccleſiaſticos, fuit ſtatutum de iure Eccleſiaſtico, non autem Diuino. Vndè ſi Papa poſt eius electionem comperiatur habere vxorem, non ob id vitiatur electio; ſed remanet Papa, & vxori tenetur debitum reddere, vt per *Abbat. in c. licèt, nu. 4. de elect. & in c. Ioannes de Regular. in fine.*

An Roman. Pontifex, & alij Prælati poſſint concedere indulgentias citra omnem legitimam cauſam.

S E C. VIII.

S V M M A R I V M:

1 *Cauſa concedendi indulgentias differt ab opere quod poſtulatur ad eas concedendas: Et ad Religionis augumentum valdè confert Eccleſiarum ædificatio, & viſitatio.*

2 *In principio naſcentis Eccleſiæ, adeò iniungebantur pœnitentiæ pro criminum qualitate, vt nihil Sacerdotis arbitrio relinqueretur in Purgatorio ſatisfaciendum.*

Et quæ nam pœnitentia imponebatur Sacerdoti pro fornicatione.

3 *Grauiores quoque pœnæ iniungebantur iuxta criminum enormitatem, quas Chriſtiani ſubire non recuſabant.*

Et quare ceſſauerit Canonum pœnitentialium rigor.

4 *Ad indulgentias concedendas requiritur ex parte concedentis cauſa pia, & legitima, & expediens.*

5 *Chriſtus Dominus, & ſi abſolutè conceſſerit Apoſtolis facultatem concedendi indulgentias, adhuc conceſſio ex natura ſua exigit iuſtam cauſam.*

6 *Cauſa pia ad indulgentias concedendas non modo exigitur vt cõceſſio ſit honeſta, ſed etiam vt ſit valida.*

7 *Indulgentia ſi ſit conceſſa citra iuſtam, & rationabilem cauſam, pœnitens, non liberatur ab onere implendi pœnitentiam iniunctam.*

8 *Excuſabitur tamen ſtante bona fide pœnitentis exiſtimantis indulgentiam eſſe validam.*

9 *Indulgentia, ſine cauſa conceſſa bene valent, quo ad alia, quæ cum eis impendi ſolent, namq; quoad facultatem eligendi Confeſſarium abſolutionem à reſeruatis, &c.*

10 *Cauſa pia debet eſſe proportionata quantitati indulgentiæ, ita vt minor minoribus indulgentijs, & maior maioribus.*

11 *Superflua indulgentia indiſcreta, & irrationabiles appellantur.*

Et quæ nam ſint indulgentiæ ſuperfluæ.

12 *Non vt improbabilis, immo valde probabilis, quod ad valorem indulgentiæ ſatis ſit cauſa pia, licèt improportionata.*

13 *Proportio expoſtulata inter cauſam concedendi indul-*

indulgentias, & eorum effectum, ſatis eſt ſi conſiſtat in prudenti quadam morali æſtimatione illius proportionis, ſeu inter medium, & finem.

14 *Cauſa ſi ſit inadequata, & improportionata ratione exceſſus, valida num erit conceſſio indulgentiæ: Et quid ſi improportionata ſit propter defectum.*

15 *Indulgentia ſi concedatur ſub conditione talis operis, qui pro parte tantum adimplet opus, haud lucratur partem indulgentiæ.*

16 *Defectus cauſæ indulgentiam concedendi ſuppleri poteſt per impoſitionem Pij operis.*

1 AD tituli quæſtionis huius explicationem eſt aduer. quòd cauſa concedendi indulgentias differt ab opere, quod poſtulatur ad eas concedendas. Cauſa enim eſt finis, quo mouetur ſuperior ad concedendum indulgentias; nempè Religionis, deuotionis, & charitatis augmentum, & pax Eccleſię, &c. vt in *extrauag. de pœnit. & remiſ.* Et quoniam ad Religionis augmentum valdè confert Eccleſiarum ædificatio, ac viſitatio, idcircò ſolet concedi indulgentia viſitantibus talem Eccleſiam, dantibus eleemoſynam, aut quocunque modo conferentibus ad illius ædificationem. Vndè Eccleſiæ viſitatio, ac ædificatio per eleemoſynarum præſtationem, aut quouis alio modo ſunt opera, quæ poſtulantur ad lucrandas indulgentias: ſiquidem per eiuſmodi opera augetur Religio. Sic etiam quoniam Pontium conſtructio rendit in bonum Reip. in qua Religio colitur; idcircò ad augendam Religionem conceditur indulgentia conferentibus ad ædificationem talis Pōtis: ædificatio igitur, ſeù concurſus ad illius ædificationem per eleemoſynas, aut alio modo, eſt opus, quod poſtulatur ad lucrandas indulgentias, vt in *c. quod autem, ſupra eod. tit. noſtro.* Pax quoque Eccleſiæ eſt potiſſima cauſa concedendi indulgentias: quæ quidem cùm conſeruetur per Turcarum, & aliorum Chriſtiani nominis, & catholicæ fidei inimicorum impugnationem, & propulſationem, ſolet concedi indulgentia militantibus contra illos, aut quocunque modo concurrentibus ad eorundem impugnationem, ac propulſationem: eiuſmodi ergò concurſus ad impugnationem prædictorum, ſiuè per proprias perſonas; ſiuè mediantibus eleemoſynis, dicitur opus, quod poſtulatur ad indulgentias aſſequendas.

2 Secundò eſt aduer. quod in principio naſcentis Eccleſiæ pęnitentiæ adeò pro criminum qualitate iniungebantur, vt nihil Sacerdotis arbitrio relinqueretur in Purgatorio ſatisfaciendum, vt ſupra diximus *ſec. 4. concl. 4. verſ. vſus autem*: ſiquidem vt conſtat ex canonibus pœnitentialibus collectis à *Molſeſ. p. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 25. ſub nu. 39.* Pro ſimplici fornicatione imponebatur Sacerdoti pœnitentia decem annorum: & ſi cum filia ſpirituali, quam baptizauit, aut in baptiſmo, vel confirmatione ſuſcepit, aut cum illa, quæ fuit ei confeſſa propria peccata, rem habuit, duodecim annorum pænitentia mulctatus ad detrudendum in monaſterium condemnabatur, & ad ei ſeruiendum omnibus diebus vitæ ſuæ, vt in *c. presbyter, d. 82. c. Sacerdos, de pœnit. d. 6.* & latè *Antonuc. in Catech. Neap. lib. 1. c. 5. caſu 5.* Sic etiam Clericum, aut Monachum interficiens, ſeptem annis publicam pœnitentiam agebat, & in monaſterio inſeruiebat vſque adeò viueret, *c. qui occiderit, 17. q. 4.*

3 Imò grauiores quoque pœnæ iungebantur iuxta criminum enormitatem, vt in dictis canonibus, vt ſupra in vnum collectis, videri poteſt: quas quidem pœnitentias Chriſtiani ad pœnitentiam reuocati ſubire non recuſabant: nam propter feruorem ſanguinis Chriſti ad nutum erant Eccleſiæ obſequentes. Deindè ob Eccleſiæ dilatationem, & feruorem tepefactum cæpit ceſſare canonum ille rigor, ita vt omnes pœnitentiæ Sacerdotis arbitrio remitterentur imponendæ. Denique cùm nec onus illud poterat à fidelibus ſubſtineri, fuit indultum, vt pœnarum rigor in eleemoſynas commutaretur in cauſas pias, & publicas vtilitates erogādas, vt in *c. quod autem ſupra eod. tit. noſtro.* Nouiſſimè verò quoniam pœnitentiæ nimium tenuæ eſſe cæperunt, & Turcharum incurſus ſunt nobis infeſtiſſimi, idcircò in ſubſidium aduerſus illos indulgentiarum vſus percrebuit: atque ideò concedi conſueuerunt, vel in ſubſidium aduerſus infideles, in augmentum Diuini cultus, & catholicæ fidei, in fabricam alicuius Eccleſiæ, vel Hoſpitalis, Pontium extructionem, aut viarum apertionem, &c. Quæritur igitur, an ad indulgentias concedendas exigatur ex parte concedentis aliqua ex dictis cauſis, qua moueatur, vel ſatis ſit ſola voluntas ipſius concedentis. Pro determinatione huius quæſtionis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 EXigitur cauſa aliqua pia, ac legitima ex parte concedentis, ob quam expediat indulgentiam, eiuſdemque effectum concedere. Hęc concluſio eſt *D. Bonauen. Ricchar. Andr. ac Caiet.* quos refert, & ſequitur *Sot. in 4. d. 21. q. 1. art. 2. 2. concl. 1.* quam ſententiam communem eſſe omnium Theologorum teſtatur *Suar. de pœnit. diſp. 54. ſec. 1. nu. 2. & Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 5. nu. 1.* vbi quamplurimos alios Doctores allegat. Probatur, quoniam indulgentia eſt theſauri Eccleſiæ diſpenſatio, vt ſæpè diximus: at diſpenſatio exigit iuſtam diſpenſandi cauſam, iuxta illud *Apoſt. 1. Corinth. 10. Habentes poteſtatem in ædificationem, non in deſtructionem, &c.* Aliàs nō diſpenſatio, ſed diſſipatio diceretur, vt poſt alios probat *Nauar. in Man. c. 22. nu. 87. Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 19. Reginal. lib. 31. ſua prax. nu. 194. Conynch. diſp. 33. de matr. nu. 42. & Molſeſ. p. 1. ſua ſum. tract. 4. c. 12. nu. 47.* Ergò indulgentiarum collatio exigit iuſtam, ac rationabilem cauſam. Confirmatur, quoniam maior cauſa præexigitur ad diſpenſandum Eccleſiæ theſaurum, quàm ad diſpenſandum ſuper votis: ſed citra iuſtam cauſam diſpenſare Papa non poteſt ſuper votis; ergò nec theſaurum Eccleſiæ abſque iuſta cauſa diſpenſare valet; atque ideò indulgentiam concedere. Maior patet; quoniam theſaurus Eccleſiæ ſunt merita Chriſti, ac Sanctorum: qui theſaurus eſt commune bonum abſoluens fideles à iuſtitiæ vinculo, quo Dei iudicio cōſtringuntur ad exoluendas culparum pœnas: vota verò ortum habent à voluntate vouentis. Minor probatur ex ijs, quæ adnotauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. c. 7. q. 37. ſub nu. 4.* Vbi oſtendimus, quòd Papa diſpenſans in voto citra iuſtā

cauſam

Digitized by Google

cauſam non ſolùm peccat, ſed etiam diſpenſatus non eſt tutus in conſcientia; quia per votum fit promiſſio Deo, ſupra quem non eſt Papa. Denique hæc concluſio conſtat ex vniuerſali Eccleſiæ vſu; quæ nunquam conſueuit citra iuſtam cauſam indulgentias concedere.

5 Nec obſtat ſi dicatur, Chriſtus Dominus abſolutè conceſſit facultatem Apoſtolorum Principi concedendi indulgentias, dicens *Matt. c. 16. Quodcunque ſolueris, &c.* Nec aliquam cauſam addidit, ob quam habeat ſoluere; atque adeò indulgentias concedere: ergò nec nos cauſã aliquam addere debemus, reſtringendo facultatem huiuſmodi; quoniam reſpondetur, quòd conceſſio indulgentiæ cùm ſit diſpenſatio quædam, vt ſæpè diximus, ex natura rei exigit iuſtam cauſam: quia citra iuſtam diſpenſandi cauſam diſpenſatio theſauri Eccleſiæ eſſet diſſipatio potius, quàm diſpenſatio. Neque valet dicere, quod indulgentia habet intrinſecum motiuum ſufficiens ad eam concedendam, quale eſt liberare proximum à miſeria luendæ pœnæ temporalis, cuius reatus remanet poſt remiſſam culpam; quæ quidem liberatio per ſe dicitur actus honeſtus; atque ideò videtur dicendum, non exigi aliam cauſam ad concedendas indulgentias: quoniam dicimus quòd licèt ſubleuare miſeriam indigentis, per ſe ſit opus honeſtum, & pium; tamen ſuam quoque moderationem prærequirit: ſiquidem in hoc etiam peccari poteſt per exceſſum, ſicut per defectum. Quod quidem maximè verum eſt, ſi agatur de non Domino; ſed de diſpenſatore: nam miniſter, ac diſpenſator non poteſt diſpenſare ad ſui libitum, ac pro ſua voluntate ſubuenire indigenti; ſed neceſſè eſt, vt fiat iuxta rationabilem voluntatem Domini, qui diſpenſationem commiſit.

SECVNDA CONCLVSIO.

6 Cauſa pia ad concedendas indulgentias, non modo prærequiritur, vt concedens honeſtè indulgentias concedat; ſed etiam vt eas validè tribuat: atque ideò ſi Rom. Pontifex citra omnẽ piam cauſam indulgentiam cõferat, indulgentia ipſa nullum effectum pareret. Hæc concluſio eſt *Henrici Gandauen. quodlib. 5. q. 14. D. Bonau. in 4. d. 20. p. 2. art. vnico, q. 6. Maior. ibidem, q. 2. Caiet. de indulg. tract. 9. q. 1. & tract. 15. c. 4. q. 1. Nauar. eod. tract. not. 15. n. 7. Henriq. lib. 7. c. 14. Conynch. diſp. 13. dub. 6. Molfeſ. p. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 26. nu. 47.* & hanc concluſionem communem eſſe teſtantur *Suar. & Laym. locis cit.* Probatur concluſio, ex eo quòd Deus tantùm eſt Dominus theſauri Eccleſiæ; Papa verò non eſt Dominus, ſed eiuſdem diſpenſator, iuxta illud *1. Corinth. c. 4. Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miſteriorum Dei. Et 1. Petri c. 4. Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* Ergò Papa non poteſt ad ſui libitum, & citra iuſtam cauſam theſaurum Eccleſiæ diſpenſare; atque indulgẽtias concedere: & ſi concedat, nihil agit, & nulla eſt indulgentiarum collatio. Erenim non poteſt validè remittere, ac diſpenſare iura Domini ſui citra voluntatem eius rationabiliter præſumptam: & ſi contra voluntatem Domini ſui ſaltem præſumptam diſpenſat, nihil agit. Pro hac ipſa concluſione facit *text. in extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſ.* vbi fatetur Papa non habere facultatem concedendi indulgentias, niſi ex rationabili cauſa. Vide *Suar. de pœnit. diſp. 53. ſec. 2. num. 3.*

7 Ampliatur hæc concluſio, vt ad concedendas indulgentias adeò pia, ac rationabilis cauſa exigatur, vt ea citra iuſtam, ac rationabilem cauſam conceſſa, pœnitens non liberetur ab obligatione implendi pœnitentiam ſibi iniunctam à Confeſſario in Sacramento pœnitentiæ; ſicut liberaretur, ſi talis indulgentia eſſet ex legitima cauſa conceſſa; ſiquidem per eiuſmodi indulgentiam, ſine cauſa conceſſam, non tollitur materia præcepti Confeſſoris, quæ eſt debitum ſatisfaciendi; atque ideò non tollitur præceptum, vt habetur per *Suar. loco citato.*

8 Sic ampliata limitatur concluſio quoad pœnitentias iniunctas, vt licèt re ipſa pœnitens ab eis non excuſetur per indulgentiam citra piam, ac rationabilem cauſam conceſſam; nihilominus ſtante bona fide ipſius pœnitentis exiſtimantis indulgentiam eſſe validam, excuſatur ab obligatione adimplendi illas, durante dicta bona fide, ac ignorantia: nam ob id, atque adeò per indulgentias ſuperfluas, & inualidas ſacramentales pœnitentiæ eneruantur, & claues Eccleſiæ contemnuntur, vt in *c. cum ex eo, infra eod. tit. noſtro, de pœnit. & remiſ.* Lixt, *Durante bona fide, ac ignorantia.* Quia ſuperueniente ſcientia, prædicta obligatione non liberatur, nam re ipſa non eſt liberatus per eiuſmodi indulgentiam, cùm nullam vim habeat.

9 Secundò limitatur eadem concluſio, vt indulgentiæ ſine cauſa conceſſæ valeant quoad alias conceſſiones, quæ cum eis impendi ſolent; vt cùm v. g. datur facultas ad eligendum Confeſſarium, qui à reſeruatis valeat abſoluere, diſpenſare in votis, &c. Siquidem hæc omnia ſeparantur, ac ſeparabilia ſunt ab effectu indulgentiæ: eo quòd pendent præcipuè ex voluntate concedentis; atque ideò vtile per inutile non vitiatur, cùm vtile ſeparari poſſit ab inutili, *vt in regula vtile,* & ibi *Dyn. & alij. de regul. iur. in 6.* quibus adde *Suar. d. diſp. 53. ſec. 2. nu. 16. Sot. in 4. d. 21. q. 1. nu. 2. concl. 4. & Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 5. in fine.*

TERTIA CONCLVSIO.

10 Ad validam indulgentiarum conceſſionem non modo præexigitur cauſa pia ex parte concedentis; verum etiam cauſa pia debet eſſe proportionata quantitati Indulgentiæ, ita vt minoribus indulgentijs ſit ſatis minor; & maioribus maior. Hæc concluſio eſt *Alber. Mag. in 4. diſt. 22. art. 17. Sot. d. 21. q. 2. art. 2. Caiet. de indulg. tract. 9. q. 1. Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 14. nu. 3. Conynch. diſp. 13. dub. 6. concl. 2. Suar. de pœnit. diſp. 54. ſec. 3. nu. 5. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 5. ſub nu. 1. verſ. Corollarium: Bellar. lib. 1. de indulg. c. 22. Granad. in 3. p. contr. 12. tract. 3. diſp. 1. num. 5. Prapoſit. in 3. p. q. 14. de indulg. dub. 8. nu. 62. Tanner. tom. 4. diſp. 6. q. 8. dub. 4. nu. 85. Syluij in 3. p. q. 25. art. 2. verſ. Quæſtiunc. ſecunda, concl. 2. Ludouici à Cruz. diſp. 1. c. 8. dub. 11. Fillinc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 5. nu. 113.* & aliorum. Probatur primò ex *text. in extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſ.* Vbi Clem. VI. agens de indulgentijs, & earum conceſſione inquit, eas concedi ex rationabilibus cauſis: at cauſa, vt ſit rationabilis, non ſolùm debet

debet eſſe honeſta, ac pia; verùm etiam eſſe debet rationi cóſentanea; cùm recta ratio effugit omne id, quod eſt improportionatum: ſiquidem *Inn. III. in c. cum ex eo, infra eod. tit. noſtro de*
11 *pœnit. & remiſ.* Superfluas indulgentias, indiſcretas appellat; atque ideò irrationabiles, eaſdemq; vt pernicioſas damnat: illæ autem indulgentiæ ſuperfluæ appellantur, quæ largius conceduntur, quàm cauſa expoſtulat, licèt pia ſit, atque honeſta: ergò ad validam indulgentiarum conceſſionem non modo exigitur pia cauſa ex parte concedentis; ſed etiam cauſa ipſa debet eſſe proportionata quantitati indulgentiæ, ita vt quanto maior eſt indulgentia, tanto maior cauſa requiratur. Secũdò probatur hæc ipſa concluſio ex eo quòd indulgentiarum cóceſſio eſt diſpenſatio theſauri Eccleſiæ ad redimendas fidelium animas à Purgatorij pœnis, & ab alijs in hac vita à Dei iuſtitia præfinitis, & debitis poſt remiſſam culpam; cuius theſauri non eſt Dominus Papa, nec alius Eccleſiæ Prælatus; ſed Deus dumtaxat: ergò ſicut imprudenter, & nulliter ageret ſaltem quoad exceſſum, qui ad redimendum vulgarem hominem captiuum ingentem Domini ſui theſaurum effunderet, licèt redemtio ipſa pium opus eſſet; ita quoque dicendum eſſet in caſu noſtro, ſi pro minima cauſa maxima indulgentia concederetur. Denique illa cauſa, quæ neceſſaria eſt, vt conceſſio indulgentiæ ſit recta, iuſta, ac rationabilis, eſt etiam neceſſaria ad valorem eius; ſed vt indulgentiæ iuſtè, rectè, ac rationebiliter concedantur, neceſſaria eſt non modo cauſa pia; ſed etiam proportionata, vt ſupra oſtendimus: ergò ad valorem indulgentiæ requiritur iuſta, rationabilis, ac proportionata cauſa.

12 Hæc concluſio re vera communior eſt, ac probabilior, vt teſtatur *Dian. p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol.* 10. At contraria non eſt improbabilis, quæ ſe habet, ad valorem indulgentiæ ſatis eſſe piam cauſam, licèt improportionatam: imò probabilem valdè fore exiſtimo, quoniam pro ea videtur eſſe *D. Thomas in ſupplem. q. 75.* Dum ait, ad valorem indulgentiæ ſufficere quãcunq; cauſam, quæ in vtilitatem Eccleſiæ, & honorem Dei vergat; dummodò ex parte dantis ſit auctoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte cauſæ pietas, nec de eiuſdem proportione meminit. Hanc eandẽ ſententiam expreſsè docent *Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 20. pun. 4. Reginal. tom. 1. ſua prax. lib. 7. c. 12. nu. 137. & Eman. Sa de indulgentia conceſſa à Papa non dubitat, vt per eundem ver. Indulgentia* 1. probabilem etiam hanc ipſam fore putant *Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 26. difficul. 8. nu. 6. Bonac. de Sacram. diſp. 7. q. 1. pun. 4. nu. 5. & Diana loco citato.* Imò de indulgentia conceſſa à Papa meritò inquit Sa, quòd non eſt dubitandum: tum quia Chriſtus Dominus cum Sum. Pontifice ſuo Vicario præſumendum eſt non agere cum illo rigore, quo vtantur Domini temporales cum ſuis miniſtris, quibus committunt eorum bonórum temporalium diſpenſationem, cùm theſaurus Eccleſiæ, cuius Chriſtus eſt Dominus ſit infinitus, ac indeficiens, ita vt nunquam exhauriri poſſit ob quamcunque liberalitatem, qua vtatur eius vicarius erga fideles, qui ſumus ipſius Chriſti Domini membra: tum etiam, quia in indulgentia, quæ conceditur à Papa ſemper ſolet iniungi opus aliquod pium, quod ſupplet defectum cauſæ, vt mox dicemus.

13 Cæterum retenta priori ſententia tanquam communiori, ac probabiliori, limitatur tamen prædicta concluſio, vt proportio expoſtulata inter cauſam concedendi indulgentias, & eorum effectum non eſt opus, vt conſiſtat in aliqua certa, ac determinata quantitate, & æqualitate; ſed ſatis eſt ſi conſiſtat in prudenti quadam morali æſtimatione illius proportionis, quæ ſeruari debet inter medium, & finem, ita vt illa cauſa cenſeatur adequata indulgentia, ad quam obtinendam, vel procurandam hic, & nunc, penſatis omnibus circumſtantijs, conceſſio talis indulgentiæ prudenter exiſtimatur medium proportionatum, & conueniens: atque ideò proportio non conſiſtit in indiuiſibili; ſed ſe habere debet; ſicut pretia rerum, quarum quædam ſunt rigoroſa, quædam media, & quædam infima, intra limites iuſti pretij: & ſicut ſe habet mediũ ad finem, qui habet latitudinem boni, melioris, & optimi, quæ cadunt ſub honeſtam, & rationabilem electionem, vt benè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 54. ſec. 3. nu. 10. 11. & 12. & Sot. in 4. diſp. 21. q. 1. art. 2.*

14 Secundò limitatur ipſa concluſio, vt licet ad validam conceſſionem indulgentiæ requiratur non modo pia, ac iuſta cauſa; ſed etiam proportionata; nihilominus quando cauſa eſt inadequata, ac improportionata ratione exceſſus, vt quia excedit effectum, ac quantitatem indulgentiæ, tunc valida eſt conceſſio illius; tum quia in ea includitur proportio æqualitatis, & aliud amplius; tum etiam; quoniam huiuſmodi cauſa eſt pia, iuſta, ac rationabilis; tum etiam, quia cauſa potentior interdum operatur inferiorem effectũ. Dixi, *Improportionata ratione exceſſus.* Quoniam cauſa ſi eſſet improportionata propter defectum, vt quia exceditur cauſa à quantitate indulgentiæ, tunc talis indulgentia non irritatur in totum; ſed erit valida quoad aliquam quantitatem, ſeù effectum proportionatum cauſæ: & id ex præſumpta voluntate concedentis, qui præ-
15 ſumitur concedere quantum poteſt. Nec obſtat ſi dicatur, quòd quando conceditur indulgentia ſub conditione talis operis, qui pro parte tantùm implet opus, non lucratur partem indulgentiæ; quoniam reſpondetur, quòd eo caſu voluntas concedendi indulgentiam, conditionata eſt, nempè ſub conditione talis operis; & propterea ſi conditio non adimpletur, nihil operatur: at in caſu, de quo agitur conditio adimpletur, & quantum ex hoc capite totus confertur effectus: verùm ex defectu poteſtatis non datur totus, ſed tantùm pars, ad quam ſe extendit poteſtas conſiderata proportionata cauſæ, vt rectè declarat *Laym. loco citato, & alij.*

16 Tertiò limitatur eadem concluſio, vt quamuis cauſa concedendi indulgentias debeat eſſe proportionata vt ſupra; nihilominus defectus cauſæ ſuppletur per impoſitionem pij operis: quod tale poteſt eſſe, vt per illud cauſa inadequata quantitati indulgentiarum fiat adequata, vt colligitur ex ijs, quæ docet *Laym. d. c. 5. ſub nu. 1. verſ. Corollarium, & c. 6. nu. 4.* vbi etiam inquit, quod cauſa pro concedendis indulgentijs maior tanto prærequiritur, quanto maior eſt commu-

nitas, cui conceditur: & minor cauſa exigitur ad concedendum indulgentiam alicui perſonæ particulari, vel Congregationi, quàm communitati maiori, aut toti Eccleſiæ.

An ſuppoſita cauſa pia, ac proportionata exigatur etiam ad concedendas indulgentias, vt imponatur opus aliquod cui ſint quærendæ.

S E C. IX.

S V M M A R I V M:

1 *Romanus Pontifex haud poteſt ad ſui libitum remittere cuicunque homini omnem pœnam temporalem, remanentẽ poſt remiſſam actualem culpam.*

2 *Non omnes lucrantur ſemper plenarias indulgentias, etiam legitimè conceſſas, etiam ſi faciunt in ſtatu gratiæ opus præſcriptum.*

3 *Non eſt ſimpliciter, & abſolutè neceſſarium, vt concedatur indulgentia ſub conditione alicuius pij operis.*

4 *Poteſt indulgentia concedi per modum gratitudinis propter obſequia, Eccleſiæ exhibita. Et ſimul etiam concedi poteſt per modum medicinæ: & per modũ liberalitatis, ſeù donationis.*

5 *Remiſſio pœnæ temporalis nõ exigit ex ſe actualem, aut internam diſpoſitionem in recipiente præter ſtatum gratiæ, & nec cognitionem, vel ſpecialem voluntatem.*

6 *Volens conſequi Iubilæum, præſtando opera iniuncta ſi ſit in gratia in momento vltimi operis, ſuppoſita iuſta, pia, ac rationabilis cauſa ex parte concedentis, lucratur illum.*

7 *Communis concedendi vſus indulgentias ſub conditione alicuius operis, ex quo ſit introductus.*

1 IN hac re videtur affirmatiuè reſpondendum eſſe; aliàs poſſet Rom. Pontifex ad ſui libitum cuicunq; homini remittere omnem pęnam temporalem, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam, eo non cooperante, nec de indulgentia conceſſa cogitante, ac illam pęnitus ignorante: quod videtur abſurdum. Etenim ad valorem indulgentiæ prærequiritur iuſta cauſa, vt præced. ſec. oſtendimus: non poteſt autem intercedere iuſta cauſa reſpectu eius, cui conceditur indulgentia, niſi per aliquod pium opus ipſe concurrat ad indulgentiæ effectum; atque ideò eo cooperante, ac ſciente. Secundò non deſunt qui velint ad effectum indulgentiæ plenariæ non modo exigi cauſam piam, & proportionatam; ſed etiam opus adequatum peccatis eius, qui vult aſſequi talem indulgentiam. Hinc *Nauar. de indulg not. 15. nu. 15. Conynch. de Sacram. diſp. 12. dub. 6. nu. 14. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 7. c. 5. n. 2. Polacch de iubil. ſec. 42 n. 57. & Zerola eod. tract. lib. 1. c. 16. dub.* 17. Probabiliter do-
2 cent, non omnes ſemper lucrari plenarias indulgentias, etiam legitimè conceſſas, qui faciunt etiam in ſtatu gratiæ opus præſcriptum; ſiquidem fieri poteſt, vt quis habeat tot pœnas exoluendas, vt illud opus præſcriptum ſit adeò exiguum, vt nõ ſit adequatũ ad tot pęnas remittendas; maximè ſi cum exigua deuotione impleatur. Pro qua re facit etiam *tex. in extrauag. antiquorum, 1. de pœnit.* Vbi Bonifacius VIII. cùm conceſſerit pleniſſimas in anno Iubilæi indulgentias, ſubdit, vnuſquiſque tamen plus merebitur, & indulgentias efficacius conſequetur, qui Baſilicas amplius, & deuotius frequentabit. Si igitur præfati Doctores ad effectum indulgentiæ plenariæ exigunt adequatum opus; ergò omninò prærequirunt opus; ſicut is cui promittitur bos aibus, petens bouem album verè dicitur petere bouem. Denique pro hac eadem re affertur communis vſus totius Eccleſiæ: ſiquidem nunquam vidimus, nec legimus Sum. Pontifices aliter indulgentias conceſſiſſe, quàm per impoſitionem alicuius pij operis; nempè viſitationis Eccleſiarum, ſuſceptionis Sacramentorum, elargitionis eleemoſynarum, præſtationis ieiuniorum, &c. Ergò ſignum eſt indulgentias præter cauſam piam ad earum validam conceſſionem, & effectum, exigere quoque alicuius pij operis impoſitionem.

3 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veriorem, quam tenet *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 4. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. nu. 4.* Et alij, dicentes non eſſe ſimpliciter, & abſolutè de neceſſitate indulgentiæ, vt concedatur ſub conditione alicuius pij operis; ſed ſatis eſſe ſi ex parte concedentis ſit pia, iuſta, rationabilis, & proportionata cauſa. Probatur primò, quia ex communi Theologorum placito tria tantum exiguntur, & ſatis ſunt ad valorem, & fructum indulgentiæ; nempè poteſtas in concedente: gratia in ſuſcipiente: & quod cauſa, propter quam conceditur indulgentia ſit pia, ac proportionata; ergò ad valorem, & fructum indulgentiæ non exigitur, vt concedatur ſub conditione alicuius pij operis. Conſequentia patet tum ex eo, quòd incluſio vnius eſt excluſio alterius; tùm etiam quoniam illa tria poſſunt perfectè concurrere citra nouum aliquod opus: ſiquidem ad indulgentiam concedendam multiplex ratio ſufficiens conſiderari poteſt abſque interuentu pij operis ex parte illam ſuſcipientis. Poteſt enim primò concedi indulgentia per mo-
4 dum gratitudinis propter obſequia Eccleſiæ exhibita, in quibus poteſt eſſe ſufficiens ratio concedendi indulgentiam citra noui operis expoſtulationem ab eo, cui conceditur: ſiquidem id non repugnat ex parte talis piæ cauſæ; quoniam poſſunt illa obſequia eſſe multa, & grauiſſima, quæ ſuperent alia pia opera, quæ communiter expoſtulari ſolent in indulgentijs. Secundò poteſt concedi indulgentia per modum medicinæ: nam is, cui conceditur ea indiget, vt in ſpem erigatur, vel vt feruentius excitetur ad Deo ſeruiendum, iuxta illud *Apoſt 2 Corinth. 2. Condonandum eſſe alicui, ne fortè abundatiori triſtitia abſorbeatur.* Etenim in huiuſmodi indulgentia poteſt etiam interuenire ſufficiens ratio eam concedendi citra noui operis impoſitionem. Tertiò poteſt concedi indulgentia per modum liberalitatis, ſeù donationis ex rationabili cauſa factæ, vt ſolent Principes in die coronationis ſuæ theſauros effundere, aut debita remittere, & carceribus mancipatos liberare: ergò eodem modo poſſet Papa in die coronationis ſuę aut in ſolemnitate Natiuitatis Domini, aut in alia ſimili indulgentiam aliquam liberaliter concedere citra alicuius operis iniunctionem. Vndè ob id Sum. Pontifex feria 5. in Cœna Domini ſolet ſua benedictione concedere indulgentiam

gentiam plenariam abſque alio opere impoſito. Sicut etiam & Epiſcopi benedicendo concedunt 40. annos indulgentiæ ijs, qui præſentes ſunt.

Reſtat modo, vt ad contraria reſpondeamus.

5 AD primum reſpondetur concedendo ſequelam, nec ex eius conceſſione ſequitur aliquod abſurdum: ſiquidem remiſſio pœnæ temporalis non exigit ex ſe actualem, aut internam diſpoſitionem in recipiente præter ſtatum gratiæ: imò nec cognitionem, vel ſpecialem voluntatem: etenim ſacrificium Miſſæ oblatum pro alio remittit illi temporalem pœnam, ſi obicem peccati mortalis non inueniat citra aliam diſpoſitionem actualem ex parte illius. Hoc idem accidit in applicatione ſuffragiorum vnius fidelis pro alio: quoniam etiam illo non cogitante, aut volente ſatisfactio vnius pro altero oblata operatur in eo remiſſionem temporalis pœnæ. Nec id eſt abſurdum, cùm ſatis ſit ſi iuſta cauſa, ac proportionata concurrat ex parte concedentis indulgentiam.

Ad ſecundum dicimus quòd incontrarium eſt vera, & communior ſententia, quàm docent *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 8. n. 3. Nugn. in addit. ad 1. p. q. 24. art. 3. dub. 6. Boſſ. in ſuo tract. de iubil. ſec. 4. c. 21. §. 1. nn. 38. Fauſt. eod. tract. lib. 1. q. 66. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 6. n. 164. Benzon. de iubil. lib. 5. c. 15. dub. 1. Diana par. 5. Reſol. moral. reſol.* 18. Et alij, dicentes quòd volens conſequi Iubilæum, præſtando opera iniuncta ſi ſit in gratia, in momento vltimi operis, ſuppoſita iuſta, rationabili, pia, ac proportionata cauſa ex parte concedentis, lucratur illum, atque ideò pleniſſimam indulgentiam: nam conditio expoſtulata ſufficienter adimpletur, ac omnia alia ad effectum indulgentiæ concurrunt: & ſi per Iubilæum expoſtuletur eleemoſyna, v. g. parem indulgentiam conſequitur, qui dat centum, quàm qui vnum aureum; maximè ſi ille aureus ſit eleemoſyna proportionata, & iuxta facultates eius, per ea, quæ infra, Deo duce, dicemus in propria quæſtione: ſiquidem indulgentia operatur, non ex opere operantis; ſed ex opere operato; nempè ex meritis Chriſti, & Sanctorum eius, atque ideò maior, vel minor deuotio quoad remiſſionē promiſſam in iubilæo nihil addit, vel minuit: aliàs non eſſet vera regula illa; quod indulgentia tantùm valet, quantum ſonat. Nec extrauag. illa antiquorum, facit contra nos; quoniam loquitur de eo qui plures Baſilicas viſitat, quàm Iubilæus expoſtulat, vt patet ex illis verbis, *Qui Baſilicas amplius, & deuotius frequentabit*. Sed non ob id ſequitur, quòd aliàs promiſſam remiſſionem non lucrabitur pleniſſimè, qui ſufficienter deuotè toties Baſilicas viſitet, quoties Iubilæus expoſtulat.

7 Ad tertium dicitur, quòd communis vſus concedendi indulgentiam ſub conditione alicuius operis eſt introductus ex eo; quòd talis modus eſt magis ſecurus: nam aliquando ſupplet defectum cauſæ, vt diximus *ſec. præced. concl. 3. lim.* 3. Imò quando conceditur indulgentia ad obtinendum a Deo aliquod beneficium, ſemper præexigitur piura opus, nempè oratio, ieiunium, & alia eiuſmodi pia opera, quibus Deus excitatur ad beneficium illud concedendum. Cæterum per ſe loquendo, operis iniunctio non eſt neceſſaria ad aſſequendas indulgentias.

An opus ad indulgentiam poſtulatum debeat eſſe honeſtum in indiuiduo.

S E C. X.

S V M M A R I V M.

1 *Opus dupliciter dici poteſt bonum, vel malum, ex ſui ſcilicet natura, & in indiuiduo.*

2 *Opus, ad indulgentiam expoſtulatum non modo debet eſſe ex ſui natura bonum, verum etiam honeſtum in indiuiduo; Debet quoque proportionatum fini illius ſpirituali, ac pio.*

3 *Opus ex ſuo genere bonum, ſimpliciter poſtulatum ad conſequendam indulgentiam ſatis eſt ſi adimpleatur etiam cum circumſtantia mala, ab intrinſeco addita.*

4 *Præceptum impletur per opus, ex ſuo genere bonum, etiam ſi male fiat.*

5 *Opus, ex ſui natura bonum, malum verò ab extrinſeco, & ex circumſtantia in indiuiduo, ſatis eſt ad lucrandam non ſolum partem, ſed etiam totam indulgentiam.*

6 *Si quis in adimplendo opus iniunctum, lethalem contraxerit culpam, & talis culpæ pœnitentiam egerit, lucrabitur indulgentiam.*

7 *Si ex vi conceſſionis ad aſſequendam indulgentiam poſtuletur non modo opus ex ſui natura bonum, ſed etiam moraliter bonum in indiuiduo, tenetur qui vult aſſequi indulgentiam, opus adimplere, quoad vtramq; bonitatem.*

8 *Qui vult indulgentiam quærere debet cum naturali bonitate operis coniungere intentionem lucrandi indulgentiam.*

9 *Opus expoſtulatum an, & quando ſufficit, vt ſit bonum ſecundum ſuam ſubſtantiam, licet male fiat: Et an, & quando requiratur, vt non modo bonum ſit ſecundum ſuam ſubſtantiam, ſed etiam ſecundum moralem bonitatem, ex omnibus circumſtantijs pendentem.*

10 *Finis cōcedentis indulgentias præciſè ſumptus, ſi ſufficiens eſt, vt proximè moueat diſpenſatorem Theſauri, prudenter operantem; licet poſitiua non exigat circumſtantias vtriuſque bonitatis, illas tamen non excludit.*

11 *Opus ex ſuo genere bonum, & ex aliqua circumſtantia peccaminoſum ad conſequendam indulgentiam expoſtulatum, placet Deo, & quare.*

12 *Intentio, vt dicatur bona ſatis eſt, vt habeatur adimplendi opus.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd aliquod opus poteſt dici bonum, aut malum dupliciter; ex ſui natura ſcilicet: & in indiuiduo. Bonum opus ex ſui natura, eſt actus virtutis, vt actus iuſtitiæ, fortitudinis, &c. Sicut è contra opus malum ex ſui natura, dicitur quod malitiam habet intrinſecam naturali iuri contrariam, vt furtum, adulterium, & reliqua quæ prohibentur in Decalogo. Bonum verò, aut malum in indiuiduo eſt quod ex ſui natura eſt indifferens, vel bonum; verùm ab extrinſeco aliquid ſuperadditur, ſecundum quod dicitur bonum, vel malum. Vt comedere v. g. eſt actus indifferens; ſed ſi ordinatur ad conſeruationem indiuidui, vt poſſimus Domino inſeruire, talis actus erit bonus: ſi verò ordinatur ad ingluuiam, crapulam, aut luxuriam, erit malus non ex ſui natura; ſed ex intentione operantis, ſic etiam actus tempe-

Digitized by Google

rantiæ eſt intrinſecè bonus, cum ſit actus virtutis; ſi tamen fiat ob inanem gloriam, actus ille eſt malus. Dum igitur quærimus, an opus ad indulgentiam poſtulatum debeat eſſe honeſtum non loquimur de intrinſeca ſui honeſtate, quam habet à natura: clarum eſt enim, quod opus ſi ſit intrinſecè, & ex ſui natura malum, nihil prodeſt ad effectum indulgentiæ; ſed loquimur de opere, quod ex ſui natura eſt bonum, vt actus temperantiæ, vel actus indifferens, vt comedere, quod poteſt ex aliqua extrinſeca circumſtantia eſſe malum in Petro, Franciſco, aut in alio indiuiduo, an tale opus ad indulgentiam poſtulatum debeat eſſe honeſtum; nempè quòd nulla ei ab extrinſeco ſuperaddatur circumſtantia mala?

2 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Adriani in 4. q. de indulg. concl. 4. Nauar. in ſuo Comment. de indulg. not. 10. nu. 6. Rodriq q. 99. art. & Conynch. diſp. 12. dub 8. & Syluius in 3. p. D. Dhom. q. 17. art. 1. quæſtiun. 1. concl. 2.* Dicentium, opus ad indulgentiam poſtulatum omninò debere eſſe non modo ex ſui natura bonum; verùm etiam honeſtum in indiuiduo. Probatur primò ex eo, quòd concedens indulgentiam non poteſt exigere opus pietati contrarium: ergò concedens indulgentiam debet omninò expoſtulare opus honeſtum in indiuiduo. Antecedens patet, quia indulgentia Theſauri Eccleſiæ non poteſt aliter concedi quàm ad ædificationem, non autem ad deſtructionem. Conſequentia probatur, quia omne opus inhoneſtum in indiuiduo cum ſit peccaminoſum, eſt pietati contrarium. Secundò opus; quod expoſtulatur ad aſſequendam indulgentiam, debet eſſe proportionatũ fini illius ſpirituali, ac pio: at opus, quod non eſt honeſtum in indiuiduo non eſt tale; ergò non eſt ſatis ad indulgentiam aſſequendam. Maior patet. Probatur minor; quoniam opus illud cùm ſit peccaminoſum, nullo modo placet Deo, à quo maximè expectanda eſt vtilitas talis operis in ordine ad finem indulgentiæ, quæ ſpecialiter inuenitur in ſubſidio eleemoſynæ ratione rei donatæ, quæ valdè materialis, ſeù temporalis eſt, & per ſe ſolam non eſt proportionata, nec ſatis eſt, vt propter illam indulgentia concedatur: aliàs ſpiritualis gratia pro temporali ſubſidio principaliter concederetur, quod ſimonia eſſet. Denique ad conſequendã indulgentiam exigitur intentio ex parte recipientis adimplendi tale opus ad indulgentiam ipſam lucrandam; quæ intentio bona eſt; ergò neceſsè eſt, vt opus ſit bonum, non tantùm intrinſecè, & ex ſui natura; verùm etiam ex intentione operãtis, & ſic in indiuiduo. Vndè dicunt aliqui, quod opus adeò debet eſſe honeſtum in indiuiduo, vt ſi quis in eo adimplendo peccet venialiter, non cõſequatur indulgentiam.

His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror eſſe veriorem, quam docent *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 6. nu. 3. Henriq. lib. 1. c. 9. nu. 5. Prepoſit. in 3. p. D. Thom. q. 14. de indulg. dub. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 6. num. 158. & 159. Ludouic. à Cruz in Bull. Cruciatæ diſp. 1. c. 8. dub. 3. nu. 5. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract 7. c. 6. nu. 4. & Diana p. 5. Reſol. moral. reſol. 5.* Dicentes, opus ex ſuo genere bonum
3 ſimpliciter poſtulatum ad indulgentiam conſequendam, ſatis eſſe ſi adimpleatur etiam cum aliqua circũſtantia mala ab extrinſeco adiuncta; atque ideò ſi poſtuletur ſimpliciter eleemoſyna, is cui quærenda eſt indulgentia, licèt in ipſa eleemoſyna inanis gloriæ culpam immiſcuerit, indulgentiam tamen lucrabitur. Probatur quoniam, vt diximus ſupra *ſec. 2. illat. 5.* cum in forma indulgentiæ duo regulariter concurrant, nempè impoſitio alicuius oneris, & conceſſio alicuius remiſſionis, licèt indulgentia reſpectu conceſſionis remiſſionis ſit res fauorabilis, atque ideò veniat amplè interpetranda; nihilominus reſpectu impoſitionis oneris, ſeù operis, cum onus ſit res odioſa debet ſtrictè interpetrari, & propterea quoad oneri impoſitionem, verba indulgentiæ tantum ligant, quantum ſonant, vt patet ex communi Theologorum ſententia: ſed in caſu, de quo agitur, verba indulgentiæ nihil aliud ſonant ad eam lucrandam, niſi opus ex ſuo genere bonum: ergò illud tantum exigunt, licèt ex aliqua circumſtantia ab extrinſeco addita, ſit
4 malum. Secundò, Præceptum impletur per opus ex ſuo genere bonum, etiam ſi malè fiat, ſecundum ſententiam *Sanch. lib. 1. ſua ſum. c. 14. n. 1.* Et aliorum, dicẽtium præceptum Miſſæ, ieiunij, &c. Adimpleri, etiam ſi in actu adimpletionis culpæ contrahatur: ergò idem dicendum eſt de opere expoſtulato ad aſſeqnẽdam indulgentiam, vt ſatis ſit, quòd ſit bonum ex ſuo genere; licèt ex aliqua circumſtantia malè fiat. Denique indulgentiæ poſſunt concedi citra alicuius operis expoſtulationem, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 9.* ergò indulgentiæ concedi poſſunt ſub conditione pij, ſeù boni operis ex ſuo genere; licèt in indiuiduo non fiat ſecundum honeſtatem, ſeù bonitatem moralem: eò magis quia eiuſmodi opus cùm ſit intrinſecè bonum, ſecundum bonitatem intrinſecam, quam habet, placet Deo, ac ſolet ab illo præmium aliquod impetrare, vt de virtutibus Gentilium inquit *D. Auguſt. lib. 5. de Ciuit. Dei, c. 12. & 15.* Quod multo magis vendicat ſibi locum in operibus aliquo modo ex fide factis, & quodammodo nomine Eccleſiæ quatenus fiunt iuxta intentionem Sum. Pontificis concedentis indulgentias, & conducentibus ad finem ſpiritualem.

5 Ampliatur hæc concluſio primò, vt vera ſit ad conſequendam non ſolùm partem indulgentiæ; verùm etiam totam indulgentiam: ſiquidem opus intrinſecè, & ex ſui natura bonum, malum verò ab extrinſeco, & ex circumſtantia in indiuiduo, ſatis non eſſet ad comparandam totam indulgentiam, ſed tantùm partem, vt putat *Nau.* loco ſupra relato, tunc ſequeretur, quòd non adimplens totũ opus poſtulatũ, ſed ſolam partẽ, partem indulgentiæ compararet: quod eſt falſum, & contra eundem *Nauar.* vt ſuo loco infra dicemus in propria quæſtione. Etenim illa pars operis, quæ malè fit ob circumſtantiam malam, non plus confert ad indulgentiam, quàm ſi non fieret: ergò propter implementum partis operis, lucraretur pars indulgentiæ: ne igitur ſequatur eiuſmodi inconueniens, dicendum eſt, opus ex ſuo genere bonum, quamuis ſit ex circumſtantia malum in indiuiduo, ſatis eſſe ad conſequendam totam indulgentiam.

6 Secundò ampliatur, vt prædicta concluſio locum ſibi vendicet, etiam ſi in adimplendo illud opus, is cui quærenda eſt indulgentia

letha-

lethalem culpam contraxerit: nam ſi talis culpæ debitam pœnitentiam egerit, adhuc opus prædictum intrinſecè bonum, ſecundum bonitatem intrinſecam, quam habet, ſatis eſt ad indulgentiam aſſequendam, vt ſi opus expoſtulatum ſit eleemoſyna,& is,qui lucrari vult indulgentiam, eleemoſynam dederit animo lucrandi indulgentiam, & implendi opus expoſtulatum; verùm eleemoſynam illam tribuerit puellæ pauperi animo alliciendi eam ad peccandum. Etenim opus illud licèt ex circumſtantia ſit peccaminoſum lethaliter; nihilominus quia eſt intrinſecè bonum, ſecundum bonitatem, quam habet, placet Deo, & dirigitur ad finem indulgentiæ, qui ſpiritualis eſt, ac pius: & propterea, remoto obice lethalis culpæ per pœnitentiam, vt ſupra ſatis eſt ad lucrandam indulgentiam. Ita contra *Fabr. de pœnit. diſt.19.q.vnica, diſp.38. c.7.nu.* 214. docent *Laym. loco citato, & alij.*

7 Sic ampliata limitatur primò eadem concluſio, vt vera ſit, vbi ſimpliciter expoſtulatur opus aliquod bonum ex ſuo genere ad indulgentiam aſſequendam: ſecus autem ſi ex vi conceſſionis non modò expoſtulatur opus ex ſui natura bonum; ſed etiam moraliter bonum in indiuiduo ad effectum conſequendi indulgentiam: nam tunc is, cui quærenda eſt indulgentia, tenetur opus eiuſmodi quoad vtranq; bonitatem adimplere. Etenim concedens indulgentiam poteſt ad eam aſſequendam expoſtulare opus non ſolùm intrinſecè bonum, ſed etiam bonum in indiuiduo. Vndè cum conceſſio illa eſſet conditionalis, ita demum indulgentia ſuum produceret effectum, cùm impletur conditio. Ita *Suar. & Laym. locis citatis.*

8 Secundò limitatur, vt ad lucrandam indulgentiam, quamuis ſufficiat opus ex ſuo genere bonum, & ſi ex circumſtantia, & ab extrinſeco, ac in indiuiduo ſit malum; nihilominus is, cui quærenda eſt indulgentia, debet cum naturali bonitate operis cõiungere intentionem lucrandi indulgẽtiam,& operandi ad complendam Rom. Pontificis voluntatem, nam licèt non oporteat, vt tale opus ſit in ſe,ac formaliter ſuper naturale, nec in eo ratio meriti, aut ſatisfactio de condigno neceſſaria eſt;tamen requiritur aliqua congruitas, quæ fundetur ſaltem in bonitate operis, & in intentione operantis, vt ſupra,in qua poſſit aliqualis interpetratio apud Deum fundari, vt rectè explicat *Suar. d. diſp. 52. ſec.6. nu.6.*

9 Tertiò limitatur ipſa concluſio, vt locum ſibi vendicet in conceſſione indulgentiarum, quæ conceduntur ſub conditione operis, ſupplentis iuſtitiam cauſæ finalis, propter quam fuit conceſſa indulgentia, & conducentis ad finem principaliter intentum, etiam ſi fiat ſecundum ſubſtantiam dumtaxat: tunc enim ſatis eſt ſi opus expoſtulatum ſit bonum ſecundum ſubſtantiam, licèt malè fiat. Vt ſi ad committendum bellum contra Chriſtiani, aut Catholici nominis inimicos expoſtuletur aliqua retributio in perſona, vel in bonis: ſecus autem ſi opus poſtulatum non conducat ad finem principaliter intentum, niſi fiat non ſolùm ſecundum ſubſtantiam;ſed etiam ſecundum moralem bonitatem ex omnibus circumſtantijs pendentem. Vt ſi ad placandam iram Dei expoſtuletur opus ieiunij,tunc non aſſequetur indulgentiam, qui ieiunans voluntariè vino ebrius efficiatur: aut ſi præcipiatur viſitatio Eccleſiæ, quis Eccleſiam viſitet citra deuotionem aliquam per eam deambulando: ſed opus eſt ſaltem, vt ſua præſentia communem Populi deprecationem approbet,& cohoneſtet,vt habetur ex *Laym. lib.5. ſuæ ſum. tract.7.c.6.nu.4. Nugno in 3.p.q.27.art.3. lib.5.* & ex alijs.

Reſtat modò, vt contraria ſoluantur.

10 AD primum reſpondetur negando conſequentiam, quando finis concedeotis indulgentiam, præcisè ſumptus, eſt ſufficiens, vt proximè moueat diſpenſatorem Theſauri prudenter operantem, vt ſumus in caſu noſtro; quia licèt poſitiuè nõ exigat omnes illas circumſtantias; illas tamen non excludit; quin potius ad illas tacitè inuitat. Poteſt tamen eas non exigere neceſſariò, ne nimis difficilem reddat indulgentiæ conſecutinnem.

11 ad ſecundum negatur minor: & ad probationem dicitur, quòd illud opus ex genere bonum, & ex aliqua circumſtantia peccaminoſum, placet Deo;quoniam ab excipitur vtilitas talis operis in ordine ad finem indulgentiæ, qui ſpiritualis eſt.

12 Ad vltimum negatur conſequentia: nam ſatis eſt, vt intentio habeatur adimplendi opus,vt dicatur bona; cum impletio talis operis ſecundum ſubſtantiam placet Deo, vt ſupra oſtendimus: quòd autem tale opus malè fiat ex aliqua circumſtantia, id oon attenditur.

An opus ad indulgentiam expoſtulatum debeat eſſe externum; vel ſufficiat, ſi ſit internum.

S E C. XI.

S V M M A R I V M.

1 *Opus quod ad indulgentiam expoſtulatur, debet eſſe externum, nec ſatis eſt internum.*

2 *Poteſt Sum. Pontifex ad obtinendam indulgentiam expoſtulare opus merè internum, qualis eſt contritio, &c. Et hic modus auget piam cauſam.*

3 *Modus concedendi indulgentiam ſub conditione operis interni, non excedit Eccleſiæ Iuriſdictionem.*

4 *Opera externa ad obtinendam indulgentiam valdè congruentia ſunt.*

1 IN hac difficultate videtur prima facie dicendum, opus,quod ad indulgentiam aſſequendam poſtulatur debere eſſe externum, nec ſatis eſt ſi ſit internum. Probatur,quoniam indulgentiarũ conceſſio eſt actus externæ iuriſdictionis Eccleſiæ, vt ſæpè diximus: ergò opus, quod poſtulatur ad indulgẽtiam aſſequendam debet eſſe externũ, nec ſufficit internum,conſequentia probatur; quia Eccleſia iuriſdictionem habet ſuper actus externos tantùm, non autem internos. Hinc cenſura cùm ſit actus iuriſdictionis externæ exigitur, vt actus, pro quibus cenſuræ feruntur, ſint externi, cùm Eccleſia non iudicet de internis, vt latè oſtendimus in *noſtris Commentarijs in Bull. Cœnæ, lib.1.c.1.q.2.nu.4.* Secundò, indulgentiæ conceduntur, vel ad publicam Eccleſiæ vtilitatem, vel ad gloriam, & laudem Dei, eiuſdemq; Sanctorum: & vtrunq; fit in Eccleſia per actus exteriores, quales ſuot eleemoſynæ, ieiunia, Eccleſiarum viſitatio, & his ſimilia:

Digitized by Google

ſimilia: ergò, &c. Denique per indulgentiam commutatur quodammodo ſacramentalis pœnitentia in tale opus: ergò ſicut ſacramẽtales actiones debent eſſe ſenſibiles, ac externæ; ita quoque opus, quod expoſtulatur ad indulgentiam aſſequendam, debet eſſe ſenſibile, & externum. In hanc ſententiam videtur inclinare ſaltem de congruentia, *D. Bonauen. in 4. d. 20. q. 4.* Et pro eadem opinione poteſt afferri *Rodriq. in Bull. Cruciata, §. 7. n. 1.* Vbi ait, quòd oratio facienda in Eccleſijs, vel Altaribus pro lucranda indulgentia dictæ Bullæ, non eſt ſatis ſi ſit mentalis, ſed debet eſſe vocalis: & idem docet *Ludouic. della Cruz in Bull. Cruciate diſp. 1. c. 8. dub. 13. nn. 6.* Moti ex eo, quòd opus expoſtulatum ab indulgentia pro requiritur in ſatisfactionem pœnæ: at opera ſatisfactoria debent eſſe externa: nam ob id ſi Cõfeſſarius imponat penitenti orationes aliquas in pœnitentiam, & ſatisfactionem, non ſufficit, ſi orationes illæ fiant mentaliter tantùm, ſed debent fieri vocaliter, ac voce proferri: ſicut Eccleſia quando præcipit Diuinum officium, vel Miſſam; non eſt ſatis ſi Diuinum officium, & Miſſa mente celebrentur.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto eſſe veriorem, quam docet *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 5. nn. 6.* Dicens, poſſe Rom. Pontificem ad obtinendam indulgentiam expoſtulare opus merum internum; qualis eſt contritio, oratio mentalis, &c. Probatur hæc concluſio ex ijs, quæ ſupra oſtendimus *ſec. 9.* Dum oſtendimus, poſſe Rom. Pontificem dare indulgentiam citra omnem operis poſtulationẽ: ergò tanto fortius poteſt eam concedere expoſtulato opere purè interno: ſiquidem tunc poſſunt concurrere, etiam omnia alia neceſſaria ad indulgentiam, & nihil additur, quod illi repugnet. Confirmatur, quoniam eiuſmodi modus concedendi indulgentiam ſub conditione operis purè interni auget piam cauſam; atque ideò poteſt supplere defectum illius, & cedere in magnam fidelium vtilitatẽ, vt excitentur ſcilicèt ad actus internos contritionis, ac deuotionis, quibus etiam Deus valdè glorificatur. Denique probatur hæc ipſa ſententia ex communi vſu Eccleſiæ, quæ conſueuit indulgentias concedere non ſolùm ſub conditione operis externi; ſed etiam interni: ſiquidem concedi ſolent indulgentiæ facientibus examen conſcientiæ, orationem mentalem: & in articulo mortis corde inuocantibus Sanctiſſimum nomen Ieſus, ſi ore non valeant.

Reſtat, vt contraria diluamus.

3 AD primum reſpondetur negando conſequentiam, & ad probationem dicimus, quòd modus concedendi indulgentiam ſub conditione operis interni, non excedit Eccleſiæ iuriſdictionem: quoniam Eccleſia non iudicat de tali actu, nec propriè exercet iuriſdictionem in illum; ſed eum expoſtulat vt conditionem dumtaxat neceſſariam ad talem effectum conſequendum, quæ conditio poteſt eſſe verè interna: nam non eſt neceſsè, vt de illa cõſtet apud Eccleſiam; ſed apud Deum.

4 Ad reliqua dicimus ex eis nihil aliud colligi, niſi opera externa eſſe valdè congruentia iuxta ſententiam *D. Bonauen. ſupra relatam*, & ad opinionem *Rodriq. & Ludouici della Cruz* reſpondetur, quod contraria eſt probabilior, quã docet *Egid. Trullench. in Bull. Cruciata lib. 1. §. 6. dub. 2. nu. 7.* qui ad argumenta *Rodriq.* ſufficienter reſpondet, & eum ſequitur *Diana p. 5. Reſol. moral. tract. 12. reſol. 44.*

An opus expoſtulatum ad obtinendam indulgentiam debeat adimpleri cum intentione lucrandi illam.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Qui contritus viſitauerit Eccleſiam, ignorans, ibi adeſſe indulgentiam, an lucretur illam: Et adducitur opinio negatiua, & nu. ſeq.*

2 *Ad indulgentiam aſſequendam non requiritur neceſſariò, vt opus expoſtulatum adimpleatur cum intentione lucrandi illam.*

Et quanam intentio requiratur ad lucrandam indulgentiam ex parte ſuſcipientis.

3 *Indulgentiam plenariam, cõceſſam ab Adriano VI. fidelibus, in gratia exiſtentibus, qui ad ceria Campana ſigna poſt ſolis occaſum recitant Aue Maria cum ver, Angelus Domini, &c. Etiam lucrantur adimplentes opera ipſa in gratia, quamuis ignorantes talem indulgentiam: Quod idem de horis Canonicis dicendum eſt.*

1 EXemplum dati poteſt de eo, qui contritus viſitauit Eccleſiam, cui conceſſa erat indulgentia plenaria, aut partia is ſub onere tantum viſitationis, & contritionis: verùm tempore viſitationis ignorabat, dictam Eccleſiam habere talem indulgentiam ſub tali onere. Quæritur igitur, an is indulgentiam ipſam fuerit conſecutus.

In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Cord. de indulg. q. 25. Veg. in ſua ſum. tom. 2. c. 7. caſu 2. Alph. de Leone, de iubil. p. 2. nn. 135.* Et aliorum negantium eo caſu lucrari indulgentiam, & id probant ex eo, quòd non videtur talis eſſe Rom. Pontificis intentio.

His non obſtantibus oppoſita ſententia nobis videtur verior, quam docent *Ioan. de Sal. de legib. diſp. 17. c. 5. in prin. Santarell. de Iubil. c. 15. nu. 4. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. nu. 5. Diana p. 4. Reſol moral. tract. 4 reſol. 24. & p. 5. tract. 12. reſolut. 6. Portell. in addit. ad dubia regular. ver. Indulgentia, nn. 7. & Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 26. difficult. 13. nn. 9.* Dicentes

2 ad indulgentiam aſſequendam non requiri neceſſariò, vt opus expoſtulatum adimpleatur cum intentione lucrandi indulgentiam; ſed ſatis eſſe, ſi quis illud præſtet ignorans eam, vel eiuſdem oblitus. Probatur hæc concluſio ex eo, quod iuſtus alteri homini iuſto etiam ignoranti ſatiſfactionem applicare poteſt, vt ſupra oſtendimus *ſec. 1. verſ. Dixi actus clauium, vt indulgentia. Et verſ. Imò membrum viuum*: Ergò, & Paſtor Eccleſiæ poteſt ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, atque adeò Theſaurum Eccleſiæ applicare per indulgentiam homini ignoranti; maximè ſi fuerit v. g. mox moriturus, & à ſenſibus ferè remotus. Si igitur Sum. Pontifex hanc poteſtatem habet: ergò præſumendum eſt, voluntatem Rom. Pontificis indulgentiam concedentis eſſe, vt quæratur nõ ſolùm actualiter volenti,

ſed

Digitized by Google

ſed etiam ignoranti, & oblito: ſiquidem indulgentia cùm ſit res fauorabilis, voluntas concedentis latè eſt interpetranda, vt ſupra oſtendimus, *ſec.2.* eò magis, quia hoc caſu ſaluatur proprietas verborum concedentis: nam viſitatio Eccleſiæ, & contritio exhibentur, quæ ad lucrandam indulgentiam expoſtulantur. Vndè non videtur militare doctrina *Trullench. in Bull. Cruciata, lib.1.§.6.dub.2.nu.5. Rodriq. in eandem Bull. §.8. nu. 9.* Et aliorum exiſtimantium ad lucrandam indulgentiam requiri actualem, aut virtualem intentionem ex parte ſuſcipientis eam; ſed ſatis eſt habitualis, ita vt tempore impletionis operum ita ſit diſpoſitus, vt ſi ſciuiſſet in tali Eccleſia eſſe talem indulgentiam, æquè ſaltem deuotè ipſa opera impleuiſſet ad aſſequendam illam. Cùm natura indulgentiæ hanc actualem intentionem non expoſtulat, vt patet ex ijs, quæ ſupra diximus. Et hanc eandem opinionem teſtatur *Portell. loco citato*, ſe audiuiſſe ex ore proprio Ludouici Molinæ viri doctiſſimi Societatis Ieſu.

3 Ex dictis infertur, quod innumeri ferè ſunt, qui ignorant indulgentiam plenariam cõceſſam ab Adriano VI. fidelibus in gratia exiſtentibus, qui ad tria ſigna Campanæ poſt Solis occaſum, recitent, *Aue Maria: cum verſ. Angelus Domini, &c. Ecce Ancilla Domini, &c. Verbum caro factum eſt, &c.* Cuius meminit *Diana d. reſol.24.* Et tamen, ſuppoſita vera conceſſione talis indulgentiæ, adimplentes opera ipſa in gratia, eam lucrantur. Idem dicendum de recitantibus horas canonicas ignorãtibus indulgentias conceſſas ijs, qui illas recitant; nam ſi in gratia ſint dum recitant, eas aſſequntur, vt habetur ex *Portell. loco citato*, quem refert, & ſequitur *Diana d. reſol.24.*

An opus iniunctum ad acquirendam indulgentiam ſcitam ab eo, cui quærenda eſt, faciendum ſit intentione principali, vel æquè principali ad illam aſſequendam.

SEC. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Qui tempore anni Iubilai principaliter ſe Romam confert ad beneficium aliquod obtinendum, & minus principaliter ad conſequendum Iubilaum, ſi opera expoſtulata impleat, an lucretur illud.*

2 *Haud requiritur ex vi indulgentia, vt opera pia expoſtulata, principaliter efficiantur ad eam aſſequendam, ſed ſatis eſt finis, minus, vel ſaltem aquè principalis.*

1 EXemplum dari poteſt de eo, qui tempore anni Iubilæi principaliter ſe Romam confert ad obtinendum beneficium aliquod: & minus principaliter ad aſſequendum Iubilæum: quæritur, an is implens opera expoſtulata lucretur illud? In hac difficultate partem negatiuam docent *Cord. de indulg. q.25. Rodriq. in Bulla Cruciata, § 8. nu.9. Vega in ſum. tom.1.c.7. caſu 2.* Et alij moti ex præſumpta voluntate concedentis.

In contrarium tamen eſt opinio *Iacobi Granadi in 3. p. de Sacram. controuer. 12. tract. 5. di. p.4. nu.10. Diana p.5. Reſol. moral. tract. 12. reſol. 7.* Et aliorum, dicentium non requiri, vt

2 opera pia ex vi indulgentiæ expoſtulata efficiantur principaliter ad eam aſſequendam; ſed ſatis eſt finis minus principalis, vel ſaltem æquè principalis. Etenim, vt opus requiſitum ſit pium, ſufficit, vt quis habeat intentionem lucrandi indulgentiam dum cogitat de illa, atque ideò non habeat intentionem contrariam, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in *præced. ſec.* Confirmatur, quoniam indulgentia eſt ſauorabilis; & propterea amplianda: & operis impoſitio reſtringenda cum ſit odioſa: at in conceſſione indulgentiarum, nos ſupponimus non dici, vt opera iniuncta fiant principaliter, vel æquè principaliter ad lucrandam indulgentiam: ergò ſatis eſt vt quis intentionem habeat lucrandi indulgentiam quamuis ſit minus principalis: & faciat opus ob alium finem principaliter, quo non exiſtente, opus illud non efficeret.

An qui per aliquam Impotentiam phyſicam, vel moralem non poteſt confeſſionem facere à Iubilæo præſcriptam, ſed contritus alia opera adimpleat, aſſequatur illud.

SEC. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Qui ſolum contritus alia opera à Iubilao praſcripta adimplet, quia phyſicè, vel moraliter non poteſt confeſſionem facere, aſſequatur illud, & quare.*

2 *In contrarium eſt verior ſententia, & qua ratione.*

3 *Vtraque ſententia optima diſtinctione conciliatur.*

1 PArtem affirmatiuam docent *Henriq. lib. 7. c.10.§.6. in addit. liet. N. & c.12. §.12. in addit. lite. H. Laym. lib.5. ſua ſum. tract.7.c.6. nu.7. verſ. Dico tertiò in fine, Reginald. tom. 1. ſua prax. lib.7.c.vlt.q.2.nu.171. & 185. Zerola de iubil. lib.1.c.15.dub.13. & 60. Zernarol. in direct. Theol. p.1. de pœnit. c.21. q. 20. Vega in ſum. p. 2. c. 7. caſu 31.* Et alij, moti ex eo, quòd ex vi Iubilæi confeſſio non præcipitur. tanquam actus propter quem conceditur Iubilæum, ſed vt ſecurior diſpoſitio ad indulgentiam lucrandam: & dum confeſſio ſacramentalis eſt impoſſibilis, eſt præſumendnm piam mentem Rom. Pontificis eſſe, vt in tali euentu ſit ſatis contritio, & hanc ſententiam tenet etiam *Diana*, & probabilem putat *p.3. Reſol. moral. tract.4. reſol.150.*

2 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam puto veriorem eſſe *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec.3. nu.6. Filliuc. tom.1. qq. moral. tract.8. c.6. nu.146. Lauor. de iubil. p. 2. c. 14. num.80. Alph. de Leone eod. tract. p.1. nu. 69. & p.2. nu. 168. Franc. Leo in Theſ. fori Eccleſ. p. 1. c.7. nu.26. Homob. in exam. Eccl. p. 2. tract. 8. c.7. q. 22. Barthol. à S. Fauſto de iubil. lib. 4. q. 41.* & nouiſſimè *Diana p.5. reſol. tract. 12. reſol.29. in fine.* Fundantur in eo, quòd in Iubilæo præcipitur vt conditio ipſa confeſſio neceſſariò requiſita ad aſſequendum Iubilæum: nec recurrendum eſt ad præſumptam mentem Sum. Pontificis cùm ſimus in claris. Et eo magis, quoniam inquit *Diana*, quòd hic non eſt caſus, vt quis habens peccatum mortale valeat communicare

abſque

Digitized by Google

abſque præuia confeſſione; niſi ſcādali periculum immineat, vt latè de hac re infra dicemus, §. *ſeq. diſp. 1. ſec. 6. concl. 6.* Hæ ſunt opiniones in hac re extantes, reſtat modò, vt quid nobis dicendum ſit videamus.

3 In hac re eſt inſpiciendum, quòd aut in Bulla Iubilæi expoſtulatur confeſſio tantùm, non autem communio: aut expoſtulantur ſimul confeſſio, & communio. His igitur ſic ſtantibus, conciliari poſſunt ſupradictæ opiniones, vt prior ſit vera quando præcipitur confeſſio dumtaxat: & id propter rationem pro ea allatam. Poſterior verò locum ſibi vendicat, vbi ſimul fuerint præceptæ confeſſio, & communio; quoniam tunc præſumuntur requiſitæ, vt conditio ad aſſequendum Iobilæum, iuxta rationem *Dianæ*, propter quam meritò *Diana* ſe retractauit: ſiquidem iſte non eſt caſus, vt quis habens peccatum mortale valeat communicare, non præmia confeſſione: nec talis præſumitur intentio Rom. Pontificis, Iubilæum ſub hac forma concedentis. Vndè ſi præcipiatur tantùm confeſſio, & non communio, ſatis eſt ſi contritus alia opera expoſtulata adimpleat, ſi confiteri non valeat; non tamen poterit communicare per ea, quæ infra dicemus, *d. ſec. 6. concl. 6.* Quòd ſi vi Bullæ præcipiatur ſimul confeſſio, & communio, ſi quis non poſſit confiteri; non eſt ſatis ſi communicet, & alia opera contritus adimpleat, ad aſſequendum Iubilæum.

An ſi ad indulgentiam aſſequendam poſtuletur communio, & expreſsè non poſtuletur confeſſio, confeſſio ipſa prærequiratur.

SEC. XV.

SVMMARIVM.

1 *In homine, conſcientiam habente peccati mortalis, neceſſariò prærequiritur confeſſio, ſi ad conſequendam indulgentiam præcipiatur tantum communio.*

2 *Si in forma cōceſſionis indulgentiæ fiat tantum mentio communionis, & nulla ſacramentalis confeſſionis, poteſt eam aſſequi quicunq; dignè accedit ad Sacram Communionem, licèt confeſſionem non præmittat.*

3 *Qui conſcientiam habet peccati mortalis, & verè contritus accedat ad ſacram communionem, lucrabitur hanc indulgentiam, & in quibus caſibus.*

4 *Qui faceret confeſſionem inualidam, præciſa noua culpa, nempè per inaduertentiam, & bona fide ſaltem cum attritione ad ſacram accederet communionem, per quam iuſtificetur, lucrabitur indulgentiam.*
Quid dicendum ſi culpa ſua faceret confeſſionem inualidam.

5 *Tunc quis cum ſola communione minimè lucratur indulgentiam, cum haberi poteſt copia Confeſſarij, & non confitetur, ſecus ſi deſiit, vel ex inaduertentia, bona fide, compulſus ſit Sacerdos celebrare confeſſione non præmiſſa.*

1 IN hac difficultate videtur dicendum, in homine habente conſcientiam peccati mortalis neceſſariò prærequiri confeſſionem, licèt non exprimatur, ſi ad indulgentiam conſequendam præcipiatur communio. Probatur; quoniam de iure Diuino præexigitur ſacramentalis confeſſio ad Euchariſtiam dignè ſumendam ab homine habente cōſcientiam peccati mortalis: ergò cùm ſimpliciter præcipitur communio, cenſetur etiam præcepta prærequiſita confeſſio in homine habente conſcientiam peccati mortalis. Antecedens patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* vbi ſic legitur, *Quo magis ſanctitas, & Diuinitas cæleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentius cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia, & ſanctitate ad percipiendum accedat; præſertim cùm illa plena formidinis verba apud Apoſtolum legamus Corinth. 10. Qui manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini: quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum; probet ſe ipſum homo, &c. Corinth. 11. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarauit, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad Sacram Euchariſtam accedere debeat.* Conſequentia probatur, quia cùm præcipitur illud, præceptum cēſetur omne illud, per quod deuenitur ad illud: ergò cùm in caſu noſtro expoſtuletur communio cenſetur etiam expoſtulata confeſſio in homine habente conſcientiam peccati mortalis, cùm citra illam ad communionē perueniri nō poſſit.

2 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam puto veriorem, quam docet *Laym. lib. 3. ſuæ ſum. Theol. tract. 7. c. 6.* Et aliorum dicentium, quòd ſi in forma conceſſionis indulgentiæ nulla fiat mentio ſacramentalis confeſſionis; ſed tantùm communionis; poteſt eam aſſequi omnis, qui dignè ſacram communionem ſuſcipit, licèt non præmittat confeſſionem peccatorum. Probatur; quoniā verba indulgentiæ tantùm ligant, quantum ſonant; ſed verba indulgentiæ non ſonant confeſſionem; ergò, &c. Confirmatur ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 2.* in relatione tertiæ ſententiæ, vbi oſtendimus, quod vbi dubitatur de volontate concedentis indulgentiam, tunc indulgentia amplianda eſt in fauorem eius, cui indulgentia conceditur: ſiquidem eo caſu indulgentia eſt res fauorabilis: *arg. tex. in c. odia de regul. iur. in 6.*

3 Ex hoc infertur, quòd ſi quis habeat conſcientiam peccati mortalis, & verè contritus accedat ad ſacram communionem pro obtinenda indulgentia non habens copiam Confeſſarij: vel quia bona fide, ex ignorantia inuincibili, aut ex alia cauſa iuſta id faciat, indulgentiam ipſam conſequitur; quia his caſibus iure Diuino non inhibetur communio, vt infra dicemus, §. 2. *diſp. 2. ſec. 6. concl. 6.*

4 Secundò infertur, quòd ſi quis faceret confeſſionem inualidam, præciſa noua culpa, nempè per inaduertentiam: & deindè bona fide ſaltem cum attritione accederet ad ſacram communionem, & per eam iuſtificetur, indulgentiam lucrabitur. Etenim eo caſu implet, quæ poſtulantur ex vi cōceſſionis indulgentiæ. Dixi, *Præciſa noua culpa.* Quia ſi quis culpa ſua faceret confeſſionem inualidam; quoniam aliter eſſet dicendum: ſiquidem nomine confeſſionis totum Sacramentum ſignificatur, & intelligitur de confeſſione valida, vt ſupra oſtendimus *diſp. 2. ſec. 1.* Non tamen idem dicendum eſt de confeſſione

valida,

valida, ſed informis, quam nos dari oſtendimus ſupra *d. diſp. 2. ſec. 3.* dummodò poſtea eo tempore, quo effectus indulgentiæ obtinendus eſt, is cui quærenda eſt indulgentia, ſit gratiam conſecutus. Vndè ex dictis patet, quod quando communio tantum ex vi indulgentiæ expoſtulatur, is cui quærenda eſt indulgentia ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, non excuſatur à confeſſione, ſi poſſit præmittere; quoniam eo caſu eſt iure Diuino præcepta: ſecus ſi conſcientiam peccati mortalis non habeat; nam tunc non tenetur eam præmittere; niſi ſpecialiter fuerit præcepta ad aſſequendam indulgentiam, vt præſumitur cùm confeſſio, & communio ſimul expoſtulantur, vt ſupra adnotauimus *ſec. præced.*

5 Ad contrarium patet reſponſio: etenim antecedans ex Conc. Trid. tunc verum eſt, cùm haberi poteſt copia Confeſſarij: ſecus autem ſi deſit, vel ex inaduertentia, bona fide, aut neceſſitate compulſus Sacerdos celebrauerit, non præmiſſa confeſſione; quoniam tunc ſatis eſt contritio: ſiquidem confeſſio in caſu, de quo agitur, non exigitur ex vi conceſſionis; ſed ad ſacram communionem dignè ſumendam. Refellitur tamen *Panor. ſententia, in c. de homine de celebr. Miſſ.* & aliorum, quos refert *Syl. in ver Euchariſtia, nu.* 10. Dicentium, non ſemper præexigi confeſſionem ad communionem; ſed cum contritione ſatis eſſe ſemel in anno eſſe confeſſum, arbitrantes, quòd ius Canonicum, & non Diuinum præceperit, confeſſionem prærequiri ad communionem; nam id eſt falſum, vt colligitur ex *Conc. Trid. loco citato.*

An quando indulgentia conceditur contritis, & confeſſis, actualis confeſſio præmittenda ſit ad eam aſſequendam.

SEC. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia ſi concedatur contritis, & confeſſis, ex vi verborum neceſſario eſt præmittenda confeſſio, & nu. 4. & 7.*

2 *Non ſemper opus eſt confeſſionem præmittere ad obtinendam indulgentiam, ſed ſatis eſt ſi tempore debito facta fuerit, ſatiſq; an ſit contritio cum propoſito confitendi tempore debito.*

3 *Qui confiteri non poteſt ex inopia Confeſſarij, vel ex alio accidenti, &c. Si veram contritionèm habeat, lucrabitur indulgentiam, & num. 8.*

4 *Ex vi dictorum verborum an, & quando confeſſio exigatur, & nu. 10.*

5 *Concedens indulgentias contritis, & confeſſis, quid expoſtulare intendat per illa verba.*
Et an intelligantur de contritione vera, & perfecta, quæ ſatis eſt ad culpæ mortalis remiſſionem, ac pœnæ æternæ.

6 *Supradictæ quatuor ſententiæ in quo cõueniant, & in quo differant.*

7 *Tutior eſt ſententia, præexigens confeſſionem ad aſſequendam indulgentiam, ſi is, qui eam vult aſſequi, conſcientiam habeat culpæ mortalis.*

8 *Quamuis hæc prima ſententia ſit valde probabilis, tertia tamen ſentẽtia eſt vera, ac tenẽda, vbi confeſſio ſacramentalis ſit alicui impoſſibilis ob defectum Confeſſarij, vel aliam cauſam rationabilem.*

9 *Attritus tantum, ſi confeſſione præmiſſa alia opera iniuncta adimpleat, indulgentiæ effectũ procul dubio obtinebit.*

10 *Ex vi conceſſionis per verba ſupradicta, non expoſtulatur confeſſio, vt conditio neceſſaria, ſed in defectum debitæ cõtritionis dumtaxat.*

11 *Vbi ad obtinendam indulgentiam expoſtulatur confeſſio, vt conditio neceſſaria, & is, cui quærenda eſt indulgentia infra tempus præſcriptum confeſſionem præmiſit, ſed ante momentum illud, quo fructus indulgentiæ erat obtinendus, iterum mortaliter peccauit, debet rurſus confiteri.*

12 *Qui confitetur ad aſſequendam huiuſmodi indulgentiam, & bona fide obliuiſcatur alicuius culpæ mortalis, cuius deindè recordetur tempore quo adhuc durat indulgentia, tenetur peccatum illud confiteri, aliàs indulgentiam non lucrabitur.*

1 IN hac difficultate quatuor extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Duran. in 4. d. 20. q. 4.* Et aliorum; dicentium, ex vi verborum neceſſariò eſſe præmittendam confeſſionem, vt poſſit indulgentiæ effectus obtineri. Probant hanc ſententiam ex eo, quòd verba indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant; ſed verba indulgentiæ, de qua agitur, ſonant, ac expoſtulant confeſſionem præter contritionem: ergò ad eam aſſequendam non modò exigitur contritio, ſed etiam confeſſio.

2 Secunda ſententia eſt *D. Antonin. 1 p. tit. 10. c. 3. §. 5. & Gabr. in 4. d. 45. q. 3. art. 3. dub. 1.* Dicentium, non ſemper opus eſſe in caſu noſtro confeſſionem præmittere, cùm indulgentia obtinenda eſt; ſed ſatis eſt ſi tempore debito facta fuerit confeſſio: vndè volunt, ſatis eſſe contritionem cum propoſito confitendi tempore debito. Probant eorum opinionem ex eo, quòd forma indulgentiæ exigit confeſſionem; ſed non determinat tempus, in quo eſt facienda: ergò ſufficit ſi fiat tempore debito iuxta iuris præceptum: ſiquidem verba generalia cuiuſcunque priuilegij iuxta iuris diſpoſitionem veniunt interpretanda.

3 Tertia ſententia eſt *Nauar. in Commentar. de indulg. nu. 18.* Exiſtimantis, quòd ſi quis confiteri non poſſit ex inopia Confeſſarij, vel ex alio accidenti, aut bona fide ob probabilem ignorantiam confeſſionem non faciat; attamen ſi veram contritionem habeat, indulgentiam lucrabitur: ſecus autem ſi voluntariè, & citra rationabilem cauſam confeſſionem omitteret. Quam quidem intentionem fundat in præſumpta voluntate indulgentiam concedentis.

4 Quarta ſententia eſt *Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 3. Canoniſt. in clem. vnica, de Reliq. & vener. Sanct. Ioan. Andr. in c. quod autem, ſupra eod. tit. noſtro de pœnit. & remiſ. Panor. in explic. noſtri cap.* & latè *Felin. in ſuo tract. de indulg. nu. 25. cum ſeq.* Et aliorum dicentium, ex vi dictorum verborum non exigi ſemper confeſſionem ſacramentalem in re; ſed ita demum, quando is, cui quærenda eſt indulgentia habens conſcientiam peccati mortalis, de eo non habeat veram, ac perfectam contritionem; ſed tantùm

 imper-

imperfectam, atque ideò attritionem: ſiquidem perfecta contritio non exigit confeſſionem in re, ſed tantùm in voto. Probant hanc opinionem primò; quia concedens indulgentias per ſupra-
5 dicta verba, confeſſis, & contritis, non intendit expoſtulare confeſſionem, vt ſpeciale opus neceſſarium ad indulgentiam obtinendam; ſed tantùm, vt is, cui quærenda eſt indulgentia, ſit in gratia, & indulgentiæ effectus capax, ac ad tollendum obicem: id autem accidit, quando ſolum eſt attritus; ſecus autem ſi ſit contritus. Secundò, illa verba, contritis, & confeſſis; intelliguntur de contritione vera, ac perfecta, quæ ſatis ſit ad remiſſionem culpæ mortalis, & pęnæ æternæ, quæ deletur propter culpam: aut intelliguntur de contritione imperfecta, & ſic de attritione, quæ ſe ſola non ſufficit ad remiſſionem culpæ mortalis, & pœnæ æternæ; ſed coniuncta cum confeſſione, & ſuſceptione integra Sacramenti pœnitentiæ: aut intelliguntur generaliter abſtrahendo à perfecta, & imperfecta contritione, ſi verba illa intelligantur primo modo, non poſſunt intelligi coniunctiuè; aliàs ſemper cum confeſſione neceſſaria eſſet contritio perfecta, nec ſatis eſſet attritio: quod dici nõ poteſt; ergò intelligenda ſunt diuiſim, ac diſtributiuè; nempè tàm contritis, quàm confeſſis: ideſt, vt contritio perfecta ſe ſola ſufficiat ad comparandam indulgentiam, vel confeſſio cum cõtritione imperfecta. Si intelligatur ſecundo modo, clarum eſt requiri confeſſionem: quia attritio ſe ſola non ſufficit ad remiſſionem culpæ, vt ſupra diximus. Quod ſi verba illa intelligantur tertio modo, confeſſio non ſemper exigitur ad obtinendam indulgentiam, ſed quatenus neceſſaria eſt ad gratiam aſſequendam, ac ad remiſſionem culpæ mortalis, & pœnæ æternæ: quod accidit, quando is, cui quærenda eſt indulgentia, eſt tantum attritus, & ſic imperfectam contritionem habeat. Cæterum ſi ſit perfectè contritus, non indiget confeſſione ad obtinendant indulgentiam. Denique indulgentia eſt res fauorabilis, vt ſupra oſtendimus *ſec.* 20. ergò amplianda eſt ad fauorem eius, cui conceditur, ita vt in caſu noſtro ita demum requiratur confeſſio, quando neceſſaria eſt ad iuſtificationem, & ad aſſequendam gratiam. Hæ ſunt opiniones Doctorum in hac re; reſtat modo, vt quid nobis dicendum ſit, videamus. Sit igitur.

PRIMA CONCLVSIO.

6 OMnes ſuprarelatæ opiniones conueniunt inter ſe circa exigentium confeſſionis in caſu, de quo agitur. Differunt tamen, quòd prima requirit confeſſionem ante indulgentiæ effectus executionem. Secunda eam expoſtulat in voto, actu facienda tempore, quo vrget adimplendi præceptum confeſſionis. Tertia conuenit cum prima; ſed eam limitat in caſu, quo non habetur copia Confeſſoris. Quarta deniq; exigit præmitti confeſſionem ab attritis tantùm, non autem à contritis perfectè, & verè pœnitentibus: quæ quidem ſententia re vera non videtur differre à ſecunda: ſiquidem illa ſecunda ſententia dum requirit confeſſionem faciendam tempore debito, ſupponit ſatis eſſe contritionem veram, & perfectam ad aſſequendam indulgentiam: quoniam omnis contritio in lege Euangelica includit votum confeſſionis ſaltem tempore debito: nec ob id negat exigi confeſſionem ab attrito tantùm; atque ideo ab habente contritionem imperfectam.

SECVNDA CONCLVSIO.

7 TVtior eſt prima ſententia, quæ præexigit confeſſionem ſacramentalem ad indulgentiam aſſequendam, ſi is cui quærenda eſt indulgentia habet conſcientiam peccati mortalis, nec ſatis eſt contritio vera, ac perfecta. Hæc concluſio probatur ex eo, quod ſententia eiuſmodi eſt magis conformis verbis formæ conceſſionis indulgentiæ, qua conceditur verè contritis, & confeſſis: ſeù verè pœnitentibus, & confeſſis: nam verè pœnitens, & verè contriti idem ſignificant: vndè cùm id ſonent verba, in dubio ab illis non eſt recedendum; eo magis quoniam indulgentiæ regulariter tãtum valent; quantum ſonant. Hanc eandem concluſionem tenet *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. ſub nu. 6. verſ. Dico tertio*. Imò addit dicens eſſe longè probabiliorem; eo quòd eſt ſecundum praxim Eccleſiæ, quæ exigit confeſſionem mortalium, vt per eam certius, ac ſecurius tollatur obex lucrandæ indulgentiæ, cùm non poſſimus eſſe certi de contritione vera, & perfecta, iuxta illud Apoſtoli, *Nemo ſcit, an odio, vel amore ſit dignus*. Confirmatur, quia humilis, & externa cõfeſſio facta coram Sacerdote, hominem valdè diſponit, ac dignum facit, cui pœna peccatis debita per Chriſti meritum condonetur.

TERTIA CONCLVSIO.

8 QVamuis prima ſententia ſit valde probabilis propter rationes ſupra relatas; attamen tertia ſententia eſt vera, ac tenenda, vbi confeſſio ſacramentalis alicui impoſſibilis eſſet, vel ob defectum Confeſſarij, aut ob aliam iuſtam, ac rationabilem cauſam: tunc enim poterit is cum ſola contritione vera, ac perfecta de lethali culpa, indulgentiam obtinere. Hæc concluſio probatur tùm ex præſumpta intentione concedentis indulgentiam, cùm pro lege habendum ſit, quod Legiſlator interrogatur cùm eam ferret, reſpondiſſet, vt per *Gloſ. in l. tale pactum, §. fin. ff. de pact.* Tùm etiam; quia quarta ſententia, quæ excludit confeſſionem à verè contritis; atque ideò in gratia exiſtentibus, eſt ferè communis, & qui eam ſequeretur, non eſſet reprehendendus; dummodò alia opera iniuncta præſtentur, vt ſupra adnotauimus *ſec. 2. illat. 2.*

QVARTA CONCLVSIO.

9 ATtritus tantùm ſi præmiſſa confeſſione, alia opera ex forma conceſſionis indulgentiæ adimpleat, indulgentiæ effectum procul dubio obtinebit; quoniam is dici poteſt verè contritus, & verè pœnitens, ac confeſſus: ſiquidem attritus ſuſcipiens Sacramẽtum pęnitentiæ, mediante ſacramentali confeſſione, ex attrito ſit contritus, atque ideò verè pęnitens, & confeſſus; & per conſequens verba formæ indulgentiæ rectè illi conueniunt. Confirmatur ex communi Eccleſiæ conſuetudine, & præſumpta voluntate concedentis talem indulgentiam, & ex eo quòd indulgentia eſt res fauorabilis, vt ſupra oſtendimus, *ſec.* 2. & propterea amplam recipit interpretationem.

QVINTA CONCLVSIO.

10 QVarta ſententia nobis videtur omnium ſuprarelatarum in rigore probabiliſſima,

per

per rationes, quas ſupra adduximus. Etenim ex vi conceſſionis per ſupradicta verba non expoſtulatur confeſſio, vt conditio neceſſaria ad aſſequendam indulgentiam, ſed in defectum perfectæ contritionis dumtaxat; nempè quando is, cui quærenda eſt indulgentia habet ſolam contritionem imperfectam; atque ideò attritionem, quæ ſe ſola abſque ſacramentali confeſſione, ac legitima perceptione Sacramenti non ſufficit ad obtinendam gratiam, prærequiſitam ad obtinendam indulgentiam. Hanc eandem ſententiam tenet *Diana* cum alijs, quos allegat, *p. 5. var. reſol. reſol. 30. verſ. Nota tract.* 12.

11 Limitatur tamen hæc concluſio, vbi ad obtinendam indulgentiam expoſtulatur confeſſio, vt conditio neceſſaria, & is cui quærenda eſt indulgentia infra præſcriptum tempus confeſſionem præmittat; verùm ante illud momentum, in quo indulgentiæ fructus obtinendus eſt, iterum mortaliter peccet: quoniam tunc deberet repeti confeſſio, nec ſatis eſſet contritio illius peccati ad indulgentiam obtinendam. Etenim ex vi talis formæ prærequiritur confeſſio omniū peccatorum mortalium, quæ vſque ad tempus
12 indulgentiæ commiſſa ſunt. Vndè ſi quis confiteatur ad aſſequendam huiuſmodi indulgentiam & bona fide obliuiſcatur alicuius lethalis culpę; & poſtea eiuſdem recordetur in quo tempore adhuc durat indulgentia, eo caſu tenetur infra illud tempus confiteri peccatum illud oblitum: aliàs indulgentiam non lucrabitur. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 5. nu. 7.* Qui tamen addit, quòd ſi poſt elapſum indulgētiæ tempus peccati mortalis obliti recordetur, indulgentiam procul dubio fuit aſſecutus: quoniam intentio Rom. Pontificis eſt, poſtulare cōfeſſionem humano modo integram. His adde, quæ cumulat *Diana d. reſol. 30. tract.* 12. Et vide, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 2. illat. 5.* vbi contrarium docuimus.

An ſi ex forma indulgentiæ expoſtuletur confeſſio, & quis non habeat, niſi venialia, teneatur confeſſionem præmittere ad indulgentiam aſſequendam.

SEC. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Qui tantum habet venialia, illa confiteri tenetur, vt indulgentiam, quæ confeſſionem expoſtulat, vt conditio, lucrari poſſit.*

2 *Refertur opinio negatiua, & quæ ſit mens Sum. Pontificis concedentis hanc indulgentiam.*

3 *Diſtinguit Author, & benè.*

4 *Si expreſsè conſtet de intentione concedentis indulgentiam, confeſſionem expoſtulare, tanquam conditionem neceſſariam ad indulgentiam conſequendam, confeſſio eſt præmittenda, quamuis tantum venialia quis habeat.*

5 *Eccleſia an poſſit præcipere confeſſionem peccatorum venialium, & nu. ſeq.*

6 *Eccleſia præcipere haud poteſt confeſſionem venialium quoad ſpecificationem actus eiuſque materiam mutare de ſufficienti in neceſſariam ſed benè quoad exercitium actus confitendi, vt indifferenter obligat ad illud recipiendum, ſiuè mortalia, ſiuè venialia fideles habeant.*

7 *Etiamſi tacitè conſtet de voluntate concedentis indulgentiam, quod confeſſionem expoſtulet tanquam conditionem neceſſariam, ad illam aſſequendam neceſſariò debet cōfeſſio præmitti.*

8 *Si dubitatur de mente concedentis, an confeſſionem expoſtulauerit, vt conditionem neceſſariam ad indulgentiam aſſequendam, ſiuè quis venialia tantum habeat, ſiuè mortalia, aliàs ritè confeſſa, confeſſionem non tenetur præmittere.*

9 *Quid ſi mortalia habeat, de quibus ſit ſufficienter contritus.*

1 IN hac re partem affirmatiuam docet *Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 15. nu. 19. & tom. 1. ſuæ ſum. lib. 4. c. 54. nu. 41. Nugn. in 3. p. q. 27. art. 3. dub. 2. Veg. in ſum. tom. 1. c. 54. nu. 41. Floron. de caſib. reſer. p. 1. c. 6. nu. 3. Pollach. de Iubilæo, ſec. 41. nu. 20. & Lauor. eod. tract. p. 2. c. 14. num. 85.* Mouentur ex eo, quòd confeſſio hoc caſu exigitur, vt conditio neceſſaria ad indulgentiam aſſequendam.

2 Negatiuam verò docent *Conynch. de ſacram. diſp. 11. dub. 7. nu. 28. Reginal. tom. 1. ſuæ prax. lib. 1. c. vlt. nu. 147. Comitul. in reſponſ. moralib. lib. 1. q. 39. Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 3. num. 5. Henriq. lib. 7. ſuæ ſum. c. 12 nu. 2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5 Reſol. moral. tract. 12. reſol. 30.* Qui hanc eſſe rationem volunt, quòd Sum. Pontifex præcipiendo confeſſionem in Iubilæis, loquitur ſuppoſitiuè, nempè ſi lucraturus Iubilæum indigeat confeſſione, vt quia habeat conſcientiam mortalium, quæ non ita facilè expiantur per contritionem; ſicut per confeſſionem mediante ſaltem attritione, cùm nemo cognoſcere poſſit ſe contritum; eo quòd nullus poteſt ſcire an odio, vel amore ſit dignus; ſicut poteſt cognoſcere ſe attritum.

3 Nos autem in hac re ita diſtinguendum putamus; quòd aut conſtat expreſsè, vel tacitè de mente concedentis indulgentiam, quòd confeſſionem exigat tanquam conditionem neceſſariam ad eam aſſequendam; aut dubitatur de voluntate ipſius concedentis, ac confeſſionem exigat, vt conditionem neceſſariam ad lucrandam indulgentiam: vel in tantum eam requirat ſi lucraturus indulgentiam ea indigeat ad illam conſequendam. His breuiter adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 SI expreſsè conſtet de intentione concedentis indulgentiam, quòd confeſſionem expoſtulauerit, vt conditionem requiſitam, ac neceſſariam ad aſſequendam indulgentiam adepturus tenetur præmittere confeſſionem, etiam ſi tantùm venialia habeat. Hæc concluſio probatur ex communi axioma ſe habente, quòd verba indulgentiæ tantum valent, quantum ſonant, vt patet ex ijs, quæ adnotauimus *ſec. præcedenti*, in relatione primæ ſententiæ: ſed verba indulgentiæ, de qua agitur, expreſsè ſonant exigentiam confeſſionis tanquam conditionis neceſſariæ ad illam aſſequendam; ergò ad aſſequendam indulgentiam prædictam omninò prærequiritur cōfeſſio, ſiuè lucraturus eam mortalia habeat, ſiuè tantùm venialia. Etenim quamuis demus indulgentiam quoad voluntatem concedentis, amplam recipere interpretationem, vt ſupra oſtendimus *ſec. 2.* id tamen intelligendum eſt in dubio, ac ſeruata proprietate verborum, vt probauimus *d. ſec. 2. verſ. Si verò*: Secus autem ſi conſtet de

Digitized by Google

contraria voluntate concedentis: quia indulgentia non operatur vltra intentionem eius; qui eam conceſſit, vt ſæpè diximus.

5 Nec obſtat ſi dicatur, quòd Eccleſia non poteſt præcipere confeſſionem peccatorum venialium: ergò eandem non poteſt expoſtulare, vt conditionem neceſſariam ad aſſequendam indulgentiam; quoniam reſpondetur, negando conſequentiam: & ad antecedens dicimus, quòd præceptum confeſſionis venialium poteſt contingi dupliciter: primò quoad ſpecificationem actus; ſecùdò quoad eiuſdem exercitium: quoad ſpecificationem actus contingit præceptum ferri confeſſionis venialium, nimirum ſi confeſſio venialium exigatur, vt confeſſio integrè, & perfectè fiat, etiam ſi pœnitens habeat mortalia peccata, de quibus confiteri poſſit. Quo verò ad exercitium actus contingit præceptum ferri cõfeſſionis venialium, cùm præcipitur actus confitendi, & ſuſcipiendi Sacramentum pœnitentiæ; vt ſi Eccleſia præcipiat, vt omnes fideles tali die, vel tempore confiteantur, ſiuè habeant mortalia peccata, ſiuè venialia. Modo reſpondendo ad 6 argumentum dicimus, quòd Eccleſia non poteſt præcipere confeſſionem venialium quoad ſpecificationem actus; quoniam Eccleſia non poteſt mutare materiam Sacramenti, atque ideò eam efficere ex ſufficienti neceſſariá, quæ ex Chriſti inſtitutione talis non eſt: quod fieret ſi poſſet præcipere confeſſionem venialium quoad ſpecificationem actus. Hinc ſequitur, quod Eccleſia non poteſt obligare fideles ad confeſſionem venialium, ita vt aliàs confeſſio non ſit integra, ac valida: atque ideò Prælatus non poteſt præcipere confeſſionem venialium, ac mortalium ſimul; aliàs confeſſio ſit inualida. At Eccleſia poteſt abſolutè præcipere vſum Sacramenti pœnitentiæ quoad exercitium actus confitendi, ita vt indifferenter obliget ad illud recipiendum, ſiuè fideles mortalia, ſiuè venialia habeant: ſiquidem in huiuſmodi præcepto nihil eſt alienum ab inſtitutione huius Sacramenti, nec excedit ſuam poteſtatem eo caſu Eccleſia, cùm non faciat materiam Sacramenti ex ſufficienti neceſſariam; ſed præcipit quodam opus Religionis, quod à fidelibus frequenter, & facilè exercetur; & in aliqua occaſione poteſt prudenter iudicari valdè conueniens ad placandum Deum in communi, ac publica neceſſitate, aut ad alium ſimilem finem. Hoc igitur modo expoſtulatur confeſſio à concedente indulgentiam, nempè quoad exercitium actus; non autem quoad eiuſdem ſpecificationem. Idem dicendum eſt de eo, qui non habet, nec peccata venialia, nec mortalia; ſed peccata tantùm aliàs ritè confeſſa: nam ad aſſequendam indulgentiam adhuc præmittenda eſt confeſſio in caſu, de quo agitur, cùm militet eadem ratio; eo quòd peccata aliàs ritè confeſſa, licèt non ſint materia Sacramenti pœnitentiæ; ſunt tamen materia ſufficiens, ſicut peccata venialia: & quantumuis primarius finis huius Sacramenti, ſi remiſſio peccati; nihilominus ſunt alij fines, propter quos præcipi poteſt vſus Sacramenti; nempè ad maiorem conſcientiæ ſecuritatem, ad cultum Dei ad placandum ipſum, ad impetrandum aliquid ab eo, ac denique propter aliquod bonum commune Eccleſiæ.

SECVNDA CONCLVSIO.

7 NOn modò ſi expreſsè conſtet de voluntate concedentis indulgentiam, quòd confeſſionem expoſtulet tanquam conditionem neceſſariam ad eam aſſequendam, neceſſariò debet confeſſio præmitti; aliàs indulgentia non lucrabitur, etiam ſi quis venialia tantum habeat, vel niſi aliàs ritè confeſſa; ſed etiam ſi tacitè dumtaxat: quoniam taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *l. cum quid*, & ibi *Iaſ. & alij*, *ff. ſi cert. petat.* Tacitè autem dici poteſt peti confeſſionis vſus, ac exercitium ad aſſequendam indulgentiam, ſiuè quis mortalia habeat, vel tantùm venialia, aut alia ſolùm peccata ritè confeſſa, ſi indulgentia, ſeù Iubilæum concedatur ad placandam iram Dei pro maximo malo extante, aut imminente Eccleſiæ, nempè peſtis, belli, hoſtium incurſus, &c. Idem dicendum eſt ſi conſtet de præſumpta voluntate concedentis indulgentiam: quoniam voluntas præſumpta ſe habet ad inſtar tacitæ voluntatis. Et ſicut in multis caſibus remittitur confeſſio expoſtulata expreſsè ad aſſequendam indulgentiam ex præſumpta voluntate concedentis, vt ſupra adnotauimus *ſec. 2. illat. 2. cum alijs ſeq.* Ita etiam ex eadem præſumpta voluntate prærequiritur confeſſio à lucraturo indulgentiam, ſiuè mortalia habeat, ſiuè tantùm venialia, aut alia tantùm confeſſa: ſiquidem valet argumentum in iure, & probabile eſt à contrarijs: vt latè declarat *Euerard. in locis, argum. legalium, loco A contrarijs, &c* Hæc tamen concluſio debet intelligi iuxta ea, quæ infra dicemus *ſec. ſeq. concl. 3.* nempè quando tacitè ſaltem venialium confeſſio prærequiritur.

TERTIA CONCLVSIO.

8 SI dubitatur de mente concedentis indulgentiam, an expoſtulauerit vſum confeſſionis, vt conditionem neceſſariam ad eam aſſequendam, ſiuè quis mortalia tantùm habeat, ſiuè venialia, aut ſola ritè aliàs confeſſa: vel confeſſionem poſtulauerit, quatenus neceſſaria ſit lucraturo indulgentiam ad gratiam conſequendam; tunc habens peccata venialia dumtaxat, aut peccata ritè confeſſa, ad aſſequendam indulgentiam non tenetur præmittere confeſſionem venialium, aut peccatorum aliàs ritè confeſſorum. Probatur hæc concluſio ex ratione ſecundæ ſententiæ ſupra relatæ: ſiquidem Rom. Pontifex præcipiendo confeſſionem ad aſſequendum Iubilæum, intelligitur quatenus cõfeſſio neceſſaria ſit ad obtinendam gratiam, ſine qua indulgentia obtineri non poteſt: at venialia peccata tantùm habens, vel tantùm peccata ritè alias confeſſa, eſt in gratia, atque ideò eſt ſufficienter diſpoſitus ad aſſequendam indulgentiam: ergò vbi non conſtat de expreſſa, tacita, aut præſumpta voluntate concedentis indulgentiam, quod expoſtulet confeſſionem, vt conditionem neceſſariam vt ſupra, qui tantùm venialia habeat, poteſt indulgentiam aſſequi, non præmiſſa confeſſione.

9 Imò hoc caſu ſi lucraturus indulgentiam habeat peccata mortalia, de quibus ſufficienter contritus non tenetur præmittere confeſſionem, vt ſupra probabiliter docuimus *ſec. præcedenti, & ſec. 2. illat. 2.* Niſi præcipiatur etiam communio, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 14.*

An

Digitized by Google

An ſi vi indulgentiæ expreſsè expoſtulentur confeſſio, ac communio ſimul; vt conditiones neceſſariæ ad eam aſſequendam, volens lucrari indulgentiam, teneatur præmittere non ſolùm communionem, ſed etiam confeſſionem, etiam ſi venialia tantum habeat.

SEC. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſio, re ipſa exhibita neceſſaria non eſt ad indulgentiæ effectum aſſequendum, ſed ſolum ad gratiam, & culpæ remiſſionem obtinendam. Et Reſpondetur ad tex. in extrauag. vnigenitus de pœnit. & remiſ.*

2 *Romanus Pontifex per homines contritos, & confeſſos nihil aliud ſignificat, quam homines in gratia conſtitutos.*

3 *Actualis confeſſio ad aſſequendam indulgentiam expoſtulari poteſt à concedente, vt conditio neceſſaria.*

4 *Indulgentia licet ex vi conceſſionis confeſſionem exigat, non propterea intelligitur de venialibus, niſi id in indulgentia ſpecificè expreſſum ſit.*

1 HAec controuerſia affinitatem quandam habet cum præcedenti, & ideò ad completam huius rei explicationem eſt adnot. quòd confeſſio re ipſa exhibita ad indulgentiæ effectum conſequendum non eſt neceſſaria, cùm non ſit neceſſaria ad gratiæ, & culpæ remiſſionem obtinendam; ſed ad eiuſmodi effectum conſequendum ſatis eſt ſtatus gratiæ, vt infra ſuo loco, Deo duce latius dicemus. Vndè ſi in forma indulgentiæ cōceſſionis nulla fiat mentio ſacramentalis confeſſionis; ſed tantùm communionis, poteſt eam lucrari quicunque dignè ſacram communionem ſuſcipit, vt oſtendimus ſupra *ſec.* 14. Nec obſtat *tex. in extrauag. vnigenitus de pœnit. & remiſ.* vbi ait Clem. VI. Petro eſſe relictam poteſtatem diſpenſandi Theſaurum Eccleſiæ illumq; applicandi verè pœnitentibus, & confeſſis: quoniam reſpondetur, Rom. Pontificem ibi non tradere doctrinam per ſe ad hunc articulum pertinentem; ſed obiter attingit, atque ideò exprimendo confeſſionem dixit id, quod certius eſt: vel quod per ſe requiritur ad remiſſionem culpæ; etiam ſi ex accidenti poſſit interdum aliter fieri: verùm non ex hoc ſequitur, Rom. Pontificem non habere poteſtatem concedendi indulgentiam contritis tantùm, non
2 dum actu confeſſis. Poteſt etiam reſponderi, quòd Rom. Pontifex per homines contritos, & confeſſos nihil aliud ſignificat, quàm homines in gratia conſtitutos, qui veniam ſuorum peccatorum fuerint conſecuti. Etenim eiuſmodi venia quamuis aliquando aſſequatur per ſolam contritionem; nihilominus, quia contritionis nomen, & veræ pœnitentiæ interdum generalius ſumitur, nempè pro attritione cum confeſſione ſacramentali coniuncta, confeſſio ipſa prærequiritur dumtaxat, quatenus neceſſaria eſſe poteſt ad remiſſionem culpæ mortalis, vel re ipſa, ſi contritio fuerit imperfecta; vel in voto ſi illa perfecta fuerit. Sicut è conuerſo contritio tantum expoſtulatur, in quantum neceſſaria eſſe poteſt ad talem effectum; nempè perfecta ſi ſola fuerit, vel imperfecta ſi Sacramento pœnitentiæ fuerit adiuncta.

PRIMA CONCLVSIO

3 COnfeſſio actualis ad aſſequendam indulgentiam poteſt expoſtulari à concedente, vt conditio neceſſaria. Hæc concluſio patet ex dictis in præcedenti ſec. tum ex vſu, & conſuetudine; tum etiam quoniam indulgentiam concedens poteſt expreſsè alia opera pietatis exigere, & vſum Sacramenti Euchariſtiæ: nec in Sacramento confeſſionis eſt aliqua ſpecialis repugnantia, vel ratio, ob quam non poſſit hoc modo expoſtulari. Neceſse eſt igitur diligenter inſpicere verba conceſſionis, an confeſſionem expreſsè exigat: ſiquidem cùm talis conditio ſit valdè oneroſa, non eſt imponenda, niſi ſufficienter exprimatur: erit autem ſatis expreſſa, ſi in forma conceſſionis dicatur, præmiſſa, aut facta confeſſione: nam hæc verba iuxta communem ſenſum denotant confeſſionem ſacramentalem re ipſa factam. Idem puto dicendum vbi verè pœnitentibus, & confeſſis indulgentia conceditur, vt habetur ex *Nauar. de indulg. not.* 18. *nu.* 2. & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Laym. lib.* 5. *ſuæ ſum. Theol. tract.* 7. *c.* 6. *ſub num.* 6. *verſ. Dico tertiò.*

SECVNDA CONCLVSIO.

4 INdulgentia licèt ex vi cōceſſionis confeſſionem exigat; non tamen intelligitur confeſſio de venialibus, niſi in indulgentia expreſsè ac ſpecificè id declaretur; atque ideò ſi quis non habeat conſcientiam peccati mortalis, indulgentiam obtinebit, etiam confeſſione non præmiſſa. Hæc concluſio patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus ſec. præced. & confirmatur quoq; ex differentia cōſiſtente inter ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & confeſſionem: ſiquidem Sanctiſſima Euchariſtia per ſe, ac propter ſe expoſtulatur; atque ideò quando communio ponitur vt neceſſaria conditio ad aſſequendam indulgentiam; comprehendit omnes, etiam ſi peccati conſcientiam non habeant: at verò confeſſio poſtulatur, vt medicina peccati certior, & vtilior: & propterea licèt abſolutè poſtuletur; nihilominus intelligitur, ſuppoſito peccato, ad quod tollendum ſit per ſe neceſſaria: nam ſicut peccatum ſimpliciter enunciatum, intelligitur de mortali; ita confeſſio abſolutè poſtulata intelligitur de confeſſione mortalium ſi in conſcientia adſint. Denique ſicut Eccleſia non conſueuit præcipere confeſſionem niſi mortalium; ita neque illam exigere, vt neceſſariam conditionem ad aſſequendam indulgentiam, niſi conſcientia habeatur de peccatis mortalibus.

An opus vi indulgentiæ expoſtulatum ſi non impleatur totum, ſed eius aliqua pars prætermittatur, aſſequatur indulgentiam.

SEC. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Aſſertur reſponſio negatiua, & quare.*

2 *Adeò defectus ad impletionis totius operis expoſtulati impedit indulgentiæ defectum, vt qui per quamlibet cauſam quamuis inuoluntariam opus huiuſmodi non adimpleat, indulgentiam haud aſſequitur.*

3 *Qui partem implet operis iniuncti, partem non*

lucra-

lucratur indulgentia.

4 *Si ad indulgentiam comparandam eleemoſyna præcipiatur, elargiri debet iuxta eorum facultates, qui illam conſequi volunt.*

5 *Quando in ipſamet conceſſione indulgentiæ caſus excipitur impotentia implendi opus expoſtulatum in totum, vel in parte, qui totum non adimplet opus, lucratur indulgentiam.*

An, & quando Adoleſcentes, & Senes ieiunare teneantur, & Pauperes ad eleemoſynam largiendam, ſi indulgentia ieiunium exigat, vel eleemoſynam.

6 *Si minima pars iniuncti operis non impleatur, adhuc obtinebitur indulgentiæ effectus.*

7 *Indulgentia ſi exigat tres dies ieiunij, & quis omittat vnum, haud lucrabitur indulgentiam, ſecus ſi minima pars omittatur.*

8 *Qui omnia adimplenit opera, quæ per indulgentiam requiruntur, omiſit tamen ieiunare, vel communicare die Dominico aliqua infirmitate, aut legitimo impedimento impeditus citra ſuam culpam, adhuc indulgentiæ effectũ conſequetur.*

9 *Vbi inter alia opera præcipitur confeſſio, quæ per aliquam impotentiam fieri nequit, alijs operibus impleris ſufficit contritio in homine conſcientiam habente peccati mortalis, ad indulgentiam conſequendam.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter negatiuè, vt ex communi docent *Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 5. Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 1. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. nu. 3.* & alij, quibus adde quos refert *Diana p. 5. reſol. moral. tract.* [illegible] *reſol. 29.* In relatione primæ ſententiæ. Mouentur ex eo, quòd conceſſio indulgentiæ ſub tali opere conditionalis eſt; atque ideò, non impleta conditione nihil ponit in eſſe.

2 Ampliatur primò hæc concluſio, at adeò defectus adimpletionis totius operis expoſtulati impediat indulgentiæ effectum, vt ſi quis per impotentiam, naturalem obliuionem, aut per quamlibet aliam cauſam quamuis inuoluntariã opus eiuſmodi non impleat, indulgentiam ipſam non aſſequatur. Etenim indulgentia tantùm valet, quantum ſonat, vt ſæpè diximus; atque ideò ſolùm operatur iuxta voluntatem concedentis expreſſam per formam. Vndè ſi poſtuletur opus in Eccleſia, vel in alio loco faciendum, ibi, & non alibi debet integrè adimpleri; niſi alibi adimplendo, moraliter cenſeatur in loco expoſtulato adimpletum: vt cum oratio præcipiatur in Eccleſia, & præ multitudine gentium non valens illam ingredi, in porta Eccleſiæ orauerit; tunc enim indulgentiam obtinebit, vt habetur ex *Suar. d. ſec. 1.* & patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 2. illat. 3.* quibus adde, quæ habentur ex *Laym. loco citato, verſ. Secundò dicit.*

3 Secundò ampliatur prædicta concluſio, vt adeò expoſtulatum opus debeat integrum adimpleri, vt ſi quis partem operis iniuncti impleat, nec partem quidem indulgentiæ aſſequatur. Etenim conceſſio eſt vnica, & quaſi indiuiſibilis ſub tali determinata conditione; atque ideò totum opus non adimplens nihil lucratur, cùm conditionem impoſitam non dicatur ſimpliciter adimplere, & ex vi promiſſionis nihil promittitur ei, qui partem implet. Ita *Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 5.* & alij apud *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 5. nu. 5.*

4 Tertiò ampliatur, vt opus expoſtulatum non ſolùm debeat exolui, ſed impleri iuxta facultates eius, cui quærenda eſt indulgentia. Vndè ſi præcipiatur eleemoſyna ad indulgentiam comparandam, debet eleemoſyna elargiri iuxta facultates eorum, qui volunt indulgentiam aſſequi: quam ſententiam approbatam fuiſſe à Sixto V. in quodam Iubilæo ab ipſo conceſſo teſtatur *Rodriq. in ſua ſum. p. 1. c. 188.* & eandem docent *Nauar. in Commentar. de Iubil. not. 31. nu. 34. Cord. de indulg. lib. 5. q. 22. Lauor. de Iubil. p. 1. c. 21. nu. 46. Reginal. in praxi tom. 1. lib. 7. c. vlt. q. nu. 187.* Ita inquiens, indulgentiam, quæ conceditur danti, vel facienti aliquid indeterminatum, vt auxilium præbenti, vel oranti acquiri ab eo, qui dat, vel facit prout ſuæ perſonæ congruit; nempè à paupere parum dante; à diuite verò dante multum. Eſt tamen verum quòd oppoſita ſententia nobis videtur verior, vt ſec. 2. latius dicemus.

5 Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt locum non habeat quando in ipſamet conceſſione indulgentiæ excipitur caſus impotentiæ implendi opus expoſtulatum in totum, vel pro parte: quoniam indulgentia ſolùm operatur iuxta voluntatem concedentis expreſſam, vel ſaltem tacitam, aut præſumptam, ad quod facit *tex. in extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſ.* Vndè quamuis adoleſcens annorum decem, & octo, qui Eccleſiaſticis ieiuniorum præceptis non aſtringitur, ſicut & ſenex teneatur ieiunare ſi ad aſſequendam indulgentiam poſtuletur ieiunium, ſi indulgentiæ participes eſſe velint, cùm indulgentia non contineat præceptum ieiunandi ſed conſilium cum promiſſione indulgentiæ, vt habetur ex *Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 12. num. 2. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 8. num. 12.* Et ex alijs, nihilominus excuſantur ſi tales perſonæ excipiantur, vt in *d. extrauag. vnigenitus.* Imò ſi eiuſmodi perſonæ ſine notabili difficultate perferre non poſſint ieiunium, ſicut infirmi, pauperes, & mechanici aliqui, his loco ieiunij Confeſſarius alia opera æquiualentia iniungere debet: & pauperibus quoque ſi eleemoſynam elargiri nequeant, nempè vt orent, &c. vt ex *Rodriq. idem Laym. loco ſupra citato.*

6 Secundò limitatur eadem concluſio, vbi pars minima oneris iniuncti non impleatur: ſiquidem ea non obſtante, indulgentiæ effectus obtinebitur: vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 52. ſec. 5. nu. 1. Philip. Fab. in 4. ſent. d. 19. q. vnica. diſp. 38. c. 7. nu. 105. Boſſ. de iubil. ſec. 4. caſu 8. nu. 3. & 6. Filliuc. tom. 1. q. moral. tract. 8. c. 6. nu. 153. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. nu. 3. Alph. de Leone de Iubilæo, p. 2. nu. 150.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 23.* Mouentur ex eo, quòd in moralibus de minimis non curatur, *l. quod ſi Ephesi, ff. de eo, quod cert. loco.* Confirmatur ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam: nam ſi de hac re fuiſſet conſultus, ita veriſimiliter reſpondiſſet, iuxta ea, quæ adnotauimus in *noſtris Commentarijs in Bull. Cœnæ, lib. 2. c. 7. q. 21. nu. 1. & lib. 3. §. 2. q. 3. nu. 3.* Et magis, quia indulgentia eſt res fauorabilis, vt latè oſtendimus ſupra *ſec. 2.* Hinc ſequitur ex *Trullench.*

7

in

Digitized by Google

in expoſitione Bullæ Cruciatæ lib.1.§.1. dub.15. nu. 2. Quòd ſi indulgentia exigat multa opera, nempè tres dies ieiunij, & quis omittat vnum, non lucrabitur indulgentiam, nec in totum, nec pro parte: etenim opera omnia ſe habent tanquam indiuiſibilis conceſſionis conditio. At ſi oneris iniuncti minima tantùm pars omittatur, vt ſi onus iniunctum ſit vna Miſſa, & minima eius pars omittatur: aut præcipitur ieiunium, & in leui materia ieiunium quis fregerit, quæ ſolũ ſatis eſſet ad venialem culpam, ſi contra præceptum eſſet; tunc enim cùm in re minima fiat tranſgreſſio, ea non obſtante, indulgentiam aſſequetur. Eſt tamen verum, quòd materia leuis hoc caſu non ſolùm abſolutè eſt conſideranda; ſed etiam reſpectiuè: nam ſi concedatur indulgentia recitanti quinquies orationem Dominicam, & Angelicam, ſi quater tantum recitet, non lucrabitur indulgentiam; quoniam licèt id, quod omittitur: videatur parua materia ſecundum ſe; nihilominus reſpectu totius operis iniuncti eſt pars notabilis.

8 Illud autem ſilentio prætereundum eſſe nolui, quod *Pauinus* docet *in extrauag. multorum, de pœnit. & remiſ.* quem ſequitur *Rodriq. in ſua ſum. p. 1. c. 188. nu 3.* Dum ait, quòd ſi ad obtinendam indulgentiam expoſtuletur ieiunium fer. 4. 6. & Sabbato: & quis adimpleuerit omnia, quæ per indulgentiam requirantur; prætermiſerit tamen ieiunare, aut communicare die Dominico, aliqua infirmitate, aut aliquo legitimo impedimento impeditus citra ſui culpam, iſte talis, non obſtante parte illa notabili operis expoſtulati prætermiſſa, indulgentiæ effectum conſequetur: ſiquidem ſeruus, cui data eſt libertas, vt ſeruiat per ſpacium alicuius temporis, ſi per aliquod accidens ſeruire nequiret pro parte alicuius temporis citra ſuam culpam, nihilominus liber efficitur, completo præfixo tempore, vt eſt *tex. in l. cum heres, §. ſtichus, ff. de ſtatu liber.* Ergò in caſu, de quo agitur fidelis obtinebit animæ libertatem, quam indulgentia concedit, qui poſtquam adimpleuit omnia, prætermiſſo vnius diei tantum ieiunio citra omnem ſui culpam. Confirmatur ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam, qui ſi de tali impedimento fuiſſet conſultus, eo non obſtante, indulgentiam conceſſiſſet. Vide tamen *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 1. nu. 7.* Qui oppoſitum docet, & contraria ſoluit.

9 Tertiò limitatur ipſa concluſio, vt locum non habeat, vbi inter alia opera præcipitur confeſſio, quæ per aliquam impotentiam fieri nequit; quoniam tunc alijs operibus adimpletis ſatis eſſet contritio in homine habente conſcientiam peccati mortalis, nec neceſſaria eſſet confeſſio ad aſſequendam indulgentiam: & multo minus in eo, qui non haberet conſcientiam peccati mortalis, & eſſet in gratia. Etenim caſu Iubilæi, ac indulgentiarum confeſſio non præcipitur tanquam actus, propter quem conceditur Iubilæũ, ſeù indulgentia; ſed vt ſecurior diſpoſitio ad indulgentiam comparandam; & dum confeſſio ſacramentalis eſt impoſſibilis, eſt omninò præſumendum piam mentem Rom. Pontificis eſſe, vt in tali caſu ſufficiat contritio; dommodò omnia alia opera iniuncta in Iubilæo adimpleantur. Ità *Henriq. lib. 7. c. 10. §. 6. in addit. litt. N. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 7. c. 6. nu. 7. verſ. Dico tertiò. Reginald. tom. 1. ſuæ prax. lib. 7. c. vlt. q. 2. nu. 172. & 185. Fernand. in medul. caſ. p. 3. c. 7. §. 8. num. 3. Zanard. in Director. Theol. p. 1. de pœnit. c. 21. q. 20. Vega in ſum p. 2. c. 7. caſu 51. Zerola de Iubilæo, lib. 1. c. 15. dub. 13. & 6. & Diana p. 3. reſol. moral. tract. 4. reſol. 150.* qui poſtea *tom. 5. reſol. 29. in fine. tract. 12.* Contrariæ adhæret ſententiæ: quoniam hic non eſt caſus, vt quis habens peccatum mortale valeat communicare, non præuia confeſſione; niſi ſcandali periculũ immineat. Tu verò diſtingue, vt ſupra diſtinximus *ſec. 13. verſ. In hac re.*

An opus ad indulgentiam aſſequendam poſtulatum, ſit omninò adimplendum ab eo, cui quærenda ſit indulgentia: vel poſſit per alium adimpleri.

SEC. XX.

SVMMARIVM.

1 *Opus fieri per alium duobus modis contingit, vel tanquam inſtrumentum, vel tanquam per propriam cauſam proximam.*

2 *Tenor indulgentiæ inſpiciendus in vtroq; caſu.*

3 *Opus, quod ſimpliciter expoſtulatur ad indulgentiam aſſequendam impleri poteſt per aliũ tanquam inſtrumentalem cauſam.*

4 *Opus quod adimpleri poteſt per alium tanquam inſtrumentum, ſi expreſſè poſtuletur a concedente indulgentiam, vt fiat per propriam, & perſonalem actionem, impleri non poteſt per alium quemcunq;*

Quid ſi eleemoſyna erogari non poſſit proprijs manibus ob aliquam impotentiam.

5 *Opus perſonale ſimpliciter poſtulatum à concedente indulgentiam, omninò debet ab eo impleri, cui quærenda eſt indulgentia.*

6 *Charitatis ratione poteſt vnus pro alio ſatisfacere, & ſua opera inter ſe communicare: ſed non in conſequenda indulgentia, & quare.*

7 *Si ex vi indulgentiæ opus perſonale poſtulatum adimpleri poſſit per ſe, vel per alium, poteſt vtique per alium impleri, & cur.*

1 PRO huius rei explicatione eſt adnot. primò, quòd opus aliquod duobus modis contingit per alium fieri: altero per alium tanquam inſtrumentum; ſicut eleemoſyna datur per famulum: altero verò modo contingit opus fieri per alium, tanquam per propriam cauſam proximam ipſius operis; licèt alterius rogatu, vel in commodum eius id faciat, vt cùm quis pro alio, vel per alium ieiunat.

2 Secundò eſt adnot. quod in vtroq; caſu eſt inſpiciendus tenor indulgentiæ: nam in priori caſu concedens indulgentiam poſſet poſtulare eleemoſynam per eum, cui quærenda eſt indulgentia tanquam per propriam, & perſonalem actionem, ac veluti proprijs manibus conferenda: poſteriori verò caſu poteſt poſtulare ieiunium, v. g. per ſe, vel per alium implendum. His breuiter adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 OPus, quod ſimpliciter poſtulatur ad aſſequendam indulgentiam, ſi per alium impleri poteſt tãquam inſtrumentalem cauſam; vt dare eleemoſynam, vel alia eiuſmodi, poteſt

imple-

Digitized by Google

impleri per alium ad effectum conſequendi indulgentiam. Probatur; quoniam tale opus ſimpliciter, ac abſolutè eſt eius, qui mandat dare eleemoſynam: illius autem, qui ex vi mandati dat eleemoſynam, ſiuè ſeruus ſit, ſiuè procurator, ſiuè amicus, eſt tantùm ſecundùm quid & materialiter: ſiquidem qui rogat amicum, ut pro ſe eleemoſynam tribuat tanquam ſuam, in tali actu uirtute concurrit duplex donatio: prior eſt unius amici donantis alteri tantùm pecuniam ut ex ea eleemoſynam faciat: poſterior uerò eſt elargitio, quæ pauperi fit nomine eius: quando autem eleemoſyna tribuitur per famulum, aut per procuratorem, una tantùm interuenit donatio; nempè elargitio, quæ fit pauperi nomine Domini, & ex eiuſdem mandato, & propterea eleemoſyna ipſa moraliter dicitur facta à Domino, tùm quia eſt ex bonis eius; tùm quia prouenit ex eiuſdem mandato, *arg. tex. in l. 1 §. deieciſſe, ff. de vi, & vi arm.* Confirmatur ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *diſp. 9 ſec. 6. concl.* 1. Vbi oſtendimus, poſſe aliquem per alium pœnitentiam iniunctam adimplere, tanquam miniſtrum.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 SI prædictum opus, quod per alium adimpleri poteſt tanquam per miniſtrum, & inſtrumentum expreſsè expoſtuletur ab indulgentiam concedente per propriam, & perſonalem actionem eius, cui quærenda eſt indulgentia, tunc non poteſt adimpleri per famulum, procuratorem, amicum, aut quemcunq; alium. Probatur quoniam uerba indulgentiæ tantum ligãt, quantum ſonant, ut ſæpè diximus: ſed uerba indulgentiæ ſonant eleemoſynam elargiendam eſſe proprijs manibus, cui quærenda eſt indulgentia; ergo proprijs manibus, & non per alium erogari debet. Confirmatur, quoniam eiuſmodi opera per propriam actionem facta, pertinent ad pietatem, & augere poſſunt meritum. Eſt tamen verum, quòd ſi eleemoſyna non poteſt erogari proprijs manibus propter aliquam impotentiam naturalem, uel moralem, tunc ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam, ſi fiat elargitio eleemoſynæ per amicum, famulum, &c. acquiritur ipſa indulgentia, iuxta ea, quæ ſupra cumulauimus *ſec. præced. lim. 2. verſ. Illud autem*.

TERTIA CONCLVSIO.

5 OPus perſonale ſimpliciter poſtulatum à concedente indulgentiam, debet omninò ab eo adimpleri, cui quærenda eſt indulgentia. Vndè ſi vi indulgentiæ poſtuletur ieiunium, oratio, viſitatio Eccleſiarum, & alia eiuſmodi, is debet ieiunare, orare, & Eccleſias viſitare per ſe, & non per alium: ſiquidem eiuſmodi opera ſimpliciter loquendo non fiunt ab aliquo quando per alium fiunt: at verò indulgentiæ verba ſonant, vt ab ipſo, cui quærenda eſt indulgentia, fiant. His adde, quæ ſupra adnotauimus, *d. diſp. 9 ſec. 6. concl. 5.* Tractantes de eo, cui imponitur à Confeſſario in pœnitentiam, ac ſatisfactionem ieiunium, oratio, & his ſimilia.

6 Nec obſtat charitatis vnio, quæ eſt inter fideles, ratione cuius poteſt vnus pro alio ſatisfacere, & ſua opera inter ſe communicare, iuxta illud Apoſtoli ad *Rom. c. 2. Multi vnum corpus ſumus; ſinguli autem alter alterius membra, cuius corpus eſt Chriſtus, &c.* Vt ſupra late declarauimus *ſec. 1. verſ. Dixi actus clauſum, vt indulgentiæ, &c. & verſ. Imò,* Quoniam reſpondetur, quòd in conceſſione indulgentiæ non modo inſpicienda eſt diſpoſitio ſuſcipientis indulgentiam; ſed etiam poteſtas concedentis, & tenor indulgentiæ conceſſæ: modò licèt propter rationem charitatis, quæ eſt inter fideles vnus poſſit pro alio ſatisfacere: & Sum. Pontifex poſſit hoc ipſum concedere, vt in concluſione ſequenti dicemus; nihilominus ſi ſimpliciter concedat, vnus non poteſt pro alio ſatisfacere: quoniam tenor indulgentiæ eſt attendendus; atque ideò ſi opus iniunctum eſt tanquam proprium onus perſonale, non poterit per alium impleri.

QVARTA CONCLVSIO.

7 SI ex vi conceſſionis indulgentiæ opus illud perſonale poſtuletur adimpleri per eum, cui quærenda eſt indulgentia, aut per alium, tunc poteſt per alium adimpleri: ſiquidem verba indulgentiæ tantum ligant, quantum ſonant: & ſicut non plus fauoris exhibent, quam verba exprimunt, ita non plus oneris imponunt. His adde, quæ infra dicemus *ſec. 35*.

An ſi indulgentia expoſceret eleemoſynam ad eam aſſequendam; & quis eleemoſynam præciperet dari à ſeruo, qui tamen ſibi retinuit eandemque non fuerit elargitus, indulgentiam lucrabitur.

S E C. X..I.

S V M M A R I V M.

1 *Affertur nonnullorum negatiua ſententia.*

2 *Sed oppoſita opinio probabilior exiſtimatur, & qua ratione.*

1 IN hac re negatiuam ſententiam docent *Philippus della Crux in Theſ. Eccl. tract. t. 5. 11 nu. 3. Alph de Leone de Iubileo, p 2. q. 14. ſec. 6. nu 175. Homob. eod. tract lib. 4 q 53.* cum qua videtur pertranſire *Diana p 5. reſol. moral. tract. 12 reſol. 31.* Qui idem dicendum eſſe putat cum dicto Philippo della Crux de famulo, qui poſt tranſactam hebdomadam eleemoſynam dedit: quia non præſtat opus præſcriptum in tempore ad lucrandam indulgentiam.

2 Oppoſitam tamen opinionem tenet Emanuel Sà etiam poſt correctionem Romanam, *ver. Indulgentia, nu.* 4. Et id ex præſumpta voluntate concedentis, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 18. lim. 2. verſ. Illud autem*: Quam quidem probabiliorem nos exiſtimamus; dummodò citra omnem culpam, ac negligentiam, ſed bona fide Dominus commiſerit famulo eleemoſynam elargiendam, putans illum eſſe fidelem, nec aliquo modo hæſitans de eiuſdẽ fidelitate: & quòd indulgentia expoſtulet eleemoſynam ſimpliciter; non autem erogandam per eum, & per proprias eius manus, cui quærenda eſt indulgentia, attentis ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec. præced.*

An quando ex vi indulgentiæ, ſeù Iubilæi expoſtulatur ſimpliciter, ac indeterminatè eleemoſyna, hæc facienda ſit iuxta facultates eius, cui indulgentia quærenda eſt.

S E C. XXII.

SVM-

Digitized by Google

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia cōceſſa danti, vel facienti aliquod determinatum ab eo acquiritur qui dat, ſeu facit, pro vt ſuæ perſona congruit. At eleemoſynam eſſe erogandam ſecundum erogantis facultates Sixtus V. reſpondit.*

2 *Verior eſt ſententia de iuris vigore, ſatis eſſe quamlibet paruam eleemoſynam etiam vnius obuli ad lucrandam indulgentiam.*

3 *Non conſtat de Reſponſione Sixti V. Et dato quod conſtaret, noluit per eam legem condere vniuerſalem.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Nauar. de Iubil. not. 31. num. 34. Cord. de indulg. lib. 5. q. 22. Lauor. de iubil. p. 1. c. 21. nu. 46. Reginal. tom. 1. ſuæ prax. lib. 7. c. vlt. q. 4. nu.* 187. Et aliorum dicentium, indulgentiam, quæ conceditur danti, vel facienti aliquid determinatum, vt auxilium præbenti, vel oranti, aut eleemoſynam eroganti, acquiri ab eo, qui dat, vel facit, prout ſuæ perſonæ congruit; nempè à paupere parum; à diuite verò dante multum. Pro hac ſententia affertur reſponſio Sixti V. qui occaſione Iubilæi publicati in Hyſpania anno 1588. approbans hanc ſententiam reſpondit, eleemoſynam eſſe erogandam ſecundum facultates, & diuitias eorum, quibus quærenda eſt indulgentia: aliàs ſi tantum daret diues, quantum pauper, non conſequeretur tantam indulgentiam diues, quantam pauper: quam tamen reſeruat arbitrio prudentis Confeſſarij taxandam, vt teſtatur *Rodriq. p. 1. ſua ſum. c. 188. nu. 9.*

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam de iuris rigore puto veriorem, quam docent *Sanctaroll. de iubil. c. 7. dub. 1. Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 8. nu. 3. & ſeq. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 6. nu. 166. Rodriq. in Bulla Cruciata, §. 7. nu. 4. Alph. de Leone de iubil. p. 2. nu. 132. Fauſto eod. tract. lib. 4. q. 49.* & nouiſſimè *Diana p. 5. reſol. moral. reſol. 14. tract.* 12. Et alij dicentes, in caſu, de quo agitur, quamlibet paruam eleemoſynam, etiam vnius oboli, ſatis eſſe ad aſſequendum Iubilæum, ſeu indulgentiam, dum nō eſt determinata quantitas: & ratio eſt; quoniam illa conditio eleemoſynæ indefinitè propoſita per quamlibet eleemoſynam, etiam minimam adimpletur: ſiquidem *Ariſtot. lib. periherm.* teſtatur, ad veritatem propoſitionis indefinitæ ſatis eſt quælibet ſingularis.

3 Ad reſponſionem Sixti V. reſpondemus, quòd non conſtat de tali reſponſione, & dato, quòd extaret, per eam noluit conſtituere legem vniuerſalem; ſed ſuam tantum mentem in Bulla Iubilæi talem fuiſſe declarauit: ſiquidem indulgentia operatur iuxta mentem eius, qui eam conceſſit: quo caſu eleemoſyna eſſet taxanda ſecundum arbitrium prudentis Confeſſarij, vt *ſec. ſeq.* latiùs declarabimus.

An ſi vi indulgentiæ, ſeu Iubilæi expreſsè expoſtuletur, vt eleemoſyna elargiatur iuxta facultates cuiuſq; eleemoſyna ipſa, ſi iuxta facultates non elargiatur indulgentia obtinebitur.

SEC. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Refertur opinio affirmatiua, & qua ratione.*

2 *Verior exiſtimatur contraria ſententia: non tamen hoc caſu eleemoſyna quantitas menſuranda eſt Mathematicè, ſed moraliter, prudentis viri arbitrio.*

1 IN hac re partem affirmatiuam docent nonnulli apud *Cæſarem Barton. in obſeru. ſuper. Bull. ſuper Bull. Sixti V. fol.* 196. quem refert *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 14. verſ. Sed quid*, quam opinionem probabilem eſſe arbitratur *Boſſ. de tripl. Iubil. ſec. 4. c. 21. nu. 19. & 35.* Mouentur ex eo, quod ſi non ſufficeret quælibet eleemoſyna, ſed eſſet facienda iuxta qualitatem perſonarum, & facultatum, fideles nunquam poſſent ſcire ſe indulgentiam fuiſſe aſſecutos, ſed ferè ſemper remanerēt dubij, cum difficilè foret ſcire quātitatem eleemoſynæ qualitatibus perſonarum, & eorum facultatibus proportionatam. Confirmant hanc ſententiam: quoniam ſi eleemoſyna neceſſariò expoſceret fieri ſecundum qualitatem perſonarum, oporteret, vt Reges, & Principes darent pro eleemoſyna centum, & mille ſcutorum; atque ideò valdè difficilis foret indulgentiæ conſecutio. Denique cùm Sum. Pontifices concedunt indulgentiam plenariam porrigentibus manus auxiliatrices ad fabricam alicuius Eccleſiæ, ſi verba eſſent intelligenda de eleemoſyna proportionata facultatibus cuiuſque, & qualitati perſonæ, tunc colligeretur tanta pecuniarum quantitas, quæ non modò vnius Eccleſiæ Fabricæ, ſed plurium deſeruiret; quod eſſet contra intentionem indulgentiam concedentis.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veriorem eſſe. Etenim hoc caſu clarè conſtat de voluntate concedentis indulgentiam, qui expreſsè expoſtulat eleemoſynam ad aſſequendam indulgentiam, non quamlibet, ſed proportionatam vt ſupra: ergò expreſsè excludit minimā, ac improportionatam eleemoſynam: at indulgentiæ conceſſio non operatur vltra intentionem concedentis, vt ſæpè diximus. Eſt tamen verùm, quòd vt inquit *Boſſ. loco citato*, quòd quantitas eleemoſynæ eo caſu reſpectu cuiuſq; non eſt menſuranda mathematicè, menſurando cuiuſcunq; facultates calamo, & atramento, ſed moraliter, & prudentis viri arbitrio; atque ideò ſatis erit, vt dicatur elargita eleemoſyna proportionata ſtatui, ac facultatibus, ſi tanta elargiatur quantitas, quam homines talis ſtatus communiter ſolent elargiri extra Iubilæum, vt rectè declarat ipſe *Boſſ.* & ponit exempla, quæ refert idem *Diana loco cit.* & cum hac opinione pertranſit: & clariùs *reſol. 31. dicto 1.*

An pauperes, qui ad aſſequendam indulgentiam non poſſunt elargiri eleemoſynam vi indulgentiæ expoſtulatam, egeant commutatione in aliud opus pium.

SEC. XXIV.

SVMMARIVM.

1 *Vbi indulgentia eleemoſynam expoſtulat ad ſui aſſequutionem, Pauper eam lucratur, nec commutatione indiget.*

2 *Sententia hac putatur probabilis, ſed contraria*

æquè probabilis, imò probabilior. Et commutatio hæc caſu magis eſt ſecundum præſumptam concedentis voluntatem.

1 PArtem negatiuam docent *Henriq. lib. 7. c. 10. nu. 6. in addit. litt. N. Fernand. in medul. p. 3. c. 7. §. 8. nu. 3. Fanſt. de Iubil. lib. 4. q. 55.* Et alij dicentes, quòd vbi indulgentia expoſtulat eleemoſynam ad eam aſſequendam, & eandem lucraturus eſt pauper, talis non indiget commutatione. Mouentur ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam: ſiquidem mens Rom. Pontificis eo caſu talis eſſe videtur. Hanc ſententiam probabilem putat eſſe *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 15.* Qui certum eſſe addit, poſſe eiuſmodi pauperes ſatisfacere ad aſſequendam indulgentiam, ſi elargirentur eleemoſynam quantumuis minimam: ſiquidem hi adimplent formam Bullæ; atque ideò non tenentur ad aliquam commutationem, vt inquit quoque *Boſſ. de tripl. Iubil. ſec. 4. caſu 21. nu. 4.* Qui etiam inquit eo caſu ſatis eſſe, ſi pauper eo caſu curet eleemoſynam ab alio pro ſe elargiendam, vel ratificet ab aliquo ſuo nomine elargitam: dummodò ratificatio ſit intra tempus conceſſum ad lucrandam indulgentiam.

2 Hæc ſententia re vera probabilis eſt: at contrariam æquè probabilem putat eſſe *Diana loco citato*: & ego arbitror eſſe probabiliorem: quoniam impotentia implendi opus regulariter non excuſat; niſi caſus impotentiæ excipiatur, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 18. lim. 1.* Vndè commutatio in caſu de quo agitur, eſt magis ſecundum præſumptam voluntatem concedentis indulgentiam quam oneris totalis relaxatio, & hanc opinionē docent *Sanctarellus de Iubil. c. 7. dub. 1. Alph. de Leone eod. tract. p. 1. nu. 71. Lauer. eod. c. 19. nu. 6. & alij.* Etenim ſicut non valens ieiunare debet petere ieiunij commutationem, aliàs non lucrabitur indulgentiam ieiunium expoſtulantem, vt aliàs diximus, ita quoque dicendum eſt in caſu noſtro, cum militet eadem ratio, *argum. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

An ſi vi indulgentiæ expoſtuletur eleemoſyna, & monachus, qui vellet eam aſſequi non poſſet eleemoſynam à ſuo Prælato conſequi, poſſit propria auctoritate de bonis monaſterij illam tribuere.
SEC. XXV.

SVMMARIVM.

1 *Monachus ſi velit indulgentiam aſſequi, ad eleemoſynam tenetur ſi citra ſcandalum illam largiri poſſit.*

1 AD hanc difficultatem breuiter reſpondeo affirmatiuè ſi monachus id citra ſcandalum agat: *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 31. dicto 3.* & ex alijs contra *Homob. de iubil. lib. 4. q. 57.* Etenim ſuperior eo caſu eſt irrationabiliter inuitus; atque ideò in tali caſu Religioſus ſubditus operatur ex licentia ſuperioris debita. Idem dicendum eſſe de vxoribus, ſeruis, filijsfam. monialibus, vt docet *Sanch. tom. 2. ſuæ ſum. lib. 7. c. 19. nu. 54. & 95.* quem refert idem *Diana loco citato*; Qui tamen addit tutius fore, in tali caſu ſupradictas perſonas commutationem petere in aliud opus pium, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *ſec. præcedenti.*

An ſi indulgentia expoſtulet eleemoſynam ad eam aſſequendam, ſatis ſit elargiri eleemoſynam ex voto, vel ex præcepto naturali debitam.
SEC. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt elargiri eleemoſynam pro aſſequenda indulgentia, quæ alias ex voto, vel præcepto naturali debetur.*

1 PArtem affirmatiuam docent *Boſſ.* cum alijs, quos allegat *de Iubil. ſec. 4. caſu 9. nu. 3. & Diana p. 5. reſol. mor. tract. 12. reſol. 31. in fine.* Etenim ſecundum communem Doctorum placitum poteſt quis vnico actu ſatisfacere oneri ex duplici: præcepto debito: ergò idem dicendum eſt in caſu, de quo agitur, cum militet eadem ratio, *arg. text. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

An ſi indulgentia expoſtulet eleemoſynam, ad eam aſſequendam ſatis ſit, ſi exoluat eleemoſynam ſpiritualem, nempè remittendo iniuriam inimico, &c.
SEC. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Eleemoſyna ſpiritualis, an ſufficiat ad lucrandam indulgentiam.*

2 *Eleemoſyna ſpiritualis ſatis non eſt ad indulgentiam conſequendam, ſed omninò realis exigitur: & quare.*

3 *Lex generaliter loquens, vel non diſtinguens, an, & quando generaliter debeat intelligi, & nos diſtinguere non debeamus.*

1 AFfirmatiuam partem docet *Zanard. in Directior. Theol. p. 1. de pœnit. c. 21. q. 26. in fine.* Etenim eleemoſyna prædicatur de reali, ac ſpirituali; atque ideò in caſu, de quo agitur adimpletur forma, ac conditio expoſtulata ab indulgentia: quæ generaliter loquitur, nec diſtinguit: at lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, & quando non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, ff. de legal. præſt.*

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam tenent *Fernand. in Medul. caſ. p. 3. c. 7. §. 8 nu. 3 Henr. lib. 7. c. 10. nu. 6. in addit. litt. N. Graff. in append. lib. 2. c. 5. nu. 5. Diana p. 5. reſol. moral. reſol. 31. dicto 2. tract. 12.* Et alij, dicentes hoc caſu ſatis non eſſe ad aſſequendam indulgentiam exoluere, ac elargiri eleemoſynam ſpiritualem, ſed omninò exigitur eleemoſyna realis. Probatur hæc ſententia ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam, qui præſumitur expoſcere eleemoſynam realem, tanquam fini, ac intentioni ipſius concedentis magis deſeruientem, quàm ſpiritualem: ſiquidem onus eleemoſynæ ad aſſequendam indulgentiam regulariter poſtulatur ad ſubueniendum egenis, ad redimendum captiuos, ad ædificandas Eccleſias, & alia loca pia, ad effugandos Chriſtiani nominis inimicos, &c. Quæ omnia, & his ſimilia exigunt eleemoſynas reales, non autem ſpirituales.

Ad

3 Ad contrarium patet reſponſio: tunc enim lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi: & quando nõ diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, quando aliter nõ conſtat per aliam legẽ, aut per præſumptam voluntatem Legiſlatoris propter rationem diſtinctionem expoſcentem ratione ipſius diuerſitatis.

An opus ad indulgentiam aſſequendam debeat adimpleri determinato tempore iuxta formam conceſſionis.

SEC. XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur reſponſio affirmatiua, nam conceſſio ſtricti iuris eſt, tantumq; valet, quantũ ſonat.*

2 *Opus ad indulgentiam poſtulatum ſicut adimpleri debet determinato tempore, ſic impleri etiam debet determinato loco, niſi moraliter aliud ſuadeatur.*

3 *Ciuis ſi dum in patria ſua, promulgato Iubilæo Eccleſias, ibidem deſignatas viſitauerit, & eadem hebdomada cauſa peregrinationis aliò migrauerit, ac in aliena Diœceſi alia opera impleuerit, an aſſequatur indulgentiam.*

4 *Qui vna hebdomada ieiunat, orat, eleemoſynam dat, &c. Et in altera confeſſionem facit, ſacramq; communionem ſuſcipit, an aſſequitur Iubilæum, ex præſumpta Pontificis voluntate.*

5 *Contraria ſententia probabilior videtur, vbi nulla neceſſitas adeſt, nec rationabilis cauſa diuidendi dicta opera. Et declaratur opinio Boſſ.*

Et an, & quando ſacra communio ſumi poſſit ante omnia alia opera iniuncta pro Iubilæi aſſequutione.

6 *Bulla ſi dicat, vt qui de peccatis confeſſi, trina ieiunia eleemoſynas, & Eccleſiam viſitauerint indulgentiã aſſequantur, an ſi prius ieiunent, eleemoſynam dent, &c. Et poſtea confiteantur, indulgentiam aſſequantur.*

1 AD hanc rem breuiter reſpondetur affirmatiuè. Probatur: quia conceſſio indulgentiarum eſt ſtricti iuris; atque ideò tantùm valet, quantum ſonat. Vndè ſi vi indulgentiæ expoſtuletur viſitari ſingulis diebus tres Eccleſias, non poſſunt viſitari duæ vna die, & ſequenti die quatuor, vt Greg. XIII. reſpondiſſe teſtatur *Nauar.* quem refert *Rodriq. in ſua ſum. par. 1. c.* 188. Vbi infert quoque ex hoc non poſſe aliquem eodem die bis viſitare Eccleſias ad effectum ſatisfaciendi per ſpacium dierum duorum. Sic etiam ſatis non eſt, vt quis tantam orationem faciat vna die, quantam in tres dies erat obligatus; ſed ſingulis diebus tenetur recitare illam orationis quantitatem, quæ poſtulatur. Ieiunii pariter ſi poſtuletur fer. 4. 6. & Sabbato ad indulgentiam aſſequendam, ſi ieiunet quis fer. 2. 3. & 5. non lucrabitur indulgentiam, vt teſtatur *Rodriq.* eundem Greg. XIII. reſpondiſſe.

2 Ampliatur hæc concluſio, vt ſicut opus ad effectum indulgentiæ poſtulatum debeat impleri determinato tempore; ita etiam impleri debeat determinato loco. Vndè ſi opus poſtulatum ſit oratio recitanda in vna Eccleſia, non poteſt recitari in alia: vel extra poſtulatam Eccleſiam; niſi oratio recitata extra poſtulatam Eccleſiam, moraliter cenſeatur dicta in ipſa Eccleſia, vt ſupra adnotauimus *ſec. 2. verſ. Tertiò infertur*: Dum oſtendimus, quòd ſi oratio præcipiatur in Eccleſia, & præ multitudine non potens quis eam ingredi, in porta Eccleſiæ orauerit: tunc enim indulgentiam lucrabitur; quoniam moraliter cenſetur in Eccleſia oraſſe. Sic etiam ſi indulgentia poſtularet viſitationem quinque Altarium in aliqua Eccleſia, & quis ex vno loco viſitaret omnia præſcripta Altaria, proculdubio aſſequetur indulgentiam, vt probauimus *d. ſec. 2. verſ. Quartò infertur.*

3 Imò non deſunt, qui velint, quòd ſi Ciuis in patria ſua, promulgato Iubilæo poſtulante viſitationem Eccleſiarum deſignandarum, confeſſionem, communionem, ieiunium, &c. Deſignatas ibidem Eccleſias viſitauerit, & eadem hebdomade cauſa piæ peregrinationis aliò migrauerit, & in aliena Diœceſi ieiunium, & reliqua ad aſſequendam indulgentiam poſtulata adimpleuerit, licèt ſecurius ſit, in aliena Diœceſi, vbi Iubilæum promulgatum ſit, iterum deſignatas Eccleſias viſitare, & omnia alia expoſtulata perficere; nihilominus ſi Eccleſias non viſitet; ſed tantùm alia opera perficiat, ſatis probabile eſt, illum aſſecututum Iubilæum. Etenim cùm in propria patria Eccleſias deſignatas viſitauerit, & ibi orauerit, ac proceſſioni interfuerit, nihil videtur referre vbi ieiunet, confiteatur, & communicetur, cùm forma Iubilæi locum non expoſtulet, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. lib. 7. c. 12. nu. 4.* quem refert, & ſequitur *Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 7. c. 8. ſub nu.* 10. *verſ. Dubium quintum.*

4 Sic ampliata limitatur hæc ipſa concluſio, ſi contrarium conſtet ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec.* 18. *lim.* 2. Hinc ſequitur ex præſumpta voluntate Rom. Pontificis aſſequi Iubilæum, qui vna hebdomate ieiunat, orat, eleemoſynas dat, &c. Confeſſionem autem, & ſacræ communionis ſumptionem altera hebdomade perficit: ſiquidem quamuis vi Bullæ omnia opera poſtulentur impendenda in vna, & eadem hebdomate; nihilominus ſi ex rationabili cauſa maximè opera diuidat intra quatuordecim dies, quibus Iubilæum durat, per Epicheiam interpretari poſſumus mentem Rom. Pontificis eſſe, vt etiam in tali caſu indulgentiam aſſequatur. Ita *Laym. loco citato, ſub nu. 9. verſ. Dubium quartum*: pro qua re allegat, quod in ſimili adnotauit *Rodriq. tom. 1. c. 184. nu. 5.*

5 Eſt tamen verum, quòd contrariam ſententiam docet *Henriq. lib. 7. c. 11. nu.* 2. Quæ ſententia nobis videtur probabilior; imò vera quando nulla neceſſitas, aut rationabilis cauſa adeſt diuidendi, vt ſupra dicta opera. Etenim Pontificia Bulla ſignificat intra eandem hebdomatam opera omnia præſtanda eſſe: & ita in praxi ſeruari teſtatur ipſe *Laym.* ibi, & alij. Eodem modo puto moderandam eſſe ſententiam *Boſſ. de Iubil. ſec. caſu* 20. *nu.* 17. Quod etiam ſi in Bulla expreſſè diceretur, vt communio fieret die Dominica, quæ ieiunia proxima ſequitur, & non adderetur, ſeù in alio die dictarum hebdomadarum, adhuc probabiliter ait, ſatis eſſe ſumere Euchariſtiam in alia die dictarum hebdomadarum antequam ieiunia ſint completa: talis enim

ordo non poſſet mutari, niſi ex neceſſaria, vel rationabili cauſa: ſiquidem huiuſmodi ordo præſcribitur præceptiuè, non autem conſultiuè, vt ſcilicet congruentius fiat communio vltimo loco, præmiſſis reliquis operibus expoſtulatis, vt expreſsè præcipit Siat. V. in ſua Bulla Iubilæi anni 1585. ita inquiens, *Dic vero Dominica, qua dictas eleemoſynas, atque orationes proximè ſequetur ſacroſanctam Euchariſtiam deuotè accipiant.* Propter quæ verba *Borton.* quem refert *Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 17.* Docet de neceſſitate pro lucro dicti Iubilæi fuiſſe faciendam communionem vltimo loco poſt reliqua omnia opera. Etenim id præcipi poteſt ad dignè, ac reuerenter ſumendam ſacram communionem; quoniam quamplurimi volunt, quos referunt *Boſſ. & Diana locis citatis* communionem factam in peccato mortali ſatis eſſe ad ſatisfaciendum oneri communionis iniuncto ad lucrandum Iubilæum, ſi ipſa communio non ſit vltimum opus in Iubilæo præſcriptum. Vndè ad effugiendam hanc irreuerentiam meritò Rom. Pontifex præceptiuè loquitur expoſtulando communionem poſt reliqua opera præſcripta, quicquid dicat *Boſſ.* His adde, quæ adnotauimus ſupra, *ſec. 2. verſ. Octauo infertur.*

6 Ita quoque intelligenda eſt opinio eorum, qui putant, quod quamuis Bulla Pontificia dicat, vt qui de peccatis confeſſi trina ieiunia, eleemoſynas, & Eccleſiæ viſitationem peregerint, indulgentiam aſſequantur; ſi quis prius ieiunet, eleemoſynas det, aut Eccleſias viſitet, & poſtea confiteatur, & communicet, etiam die Dominico, atque adeò quocunque ordine ea opera impleuit, nam re vera id extra iuſtam, ac rationabilem cauſam fieri nequit, cum talis ordo expreſsè vi Bullæ præcipiatur: at ſi iuſta cauſa adſit, ex præſumpta voluntate Rom. Pontificis eiuſmodi ordo rationabiliter peruertitur; ſiquidem pro lege tenendum eſt illud, quod veriſimiliter reſponderet Legiſlator, ſi de illo fuiſſet interrogatus, vt per *Gloſ. in c. 2. de conſtit. & in l. tale pactum. ff. de pact.* Eſt tamen verùm, quòd *Rodriq. tom. 1. c. 148. nu. 3.* Refert Gregor. XIII. conſultum à quodam Patre Societatis Ieſu circa ordinem adimplendi dicta opera, quæ in Iubilæo poſtulari ſolent, reſpondiſſe anno 1579. tantùm ieiunium cùm ſit onus præfixorum dierum, debere fieri ſignatis diebus; orationem autem, & eleemoſynam in qualibet die fieri poſſe; ſicut diceret de viſitatione Eccleſiarum: quibus adde, quæ habentur ex *Nauar. de indulg. not. 15. nu. 19. Henriq. lib. 7. c. 10. nu. 8. & Laym. lib. 5. ſua ſumi c. 8. nu. 7. tract. 7.*

An qui ſcienter, ac ex malitia prætermittit opera præſcripta in Iubilæo, poſſit vltima die illud lucrari, & dicta opera à Confeſſario commutari.

SEC. XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Quando in Bulla Iubilæi dicitur, vt præſcripta opera mutari poſſint ex cauſa impedimenti, mutari non poſſunt reſpectu illius, qui iuſto carat impedimento.*

2 *Contraria ſententia putatur verior, & qua ratione.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones; nam prima ſententia eſt *Ioan. Prapoſ. in 3. p. D. Thom. q. 14. de indulg. dub. 10. nu. 88.* Dicentis, quod quando dicit in Bulla Iubilæi, præſcripta opera ad illud aſſequendum, poſſe mutari in alia ex cauſa impedimenti, non poſſunt mutari reſpectu illius, qui carens iuſto impedimento neglexit præſtare opera præſcripta: qui enim negligit voluntariè implere conditiones requiſitas, moraliter loquendo non poteſt dici detemptus impedimento: nempè Rom. Pontifex per talem particulam cenſetur velle per Confeſſarium, eiuſmodi poſſe ſuccurri: eò maximè quoniam in Bulla communiter exprimuntur aliqua, quæ ſunt neceſſaria impedimenta, vt carcer, clauſura, & ſimilia: ergò ſub clauſula generali intelliguntur ſimilia iuſta impedimenta. Vndè ex hoc infert ipſe Præpoſitus, quod talis differens confeſſionem vſque ad vltimum diem, &c. Non ſit capax promerendæ indulgentiæ: & quòd Confeſſarius in tali caſu non poſſit illum abſoluere à caſibus reſeruatis, vel mutare eius vota ea poteſtate ſibi tradita à Iubilæo.

2 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam puto veram, quam docent *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 10. nu. 268. & 273. Alph. de Leone de Iubil. p. 2. nu. 186. Polach. eod. tract. ſec. 42. nu. 65. Sanctarell. eod. c. 7. dub. 1. Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 26.* Et alij, dicentes, facultatem commutandi opera Iubilæi extendi ad prætetita opera, non ſolùm ob legitimam cauſam ægritudinis, impotentiæ, &c. Sed etiam ex malitia omiſſa: atque ideò hanc commutationem fieri poſſe volunt die Dominica ſecundæ hebdomadæ. Probant eorum ſententiam ex eo, quòd quamuis ex ſua malitia prædicta opera non adimpleuerit tempore condicto; nihilominus quando ad pœnitentiam accedit, verè dicitur impotens, atque impeditus, vt rectè declarat poſt alios idem *Diana loco citato.*

An pueri ex defectu ætatis ſanctiſſimam Euchariſtiam percipere non valentes, aſſequantur indulgentiam eam præcipientem communicando ſpiritualiter.

SEC. XXX.

SVMMARIVM.

1 *Pueri communionem ſumere non valentes, lucrantur indulgentiam communicando ſpiritualiter.*

2 *Oppoſitum eſt probabilius, ſed commutari debet in aliud opus, idque eſt magis ſecundum præſumptam intentionè concedentis indulgentiã.*

1 PArtem affirmatiuam docent *Fernandez in Medulla p. 3. c. 8. §. 8. nn. 3. & Zanard. in Direct. confeſ. p. 1. c. 21. q. 28.* Etenim communio prædicatur de reali, ac ſpirituali; atque ideò qui non poteſt communicare realiter, ſatis eſt ad aſſequendam indulgentiam ſi communicet ſpiritualiter. Confirmatur ex præſumpta voluntate Rom. Pontificis, qui præſumitur nolle ex fructu indulgentiæ excludere impotentes cõmunicare, quales ſunt infirmi patientes tuſſim, vomitũ, &c.

2 Negatiuam tamen, quæ nobis videtur probabilior, docent *Fauſt. de Iubil. lib. 4. q. 45. & Diana p. 5. reſol. moral. reſol. 17.* Etenim impotentia

tentia implendi opus regulariter non excuſat: atque ideò commutatio in aliud opus eſt magis ſecundum præſumptam intentionem concedentis indulgentiam, quàm oneris totalis relaxatio, vt oſtendimus ſupra *ſec.* 23. Vndè ſicut non valens ieiunare tenetur ieiunij commutationem poſtulare à Confeſſario alìàs non lucrabitur indulgentiam ieiunium expoſcentem, ita quoque dicendum eſt in caſu de quo agitur, & in infirmis tuſſi laborantibus, aut patien ibus vomitum vel aliquid ſimile, vt per *Diana loco citato*, qui idem putat dicendum de eo, qui ex obliuione, & inaduertentia die deſignato cõmunionis, nempè die Dominico bibit, & in ſimilibus caſibus.

An Confeſſarius ex rationabili cauſa poſſit differre pęnitenti abſolutionem, & ſacram communionem vltra tempus in Bulla ſtatum per aliquas hebdomadas; ita vt ipſe pęnitens poſtea indulgentiam aſſequatur.

SEC. XXXI.

SVMMARIVM.

1 *Reſpenſio affertur affirmatiua.*

2 *Qui conſiteri vult ad finem Iubilæi, ſed ob longam confeſſionem, vel ob caſus valdè difficiles nequit Confeſſarius integrè illum audire, an poſſit confeſſione ipſe intra tempus Iubilæi illũ abſoluere a cenſuris, & reſeruatis, ac differre abſolutionem non reſeruatorum in aliud tempus etiam finito tempore Iubilæi.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè ex *Boſſ. de Iubil. ſec.* 1. *caſu* 38. & 39. quem refert, & ſequitur *Diana p.* 5. *reſol. moral. tract.* 12. *ſec.* 26. Dicente, quòd Confeſſarius pœnitenti, qui viſitauit Eccleſias ſtatutis diebus, & die Sabbato confitetur, ſi dubitat probabiliter, eum permanſurum in occaſione peccati, ſi tunc illum abſoluat, poteſt differre abſolutionem, & communionem vltra tempus in Bulla ſtatutum per aliquot hebdomadas, vt eruat illum ab occaſione peccatorum, & reddatur moraliter certus, quòd ad illa non redibit, & poſtea eundem à reſeruatis abſoluere
2 validè poteſt. Idem dicendum putat idem *Boſſ.* vbi quis ad finem Iubilæi vult confiteri, ſed ob longam confeſſionem, vt quia habet caſus valdè difficilas, & intricatos, Confeſſarius pro temporis anguſtia nequit illum integrè audire, poſſit ipſe Cõfeſſarius illũ abſoluere intra tẽpus Iubilęi à cenſuris, & à caſuum reſeruatione: & differre abſolutionem peccatorum in aliud tempus, & finito tempore Iubilæi illum abſoluere; ita quòd vigore talis abſolutionis remaneat abſolutus, & conſequi valeat fructum indulgentiæ Iubilæi. Hæc autem fundantur præcipuè in præſumpta voluntate Rom. Pontificis, iuxta ea, quæ ſupra ſæpè diximus.

An pœnitens, cui ex iuſta cauſa fuit dilata abſolutio poſt tempus à Iubilæi Bulla definitum, ſi incidat in nouos caſus reſeruatos, & noua vota emittat, poſſit Confeſſarius illos abſoluere, & hæc commutare.

SEC. XXXII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur opinio negatiua, ſed oppoſitum putatur probabilius, & quare.*

1 IN hac difficultate negatiuam partem docent *Sanctarell. de Iubilæo, c.* 8. *dub.* 7. & *Alph. de Leone eod. tract. p.* 2. *nu.* 189.

Nos autem oppoſitam ſententiam arbitramur eſſe probabiliorem, quam tenent *Boſſ. de Iubil. ſec.* 1. *caſu* 39. *nu.* 6. & *Diana p.* 5. *reſol. moral. tract.* 12. *reſol.* 27. Qui ſuppoſito, quòd pœnitens non dum fuerit conſecutus Iubilæum, volunt præfatum pœnitentem poſſe abſolui ab omnibus reſeruatis commiſſis ante confeſſionem, & abſolutionem, & ſimiliter impetrare commutationem votorum, quæ poſtea emiſit. Etenim eadem auctoritate Confeſſarius, quam habet differendi abſolutionem, poteſt pœnitentem abſoluere à reſeruatis commiſſis, & commutare vota emiſſa ante Iubilæi conſecutionem, cum facultas eiuſmodi abſoluendi, & commutandi ſit Confeſſario conceſſa in ordine ad dictam conſecutionem, & ad alliciendos fideles ad præſtanda opera pro lucro Iubilæi neceſſaria: alìàs ſequeretur, quòd pœnitens, qui obediendo Confeſſario diſtuliſſet conſecutionem Iubilæi vltra tempus in Bulla definitum, & ex fragilitate in noua reſeruata incidiſſet, non poſſet amplius conſequi Iubilæum, quod abſolutione non præuia obtinere non poſſet; atque ideò ex ſua obedientia damnum reportaret, & fieret deterioris conditionis. Confirmatur denique hæc ſententia, ex præſumpta voluntate concedentis Iubilæum, cum indulgentia ſit res fauorabilis, atque ideò extenſionem patitur iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *ſec.* 2. quibus adde, quòd hæc opinio ad minus probabilis eſt: at in Iubilæis ſufficit opinio probabilis, quæ ſi à parte rei eſſet falſa, remaneret quidam talis abſolutus à reſeruatis, cum opinio probabilis conferat iuriſdictionem, vt infra ſuo loco dicemus, & habetur ex *Diana par.* 5. *reſol. moral. tract.* 12. *reſol.* 22.

An indulgentia conceſſa viſitantibus talem Eccleſiam, ſi Eccleſia ruat, viſitantes illius ſolum, indulgentia aſſequantur.

SEC. XXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Destructa Eccleſia extinguitur indulgentia, etiam ſi reedificata fuerit.*

2 *Si Eccleſia per partes tantum paulatim deſtruatur, & reedificetur, quamuis tota de nouo, indulgentiam non amittit, illamq; qui viſitauerit, indulgentiam aſſequetur.*

3 *Eccleſia diruta, & nunquam reedificata, ſiuè de Iure, ſiuè de facto diruta ſic viſitans eius ſolum, indulgentiam non lucrabitur.*

4 *Diruta Eccleſia ſi fuerit Superiorum authoritate in pœnam delinquentium, viſitantes eam non aſſequentur indulgentiam.*

5 *Diruta Eccleſia ſi fuerit abſque Superiorum permiſſu, & iterum ædificata in eodem loco, indulgentiam obtinebunt viſitantes illam.*

1 IN hac re *Palud. in* 4. *d.* 20. *q.* 4. *nu.* 25. inquit, quòd, deſtructa Eccleſia, extinguitur indulgentia, etiam ſi fuerit reedificata: ergò indulgentia

gentia conceſſa viſitantibus talem Eccleſiam, ſi Eccleſia ipſa ruat, indulgentia non obtinetur ab illis, qui ipſius tantùm ſolum viſitant.

Reſolutio huius difficultatis patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 3. verſ. Secundò diuiditur: & verſ. Eſt tamen adnotandum:* & propterea pro eius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 SI Eccleſia per partes tãtùm paulatim deſtruatur, & reædificetur, quamuis tota de nouo reædificetur, viſitans huiuſmodi Eccleſiam, indulgentiam aſſequitur. Probatur, quoniam tunc indulgentia non eſt extincta: nam ſemper manet eadem numero Eccleſia; ſicut non ſunt eiuſdem priuilegia extincta, vt oſtendimus, *d. ſec. 3. verſ. Eſt tamen adnotandum.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 DIruta Eccleſia, & nunquam reædificata, ſiuè de iure, ſiuè de facto diruta fuerit, viſitans eius ſolum, indulgentiam non obtinebit. Probatur; quoniam tunc indulgentia extincta eſt, cùm non loco ſimpliciter; ſed Eccleſia conceſſa fuerit: & ſolum illud nullo modo dici poteſt Eccleſia.

TERTIA CONCLVSIO.

4 DIruta Eccleſia Superiorum auctoritate in pœnam delinquentium, licèt iterum ædificetur in eodem loco, attamen viſitantes eam non aſſecuntur indulgentiam. Etenim cùm in pœnam maximè delinquentium Superiorum auctoritate deſtruitur Eccleſia, extinguitur indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam; ſicut & omnia alia eiuſdem priuilegia: eo quòd deſinit omninò eſſe Eccleſia; itaut quando iterum ædificatur in eodem loco, illa Eccleſia nouiter ædificata dicitur alia à priori iam diruta. Eſt tamen verum, quòd ſi eo caſu, vel de facto deſtructa in alium locum Eccleſia transfertur, tunc indulgentia, & alia priuilegia transferuntur, vt poſt *D. Anton. & Suar.* diximus *d. ſec. 3.* Qui id limitant verum eſſe, ſi indulgentia, ac priuilegia conceſſa non ſint ratione ſitus, aut loci; ſed abſolutè Eccleſiæ ſub proprio nomine, ac titulo aliàs ſecus eſſet dicendum, ſi alio transferatur, & ædificetur, etiam ex eiuſdem Superioris auctoritate: ſiue de iure fuerit diruta; ſiue de facto, viſitantes illam non conſecuntur indulgentiam: ſiquidem tunc eſt extincta indulgentia, cum Eccleſia transferatur in alium locum; atque ideò nullo modo, nec naturaliter, nec moraliter dici poteſt eadem numero Eccleſia, vt probat *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec.* qui propterea non poteſt dici ſibi contrarius circa ea, quæ docet *lib. 8. de legib. c. 5. in fine.*

QVARTA CONCLVSIO.

5 DIruta Eccleſia abſq; Superiorum permiſſu, & iterum ædificata in eo loco viſitantes illam, indulgentiam obtinebunt. Probatur; quia indulgentia non eſt extincta: ſiuè incontinenti reædificetur, iuxta illud quod habetur ex *Imola conſ. 44.* cùm propter vicinitatem actus moraliter dicatur durare eadem Eccleſia: ſiuè per multum tempus inſtauratio differatur: quoniam illa Eccleſia cenſetur retinere ſua priuilegia, & conſequenter etiam indulgentiam: eo quòd quoad ſitum eſt re vera idem locus: & ſecundum moralem reſpectum, quaſi idem templum reputatur, vt habetur per *Gloſ. in c. priuilegia, de regul. iur. in 6. & Innoc. in c. cùm ex iniuncto, de noui oper. nunc.* Vndè hæc concluſio locum habet quoties Eccleſia de facto diruta fuit; nempè hoſtium incurſu, &c. Secus autem ſi de iure, ac Superiorum permiſſu, iuxta ſententiam Iuriſtarum, quos refert *Ludouic. Bonon. de indul. n. 79.*

An ſi concedatur indulgentia ſimpliciter, & abſolutè viſitantibus talem Eccleſiam, ipſam quis aſſequatur toties, quoties viſitabit.

S E C. XXXIV.

S V M M A R I V M.

1 *Toties quis lucrabitur indulgentiam, quoties Eccleſiam viſitabit, cum ſimpliciter, & abſolutè conceditur indulgentia viſitantibus Eccleſiam.*

2 *Limitatur ſi conceſſa ſit cum determinatione temporis, vt tali die, vel tali tempore, tunc enim ſemel lucrabitur.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè, vt habetur ex *D. Thom. in 4. d. 20. q. vn. art. 3. quæſtiun. 2. ad 3. Palud. ibid. q. 4. art. 1. §. Quantum ad 3. concl. 1. Suar. in 3. p. tom. 4. de pœnit. diſp. 57. ſec. 5.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 8.* Hanc ſententiam dicunt fundari in communi conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, vt probat *Panor. in c. cum dilectus, ſub nu. 7. de conſuet.* Imò non obſcurè fundatur in iura, cùm indulgentia ſit res fauorabilis, & propterea amplianda potius eſt, quam reſtringenda iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 2.* & cùm generaliter loquatur, generaliter debet intelligi, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt.* Quibus adde, quæ cumulauimus *ſec. 3. §. ſecundò diuiditur, verſ. Eſt tamen adnot.* Dum diximus,
2 quòd viſitans Eccleſiam, cui indulgentia conceſſa eſt citra omnem temporis determinationem, & abſolutè, toties indulgentiam lucrabitur, quoties Eccleſiam ipſam viſitabit. Quòd ſi conceſſa ſit cum temporis determinatione, vt tali die, vel tempore, nempè Paſchali, aut in anniuerſario dedicationis Eccleſiæ, tunc viſitans eam ſemel tantùm indulgentiam aſſequetur, quod oſtendimus ex præſumpta quoque voluntate concedentis indulgentiam. Adde hic ea, quæ ſeq. ſec. dicemus.

An vno, & eodem opere poſſint fideles aſſequi plures indulgentias, diuerſis vijs conceſſas.

S E C. XXXV.

S V M M A R I V M.

1 *Afferuntur in hac re varia Doctorum opiniones*

2 *Indulgentia ſi concedatur indeterminatè, & quaſi perpetuo poterit eam lucrari toties, quoties, niſi in irriſionem indulgentia cederet iteratio.*

3 *Si quis habeat decem grana benedicta, ſeù Imagines, & in ſingulorũ benedictionibus ſit conceſſus annus indulgentia recitando orationem Dominicam, an ſemel tantum recitando, ſingulas conſequatur indulgentias, prædictis granis, ſeu imaginibus conceſſas.*

4 *Indulgentiam conceſſam ſimpliciter, & indeterminatè viſitantibus Eccleſiam toties quis conſe-*

Digitized by Google

conſequitur quoties Eccleſiã ipſam viſitauerit.

5 *Vnum actum ſatis eſſe ad plures indulgentias lucrandas probabilis eſt ſententia.*

6 *Opus pium plerumq; adiungi ſolet ad ſupplendam iuſtitiam, ſeu cauſam indulgentiæ.*

7 *Habens decem grana, ſeu imagines, continentes indulgentiam liberandi ſingulas animas à pœnis Purgatorij ſub onere celebrandi vnam Miſſam poſſet celebrando liberare decem animas prædictas.*

8 *Haud probat diſtinctio inter opus expoſtulatũ irreiterabile, & reiterabile.*

9 *Quamuis vno actu poſſint plures indulgentiæ obtineri, ſiuè reiterabilis, ſiuè irreiterabilis ſit actus; id tamen locum non habet, vbi aliter conſtat de intentione concedentis eleemoſynã.*

1 IN hac re variæ ſunt opiniones. Nam prima ſententia eſt *Angeli verbo Indulgentia, §. 4. Roſella eod. verbo, §. 12. Nauar. de indulg. §. Leuitico, not. 32. nu. 46. & 47.* Et aliorum exiſtimantium, poſſe aliquem indulgentiam ſtationum in die multoties aſſequi. Alij tenent partem negatiuam, nempè *D. Thom. in addit. 3. p. q. 25. art. 2. ad 4. Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 7. & D. Anton. p. 1. tit. 10. c. 3. §. 3.* cum alijs, quos allegant. Alij putant in hac controuerſia cum diſtinctione eſſe loquendum: nam vel indulgentia conceditur ad tempus determinatum, vt viſitantibus tali die, & hora, & tunc ſemel tantùm poteſt quis eam aſſequi. Vndè cùm ſtationes Romæ ſignatè concedantur in Bulla certis, ac determinatis diebus, indè ſequitur, quòd ſemel tantùm poteſt quis illas lucrari; niſi aliud exprimat Pontifex. Quòd ſi indulgentia concedatur indeterminatè, & quaſi perpetuò ſub hac
2 forma, Quicunq; viſitauerit talem Eccleſiam, vel Altare conſequatur hanc, vel illam indulgentiam, tunc poterit quis eam lucrari toties, quoties, vt ſupra adnotauimus *ſec. præced.* vt habetur ex *Ludouico della Crux in Bulla Cruciata diſp. 1. c. 8. dub. 13. nu. 10.* quem refert *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 45.* qui id limitant, niſi iteratio viſitationis cederet in irriſionem indulgentiæ. Alij volunt, nẽpè *Egid. Trullench. in Bulla Cruciata lib. 1. §. 6. nu. 2.* Qui abſolutè docet, indulgentiam ſtationum poſſe in die multoties lucrari. Alij denique ſimpliciter docent partem negatiuam, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 8. nu. 10. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. ſub nu. 5. verſ. Dubitatur quartò, & nu. 6. Conynch. diſp. 12. dub. 9.* cum alijs, quos referunt; dicentes vnico actu non poſſe quem plures indulgentias aſſequi, niſi opus eſſet irreiterabile, vt ieiunium.

3 Pro explicatione huius controuerſiæ eſt adnot. quod controuerſia ipſa poteſt diſputari non ſolùm de indulgentijs localibus; ſed etiam de indulgentijs realibus, vt ſi quis habeat decem grana benedicta, ſeù Imagines, & in ſingulorum benedictionibus ſit conceſſus, verbi gratia, annus indulgentiæ, dicendo orationem Dominicam, quæritur, an ſemel tantùm recitando orationem Dominicam conſequatur ſingulas indulgentias prædictis granis, ſeù imaginibus conceſſis, & ſic decem annos indulgentiæ, vel tantùm vnum annum iuxta orationem Dominicam, quam ſemel recitauit. Sic etiam conceditur aliquando viſitanti talem Eccleſiam, vt tot annos indulgentiæ conſequatur: & propterea omnes indulgentias, quas aſſecuntur, qui illa die viſitant tales, vel tales Eccleſias Romæ, in quibus ſunt aliæ conceſſiones tàm ſimiles, quàm diſſimiles. Vndè quæritur, an vno actu, & eadẽ oratione omnes illæ indulgentiæ ſimul obtineantur. His breuiter adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 QVoad indulgentiam localem conceſſam viſitantibus Eccleſiam abſolutè, ac indeterminatè iam præcedenti ſec. oſtendimus, eiuſmodi Eccleſiam viſitantes toties indulgentiam aſſequi, quoties Eccleſiam ipſam viſitauerit. Imò probabilis nobis videtur ſupradictam opinionem *Trullench.* exiſtimantis, aliquem abſolutè poſſe multoties in die indulgentiam ſtationum obtinere, quamuis determinatum habeant diem: ſiquidem Bulla id non reſtringit, nec limitat; ſed abſolutè eam concedit, & indulgentiam indefinitè concedit tali die viſitantibus talem Eccleſiam: ergò toties eam quis lucratur, quoties eo die moraliter, & ſecundum prudentiam illam viſitat. Confirmatur, quia indulgentia eſt res fauorabilis, vt ſupra probauimus, ſec. 2. ergò potius eſt extendenda, quàm reſtringenda, *arg. text. in c. odia,* & ibi *Doctor. de regul. iur. in 6.* Præterea extenſio huiuſmodi non eſt contra proprietatem verborum Bullæ: ergò dato, & non conceſſo, quod indulgentia eſſet res odioſa; adhuc tamen extenſionem, de qua agitur, patitur: etenim ſecundum iuris diſpoſitionem, diſpoſitio etiam in materia odioſa comprehendit omnes caſus, ad quos eius verba iuxta propriam ſignificationem ſe extendunt, vt per *Doctor. in d. c. odia, de reg. iur. in 6.* Sed verba indulgentiarum Romæ, & verba Cruciatæ, & verba Iubilæi, in quo præcipiuntur ſtationes ad lucrandas indulgentias iuxta propriam ſignificationem extendi poſſunt ad plures vices in die: ergò extendi potius debet, quàm limitari, cùm talis conceſſio ſit Principis fauor, & in tertij præiudicium non cedat. Ita *Trullench. loco citato,* quem ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 45. in fine, & p. 5. tract. 11. reſol. 104.*

SECVNDA CONCLVSIO.

5 PRobabilis valdè nobis videtur ſententia illorum, qui volunt, vnum actum ſatis eſſe ad plures indulgentias aſſequendas. Hæc opinio eſt *Henriq. lib. 7. de pœnit. c. 17. nu. 5. Cord. de indulg. q. 35.* & aliorum, quos refert *Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 11.* Probatur; quia ad conſequendum effectum prædictarum indulgentiarum omnia concurrunt; nempè poteſtas in concedente, gratia in ſuſcipiente, & pietas, ſeù proportio in opere, vt ſupponimus: ſiquidem quoad poteſtatem in concedente non eſt aliqua ratio naturalis, aut Diuina prohibens Eccleſiæ hanc concedendi facultatem. Confirmatur, quia indulgentia eſt res fauorabilis, atque ideò eſt extendenda potius, quàm reſtringenda iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in præcedenti con-
6 cluſione. Nec obſtat in contrarium indulgentiam concedentis præſumpta intentio: ex eo quòd opus pium plerumq; adiungi ſolet ad ſupplendam iuſtitiam, ſeu cauſam indulgentiæ; cui quidem finis non ita obtinebitur, ſi vno opere

exhi-

Digitized by Google

exhibito, plures indulgentiæ obtineantur; quoniam nos hanc concluſionem, ſuppoſita proportione in opere, vt ſupra diximus: at tanta deuotione opus illud vnicum quis facere poterit, vt omnibus illis indulgentijs ſit proportionatum, vt rectè inquit *Molfeſ. in ſua ſum. tract. 7. c. 26. nu. 91.* Et ſi quis rurſus inſtabit, quòd ſuppoſita vera noſtra concluſione, breui oratione multæ animæ à Purgatorio liberarentur, tunc reſpondemus, quòd ſuppoſita iuſtitia cauſæ, & proportione, vt ſupra: id non eſſet inconueniens. Vndè ſi decem grana, ſeù imagines continerent ſingulę indulgentiam liberandi ſingulas animas à pœnis Purgatorij ſub onere celebrandi Miſſam, ſi quis habens dictas decem imagines celebret, poſſet liberare decem animas à dictis pœnis celebrando vnam tantum Miſſam, ſuppoſita proportione operis iuxta ea, quæ ſupra diximus.

TERTIA CONCLVSIO.

8 NObis non probatur ſupra relata *Suar.* & aliorum diſtinctio inter opus ab indulgentia expoſtulatum irreiterabile, quale eſt ieiunium tali die exhibendum: & reiterabile, vt eſt recitatio orationis Dominicæ, viſitationis Eccleſiæ: nam accidere poteſt, vt vtriuſque generis opus ſit proportionatum, vel improportionatum: atque ideò vno actu poſſint obtineri, vel non obtineri plures indulgentiæ, ſiuè actus ſit reiterabilis, ſiuè irreiterabilis, iuxta ea, quæ ſupra declarauimus.

QVARTA CONCLVSIO.

9 QVamuis vno actu, ſiuè irreiterabilis ſit, ſiuè reiterabilis, poſſint plures indulgentiæ obtineri ex magis veriſimili cōcedentis indulgentiam intentione, quam non obtineri, cùm indulgentia ſit res fauorabilis, per ea, quæ ſupra adnotauimus, *concl. 2.* Nihilominus aliter dicendum eſt, quando aliter conſtet de intentione concedentis indulgentiam, tacita, vel expreſſa, cùm taciti, & expreſſi eadem ſit virtus, *l. cum quid*, & ibi *Iaſon, ff. ſi cert. petat.* Siquidem indulgentia non operatur vltra intentionem eam concedentis.

An aliquis poſſit adimplere opus poſtulatum pro alio, ad lucrandam illi indulgentiam, ita vt ipſe operans eam lucretur non ſibi, ſed alteri, cui illā ſua voluntate applicet.

SEC. XXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Qui operatur ad lucrandum indulgentiam alteri, non eſt neceſſè, vt ab eo moueatur, aut aliquo modo inducatur ad operandum.*

2 *Indulgentia conceſſa in proprium alicuius perſonæ fauorem, alteri prodeſſe non poterit.*

3 *Vnus pro altero ad lucrandam indulgentiam, tunc operari poteſt, cum illam concedens expreſſè velit, vt ſic operans poſſit indulgentiæ fructum ſibi, vel alteri applicare.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd hæc controuerſia habet affinitatem quandam cum controuerſia, quam explicauimus ſupra *ſec. 20.* & propterea hæc poſt illam immediatè poterat congruentius explicari: attamen caſus præſentis ſectionis in hoc differt à caſu *d. ſec. 20.* quòd in iſto non eſt neceſſè, vt is qui operatur ad lucrandam indulgentiam alteri, ab eo moueatur, aut inducatur aliquo modo ad operandum, cùm non operetur tanquam gerens vices illius; ſed tanquam principaliter, & ſua ſponte operans, & donans alteri fructum, quem ſibi retinere poſſet, atque ideò nec ſcientia, nec conſenſus requiratur ex parte eius, cui offertur indulgentiæ fructus: at verò in caſu *d. ſec. 20.* opus quod ſit per alium, debet fieri aliquo modo ex voluntate, ſeù petitione illius, qui lucraturus eſt indulgentiam: alioqui neque ille dici poteſt per alium operari ex intentione obtinendi indulgentiam per neceſſaria media. His adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 INdulgentia conceſſa in proprium fauorem alicuius perſonæ, non poterit alteri prodeſſe, ita vt is cui conceditur indulgentia, eam lucretur ſibi, nec poſſit alteri ſua voluntate applicare. Probatur, quia indulgentia non plus operatur, quàm ſonat, vt ſæpè diximus; atque ideò, quemadmodum non extenditur vltra quantitatem expreſsè conceſſam; ita neque vltra perſonas expreſſas. Confirmatur; quoniam indulgentia talem conditionem exigit in eo, qui conſecuturus eſt eiuſdem effectum, quæ in alio non reperitur. Denique effectus ex opere operato conceſſus in fauorem eius, qui tale opus operatur, eſt quaſi priuilegium perſonale: ergò non poteſt ex eius voluntate alteri applicari; niſi hoc ipſum in conceſſione exprimatur.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 SI concedens indulgentiam expreſsè velit, vt ſic operans poſſit fructum indulgentiæ, vel ſibi, vel alteri obtinere, tunc poteſt vnus pro altero operari ad lucrandam illam indulgētiam. Probatur quoniam in Rom. Pontifice non deeſt poteſtas, & voluntatem eius ſufficienter ſupponimus declaratam ex forma indulgentiæ. Confirmatur; quia hoc modo conceditur viuis, vt poſſint aſſequi indulgentias pro Defunctis: ergò à fortiori concedi poteſt inter viuentes: ſiquidem inter eos facilior eſt communicatio operum, & ſatisfactionum.

An vnus poſſit donare alteri indulgentiam committendo illi opus ad indulgentiam neceſſarium.

SEC. XXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Negatiua affertur reſponſio, ſi id in forma indulgentiæ non ſit expreſſum: & quare.*

1 AD hanc rem breuitet reſpondetur negatiuè: ſiquidem, ſi id in forma indulgentiæ non eſt expreſſum, clarum eſt non poſſe fieri: quoniam verba indulgentiæ non operantur vltra eorum ſignificatum, cùm non plus fauoris exhibeat, quàm verba exprimant, vt ſupra diximus, *ſec. 20. concl. vlt.* Quòd ſi illud eſt expreſſum in forma iam non vnus concedit alteri indulgentiam, vel pro eo illam lucratur; ſed Rom. Pontifex vtrique illorum eam concedit, ſi talem pietatis actum operetur. Fieri tamen poteſt, vt non æquè primò, & per ſe vtrique illam concedat; ſed alteri eorum primò, & per ſe: alteri verò per commutationem alterius; ſeù dependenter

denter ab eius voluntate, vel in defectum illius; ſiquidem id totum pendet ex voluntate concedentis, & poteſt habere iuſtam, & rationabilem cauſam.

An in caſu quo ex forma indulgentiæ ſatis ſit opus per alium adimpleri, debeat operans in gratia eſſe dum operatur opus.

SEC. XXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Quoties opus impletur ab aliquo tanquam alterius Miniſter, opus non eſt, quod operans ſit in gratia.*

2 *Aſſertur in hac re opinio affirmatiua: Et qua ratione.*

3 *Communior eſt opinio, non eſſe neceſſe, vt operans alterius nomine ſit in gratia. Et quare.*

4 *Qui indulgentiam lucratur non ſibi, ſed alteri, opus non eſt, vt ſit in gratia.*

5 *Sacerdos, in peccato mortali exiſtens, Miſſam celebrans poteſt per ſacrificium alteri obtinere remiſſionem pœnæ.*

6 *Quoties Rom. Pontifex indulgentiam concedit pro Defunctis, poſſunt Viui licet in peccato exiſtant hanc indulgentiam pro Defunctis conſequi.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd hic non loquimur de eo, qui opus implet tanquam alterius miniſter, vt eſt ſeruus, aut procurator, qui elargitur pauperibus eleemoſynam nomine Domini ſui: aut amicus nomine alterius amici: certum eſt enim nihil referre eiuſmodi perſonas eſſe in gratia; cùm inſtrumentaliter tantùm concurrant ad opus, & actio tribuatur ſimpliciter Domino præcipienti, vt diximus ſupra *ſec. 20.* ſed quæſtio noſtra eſt de opere, quod fit per alium tanquam per propriam cauſam ipſius operis, quamuis alterius rogatu; vel in commodum eius faciat, vt qui ieiunat nomine alterius ex vi conceſſionis: an inquam debeat eſſe in gratia ad effectum indulgentiæ.

2 In hac difficultate pugnantes extant opiniones: nam prima ſententia fuit *Caiet. in ſuo opuſc. de indulg. q. vlt. ad 2.* tenentis partem affirmatiuam. Probat ſuam opinionem ex eo, quòd in caſu, de quo agitur, moraliter operari non diceretur is, cui quæritur indulgentia.

3 In contrarium tamen eſt communis opinio, quam docet *Adr. & Sot.* quos refert, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 7. nu. 4.* Et alij dicentes, quòd non eſt neceſſe, vt operans nomine alterius ſit in gratia; etiam ſi fructus indulgentiæ ſtatim conferendus ſit. Etenim gratia non eſt neceſſaria, vt principium, & forma talis operis: quoniam non oportet, vt tale opus ſit meritoriũ: neque etiam eſt neceſſaria, vt diſpoſitio auferens obicem; ſiquidem fructus indulgentiæ non eſt conferendus ei, qui operatur; ſed alteri, cuius vice operatur: & ideò ſolum in illo altero neceſſaria eſt gratiæ diſpoſitio pro eo tempore, quo applicandus eſt fructus indulgentiæ. Nec etiam eſt neceſſarium, vt opus illud in indiuiduo ſit bonum ſimpliciter prout fit à tali operante: etenim ſi hoc neceſſarium non eſt in eo, qui per ſe ipſum, & propter ſe ipſum operatur, vt ſupra oſtendimus *ſec. 10.* multo minùs exigitur neceſſariò in eo, qui operatur alterius nomine: ſolùm ergò neceſſe eſt, vt opus ſit ex ſuo genere bonũ, & quale expoſtulatur ex vi indulgentiæ: & quòd fiat aliquo modo ex voluntate, ſeù petitione eius, qui lucraturus eſt indulgentiam: alioquin neque ille dici poſſet per alium operari cum intentione obtinendi indulgentiam per neceſſaria media.

4 Adeò vera eſt hæc concluſio, vt locum etiam habeat in eo, qui lucratur indulgentiam alteri; nempè vt ipſe operans non lucretur indulgentiam ſibi, ſed alteri, cùm illam ſua voluntate applicat, vt diximus ſupra *ſec. 36.* tunc enim non exigitur, vt ſit in gratia, vt contra *Angel. ver. Indulgentia, nu. 21.* & alios docet *Suar. de pœnit. diſp. 53. ſec. 4. n. 6. ex D. Thom. Ricchar.* & alijs. Ratio autem hæc eſt; quoniam ſtatus gratiæ ſolum exigitur ad tollendum obicem indulgentiæ; atque ideò per ſe ſolùm eſt diſpoſitio neceſſaria in eo, qui ſuſcepturus eſt indulgentiam, eiuſdemq; effectum: in caſu verò noſtro non eſt percepturus effectum ille, qui opus efficit ad indulgentiam expoſtulatum; ſed alius, cui indulgentia procuratur: ergò, &c. quapropter non eſt caſus ſimilis de lucrante ſibi indulgentiam; nam in eo requiritur ſtatus gratiæ non formaliter, quia operans eſt; ſed quia recepturus eſt indulgentiæ

5 effectum. Hinc Sacerdos exiſtens in peccato mortali, & celebrans Miſſam, poteſt per ſacrificium alteri obtinere remiſſionem pœnæ. Deniq; probatur hæc ipſa opinio; quoniam is, qui indulgentiam alteri lucratur, nullo modo prius ſibi lucratur aliquam indulgentiam, vt eam applicet alteri; ſed conditionem tantùm expoſtulatam exhibet, vt Rom. Pontifex alteri indulgentiam concedat. Hæc autem conditio non eſt, niſi executio talis operis quoad ſubſtantiam eius, per quod poteſt ſufficienter impleri cauſa proportionata talis indulgentiæ. Ex quibus infertur,

6 quòd quotieſcunque Rom. Pontifex concedit indulgentiam pro Defunctis, Viui licèt in lethali culpa permaneant; poſſunt tamen pro Defunctis indulgentiam conſequi, adimpleta conditione: ſiquidem non poteſt aſſignari maior ratio in vno, quàm in alio. Ita *Suar. loco ſupra relato.* Quibus adde circa indulgentias pro Defunctis, & quoad opus ab eis poſtulatum exhibitum ab exiſtenti in peccato mortali, quæ latius habentur per *Dian. p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 38.* vbi pro hac ſententia quamplurimos Doctores citat, & multas rationes affert. Quibus adde, quæ dicemus infra *ſec. 47. concl. 5.*

De eo, cui quærenda eſt indulgentia, quas conditiones exigat.

SEC. XXX

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia quæritur tantum homini viatori.*

2 *Angelis haud quæritur indulgentia, nec Dæmonibus: ſed an quæratur animabus ſeparatis, vel exiſtentibus in Purgatorio.*

3 *Quamuis indulgentia concedatur alicui loco, nempè tali Eccleſiæ, vel* dolis, *&c. ſemper tamen cenſetur conceſſa homini, qui tantum eſt indulgentiarum ſubiectum.*

4 *Ad indulgentiam conſequendam debet eſſe homo Viator, baptizatus, rationis vſum habens, ac ſubditus.*

5 *Baptizati tantum ſunt Eccleſiæ iuriſdictioni ſubiecti, & ob id non baptizati excommunicari, vel alijs cenſuris Eccleſiaſticis affici non poſſunt.*

6 *Ante baptiſmum non eſt aliquis capax remiſſionis culpæ ex opere operato.*

7 *Is, cui quærenda eſt indulgentia, debet eſſe in gratia pro eo tempore, quo indulgentia applicatur.*

8 *Ad indulgentiam conſequendam neceſsè non eſt, vt opus expoſtulatum ſit honeſtum in indiuiduo.*

9 *Homini in peccato mortali exiſtenti, concedi poſſunt indulgentiæ pro tempore, quo fuerit in ſtatu gratiæ.*

10 *Tex. in extrauag. Vnigenitus, §. ſtatuentes, & conſuetudo prærequirunt gratiam non propter opus, ſed vt diſpoſitionē ad effectū indulgentiæ.*

11 *Secundum communem Theologorum ſententiam ad valorem indulgentiæ tres requiruntur conditiones, & quæ.*

HAnc rem tribus poſitis concluſionibus paucis duximus explicandam. Vndè pro eiuſdem determinatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 HOmini tātùm Viatori quæritur indulgētia. Hæc concluſio eſt communis, & patet ex ijs, quæ habentur ex *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6.* & ex alijs. Etenim indulgentiarum ſubiectum eſt tantùm homo, cùm homo dumtaxat ſit capax reatus pœnæ temporalis, quæ per indulgentiam remittitur: eo quòd eiuſmodi reatus ſupponit culpam remiſſam, & pœna per indulgentiam tolli poſſit: ergò homini tantùm quæritur indulgentia. Ex hoc infertur, quòd Ange-

2 lis non quæritur indulgentia; quia non habent reatum pęnæ temporalis, cùm nunquam culpam aliquam contraxerint, nec contrahere poſſint, cùm ſint confirmati in gratia. Nec Dæmonibus quæritur indulgentia; quorum illis nunquam fuit remiſſa culpa; atque ideò eorum pœna eſt æterna, & non temporalis, quæ per indulgentiam remittitur poſt remiſſam culpam. Neque indulgentia quæritur animabus ſeparatis: ſiquidem homo viator dumtaxat eſt indulgentiarum capax. Etenim animæ Damnatorum habent reatum pœnæ æternæ: animæ Beatorum nullum pęnæ reatum habent: animæ verò in Purgatorio exiſtentibus ſi aliquo modo indulgentiarum ſunt capaces, id eſt quatenus aliqua ex parte ſtatum viatorum participant: ſiquidem indulgentiæ conceduntur Viuis, vt eas applicent Defunctis, vt declarauimus ſupra *ſec. 1. verſ. Dixi actus clauium quoniam.*

3 Secundò infertur, quòd quamuis indulgentia alicui loco concedatur, vt tali Eccleſiæ, vel rei, vt Roſarijs, Imaginibus, &c. Nihilominus ſemper conceſſa cenſetur homini; quia homo tantùm eſt indulgentiarum ſubiectum. Dicitur autem conceſſa loco, aut rei; quoniam conceditur fidelibus in tali loco orantibus, aut aliud opus facientibus: aut cum tali re, vel coram ea hoc, vel illud opus exhibentibus. Vndè fauor ille dicitur adhærere loco, vel rei; nam in illo tantùm, vel cum ea re indulgentia obtinetur: nec eius effectus communicatur hominibus, niſi mediante tali loco, aut tali re, vt ſupra explicauimus *ſec. 2. verſ. Secundò diuiditur*. Eſt tamen verùm, quòd ſi ad aſſequendam indulgentiam expoſtuletur viſitatio talis Eccleſiæ, nullo alio impoſito opere, tunc viſitatio debet fieri deuotè, ac religioſè: & propterea ſi quis viſitaret Eccleſiam illam eo modo, quo viſitantur, & ingrediuntur alia profana loca, per eam perambulando curioſitatis gratia, & citra omnem deuotionem, indulgentiam non obtineret: quoniam talis non poteſt dici pia operatio.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 AD indulgentiam obtinendam non ſatis eſt, vt quis ſit homo viator; ſed inſuper debet eſſe baptizatus, rationis vſum habens, ac ſubditus. Hæc concluſio habet tres partes. Prima pars eſt, vt ad aſſequendam indulgentiam non modo quis ſit homo viator, ſed etiam baptizatus: ſecunda, quòd habeat rationis vſum: & tertia, quòd ſit ſubditus. Probatur concluſio quoad primam partem; ſiquidem communis ſatisfactionis Theſaurus eſt in Eccleſia à Paſtoribus fideliter, ac prudenter diſpenſandus ijs tantùm, qui membra ſunt ipſius Eccleſiæ: ergò baptizatis dumtaxat eſt diſpenſandus communis ſatisfactionis Theſaurus; atque ideò ad aſſequendum indulgentiam, quæ eſt communis ſatisfactionum Theſaurus, exgit, vt is, cui quærenda eſt ſit baptizatus.

5 Confirmatur; quia cùm indulgentia ſit actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ baptizati tantùm ſunt Eccleſiaſticæ iuriſdictioni ſubiecti: nam ob id non baptizati nō poſſunt excommunicari, nec alijs cenſuris Eccleſiaſticis affici: quoniam ſunt extra Eccleſiam, & ſic foris: de his autem, qui foris ſunt, non pertinet ad nos, *vt 1. Cor. c. 5. & c. gaudeamus, de diuorc.* & nos latè declarauimus in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 1. q. 3. nu. 106.* vbi etiam *nu. 197.* Ob id oſtendimus Cathecumenos eſſe cenſurarum incapaces: nam licèt ſint fideles; tamen donec baptizentur, adhuc ſunt extra Eccleſiam. Eſt tamen verum, quòd Cathecumenis tùm Viuis, tùm etiam Defunctis indulgentiæ prodeſſe poſſunt per modum ſuffragij, vt docet *Nauar. de indulg. not. 31. in fine, & Benzon. lib. 5. de iubil. c. 15. dub. 28. aſſert. 6.* quam ſententiam probabilem eſſe tenet *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 6. ſub num. 1. verſ. Cathecumenis*: Eo quòd Cathecumeni cùm per fidem, & charitatem Chriſto ſint vniti, aliquo modo membra Eccleſiæ dici poſſunt; quibus proinde communis Theſaurus ſatisfactionum, & ſi non per modum abſolutionis ex iuſtitia; tamen per modum ſuffragij, & impetrationis applicari poteſt.

6 Confirmatur magis ipſa concluſio quoad eandem primam partem; quoniam ante baptiſmum non eſt aliquis capax remiſſionis culpæ ex opere operato; ergò nec remiſſionis pœnæ. Probatur modò concluſio quoad ſecundam partem: ſiquidem reatus pœnæ temporalis, ad cuius remiſſionem indulgentia ordinatur ortum habet ex actuali peccato, quod contrahere is tantùm poteſt, qui rationis habet vſum: nam propter originale peccatum incurritur reatus pęnæ æternæ, non ſenſus, ſed damni. Probatur denique eadem concluſio quoad vltimam partem: quia ſi cauſa efficiens indulgentiarum, & ſic indulgentias concedens debet eſſe Superior; ergò cui conce-

ditur

ditur debet eſſe ſubditus, vt nos oſtendimus ſupra *ſec.4.concl.3.*

TERTIA CONCLVSIO.

7 AD aſſequendam indulgentiam licèt is, cui quærenda eſt, non ſit neceſsè, vt ſit in gratia tempore executionis operis, in conceſſione indulgentiæ expoſtulari; debet tamen eſſe in gratia pro eo tempore, quo indulgentia applicatur. Hæc concluſio habet duas partes. Prima pars eſt, quòd ad obtinendam indulgentiam non eſt neceſſarium, vt is, cui quærenda eſt, ſit in gratia, dum opus expoſtulatum implet. Secunda pars eſt, vt talis ſit in gratia pro eo tempore, quo indulgentia ſumitur, & applicatur.

8 Probatur concluſio quoad primam partem ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 4. concl. 2.* vbi latè probauimus, ad aſſequendam indulgentiam non oportere, vt opus expoſtulatum ſit honeſtum in indiuiduo: quibus *Gloſ. in extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſ. D. Anton. 1. p. tit. 10. c. 3. §. quinto, verſ. Sextò quæritur, Tab. ver. Indulgentia, q. 4. Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 2. nu. 7.* Et alios dicentes, non opus eſſe, fidelem reperi in ſtatu gratiæ eo tempore, quo implet opus. Etenim pœnitentia à Sacerdote iniuncta, etiam in peccato mortali adimpleta, prodeſt pœnitenti non modo quoad ſatisfaciendum Sacerdoti; ſed etiam quoad pœnæ ſolutionem, recedente fictione, vt ſupra oſtendimus *diſp. 9. ſec. 2. concl. 1. & 3.* Ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, valere opus bonum, etiam in lethali culpa adimpletum ad remiſſionem quoque pœnæ temporalis, recedente fictione, & ſic pœnitente reuocato in gratiam tempore applicationis indulgentiæ; cùm non poſſit aſſignari maior ratio in vno, quàm in alio caſu.

9 Confirmatur, quoniam homini exiſtenti in peccato mortali poſſunt concedi indulgentiæ pro tempore, quo fuerit in ſtatu gratiæ: ſiquidem eo modo poſſunt concurrere omnes conditiones ad indulgentias requiſitæ: nempè auctoritas in concedente: capacitas in recipiente, & pietas in cauſa; ergò fidelis poteſt opus expoſtulatum ad aſſequendam indulgentiam implere etiam ſi non ſit in gratia. Denique probatur; quoniam aliàs ſequeretur pauciſſimos de plurimis itaris anno Iubilæo Romam eius indulgentiam adepturos: pauci enim collatione aliorum ab arrepto itinere noctes, & dies in itinere in Vrbe vſque ad vltimam templorum, ad id præſcriptorum, viſitationem, in ſtatu gratiæ permanebunt.

10 Nec obſtat *tex. in d. extrauag. vnigenitus, §. ſtatuentes, de pœnit. & remiſ.* Vbi indulgentiæ conceduntur illis, qui pœnitentes, & confeſſi Eccleſiam viſitauerint, & ſic opus expoſtulatum impleuerint; quoniam reſpondetur, quòd *text.* ille, & conſuetudo prærequirunt gratiam non propter opus; ſed vt diſpoſitionem ad effectum indulgentiæ: ſiquidem gratia neceſſaria eſt pro eo tempore, quo indulgentia conſumatur, & applicatur. Vndè ſi plura opera ex vi conceſſionis indulgentiæ poſtulentur, & in fine alicuius ex operibus conſumetur, ac applicetur indulgentia, ſi tale opus in gratia conſumatur, licèt extra ſtatum gratiæ incohetur; quia gratia non exigitur propter opus; ſed per concomitantiam, quando ſcilicet tale opus completur, gratia neceſſaria eſt; atque ideò opus eo caſu neceſsè eſt, vt ſit viuum dum completur; non autem dum incohatur. Neque ex hoc ſequitur opera mortua per pœnitentiam viuificari: quoniam, vt ſupra diximus, gratia requiritur non propter opus, ſeù ad viuificandum opus; ſed vt diſpoſitio ad effectum indulgentiæ. Vndè opera nō dicuntur viuificari: quia remiſſio pœnæ non fit ex opere operantis, ſed ex opere operato.

11 Secunda pars concluſionis patet: quoniam ſecundum communem Theologorum ſententiam ad valorem indulgentiæ tres conditiones exiguntur, nempè poteſtas in concedente: pietas in cauſa: & gratia in ſuſcipiente. Etenim homini Dei inimico quandiù in peccato exiſtit nulla remiſſio fit, neque quoad culpam, neque quoad pœnam: ſiquidem indignus efficitur eiuſmodi remiſſione, vt rectè declarat *Suar. d. diſp. 52. ſec. 2. nu. 4. cum ſeq.*

An is, qui aſſecuturus eſt indulgentiam, ſi tempore illius applicationis non reperiatur in gratia, recedente fictione poſt tempus indulgentiæ elapſum, indulgentiam ipſam aſſequatur.

SEC. XXXX.

SVMMARIVM.

1 *Ponitur caſus pro tituli cōtrouerſiæ explicatione.*
2 *Indulgentia ſi concedatur contritis, & confeſſis, vel qui intra annum fuerint confeſſi, an ſatis ſit poſt menſem, vel annum contritionem habere ad indulgentiæ fructum conſequendum, Et nu. 4.*
3 *Sicut pœnitentia Sacramentum, & cætera Sacramenta eorum effectum conferunt ex opere operato, ita quoque ſuo modo indulgentia.*
4 *Contraria ſententia vera putatur.*
5 *Quoties indulgentiæ conceduntur confeſſis, & contritis, eas non aſſequuntur exiſtentes in peccato mortali, recedente fictione, & recuperata gratia.*
6 *Indulgentia ſimpliciter conceſſa viſitantibus talem Eccleſiam in eius feſtiuitate ſi illam viſitantes eo die reperiantur in peccato mortali, indulgentiam non obtinebunt ſequenti die etiam recedente fictione.*
7 *In Eccleſia Dei eſt poteſtas concedendi indulgentiam homini, in peccato mortali exiſtenti, aſſequendam tamen cum primum contritus fuerit; ſed non adeſt poteſtas ad illam concedendā ex intentione, vt eius aſſequetur effectum recedente fictione.*
8 *Sacramentum in quo differat ab indulgentia.*

1 AD tituli controuerſiæ huius explicationem ponamus caſum, quòd concedatur indulgentia plenaria viſitantibus noſtram Eccleſiam S. Eligij in die feſtiuitatis eius à primis veſperis vſque ad ſequentem diem poſt ſolis occaſum: & quòd Titius v. g. viſitet Eccleſiam determinato die animo obtinendi indulgentiam; ſed in peccato mortali exiſtens, etiam eo tempore, quo indulgentia ipſa veniebat applicanda: quapropter eam non fuit aſſecutus. Denique ſequenti die poſt præfatum feſtum, ad ſe reuerſus debitam pœnitentiam agat, & Dei gratiam recuperet; quæritur, an effectum indulgentiæ impeditum propter defectum gratiæ, recedente fictione, &

ſic gratia recuperata, Titius ipſe indulgentiam obtineat.

2 In hac re *Palud. in 4. d. 20. q. 4. art. 3.* inquit, quòd indulgentia interdum conceditur ſub hac forma: contritis, & confeſſis, &c. Vel qui intra annum fuerint confeſſi: quæ verba ipſe interpetratur de confeſſione in re, vel in voto. Vndè ex hnc colligit ſatis eſſe poſt menſem, vel annum contritionem habere ad indulgentiæ fructum obtinendum; atque ideò per confeſſionē poſtea ſubſecutam, & ſic ceſſante fictione, recuperari fructum indulgentiæ, qui prius fuerat impeditus. Etenim in Sacramento pœnitentiæ ſatiſfactio, ſeù pœnitentia iniuncta, etiam in lethali culpa adimpleta prodeſt eam agenti non modo quoad ſatisfaciendū Sacerdoti; ſed etiam quoad pœnæ remiſſionem, quæ remanet poſt remiſſam culpam actualem, recedente fictione, ac recuperata gratia, vt latè ſuprà oſtendimus, *diſp. 9. ſec. 2. concl. 1. & 3.* Ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro, vt is, cui quærenda eſt indulgentia, ſi opus ex vi conceſſionis expoſtulatum adimpleuerit in peccato mortali tempore applicationis indulgentiæ, propter quod non potuit aſſequi illius effectum, recedente fictione, & recuperata gratia, effectum ipſum aſſequetur; atque ideò remiſſionem pœnæ, quæ remanet poſt re-
3 miſſam culpam: ſiquidem Sacramentum pœnitentiæ, & alia Sacramenta ſicut conferunt eorum effectum ex opere operato; ita quoque ſuo modo indulgentia. Vndè ſicut per receptionem Sacramenti, etiam indignam, manet effectus applicatus in acceptatione Diuina, ita vt, recedente fictione, ſtatim conferatur; ita per indulgentiam applicatur effectus quaſi ex opere operato: & eſt quoque opus Dei potius quàm hominis, cui confertur, & manet effectus eius in acceptatione Dei; ita vt, recedente fictione ſtatim conferatur. Hanc eandem opinionem poſt alios tanquam probabilem ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 4.*

4 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veram, quam tenet *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 2. Trullench. in Bull. Cruciatæ, lib. 1. §. 1. dub. 16. nu. 5.* & alij apud *Diana loco citato.* Pro cuius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

5 QVotieſcunque indulgentiæ expreſſè conceduntur confeſſis, & contritis, non cenſentur conceſſæ exiſtentibus in peccato mortali aſſequendæ, recedente fictione, ac gratia recuperata. Probatur, quoniam indulgentia non operatur vltra intentionem concedentis, quæ per verba explicatur: ergò omnes indulgentiæ ſub hac forma conceſſæ nihil operantur in ijs, qui ſunt in peccato mortali: ſiquidem illi non ſunt contriti.

SECVNDA CONCLVSIO.

6 INdulgentiæ ſimpliciter conceſſæ viſitantibus Eccleſiam in die feſtiuitatis eius, ſi viſitantes in illa die reperiantur in peccato mortali, ſequenti die, etiam recedente fictione, indulgentiam nō obtinebunt. Probatur ex eo quòd forma conceſſionis indulgentiarum ad hnc non extenditur, & applicatio indulgentię impedita fuit pro eo tempore, pro quo facienda fuiſſet ex intentione concedentis, & ideò non poteſt aſſignari ratio cur poſtea redeat: vndè non ſolùm impeditur per fictionem applicatio quoad effectum ad extra; ſed etiam quoad acceptationem Dei: ſiquidem Theſauri diſpenſatio abſolutè, & ſimpliciter fit in illud tempus: & quoniam ille, qui intendit indulgentiam conſequi, reperitur in lethali culpa, per ſe loquendo indignus eſt omni applicatione illius effectus, etiam in acceptatione Diuina.

TERTIA CONCLVSIO.

7 IN Eccleſia Dei eſt potentia cōcedendi indulgentiam homini exiſtenti in peccato mortali aſſequendam tamen cùm primum fuerit contritus. Verùm non ex hoc ſequitur in Eccleſia eſſe poteſtatem ad concedendam indulgentiam ea intentione, & efficacia, vt conſequatur effectum, recedente fictione. Prima pars concluſionis patet; quia talis forma concedendi indulgentiam non eſt cōtra ius Diuinum; quoniam talis capax eſt indulgentiæ. Secunda pars probatur; quia licèt admittamus talem modum concedendi indulgentiam non repugnare Iuri Diuino; tamen nec per illa verba conuenienter exprimitur, neq; tunc datur effectus, recedente fictione; ſed completa integrè conditione ad indulgentiam requiſita: ſiquidem contritio poſtulatur, vt conditio neceſſaria omnibus habentibus conſcientiam peccati mortalis: illis autem, qui ſunt extra peccatum mortale non exigitur.

Reſtat modo, vt contraria ſoluamus.

8 AD argumentum igitur reſpondemus, quòd in eo differt Sacramentum ab indulgentia quòd illud perficitur, & applicatur fideli citra effectum propter fictionem, qua poſtea ablata, datur effectus propter Sacramentum prius applicatum: hæc autem in ſe perficitur, neque applicatur, durante fictione: ſiquidem nec conditio ad eam requiſita impleta eſt, nec etiam facta eſt applicatio Theſauri, donec contritio habeatur iuxta formam conceſſionis. Quòd ſi in ipſa conceſſione nulla mentio fiat contritionis, aut ſtatus gratiæ; ſed ſimpliciter dicatur, recitans hoc, vel illud: viſitans hanc, vel illam Eccleſiam, &c. Talem indulgentiam conſequatur, ſi ſtatim non conſequatur effectum propter fictionem, nunquam poſtea conſequetur: quoniam forma conceſſionis ad hoc non extenditur: & applicatio Theſauri impedita fuit pro eo tempore, pro quo facienda fuiſſet ex intentione concedentis; & propterea non poteſt aſſignari ratio cur poſtea redeat. Secundò reſpondet *Suar.* id eſſe ſpeciale in Sacramentis propter ſpecialem eorum dignitatem. Vel tertiò dici poteſt, quòd in Sacramentis concurrunt duo, actio ſcilicèt, qua perficitur Sacramentum, & effectus Sacramenti: at verò in indulgentia concurrit tantùm vna; nempè applicatio Theſauri Eccleſiæ, quam conſequitur remiſſio pœnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam.

An ſtatus gratiæ requiratur ad alios fauores, qui cum indulgentia aliquando conceduntur.

S E C. XXXXI.

S V M M A R I V M.

1 *Cum indulgentiarum conceſſione, concedi ſolet abſolutio à reſeruatis, ac diſpenſationes, & commutationes votorum, hiſq; ſimilia.*

2 *Affertur prima ſententia affirmatiua.*

3 *Com-*

3 *Communis ſententia eſt in contrarium: Et quæ adnotanda ſint pro tituli explicatione.*

4 *Confeſſio ſi præcipiatur dumtaxat, vt diſpoſitio ad gratiam, licet quis non aſſequatur indulgentiam, aſſequitur fauores, qui aliquando cum indulgentia conceduntur.*

5 *Si ex vi conceſſionis indulgentiæ, expoſtuletur confeſſio, vt conditio qui nullam facit confeſſionem, vel talem, quæ ad Sacramentum non ſufficiat, neque alios fauores indulgentiæ conſequitur.*

6 *Confeſſio ſi expoſtuletur ad indulgentiam conſequendam, vt conditio neceſſaria. Et fiat informis, licet effectus indulgentiæ impediatur alij tamen fauores non impediuntur.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd ſolet cum conceſſione indulgentiarum concedi abſolutio à caſibus reſeruatis, diſpenſationes, & commutationes votorũ, & his ſimilia. Quæritur modòq́; an ſtatus gratiæ exigatur non ſolum ad proprium effectum indulgentiæ, qui eſt remiſſio pœnæ temporalis; ſed etiam ad alios fauores obtinendos, qui cum indulgentia, & propter indulgentiam concedi ſolent, vt ſunt abſolutio à caſibus reſeruatis, & cætera eiuſmodi.

2 In hac re pugnantes ſunt opiniones. Nam prima ſententia eſt affirmatiua; cuius fundamentum eſt, quòd accesſorium ſequitur principale, ſeù naturam ſui principalis, vt in *c. acceſſorium, de regul. iur. in 6.* Sed indulgentia, quæ eſt principalis exigit ſtatum gratiæ; ergò, & ſupradicti fauores, qui ſunt acceſſorij.

3 In contrarium tamen eſt communis ſententia, ſententia, quam tenet *Suar. de pœnit. diſp. 52. ſec. 3. nu. 15.* & alij communiter. Pro cuius explicatione eſt adnot. quòd aut confeſſio ex vi indulgentiæ poſtulatur vt conditio: aut vt diſpoſitio ad gratiam. Secundò videndum eſt, an confeſſio ſit valida, vel inualida; vel tandem informis, vt cùm quis confitetur, non adhibita diligentia in memorandis peccatis, putans ex probabili ignorantia non teneri, iuxta ſententiam *Sot. in 4. d. 18. q. 3. art. 3.* licèt confeſſionem hanc informem non admittat *Suar. de pœnit. diſp. 23. ſec. 4. nu. 3.* & nos aliter diximus ſupra *diſp. 2. ſec. 4.* His adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

4 COnfeſſio ſi præcipiatur, vt diſpoſitio ad gratiam dumtaxat, qua mediante; is cui quærenda eſt indulgentia, efficitur illius capax, tunc eſtò quòd indulgentiam non aſſequatur ob defectum gratiæ; ſi tamen ritè per prius fuerit abſolutus à caſibus reſeruatis, diſpenſatus, &c. Quamuis indulgentiam non aſſequatur; nihilominus conſequitur fauores, qui cum indulgentia aliquando conceduntur. Probatur; quoniã gratia, quæ exigitur ad remiſſionem pœnæ, non requiritur ad alios fauores, qui nullam connexionem habent cum indulgentia; niſi vbi confeſſio poſtulatur tanquam conditio neceſſaria.

SECVNDA CONCLVSIO.

5 COnfeſſio ſi ex vi formæ conceſſionis indulgentiæ expoſtuletur tanquam conditio neceſſaria ad eam aſſequendam, tunc ſi nulla confeſſio fiat, aut talis, quæ ad verum Sacramentum non ſufficiat, ſicut ſtatus gratiæ exigitur ad indulgentiam obtinendam; ita etiam requiritur ad alios fauores, qui cum indulgentia aliquando conceduntur: ſiquidem confeſſio cùm poſtulatur tanquam conditio neceſſaria, tunc prædicti fauores, vel conceduntur propter confeſſionem, vel mediante confeſſione. Vndè in indulgentijs, quæ generaliter fidelibus conceduntur, nullus effectus, aut fauor confertur extra ſtatum gratiæ exiſtentibus. Confirmatur; quoniam fauores non tàm ob defectum gratiæ non obtinentur, quàm propter conditionem neceſſariam non adimpletam: nam ſicut indulgentia ſub tali conditione conceditur; ita etiam omnis fauor illi adiunctus.

TERTIA CONCLVSIO.

6 COnfeſſio ſi poſtuletur ad aſſequendam indulgentiam, vt conditio neceſſaria, & fiat informis, licèt propter obicem peccati proprius effectus indulgentiæ impediatur; alij tamen fauores tali homini conceſſi rati ſunt, & validi. Etenim per talem confeſſionem impletur conditio à concedente indulgentiam expoſtulata: ſiquidem confeſſio informis eſt verè confeſſio, ac valida; cùm dari confeſſionem validam, & informem ſufficienter oſtẽdimus *d. diſp. 2. ſec. 3.* & per eiuſmodi confeſſionem impleri præceptũ confeſſionis annuæ, probauimus ibidem, *ſec. 2.* ergò ſatis eſt, vt illa confeſſio habeat effectum in omnibus, in quibus fidelis non ponit obicem: peccatum autem habituale quamuis impediat remiſſionem pœnæ; non tamen impedit alios effectus; nempè diſpenſationem in voto, &c. Quæ valida eſſe poſſunt, cùm Sacramentum fuerit validum.

Denique ſi confitetur bona fide is, qui intendit indulgentiam conſequi, ſemper bona fide procedit: ergò ex præſumpta intentione concedentis indulgentiam, omnia ei conceſſa cenſentur, quæ ex natura rei, vel Diuino iure non repugnant. Ex dictis igitur patet reſponſio ad contrarium.

De effectu Indulgentiarum.
SEC. XXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentiæ effectus non extenditur ad remiſſionem culpæ mortalis per ſe primo.*

2 *Indulgentia prodeſt ad remiſſionem peccati mortalis facilius conſequendam.*

3 *Apoſtolorum Princeps licet ex vi clauium potuerit remittere peccata etiam quo ad culpam, id tamen intelligitur per Sacramentum, non per indulgentias.*

4 *Indulgentia haud extenditur ad remiſſionem culpæ venialis. Et quare.*

5 *Indulgentia non extenditur ad remiſſionem pœnæ æternæ, quæ ſimul, & concomitanter cum culpa remittitur.*

6 *Proprius, & adæquatus indulgentiarum effectus eſt remiſſio pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam, ſiuè debita ſit apud Deum in hac vita, ſiuè in Purgatorio.*

7 *Per indulgentiam non ſolum remitti poteſt reatus pœnæ temporalis poſtquam in Sacramento iniuncta eſt pœnitentia, verum etiam ante illam.*

HAnc controuerſiam, quatuor poſitis concluſionibus, duximus explicandam. Vndè ad ipſius determinationem ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 INdulgentiæ effectus non extenditur ad remiſſionem culpæ mortalis per ſe primò. Hæc concluſio eſt communis: & probatur ex eo, quòd lethalis culpa non remittitur citra gratiæ iuſtificantis infuſionem; ſed gratia iuſtificans non poteſt infundi per ſolam indulgentiam, ſeù remiſſionem aliquam extra Sacramentum factam: ergò, &c. Maior eſt certa de fide, vt in *Conc. Trid. ſeſſ.6.c.7.* Minor eſt etiam de fide ex doctrina eiuſdem *Conc. ſeſſ.6.can.4.* in illis verbis, *Sacramenta nouæ legis ſunt ad ſalutem neceſſaria, & ſine illis, aut ex voto neminem poſſe gratiam iuſtificationis adipiſci.*

2 Dixi, *Ad remiſſionem culpæ mortalis per ſe primò*. Quoniam indulgentia ad remiſſionem peccati mortalis facilius conſequendam prodeſt: eo quòd cum ea concedi ſolet facultas abſoluendi à peccatis reſeruatis, à cenſuris, &c. quæ multum iuuant ad facilius obtinendam veniam, & abſolutionem culparum; quæ facultates non ſunt indulgentiæ propriè loquendo; ſed alia priuilegia; quæ quatenus ad indulgentiam diſponunt, adiunguntur. Nec obſtat illud *Matt. c. 16.* vbi Dominum poteſtatem concedendi indulgentias dediſſe Principi Apoſtolorum oſtendimus ſupra *ſec. 4. concl. 1.* per illa verba, *Tibi dabo Claues Regni Cælorum, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in Cælis*. Et remouendi omne id, quod eſt impeditiuum ingreſſus Regni Cœlorum; atque ideò per indulgentiam remitti non modò pœnam, ſed etiam culpam, quæ maximum impedimentum eſt ingrediendi Cœlorum Regnum: quod etiam videtur colligi ex forma Iubilæorum concedentium integram abſolutionem à culpa, & pœna, quo-
3 niam reſpondetur, quòd licèt Princeps Apoſtolorum ex vi clauium ſibi promiſſarum potuerit remittere peccata, etiam quoad culpam; ſiquidem ex vi promiſſionis ibi factæ recepit immediatè ab ipſo Chriſto poteſtatem ordinis, & ſupremam poteſtatem iuriſdictionis: nihilominus poteſtas hæc non eſt poteſtas remittendi per indulgentias, ſed per Sacramentum: nec integra, & plena abſolutio à culpa, & pœna, quæ conceditur in Iubilæo, ſignificat remiſſionem culpæ; ſed tantum pœnæ: quia peccatorum nomine ſæpè ſignificantur pœnæ peccatorum, iuxta illud 2. *Machab. c. 12. Vt à peccatis ſoluantur, &c.*

SECVNDA CONCLVSIO.

4 INdulgentia non extenditur ad remiſſionem culpæ venialis. Probatur ex eo, quòd culpa venialis non poteſt deleri ſaltem ſecundum ordinariam legem citra hominis actum, quo prior voluntas aliquo modo mutetur: ergò indulgentia non extenditur ad remiſſionem culpæ venialis: ſiquidem per indulgentiam non datur homini eiuſmodi actus contra peccatum veniale, cùm remiſſio temporalis pœnæ mutationem voluntatis non exigat. Nec obſtat ſi dicatur, quòd ad remiſſionem culpæ venialis nõ requiritur gratiæ infuſio, neque operatio, aut votum alicuius Sacramenti; atque ideò videri indulgentiam extendi ad remiſſionem culpæ venialis cum aliqua ſaltem attritione coniunctam; quoniam reſpondetur, quòd quoties remiſſio culpæ etiam venialis tollitur abſq; diſpoſitione per ſe ſufficiente ad remiſſionem eius, neceſsè eſt interuenire aliquam cauſam, quæ ex opere operato poſſit delere culpam venialem; eiuſmodi eſt Sacramentum. Et quamuis ad remiſſionem venialis culpæ abſolutè loquendo, non ſit neceſſaria gratiæ infuſio; attamen ad eam remittendam ex opere operato neceſſaria eſt. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 50. ſec. 1. nu. 12. in fine.*

TERTIA CONCLVSIO.

5 INdulgentia non extenditur ad remiſſionem pœnæ æternæ; quoniam hæc ſimul, ac concomitanter remittitur cum culpa, vt rectè probat *Suar. loco citato nu. 9.* Eſt tamen verum, quòd licèt ſatisfactiones Sanctorum ſolùm valeant ad compenſandam pœnam temporalem; nihilominus ſatisfactio Chriſti extenditur etiam ad remiſſionem culpæ, & per conſequens etiam pœnæ æternæ. Vndè de potentia abſoluta potuiſſet Chriſtus, ſuo Vicario concedere facultatem remittendi non tantùm pœnas temporales, ſed etiam culpas, & pœnas æternas extra Sacramentum pœnitentiæ, expoſtulando ex parte peccatoris attritionem duntaxat: quoniam in hoc non eſt repugnantia, ſeù contradictio ex parte effectus: neque eſt repugnantia ex parte cauſæ; cùm potuerit Chriſtus hanc poteſtatem ſuo Vicario communicare. Talis autem remiſſio eo caſu eſſet indulgentia quædam ſimilis illi, qua remittitur pœna temporalis, de qua mox dicemus.

QVARTA CONCLVSIO.

6 EFfectus proprius, ac adæquatus indulgentiarum, eſt remiſſio pœnæ temporalis, quæ remanet poſt actualem culpam remiſſam: ſiue pœna temporalis ſit apud Deum in hac vita, vel in Purgatorio debita; ſiuè ſit ſatisfactio, ſeù pœnitentia à Confeſſario iniuncta in Sacramento pœnitentiæ, vt *ſec. ſeq.* dicemus. Hæc concluſio eſt communis omnium Theologorum, & patet ex *D. Thom. in 4. d. 20. q. 1. art. 3. D. Bonauen. 2. p. q. 2. Soto d. 21. q. 1. art. 1.* & ex alijs. Etenim Pontifices ipſi concedentes indulgentias hoc modo ſuam mentem interpretantur, vt in *extrauag. vnigenitus, de pœnit. & remiſ.* cuius rei baſis, ac fundamentum deſumitur ex illo *Matt. c. 16. Quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum,*
7 *& in Cælis*. Quod quidem adeò verum eſt, vt non ſolùm per indulgentias remitti poſſit pœnæ temporalis reatus, poſtquam in Sacramento iniuncta eſt pœnitentia pro peccatis; ex quibus ortum eſt tale debitum; verùm etiam antequam illa pœna ſacramentalis iniuncta ſit, atque ideò antequam peccata per confeſſionem ſacramentalem ad forum ſacramentale fuerint delata: ſiquidem Chriſtus Dominus dicens, *Quodcunque ſolueris, &c.* non limitauit promiſſionem ad reatum pœnæ, pro qua eſt ſacramentalis pœnitentia iniuncta: ergò nec nos limitare debemus, nec poſſumus contra vim verborum, & citra vllum fundamentum, vt patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, *ſec. 4. concl. 1. & 5.* Eſt tamen verum, quod ſunt aliquæ pœnæ temporales à Deo decretæ poſt remiſſam culpam, vt ita in hac vita ſint ſoluendæ, vt nullam pro eis redemptionem recipere velit, vt eſt pœna mortis, quæ per peccatum introiuit in mundum, quam nullus homo

poteſt

poteſt effugere. Talis etiam fuit pœna *Dauidis* 2. *Reg. c.* 12. quam Deus illi poſt remiſſam culpam conſtituit, dicens, *Quia blaſphemare feciſti inimicos nomen Domini*, Propter verbum hoc filius, qui natus eſt tibi morietur. Vt diximus ſupra *diſp.* 9. *ſec.* 1. *verſ. Quouero ad debitum &c.*

An ſi quis ſumat indulgentiam plenariam, liberetur ab onere adimplendi pœnitentiam iniunctam à Confeſſario.

SEC. XXXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur prima ſententia negatiua, cum obligatio pœnitentiam implendi ſit de Iure Diuino.*

2 *Communis ſententia eſt in contrarium, & quare.*

3 *Præceptum, quo determinata pœnitentia iniungitur humanum eſt, & Eccleſiaſticum.*

4 *Iniungere aliquam ſatisfactionem, vel pœnitentiam, eſt de Iure Diuino hanc vero, vel illam minorem, vel maiorem iniungere, pendet ex arbitrio Confeſſarij.*

1 IN hac difficultate pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Greg. de Valent. tom.* 4. *diſp.* 7. *q.* 20. *pun.* 3. §. *ſunt autem, Andr. Duuall. in p.* 2. *D. Thom. in tract. de indulg. q. vnica, art.* 8. *& Nung. in addit. ad* 3. *p. q.* 25. *art.* 1. Docentium partem negatiuam ex eo, quòd obligatio implendi pœnitentiam eſt de iure Diuino, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 3. Decernente, ſatisfactionem prout eſt in pœnitente requiri ad integritatem Sacramenti ex Diuino inſtituto: ergò per indulgentiam plenariam quis non liberatur ab onere implendi ſatisfactionem à Confeſſario iniunctam: ſiquidem Rom. Pontifex non eſt ſupra ius Diuinum; ſed iuri Diuino ſubijcitur ſicut omnes alij; atque ideò non poteſt per indulgētiam plenariam relaxare ſatisfactionem ſacramentalem: cùm ſatisfactio pœnitentis pertineat ad integritatem Sacramenti. Confirmatur, quia ſi per indulgentiam plenariam quis liberaretur ab onere adimplendi pœnitentiam ſacramentalem, raró pœnitens teneretur eam implere: nam poſſet conſequi indulgentiam aliquam loco ipſius, cùm innumeræ ſuperent pœnitentium ſatisfactiones.

3 His tamen non obſtaatibus, in contrarium eſt communis ſententia, quam docent *Iacobus Granad.* 3. *p. de ſacram. contr.* 12. *tract.* 2. *diſp.* 4. *nu.* 1. *Ludouic. della Crux in Bulla Cruciata, diſp.* 1. *c.* 8. *Tanner. in Theol. Scholaſt. tom.* 4. *diſp.* 6. *q.* 8. *dub.* 4. *nu.* 76. *Fauſt. de iubil. lib.* 2. *q.* 132. *Diana p.* 5. *reſol. moral. tract.* 12. *reſol.* 3. & alij, quos ipſi allegant. Dicentes indulgentiam plenariam liberare pœnitentem ab onere implendi pœnitentiam, ſeù ſatisfactionem ſacramentalem. Probatur ex antiqua Ecileſiæ conſuetudine, qua in bullis exprimitur concedi indulgentias de pœnitentijs iniunctis. Confirmatur, quia præceptum, quo determinata pœnitentia iniungitur eſt humanum, & Eccleſiaſticum: ergò Rom. Pontifex poteſt illud abrogare, præſertim quando concedit indulgentias: ſiquidem Rom. Pontifex eſt ſuper omnia iura humana; atque ideò ipſe Rom. Pontifex poteſt commutare pœnitentias Confeſſarij in aliquod pium opus, quo quis diſponatur ad indulgentiam conſequendam, & ſupplendo ex Theſauro id ſatiſfactionis quod deeſt. Eſt tamen verum, quòd per indulgentias remittitur pœnitentia pœnalis dumtaxat, non autem medicinalis, vt declarat *Diana loco citato*, & alij. Imò nunquam remittitur pœnitentia, ſeù ſatisfactio pœnalis à Confeſſario iniuncta, niſi cum effectu lucretur indulgentia, & indulgentia conceſſa de iniunctis pœnitentijs extenditur quoque ad pœnas peccatorum, pro quibus pœnitentia non eſt iniuncta: quoniam illa adiectio pro pœnitentijs iniunctis, non eſt reſtrictiua, ſed ampliatiua: quia exageratur, vt ſcilicèt indulgentia habeat effectum etiam in cauſis iam iudicatis, & nō ſolùm quoad pœnam Purgatorij; ſed etiam quoad pœnitentias iniunctas in Sacramento pœnitentiæ, vt ſupra declarauimus, *ſec.* 1. *verſ. Dixi pœna tēmporalis.*

4 Ad contraria modo patet reſponſio. Et ad illud ex Conc. Trid. quamuis nos fateamur iniungere aliquam ſatisfactionem, ſeù pœnitentiam, & illam implere ſit ex iure Diuino, atque ideò nullus alius, niſi ſolus Deus in ea re valeat diſpenſare; nihilominus quòd pœnitentia ſit hæc aut illa, vel ſit maior, vel minor pendet ex Confeſſarij arbitrio; & propterea præceptum, quo determinata pœnitentia iniungitur eſt Eccleſiaſticum, & humanum, vt ſupra oſtendimus. Nec abſurdum eſt, quod pro abſurdo adducitur ab oppoſita ſententia: nam ſi ſemper inueniri poſſet indulgentia omninò plenaria, aut quæ ab iniunctis pœnitentijs abſolueret, ſemper poſſet homo liberari ab obligatione implendi pœnitentiam à Confeſſario impoſitam: nec id abſurdum eſſet.

An ſi quis ſumat indulgentiam partialem liberetur aliquando ab onere implendi pœnitentiam iniunctam à Confeſſario.

SEC. XXXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia partialis alio nomine appellatur non plena, & cur. Et quare dicatur indulgentia partialis.*

2 *Aliquando per indulgentiam partialem remittitur alicui tota pœna temporalis, idque per accidens.*

3 *Quando alicui eſt impoſita pœnitentia ieiunij vnius anni continui, aut* 3. *& quarta feria, ſi pœnitens lucrabitur indulgentiam vnius anni, liberatur ab onere implendi pœnitentiam.*

4 *Indulgentia partialis ſi tanta ſit, quanta pœnitentia, à Confeſſario iniuncta liberatur ab onere implendi illam.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd indulgentia partialis alio nomine appellatur non plena ad differentiam plenæ, ſeù plenariæ, qua remittitur non ſolùm pars pœnæ, quæ remanet poſt remiſſam culpam, vt ipſa indulgentia partiali; ſed tota pœna, vt ſupra declarauimus *ſec.* 3. *verſ. Quintò diuiditur*. Dicitur igitur indulgentia partialis, quia per eam remittitur pars pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam actiuatem culpam, vt eſt indulgentia 40. dierum, annorum, tertiæ partis; aut dimidiæ peccatorum, &c. vt diximus *d. verſ. Quinto diuiditur*. Vbi etiam adno-

adnotauimus, contra *Cordub. lib. 5. de indulg. q. 32.* & alios, quod quando indulgentia elargitur per dies, & annos, non intelligitur de diebus & annis Purgatorij, ſed de diebus, & annis pœnitentiæ præſentis vitæ; atque ideò indulgentia remittit durationem penitentialis ſatisfactionis in hac vita exhibendæ pro peccatis; itaut relaxet non ſolùm ſatisfactionem pœnitentialem, quæ iniungitur à Confeſſario in Sacramento pœnitentiæ; ſed etiam tantam pęnam Purgatorij, quanta per penitentiam vnius diei, vel anni remitteretur, vt habetur ex *Suar. de pœnit. diſp. 50. ſec. 5. Soto, & alijs.*

2 Secundò eſt adnot. ex *Nauar. in ſuo tract. de indulg. & iubil. not. 9. nu. 2.* & ex ijs, quæ adnotauimus ſupra *d. ſec. 3. verſ. Quinto diuiditur:* Quòd aliquando per indulgentiam non plenam, ſeu partialem per accidens remittitur alicui tota pęna temporalis, quæ ſibi debetur poſt remiſſam culpam: ſiquidem indulgentia 40. dierum, vel annorum applicata illi, cui ex Diuina iuſtitia pro ſuis peccatis non debetur in Purgatorio maior pęna, quamuis indulgentia illa per ſe conſiderata non ſit plena; tamen per accidens tali perſonæ dicitur plena: eo quòd per eiuſmodi indulgentiam liberatur à tota pęna temporali, quæ ei debetur in Purgatorio. Eſt tamen verum, quòd nunquam partialis indulgentia, per quam remittitur tertia pars, aut dimidia peccatorum, aut pars alia, poteſt eſſe alicui totalis, & plenaria, nec per ſe, nec per accidens.

3 Tertiò eſt adnot. quòd quando alicui eſt impoſita pęnitentia ieiunij vnius anni continui, aut 3. & 4. feria, ſi iſte lucrabitur indulgentiam vnius anni, erit abſolutus ab illa pœnitentia. Sic etiam ſi alicui data fuerit pœnitentia, vt ieiunet per duos annos alternis vicibus, tunc lucrando vnum annum indulgentiæ continuum liber erit à tali pœnitentia, vt rectè declarat poſt alios *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 39.*

4 Ex dictis patet modo quid reſpondendum ſit in hac difficultate. Etenim ſi tanta ſit indulgentia partialis, quanta pœnitentia iniuncta à Confeſſario, pœnitens lucrando talem indulgentiam, liberatur ab onere implendi pœnitentiam: ſiquidem indulgentia tot dierum, vel annorum intelligitur primò, & principaliter de diebus, & annis huius vitæ, & de pœnitentijs in hoc ſæculo iniunctis, vel iniungendis, & ſecundariò de pœnis Purgatorij reſpondentibus in tanto, vel maiori, aut minori tempore illis annis, & pęnitentijs huius vitæ. Vndè tantum pęnarum in Purgatorio remittitur per indulgentiam tot dierum, & annorum pęnitentiæ, ac remiſſionis de iniunctis ſine limitatione datam, quantum remitteretur ſi penitens in hac vita ſufficienter penitentiam egiſſet illis diebus, aut annis, quibus ſecundum legem, & iuſtitiam Dei, ac canones Eccleſiæ pęnitere deberet, vt rectè declarat *Rodr. in comp. 99. Regul. Reſol. 77. nu. 85.* relatus à *Diana loco citato*. Et multo magis id verum eſt, ſi quantitas indulgentiæ ſuperet quantitatem pęnitentiæ iniunctæ à Confeſſario: ſiquidem eo magis liberabitur pęnitens ab onere pęnitentialis ſatisfactionis: quoniam in maiori ſumma ineſt minor. Non tamen liberabitur pęnitens ab implenda pęnitentia, ſi quantitas indulgentiæ ſit minor quantitate pęnitentiæ: liberabitur tamen à parte ſi pęnitentia ſit diuiſibilis, vt ſi pęnitentia eſſet quatuor dierum ieiunij, & indulgentia eſſet trium dierum; nam liber erit à tribus diebus ieiunij, & vno tantùm die ieiunare obligabitur. Imò per indulgentiam partialem, quis apud Deum poſſet liberari à tota pœna, quæ deberetur ei in Purgatorio iuxta ea, quæ diximus ſupra in ſecundo not.

An quis poſſit lucrari indulgentiam præſtando opera expoſtulata, quæ ex alio capite facere tenetur.

SEC. XXXXV.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt quis vnico actu pluribus obligationibus ſatisfacere, modò id patiatur natura talium obligationum.*

Idque probatur exemplo Quadrageſimæ eleemoſynæ, ac communionis in Paſcha.

1 AD hanc rem reſpondetur breuiter affirmatiuè. Etenim poteſt quis vno actu pluribus obligationibus ſatisfacere; dummodo natura talium obligationum id patiatur. Vndè ſi in Quadrageſima publicatur Iubilæum, aut tempore quatuor temporum, & vigiliæ, in quibus tenetur ex præcepto Eccleſiæ ieiunare, poterimus quoque in illis diebus ieiunare ad aſſequendum Iubilæum ieiunium expoſtulans. Idem dicendum eſt ſi indulgentia ad eam lucrandam præcipiat eleemoſynam; quam quis elargiatur extremè indigenti, cui aliàs ex præcepto Diuino debetur. Et denique, qui in die Paſchatis communionem ſacram percipit pro indulgentia aſſequenda, eam aſſequitur, & ſimul ſatisfacit præcepto communionis in Paſcha. Ita *Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 7. c. 8. nu. 13. Comitol. lib. 1. reſp. moral. q. 38. Sanctarell. de iubil. c. 4. dub. 10. & c. 7. dub. 1.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 54.*

An ſi in Bulla indulgentiæ concedatur, vt in articulo mortis poſſit à Confeſſario impendi indulgentia plenaria, valeat applicari etiam à non Sacerdote.

SEC. XXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentia diuiditur in latam, & ferendam; Et quanam dicatur lata, & quæ ferenda.*

2 *Vi Bullæ Cruciatæ in mortis articulo non poteſt ab alio applicari indulgentia, quam à Sacerdote.*

3 *Oppoſita ſententia probabilis eſt, ac pia, quod poſſit indulgentia applicari à non Sacerdote, ſi Sacerdos abſit.*

4 *In mortis articulo poteſt Clericus etiam primæ tonſuræ à cenſuris abſoluere, & indulgentiam applicare; imò ſi Clericus nequit haberi, poterit Laicus applicare indulgentiam in tali articulo.*

5 *Confirmari poteſt hæc ſententia ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd vt diximus ſupra *ſec. 3. in prin.* indulgentia diui-

diuiditur in latam, & ferendam, lata dicitur, qua poſita, fidelis à concedente indulgentiam immediatè abſoluitur à pęna temporali poſt remiſſam actualem culpam, & pęnam æternam; nec alterius actio requiritur ad producendum ſuum effectum. Vt cùm Rom. Pontifex v. g. concedit indulgentiam ex ipſo, quòd quis in gratia, omnibus culpis remiſſis moritur. Ferenda verò indulgentia appellatur, vbi concedens indulgentiam immediatè non abſoluit à pęna, ſed concedit alteri, vt abſoluere poſſit. Vt cùm Rom. Pontifex concedit alicui, vt cùm peruenerit ad articulum mortis, poſſit à Confeſſario abſolui non ſolùm à culpa, ſed ab omni pęna, vt declarat *Suar. de pœnit. diſp. 56. ſec. 1. nu. 2.* Nos igitur de indulgentia ferenda hoc loco loquimur, non autem de lata, & quærimus, an quis poſſit lucrari indulgētiam plenariam in articulo mortis, etiam ſi à non Sacerdote ei applicetur.

2 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Ludouici della Crux in Bull. Cruciatæ, diſp. 1. c. 8. dub. 14. nu. 2.* Docentis vi Bullæ Cruciatæ in articulo mortis non poſſe applicari indulgentiam ab alio, quàm à Sacerdote: eo quòd in dicta Bulla habetur, quòd ſemel in articulo mortis poſſit Confeſſarius indulgentiam plenariam impendere: ergò qui non fuerit Sacerdos non poterit id præſtare: ſiquidem indulgentia cùm ſit ſtricti iuris, eiuſdem verba ſunt intelligenda in propria ſignificatione: ſed nomine Confeſſarij propriè intelligitur Sacerdos habens facultatem confitendi à iure, vel ab homine; ergò cùm Sacerdoti dumtaxat conceditur facultas implendi indulgentiam, nullus alius præter Sacerdotem poterit illam applicare.

3 His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſententiam arbitror eſſe probabilem, ac piam; quam docent *Reginald. tom. 1. ſua prax. c. 13. nu. 157. Trullench. in Bulla Cruciata, lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 1.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. ſec. 46.* Dicentes in caſu de quo agitur, indulgētiam applicari poſſe etiam à non Sacerdote, ſi Sacerdos abſit: atque ideò ſatis erit ſi in tali articulo à clerico tonſurato indulgentia applicetur. Mouentur ex eo, quòd abſolutio, & remiſſio pęnæ, quæ ſit per indulgentiam, non eſt abſolutio à peccatis, nec ab ea dependens, nec exigitur, vt concedens indulgentiam, aut illam executioni demandans ſit Sacerdos, cùm ſit actus iuriſdictionis Eccleſiaſticæ fori externi, vt ſæpè diximus: at iuriſdictionis Eccleſiaſticæ capax eſt Clericus, vt in *c. decernimus, de iudic.* Confirmatur, quia in tali articulo poteſt Clericus prima tantum tonſura initiatus abſoluere à cenſuris, vt nos oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 5. nu. 10.* Ergò, & poterit indulgentiam applicare. Imò in tali articulo ſi nec Clericus haberi poſſit, inquit *Nauar.* relatus à *Diana d. reſolut. 46.* poſſe laicum indulgentiam applicare: ſiquidem nonnulli volunt non tantum prima tonſura initiatos, ſed etiam laicos poſſe in articulo mortis abſoluere ab excommunicatione; quorum ſententiam nos non fuimus ſecuti in dictis noſtris *Commentarijs, q. 5. & 6.* non modo quoad laicos ſed nec quidem quoad tonſuratos: quia eiuſmodi facultas conceditur in articulo mortis, vt quis à peccatis abſolui poſſit, quod nec laicus, nec tonſuratus poteſt, vt diximus *d. q. 6. num. 7.*

5 Poteſt denique hæc ſententia confirmari ex præſumpta voluntate concedentis indulgentiam, qui ſi fuiſſet interrogatus, an facultatem applicandi eiuſmodi indulgentiam in articulo mortis conceſſiſſet, etiam clericis, & laicis propter defectum Sacerdotis; ita reſpondiſſet. Re vera hæc ſententia pia eſt, vt ipſe *Diana* inquit: & propter auctoritatem tanti Doctoris probabilis: eò magis, quia poteſt prodeſſe, & nunquam obeſſe. Cęterum de iuris rigore oppoſitam, atque ideò negatiuam eſſe probabiliorem arbitror per rationem in qua fundatur, cùm indulgentia ſit ſtricti iuris, vbi agitur de poteſtate conferendi indulgentias, vt ſupra declarauimus, *ſec. 2.* Quibus adde, quod inquit *Diana loco citato*, dicens indulgentiam prædictam poſſe applicari etiam abſenti.

De indulgentijs pro Defunctorum animabus in Purgatorio detentis.

SEC. XXXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Defunctorum animas eſſe indulgentiarum capaces, certum eſt apud Catholicos.*
2 *Omnes nos ſumus vnum corpus miſticū Chriſti, & ſinguli alter alterius membra.*
3 *Sicut inter viuentes, & Defunctos poteſt eſſe ſuffragiorum communio, multo magis dicendum eſt de Sanctis in gloria exiſtentibus, vt eorum ſuperabundātes ſatisfactiones velint, & proſint omnibus etiam Defunctis, ſicut & Chriſti ſatisfactio.*
An etiam praces fundant ad Dominum, vt dignetur pro prædictis animabus dictas ſatisfactiones applicare.
4 *Animæ tantum, quæ in Purgatorio detinentur ſunt indulgentiarum capaces.*
5 *Animæ damnatæ non poſſunt eſſe indulgentiarum capaces, & cur.*
6 *Indulgentia Defunctis non prodeſt, niſi in ipſa indulgentiæ forma expreſsè declaretur.*
7 *Indulgentia non prodeſt Defunctis, niſi à lucrante illam pro Defunctis opus expoſtulatum adimpleatur cum intentione, & voluntate illam pro Defunctis obtinendi.*
8 *Qui opus pium ex vi formæ indulgentiæ expoſtulatum implet, ad obtinendam indulgentiam poteſt propriam ſatisfactionem quam inde ex opere operantis habet, alicui per modum ſuffragij applicare, ſiuè Defunctus ſit, ſiue viuens.*
9 *In lucrante indulgentiam pro Defuncto non exigitur gratia, nec pro illo tempore, quo opus expoſtulatum implet. Et quare.*

LIcèt hucuſque principaliter nobis habita fuerit tractatio de indulgentijs pro viuis; nihilominus nonnulla quoque obiter egimus, quæ ad indulgentias pro Defunctis pertinent; idcircò, vt rem hanc ſufficienter explicemus propriam eiuſdem, ac ſpecialem controuerſiam hoc loco duximus diſcutiendam. Vndè ad euitandam eorum, quæ dicenda erunt, duo breuiter faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus: ſecundò dubia per ſuas quæſtiones diluemus. Circa primum igitur, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 CErtum eſt apud Catholicos, Defunctorum animas eſſe indulgentiarum capaces. Hæc concluſio non ſolùm eſt communis; verùm etiam hodie citra errorem negari non poteſt: tum quia Theologi communiter hanc veritatem docent *in 4. d. 20. & 45. & ex Canoniſt. Felin. de indulg. nu. 30. Nauar. eod. tract. not. 22.* & alij: tum etiam ob Eccleſiæ antiquiſſimũ vſum, cuius meminit *D. Th. in 4. d. 45. q. 2. art. 3. quæſtiun. 1.* tum denique quia doctrinam iſtam approbauit *Leo X. in Bulla contra Luther. & in Epiſt. ad Caiet. miſſa*, & alij Pontifices, quos refert *Gabr. in addit. ad lect. 57. in can.* Etenim indulgentiæ cõceduntur ex Theſauro ſatisfactionũ Chriſti, & Sanctorũ, quæ nõ ſolùm viuis, ſed etiam Defunctis indigentibus, & capacibus prodeſſe poſſunt.

2 Sumus enim vnum corpus miſticum Chriſti, & ſinguli alter alterius membra, iuxta illud *Apoſt. ad Rom. c. 2.* & nos ſupra declarauimus, *ſec. 1. verſ. Dixi actus clauium 2. & 3.* & id non tantum in hoc ſæculo permanentes, inter quos ſunt nonnulla membra infirma, quales ſunt peccatores, & dicimur Eccleſiæ militans; ſed etiam in Purgatorio permanentes, qui magis Chriſto Domino vniti ſunt, quàm nos, cùm ſint ab eo inſeparabiles, atque adeò impeccabiles, & in gratia confirmati; ita vt eorum liberum arbitrium non poſſit ad malum declinare, nuncupaturq; Eccleſia pœnitens. Imò & ij, qui in Paradiſo ſunt eiuſdem corporis membra dicuntur, & Chriſto ſunt omnium coniunctiſſimi, appellaturq; Eccleſia triunphans: ſiquidem Chriſto ſunt coniunctiſſimi per claram, & beatificam viſionem ſuæ eſſentiæ; atque ideò ſunt membra pura, ſancta, fortia, & glorioſa. Vndè cùm ſimus vnius corporis membra, ſi quid patitur vnum membrũ compatiuntur omnia membra: & ſi glorificatur vnũ membrũ, cõgaudent omnia membra, iuxta illud *Apoſt. 1. Corinth. 12.* Et quemadmodum in humano corpore vnumquodq; membrum nõ in ſuam tantùm, ſed in aliorum vtilitatem operatur; ita & in miſtico Eccleſiæ corpore, membra, quæ viua ſunt, & vtiliter operari poſſunt, quales ſunt omnes in gratia exiſtentes, ſiuè in via ſint, ſiuè in Patria non ſolùm ſibi mereri, verùm etiam alijs præſtare poſſunt auxilium.

3 Vndè ſi inter viuentes, & Defunctos poteſt eſſe ſuffragiorum communio; atque ideò viuentium ſuffragia pro Defunctis oblata poſſunt illis ad remiſſionem pœnarum prodeſſe, vt aliàs diximus; multo magis id dicendum eſt de ſanctis in gloria exiſtentibus, vt ſuperabundantes eorũ ſatisfactiones velint, & proſint omnibus etiam Defunctis: ſicut & ſatisfactio Chriſti, quantum ex ſe eſt, ad omnes capaces extenditur, viuos, atque defunctos. Imò Sancti in gloria permanentes non ſolùm volunt ſuperabundantes eorũ ſatisfactiones Defunctorum animabus prodeſſe; ſed etiam præces fundunt ad Dominum, vt dignetur pro animabus illis prædictas ſatisfactiones applicare, vt ita ſatisfaciat Diuinæ Iuſtitiæ, & à pœnis ſoluantur. Item ipſi Sancti eiſdem impetrant aliquam remiſſionem pœnarum, etiã ſi ſatisfactiones ſuperabundantes non habeant, vt in *c. anima Defunctorum, 13. q. 2. D. Thom. in 4. d. 45. q. 2. art. 3. quæſtiun. 3. Suar. de pœnit. diſp. 48. ſec. 5. nu. 7. Conynch. de Purgator. diſp. 11. nu. 56. & Molfeſ. p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 26. nu. 119.* Vbi etiam ait, Sanctos ipſos poſtulare, vt ſatiſfactiones viuorum pro Defunctis à Deo acceptentur: quòd Deus præbeat viuentibus gratiam ſatisfaciendi debito modo pro eiſdem Defunctis & denique, vt eorum animæ à Purgatorio celeriter liberentur, etiam ſi neceſsè ſit, diuturnitatem temporis compenſari pęnarum inteuſione.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 CErtum eſt, illas tantùm Defunctorum animas, quæ in Purgatorio detinentur, indulgentiarum eſſe capaces. Hæc concluſio patet; ſi quidem indulgentia eſt remiſſio pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam: at animæ in Purgatorio permanentes, detinentur pro pœna temporali, quæ remanet poſt remiſſam illis culpam; ergò eiuſmodi pœnam remittit, ſicut dicimus de indulgentia cõceſſa viuentibus. Animæ enim in Purgatorio detentæ, ſunt quodammodo in via, vt habetur ex *Abul. Matt. 25. q. 724.* Quoniam adhuc peregrinamur à Domino quouſq; perueniant ad cęleſtem Patriam. Confirmatur; nam vt diximus, Defunctorum animæ ſunt indulgentiarum capaces: hæ autem non poſſunt illæ dici, quæ ante Chriſti aduentum erant in ſinu Abrahæ; quia dato, & nõ conceſſo, quòd tunc temporis fuerit indulgentiarum vſus; in eis tamen nullum aderat debitum perſonale, quod non eſſet iam ſolutum, & remiſſum priuſquam locum illum ingrederentur. Debitum autem totius naturæ non poterat aliter perſolui, quàm per Chriſti mortem, & paſſionem. Nec
5 animæ damnatæ poſſunt eſſe indulgentiarum capaces, cùm careant gratia, & reatum habeant pœnæ æternæ, non autem temporalis; at indulgentia remittit tantùm pęnam temporalem poſt culpam remiſſam. Neque animæ, quæ ſunt in Limbo; ſiquidem iſtæ ſunt extra gratiam Dei, & nullam patiuntur pœnam ſenſus; ſed tantùm damni: indulgentia verò non remittit pœnam damni, ſed ſolùm pœnam ſenſus exiſtentibus in gratia: ergò ex prædictarum animarum excluſione neceſſariò ſequitur, ſolas animas in Purgatorio detentas, eſſe indulgentiarum capaces: nam illis tantùm remanſit debitum luendæ pœnæ ſenſus temporalis poſt culpam remiſſam.

TERTIA CONCLVSIO.

7 CErtum eſt, indulgentiam non prodeſſe Defunctis; niſi in ipſa indulgentiæ forma expreſsè declaretur. Probatur, quia nemo poteſt indulgentiam pro alio obtinere, ſed ſolùm pro ſe ipſo, niſi in ipſa indulgentia expreſsè concedatur, vt ſupra diximus *ſec. 20. & 36.* Indulgentia autem pro Defunctis conceditur viuis pro Defunctis; ergò in tantùm prodeſt Defunctis, in quantum ex vi conceſſionis id exprimitur: ſiquidem indulgentiæ ſicut non plus valent, quàm ſonant; ita etiam non plus proſunt, quàm exprimunt. Ita poſt *D. Thom. D. Bonau. & Alenſ. Suar. de pœnit. diſp. 53. ſec. 1. nu. 7.*

QVARTA CONCLVSIO.

7 CErtum eſt, indulgentiam non prodeſſe Defunctis, niſi à lucrante indulgentiam pro Defunctis, opus expoſtulatum adimpleatur ex intentione, ac voluntate obtinendi indulgentiam pro Defunctis. Probatur, quoniam aliàs eiuſmodi opus non poſſet formaliter dici opus indulgentiæ: ſiquidem nullo modo eſſet adimpletum

rum pro eo, cui indulgentia procuratur. Quod quidem verum eſſe inquit *Suar. d. diſp. 53. ſec. 4. num. 3.* Quoad effectum lucrandi illis indulgentiam; ſecus autem quoad ſatisfactionem, quam per ſe tale opus habet, ſiuè ſit ex opere operantis, quale eſt ieiunium; ſiuè ex opere operato, vt eſt ſacrificium Miſſæ: nam quoad hanc partem non eſt neceſsè, vt pro anima Defuncti offeratur. Ex

8 hoc infertur ex eodem *Suar.* ibi, quòd vbi quis opus pium ex vi formæ indulgentiæ expoſtulatum implet ad obtinendam ſibi indulgentiam ipſam, poteſt propriam ſatisfactionem, quam ex opere operantis inde habet, alteri ſiuè Defunctus ſit, ſiuè viuens, per modum ſuffragij applicare: ſiquidem indulgentia nihil aliud expoſtulare cenſetur, niſi executionem operis; non autem applicationem ſatisfactionis eius pro ſe, vel pro alio. Hac ipſa ratione ſi concedatur indulgentia plenaria celebranti Miſſam tali die, vel in tali loco, celebrans poterit pro ſe indulgentiam aſſequi, & ſacrificium offerre pro aliquo viuente, vel Defuncto: nam ex vi talis conceſſionis nihil aliud exigitur; niſi operis executio; atque ideò Miſſæ celebratio.

QVINTA CONCLVSIO.

9 Certum eſt in lucrante indulgētiam pro Defuncto non exigi gratiam, nec pro illo quidem tempore, quo opus expoſtulatum implet. Etenim ſtatus gratiæ requiritur tantùm ad tollendum obicem indulgentiæ: & ideò per ſe ſolum eſt diſpoſitio neceſſaria in eo, cui quærenda eſt indulgentia, vt latè de hac re egimus ſupra *ſec. 38. & ſeq.* & habetur etiam ex *Suar. d. ſec. 4. nu. 6.* vbi etiam *nu. 10.* probat non exigi ex parte Defunctorum notitiam, nec acceptationem aliquam indulgentiæ, vt de hac re quoque ſupra tractauimus, *ſec. 20.* Quibus adde, quæ habentur ex *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. ſec. 38.*

Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant. Difficultas autem conſiſtit in duobus ſequentibus ſec. quas mox explicabimus.

An Baptiſmalis Character exigatur in Defuncto, cui quærenda eſt indulgentia.
SEC. XXXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Poteſt Cathecumenus decedere in Dei gratia, abſq; eo, q. Baptiſmi charactere inſignitus ſit.*

2 *Cum indulgentia ſit actus clauium, idcirco Defunctus, cui eſt quærenda indulgentia debet eſſe baptizatus.*

3 *Probabilior eſt ſententia, quod indulgentia proſit Cathecumeno mortuo, ſine baptiſmo per modum ſuffragij, & nu. 8.*

4 *Homo, quamuis non ſit baptizatus, eſt tamen capax ſuffragij, ſi ſit in Charitate.*

5 *Indulgentia licet ſit actus clauium, directè tamen exercetur in viuentes, qui pro Defunctis lucrantur indulgentias.*

6 *Quamuis vera ſit ſententia, non poſſe pro Cathecumeno Miſſæ ſacrificium offerri, verior tamen eſt ſententia, poſſe Cathecumeno indulgentiam applicari per modum ſuffragij, & quare.*

7 *Papa concedendo indulgentiam pro Defunctis, exercet iuriſdictionem in viuentem ſubditum ad lucrandam indulgentiam pro Defuncto.*

8 *Non repugnat Rom. Pontificem, concedere Cathecumeno etiam viuenti indulgentiam per modum ſuffragij.*

1 Hanc difficultatem duximus hoc loco explicandam propter cathecumenos: nam poteſt dari caſus, vt cathecumenus decedat in Dei gratia abſque eo quòd baptiſmali charactere inſignitus ſit: ſiquidem cathecumenus licèt baptiſmi characterem non ſuſceperit; eſt tamen fidelis; & ſi abſque lethali culpa decedat eſt capax gloriæ poſt purgatam pœnam, ſi quæ remanſerit poſt remiſſam culpam per contritionē.

2 In hac re pro parte affirmatiua facit, quod indulgentia eſt actus clauium, vt ſupra oſtendimus *ſec. 1.* Ergò Defunctus, cui quærenda eſt indulgentia, debet eſſe baptizatus. Etenim actus clauium non poteſt exerceri, niſi in eos, qui ſunt, vel fuerunt Eccleſiæ membra: at nullus dicitur Eccleſiæ membrum, niſi per Baptiſmum, qui dicitur Sacramentorum, & Eccleſiæ ianua. Confirmatur; quoniam negant poſſe pro cathecumeno Defuncto ſacrificium Miſſæ offerri ad remittendum illi pœnam temporalem ex opere operato: ergò idem dicēdum eſt de indulgentia, cùm ſuum effectum habeat quoque ex opere operato. Præterea cathecumenus eſt extra Eccleſiam cùm careat charactere baptiſmali; ergò eſt incapax indulgentiæ: eo quòd de his, qui foris ſunt non pertinet ad nos: ergò cùm Papa non habuerit poteſtatem ſuper illum viuentem, non poteſt habere poteſtatem ſuper eundem Defunctum. Denique Papa non poteſt alicui concedere indulgentiam per modum ſuffragij, cui viuenti non poteſt concedere indulgentiam per modum abſolutionis; ergò nec illam Defuncto. Maior patet. Minor probatur ex communi Eccleſiæ vſu: nam Sum. Pontifex nunquam indulgentiam conceſſit non baptizatis; ergò ſignum eſt hanc facultatem non habere quoad eos, qui baptizati non ſunt. Hanc ſententiam docent *Præpoſit. in 3. p. D. Thom. q. 14. de indulgent. dub. 3. nu. 28. Suar. de pœnit. diſp. 53. ſec. 4. nu. 8. & alij.*

3 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror probabiliorem eſſe, quam docent *Faber de pœnit. in 4. ſent. diſt. 19. q. vnica, diſp. 37. c. 8. nu. 258. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 7. c. 6. nu. 1. Henriq. lib. 7. c. 18. n. 1. Tanner. tom. 4. diſp. 6. q. 8. dub. 4. nu. 93. Granado in 3. par. de ſacram. contr. 12. tract. 15. diſp. 6. nu. 2. iuncta diſp. 1. nu. 4. & Villalob. in ſum. tom. 1. tract. 26. difficult. 7. nu. 7.* quos refert, & ſequitur *Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 9.* Imò ipſemet *Suar. loco citato, nu. 7.* hanc opinionem probabilem eſſe tenet, atque ideò volunt indulgentiam per modum ſuffragij prodeſſe cathecumeno mortuo ſine baptiſmo. Mouentur ex eo, quòd vt indulgentia concedatur Defuncto, nō oportet illum eſſe ſub iuriſdictione Rom. Pontificis: ergò neque neceſsè eſt, vt illi fuerit ſubditus in hac vita. Antecedens patet, quoniam ſupra oſtendimus, Rom. Pontificem poſſe Defunctis baptizatis per modum ſuffragij indulgentiam concedere; & tamen animæ Defunctorum, qui baptiſmum ſuſceperunt, non ſunt ſub iuriſdictione Rom. Pontificis: ſiquidem is poteſtatem tantùm habet ſuper terram, non autem ſub terram, iuxta illud *Matt. c. 16.* Confirmatur; quia indul-

Digitized by Google

4 gentia pro Defunctis conceditur tantum per modum ſuffragij: at homo quamuis non ſit baptizatus; nihilominus eſt capax ſuffragij, ſi ſit in charitate: nam communicatio ſuffragiorum in vnione charitatis conſiſtit; quam quis poteſt habere citra baptiſmalem characterem: etenim licèt re ipſa baptizatus non fuerit; poteſt tamen per contritionem, & votum baptiſmi gratiam obtinere, atque ideò iuſtificari. Denique indulgentia conceditur pro fidelibus viuis, aut Defunctis: at cathecumeni licèt non ſint re ipſa baptizati; ſunt tamen fideles: eo quòd credunt quod credit S. Romana Eccleſia: & quamuis non habeant characterem baptiſmalem; tamen voto illum ſuſceperunt, & ſunt capaces Beatitudinis, & pro illis Miſſa offerri poteſt. Imò *Granado loco citato*, docet indulgentias non ſolùm prodeſſe cathecumenis mortuis; ſed etiam viuis: & contraria ſoluit.

Reſtat modò, vt ad argumenta reſpondeamus.

5 AD primum reſpondetur, quòd quamuis indulgentia ſit actus clauium; nihilominus ille actus directè exercetur in viuentes, qui lucrantur indulgentias pro Defunctis.

6 Ad confirmationem dicimus, quòd ſuppoſito veram eſſe ſententiam eorum, qui dicunt pro cathecumeno non poſſe Miſſæ ſacrificium offerri, vera eſt prior ſententia: ſed quia communio ſuffragiorum conſiſtit in vnione charitatis, quam ſupponimus habere cathecumenum, non video cur pro eo non poſſit offerri ſacrificium Miſſæ ad remittendum illi pœnam ex opere operato.

7 Ad aliud argumentum poteſt negari maior; quoniam diuerſa ratio eſt viuentis, & Defuncti, cùm in viuentem non poſſit exercere quis iuriſdictionem, niſi ſit ſubditus: at quoad Defunctum exercet Papa iuriſdictionem in viuentem ſubditum ad lucrandum indulgentiam pro Defuncto.

8 Ad vltimum patet reſponſio ex dictis: quoniam non pugnat Rom. Pontificem poſſe cathecumeno etiam viuenti indulgentiam concedere per modum ſuffragij, vt latè probat *Granado loco citato*.

An indulgentiæ certò, ac infallibiliter proſint Defunctis.
SEC. XXXXIX.

SVMMARIVM:

1 *Indulgentia conceſſa pro Defunctis non habet certum effectum, ac infallibilem, ſed tantum prodeſt per modum ſuffragij, ac impetrationis ſecundum liberalem Dei acceptantis voluntatem.*

2 *Oppoſita ſententia quod indulgentia certo, ac infallibiliter proſint Defunctis, probabilior eſt. Et contraria opinio appellatur incauta.*

1 IN hac difficultate pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *D. Bonauen. in 4. d. 20 p. 2. art. vnico, q. 5. Ricchard. art. 3. q. 3. Henriq. lib. 7. c. 7. nu. 4. Caiet. tract. 16. de indul. q. 5 & 6. Cord. eod. tract. q. 13. & ſeq. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 7.* Et aliorum, quos ipſi referunt, exiſtimantium indulgentiam pro Defunctis conceſſam, non habere effectum certum, & infallibilem; ſed tantum prodeſſe per modum ſuffragij, ac impetrationis ſecundum liberalem Dei acceptantis voluntatem: ſiquidem Iudex ſupremus non tenetur commutationem pœnæ ſibi debitæ admittere, niſi ad id ſe promiſſione aliqua obligauerit: at Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſupremus Iudex non obligauit ſe ad acceptandas ſatisfactiones ab Eccleſia oblatas pro liberandis Defunctorum animabus: etenim verba illa *Domini Matt. c. 16.* ad viuentes tantùm referuntur, non autem ad Defunctos, cùm verbis illis, *Quodcunque, &c.* Iudiciaria poteſtas Principi Apoſtolorum, & alijs ſucceſſiuè Pontificibus fuerit tradita quoad viuos tantum, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6.* In eandem opinionem videtur inclinare *Bellarm. de indulg. lib. 1. c. 14.* dum ait, illam eſſe rationabilem. Hinc *Caiet. d. q. 5. & tom. 1. opuſc. tract. 10. q. 1.* Docet, indulgentias non omnibus animabus detentis in Purgatorio prodeſſe; ſed illis dumtaxat, quæ vt ſibi prodeſſent, meruerunt in vita per pietatem, & curam erga mortuos.

2 His tamen non obſtantibus oppoſitam ſententiam arbitror eſſe probabiliorem, quam tenent *Suar. de pœnit. diſp. 53. ſec. 3. nu. 3. Conynch. de ſacram. diſp. 12. dub. 10. nu. 45. Sot. in 4. d. 21. q. 2. art. 3. Tanner. tom. 4. diſp. 6. q. 8. dub. 4. nu. 92. Trullench. in Bulla Cruc. lib. 4. dub. 9. num. 4. Valent. tom. 4. diſp. 9. 20. pun. 5.* qui contrariam opinionem appellat incautam, & alij, quos refert & ſequitur *Dian. p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 8.* Dicentes, indulgentias certò, ac infallibiliter prodeſſe Defunctis. Mouentur ex eo, quod ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ applicantur pro animabus in Purgatorio exiſtentibus ſunt æquiualentes illis, quæ applicantur viuis ad remiſſionem pœnæ temporalis poſt actualem culpam remiſſam: nec deeſt Diuina promiſſio de huiuſmodi remiſſione fundata in perpetua traditione Eccleſiæ, & in illo *Matt. c. 16. Quodcunq; ſolueris, &c.* Vndè dictum illud *Caiet. locis citatis*, docentis, indulgentias non omnibus animabus exiſtentibus in Purgatorio valere, ſed illis tantùm; quæ, vt ſibi prodeſſent meruerunt in vita per pietatem in mortuos, non admittitur à *Ledeſ. in 2. p. 4. q. 29. art. 3. Acoſta in Bull. Cruc. q. 16. Granad. diſp. 6. nu. 2. & Trullench. dub. 1. nu. 1.* relatis à *Diana loco citato*.

An ad indulgentiam lucrandam ſatis ſit opinio probabilis ſe habens, quòd in hòc, vel illo caſu lucretur.
SEC. L.

SVMMARIVM.

1 *Probabiliter putant aliqui, quod volentibus lucrari Iubilaum ſatis ſit, ſi in alia die infra hebdomadam ſe communicent.*

Probabilis eſt quoque opinio, vt ſi in Bulla Iubilæi habeatur, quod qui illud non ſuſceperit in prima hebdomada, ſuſcipere poſſit illud in ſecunda. Et quis adimpleuerit opera iniuncta intra duas hebdomadas, aſſequatur ipſum.

2 *In materia indulgentiarum non prodeſt probabilis opinio ad aſſequendas illas.*

3 *An remaneat hoc caſu abſolutus à reſeruatis à quibus abſolui concedit Iubilæum, ſeu indulgentia.*

Hanc

Digitized by Google

1 HAnc controuerſiam duximus hoc loco explicandam propter nonnullas opiniones probabiles, quas ſupra retulimus in materia indulgentiarum, & Iubilæorum, *ſec.2. illat.8. cum pluribus ſeq.* & alibi. Etenim nonnulli probabiliter putant, volentes Iubilæum aſſequi ſatis ſit ſi in alia die infra hebdomadam communicent. Sic etiam ſi indulgentia, aut Iubilæum expoſtulet, vt tribus dierum ieiuniorum fiat eleemoſina orationes, &c. ſi quis alijs diebus opera expoſtulata impleat, quidam probabiliter doceat etim aſſequi indulgentiam, ſeù Iubilæum. Item probabilis eſt opinio eorum, qui volunt, quòd ſi in Bulla Iubilæi habeatur, vt qui non ſuſceperit illud in prima hebdomada, poſſit aſſequi in ſecunda, & quis adimpleuerit opera requiſita intra duas hebdomadas, illum aſſequi Iubilæum. Et denique, reliquis prætermiſſis, alij probabilem putant ſententiam docentium, vt qui prima hebdomada fuerit aſſecutus Iubilæū, poſſit iterum lucrari illud, vt locis ſupra citatis diximus, & in proprijs quæſtionibus latius, Deo duce, dicemus. Vndè his ſic ſtantibus, quæritur, an ſi prædictæ opiniones probabiles, & aliæ ſimiles à parte rei non ſint veræ, ſed falſæ, qui eas ſecuti fuerint, indulgentias, ſeù Iubilæum ſint aſſecuti.

2 In hac re partem negatiuam docet *Fauſt. de iubil. lib.4.q.64.* dicens, quòd in materia indulgentiarum non prodeſt probabilis opinio ad eas aſſequendas, ſi oppoſitum ſit verum: ſiquidem non præſtatur opus præſcriptum ad indulgentias lucrandas. Hanc eandem ſententiam ſequitur *Diana p.5. reſol. moral. tract.12. reſol.32.* Putat

3 tamen cum *Boſſ. de iubil. ſec.4. caſu 8. num.5.* Quòd licet hoc caſu quis non aſſequatur indulgentiam, remanet tamen abſolutus à reſeruatis, à quibus concedit abſolui Iubilæum, ſeu indulgentia: ſiquidem opinio probabilis confert iuriſdictionem.

De ijs, quæ ſpecialiter pertinent ad indulgentiam Iubilæi, ſeù ad inſtar anni Iubilæi, & primò, an ſuſcipiens eiuſmodi indulgentiam prima hebdomada, poſſit illam iterum lucrari in ſecunda hebdomada.

S E C. LI.

S V M M A R I V M.

1 *Indulgentia plenaria ſimpliciter, & plenaria ad inſtar anni Iubilæo, in quo conueniant inter ſe: Et in quo differant.*

2 *Pars affirmatiua oſtenditur eſſe probabilis, & ſaltem prodeſſet quoad abſolutionem a reſeruatis.*

TRactauimus hucuſque de nonnullis dubijs concernentibus indulgentiam partialem, ac indulgentiam plenariam ſimpliciter; modò competenti ordine reſtat videndum de dubijs ſpecialiter concernentibus indulgentiam Iubilæi, ſeù ad inſtar anni Iubilæi conceſſam. Ad cuius rei euidentiam ſunt recolenda ea, quæ ſupra cumulauimus, *ſec.3. diuiſ.5. verſ. Plena: verſ. Concedi ſolet, & verſ. Septimo conceditur.* Vbi inter alia diuiſimus indulgentiam plenariam ſimpliciter: in indulgentiam plenariam anni Iubilæi: & in indulgentiam plenariam ad

1 inſtar anni Iubilæi. Conueniunt inter ſe eiuſmodi indulgentiæ; quoniam omnes ſunt actus clauium, & eorum effectum habent remittendi pœnam temporalem totalem, quæ remanet poſt remiſſam culpam actualem, & id ex opere operato. Inter alia quoque loco citato oſtendimus, præfatam indulgentiam plenariam ſimpliciter differre ab ea, quæ conceditur in anno Iubilæo, ſeù ad inſtar anni Iubilæi in hoc, quia prioris effectus eſt tantùm remiſſio totius pœnæ temporalis, quæ remanet poſt remiſſam culpam actualem: reliquæ verò non ſolùm habent effectum remittendi totam penam temporalem, quæ remanet poſt remiſſam actualem culpam; ſed etiam cum eis conceditur facultas abſoluendi à reſeruatis, eligendi Confeſſarium, diſpenſandi, & commutandi vota, componendi ſuper malè ablatis incertis, aut quouis modo illicito extortis, aut illa ſub certo modo, & forma remittendi. Imò diximus annum Iubilæum noſtri temporis connotare inſuper tempus, in quo omnes indulgentiæ plenariæ, etiam ad inſtar Iubilæi ſuſpenduntur: facultates quoque commutandi vota, & ſuper eis diſpenſandi, & alia, quæ ſupra retulimus, de quibus in *extrauag. quemadmodum, de pœnit. & remiſ.* At indulgentia plenaria non item, etiam ſi conceſſa ſit ad modum, ſeù ad inſtar Iubilei. Et quoniam circa hæc omnia, & alia eiuſmodi, quæ concernunt indulgentiam Iubilæi nonnulla dubia à Doctoribus fuerunt mota, idcircò per ſequentes ſec. ea omnia explicabimus, & primò videbimus, an ſuſcipiens indulgentiam Iubilæi prima hebdomada, poſſit illam iterum lucrari in ſecunda hebdomada?

2 Partem affirmatiuam probabilem eſſe oſtendimus ſupra *ſec.2. illat.11.* licet negatiuam probabiliorem eſſe cenſuerimus, *ſec.3. verſ. Quarto diuiditur.* Quibus locis nos remittimus, ne bis idem repetere videamur. Eſt tamen verum, quod cum non conſtet de relata ibidem declaratione S. Congregationis, cum affirmatiua ſit probabilis, eſto quòd à parte rei ſit falſa; prodeſſet tamen quoad abſolutionem à reſeruatis iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec.50.*

An opera in Iubilæo præſcripta ad lucrandum illum poſſint incipi in vna Ciuitate, ſeu terra, & compleri in alia intra tempus in Bulla Iubilæi præſcriptum.

S E C. LII.

S V M M A R I V M.

1 *Reſponſio aſſeritur affirmatiua, & exiſtimatur vera ſententia, ſi ex cauſa rationabili id fiat.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur affirmatiuè, vt patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *ſec.2. illat.12.* Vndè ſi Iubilæum præcipiat ieiunium 4. 6. feria, & Sabbato viſitationem Eccleſiarum, eleemoſynas, orationes, &c. Et quis Neapoli ieiunet, & deinde Capuæ alia opera impleat, aſſequetur Iubilæum: quam ſententiam licèt aliqui doceant eſſe probabilem; nos tamen veram eſſe putamus ſi ex rationabili cauſa id fiat, vt in *d. illat.12.* diximus.

An

Digitized by Google

An ſi in Bulla Iubilæi habeatur, vt qui non ſuſceperit illum in prima hebdomada, poſſit aſſequi in ſecunda: & quis impleuerit opera expoſtulata infra duas hebdomadas Iubilæum lucrabitur.

SEC. LIII.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia exiſtimatur in rigore magis probabilis, quamuis negatiua ſeruetur in praxi.*

1 IN hac re ſententiam affirmatiuam in rigore exiſtimamus eſſe magis probabilẽ, quamuis negatiua ſeruetur in praxi. Vt ſupra oſtendimus *ſec. 2. illat. decima*, cui nos remittunus, ne bis idem repetamus.

An qui omiſit ex malitia opera præſcripta in Iubilæo, poſſit vltima die illud lucrari, & dicta opera à Confeſſario commutari.

SEC. LIV.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarius electus vigore Iubilæi commutare poteſt omnia, & ſingula opera omiſſa etiam ſi ieiunia ſint.*

1 HAec difficultas fuit ſupra abſoluta, *ſec. 29.* quibus adde, quæ cumulat *Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 25.* vbi ex *Filliuc.* & alijs docet, poteſtatem commutandi opera Iubilæi ita ſe extendit ad prætefita, vt poſſit Confeſſarius electus commutare omnia, & ſingula opera omiſſa, etiam ſi ieiunia ſint.

A quonam Epiſcopo debet eſſe approbatus Confeſſarius ex vi Iubilæi eligibilis.

SEC. LV.

SVMMARIVM.

1 *Prima eſt ſententia, quod eligi poſſit Confeſſarius, à cuiuſcunq; loci Ordinario approbatus.*

2 *Alia eſt ſententia, quod eligi poſſit Confeſſarius approbatus ab Ordinario pœnitentis.*

3 *Tertia eſt ſententia, quod omnino exigatur approbatio Epiſcopi eiuſdem Confeſſarij.*

4 *Magis probatur ſententia, quod ſatis ſit approbatio Epiſcopi loci, in quo auditurus eſt Confeſſarius confeſſionem.*

5 *Approbatus in vna Diœceſi, ſi ad aliam ſe transferat, iterum approbari debet ab Ordinario loci, in cuius Diœceſi transfertur.*
Limitatur tamen in Religioſis Soc. Ieſu ſemel à Superioribus approbatis, qui ex priuilegio audire poſſunt fidelium confeſſiones, dum per alias tranſeunt Diœceſes.

6 *Approbatus in Diœceſi ab alio, quam ab Epiſcopo illius, non cenſetur approbatus ab Ordinario iuxta formam Tridentini.*

7 *Iuxta Boſſ. ſententiam, adhoc, vt Declarationes Sacræ Congregationis fidem faciant in vtroq; foro, exigitur, vel quod Papa det breue, quo iubeat illas ſeruari, vel quod Auditor Cameræ det Monitorium in eorũ executionẽ. Et quid attento Decreto Papæ Vrbani VIII.*

8 *Omnes ſupra relata opiniones, excepta prima, probabiles ſunt, & ſi qua earum quis vtatur, valebit abſolutio à reſeruatis.*

1 IN hac difficultate variæ ſunt Doctorum opiniones. Nam prima ſententia fuit *Henriq. lib. 6. ſuæ ſum. c. 6. nu. 7. Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. nu. 18. & ſec. 7. nu. 6. & 10. Cord. in ſua ſum. q. 10. ad 2. dub. Emman. Rodriq. in expoſit. Bullæ Cruciatæ, §. 9. dub. 2. Nug. in addit. ad addit. ad 3. p. q. 8. art. 5. dub. 9. Conynch. tom. 2. diſp. 8. dub. 7. nu. 53. Reginal. in ſua prax. lib. 1. nu. 186. & 188.* Et aliorum, docentium, pœnitentem, qui virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, poſſe ſibi eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario, cuiuſcunque loci, atque ideò Confeſſarium approbatum ab Ordinario, cuiuſcunque loci ſit, poſſe confeſſiones audire illorum, qui virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij facultatem habent eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario. Mouentur ex eo, quòd Bulla Iubilæi ſimpliciter, ac generaliter loquitur de approbato ab Ordinario, nec diſtinguit de ſuo, vel alterius; ergò ſimpliciter, ac generaliter intelligenda eſt de approbato à quocunque Ordinario: ſiquidem lex generaliter loquens generaliter debet intelligi, & quando non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. 1. §. generaliter, ff. de legat. præſt. & l. de pactio, ff. de public. in rem act.*

2 Secunda ſententia eſt *Sot. in 4. d. 18. q. 4. art. 3.* & aliorum exiſtimantium, habentem facultatem vigore Iubilæi, vel alterius priuilegij eligendi ſibi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, poſſe ſibi eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario ipſius pœnitentis, qui prædictam facultatem habeat. Siquidem penitens ipſe ſubditus eſt talis Ordinarij, cui meritò competit Confeſſoris approobatio ad audiendas ſubditorum ſuorum confeſſiones. In hanc ſententiam inclinare videtur *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 6. nu. 4.* & probabilem eam eſſe inquit *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 52.*

3 Tertia ſententia eſt *Fagund. de præcep. Eccl. præc. lib. 7. c. 2. n. 92. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tr. 7. c. 9. nu. 200.* Et aliorum, qui putant in caſu, de quo agitur, omnino exigi approbationem Epiſcopi eiuſdem Confeſſarij vigore Iubilæi, aut alterius priuilegij eligibilis. In hanc eandem opinionem videtur concurrere *Suar. loco citato ſec. 6. nu. 10. & ſec. 7. nu. 3. & 8. Diana d. reſol. 52.* qui pro eadem citat *Medin. 1. 2. q. 19. art. 6. circa fin. & Boſſ. de iubil. ſec. 3. caſu 2. §. 7. nu. 215.* Ad quod etiam faciunt, quæ cumulat *Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 25. nu. 14.* cum alijs, quos allegat, dum volunt, approbationem cuiuſcunq; Confeſſarij ad audiendas confeſſiones ſæcularium faciendam eſſe ab Epiſcopo Cõfeſſarij, ſiquidem approbatio eſt actus iuriſdictionis, qui exercetur in ſubditum: ergò approbatio facienda eſt ab Epiſcopo, cui ſubditus eſt Confeſſarius, qui approbatur.

4 Quarta ſententia, quæ nobis magis probatur, eſt *Guttier. lib. 1 qq. canon. c. 27. nu. 6. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 6. c. 11. nu. 9. Floron. de caſib. reſeruat. p. 1. c. 4. §. 12. n. 6. Lezzana in qq. regul. c. 19. nu. 4. & 19. Homob. de exam. Eccl. par. 1. tract. 5. c. 3. q. 14. & 15. Barb. de poteſt. Epiſc. allegat. 25. nu. 15.* Et aliorum arbitrantium, ſatis eſſe approbationem Epiſcopi loci, in quo audi-

Digitized by Google

cutus eſt Confeſſarius confeſſionem, licèt pœnitens vi Iubilæi ipſum eligens ſit alterius Epi-
5 ſcopatus. Etenim vſu receptum eſt, vt qui fuit in vna Diœceſi approbatus, ſi ad aliam ſe transferat, iterum approbetur ab Ordinario loci, in cuius Diœceſi transfertur ad confeſſiones audiendas: ergò pœnitens, qui rigore Iubilæi, vel alterius priuilegij facultatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab ordinario non poteſt eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario alterius Diœceſis, ſed Confeſſarium approbatum ab Ordinario loci, vbi fit confeſſio. Ob id autem Religioſi Societatis Ieſu, qui priuilegium obtinuerunt à Gregor. XIII. vt ſemel approbati, & à Superioribus expoſiti poſſint audire confeſſiones fidelium, dum per alias Diœceſes tranſeunt, modò non ſint in terris, vbi adſunt Ordinarij, & Parochis etiam non repugnantibus, vt ex Bull. præf. Greg. de anno 1575. quæ incipit Decet Rom. Pontificem: id poſſunt, quia priuilegium habent: ergò ſignum eſt, ipſos non potuiſſe confeſſiones in alia Diœceſi audire, ſecluſo illo priuilegio; atque ideò Confeſſarium approbatum in vna Diœceſi non cenſeri approbatum pro alia, etiam tempore Iubilæi, quod ſemper ſolet concedi cum facultate eligendi Cōfeſſarium approbatum ab Ordinario, qui neceſſario debet eſſe approbatus ab Ordinario loci in quo confeſſiones audit: qui quidem Ordinarius interdum non eſt pœnitentium, vt ſi pœnitentes ſint alienigenæ, habentes expreſſam, aut tacitam facultatem confitendi cuicunque Confeſſario expoſito: & è contra aliquando accidere ſolet, vt Epiſcopus, à quo approbatio petenda eſt ſit potius pœnitentium, quàm ipſius Confeſſarij, vt rectè declarat *Laym. loco citato.* Qui hanc eandem ſententiam confirmat ex eo, quòd ipſemet Epiſcopus, cui conceſſum eſt per *tex. in c. vlt. eod. tit. noſtro*, Confeſſarium deligere, Sacerdoti non ſubdito in aliena Diœceſi confiteri velit; debet is, vel Parochiale beneficium obtinere, vel à proprio Epiſcopo approbatus eſſe alias non poterit talis Epiſcopi confeſſionem audire, vt per Sacram Congregationem fuiſſe declaratum teſtatur *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 6. nu. 7.*

6 His adde, quæ ſupra cumulauimus *diſp. 8. ſec. 9. concl. 2. lim. 7. verſ. Eſt tamen verum:* vbi pro hac re attulimus declarationem Cardinalium, ſe habentem, *Congregatio Conc. reſpondet, approbatum ab alio, quàm à Valentino Epiſcopo in Diœceſi Valentina, non cenſeri approbatum ab Ordinario iuxta formam Concil.* Vndè infert etiam *Barb. d. allegat. 25. ſub num. 14. in fine*, Quòd attenta declaratione Sacr. Congregationis, vt pœnitens confiteri non poſſit Sacerdoti approbato ab Ordinario Portuenſi in Diœceſi Bracharenſi, perſpicuè apparet eſſe confitendum Sacerdoti approbato ab Epiſcopo loci, vbi fit confeſſio: & latius declarat *nu. 15.* qui agens in ſpecie de pœnitente, qui virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij, facultatem habet eligendi Confeſſarium approbatum ab Ordinario, inquit, illum non poſſe eligere Confeſſarium approbatum ab Ordinario alterius Diœceſis, pro qua ſententia allegat etiam *Quaran. in ſum. Bull. ver. Confeſſor, verſ. Præter. Eman. in explic. Bulla Cruc. §. 9. nu. 5. Coninch. tom. 2. diſp. 8. nu. 52. Vgol. Armendar. Campan. & Belam.* Et
7 quamuis *Boſſ. de iubil. ſec. 3. caſu 2. §. 7. nu. 225.* qui ſequitur tertiam ſententiam, quam nos tertiò loco retulimus, & reſpondens ad declarationes Sacr. Congregationis, doceat, quòd adhoc, vt eiuſmodi declarationes obligent ad modum legis in vtroque foro, non eſt ſatis, vt ſint ſignatæ ſigillo ipſius Congregationis; ſed inſuper exigitur, vel quòd Papa det Breue, quo iubeat illas ſeruari, vel quòd Auditor Cameræ det monitorium in eorum executionem, ſeù ſub cenſura mandet ſeruari; nihilominus meritò *Diana d. reſol. 52.* tali dicto non aſſentitur. Etenim ex Decreto S. D. N. D. Vrbani VIII. dictæ declarationes Sacr. Congregationis fidem faciunt in iudicio, & extra ſi in authentica forma, ſolito ſigillo, & ſubſcriptione Eminentiſſimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij einſdem Congregationis pro tempore exiſtentium munitæ fuerint; cuius decreti verba refert idem *Diana loco citato.*

8 Cæterum quoniam omnes ſupra relatæ opiniones, excepta prima, ſunt probabiles; imò prior ſententia cùm & numero, ac magni ponderis Doctoribus muniatur non eſt reiicienda, vt teſtantur *Diana, & Barb. locis citatis*, ſi qua eorum quis vtatur, quæ à parte rei non ſit vera, & abſoluatur à reſeruatis, valebit abſolutio, vt patet ex ijs, quæ ſupra aduotauimus, *ſec. 50.* ſiquidem opinio probabilis confert iuriſdictionem: imò valida eſſet votorum commutatio, & alia eiuſmodi ſubſiſterent, quamuis indulgentiam non aſſequatur, vt habetur ex *Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 32. in fine*, vbi etiam allegat *Boſſ. de iubilæo ſec. 4. caſu 8. nu. 5.*

An vi Iubilæi ſit eligibilis in Confeſſarium Parochus non ſolùm intra eandem Diœceſim, ſed extra, & vbique terrarum.

S E C. LVI.

S V M M A R I V M.

1 *Parochus non ſolum eligibilis eſt per iubilaum intra eandem Diœceſim, ſed etiam extra: Et quare.*

2 *De iure antiquo Parochus eligi poterat in Confeſſarium per quamcunq; facultatem, & per delegationem propriarum ouium, ab alijs Parochis factam.*

3 *Oppoſita ſententia eſt de Iure verior, qui Parochus vbique terrarum vigore Iubilai eligibilis non ſit.*

4 *Ex Conc. Trid. nullus Sacerdos poteſt confeſſiones audire, niſi ab Epiſcopis approbationem accipiat.*

5 *Concilium Trid. voluit eximere Parochum ab approbatione tantum Epiſcopi, à quo Parochiam fuit conſecutus.*

6 *Parochus approbatus cenſetur ab eo, à quo eſt ſibi collata Parochia, per totam Diœceſim, & non pro ipſa tantum Parochia.*

7 *Hac ſententia licet ſit tutior, & probabilior, oppoſita tamen eſt ſatis probabilis, & propterea validā redderet abſolutionē à reſeruatis.*

8 *Religioſi, Confeſſarij, ab Ordinario approbatis ſimiles ſunt Parochis. Et an Confeſſarij delegati audire poſſunt confeſſiones eorum pœnitentium vbique locorum.*

In

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt affirmans, quam docent *Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 6. nu. 7. in prin. & nu. 8. in fine, Tolet. in ſum. lib. 3. c. 13. n. 6. Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 2. lib. 7. c. 2. nu. 36. Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. n. 18. Trullench. in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. dub. 4. n. 3. Ioan. Valer. in differ. vtr. fori, verbo Abſolutio, differ. 1. nu. 16. Molf. tom. 1. ſua ſum. tract. 7. c. 15. nu. 89. Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 47.* Et alij dicentes, Parochum habentem beneficium curatum, non ſolùm eſſe eligibilem per Iubilæum intra eandem Diœceſim; ſed etiam extra, & vbiq; terrarum. Mouentur ex eo, quòd huiuſmodi Beneficiatus ex *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* nullam aliam approbationem exigit præter quàm, quòd parochiale beneficium habeat, vt poſſit confeſſiones ſæcularium audire, vt ex eiuſdem verbis conſtat, ita ſe habentibus. *Quamuis Presbyteri in ſua ordinatione à peccatis abſoluendi poteſtatem accipiant, decernit tamen S. Synodus, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſacularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari; niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen; ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem (quæ gratis detur) obtineat, priuilegijs, & conſuetudine quacunq; etiam immemorabili, non obſtantibus.* Si igitur Conc. nihil aliud à Sacerdote expoſtular, ad audiendas ſæcularium confeſſiones, quàm parochiale beneficium: ergò non poteſt aſſignari ratio, cur vltra parochiale beneficium exigar quoque approba-
2 tionem ſui Epiſcopi. Eo magis, quia Concil. quoad hanc partem non tàm condit ius nouum, quàm retinet antiquum: ſiquidem, vt ait *Suar. loco citato*, de iure antiquo quilibet Parochus poterat eligi in Confeſſarium per quamcunque facultatem, & per delegationem propriarum ouium factam ab alijs Parochis: ergò, & id ad præſens poterit, cùm idem ius omninò perſeueret: etenim non eſt recedendum à iure antiquo propter nouum, niſi quatenus id in eo exprimitur. Denique ſi Parochus vi Iubilæi non eſſet eligibilis in Confeſſarium extra ſuam Diœceſim, & per totum terrarum Orbem, nec etiam poſſet eligi extra ſuam Parochiam intra eamdem Diœceſim, cùm ex vi beneficij ſolùm videatur approbatus pro ſua Parochia: & nihilòminus ex vi Conc. reputatur illa approbatio ſufficiens pro alijs Parochijs ſuæ Diœceſis: ſiquidem Miniſter publicus debet ſimpliciter reputari ſufficiens, vt ibi eligatur: ergò Parochus ratione parochialis benefic. ſ vi Iubilæi poteſt eligi in Confeſſarium tàm intra propriam Diœceſim, quàm extra, & per totum terrarum Orbem.

3. His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſententiam arbitror de iure veriorem eſſe, quam tenet *Guttier.* qui communiorem eſſe teſtatur *lib. 1. can qq. c. 27. num. 21. Miran. tom. 1. Man. Pralat. q. 47. art. 7. Rodriq. tom. 1. q. 59. art. 5. Sà ver. Confeſſor, nu. 5. Laym. lib. ſua ſum. tract. 6. c. 11. num. 8.* qui eam non tantùm ſecuriorem exiſtimat, ſed etiam veram eſſe ſibi videtur *Floron. de caſ. reſeru. p. 1. c. 4. §. 12. nu. 2. Homob. in exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 3. q. 15.* Et alij, negantes Parochum vi Iubilæi eſſe vbiq; terrarum vt ſupra eligibilem in Confeſſarium: ſed eum oportere iterum approbationem accipere ab Ordinario alterius loci, vbi confeſſiones auditurus eſt. Probatur hæc ſententia ex eodẽ *Conc. Trid. loco citato*, in illis verbis, *Nullum Sacerdotem poſſe confeſſiones audire, niſi ab Epiſcopis*
4 *approbationẽ accipiat, &c.* Nota Ly. *Epiſcopis*, quia Concil. in numero plurali loquitur: ad dc...tandum, quòd plurium Epiſcoporum approbatione Sacerdos indiget, ſi in pluribus Diœceſibus exponendus ſit. Et id non immeritò Concilium decreuit: ſiquidem ad cuiuſq; Epiſcopi munus pertinet curare, vt in ſua Diœceſi idonei Confeſſarij exponantur ad confeſſiones audiendas: nec ſemper fides adhiberi debet aliorum Epiſcoporum iudicio; ſed formidandum meritò eſt, ne vel alij Epiſcopi minus idoneos approbent, vel licèt approbati in alia Diœceſi idonei fuerint ad confeſſiones audiendas; non tamen in ſua ſint, vbi aliæ conſuetudines extant, & peccatorum reſeruationes: aliud hominum ingenium, alia inſtituta commercia ſunt, vt hæc, & alia rectè conſiderantur *à Laym.* & alij. Doctoribus ſupra citatis. Quibus adde, quæ ſupra adnotauimus, *diſp. 8. ſec. 9. concl. 1. lim. 6. verſ. Sententia.*

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

5 AD primum dicimus, quòd *Concil. Trid. loco citato*; voluit eximere Parochum ab approbatione Epiſcopi tantùm, à quo Parochiã fuit conſecutus: ſiquidem cùm præuio examine illam fuerit adeptus, vt habetur ex eodem *Conc. ſeſſ. 24. c. 18. de refor.* Cenſetur ab eo tacitè approbatus ad audiendas confeſſiones ſæcularium propriæ Diœceſis, atque ideò ſuperuacanea eſſet alia approbatio: non tamen ipſum Concilium voluit eximere Parochum ipſum ab approbatione aliorum Epiſcoporum, in quorum Diœceſes ſe transferat ad audiendas confeſſiones, vt ſupra oſtendimus per dictionẽ illam, *Epiſcopis.* Et rationem illatam, atque ideò noluit retinere ius antiquum, ſed omninò condere ius nouum, declarando, electum in Parochorum eſſe tacitè approbatum ab eo, à quo illi cõfertur Parochia, & proindè non indigere alia approbatione ab eodem. Meritò igitur vigore Iubilæi, aut alterius priuilegij Parochus non eſt eligibilis in Confeſſarium per totum terrarum Orbem; ſed in ea tantùm Diœceſi, in qua Parochiam obtinet: & propterea ſi velit ſe ad alias Diœceſes transferre ad audiendas confeſſiones, tenetur approbationem conſequi ab earum Ordinarijs; nec ſatis eſt, quòd in Parochum fuerit electus, & præuio examine promotus.

6 Ad ſecundum argumentum negatur ſequela; quoniam, vt ſupra declarauimus ab eo, à quo collata eſt Parochia cenſetur Parochus approbatus per totam Diœceſim; & non pro ipſa tantùm Parochia; niſi fuerit limitatè promotus, ita ad hanc Parochiam, vt non ſit idoneus pro alia iuxta ea, quæ infra Deo duce dicemus, *ſec. 58.*

7 Cæterum quamuis hæc ſententia nobis videatur tutior, & probabilior; nihilominus oppoſita ſententia cùm foueatur teſtimonio Doctorum tanti ponderis non poteſt dici, quòd ſaltem non ſit probabilis: & propterea licèt à parte rei eſſet falſa nihilominus, qui ea vteretur ſaltem potiretur abſolutione à reſeruatis, & alijs fauoribus, & ſi indulgentiam non aſſequatur, iuxta ea, quæ

ſupra

ſupra adnotauimus, *ſec.50. & 55.verſ.Caeterum.* Imò attanta priori opinione tanquam vera, Parochus tamen poteſt abſoluere ſuos pœnitentes, etiam extra Diœceſim, ſeù Parochiam; quia vbicunque ſunt oues propriæ, in quas ſine ſtrepitu, & figura iudicij iuriſdictionem exercere poteſt, vt hebetur ex *Syl. in ſum. ver.Confeſſor 1.q.14. Reginal. lib.1. ſua prax.num.93. & 94. Conynch. de pœnit.diſp.8.nu. 22. & alij*. Idem
8 dicendum eſt de alijs Confeſſarijs approbatis ab Ordinario, etiam ſi Religioſi ſint: ſiquidem hi per approbationem Ordinarij ſimiles efficiuntur Parochis, vt habetur ex *Pellegr. in compen. noſtr. priuil. tit. Abſolutio quoad ſaeculares,§.8.* & ex alijs relatis per *Molſ.tom.1.ſua ſum.tract. 7.c.15.nu.90.* vbi etiam *n.92. ex Archid. Anch. Syl. Sanch.* Et quamplurimis alijs id extendit quoad omnes Confeſſarios habentes delegatam iuriſdictionem: etenim eiuſmodi delegati habent iuriſdictionem in perſonas eorum pœnitentium: & propterea non attenditur territoriũ; ſed tantum perſona; atque ideò Confeſſarij poſſunt eorum confitentes abſoluere, auditis eorum confeſſionibus, vbique locorum: tanto magis, quoniam iuriſdictio fori ſacramentalis eſt voluntaria, quę etiam extra territorium exerceri poteſt à quocunque illam babente, *l.2.ff.de offic. Proconſ.* vt diximus *d.diſp.8. ſec.9.concl.1. ſim.6. verſ. Hae ſententia.*

An per Iubilæum ſit eligibilis in Confeſſarium Parochus, qui renunciauit beneficio, aut illo fuit priuatus.

SEC. LVII.

SVMMARIVM.

1 *Iuriſdictio, quam accipit Confeſſarius ad confeſſiones audiendas, ab approbatione differt.*

2 *Parochus ſi poſt beneficij reſignationem, vel priuationem, Religionem ingrediatur, poteſt virtute Iubilaei eligi in Confeſſarium.*

3 *Parochus, vt idoneus reputetur ad confeſſiones audiendas, requiritur expreſsè, vt beneficium actu habeat.*

4 *Prior ſententia probabilior eſt: & quare.*

5 *Quare Concil. Trid. ab approbatione ab Ordinario eximit Sacerdotem, habentem Parochiale beneficium.*

6 *Oppoſita ſententia cum ſit probabilis, ſi quis ea vtatur, licet indulgentiam non lucretur remanebit vtiq; abſolutus à reſeruatis.*

1 AD hanc difficultatem affirmatiuè reſpōdet *Trullench.in expl. Bull.Cruc. lib.1.c.7. dub.4. n.4.* & alij, quos refert, ſed non ſequitur *Diana p.5.reſol.moral.tr.12.reſol.47.* Mouentur ex eo, quòd iuriſdictio, quam accipit Cōfeſſarius ad audiēdas cōfeſſiones differt ab approbatione: ſiquidem approbatio eſt actus intellectus, nempè iudicium, & traditio iuriſdictionis eſt actus voluntatis Superioris eam tradentis, vt recte declarat *Llamas p.1.methodi c.6.§.5.* quem refert, & ſequitur *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 11. num. 7.* Vndè iuriſdictio interdum committitur Sacerdoti poſt eius approbationem, vt cum Parochi Sacerdotes ab Epiſcopo ante approbatos ad confeſſiones ſuorum audiendas exponunt: & aliquando dantur ſimul iuriſdictio, & approbatio, vt declarat *Laym. loco citato*. Vndè cum Parochus habeat approbationem ab Ordinario, imò à iure nempè per *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* per reſignationem, aut priuationem beneficij parochialis tollitur ei iuriſdictio tantùm, non autem approbatio, cùm approbatio non habeat neceſſariam dependentiam cum parochiali beneficio; atque ideò non eo ipſo, quòd auſertur beneficium tollitur approbatio. Ex hoc inferunt
2 primò, quod ſi Parochus poſt beneficij renunciationem, vel priuationem Religionem ingrediatur, poteſt virtute Iubilæi eligi in Confeſſarium: ſiquidem pœnitenti conceditur facultas per Iubilæum eligendi ſibi in Confeſſarium Sacerdotem approbatum ab Ordinario: talis autem Parochus per Religionis ingreſſum non amiſit approbationem à Conc. Trid. indultam, & tacitè ab Epiſcopo tributam iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *ſec. præcedenti, in reſponſ. ad primum.* Vndè poſita tali approbatione Rom. Pontifex per ſpeciale Iubilæi priuilegium illi iuriſdictionem confert. Secundò inferunt præfati Doctores, Parochum poſſe ei, qui ante erat Parochus dare facultatem audiendi confeſſiones in ſua Parochia: ſiquidem id poterat ante Conc. Trid. concedere etiam ſimplici Sacerdoti: & Concilium ſolùm addidit approbationem, quam adhuc ille retinet.

3 Secunda, & oppoſita ſententia eſt *Fagund.de praecep. Eccl. pracep.2. lib.7.c.2 nu.38. Floroni de caſib.reſer.p.1.c.4.§.12.nu.7. Barb. de poteſt. Epiſc.p.2.allegat.25.n.18. Ludouici della Cruz in Bull. Cruciata diſp.2. c.2.dub.7. num.10. & Diana p.1.reſol. moral. tract.12.reſol.8. & p.5. tract.12. reſol.47.* Mouentur ex eo, quod *Conc. Trid. loco citato*, adhoc, vt Parochus reputetur idoneus ad confeſſiones expreſsè requirit, vt beneficium actu habeat; & non addit, aut habuerit ergò poſt beneficij parochialis reſignationem, aut priuationem talis Parochus non eſt amplius elegibilis vi Iubilæi, aut alterius priuilegij in Confeſſarium vt ſupra, quia non poteſt dici approbatus, nec à Conc. nec ab Ordinario.

4 Hæc ſententia probabilis eſt; ſed prior nobis probabilior videtur, per rationem pro ea ſupra allatam: cui adde, quòd cum approbatio ſit iuſtitiæ actus, nec ſit gratia, ſeù priuilegium, quod libera voluntate cōceditur, ſed eſt authentica declaratio, ſeù teſtificatio, perſonam habilem, & dignam eſſe, cui iuriſdictio ad confeſſiones audiendas conferri poſſit, vt rectè inquit *Laym.lib.5. ſua ſum.tract.6.c.11. ſub nu. 5.* Parochus reſignans Parochiam non præſumitur iuri ſuo renunciaſſe audiendi confeſſiones, atque ideò approbationi de iure de ſe facta, cùm approbatio nullam connexionem habeat cum parochiali beneficio: & nemo cenſeatur à ſe abdicare ius quod habet, niſi clarè appareat de abdicatione, *arg. tex. in l. quicquid aſtringendae, ff. de verb. obligat.* Siquidem qui ſoluit non ita reſupinus eſt, vt facilè ſuas pecunias ſoluat, & indebitas effundat, atq; adeò præſumatur iactare ſuum, vt in *l. cum de indebito, ff. de probat.* Et re vera cum hoc ſtat, vt quis renunciat Parochiam ad effugiendum periculum curæ animarum, retenta tamen approbatione, imò iuriſdictione ad audiendas confeſſiones: ergò præſumendum eſt eiuſmodi approbationi; imò, & iuriſdictioni non renunciaſſe, cùm expreſsè id

Digitized by Google

non appareat feciſſe, iuxta ea quæ ſupra adnotauimus ex iuribus allegatis.

5 Ad fundamentum autem appoſitæ ſententiæ ex Conc. Trid. facilè reſpondetur, & dicitur, quòd Concilium ipſum dum ab approbatione ab Ordinario eximit Sacerdotem habentem parochiale beneficium, id egit, quia Parochus præuio examine fuit tacitè ab ipſo Ordinario approbatus, dum præuio examine fuit ab eodem idoneus declaratus ad beneficium parochiale; atque ideò ad audiendas confeſſiones. Vnde quamuis reſignauerit beneficium, aut illo fuerit priuatus; adhuc tamen remanet approbatus, & idoneus: meritò igitur Concilium non expreſſit, aut beneficium habuerit; ſed tantum inquit, beneficium habeat.

6 Eſt tamen verum, quòd oppoſita, ac negatiua ſententia cùm ſit probabilis, ſi quis ea vtatur, & in rei veritate ſit falſa, licèt non aſſequatur indulgentiam quoad remiſſionem pœnæ temporalis; remanet tamen abſolutus à reſeruatis, & potitur alios fauores cum Iubilæo coniunctos, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, ſec. 50. cum alijs ſequentibus.

An vi Iubilæi ſit vbique eligibilis in Confeſſarium approbatus tantùm limitatè ad certam perſonarum qualitatem, aut ad paruum oppidũ.

SEC. LVIII.

SVMMARIVM.

1 *Prior eſt ſententia affirmatiua, cum verum ſit dicere, hunc Sacerdotem eſſe approbatum ab Ordinario.*

2 *Verior eſt contraria ſententia, & quare.*

3 *Approbatio non plus valet, quam pro illo, pro quo data eſt.*

4 *Si Epiſcopus Mendicantes Regulares à ſuis Prælatis præſentatos ſine cauſa reijciat, an poſſint nihilominus exponi ad confeſſiones audiendas etiam ſæcularium.*

5 *Prior ſententia, cum ſit probabilis, licet falſa à parte rei, ſi quis ea vtatur, abſolutus remanet à reſeruatis.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Boſſ. de iubil. ſec. 3. caſu 2. §. 10. nu. 238. & 245. Trullench. in Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. dub. 2 Ludouic. della Cruz in eandem Bull. diſp. 1. c. 2. dub. 9.* & aliorum apud *Diana p. 1. reſol. moral. tract. 12. reſol. 11.* Docentium partem affirmatiuam, mouentur ex eo, quòd verum ſit dicere talem Sacerdotem eſſe approbatum ab Ordinario iuxta diſpoſitionem *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* Quod non exprimi opus eſſe, quòd Sacerdos vt ſit idoneus, & eligibilis, ſit approbatus abſolutè abſque vlla limitatione; ſed tantùm exigit, quòd ſit approbatus ab Ordinario: ergò quamuis eiuſmodi Sacerdos ſit approbatus limitatè ad paruum oppidum, aut ad certum genus perſonarum erit vbique eligibilis vigore Iubilæi concedentis facultatem eligendi ſibi Confeſſarium ab Ordinario approbatum.

2 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam arbitror eſſe veriorem, quam docent *Trullench. in Bull. Cruciata lib. 1. §. 7. dub. 2. Ludouic. della Cruz in eandem Bull. diſp. 1. c. 2. dub. 9. Diana loco citato, & p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 48.* Et alij docentes negatiuam ſententiam eſſe probabiliorem: quæ quidem maximè locum ſibi vendicat, vbi Sacerdos ex defectu ſcientiæ fuit limitatè approbatus, vt ſupra in ſuo oppido, vel ad certum genus perſonarum: ſiquidem ab illis tantum perſonis eſt eligibilis, & non ab alijs. Rationem autem hanc eſſe volunt: quia non poteſt quis in Confeſſarium vbique eligi; niſi ſit ab Ordinario ſimpliciter approbatus: at qui ad vnum tantùm oppidũ, aut ad certum genus perſonarum approbatur ex defectu ſcientiæ non dicitur ſimpliciter approbatus; ſed potius reprobatus ad omnem alium locum, & ad omnes alias perſonas; ergò, &c.

3 Confirmatur hæc ſententia ex eo, quòd approbatio non plus valet, quàm pro illo, pro quo data eſt: ergò approbatus ad vnum tantũ locum, & ad vnum dumtaxat genus perſonarum ex defectu ſcientiæ non poteſt in Confeſſorem eligi; niſi ab illis perſonis, pro quibus data eſt illi talis approbatio. Dixi ex defectu ſcientiæ, quia ſi citra omnem cauſam, ſed ex ſola voluntate Ordinarij talis Sacerdos eſſet limitatè approbatus, tunc fortè prior ſententia eſſet probabilis: quia irrationabiliter fuiſſet limitatè approbatus. Etenim probabiliter quamplurimi Doctores docent nempè *Nauar. in Man. c. 27. nu. 264. Rodriq. tom. 1. qq. Regular. q. 59. art. 2. & 10.* & alij apud *Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 6. c. 11. nu. 4.* Quòd ſi

4 Epiſcopus Regulares Mendicantes à Prælatis ſuis præſentatos, & manifeſtè idoneos ſine cauſa reijciat, poſſe eos nihilominus ad confeſſiones audiendas, etiam ſæcularium exponi, vt habetur in *clem. dudum, §. ſtatuimus, de ſepult.* licèt contrarium teneant *Suar.* & alij relati ab eodem *Laym. loco citato*. Quòd ſi hæc ſententia probabilis eſt, & nulla adeſt Ordinarij approbatio; multo magis probabilis eſſet de Sacerdote idoneo, iniuſtè ab Ordinario approbato limitatè ad certum oppidum, aut ad certum genus perſonarum; qui in rigore talis Sacerdos dicitur ab

5 Ordinario approbatus. Et in omnem euentum cùm prior ſententia ſit probabilis, licet à parte rei ſit falſa, ſi quis ea vtatur nihilominus remanebit à reſeruatis abſolutus, & potiretur alijs fauoribus, qui cum Iubilæo conceduntur; eſto quòd remiſſionẽ pœnæ temporalis nõ aſſequatur, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 50. cum alijs ſeq.* Verum ſi modò illa ſententia eſt omninò damnata ab Alex. VII. P. M. ergò & iſta.

An detur caſus, in quo per Iubilæum ſit eligibilis Sacerdos non approbatus ab Epiſcopo; ſed à Parocho.

SEC. LIX.

SVMMARIVM.

1 *Parochus licentiam concedere poteſt ſuis ſubditis confitendi Sacerdoti approbato ab Epiſcopo alterius Diœceſis, dummodo expreſſè non fuerit ſibi prohibitum à ſuo Ordinario.*

2 *Satis probabile eſt, poſſe Parochũ in nonnullis caſibus ſimplicem Sacerdotem approbare ad confeſſiones audiendas.*

3 *Oppoſita ſententia videtur probabilior, & probatur ex Tridentino.*

4 *Oppoſita ſententia, nec fundatur in ratihabitione Ordinarij, nec in præſumpta eius voluntate, nec valet abſolutio, ſi Sacerdos abſoluat ſub ſpe futuræ ratihabitionis.*

5 *Sacer-*

5 *Sacerdos huiuſmodi non approbatus, ſcilicet ab Ordinario, ſed à Parocho, ſi vi Iubilæi eligatur in Confeſſarium, licet eligens non aſſequatur Iubilæum, remanet tamen abſolutus à reſeruatis, gaudebitque alijs fauoribus cum Iubilæo conceſſis.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac dicenda erunt eſt adnot. quòd poteſt Parochus ſuis ſubditis licentiam concedere confitendi Sacerdoti approbato ab Epiſcopo alterius Diœceſis; dummodò expreſsè non fuerit ipſi prohibitum ab eiuſdem Ordinario, vt in multis locis prohibitum extat, vt habetur ex *Trulleneb. in Bull. Cruciatæ, lib. 1. §. 7. dub. 1. nu. 15. Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 47. verſ. Notandum eſt*, & ex alijs: ſiquidem facultas hæc Parochis à iure conceſſa illeſa manet, nec à Concil. Trid. fuit reſtricta, vt declarant ſupra relati Doctores. His igitur ſic ſtãtibus, quæritur modo, an aliquo caſu per Iubilæum ſit eligibilis Sacerdos nõ approbatus ab Epiſcopo, ſed à Parocho dumtaxat.

2 Affirmatiuam ſententiam probabiliter docet *Ludou. della Cruz in Bull. Cruc. diſp. 1. c. 2. dub.* 10. Dicens ſatis probabile eſſe, Parochum poſſe in nonnullis caſibus ſimplicem Sacerdotem approbare ad audiendas confeſſiones. Vt ſi Parochus ipſe nimium ſit fatigatus in hebdamada ſancta, vel tempore Iubilæi, quibus diebus omnes ferè fideles eorum peccata confitentur Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipientes ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiæ de confeſſione annua; aut ad aſſequendum Iubilæum: tunc enim poſſet approbare Sacerdotem doctum ſi non ſit facilis recurſus ad Epiſcopum Ordinarium longè diſtantem, & id fortè ex præſumpta voluntate, ac ratihabitione ipſius Ordinarij. Cum hac ſententia videtur etiam pertranſire *Diana loco citato*: pro qua refert duos Doctores æſtimatos duo lumina inclitæ Salmaticenſis Academiæ, nempè *Mancius, & Gallus citati quoque ab Henriq. lib 6. ſuæ ſum. c. 6. n. 1. in addit. lit. F.*

3 His tamen non obſtantibus, oppoſita ſententia nobis videtur probabilior: imò vera. Probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* Vbi omnes Sacerdotes prohibentur ſæcularium cõfeſſiones audire, niſi approbati ſint ab Ordinario, vel parochiale beneficium habeant, his verbis, *Decernit ſancta Synodas, nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, niſi aut parochiale beneficium, aut ab Epiſcopis per examen, ſi illis videbitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem (quæ gratis detur) obtineat.* Nota dictionem illam *Nullum*, Quoniam omnes excludit, vt habetur ex *Rebuffo in l. labeo in fine, ff. de verb. ſignif. & Ruin. conſ. 30. nu. 3. lib. 3.* Et eo magis quia dictio ipſa ponitur ante dictionem, *poſſe*, quoniam negatiua poſita ante verbum poteſt abnegat actum, & potentiam, vt per *Gloſ. in c. 1. in ver. Non poteſt, de regul. iur. in 6.* imò reddit actum in contrarium nullius momenti, vt per *Bald. in l. 1. nu. 46. C. qui adm.* & nos latè oſtendimus in noſtris *Comment. in extrauag. Pij V. de cenſib. 6. 1. q. 27. nu. 12.* Vndè meritò *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 4. nu. 3.* Probat Parochi approbationem alicuius Sacerdotis nõ eſſe ſufficientem, quamuis electus ſit ſanctæ vitæ; ac eminentis ſcientiæ.

4 Confirmatur hæc ſententia ratione: nam oppoſita ſententia fundatur in ratihabitione Ordinarij; aut in eiuſdem præſumpta voluntate. Non poteſt dici primum: ſiquidem vt rectè docent *Nauar. in Man. c. 9. nu. 6. Tolet. lib. 3. ſuæ ſum. c. 10.* & alij, quos refert, & ſequitur *Laym. lib. 5. tract. 6. c. 10. nu. 16.* Sacramentum pœnitentiæ cum inualidè conferatur ab eo, qui iuriſdictionem actualem non habet, Sacerdos abſoluens ſpe futuræ ratihabitionis caret iuriſdictione, atque ideò nulla eſt abſolutio: nec ratihabitio ſubſequens efficere poteſt, vt abſolutio antea data conualeſcat; quia valor Sacramentorum pendere non poteſt à futuro euentu contingente. Nec poteſt dici ſecundum; quoniam eadem ratione idem dicendum eſt de præſumpto conſenſu Ordinarij de præſenti; quoniam licèt præſumptio ſit rationabilis; nihilominus confert ad valorem Sacramenti; ſi re ipſa conſenſus ſigno aliquo externo non manifeſtetur, vt declarat *Laym.* poſt alios, contraria ſoluens. Non igitur aliquo caſu per Iubilæum Sacerdos aliquis eſt eligibilis non approbatus ab Epiſcopo, ſed à Parocho dumtaxat expoſitus. Eſt tamen verum,

5 quòd ſi eiuſmodi Sacerdos non approbatus ab Ordinario, ſed à Parocho, vt ſupra, ſi vi Iubilæi eligatur, cum oppoſita ſententia foueatur à Doctoribus magni ponderis, & proinde probabilis ſit, licèt ſit falſa à parte rei, ſi quis ea vtatur, quamuis iubilæum non conſequatur quoad remiſſionem pœnæ temporalis; remanebit tamen abſolutus à reſeruatis, & gaudebit alijs fauoribus cum Iubilæo conceſſis iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 50. cum plur. ſeq.* verum ſi modo damnatum eſt ab Alex. VII. P. M. poſſe Parochum pro ſe, ergò, & pro alijs.

An Religioſi tempore Iubilæi poſſint ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Epiſcopo, ſed à Prælato tantùm Regularium.

SEC. LX.

SVMMARIVM.

1 *Regulares, qui aſſequi volunt Iubilæum eligere debent Confeſſarium ex approbatis ab Ordinario loci, & non à Superiore dumtaxat.*

2 *Probabilis non modo, ſed etiam tuta eſt ſententia, quod poſſint eligere Confeſſarium approbatum tantum à Prælato regularium, idq; procedit etiam quoad Nouitios, & etiamſi in bulla Iubilæi adſit clauſula derogatoria priuilegiorum.*

3 *Probabilior tamen eſt, & magis tuta ſententia vtramq; ſententiam conciliat, & quomodo.*

1 IN hac re tres extant opiniones. Nam prima eſt negans, quam docent *Henriq. lib. 6. ſuæ ſum. c. 6. nu. 4. in addit. litt. K. & lib. 7. c. 22. 5. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. nu.* 12. Et alij dicentes, quòd Regulares, qui Iubilæum conſequi volunt non poſſunt eligere Confeſſarium ab ipſorum Superiore dumtaxat approbatum, ſed debent eligere vnum ex approbatis ab Ordinario loci. Mouentur ex eo quòd Rom. Pontifex exigens approbationem ab Ordinario, ſic ſtatuit conſiderans, Confeſſarios ſtrictiori calculo examinari, ac approbari conſueuiſſe ab Ordinarijs locorũ, quàm à Superio-

ribus Regularium; atque ideò de eorum ſufficientia confidens, eius munus, in quo vices Pontificiæ ſubeundæ ſunt, illis potiſſimum demandari voluit. Hanc eandem ſententiam ſequuntur, vbi Bulla Iubilæi expreſsè expoſtulat approbationem Ordinarij loci, *Suar. de pænit. diſp. 28. ſec. 6. nu. 11. Fauſt. de iubil. lib. 4. q. 88. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 10. num. 275. Pollac. de iubil. ſec. 42. nu. 63. & Lenzan. in qq. Regular. c. 19. nu. 19.* & probabilem ipſam ait eſſe *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 37.*

2 Secunda ſententia eſt affimans, quam tenent quam plurimi Doctor. quos refert, & ſequitur *P. Alph. de Leone de iubil. p. 2. nu. 212.* & eandem non minus probabilem putat eſſe *Diana loco citato*: imò non modo probabilem, ſed etiã tutam inquit eſſe *Boſſ. de iubil. ſec. 3. caſu 3. nu. 10.* & ipſam procedere etiam quoad Nouitios arbitratur *Ioannes della Cruz de ſtatu Relig. lib. 1. c. 6. concl. 2. in fine.* Atque ideò volunt, Religioſos tempore Iubilæi poſſe ſibi eligere Confeſſarium non approbatum ab Epiſcopo, ſed à Prælato tantum Regularium. Mouentur ex eo, quod quando Bulla Iubilæi exigit, quòd Sacerdos in Confeſſarium eligendus ſit approbatus ab Ordinario, verba illa, *ab Ordinario.* Intelligenda ſunt ſecundum expoſitionẽ accomodam; ita vt nomine Ordinarij intelligatur Epiſcopus ſi agatur de approbatione Confeſſarij ad audiendas confeſſiones ſæcularium: ſi verò agatur de Confeſſario pro audiendis confeſſionibus Regularium, intelligatur Prælatus ipſorum. Imò *Boſſ. loco citato, caſu 4. nu. 17.* Adeò ſententiam hanc putat veram, vt quamuis in Bulla Iubilæi non contineatur clauſula derogatoria priuilegiorum; nihilominus poſſit Regularis eligere extra ſuum ordinem Confeſſarium approbatum vt ſupra; dummodò in Iubilæo adſit generalis facultas eligendi Confeſſarium ſpecificè comprehendens etiam Religioſos, quamuis contrarium nonnulli doceant, quos refert *Diana loco citato*: & addit, non poſſe Superiorem tempore Iubilæi prohibere ſuis ſubditis, ne confiteantur Sacerdotibus ſæcularibus, vel Regularibus alterius ordinis; atque ideò poſſunt extraneis confiteri citra Superiorum licentiam.

3 Tertia ſententia, quæ nobis videtur probabilior, & magis tuta, eſt *Filliuc. Pollac. & Lenz.* quos ſupra retulimus docentium, negatiuam opinionem locum ſibi vendicare, quando Bulla Iubilæi exigit approbationẽ ab Ordinario loci: ſiquidem hæc verba conueniunt Ordinarijs locorum; non autem Superioribus Regularium, vt habetur ex *Suar. loco citato, Fauſto, & P. Naldo* relatis à *Diana vbi ſupra.* Affirmatiuam verò ſententiam veram eſſe, quando bulla tantùm exigit approbationem ab Ordinario, & id per rationem relatam pro ſecunda opinione. Et quoniam omnes præfatas ſententias *Diana* teſtatur eſſe probabiles, ſi quis aliqua earum vtatur, quæ ex parte rei ſit falſa; proderit tamen ſi non ad lucrandam indulgentiam, ſaltem ad aſſequendos alios fauores iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 50. & ſeq.*

An vi Iubilæi ſit eligibilis in Confeſſariũ Prælatus Regularis non approbatus ab Ordinario loci.

SEC. LXI.

SVMMARIVM.

1 *Per Prælatos Regulares intelliguntur omnes Religionum Superiores.*

2 *Opinio affirmatiua ſaltem ſpeculatiuè putatur probabilis, & qua ratione.*

3 *Prælati Regulares curam habent animarum, & præficiuntur non ſolum quoad temporalia, ſed etiam quoad ſpiritualia.*

4 *Quare Concilium Trid. admittat tanquam idoneos, & ſufficienter approbatos illos, qui parochiale beneficium obtinent, & nu. 7.*

5 *Oppoſita ſententia videtur probabilior, tutior, & in praxi magis amplexanda.*

6 *Quare Concil. Parochum eximat ab Epiſcopi approbatione.*

7 *Parochi nõ promouentur, niſi præuio examine.*

8 *Eo ipſo, quod quis eligitur in Canonicum Pœnitentiarium, cenſetur ab Epiſcopo tacitè approbatus ad ſæcularium confeſſiones audiendas.*

9 *Quamuis hæc ſententia probabilior æſtimetur, & vera, contraria tamen eſt ſaltem probabilis, ideò qui ea vtitur, à reſeruatis remanet abſolutus.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt eſt adnot. quòd per Prælatos Regulares intelligimus omnes Superiores Religionum, quibus ex vi eorum munerum demandata eſt cura animarum, quales ſunt Generales, Prouinciales, Guardiani, Præpoſiti Monaſteriorum, & alij ſimiles: de his enim quærimus an ſint eligibiles in Confeſſarios vi Iubilæi, ad audiendas confeſſiones non ſolùm Regularium, ſed etiam Sæcularium, licèt approbati non ſint à ſi Ordinario loci.

2 In hac difficultate affirmatiuam opinionem ſpeculatiuè putat probabilem *Ludouic. della Cruz in Bull. Cruc. diſp. 1. c. 1. dub. 11. nu. 8.* Et eandem probabiliter quoque docet non ſolùm ſpeculatiuè, ſed etiam practicè, *Boſſ. de iubil. ſec. 3. caſu 2. §. 2 nu. 52. in fine, Henriq. lib. 6. ſua ſum. c. 6. nu. 2. in addit. litt. E. & F. Valer. in differ. vtr. fori, verſ. Nullitas, differ. 5. num. 5. Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12.* qui pro eadem citat *Bann. Medin.* & duo alia lumina inclitæ Acedemiæ Salmaticenſis, nempè *Mantium, & Gallum*, docentes per Iubilæum eligibilem eſſe in Confeſſarium Prælatum Regularem non approbatum ab Ordinario loci. Mouentur ex *Cõc. Trid. ſeſſ. 23. c. 15.* quod eximit ab approbatione Ordinarij loci habentes parochiale beneficium, vt patet ex illis verbis, *Nullum etiam Regularem poſſe confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneũ reputari; niſi aut parochiale beneficium, &c.* Sed Prælati Regulares dicuntur habere parochiale beneficium Regulare: ergò non indigent approbatione Ordinarij loci pro audiendis confeſſionibus ſæcularium: atque ideò etiam ſi approbati non ſint ab Ordinario loci, ſunt per Iubileum eligibiles in Confeſſarios. Minor patet, quia Prælati

3 Regulares curam habent animarum eorum ſubditorum, cùm præficiantur non ſolùm quoad temporalia, ſed etiam ſpiritualia: & nomine habentis beneficium parochiale, ſeù curatum comprehenduntur omnes, quibus ratione dignitatis, vel proprij muneris demandata eſt cura anima-

animarum, quales ſunt Religionum Generales, Prouinciales, & alij, quos ſupra retulimas, & eiſdem ſimiles. Vndè ſicut Parochi per Concil. Trid. ſunt ſufficienter idonei, vt poſſint vi Iubilæi, aut alterius priuilegij eligi in Confeſſarios, ita quoque ſupradicti Prælati Regulares, quamuis ab Ordinario non ſint approbati ad audiendas ſæcularium confeſſiones. Confirmant
4 hanc eorum ſententiam, quoniam non alia ratione Conciliũ Trid. admittit tanquam idoneos, & ſufficienter approbatos illos, qui parochiale beneficium obtinent; niſi quia ipſis eſt commiſſa animarum cura, ſiuè cura fuerit commiſſa ab Epiſcopo, ſiuè à quolibet alio valente curatum beneficium conferre: ſiquidem eo ipſo, quòd alicui animarum cura committitur idoneus declaratur ad confeſſiones audiendas: ergò ſicut Parochi, quibus demandata eſt cura animarum ſunt eligibiles vt ſupra per Iubilæũ, nec indigent alia approbatione ab Ordinario loci; ita, ac multo magis id dicendum eſt de Prælatis Regularibus, cum eiuſmodi Prælatis ex vi eorum muneris ſit demandata animarum cura cum ampliori iuriſdictione; & vt plurimum ſint doctiores, & magis idonei ad audiendas confeſſiones, quam Parochi ſæculares habentes curata beneficia. Denique Canonicus Pœnitentiarius citra ſpecialem Epiſcopi approbationem eſt eligibilis per Iubilæum: etenim eo ipſo quod eligitur in Canonicum Pœnitentiarium ipſo iure approbatur ad audiendas confeſſiones: ſiquidem ad eiuſmodi officium ſpecialiter promouetur: ergò quemadmodum is ſine citra ſpecialem Ordinarij approbationem eſt eligibilis per Iubilæũ vt ſupra; ita Regularis Prælatus; & multo magis nam non eſt propriè Parochus; ſicut Regularis Prælatus. Nec dici poteſt, Pœnitentiarium eo caſu ſuſcipere approbationem ab Epiſcopo eo ipſo, quòd in Pœnitentiarium eum eligit; quoniam Pęnitentiarius multoties, maximè in Eccleſijs Cathedralibus, non eligitur ab Epiſcopo; ſed à Capitulo contra Epiſcopi voluntatem.

5 Secunda ſententia, ac oppoſita, quæ nobis videtur probabilior, tutior, & in praxi magis attendenda, eſt *Suar. de pœnit. diſp. 28. ſec. 8. num. 2. Tambur. de iure Abbat. tom. 2. diſp. 6. q. 17. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 2. lib. 7. c. 2. nu. 39. Rodriq. in Bull. Cruciata, §. 9. nu. 4.* Et aliorum, negantium per Iubilæum eſſe eligibilem in Confeſſarium Prælatum Regularium non approbatum ab Ordinario loci. Probatur hæc ſententia ex eo, quòd Conc. Trid. loquitur de ſæcularibus, qui præuio examine parochiale beneficium obtinent, ac mediante concurſu ſeruata forma eiuſdem *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c. 18.* non autem de Religioſis: imò de ijs omnibus loquens *d. ſeſſ. 23. c. 15.* Expreſsè decernit, Religioſos ipſos debere eſſe ab Epiſcopo approbatos, vt poſſint confeſſiones ſæcularium etiam Sacerdotum audire, vt conſtat ex *d. c. 15.* in illis verbis, *Nullum etiam Regularem poſſe confeſſio-*
6 *nes ſæcularium, &c.* Confirmatur; quia non alia ratione Conc. Trid. voluit eximere Parochum ab approbatione Epiſcopi loci pro audiendis ſæcularium confeſſionibus, niſi quia Parochus, præuio examine, ac mediante concurſu, ad parochiale beneficium admittitur; atque ideò tacitè cenſetur approbatus ad cõfeſſiones audiendas: & propterea alia approbatione opus non habet, vt rectè inquit *Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 6. c. 11. ſub nu. 1. in fine*: At Regularis quando eligitur, ſeù promouetur in Prælatum, non promouetur præuio examine, & mediante concurſu atque ideò non cenſetur tacitè approbatus ad audiendas ſæcularium confeſſiones: non mirum igitur ſi indigeat ſpeciali approbatione ab Ordinario loci; non autem Parochus, vt eligibilis ſit per Iubilæum in Confeſſarium ad audiendas ſæcularium confeſſiones. Denique ſi prior ſententia eſſet vera ſequeretur, Prælatos Regularium poſſe citra vllam approbationem audire confeſſiones ſæcularium etiam extra tempus Iubilæi, ſicut poteſt Parochus: quod eſt omninò falſum, & contra *Conc. Trid. d. c. 15.*

Reſtat modò, vt contraria diluamus.

AD primum patet reſponſio ex dictis.
7 Ad confirmationem reſpondetur, quòd idcircò Conc. Trid. admittit Parochos tanquam ſufficienter approbatos ad ſæculariũ cõfeſſiones audiendas; quoniam Parochi non promouentur, niſi præuio examine, ac concurſu; atque ideò non indigent alia approbatione: at Prælati Regulares non præficiuntur præuio examine, ac concurſu: non ergò eſt mirum ſi indigeant approbatione ab Ordinario loci pro audiendis confeſſionibus, & vt eligi poſſint in Confeſſarios vi Iubilæi, aut alterius priuilegij: ſiquidem nec tacitè, nec expreſsè cenſentur vt ſupra approbati.

8 Ad vltimum dicitur, quòd eo ipſo, quòd quis eligitur in Canonicum Pęnitentiarium, cenſetur ab Epiſcopo tacitè approbatus ad ſæcularium confeſſiones audiendas: & propterea alia non indiget approbatione: at eo ipſo, quod Regularis promouetur in Prælatum non item; ſed ad ſummum cẽſetur approbatus ad audiendas ipſius ſubditorum tantum confeſſiones; cui ſubditi non tenentur confiteri, cùm in vnaquaque Regularium domo vigore Decreti Clem. VIII. debeant conſtitui Confeſſarij, qui ſubditorum confeſſiones audiant: nec Prælatus poteſt ſibi reſeruare alios caſus, niſi in ipſo Decretò enumeratos.

9 Cæterum quamuis hæc ſententia nobis videatur probabilior, & vera: eò maximè, quia contrariam nunquam vidi practicari, nec ab aliquo Epiſcopo admitti: propter quod procul dubio præſumitur non ſubſiſtere, cùm conſuetudo ſit optima legum interpres, ita vt quando lex eſt dubia recurrendum ſit ad conſuetudinem loci: & ſi de ea appareat, non ſit recedendum ab illo intellectu, quem conſuetudo tribuit, vt habetur ex *Panor. in c. cum dilectus, num. 7. de conſuet.* nihilominus, quia ipſa ſententia habet pro ſe Doctores nonnullos magni ponderis, idcircò æſtimatur ſaltem probabilis, Vndè ſi quis ea vtatur, licet à parte rei ſit falſa; erit tamen abſolutus à reſeruatis iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 50. cum plur. ſeq.*

An Religioſus ab Epiſcopo approbatus ſit eligibilis vi Iubilæi; etiam ſi à ſuo Prælato per ſententiam priuatus ſit, ne confeſſiones ſæcularium audiat.

SEC. LXII.

SVM-

Digitized by Google

S V M M A R I V M.

1 *Aſſertur opinio negatiua, eaque probatur ex Conſt. Iulij III. & Gregor. XIII.*

2 *Verior eſt contraria ſententia, quod poſſit Religioſus, ab Epiſcopo approbatus, in Confeſſariũ eligi vi Iubilæi, quamuis priuatus ſit à Prælato ſua facultate audiendi ſæcularium cõfeſſiones.*

3 *Conſenſus Prælati non eſt neceſſarius, vt confeſſio fiat validè, ſed ſolum licitè.*

4 *Quid decernat prædicta Conſtitutio Iulij III. & Gregorij XIII.*

5 *Omnia viuæ vocis Oracula reuocata fuerunt per Bullam Vrbani Papæ VIII.*

1 IN hac re nagatinam ſententiam docent *Rodr.*
in Bull. Cruc. §. 9. nu. 7. & 8. tom. 1. qq. Regul.
q. 60. art. 2. & Ioan. della Cruz de ſtatu Relig.
lib. 2. c. 6. dub. 2. & alij. Mouentur ex Conſtit.
Iulij III. ſub die 17. Ianuar. 1555. & Gregor.
XIII. ſub die 3. Maij. 1575. ab eodem *Rodriq.*
citatis, & ex declaratione eiuſdem Greg. XIII.
cuius meminit *Henriq. lib. 5. ſuæ ſum. de pœnit.*
c. 6. nu. 6. & ex P. Claudio Aquauiua Societatis
Ieſu Generali in compen. priuil. ver. gratia, §. 2.
2 His tamen non obſtantibus contrariam ſen-
tentiam puto veram, atque ideò poſſe Religio-
ſum ab Epiſcopo approbatum poſſe eligi in Con-
feſſarium vi Iubilæi, aut alterius priuilegij; etiã
ſi à ſuo Prælato per ſententiam fuerit priuatus,
ne confeſſiones ſæcularium audiat. Hanc opi-
nionẽ tenent citatus in *Bull. Cruc. lib. 1. §. 7. dub.*
5. num. 15. & Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12.
reſol. 49. Qui probabile etiam dicunt huiuſmodi
Religioſum citra omnem Bullam Iubilæi, aut
alterius priuilegij, validè poſſe ſæcularium con-
feſſiones audire virtute approbationis, & iuriſ-
dictionis ab Ordinario conceſſæ, licèt legitimè
non fuerit Ordinario præſentatus, & per ſuum
Superiorem per ſententiam prohibitus. Ducun-
3 tur primò; quia iuriſdictio non manat à Prælato;
ſed ab Epiſcopo: ſiquidem conſenſus Prælati non
eſt neceſſarius, vt confeſſio validè; ſed ſolùm vt
licitè fiat; atque ideò talis Religioſus peccaret
audiendo confeſſiones, non tamen confeſſiones
eſſent inualidæ; pœnitentes maximè bona fide
illi confitentes, ac ignorantes eundem eſſe priua-
tum, vt ſupra. Secundò eorum ſententiam con-
firmant ex eo, quòd cùm talis Sacerdos appro-
bationem obtinuerit ab Ordinario ſeruata forma
Conc. Trid. ſeſſ. 23. de reform. c. 15. Non poſſunt
Regulares Prælati contra eiuſmodi approbatio-
nem poteſtatem aliquam habere, niſi eis conce-
datur à iure, vel ex priuilegio: at non habent à
iure; nec ex priuilegio; ergò, &c. Maior patet;
quia Prælati Regulares non ſunt ſupra Concil.
Trid. Minor probatur, quia ſi talem poteſtatem
haberent, id eſſet ex conſtitutionibus Iulij III.
4 & Gregor. XIII. ſupra relatis; ſed per dictas
conſtitutiones eam non habent; ſiquidem illæ
ſolum decernunt, ne iuriſdictio; quam Prælati
Regulares habent, & poſſunt conferre in ſuos
ſubditos, in eos deriuetur citra ipſorum Præla-
torum licentiam; non tamen eiſdem dant pote-
ſtatem; vt poſſint ſubditos approbatos ab Ordi-
nario reprobare, & iuriſdictionem, quam in ſæ-
culares habent auferre. Et licèt *Henriq. loco*
citato, teſtetur id fuiſſe declaratum in fauorem
Societatis Ieſu viuæ vocis oraculo per Gregor.
XIII. quod etiam refert *P. Claud. ſupra relatus*;
attamen de tali declaratione non conſtat: & ſi
5 conſtaret, non eſt habenda eiuſdem ratio: quo-
niam omnia viuæ vocis oraculo per Bull. SS.
Vrbani VIII. fuerunt ſublata.

An Moniales tempore Iubilæi poſſint ſibi eligere ab Ordinario approbatos, etiam ſi in ſpecie non ſint ad earundem confeſſiones ab Ordinario deputati.

S E C. LXIII.

S V M M A R I V M.

1 *Moniales tempore Iubilæi eligere ſibi poſſunt Confeſſarium, à ſolo Prælato Regulari approbatum, ſiuè ſubiectæ ſint Epiſcopis, ſiuè Regularibus, & nu. 7.*

2 *Referuntur verba Bullæ Vrbani Papæ Octaui.*

3 *Probabilius eſt, ſanctimonialium confeſſiones, nec tempore quidem ampliſſimi Iubilæi nullũ Confeſſarium, etiam Regularem audire poſſe abſque Ordinarij loci licentia.*

4 *Sacra Congregatio reſpondit Regulares generaliter approbatos ad confeſſiones ſæcularium non eſſe approbatos ad confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione.*

5 *Conſuetudo eſt optima legum interpres, & in caſu dubio ad eam eſt recurrendum.*

6 *Moniales tempore Iubilæi eligere non poſſunt ſibi Confeſſarium prohibitum ab Ordinario.*

7 *Moniales tempore Iubilæi generalem omnibus facultatem concedentis, eligere ſibi non poſſunt Confeſſarium approbatum tantum à Prælato regulari, vel etiam ab Epiſcopo, ſed non ſpecialiter ad audiendum Monialiũ cõfeſſionem.*

8 *Regularis, approbatus pro vno Monialium Monaſterio, non poteſt audire Monialium alterius Monaſterij. Nec Confeſſores extraordinarij ſemel deputati ex vi illius approbationis poſſunt pluries earum cõfeſſiones audire.*

9 *Confeſſarij ſæculares ſubijciuntur quoque declarationibus Sacræ Congregationis licet loquantur de regularibus.*

10 *Conſtitutio Vrbani Octaui non eſt contraria Conſtitutioni Gregorij XV. ita vt iſta per illam cenſeatur reuocata.*

Et an, & quando lex generaliter loquens generaliter debeat intelligi.

1 IN hac difficultate partem affirmatiuam do-
cent *Boſſ. de tripl. iubil. ſec. 3. caſu 5. nu. 2.*
Peyrin. in priuil. Minor. tom. 3. c. 4. ſuper conſt.
Leon. X. nu. 4. ac Diana p. 5. reſol. moral. tract.
12. reſol. 12. Dicentes, Moniales tempore Iubilæi
generalem facultatem concedentis omnibus
vtriuſque ſexus Chriſtianis, etiam Regularibus
eligendi Confeſſarium ab Ordinario approba-
tum, eligere ſibi poſſe Confeſſarium à ſolo Præ-
lato Regulari approbatum, ſi electus ſit Regu-
laris, vel ab Epiſcopo ſi ſit ſæcularis: & id ſiue
Moniales ſint ſubiectæ Epiſcopis, ſiuè Prælatis
Regularibus: nec opus eſt, vt Moniales Regu-
laribus ſubiectæ Confeſſarium eligant ex ſua
Religione, ſed poſſunt eligere Confeſſarium ex
quacunque alia. Imò *Peyrin. & Diana* putant,
hunc punctum hodie non habere difficultatem,
cùm extet Bulla S. D. N. D. Vrbani VIII. 16.

quæ

quæ incipit Pontificia ſolicitudo, §. 5. ita ſe habente, *Eiſdemq; S. Monialibus, & Chriſti fidelibus impeditis huiuſmodi, vt ad effectum præ-*
2 *ſentium Confeſſarios presbyteros, ac ſæculares, vel cuiuſuis Ordinis regulares ab eiſdem Ordinarijs locorum ad id probatos, qui confeſſionibus eorum diligenter auditis, eos, & eorum quemlibet à quibuſuis peccatis, criminibus, & delictis quantumcunque grauibus, & enormibus, etiam Apoſtolicæ Sedi reſeruatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini contentis, iniuncta eis pœnitentia ſalutari, abſoluere poſſint, eligere valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & indulgemus*. Etenim Bulla ipſa generaliter loquitur de Confeſſarijs ab Ordinarijs locorum approbatis nec diſtinguit de approbatis ſimpliciter, & de approbatis ſpecialiter ad audiendas confeſſiones Monialium; ergò generaliter eſt intelligenda de Confeſſarijs, ſiuè approbati fuerint ab Ordinarijs locorum ſimpliciter, ac generaliter ad audiendas confeſſiones fidelium; ſiuè ſpecialiter pro audiendis confeſſionibus Monialium; quia lex generaliter loquens, generaliter eſt intelligenda: & quando non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus, *l. 1. §. generaliter. ff. de legat. præſtan. l. de pretio, ff. de publ. in rem act.* Et ideo magis dicendum eſt; quoniam agitur de Iubilæo, continente indulgentiam ampliſſimam, ac fauorabilem; atque ideò non ſolùm amplè, ſed ampliſſimè debet interpetrari iuxta ea, quæ ſupra cumulauimus, *ſec. 2.* Hanc eandem ſententiam docet *Bonac. de ſacram. diſp. 5. q. 7. pun. 4. §. 1. nu. 22. in fine.*

3 His tamen non obſtantibus, contrariã ſententiã arbitror probabiliorẽ eſſe, quam docent *Suar. in Enchir. caſ. conſc. lib. 5. verſ. Indulgentia, §. tempore iubilæi, Molfeſ. tom. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 16. nu. 31. Alph. de Leone de iubil. p. 2. q. 9. num. 25. Fauſt. lib. 4. eiuſdem tract. q. 78. Pollach. in Bulla iubilæi S. D. N. D. Vrbani VIII.* quam ſupra retulimus, *ſec. 42. n. 8. & idem Diana p. 3. reſol. moral. tract. 4. reſol.* 154. Dicentes confeſſiones ſanctimonialium, nec tempore quidem ampliſſimi Iubilæi, nullum Confeſſarium, etiam Regularem audire poſſe, licèt quoad alios fideles ſit approbatus, ſine expreſſa, ac ſpeciali licentia Ordinarij loci. Probatur hæc ſententia ex conſtit. Greg. XV. quæ incipit, inſcrutabili Dei prouidentia ſub die 8. menſis Febr. 1622. in illis verbis, *Confeſſores verò, ſiuè Regulares, ſiuè ſeculares quomodocunq; exempti, tàm ordinarij, quam extraordinarij ad cõfeſſiones Monialium, etiam Regularibus ſubiectarum audiendas, nullatenus deputari valeant; niſi prius ab Epiſcopo Diœceſano idonei iudicentur, & approbationem quæ gratis concedatur, obtineant*. Quæ quidem conſtitutio licèt de ſpeciali approbatione Confeſſarij ad audiendas confeſſiones Monialium non meminerit; nihilominus dum fuerit dubitatum, an Regulares generaliter ab Epiſcopo approbati ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, cenſeantur etiam approbati ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum, fuit reſponſum per Sacram Congregationem Cardinalium Sacri Conc. Trid. interpetrum approbatum à SS. D. N. Vrbani VIII. his verbis, *Ad 9. Regulares generaliter ab Epiſcopo appro-*
4 *batos ad confeſſiones perſonarum ſæcularium audiendas, nequaquam cenſeri approbatos ad audiendas confeſſiones Monialium ſibi ſubiectarum; ſed egere quoad hoc ſpeciali Epiſcopi approbatione*. Rationem autem præfatæ conſtitutionis, & eius declarationis eam fuiſſe inquit *Molf. loco citato*, vt Ordinarij pro bono regimine ſancti Monialium, ſciant perſonas accedere volentes ad Monaſteria ipſarum Monialium, ne ſub prætextu audiendi earum confeſſiones: accederent ad vana colloquia facienda; non autem ad miniſtrandum eiſdem pœnitentiæ Sacramentum quæ quidem ratio militat non ſolùm in Confeſſarijs Ordinarijs, & extraordinarijs, ſæcularibus, ac regularibus; verum etiam in alijs, qui vi Iubilæi, aut alterius priuilegij volunt ſe conferre ad Monaſteria Monialium pro audiendis ipſarum confeſſionibus; atque ideò cùm militet eadem ratio, militat etiam eadem iuris diſpoſitio in omnibus Confeſſarijs ſupra relatis, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. & l. adigere, §. quamuis, ff. de iure patron.*

5 Confirmatur hæc ipſa concluſio ex communi conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres, & in caſu dubij ad eam eſt recurrendum, vt rectè probat *Panor. in c. cùm dilectus, nu. 7. de conſuet.* teſtatur enim idem *Molfeſ. vbi ſupra*, rationabiliter ſeruari pro bono regimine Monialium, quòd cùm virtute Iubilæi habent ipſæ Moniales facultatem eligendi ſibi Confeſſarium, tenentur deſignare Confeſſarium Ordinario ipſarum: atque ideò ſolent Abbatiſſæ congregare Moniales, & ab eis habere votum, quoſnam Confeſſarios gratos haberent: & propterea nominant tres, quatuor, vel plures, quorum nomina mittunt ad earum Ordinarium, vt ab eo omnes, vel vt ei libuerit, approbentur, & impertiatur eis licentia accedendi ad Monialium Monaſteria. Quibus adde, quæ ſupra adnotauimus *diſp. 8. ſec. 2. concl. 7. verſ. Cæterũ licèt hæc vera ſint, & ſec. 9. ampl. 9.* Vbi hæc eo magis vera oſtendimus, quando approbatio Ordinarij eſſet limitata: ſiquidem ſi Ordinarius Confeſſarium aliquem approbaret ad audiendas confeſſiones virorum duntaxat; non poterit talis Confeſſarius audire confeſſiones mulierum, & ſi audiat, ac abſoluat peccat mortaliter, & abſolutio nulla eſt ex defectu approbationis, vt habetur ex *Guttier. canon. qq. lib. 1. c. 27. nu. 18. & ſeq.* Idem dicendum eſt, vbi
6 Epiſcopus approbaſſet aliquos ad audiendas cõfeſſiones virorum, & mulierum, exceptis Monialibus: quoniam non poſſunt Moniales tempore Iubilæi eligere ſibi Confeſſarium vnum ex dictis prohibitis per Ordinarium audire illarum confeſſiones; quia nunquam S. P. cenſetur dare iuriſdictionem illi, qui habet impedimentum aliquod, vt habetur ex *Suar.* cum alijs, quos allegat *de pœnit. diſp 28. ſec. 7. nu. 3. & 19.* cum alijs, quos retulimus, *d. ſec. 9.* Ex dictis igitur
7 patet, Moniales tempore Iubilæi generalem facultatem concedentis omnibus vtriuſque ſexus Chriſtianis, etiam Regularibus eligendi ſibi Confeſſarium ab Ordinario approbatum, non poſſe eligere Confeſſarium tempore Iubilæi à ſolo Prælato Regulari approbatum; vel approbatum ab Ordinario citra ſpecialem approbationem ad audiendas Monialium confeſſiones.

8 Imò Regularis approbatus pro vno Monialium Monaſterio, non poteſt audire confeſſiones

Mo-

Digitized by Google

Monialium alterius Monaſterij. Et Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, & approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro vna vice audiendas non poſſe pluries in vim approbationis illarum confeſſiones audire, fuit quoque declaratum per eandem Sacram Congreg. cuius declarationes ſunt in Bullario nouiſſimè edito, inſertæ immediatè poſt d. Greg. XV. conſtitutionem, vt conſtat ex illis verbis, *Ad 10. Regularem ad audiendas confeſſiones Monialiũ vnius Monaſterij ab Epiſcopo approbatum minimè poſſe audire confeſſiones Monialium alterius Monaſterij. Ad 11. Confeſſores extraordinarios ſemel deputatos, atque approbatos ab Epiſcopo ad Monialium confeſſiones pro vna vice audiendas, haud poſſe pluries in vim approbationis eiuſmodi illarum confeſſiones audire, ſed ab Epiſcopo toties eſſe approbandos, quoties caſus deputationis contingerit.* Vbi eſt adnot. quod licèt declaratio illa, ſeù reſponſio S. Congr. ad 11. dubium, loquatur de Confeſſarijs generaliter; tamen intelligenda eſt de Confeſſarijs Regularibus; quoniam de his tantùm fuit dubium propoſitum, vt patet dubio 11. quod incipit, An Confeſſores Regulares, &c.

9 Eſt tamẽ verùm, quòd quãuis dictæ declarationes loquãtur de Confeſſarijs Regularibus tantũ, & de ſæcularibus in eis nõ fiat mentio; nõ tamen ob id ſæculares eiſdẽ declarationibus non ſubijciuntur: ſiquidẽ ſupra relata cõſtitutio *Greg. XV.* §. 5. loquitur tàm de Cõfeſſarijs ſæcularibus, quã Regularibus, vt patet ex illis verbis in principio conſtitutionis poſitis, *Confeſſores verò, ſiuè ſæculares, quomodocunq; exempti, &c.* Siquidem primò ſtatuit de Confeſſoribus indefinitè, ac generaliter, & deindè de ſæcularibus quomodocunque exemptis: atque ideò eſt intelligenda conſtitutio, tàm de Regularibus, quàm ſæcularibus, etiam exemptis; ſicut ſtatuit in *præced.* §. in illis verbis, *Statuimus, & declaramus, vt deinceps tàm Regulares, quàm ſæculares quomodolibet exempti, ſiuè animarum perſonarum ſæcularium Monaſterijs, ſeu domibus regularibus, aut quibuſuis alijs Eccleſijs, vel beneficijs, ſiuè regularibus, ſiuè ſæcularibus incumbentem exerceant, &c.* Loquuntur autem dictæ declarationes de Regularibus dumtaxat, quoniam de Regularibus tantùm fuit orta dubitatio, cùm ſint exempti: ſiquidem non fuit dubitatum de Confeſſarijs ſæcularibus nõ exemptis: quoniam hos citra omnem dubitationem comprehendit, ſicut comprehendere eam decreuit Regulares, & exemptos, de quibus fuit orta multiplex dubitatio.

Ad conraria reſpondetur.

10 AD cõſtitutionem S. D. N. D. Vrbani VIII. reſpondetur, quòd conſtitutio illa non eſt contraria præfatæ conſtitutioni Gregor. XV. ita vt iſta per illam cenſeatur reuocata iuxta *tex. in c. 1. de conſt. in 6.* Eſſet enim contraria, ſi expreſsè eximeret Confeſſarios eligendos per Moniales tempore Iubilæi à ſpeciali approbatione eorum quoad Moniales; ſed eſt tantum generalis; & propterea cùm in ea non fiat mentio de dicta conſtitutione Gregor. XV. non cenſetur eam reuocaſſe, quia prior lex non cenſetur reuocata per poſteriorem legem, niſi ſit de directo contraria, aut de ea fiat ſpecialis mentio, vt latè habetur per *Doctor. in d. 1. de conſtit.* Et Et quamuis lex generaliter loquens, generaliter debeat intelligi; id tamen eſt intelligendum, quando non reſtringitur per aliam legem, vel per aliquam rationem illi derogantem; vt oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ Domini, lib. 2. c. 9. q. 27. n. 7.* Modò dicta conſtitutio D. N. Vrbani reſtringitur per præfatam conſtitutionem Gregor. XV. eò maximè, quia ratio boni regiminis Monialium, circa ſpecialem approbationem vt ſupra, militat tàm extra, quàm intra tempus Iubilæi. Et denique indulgentiam demus rem eſſe fauorabilem; attamen fauor non debet adeò extendi, vt vergat in diſpendium animarum, aut periculo exponat earum ſalutem: ſiquidem animæ ſalus cunctis eſt præferenda, vt nos adnotauimus in *d. Comment. in Bull. Cœnæ, lib. 2. q. 36. nu. 16.*

An quando in Iubilæo conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris Papæ reſeruatis, poſſit Confeſſarius à caſibus Bullæ Cœnæ Domini abſoluere.

SEC. LXIV.

SVMMARIVM.

1 *Affirmatiua ſententia improbabilis non eſt, ob dictionem illam vniuerſalem (ab omnibus caſibus) tum quoque quod indulgentia Iubilæi eſt fauorabiliſſima, & lætitia omnium Chriſti fidelium.*

2 *Communis ſententia eſt in contrarium, nam ſub generali conceſſione, nõ comprehenduntur caſus Bullæ in Cœna Domini.*

3 *Dictio omnis licet ſit vniuerſalis, & nullum excludat, tamen in generali conceſſione haud veniunt ea, quæ quis eſſet veriſimiliter in ſpecie conceſſurus.*

4 *Indulgentia Iubilæi licet ſit omnium fauorabiliſſima, nõ tamen extendi poteſt vltra expreſſa.*

5 *Finis conceſſionis Iubilæi eſt, vt ab omnibus aſſequatur, ſed reſtringitur ad eos omnes qui abſolui poſſunt.*

Nec in moralibus accidens attenditur.

6 *Clauſula derogatoria, in Bulla Cœnæ contenta quod extendatur ad indulta vniuerſalia omnium fidelium eſt conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ.*

1 IN hac re *Boſſ. de iubil. ſec. 1. caſu 7. num. 2.* putat affirmatiuam ſententiam non eſſe improbabilem; atque ideò ſi per Iubilæum concedatur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris Papæ reſeruatis, poſſe Confeſſarium abſoluere à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis. Mouetur primò ex verbis illis, *Ab omnibus caſibus, &c.* Siquidem dictio illa *Omnibus*, eſt vniuerſalis, quæ nullum excludit, *arg. tex. in l. Iulianus, ff. de legat. 3. & c. ſi Romanorum, d. 19.* Secundò mouetur ex eo, quòd indulgentia Iubilæi non ſolùm eſt fauorabilis ſicut ſunt omnes indulgentiæ, vt oſtendimus ſupra *ſec. 2.* ſed fauorabiliſſima, cùm reſpiciat vniuerſale bonum animarum, & ſit lætitia omnium Chriſti fidelium; ergò eſt latiſſimè interpretanda, ita vt dum per Iubilæum conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris Papæ reſeruatis, poſſit impendi abſolutio

etiam

etiam à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ contentis. Denique ſuam ſententiam probat ex fine conceſſionis, qui eſt conſecutio plenariæ indulgentiæ ab omnibus Chriſti fidelibus: quam quidem aſſequi non poſſent omnes Chriſti fideles, ſi ad omnes caſus reſeruatos, etiam in Bulla Cœnæ contentos non ſe extenderet talis facultas. Vndè clauſula derogatoria in Bulla Cœnæ contenta non extenditur ad indulta vniuerſalia omnium fidelium, quale eſt Iubilæum omnibus Chriſti fidelibus conceſſum; ſed de priuilegijs, & indultis reſpicientibus, vel ſingulares perſonas, vel particulares vniuerſitates, vt ſunt Ordines Regularium, Monaſteria; Confraternitates, &c.

2 His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt communis ſententia, quam docent *Suar. de cenſur. diſp. 7. ſec. 5. n. 11. Alter. eod. tract. tom. 1. lib. 4. diſp. 4. c. 2. Sanch. tom. 1. ſua ſum. lib. 2. c. 12. nu. 13. Lauor. de iubil. p. 2. c. 8. nu. 24. Alph. de Leone eod. tract. p. 2. nu. 40. & 41.* Imò, & idem *Boſſ. loco citato*, eandem putat veriorem, cum alijs, quos allegat: & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 34. Graff. lib. 4. Decif. c. 12. num. 13.* & nos latè in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 2. q. 1. ſub nu. 13.* Dicentes, quòd conceſſa facultate abſoluendi à quibuſcunque caſibus, & cenſuris, Rom. Pontifici reſeruatis ſub tali cõceſſione non comprehenduntur caſus, & cenſuræ Bullæ Cœnæ; ſiuè huiuſmodi facultas conceſſa reperiatur alicui perſonæ in particulari; ſiuè alicui Religioni; ſiuè Epiſcopo, ſeù alijs Prælatis, etiam per Iubilæum. Etenim caſus, & cenſuræ huiuſmodi habent ſpecialem reſeruationem non ſolùm ex vi verborum Bullæ; ſed etiam ex vi Eccleſiæ conſuetudinis, quæ dicitur optima legum interpres, vt probat *Abb. in c. cùm dilectus, nu. 7. de conſuet.* Et id ob criminum grauitatem: & propterea talis facultas non comprehenditur ſub præfata conceſſione generali, vt in *c. 2. de offic. Vic. in 6.* Quibus adde, quæ infra dicemus *ſec. ſequenti.*

Ad contraria facilè reſpondetur.

3 Ad primum dicimus, quòd dictio *Omnis*, licèt ſit vniuerſalis, & nullum excludat; non tamen in generali conceſſione veniunt, quæ quis non eſſet veriſimiliter in ſpecie cõceſſurus. Vt in *d. c. 2. de offic. Vic. in 6.* Sic eſt facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cẽſuris Rom. Pontifici reſeruatis, vt non comprehendat cenſuras, & caſus Bullæ Cœnæ; ſiquidem ex communi Eccleſiæ conſuetudine, & per plures Pontificias conſtitutiones, de quibus *ſec. ſeq.* agemus, habent ſpecialem reſeruationem; atque ideò non comprehenduntur ſub vniuerſali, ſeù generali conceſſione.

4 Ad ſecundum reſpondetur, quòd licèt indulgentia Iubilæi ſit omnium fauorabiliſſima, non tamen poteſt extendi vltra expreſſam, aut præſumptam Rom. Pontificis intentionem, qui ſpeciali quodam modo ſibi reſeruauit abſolutionem à cenſuris, & caſibus in Bulla Cœnæ contentis non ſolùm expreſsè, vt *ſec. ſeq.* dicemus; ſed etiam præſumptiuè, ſtante ſupradicta Eccleſiæ conſuetudine.

5 Ad tertium dicitur, quod licet finis conceſſionis Iubilæi ſit, vt ab omnibus aſſequatur, reſtringitur tamen ad eos omnes, qui abſolui poſſunt etiam à reſeruatis omnibus quamuis contineantur in Bulla Cœnæ, ab ijs, qui facultatem habent abſoluendi à reſeruatis eiuſmodi: quòd ſi aliqui Iubilæum non aſſequantur, eo quod non poſſunt adire Roman. Pontificem pro abſolutione reſeruatorum in Bulla Cœnæ, id eſt per accidens, quod in moralibus non attenditur; atque ideò non ob id conceſſio fruſtratur ſuo fine.

6 Ad vltimum denique, dum dicitur, clauſulam derogatoriam in Bulla Cœnæ contentam non extendi ad indulta vniuerſalia omnium fidelium qualis eſt indulgentia Iubilæi dicimus, quòd eſt voluntariè dictum, cum in contrarium extet conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ, quæ ſemper ſuit interpreta, clauſulam derogatoriam extendi etiam ad indulta vniuerſalia omnium fidelium. Vndè his reiectis oppoſitam ſententiam putamus eſſe omninò improbabilem.

An ſi per Iubilæum concedatur in ſpecie facultas abſoluendi à caſibus, & cẽſuris in Bulla Cœnæ contentis, non autem in indiuiduo, poſſit quis vi talis facultatis abſolui à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis.

S E C. LXV.

S V M M A R I V M.

1 *Quatrupliciter datur facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ contentis.*
Et de qua facultate ſit noſtra quæſtio.

2 *Vt quis abſoluere poſſit à caſibus Bullæ Cœnæ ſufficit, quod in Iubilæo talis facultas detur abſque expreſſa derogatione ipſius Bullæ.*

3 *Authoris ſententia, atque ideò negatiua de iure arbitratur verior, & qua ratione.*

1 Ad tituli quæſtionis explicationẽ eſt adnot. quòd quatrupliciter contingit dari facultatem abſoluendi à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis: nempè in genere, in ſpecie, ac in indiuiduo, & in ſpecie, ac in indiuiduo ſimul, vt nos declarauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 1. nu. 11. cum plur. ſeq.* In genere ſolet concedi dicta facultas modo, in ſec. præcedenti explicato, vt cùm conceditur facultas abſoluendi ab omnibus, & quibuſcunque caſibus, & cenſuris Romano Pontifici reſeruatis. In ſpecie cùm cõceditur poteſtas abſoluendi in ſpecie ab omnibus caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ contentis. In indiuiduo, cùm datur facultas abſoluendi hæreticos excommunicatos in dicta Bulla propter hæreſim: vel abſoluendi excommunicatos ob delationem armorũ ad Chriſtiani nominis inimicos, qui caſus inter alios ſunt reſeruati in ipſa Bulla Cœnæ. In indiuiduo, & in ſpecie ſimul ſolet concedi dicta facultas, cùm vnus ex Bullæ caſibus exprimitur in indiuiduo, reliqui verò generaliter, ſeù in ſpecie, vt ſi concedatur facultas abſoluendi excommunicatos ob delationem armorum ad Saracenos, & à reliquis cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis. His breuiter ſic adnotatis hic non quærimus de facultate conceſſa generaliter; nam de hac egimus ſec. præcedenti, nec de facultate conceſſa in indiuiduo, aut in ſpecie, & in indiuiduo ſimul; nam de huiuſmodi facultatibus infra ſec. ſeq. dicemus; controuerſia noſtra tantùm igitur eſt de

facultate data in ſpecie abſoluendi à caſibus, & cenſuris ipſius Bullæ, an quis vi talis conceſſionis poſſit abſolui à dictis caſibus, & cenſuris

2 In hæc difficultate *Diana p. 5. reſolut. moral. tract. 12. reſol. 34. circa finem*, tenens partem affirmatiuam, ſic ait, *Notandum eſt tamen hic obiter contra Duard. in Bull. Cœna, lib. 3. §. 2. q. 1. nu. 13. 35. & 36. & Sigiſmundum à Bononia in tract. de elect. dub. 69. nu. 12. vt quis poſſit abſoluere à caſibus Bullæ Cœnæ, ſufficit, vt in Iubilæo dicatur, quòd conceditur facultas abſoluendi etiam à caſibus Bullæ Cœnæ, ſine expreſſa derogatione ipſius Bullæ, vel ſpecialis mentio dictorum caſuum in indiuiduo. Ita ex Soto, Graffio, Suar. & Alterio docet Boſſ. vbi ſupra nu. 9. quia per illa verba ſatis explicatur intentio Pontificis & ſpecialiter dicti caſus conceduntur, ergò.* Nota tamen antequam ad vlteriora progrediamur, illa verba, *Vel ſpecialis mentio dictorũ caſuum, &c.* Peccare in gramatica, ex defectu fortè impreſſorum: ſiquidem non explicant noſtram ſententiam, niſi loco dictorum verborum, *Vel ſpecialis mentio, &c.* Scribatur, *Vel ſpeciali mentione*, Vt conſideranti patet.

3 Sed quicquid ſit de hac re, cùm non gramaticæ, ſed iuris ſit noſtra quæſtio, pace tamen noſtri *P. Dianæ*, adhuc arbitror, noſtram ſententiam, atque ideò negatiuam de iure veriorem eſſe: & eò magis quoniam pro ea afferũtur quoq; mihi in ſocios, *Sigiſmundus a Bononia*, & alij etenim in *d. §. 2. Bullæ Cœnæ*, quæ clauſula incipit, *Cæterum à prædictis ſententijs, &c.* Reuocantur facultates in genere, & in ſpecie conceſſæ, & concedendæ circa abſolutionem caſuum, & cenſurarum eiuſdem Bullæ; vt conſtat ex illis verbis in fine dictæ clauſulæ contentis, *Aut alia quæcunque ſcriptura in genere, & in ſpecie conceſſorum, & innouatorum, ac concedendorum, & innouandorum*; Quo circà procul dubio non eſt ſatis, vt quis poſſit abſoluere à caſibus, & cenſuris Bullæ Cęnæ, vt in Iubilæo dicatur quòd conceditur facultas abſoluendi etiam à caſibus Bullæ Cœnæ; niſi expreſsè fiat derogatio ipſi Bullæ: vel ſpecialis mentio fiat dictorum caſuũ, & cenſurarum in indiuiduo: ſiquidem ſpeciatim cenſentur eiuſmodi priuilegia, & indulta conceſſa, cùm in ſpecie conceditur poteſtas abſoluendi à cenſuris in Bulla Cœnæ contentis, vt ex *Vgol.* oſtendimus in dictis noſtris *Comment. d. §. 2. q. 1. nu. 15.* Et quamuis *Boſſ.* adducat pro ſua *Sot. Suar. Graff. & Alter.* quicquid tamen ſit de eorum opinione: poteſt tamen eſſe, quòd dum ſcripſerunt, non dum fuerat addita derogatio illa, *In genere, & in ſpecie*, Ipſi Bullæ: & propterea in eorundem temporibus ipſorum ſententia potuit eſſe vera. Et ſi noſter *Diana* loquatur fortè, attentis principijs *Boſſij*, & non ſequatur *Boſſ.* ſicut in caſu propoſito ab eo in *d. reſolut. 34.* tunc dicam, ipſum *P. Dian.* non ſentire contra noſtram ſententiam: ſed culpam eſſe tribuendam ipſi *Boſſ.* qui fortè, aut non vidit, aut ſcienter ſcripſit contra dictam clauſulam Bullæ Cœnæ. His adde, quæ latius cumulauimus in dictis noſtris *Commentar. lib. 3. §. 2. q. 11. à nu. 43. vſque in fin.*

An ſi per Iubilæum cõcedatur facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris Bullæ Cęnæ in ſpecie, & in indiuiduo ſimul, poſſit quis vi talis facultatis abſolui ab omnibus caſibus, & cenſuris ipſius Bullæ.

SEC. LXVI.

SVMMARIVM.

1 *Validè impenditur abſolutio illi, qui facultatem habet vi Iubilæi, aut alterius priuilegij, vt abſolui poſſit in indiuiduo à caſibus, & cenſuris prædictis.*

2 *Expreſſo aliquo caſu ex multis, ſpeciale mandatum requirentibus, adiecta clauſula generali, omnes alij cenſentur expreſſi.*

3 *Si vnus caſus exprimatur in indiuiduo, reliqui vero generaliter, abſolui quis non poteſt à cenſuris, generatim, ſeu ſpeciatim expreſſis.*

4 *Id tamen locum non habet, vbi conceditur facultas abſoluendi, expreſſo vno caſu ex grauioribus, reliquis vero in genere, vel in ſpecie.*

5 *Probabilior cenſetur pars negatiua in vtroque caſu, & cur.*

6 *Tex. in c. qui ad agendum, §. fin. de procurat. in 6. quomodo intelligendus ſit, & an ad validitatem priuilegij neceſſe ſit, vt in indiuiduo enumerentur caſus Bullæ.*

1 AD euidentiam eorum, quæ dicenda erunt, eſt adnot. quòd ſicut vi facultatis abſoluendi à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ contentis in genere, vel ſpecie, non poteſt quis ab eiſdem abſolui, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 64. & 65.* Ita quoque citra omnem controuerſiam validè impeditur abſolutio illi, qui facultatem habet vi Iubilæi, aut alterius priuilegij, vt abſolui poſſit in indiuiduo à caſibus, & cenſuris prædictis; quia vi præfatæ Bullæ derogatur priuilegijs, & indultis abſoluendi in genere, vel in ſpecie ab eiuſdem Bullæ caſibus, & cenſuris non autem in indiuiduo. Sola igitur dubitatio reſtat de facultate conceſſa in indiuiduo, & in ſpecie ſimul. Hoc autem dupliciter contingere ſolet. Primò quando conceditur facultas abſoluendi ab hoc, aut etiam ab illo caſibus, qui non ſint ex grauioribus, vt ſi concedatur facultas abſoluendi ab excommunicatione contracta eos, qui legerunt libros hæreticorum hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, & qui ſurripuerint bona Naufragorum: & deindè ſpeciatim ab omnibus alijs caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ. Secundò ſolet concedi facultas abſoluendi ab vno caſu grauiori eiuſdem Bullæ, nempè ab hæreſi, & deindè ſimul ab alijs ipſius Bullæ caſibus in genere, ſeù ſpeciatim, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus ſec. præcedenti.

2 In hac re pro parte affirmatiua facit *tex. in c. qui ad agendũ, §. fin. de procuratorib. lib. 6.* Vbi expreſſo aliquo caſu ex multis ſpeciale mandatũ requirentibus, adiecta clauſula generali, omnes alij cenſentur expreſſi: ergò idem dicendũ eſt in caſu, de quo agitur, vt expreſſo in vno caſu in indiuiduo ex multis contentis in Bulla Cœnæ, & adiecta clauſula generali in facultate conceſſa vi Iubilæi, aut alterius priuilegij abſoluendi à caſibus, & cenſuris eiuſdem Bullæ, licitè, ac validè poſſit impendi abſolutio ab omnibus caſibus, & cenſuris in ea reſeruatis.

Con-

t.

Digitized by Google

3 Contrariam ſententiam docet *Vgolin. in expl. Bullæ Cœnæ, §. Niſi in eis etiam caſus, &c. ſub nu.* 3. quem ſequitur *Bonac. in explic. eiuſdem Bullæ, diſp.* 1. *q.* 22. *pun.* 2. *ſub nu.* 8. Et alij dicentes, quòd ſi vnus caſus exprimatur in indiuiduo, reliqui vero generaliter, vt ſi v. g. concedatur facultas abſoluendi excommunicatos ob delationem armorum ad Chriſtiani nominis inimicos, & à reliquis cenſuris in ipſa Bulla contentis, non poſſe aliquem abſolui à cenſuris generatim, ſeù ſpeciatim expreſſis. Mouentur ex eo, quòd ſicut, vbi nullus caſus eſt expreſſus abſolui quis non poteſt; ita & vbi aliquis tantùm, à reliquis, qui non ſunt expreſſi abſolui nequit: ſiquidem eadem eſt ratio totius, & partis, *l. quæ de toto, ff.*
2 *de reiuend.* Eſt tamen verum, quòd *Vgolin. loco citato*, id locum non habere videtur velle in altero ſupra relato caſu, nempè vbi conceditur facultas abſoluendi vt ſupra, expreſſo vno caſu ex grauioribus, puta hæreſi, & reliquis in genere, ſeù in ſpecie: nam tunc videtur velle, poſſe impendi abſolutionem ab omnibus caſibus, & cenſuris in ipſa Bulla reſeruatis.

5 Nos autem, vt loquamur conſequenter ad ea, quæ ſupra diximus ſec. præcedenti, partem negatiuam in vtroque caſu cenſemus eſſe probabiliorem, cùm in vtroq; caſu militet eadem ratio, *arg. text. in l. illud, ff. ad l. Aquil.* Etenim vi dictæ Bullæ in præfato §. 2. reuocantur facultates, in ſpecie, & in genere, conceſſæ, & concedendæ circa abſolutionem eiuſdem caſuum, non poteſt vi alicuius facultatis, qua in ſpecie conceditur abſolutio à dictis caſibus, ſiue vnus exprimatur in indiuiduo, qui non ſit ex grauioribus, & alij in genere, ſeù in ſpecie, ſiuè exprimatur in indiuiduo vnus ex grauioribus, cùm par ſit vtriuſque ratio: ſiquidem quemadmodum quando nullus caſus eſt expreſſus abſolui quis non poteſt, vt oſtendimus ſec. præced. Ita, & vbi aliquis dumtaxat, ſiuè ſit ex grauioribus, ſiuè non, à reliquis non expreſſis abſolui non valet, cum in vtroque caſu militet argumentum de toto ad partem, *arg. tex. in l. quæ de toto, ff. de rei vendic.*

6 *Ad text. in d. c. qui ad agendum, §. fin. de procur. in* 6. Quatenus facit contra nos, reſpondetur illum intelligi; niſi aliter de iure expreſsè fuerit diſpoſitum, aut aliqua ratio contrarium ſuaderet. Vndè illud argumentum deſumptum ex *d. tex.* locum ſibi vendicaret, ſi Bulla non tolleret omnia priuilegia in genere, & in ſpecie; ſicut abrogat: tunc enim vno caſu expreſſo, alij cenſerentur expreſſi, vt diximus in *d. noſtris Commentar.* §. 2. *q.* 1. *n.* 12. vbi ob id oſtendimus *Alter. in explic. eiuſdem §. verſ. Imò, & col. pen. verſ. reſpondeo*; arbitrare facultatem conceſſam per *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de reform. c.* 6. abſoluendi ab alijs caſibus Bullæ, eſſe abrogatum vi *d.* §. 2. quoniam licet Concilium prius ponat clauſulam generalem per quam concedit Epiſcopis omnes caſus occultos reſeruatos Rom. Pontifici, & deinde addat expreſſionem peccati hæreſis; atque ideò cenſendum eſſet de alijs caſibus, ac ſi expreſſiſſet, iuxta *text. in d. c. qui ad agendum, §. fin.* nihilominus quia Bulla tollit omnia priuilegia in genere, & in ſpecie, ſequitur neceſsè eſſe ad validitatem priuilegij, vt in indiuiduo enumerentur caſus Bullæ.

An ſi per Iubilæum concedatur in ſpecie facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ, excepto vno in indiuiduo, v. g. hæreſi, al[ij] caſus cenſeantur, ac ſi expreſſi eſſent in indiuiduo.

SEC. LXVII.

SVMMARIVM.

1 *Exceptio regulam firmat in caſibus non exceptis. Et excluſio vnius alterius eſt incluſio.*

2 *Sententia affirmatiua videtur valdè probabilis, ſed teneri quoque poteſt pars negatiua.*

3 *Regula, quod exceptio firmet regulam, limitatur ſi aliter conſtaret de mente excipientis.*

4 *Regula, quod excluſio vnius, ſit alterius incluſio, pariter intelligitur, niſi contrarium conſtet de mente excludentis.*

5 *Conceſſa facultate abſoluendi à cenſuris, & caſibus Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi, licet ex verbis huiuſmodi conſtet expreſsè hæc facultas in indiuiduo non tamen conſtat de mente concedentis.*

6 *Affirmatiua ſententia cenſetur probabilis. Et an regula, quod verba debeāt aliquid operari, nec debent eſſe ſuperflua, locum habent in quacunque diſpoſitione, & in quibus caſibus limitatur.*

1 PRO parte affirmatiua facit regula, quòd exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, vt in *c. dixit Dominus, 32. q. 1. & c. Dominus. ead. cauſa, q.* 7. latè *Panor. in c. 2. de coniug. leproſi, & in c. noſtra*, vbi etiam *Ant. de Butr. de ſepult.* Pro eadem facit regula, excluſio vnius eſt incluſio alterius, vt in *c. non ne, de præſump. & l. cùm Prætor, ff. de iudic.* Et re vera expreſsè videtur conſtare per ſupradicta verba de mente Rom. Pontificis intendentis omninò concedere facultatem abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis, excepta hæreſi: at indulgentia ſicut non operatur vltra intentionem concedentis; ita ad eiuſdem effectum præcipua eſt eiuſdem intentio, & illa omninò attenditur, vt ſæpè diximus. Denique ſi facultas ſupradicto modo conceſſa non tribueret poteſtatem abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis, excepta hæreſi, ipſius verba eſſent fruſtratoria, & nihil operarentur: ſiquidem caſus hæreſis habet eandem reſeruationem vi dictæ Bullæ, quam habent alij caſus in ea reſeruati: imò peculiarem habet ſuper omnes alios, vt nos oſtendimus in noſtris *Comment. ad ipſam Bullam, lib.* 3. §. 2. *q.* 11. *num.* 47. & latius *Addent. d.* §. 2. *q.* 1. *litt. C. fol.* 721. At verba legis, ac ſtatuti debent aliquid operari, vt in *c. ſolitæ, de maior. & obed.*

2 Hæc ſententia re vera nobis videtur valde probabilis per vltimam præcipuè rationem allatam: nam ſaltem per huiuſmodi facultatem videtur tacitè derogatum Bullæ Cœnæ, vt illius verba non ſint fruſtatoria, & aliquid operentur: ſiquidem alicui legi non ſolùm expreſsè, ſed etiam tacitè videtur poſſe derogari; cùm taciti, & expreſſi eadem ſit virtus, vt in *l. cùm quid*, & ibi *Iaſ. & Doctor. ff. ſi cert. pet.* Nihilominus ſi volumus loqui conſequenter tenendo partem negatiuam per ea, quæ pluries diximus, nempe, quia per Bull. Cœnæ reuocantur omnia priui-

legia conceſſa, & concedenda in genere, ac in ſpecie, vt ſupra, ad contraria poſſet reſponderi.

3 Ad primum reſpondetur, quòd illa regula, exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, habet plures limitationes, & inter alias, eam dicimus veram eſſe, niſi aliter conſtaret de mente excipientis, vt patet in caſu, de quo agitur, nam reliqui caſus Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi conceduntur in ſpecie, quibus facultatibus expreſsè derogatur per Bullam, vt ſupra oſtendimus. Nec dubitandum eſt de mente Rom. Pontificis ex capite ignorantiæ, quippe qui omnia iura cenſetur habere in ſcrinio pectoris ſui, vt in *c. 1. de conſtit. in 6.*

4 Ad ſecundum dicimus, quòd regula illa, excluſio vnius eſt incluſio alterius, intelligenda pariter eſt, niſi conſtet de contraria mente, ac intentione excludentis, vt clarè patet in caſu, de quo agitur, ex Bulla Cœnæ derogante omnibus priuilegijs in genere, ac in ſpecie conceſſis.

5 Ad tertium dicitur, quòd licèt expreſsè conſtet ex verbis facultas abſoluendi à caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi vt ſupra; tamen re vera contrarium conſtat de mente concedentis, atque adeò Rom. Pontificis, qui in Bulla Cœnæ expreſsè derogat omnibus priuilegijs in genere, & in ſpecie vt ſupra.

6 Ad vltimum reſpondemus, quòd per eiuſmodi argumentum contrariam, atque ideò affirmatiuam cenſemus probabilem; quia pro eo facit etiam *text. in c. ſi Papa in prin. de priuil. in 6. Federic. de ſen. conſ. 109. num. 2. Rom. conſ. 83. Tuſch. verbo, verba, concl 83.* Vbi regulam, quod verba debent aliquid operari, & quod non debeant eſſe ſuperflua, ampliat non ſolùm in legibus, & ſtatutis, ſed etiã in quacunq; alia diſpoſitione: nihilominus ad dictam regulam reſponderi poſſet eam procedere, quando id commodè fieri poteſt, & multipliciter limitatur per *Felin. in d. c. ſolita, nu. 9. verſ. In quantum, & in c. 1. nu. 14. & ſeq. de reſcr.* & nos adnotauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ lib. 2. c. 9. q. 2. num. 19.*

An quando in Iubilæo conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi, adhuc ſit abſoluendus hæreticus occultus pœnitens, & emendatus.

SEC. LXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Aſſertur pars affirmatiua, & quis nam fuit finis Romani Pontificis in concedenda indulgentia adeo pleniſſima.*

2 *Oppoſita tamen ſententia putatur vera, & qua ratione.*

3 *Reſpondetur ad rationes Boſſij.*

1 IN hac difficultate partem affirmatiuam docet *Boſſ. de iubil. diſp. 1. caſu 9 nu. 3.* Mouetur primo ex fine Romani Pontificis in concedenda indulgentia adeò pleniſſima, qui non fuit alius, quàm vniuerſalis animarum ſalus, nempè vt omnes Theſaurum tàm maximum aſſequantur: qui quidem ab omnibus aſſequi non poſſet, ſi hæretici occulti, ac pœnitentes vigore Iubilæi ſupra relati abſolui nequirent. Vndè per Iubilæum eius videntur excluſi hæretici tantùm notorij, ac nominatim denunciati, quorum crimen cùm non contingat citra publicum aliorum fidelium ſcandalum; meritò in Iubilæo reſeruatur Rom. Pontifici: nec indiſtinctè conuenit committi omnibus Confeſſarijs approbatis; ſed peritioribus. Confirmatur, quoniam hæreſis occulta eſt vnus ex caſibus reſeruatis Epiſcopo per *Concil. Trid. ſeſſ. 24. c. 6. de refor.* à quo quilibet poteſt abſolui, ſi reſipiſcat: ergò quando per Iubilæum conceditur facultas abſoluendi ab omnibus caſibus Papæ reſeruatis, etiam in Bullæ Cœnæ contentis, excepta hæreſi, cenſetur quoque conceſſa facultas abſoluendi ab hæreſi occulta: ſiquidem non videtur intentio Rom. Pontificis, vt velit in Iubilæo vniuerſaliſſimo, & pleniſſimo excludere crimen, quod ipſis locorum Ordinarijs in iure permittitur, maximè quòd in illa generali facultate abſoluendi à reſeruatis Papæ etiam à caſibus Bullæ, comprehendantur etiam caſus à iure, ſiuè ab homine Epiſcopo reſeruati. Eſt tamen verum, quò idem *Boſſ.* tandè inquit, quòd in caſu contingenti, optimum conſilium eſt ſi Confeſſarius conſulat Peritiores, aut Sacram Congregationem adeat.

2 His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſententiam puto veram: nam dato, & non conceſſo, quòd vi talis conceſſionis in ſpecie datæ abſoluendi à reliquis caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnę reſeruatis, quis poſſit ab illis abſolui; non tamen poterit abſolui ab hæreſi occulta: ſiquidem Stylus, & praxis Romanæ Curiæ hodiè nõ admittit abſolutionem ab hæreſi occulta, etiam quando illa non excepta, conceduntur in Iubilæis caſus Bullæ Cœnæ, vt nos latè oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. q. 11.* ergò multo minus poterit Confeſſarius ab hæreſi occulta abſoluere, ſi in Iubilæo crimen hæreſis exciperetur. Hanc ſententiam meritò tenet *Diana* cum alijs, quos allegat *p. 1. reſol. moral. tract. 5. reſol. 2. & p. 5. tract. 12. reſol. 35.* vbi addit *Trullench. in Bull. Cruciata, lib. 1. §. 7. c. 2. dub. 2. & Ludouic. à Cruz in eandem Bull. diſp. 1. c. 3. dub. 7.* Docentes per Bullam ipſam Cruciatæ licèt Confeſſarius non poſſit abſoluere ab hæreſi occulta; poſſe tamen eum abſoluere receptatores, fautores, & defenſores hæreticorum, legentes, tenentes, & imprimentes eorum libros, Schiſmaticos, Nigromãticos, & his ſimiles: nam hi non ſunt formaliter hæretici.

3 Ad rationes *Boſſ.* patet reſponſio ex ijs, quæ ſupra diximus *ſec. 64. in reſponſ. ad primum, & ſecundum argumentum.*

An qui tempore Iubilæi abſolutus fuit à reſeruatis, & obtinuit commutationem votorum, aut in eiſdem diſpenſationem, ſi culpa ſua voluntariè poſtea non lucretur Iubilæum, peccet mortaliter.

SEC. LXIX.

SVMMARIVM.

1 *Proponitur quid nam hoc loco quæramus, & ſic noſtræ controuerſiæ ſtatus.*

2 *Aſſertur breuiter reſpondetur negatiua, & quare.*

Ad

Digitized by Google

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd hoc loco non quærimus, an qui tempore Iubilæi fuit abſolutus à reſeruatis, & obtinuit commutationem votorum, ſi ex culpa ſua poſtea voluntariè non lucretur Iubilæum, reincidat in caſus reſeruatos, & cenſuras, ac in obligationem priſtinam votorum, etenim certum eſt, virtute Iubilæi, quòd ſi quis abſoluatur, & eidem commutentur vota, adeò remanet abſolutus, & ipſi vota commutata, vt ſi Iubilæum ſua culpa nõ fuerit aſſecutus non reincidat: quoniam licèt facultas conceſſa ſit in ordine ad aſſequendam illam indulgentiam, tamen vſus, & effectus eius eſt nõ ex illo fine, vt executioni mandato, ſed in mente concepto: & abſolutio purè, ac ſimpliciter impenſa eſt: nec in conceſſione ſupponimus mentionem aliquam fuiſſe habitam de reincidentia: Vndè ſatis eſt, ſi tempore abſolutionis animum habuerit implẽdi opera à Iubilæo expoſtulata, vt nos oſtendimus in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 1. ſub nu. 39.* Et infra latius dicemus *ſec.* 103. ſola igitur controuerſia eſt, an ſupradictus à reſeruatis abſolutus non aſſequendo ſua culpa Iubilæũ, peccet mortaliter.

2 Ad hanc difficultatem reſpondetur breuiter negatiuè, atque ideo non peccare mortaliter, qui Iubilæum lucrati intendens obtinuit abſolutionem à reſeruatis, & votorum commutationem, & deindè retrocedens Iubilæum non fuerit aſſecutus, dummodò dolus abſit. Etenim talis retrocedens, & non aſſequens nihil promiſit: nec Cõfeſſarius illi obligationem aliquam impoſuit: nec conſtat de Rom. Pontificis intentione. Ita *Portell. de dubijs Regul. ver. Indulgentia pro iubilæo, nu. 20.* quem refert, & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 42.*

An per Iubilæum data facultate abſoluendi à cenſuris reſeruatis, aut per aliam Bullam, liceat ea vti extra Sacramentum pœnitentiæ.

SEC. LXX.

SVMMARIVM.

1 *Facultas per Iubilæum datur tantum in foro conſcientiæ, & in ordine ad internam, & bonam animæ diſpoſitionem, vendicatq; locum ſolum in foro conſcientiæ.*

2 *Hæc licet vera ſint practicatur tamen, vt vi Iubilæi abſolutio à cenſuris detur extra forum ſacramentale.*

3 *Roboratur hæc praxis authoritate Pij V. & aliorum Romanorum Pontificum.*

4 *Forum internum diuiditur in forum ſacramentale, & forum conſcientiæ. Et niſi facultas expreſſa exigat forum ſacramentale, adhuc concedi poteſt, abſolutio extra Sacramentum in foro conſcientiæ.*

1 AD hanc dubitationem reſpondetur negatiuè, ſiquidem hæc facultas datur in foro tantum conſcientiæ, & in ordine ad internam, & bonam animæ diſpoſitionem; atque ideò ſolùm intra Sacramentum pœnitentiæ locum ſibi vendicat. Ita *Suar. de cenſur. diſp. 7. ſec. 5. num. 36. Rodriq. in Bull. Cruciata, §. 9. nu. 29.* quod verum eſt propter illa verba maximè, quæ apponi ſunt ſolita in eiuſmodi facultatibus, qualia ſunt illa in dicta Bulla Cruciatæ contenta, nempè, *Auditis confeſſionibus eorum, poſſint eos à quibuſuis peccatis, & cenſuris abſoluere*, Sic etiam Pius V. in Bulla Iubilæi 1568. præcipit huiuſmodi abſolutiones dandas eſſe in foro interiori, ac pœnitentiali. Hanc eandem opinionem docet *Nauar. in Man. c. 26. nu. 31. Cord. in ſum. n. 19.* Qui tamen hanc ſententiam limitant, niſi ex forma conceſſionis aliter conſtet de mente Rom. Pontificis. Vndè quando conceſſio fit tantùm in foro conſcientiæ, non poteſt impendi abſolutio extra Sacramentum, vt nos quoque adnotauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 3 §. 2. q. 1. nu. 40. vbi nu. 41. & ſeq.* Diximus quoque, quòd quamuis ſimpliciter loquendo; nõ pugnet abſolutionem impendi à cenſuris reſeruatis, & non à culpa, vt per *Syl. in ſum. ver. Abſolutio 3. & Rodriq. loco citato*, & alios ab eo relatos, qui teſtatur ita de ſtylo Rom. Curiæ ſeruari; atque ideò vbi quis abſoluitur ab excommunicatione, ſtatim aufertur caſus reſeruatio; tamen ſi confeſſio non fit ad abſoluendum à cenſuris, niſi in Sacramento pœnitentiæ cenſurarum abſolutio non poteſt à culparum abſolutione ſeparari. Non tamen hoc caſu exigitur Sacramenti conſumatio antequam abſolutio à cenſuris effectum habeat, vt ibidem declarauimus.

2 Cæterum licèt hæc vera ſint; nihilominus vbi per Iubilæum, aut alias Bullas ſimpliciter conceditur facultas abſoluendi à peccatis, & cenſuris, vt ſupra reſeruatis, ex præſumpta mente Rom. Pontificis vidi paſſim practicari, vt qui tales facultates habeat, regulariter abſoluit à cenſuris, etiam extra forum ſacramentale: & hoc ideò, quia priuilegia Principis ſunt latiſſimè interpretanda, iuxta *text. in c. quamuis pleniſſima, de præben. in 6.* Quod quidem verum arbitror, niſi ex materia ſubiecta, vel alijs circumſtantijs conſtet aliam fuiſſe mentem concedentis, auditis confeſſionibus, vt ſupra diximus. Quæ quidem

3 praxis roboratur ex eo, quòd Pius V. & nonnulli alij Pontifices, qui efficaciter voluerunt impendi abſolutionem cẽſurarum in ſacramentali foro dumtaxat, id expreſſerunt, vt patet ex dictis: ergò ſignum eſt, quòd quando ſimpliciter dicta facultas conceditur abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis, de iure præſumitur facta conceſſio tàm in foro ſacramentali, quàm extra forum ſacramentale. Nunquam tamen vigore Iubilæi, aut alterius Bullæ concedentis interiori facultatem abſoluendi à cenſuris ſimpliciter, intelligitur conceſſa facultas abſoluendi excommunicatum publicè, ac nominatim denunciatũ in foro exteriori: ſed tantùm in foro interiori, vt ſufficienter oſtendimus in dictis noſtris *Comment. lib. 3. §. 2. q. 1. nu. 46. & ſeq. vbi num. 52.*

4 Forum internum probauimus dici non ſolùm ſacramentale, ſed etiam forum conſcientiæ: cum forum internum diuidatur in forum ſacramentale, & in forum conſcientiæ. Vndè niſi facultas conceſſa expreſsè exigat, vt abſolutio detur in foro ſacramentali; poteſt etiam extra Sacramentum concedi, in foro conſcientiæ, vt ibi declarauimus. His adde, quæ dicemus ſec. ſeq.

Digitized by Google

De poteſtate commutandi vota, ac ſuper eis diſpenſandi vi Iubilæi: & primò, an Confeſſarius virtute Iubilæi, vel alterius Bullæ poſſit commutare vota, aut ſuper eiſdem diſpenſare extra confeſſionem.

S E C. LXXI.

S V M M A R I V M.

1 *Diſpenſatio in votis differt ab ipſorum commutatione: Et in quo.*

2 *Commutare votum quid ſit.*

3 *Commutatio voti licet exigat iuſtam, & rationabilem cauſam, non tamen exigit ſemper Eccleſiæ authoritatem.*

Et an, & quando poſſit quis proprium votum propria authoritate commutare: Quandonè exigatur authoritas Eccleſiæ.

4 *Quando nulla fuit cauſa cõmutandi in minus, ac diminuendi, licet actus ſit nullus, ſi tamen iuſta fuit cauſa commutandi, non autem diminuendi, tunc diſpenſatio partialis erit nulla commutatio vero quoad partem ſubſtineri poteſt. Nec commutatio votorum facta per Bullam Cruciatæ cauſam exigit.*

5 *Inter diſpenſationem, ac commutationem votorum, quæ fiunt per Epiſcopos, & illas quæ fiunt per Confeſſarios Regulares, differentiam quidam conſtituunt, & quare.*

5 *Probabilior eſt ſententia, quod poſſit Confeſſarius virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij vota commutare, vel ſuper eis diſpenſare extra Pœnitentiæ Sacramentum, modo aliter non conſtet ex mente concedentis Iubilæum.*

7 *Poteſt quis tempore Iubilæi petere commutationem votorum, aut ſuper eiſdem diſpenſationem vel operum iniunctorum ab vno Confeſſario petere, & deinde alteri confiteri.*

8 *Quoties in Synodali conſtitutione prohibetur Confeſſarijs extra ſacramentalem confeſſionem facere, ſi contraueniant, an peccent mortaliter.*

Et an, & quando verba Imperatiua non contineant præceptum.

9 *Probabilis eſt ſententia, quod non peccent mortaliter, ſed an talis Synodalis conſtitutio votorum commutationem, ac diſpenſationem annullet.*

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd diſpenſatio differt à votorum commutatione: ſiquidem diſpenſatio, quoad rem noſtram attinet, ſuper voto, nihil aliud eſt quàm voti relaxatio canonicè facta ab eo, ad quem ſpectat. Vndè ſicut diſpenſatio legis eſt rigoris iuris relaxatio; ita diſpenſatio voti: nam per votum imponit ſibi vouens, & legem particularem, qua ſe obligat ad votum ipſum adimplendum, vt rectè declarat *Molfeſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 15. num.* 102. Commutatio verò voti non eſt relaxatio, ſicut diximus ſupra de diſpenſatione, & dicitur de irritatione, quæ tollunt obligationem voti; ſed eſt commutatio materiæ voti in aliam. Vnde

2 commutare votum nó eſt aliud quam materiam, de qua fuit emiſſum votum, & eius obligationem in aliam materiam, ac obligationem transfudere, manente eodem vinculo adimplementi, vt per eundem *Molfeſ. loco citato*, poſt alios, quos ipſe refert. Item differunt inter ſe diſpenſatio, & commutatio; quoniam diſpenſatio exigit Eccleſiæ auctoritatem, & iuſtam diſpenſandi cauſam, ſiuè fiat à Romano Pontifice, ſiuè ab inferiori: aliàs diſpenſatus ſine iuſta, ac rationabili cauſa, etiam à Rom. Pontifice circa ea, quæ diſpoſita ſunt per legem Diuinam, vel naturalem non eſt tutus in conſcientia; cùm eiuſmodi non diſpenſatio; ſed diſſipatio diceretur. Dixi, *Circa ea, quæ diſpoſita ſunt per legem Diuinam, vel naturalem*. Quoniam quamuis diſpenſatio inferioris Papæ citra iuſtam cauſam indiſtinctè ſit inualida; nihilominns Papa circa ea, quæ diſpoſita ſunt per legem humanam diſpenſare poteſt ſine cauſa, & diſpenſatus eſt tutus in conſcientia; quia eius eſt deſtruere, cuius eſt condere, & Princeps eſt ſolutus legibus, *l. digna vox, C. de legib.* & nos latè in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 4. q. 7. num. 25. cum pluribus ſeq.* Sunt autem cauſæ iuſtæ diſpenſandi in votis tres; nempè ratione vouentis, ratione materiæ: & ratione communis boni, vt habetur ex *Soto lib. 7. de iuſt. & iure, q. 4. art. 3.* & ex alijs apud *Molf. d. c. 15. nu.* 177.

3 At commutatio licèt regulariter exigat quoque iuſtam, ac rationabilem commutandi cauſam; quæ eſt, vel propter difficultatem adimplendi votum, vel propter maius bonum, vt habetur ex *Armilla in ſum. ver. Votum, ſub num. 14. Syl. ver. Votum 4. nu. 6.* & nos oſtendimus quoque in *d. noſtris Comment. in Bull. Cœnæ, d. q. 7. nu. 30. & 31.* Nihilominus non ſemper expoſtulat Eccleſiæ auctoritatem: ſiquidem quantum ad voti commutationem, in qua commutatur materia, & remanet obligatio vinculi, quamuis regulariter auctoritas Eccleſiæ exigatur; tamen ſi euidenter conſtet in melius, & in gratius Deo commutari, poteſt quis propria auctoritate propriũ votum commutare; atque ideò qui habet votum peregrinationis, poteſt illud in votum Religionis propria auctoritate commutare. Exigitur autem auctoritas Eccleſiæ quando commutatio fieret in opus minus bonum, vel æquale, vt in *c. peruenit il 2. de iureiur. c. ſcripturæ, de voto, D. Thom. q. 88. art. 10.* & in eum *Caiet. Armilla loco citato*, & alij apud *Molfeſ. d. c. 15. nu.* 198.

4 Eſt tamen adnotandum, quod quando nulla fuit cauſa commutandi in minus, ac diminuendi, licèt actus ſit nullus, cùm totus fuerit vltra poteſtatem; nihilominus ſi iuſta adſit cauſa commutandi, non autem diminuendi, tunc diſpenſatio partialis nulla eſt; commutatio verò quoad partem ſuſtineri poteſt: ſiquidem habet omnia requiſita, & vtile per inutile non vitiatur, vt diximus in dictis noſtris *Commentar. loco citato*, Imò commutatio votorũ facta per Bull. Cruciatæ nullam exigit cauſam, quoniam vi dictæ Bullæ conceditur facultas commutandi, cum aliquo onere, vt rectè poſt alios declarat *Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol.* 39. Vbi idem dicendum putat quoties commutatio facienda eſt vi Iubilæi, vt infra latius dicemus, infra ſec. 108. His breuiter ſic adnotatis deuenio ad explicationem propoſitæ difficultatis.

5 In hac re quidam conſtituunt differentiam inter commutationem, ac diſpenſationem votorum, quæ fiunt per Epiſcopos, & illas, quæ fiunt per Confeſſarios Regulares. Etenim quæ fiunt

per

per Epiſcopos, & alios Superiores, erga ſuos ſubditos, poſſunt fieri tàm in actu confeſſionis, quàm extra, & valida eſt, etiam in foro exteriori: ſiquidem id agunt vi poteſtatis ordinariæ, quæ ſatis eſt ad impendendas diſpenſationes, & commutationes quouis modo: at in Confeſſarijs Regularibus talis facultas cenſetur delegata in actu tantùm confeſſionis, aut in ordine ad illam. Ita *Sayr. lib. 5. Clauis Regiæ, c.8. nu. 10. in fine, & lib.6.c.11.nu. 105. Cord.* & alij, quos *ſec. præced.* *citaui*, & refert *Sanch. lib. 4. ſua ſum. c. 14. n. 14.*

6 Hæc ſententia licèt probabilis, nihilominus oppoſitam quoad Regulares probabiliorem, & magis communem eſſe nonnulli putant: quam docent *Suar. lib. 6. de voto, c. 16. nu. 4. Sanch. lib. 4. ſua ſum. c. 43. nu. 17.* Imò eam probabiliſſimam eandem eſſe poſt alios teſtatur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 36.* & in praxi ſatis tutam oſtendit *p. 3. tract. 2. reſol. 9. Fauſt. in Theſ. Rel. lib. 4. q. 55. nu. 2. & 3. Lauor. de iubil. p. 1. c. 27. nu. 36. Pollach. eod. tract. ſec. 42. nu. 66. Boſſ. eod. tract. ſec. 2. caſu 38. Sanctarell. eod. c. 8. dub. 8. Homob. de exam. Eccleſ. p. 2. tract. 8. c. 7. Philip. della Cruz in Theſaur. Eccl. tract. 1. §. 11. n. 10. Molfeſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 15. num. 164.* cum alijs, quos allegant. Dicentes, poſſe Confeſſarium virtute Iubilæi, vel alterius priuilegij vota commutare, ac ſuper eis diſpenſare etiam extra Sacramentum pœnitentiæ; dummodò aliter non conſtet tacitè, vel expreſsè de mente concedentis Iubilæum, & alia ſimilia priuilegia. Mouentur ex eo, quòd dum in ſpecie non dicitur, vt audienda ſit talium vouentium confeſſio, per poteſtatem delegatam, quam habent Confeſſarij cenſetur eis tributa facultas commutandi vota, ac ſuper eis diſpenſandi, tàm intra, quàm extra Sacramentum pœnitentiæ: quibus adde, quæ ſupra adnotauimus ſec. præcedenti.

7 Ex dictis infertur, poſſe aliquem tempore Iubilæi petere commutationem votorum, aut ſuper eiſdem diſpenſationem, vel operum iniunctorum ab vno Confeſſario, & poſtea alteri confiteri, vt docent *Henriq. lib. 7. c. 10. nu. 8. Vega p. 2. ſuæ ſum. c. 7. num. 19. Sanch. tom. 1. ſua ſum. lib. 4. c. 54. nu. 17. & Lauor. de iubil. p. 1. c. 25. & 37.* quos refert, & ſequitur *Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 50.* Vbi hanc rationem eſſe ait; quoniam in Bulla Iubilæi requiritur ſolùm, vt commutans ſit Confeſſarius approbatus ab Ordinario, quem nos ſupponimus eſſe, & ita declaratum fuiſſe à Gregor. XIII. teſtantur *Henriq. & Diana locis citatis.*

8 Eſt tamen circa rem hanc difficultas, quam mouet idem *Diana par. 5. reſol moral. tract. 12. reſol. 36. de Synodali conſtitutione edita ab Eminentiſſimo Cardinale Auria p. 1. c. 4. nu. 12.* quæ ita ſe habet, *Caueant Confeſſores, ne votorum commutationem extra ſacramentalem confeſſionem faciant.* Vndè quærit, an Confeſſarius contraueniens peccet mortaliter; In qua re partem negatiuam putat ſaltem probabiliſſimam. Mouetur ex eo, quòd verba imperatiua non continent præceptum: aut ſi aliquando cõtinent, id verum eſt quando ex materiæ grauitate, & neceſſitate id appareret, vt in *Clem. exiui, §. item quia, verſ. Nos itaque, de verb. ſignific. Panor. Felin. & Imola in c. nam concupiſcentiam, in fin. de conſtit.*

9 Hæc ſententia re vera probabilis eſt, vt patet ex ijs, quæ nos cumulauimus in noſtris *Cõment. in Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 8. q. 8.* Vbi latè tractauimus, an & quando verba imperatiua inducant præceptum: attamen licèt demus Confeſſarium contrauenientem non peccare mortaliter; nihilominus cùm talis ſynodalis conſtitutio ſit lex prohibens, & pœnam non imponit, videtur annullare eiuſmodi votorum commutationes, & diſpenſationes: ſiquidem quando lex vltra non progreditur pœnam imponendo, aut aliud ſtatuendo, nullus, ac inualidus redditur actus, etiã ſi lex ſpecialiter non decernat, inutilem eſſe debere, vt in *l. non dubium, C. de legib. & c. quæ contra, de regul. iur. in 6.* Quod maximè locum habere videtur, vbi agitur de votorum commutatione, ſeù diſpenſatione ad Epiſcopum pertinente. Non tamen nulla eſſet commutatio, ſeù diſpenſatio contra prohibitionem dictæ Synodalis conſtitutionis, ſi fuerit impenſa à Confeſſario Regulari: quoniam Regulares per ſe ſecluſo ſcandalo non tenentur ſeruare præcepta Synodalia: ſicut cenſuræ in Concilijs Synodalibus, per Epiſcopos promulgatæ non ligant Relares, vt habetur ex eodem *Diana* poſt alios *loco citato.*

An vi Iubilæi, aut alterius priuilegij habens facultatem diſpenſandi ſuper vota, poſſit ea commutare, ſeù redimere, ac irritare.

SEC. LXXII.

SVMMARIVM.

1 *Voti irritatio, diſpenſatio, commutatio, ac redemptio differunt inter ſe, & in quo.*

2 *Facultas conceſſa ad diſpenſandum ſuper votis, non cenſetur conceſſa ad ea commutandũ.*

3 *Verior eſt contraria ſententia, quod cui conceditur facultas diſpenſandi ſuper votis, cenſeatur quoque conceſſa facultas eadem commutandi.*

4 *Epiſcopo, cui conceditur cura animarum, conceditur quoque cura bonorum Eccleſiæ. Ac filio famil. cui permittitur de bonis Caſtrenſibus teſtari, permiſſum quoque cenſetur eadem donare cauſa mortis.*

5 *Qui poteſt votum commutare, poteſt quoque & illud redimere.*

6 *Qui poteſtatem habet irritandi votum, habet etiam poteſtatem illud commutandi, ac redimendi.*

7 *Conceſſa facultate in Iubilæo cõmutandi vota, conceſſa non videtur diſpenſandi ſuper eis.*

8 *Conceſſa facultate per Iubilæum abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis, non cenſetur conceſſa poteſtas commutandi vota, ac ſuper eis diſpenſandi.*

9 *Priuilegium Principis eſt ſtricti Iuris in præiudicium tertij, non autem in præiudicium concedentis.*

1 PRO huius rei explicatione eſt adnot. quòd differunt inter ſe voti irritatio, diſpenſatio, commutatio, ac redemptio. Etenim uoti irritatio eſt annullatio obligationis uoti ex beneplacito uoluntatis, ut cum uir dicit uxori, Nolo, ut ſerues hoc, uel illud uotum, atque ideo non exigit irritandi cauſam, ſed fieri poteſt citra

omnem

omnem cauſam ad libitum petentis irritare, ita vt nec ipſe irritando peccat, cùm vtatur iure ſuo, nec alius votum omittendo, cùm à principio fuerit inefficax. Ita poſt *Anchar. & Petr. de Palude Sylu. in ſua ſum. ver. Votum 4. quaeſt. 1.* Diſpenſatio vero eſt voti relaxatio ex iuſta, ac rationabili cauſa. Cõmutatio voti eſt annullatio obligationis voti cũ lignamine ad aliquid aliud faciendum, vt ſupra declarauimus ſec. præced. Redemptio denique eſt annullatio obligationis voti cum lignamine ad aliquid dandum, ſed iſta in re non differt à commutatione, vt rectè declarat idem *Syl. loco citato, & Molfeſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 15. nn. 193.* His adnotatis, dicimus quòd.

2 In hac difficultate pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Nauar. in ſum. c. 12. nu. 79. Sanch. lib. 4. ſuæ ſum. c. 53. nu. 4. & ſeq.* Et aliorum exiſtimantium, quòd facultas conceſſa ad diſpenſandum non cenſetur conceſſa ad commutandum vota. Mouentur ex eo, quòd priuilegia ſunt ſtricti iuris; atque ideò ſtrictè interpretanda, & non extendenda, vt in *c. cum dilectus*, & ibi *Gloſa, de conſuet.* Vndè cum diſpenſatio differat à commutatione voti, qui habet facultatem diſpenſandi ſuper vota, non poteſt ea commutare.

3 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam arbitror de iure veriorem eſſe, quam docent *Palud. in 4. d. 38. q. 4. art. 3. concl. 5. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, c. 12. nu. 10. cum ſeq. Reginald. lib. 18. ſuæ prax nu. 339. §. Nobis ſufficere poteſt Leſſ. lib. 2. de iuſtit. & iure, c. 40. nu. 94. Skyr. lib. 6. Clau. Reg. c. 11. nu. 116. cum ſeq.* Et alij, quos ipſe citat, dicentes, quòd cùm alicui cõceditur facultas diſpenſandi ſuper vota, cenſetur quoque illi conceſſa facultas eadem commutandi, & hanc opinionem communem teſtatur eſſe *Molfeſ. tom. 1. ſuæ ſum. tract. 11. c. 15. num.* 201. Et procedere volunt non tantùm in illis, qui tanquam Ordinarij habent hanc facultatem, ſed etiam in illis, qui ex priuilegio eam habent, nempè vigore Iubilæi, aut alterius priuilegij. Probant eorum ſententiam ex *tex. in c. cui licet, de regul. iur. in 6.* Vbi pro regula ponitur, quòd cui licet, quod eſt plus, licet etiam quod eſt minus: quæ regula deſumpta eſt ex *l. non debet, ff. eod.* ſe habente, *Non debet cui plus licet, quod minus eſt non licere*. Hinc Epi-

4 ſcopo, quia committitur cura animarum, quod eſt plus, cenſetur eidem conceſſa cura bonorum Eccleſiæ, quod eſt minus, vt in *c. præcipimus* 12. *q.* 1. Et filio familias cùm permittatur teſtari de bonis Caſtrenſibus quod eſt plus, cenſetur eidẽ permiſſum ea donare cauſa mortis, quod eſt minus, *vt in l. tam is, ff. de donat. cauſa mors.* Et conceſſis decimis laborum, quod eſt maius, cenſentur conceſſæ decimæ noualium, quod eſt minus, *vt in c. ex parte, 3. de decim.* Confirmatur; quia regula illa fundatur in præſumpta voluntate Principis; à quo habentur pro expreſſis, quæ veriſimiliter expreſſiſſet, *l. tale pactum, §. fin. ff. de pact.* Etenim ſi Rom. Pontifex, qui conceſſit facultatem diſpenſandi ſuper vota interrogaretur, an voluerit concedere facultatem eam commutandi, proculdubio affirmatiuè reſponderet. Et denique cùm in caſu noſtro agatur de priuilegio, ac gratia Principis debet ampliſſimè interpretari in præiudicium concedentis, *vt in c. dilecti, de donat. l. beneficium, ff. de conſtit. Princ.* & nos latè oſtendimus in noſtris *Comment. in Bull. Cœna, lib. 2. c. 9. q. 16. ſub nu. 4.*

5 Ampliatur hæc concluſio, vt quæ diximus de commutatione voti, idem dicendum ſit de redemptione voti: ſiquidem redemptio, commutatio quædam eſt, vt ſupra adnotauimus; atque ideo cui conceditur poteſtas diſpenſandi, cenſetur etiam conceſſa facultas redimendi uota.

6 Secundò ampliatur eadem concluſio, ut qui habet poteſtatem irritandi uotum, habeat etiam facultatem illud commutandi, ac redimendi, ac etiam quodammodo ſuper illud diſpenſandi; nam in plus ſe habet irritatio, quam diſpenſatio, ac commutatio, ſeù redemptio: nam irritatio poteſt fieri citra omnem cauſam; non ſic diſpenſatio, ac redemptio, ut patet ex ijs, quæ ſupra diximus.

7 Sic ampliata limitatur ipſa concluſio, ut è conuerſo conceſſa facultate in Iubilæo commutandi uota, non cenſeatur conceſſa facultas diſpenſandi ſuper eis, ac eadem irritandi; quia cui conceditur minus, non cenſetur conceſſum, quod plus eſt, diſpenſare autem plus eſt, quam commutare, & his omnibus maior eſt irritatio, ut ſupra oſtendimus, & habetur ex *Nauar. ac Molfeſ. locis citatis.*

8 Secundò limitatur, ut quamuis conceſſa facultate diſpenſandi, cenſeatur conceſſa facultas commutandi uota; nihilominus, conceſſa facultate per Iubilæum abſoluendi à caſibus, & cenſuris reſeruatis, non cenſetur conceſſa poteſtas commutandi uota, ac ſuper illis diſpenſandi; nam eſto, quod daremus, quòd maius ſit abſoluere à peccatis, ac cenſuris, quam diſpenſare in uotis, ac eadem commutare; attamen abſoluere à culpis, & cenſuris eſt ualdè diuerſum à commutatione, ac diſpenſatione uotorum: & ex communi ſtylo nunquam ſub facultate conceſſa in Iubilæo abſoluendi à peccatis, & cenſuris reſeruatis nunquam reperitur comprehenſa facultas diſpenſandi, ac commutandi uota, niſi expreſsè tribuatur, ut rectè docet *Nauar. vbi ſupra.*

9 Ad contrarium modo patet reſponſio ex dictis: ſiquidem priuilegium Principis eſt ſtricti iuris in præiudicium tertij, non autem in præiudiciũ concedentis: nam in eo caſu eſt latiſſimè interpetrandum, ut patet ex ijs, quæ adnotauimus in dictis noſtris *Comment. in Bull. Cœna, loco cit.*

An facultas vi Iubilæi, aut alterius priuilegij conceſſa diſpanſandi, ac commutandi vota extendatur ad iuramẽta promiſſoria Deo facta, vel ad vota iurata, & ad iuramenta pia abſolutè facta.

SEC. LXXIII.

SVMMARIVM.

1 *Votum in quo differt à Iuramento.*

2 *Voti multæ ſunt ſpecies, & in quo diſtinguatur votum ſimplex à ſolemni.*

3 *Votum ſimplex diſtinguitur à voto iurato, & in quo.*

4 *Facultatem habens ex vi Iubilæi, &c. commutandi vota. ac ſuper eis diſpenſandi, commutare non poteſt vota iurata, nec in eis diſpenſare.*

5 *Verior*

Digitized by Google

5 *Verior est oppoſita ſententia, & quare.*

6 *Facultas diſpenſandi, ac commutandi vota, ſi ſit limitata ad vnum actum, tunc auferri non poteſt iuramentum de eadem materia, niſi acceſſoriè ſit adiectum.*

7 *Priuilegium Principis ſtricti iuris eſt, & ideò extentionem non patitur.*

8 *Regula, quod cui conceditur quod plus eſt, conceditur quoque quod minus eſt plures habet limitationes.*

9 *Sæpè lex caſus exprimit in ipſa lege tacitè comprehenſos, idq; ad maiorem declarationem.*

1 AD tituli intelligentiam eſt adnot. quòd votum in hoc differt à iuramento, quòd votum dicitur promiſſio facta Deo, vt colligitur ex *toto tit. de voto, & voti redem.* Iuramentum verò eſt affirmatio, vel negatio alicuius rei atteſtatione tacita, vel expreſſa Diuini numinis. Vndè, qui vouet Deo promittit, atque ideò votũ eſt ſponſio quædam, qua Deo obligamur. Qui autem iurat adducit teſtimonium Diuinum ad aliquam veritatem confirmandam, vt habetur per *Doctor. in rubr. de iureiur. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. Sanch. lib. 3. ſua ſum. c. 1. Sayr. lib. 5. Clau. Reg. c. 2.* cum alijs cumulatis per *Molfeſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 8. nu. 19.* iunctis ijs, quæ per eundem habentur *eod. tract. c. 12. num. 11.* Quibus locis ſufficienter explicat eſſentiam tùm voti, tùm etiam iuramenti.

2 Secundò eſt adnot. quòd quamuis voti multæ ſint ſpecies; nihilominus quoad rem noſtram attinet datur votum ſimplex prout diſtinguitur nõ modo à voto ſolemni, ſed etiam à voto iurato. Etenim votum ſimplex ſe extendit ad omnem materiam aptam; & dicitur ſimplex, quoniam priuatim emittitur, nulla præuia ſolemnitate ad differentiam voti ſolemnis, quod ſolùm ſe extendit ad tria, nempè ad caſtitatem, paupertatem, & obedientiam, & emittitur per profeſſionem expreſſam, aut tacitam in aliqua Religione approbata, vel per ſuſceptionem ordinis ſubdiaconatus, vt rectè declarat idem *Molfeſ. d. c. 12. nu. 23.* Diſtinguitur etiam votum ſimplex à voto iurato ex *Molfeſ. d. tract. 11. c. 15. nu. 204.* Siqui-
3 dem votum ſimplex appellatur, quod iuramento non eſt confirmatum, ſed per illud fit ſimplex promiſſio Deo de meliori bono. Votum autem iuratum, vltra promiſſionem Deo factam de meliori bono, includit cõfirmationem talis voti, mediante iuramento: aut includit concomitanter iuramentum, cum quis ſimul vouet, & iurat votum ſeruaturum. His breuiter adnotatis, quæſtio noſtra eſt non modo de votis iuratis; ſed etiam de iuramentis pijs abſolutè factis; atque ideo quærimus, an facultas ui Iubilæi, aut alterius priuilegij conceſſa diſpenſandi, ac commutandi uota extendatur non ſolum ad uota iurata, ſed etiam ad iuramenta pia abſolutè facta, ac ad uota ex propoſito iuramento confirmata.

4 In hac re contrariæ ſunt opiniones. Nam prima ſententia eſt negans, quàm docent *Valent. tom. 3. diſp. 6. q. 6. pun. 4. Azor. tom. 1. inſt. moral. lib. 11. c. 10. q. 2. Leſſ. lib. 2. de iuſtit. & iure, c. 42. dub. 12. nu. 60.* Et alij dicentes, quòd habens facultatem ui Iubilæi, aut alterius priuilegij commutandi uota, aut ſuper eiſdem diſpenſandi non poteſt commutare uota iurata, nec in ipſis diſpenſare, & multo minus in iuramentis pijs abſolutè factis. Mouentur primò, quòd priuilegia ſunt ſtricti iuris, atque ideò non patiuntur extenſionem; ſed ſunt ſtrictè interpretanda, *vt in c. porrò, de priuil.* Ergò priuilegium conceſſum ad commutandum uota, ac ad diſpenſandum in eis, non extenditur ad diſpenſandum, ac commutandum uota iurata, ac iuramenta pia abſolutè facta: eo magis, quoniam iſta ſunt uincula diuerſæ rationis: quapropter, cùm mandetur alicui nõ Sacerdotalis, uel integra, uel certi ualoris conferri præbenda, ſacerdotalis dimidia, uel minoris ualoris illi etiam uolenti conferri non poterit, *vt in c. cui de non ſacerdotali, de præbend. in 6.* Denique probant ex eo, quòd quando conceditur priuilegium ad diſpenſandum in uotis, ſolet in nonnullis concedi quoque ad diſpenſandum in iuramentis: ergò ſignum eſt, debere eiuſmodi priuilegium exprimi.

5 His tamen non obſtantibus oppoſitam ſententiam arbitror ueriorem eſſe, quam tenent *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 14. à nu. 19. Pontius de matr. lib. 8. c. 11. nu. 5. Sanch. eod. tract. lib. 8. diſp. 2. num. 18. & ſeq. Molfeſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 15. num. 189. & 203.* cum alijs, quos allegat, & *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 57.* Mouentur ex eo, quòd cum iuramentum ſit ad confirmandum uotum, & reguletur ſecundũ eius naturam, ſatis eſt, ut uotum exprimatur. Ita *Suar. & alij Doctor. ſupra citati;* Qui id ampliant verum eſſe etiam ſi votum pluries fuerit ratificatum, & iuramento vallatum: quoniam ſemper eſt confirmatio prioris voti. Quo vero ad iuramenta pia abſolutè facta, facit regula, cui licèt, *de regul. iur. in 6.* de qua ſupra egimus, *ſec. praeced.* nam cui licèt quod plus eſt, licet etiam quod eſt mi-
6 nus. Eſt tamen verum, quòd ſi facultas diſpenſandi, aut commutandi eſſet limitata ad vnicum votum, tunc non poſſet auferri iuramentum de eadem materia, niſi ſit acceſſoriè adiunctum, vt inquit *Suar. d. c. 14 in fine;* quamuis *Sanch. vbi ſupra nu. 21.* doceat poſſe vtrunque tolli, quia ſublato voto, tollitur etiam indirectè iuramenti vinculum; & hæc ſententia videtur nobis probabilior. His adde, quæ cumulantur ex *Laym. lib. 4. ſua ſum. tract. 3. c. 11. ſub num. 4.* & nos dicemus infra *ſec. 105.* Prædictis etiam adde *Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 41. & 43.*

Reſtat modò, vt contraria ſoluamus.

7 AD primum patet reſponſio ex dictis in *praeced. ſec. in reſp. ad argum.* Dicimus enim quòd priuilegium Principis eſt ſtricti iuris in præiudicium tertij, atque ideò non patitur extenſionem; ſecus autem in præiudicium concedentis, aut vbi non agitur de præiudicio tertij, quoniam tunc priuilegium recipit extenſionem, ac amplam interpetrationem.

7 A confirmationem ex *text. in d. c. cui de non ſacerdotali, de præbend. in 6.* Reſpondetur, quòd iuris regula eſt, quòd cui conceditur, quod plus eſt, conceſſum etiam cenſetur quod eſt minus, *vt in d. c. cui licet de regul. iuris in 6.* Quæ quidem regula habet plures limitationes, inter quas eſt illa, *d. c. cui de non ſacerdotali*, quod non fundatur in vinculis diuerſæ rationis; ſed in forma mandati, vt reſpondet *Gloſ. in d. c. cui licet*, quæ ait, ita quoque eſſe intelligendum, *text. in c. cum in illis, §. fin. de præb. in 6.* Nimirum ſi

ibi non poteſt extendi mandatum; quoniam non poteſt extendi mandati forma, vt patet ex ipſo *tex. in d. c. cus de non ſacerdotali*, in illis verbis, *Non enim huiuſmodi mandata, quorum fines diligenter ſeruari oportet, debent ad caſus alios quam expreſſos extendi.*

9 Ad vltimum reſpondetur, quòd ſæpè lex caſus exprimit, in ipſa lege tacitè comprehenſos ad maiorem declarationem, ac ad tollendas lites, vt habetur ex *Felino in c. fin. nu. 1. circa fin. de treg. & pace*: & nos declarauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 2. can. 9. q. 2. num. 9. & 10.*

An conceſſa per Iubilæum facultate commutandi vota, exceptis votis caſtitatis, & Religionis, poſſit Confeſſarius cõmutare iuramenta pia Religionis, & perpetuæ caſtitatis.

SEC. LXXIV.

SVMMARIVM.

1 *Facultas, vi Iubilai, aut alterius priuilegij conceſſa diſpenſandi in votis, eademq; commutandi extenditur ad iuramenta pia abſolutè facta.*

Quid dicendum in votis Religionis, & caſtitatis, an eorum reſeruatio, vel è contra facultas ſuper eis diſpenſandi, extendatur ad iuramenta abſoluta Religionis, vel perpetua caſtitatis.

2 *Conceſſa facultate commutandi vota exceptis caſtitatis, & Religionis non poteſt Confeſſarius vi conceſſionis commutare iuramenta abſoluta Religionis, ac perpetua caſtitatis, & num. 4.*

3 *Votum, & iuramentum pium in iure æquiperantur.*

4 *Oppoſita ſententia, atque ideo affirmatiua eſt probabilior cum nullum iuramentum ſit Romano Pontifici reſeruatum.*

5 *Iuramentum diſtinguitur eſſentialiter à voto, & maior eſt obligatio voti, quam iuramenti.*

6 *Votum, & iuramentum ſimilia ſunt, quatenus ambo ſint actus Religionis differunt tamen eſſentialiter.*

7 *Diuerſa militat ratio in facultate diſpenſandi, ac commutandi vota, ac in reſeruatione votorum, prior enim fauorabilis eſt, ſecũda odioſa.*

1 CONcluſimus ſuperiori ſec. facultatem vi Iubilæi, aut alterius priuilegij conceſſum diſpenſandi in votis, eademq; commutandi extendi ad iuramenta pia abſolutè facta: & quoniam dubitari poterat è conuerſo de reſeruatione votorum caſtitatis, & Religionis, an extendatur ad pia iuramenta abſolutè facta Religionis, ac perpetuæ caſtitatis; atque ideò an conceſſa per Iubilæum facultate commutandi vota, ac diſpenſandi ſuper eis, exceptis votis caſtitatis, & Religionis, poſſit Confeſſarius diſpenſare, ac commutare iuramenta abſoluta Religionis, ac perpetuæ caſtitatis?

2 In hac difficultate pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Laym. lib. 4. ſua ſum. tract. 3. c. 11. ſub num. 4. Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 13. nu. 7. & in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. nu. 21. Caiet. in 2. 2. q. 89. art. 9.* & aliorum, quos citat *Diana p. 4. reſol. moral. tract. 4. reſol.* 69. In relatione ſecundæ ſententiæ dicentium, quod conceſſa facultate commutandi vota, exceptis votis caſtitatis, ac Religionis, non poſſit Confeſſarius vi talis confeſſionis, ſeù reſeruationis, commutare iuramenta abſoluta Religionis, ac perpetuæ caſtitatis. Mouentur ex eo, quòd omne iuramentum Deo factum includit votum: ſiquidem iuramentum, quo aliquid Deo permittitur, nihil aliud eſt quàm votum iuramento firmatum: ergò ſi votum eſt Papæ reſeruatum, erit etiam iuramentum; atque ideò conceſſa per Iubilæum facultate diſpenſandi, ac commutandi vota, exceptis votis caſtitatis, & Religionis, cenſentur excepta iuramenta pia Religionis, & caſtitatis, ita vt Confeſſarius non poſſit in eiuſmodi iuramentis diſpenſare, nec eadem commutare.

3 Confirmatur hæc ſententia, quia votum, & iuramentum pium in iure æquiparantur, vt ſupra oſtendimus ſec. præced. ſiquidem ambo ſimilem erga ſolum Deum ex Religionis virtute obligationem continent: ergò reſeruatis votis Religionis, ac caſtitatis cenſentur etiam reſeruata iuramenta caſtitatis, ac Religionis, cùm eadem ratio militat in vtroque, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. & l. adigere, §. quamuis, ff. de iure patr.* Denique facultas diſpenſandi in votis, aut illa commutandi extenditur ad iuramenta; ita vt qui habet facultatem diſpenſandi in votis, vel eadem commutandi, habet etiam facultatem diſpenſandi in iuramentis, & ipſa commutandi, vt ſupra oſtendimus, ſec. præced. ergò è contra reſeruatio diſpenſationis in votis, caſtitatis, & Religionis, & eorum commutationis extenditur etiam ad iuramenta Religionis, & caſtitatis: ſiquidem contrariorum eadem eſt diſciplina, cùm in iure valeat argumentum à contrarijs, aduerſis, pugnantibus, ſeù oppoſitis, vt latè habetur ex *Euerar. de loc. legal. loco, à contrarys, &c.* Et reſeruatio diſpenſandi, ac commutandi, & conceſſio, ſeù facultas commutandi, ac diſpenſandi, ſunt inter ſe contrariæ, & oppoſitæ. Non igitur conceſſa facultate per Iubilæum diſpenſandi, ac commutandi vota, exceptis votis caſtitatis, ac Religionis, poteſt Confeſſarius vi talis conceſſionis, ac reſeruationis commutare iuramenta abſoluta Religionis, ac caſtitatis, nec ſuper eiſdem diſpenſare.

4 Hæc ſententia licèt ſit probabilis, oppoſita tamen, atque ideò affirmatiua nobis videtur probabilior, quam in terminis Iubilæi docent *Alph. de Leone, de iubil. p. 2. q. 13. ſec. 1. nu. 83. Ledeſ. in ſum. tom. 2. tract. 11. c. 4. dub. 2.* & alij relati à *Diana p. 4. reſol. moral. tract. 4. reſol. 69. & p. 5. tract. 12. reſol.* 59. Qui quamuis negatiuam opinionem ſequatur; nihilominus affirmatiuam inquit eſſe probabilem. Mouentur primò; quoniam in iure nullum iuramentum conſpicitur Rom. Pontifici reſeruatum: & non ſequitur talia vota ſunt Pontifici reſeruata; ergò etiam iuramenta de illa materia: etenim obligatio voti maior eſt obligatione iuramenti, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 8.* Ac eſſentialiter diſtinguitur iuramentum à voto, cùm diuerſas habeant definitiones, vt oſtendimus, ſec. præced. Secundò reſeruatio eſt odioſa, ergò eſt reſtringenda, non autem amplianda, *arg. tex. in c. odia, de regul. iur. in 6.* Præterea quando Pontifices vi alicuius priuilegij concedunt facultatem relaxandi, ſeù

con-

commutandi omnia iuramenta, citra tamen alterius præiudicium, non ſolent excipere aliqua iuramenta, ſicut ſolent aliqua vota excipere: ergò ſignum eſt non eſſe vſu receptum, aliqua iuramenta eſſe Rom. Pontifici reſeruata; atque ideò vbi Rom. Pontifex in aliquo indulto concedit facultatem relaxandi iuramenta, poſſunt citra ſcrupulum à Confeſſarijs relaxari non ſolùm iuramenta Religionis, & caſtitatis; ſed etiã peregrinationis ad D. Iacobum, &c. Denique *Sanch.* licèt teneat oppoſitam ſententiam; nihilominus contra nonnullos docet, dicta iuraméta non eſſe reſeruata S. P. ſed tantùm Epiſcopis; ergò reſeruando, ſeù excipiendo vota caſtitatis, ac Religionis non cenſetur iuramenta Religionis, ac caſtitatis ſibi reſeruare, ſeù excipere à facultate conceſſa diſpenſandi, & commutandi, vt ſupra, cum vi Iubilæi poſſit Confeſſarius diſpenſare, & commutare omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus: & facultas diſpenſandi, & commutandi vota extendatur ad diſpenſandum, ſeù relaxandum iuramenta, & ad eadem commutandum, vt oſtendimus ſupra ſec. præced.

Ad contraria igitur reſpondetur.

5 AD primum negatur antecedens, quoniam iuramentum diſtinguitur eſſentialiter à voto, & maior eſt obligatio voti, quàm iuramenti: aliàs iuramentum ſi includeret votum, eſſet eius obligatio maior, quam obligatio voti. Concedimus tamen quòd ſi iuramentum fiat vnico contextu cum promiſſione Deo, tale iuramentum includit votum; verum nnn dicitur iuramentum abſolutum, ſed votum iuratum, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *ſec. præced.* & fauet *Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 13. nu. 4.* relatus à *Diana p. 4. reſol. moral. tract. 4. reſol. 69. in relatione tertiæ ſententiæ.*

6 Ad ſecundum dicimus, quòd licèt votum, & iuramétum ſint ſimilia quatenus ambo ſint actus Religionis; differunt tamen eſſentialiter; quoniam votum eſt promiſſio facta Deo, quale non eſt iuramentum, vt ſec. præced. oſtendimus, & ideò ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.*

7 Ad tertium negatur conſequentia; quia diuerſa ratio militat in conceſſa facultate diſpenſandi, & commutandi vota; ac in reſeruatione votorum, ſiquidem prior eſt fauorabilis, & ideò extenditur: reſeruatio autem eſt odioſa, & ideò eſt reſtringenda, iuxta regulam in *d. c. odia, de regul. in 6. Odia reſtringi, fauores conuenit ampliari.* Ad probationem verò conſequentiæ dicimus, quòd maxima illa, *Contrariorum eadẽ eſt diſciplina.* Habet locum quando militat eadẽ ratio: at in caſu noſtro ratio eſt diuerſa, vt ſupra diximus.

An ſi vouens poſt emiſſum alternatiuum votum ingrediendi Religionem, vel ſoluendi mille, proponat Religionem ingredi, poſſit poſtea pecuniarium votum eligere, illudque Confeſſarius vi Iubilæi commutare.

SEC. LXXV.

SVMMARIVM.

1 *Fingitur caſus pro explicatione quæſtionis tituli.*

2 *Vouens alternatiuè, vel Religionem ingredi, vel centum ſoluere, ſi poſtea propoſuerit Religionem ingredi, non poterit hoc caſu Confeſſarius illi commutare votum pecuniarium.*

3 *Vouens alternatiuè vt ſupra, etiam poſt efficacem electionem, dummodo facta non fuerit Deo noua promiſſio materia reſeruata poteſt adhuc mutare propoſitum, & eligere alteram partem non reſeruatam.*

4 *Verior eſt ſententia, quod poſtquam vouens alternatiuè, determinauit obligationem ſuam ad partem reſeruatam, non poteſt mutare deinde propoſitum, & partem non reſeruatam eligere, ac proinde Confeſſarius vi Iubilæi, vel Epiſcopus partem nõ reſeruatam commutare.*

5 *Propoſitum, quod ſtat in puris finibus cogitationis, ſicut non obligat hominem, ita neque obligat Deo.*

6 *Reſpondetur ad contraria.*

1 AD tituli quæſtionis huius explicationem ponamus caſum, quòd Titius votum emiſerit alternatiuum, Religionis ſcilicèt, aut ſoluendi tali pio loco centum aureos. Poſt voti emiſſionem ipſe vouens propoſuit ingredi Religionem potius quam centum ſoluere. Deindè mutauit propoſitum illud, & conſtituit ſoluere illa centum potius quàm Religionem ingredi. Iſto medio tempore fuit à Rom. Pontifice indultum Iubilæum per quod datur facultas abſoluendi ab omnibus, & quibuſcunque reſeruatis, commutandi omnia, & quæcunque vota, & in illis diſpenſandi, exceptis votis Religionis, & caſtitatis perpetuæ: quapropter videns præfatus vouens poſſe ſibi vi Iubilæi commutari votum prædictorum aureorum centum, non autem votum Religionis, petijt à Confeſſario illius commutationem; quæritur igitur, an Confeſſarius id poſſit?

2 Secundò eſt adnot. quòd hìc non quærimus, an vouens poſt emiſſum votum alternatiuum Religionis, aut ſolutionis centum, adeò propoſuerit Religionem ingredi, vt id denuò Deo promiſerit; ſiquidem certum eſt Confeſſarium hoc caſu non poſſe illi commutare votum pecuniarium; quia hoc caſu votum alternatiuum tranſijt in votum abſolutum Religionis, atque ideò non poterat deinde proponere, ſeù eligere ſolutionem voti pecuniarij, nempè aureorum centum tali loco pio; ſed quæſtio noſtra eſt vbi vouens ſtatuerit apud ſe, vel elegerit primò Religionem ingredi, & deindè mutato propoſito decreuerit illa centum potius ſoluere, quam Religionem intrare.

3 In hac re pugnantes extant opiniones. Etenim *Boſſ. in ſuo tract. de triplici iubil. ſec. 2. caſu 11. nu. 7.* Affirmatiuam ſententiam putat probabilem dicens, vouentem in caſu de quo agitur, etiam poſt ſupradictum propoſitum, ſeù efficacem electionem, dummodò noua promiſſio materiæ reſeruatæ non fuerit facta Deo, ſimul, vel poſt electionem, poſſe adhuc mutato eo propoſito prioris electionis citra culpam, ac voti violationem eligere alteram partem nõ reſeruatam, ac conſequenter ſemper ante, & poſt electionem materiæ reſeruata, abſque noua promiſſione eiuſdem materiæ reſeruatæ poſſe Confeſſarium electum vi Iubilæi, & Epiſcopum huiuſ-

modi votum alternatiuum commutare. Mouetur ex eo quòd etiam homini ſi fiat declaratio præpoſiti electiui, dummodò non efficiatur per modum promiſſionis ex natura rei non videtur eam obligationem parere, vt re adhuc integra debitor à tali electione non poſſit deſiſtere: ergò vouens etiam poſt ſupradictum propoſitum, ſeù efficacem electionem, poteſt mutato tali propoſito prioris electionis partis voti reſeruatæ, abſque culpa, & citra voti violationem eligere alteram eiuſdem partem non reſeruatam; atque ideò Confeſſarius vi Iubilæi, aut Epiſcopus partem illam voti vltimo loco electam, & non reſeruatam commutare, nempè votum ſoluendi illa centum tali loco pio. Secundò probat hanc ſententiam; quoniam reſpectu Dei propoſitum efficax præſtandi aliquid in eius obſequium, etiam cum intentione, & animo ſe obligandi non ita obligat, vt non poſſit qui proponit, citra culpam mortalem prætermittere propoſiti executionem: ergo idem dicendum eſt in caſu, de quo agitur, vt poſt propoſitum, ſeù electionem partis voti reſeruatæ, mutato einſmodi propoſito poſſit eligere alteram eius partem non reſeruatam, eandemq; à Confeſſario vi Iubilæi, aut ab Epiſcopo commutari. Denique huiuſmodi nudum propoſitum, quo quis firmiter ſtatuit exequi partem reſeruatam voti alternatiui, non eſt noua voti reſeruati emiſſio: quia nos ſupponimus nullam interueniſſe promiſſionem: ergò vouens mutato priori propoſito, vt ſupra partis reſeruatæ voti alternatiui, poteſt eligere partem non reſeruatam, eandemq; vi Iubilæi Confeſſarius, aut Epiſcopus commutare.

4 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror veriorem eſſe, quam docent *Laym. lib. 4. ſua ſum. tract. 4. c. 8. num. 12. Suar. lib. 6. de voto, c. 22. nu. 3. Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 9. num. 11. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 11. c. 19. q. 10.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 65. & p. 5. reſol. 60. tract. 12.* Dicentes, quòd poſtquam ipſemet vouens alternatiuè obligationem ſuam, quæ à principio indeterminata erat, determinauit ad eam partem, quæ reſeruata eſt, non poteſt deindè mutato propoſito, alteram partem voti alternatiui non reſeruatam, citra culpam eligere: atque ideò non poteſt Confeſſarius vi Iubilæi, vel Epiſcopus partem illam non reſeruatam commutare. Probatur hæc concluſio ex eo, quòd ſicut creditor, cui data eſt optio eligendi hanc, vel illam rem legatam, facta electione, nõ poteſt amplius variare, ac mutare propoſitum electionis, *vt in l. apud Aufidium, ff. de optione, & elec. leg.* Ita etiam è conuerſo debitor obligatus ſoluere hoc, aut illud, ſi eligat ſoluere vnum, non poteſt mutato propoſito, ſoluere alterum: ſiquidem debitor, & creditor ſunt correlatiui, in quibus quod diſponitur in vno, diſponitur etiam in alio, vt per *Bald. in l. conuenticulam, C. de Epiſc. & Cler.* latè *Enerar. in loc. leg. loco*, à correlatiuis, ergò idem multo magis dicendum eſt in caſu, de quo agitur, vt dum quis alternatiuè vouit Religionem ingredi, vel ſoluere loco pio centum: & deindè firmiter propoſuit Religionem intrare, non poterit, mutato propoſito, eligere ſolutionem dictorum centum, atque ideò nec Confeſſarius vi Iubilæi, nec Epiſcopus alteram partem voti alternatiui non reſeruatam poterunt commutare, *arg. tex. in c. qui bona, & §. ſi ergò, 17. q. 1. vbi Gratian.* ait, quòd apud Deum propoſitum pro opere reputatur, his verbis, *Quòd verò inter vouentes iſte computandus ſit, patet ex verbis Auguſtini, dicentis, Dixi, confitebor, &c. Magna pietas Dei eſt, vt ad ſolam promiſſionem peccata dimittat. Non dum enim pronunciat ore, & tamen Deus audit in corde. Votum enim pro opere reputatur.* Vbi eſt adnotandum ex *Gloſa in ver. Pronunciat*, ita ſe habente, *Ergò obligatur, quis ex ſolo propoſito cordis: quod Vgo concedit.*

5 Non tamen negamus, quod ſicut propoſitum quod ſtat in ſolis finibus cogitationis nõ obligat hominem, *vt in l. ſi repetendi, C. de condit. ob cauſ.* Ita non obligat Deo, vt habetur ex *Anan. in c. litteraturam, ſub num. 2. de vot. & voti redemp.* Dixi, *In ſolis finibus cogitationis.* Quoniam, ait idem *Anan.* ibi ſecus dicendum eſt ſi firmauit in mente Deo aliquid facere, vel derelinquere: nam tunc quoad Deum, qui intuetur cor, & non manum, *vt in c. ſi quid inueniſti, 14. q. 5.* efficaciter obligatur. Vndè *D. Thom. 2. 2. q. 87. art. 1.* ait, quòd votum habet in ſe obligationem annexam; ſecus in promiſſione, quæ fit homini; quia tunc requiritur verborũ expreſſio, vel conſenſus; ſed quoad Deum ſatis eſt animus

6 deliberatus. Ex dictis modò patet quid reſpondendum ſit ad contraria. Etenim ad primum negatur antecedens, vt patet ex *text. in d. l. apud Aufidium, ff. de opinione, ſeu elect. leg.* Ad ſecundum negatur quoque antecedens: & ad vltimum negatur conſequentia.

An votum Religionis, & caſtitatis reſeruatum à S. P. commutatum in aliud non reſeruatum, vi Iubilæi, aut per Epiſcopum poſſit iterum commutari.

S E C. LXXVI.

S V M M A R I V M.

1 *Adducitur pars negatiua ex ratione, quod ſubrogatum naturam ſapit eius, cui ſubrogatur, & num. 3.*

2 *Verior eſt ſententia, quod tàm Confeſſarius vi Iubilæi, quàm Epiſcopus commutare poſſunt materiam, in quam à Rom. Pontifice vota caſtitatis, & Religionis commutata ſunt.*

3 *Axioma illud, quod ſubrogatum ſapit, &c. verum eſt in fauorabilibus, & circa id, quod continet ad ſubrogationem intrinſecè, non vero in odioſis, & quæ extrinſeca & accidentalia ſunt.*

4 *In facultate diſpenſandi, aut commutandi vota non currit Præcepta Principis, ſed eſt conceſſa viro alieni docto in gratiam vouentis.*

1 IN hac re partem negatiuam docent quamplurimi apud *Azor. tom. 1. inſtit. moral. c. 18. q. 11.* Moti ex eo, quòd ſubrogatum ſapit naturam eius cui ſubrogatur, vt habetur ex *Panor. in c. Eccleſia 1. num. 3.* per illum *tex. vt lite pend.* cùm igitur votũ caſtitatis, aut Religionis, cuius loco ſubrogatur materia illa non reſeruata, in quam facta eſt commutatio, reſeruata erit, ſicut votum caſtitatis, aut Religionis. Secundò probàtur hæc ſententia, quoniam onus illud, in quod

facta

facta eſt commutatio, eſt impoſitum ex præſcripto Rom. Pontificis: at in præcepto Superioris non poteſt inferior diſpenſare, *l. minor Magiſtratus, ff. de arbitr.* ergò, &c.

2 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam arbitror de iure veriorem eſſe, quam tenent *Henriq. lib. 7. ſua ſum. c. 30. nu. 5. in addit. litt. O. & lib. 11. c. 13. nu. 8. in addit. litt. A. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 6. de voto, c. 20. nu. 13. Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 9. nu. 20. Syl. ver. Votum 4. q. 7. in fine, Sà eod. ver. num. vlt. Laym. lib. 4. ſua ſum. tract. 4. c. 8. nu. 11. Leſſ. lib. 1. de iuſt. & iure, c. 40. nu. 31. Arag. 2. 2. q. 88. art. 12. Malder. in 22. tract. 10. c. 5. dub. 11. Sayr. in Claui Reg. lib. c. 12. nu. 24. Lauor. de iubil. p. 2. c. 27. num. 202. Tambur. de iure Abb. tom. 2. diſp. 18. q. 8. nu. 11. & Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 71. & p. 5. tract. 12. reſol. 60.* Dicentes, Epiſcopum, & Confeſſarium vi Iubilæi, vel alterius priuilegij poſſe diſpenſare in votis, eademq; ex cauſa commutare quoad materiam in quam à Rom. Pontifice commutata ſunt; atque ideò ſi Rom. Pontifex commutauit votum Religionis, aut caſtitatis, quæ ſunt reſeruata in eleemoſynas, aut in aliam materiam non reſeruatam; poteſt Epiſcopus, vel Confeſſarius vi Iubilæi, vel alterius priuilegij materiam illam ex rationabili cauſa commutare, vel in eadem diſpenſare. Etenim eo ipſo, quòd prius votum cum vouentis conſenſu commutatum eſt, quaſi aliud, & nouum votum euadit, atque ideò nouam obligationem continet, cuius materia reſeruata non eſt.

Ad contraria facilè reſpondetur.

3 AD primum reſpondent quidam, illud axioma verum eſſe in fauorabilibus, nō autem in odioſis, qualis eſt reſeruatio. Vel ſecundò, & melius reſpondetur, illud axioma verum eſſe citra id quod attinet ad ea, quæ ad ſubrogationem per ſe, atque intrinſecè ſpectant, non quæ extrinſeca, accidentaria ſunt, eiuſmodi eſt reſeruatio ſuperioris, ex einſdem libera voluntate proficiſcens: quo circa reſeruatio hæc tum ſit odioſa non eſt extendenda ad materiam ſubrogatam citra ſpecialem declarationē ſubrogantis.

4 Ad ſecundum reſpondetur, negando maiorem: nam eo caſu non concurrit peculiare præceptum Principis, ſed conceſſa eſt in gratiam vouentis facultas diſpenſandi, aut commutandi viro alicui docto, ea tamen lege, vt vouenti imponat pia aliqua opera; non tamen iuſſit Rom. Pontifex, illa pia opera ita manere ſub obligatione, vt non poſſit Epiſcopus, aut Confeſſarius vi Iubilæi, aut alterius priuilegij ex cauſa in illis diſpenſare, aut eadem commutare.

An Confeſſarius vi Iubilæi poſſit commutare uotum perpetuæ caſtitatis, aut Religionis metu leui extortum.

SEC. LXXVII.

SVMMARIVM.

1 *Aſſertur pars negatiua, & quare.*

2 *Oppoſita ſententia eſt verior, nam votum ſolemne etiam ex leui metu iniuſtè incuſſo emiſſum, irritum eſt in foro conſcientia.*

3 *Limitatur tamen in metu, ab intrinſeco incuſſo ratione infirmitatis, & naufragij, &c.*

1 NEgatiuam partem docent *Suar. de Relig. tom. 1. lib. 6. de voto, c. 26. n. 4. & 5. Lauor. de iubil. p. 2. c. 27. nu. 187. & alij.* Mouentur ex eo, quòd inuoluntarium, quod in eiuſmodi voto conſpicitur, eſt tantùm ſecundùm quid, atque ideò non eſt ſatis ad tollendam reſeruationem: meritò igitur Confeſſarius vi Iubilæi, aut alterius priuilegij ſimilis non poteſt commutare votum perpetuæ caſtitatis, vel Religionis metu leui extortum.

2 His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſententiam puto veriorem, quam docent *Laym. lib. 4. ſua ſum. tract. 4. c. 8. n. 11. Henriq. lib. 11. c. 15. nu. 8. Nauar. in Man. c. 14. nu. 59. Rodriq. par. 1. ſua ſum. c. 243. nu. 14. Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iure, c. 40. num. 31. Alph. de Leone de iubil. p. 2. q. 17. ſec. 1. num. 9. & Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 73. & p. 5. tract. 12. reſol. 61.* Mouentur ex eo præſertim *Rodriq. Nauar. & Laym.* quòd votum etiam ſolemne ex leui metu iniuſtè incuſſo emiſſum in foro conſcientiæ eſt irritū. Confirmatur, quoniam eſto, quòd eiuſmodi vota non ſint irrita; ſunt tamen facilis diſpenſationis ob imperfectionem conſenſus, præſumendum eſt, Rom. Pontificem noluiſſe eiuſmodi vota

3 reſeruare. Limitat tamen *d. Alph. de Leone* hanc ſententiam, vt locum ſibi vendicet in metu incuſſo ab extrinſeco: ſecus ſi incutiatur ab intrinſeco, nempè ſi emittatur ratione infirmitatis naufragij, &c. Nam eiuſmodi metus non tribuit ſecundum communem Doctorum ſententiam, facultatem Epiſcopis cōmutandi eiuſmodi vota, aut in eiſdem diſpenſandi. Ad contrarium modò patet reſponſio ex dictis.

An Confeſſarius vi Iubilæi, aut alterius priuilegij poſſit partem voti alternatiui non reſeruatam commutare, quando materia non reſeruata facta eſt impoſſibilis.

SEC. LXXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Fingitur caſus pro explicatione quæſtionis.*

2 *Adducitur prima opinio non poſſe Confeſſariū votum hoc commutare.*

3 *Verior ſententia eſt in contrarium, & quare.*

1 PRo explicatione tit. q. ponamus caſum, quòd quis emiſerit votum caſtitatis, vel elargiendi in eleemoſynam alicui hoſpitali centum: & quòd deindè efficiatur decoctus, ita vt non valeat partem voti non reſeruati adimplere, ſed bene poſſit adimplere alteram partem reſeruatam, nempè votum caſtitatis: quæritur, an tali caſu poſſit Confeſſarius virtute Iubilæi, aut alterius priuilegij eiuſmodi votum commutare?

2 In hac difficultate pugnantes extant opiniodes. Nam prima ſentētia eſt *Bonac. in ſuo tract. de legib. diſp. 4. q. 2. pun. 7. §. 4. nu. 18.* Dicentis, non poſſe Confeſſarium tale votum commutare: ſiquidem materia talis voti verè eſt reſeruata; atque ideò neque per Iubilæum, neque per Bullam Cruciatæ, neque per Epiſcopum poteſt fieri talis commutatio; ſed omninò exigitur ſpecialis derogatio Rom. Pontificis ad commutandum votum caſtitatis.

3 Oppoſitis tamen non obſtantibus, in contrarium eſt verior ſententia, quam docent *Suar.*

tom.

tom.2.de Relig.lib.6.c.24.nu.4. Sanch.lib.4.ſua ſum.c.40.nu.44.& Diana p.1.reſol.moral.tract. 11.reſol.74. Etenim huiuſmodi votum per ſe, & ex ſui natura numquam cenſetur obligaſſe vouentem ad partem reſeruatam; ſed obligatio ad illam oritur poſtea per accidens ex ſolo facto, & impoſſibilitate alterius materiæ non reſeruatæ, non ex vi voti. In moralibus autem attenditur id, quod eſt per ſe, non autem per accidens. Et ſic patet reſponſio ad *Bonac.* rationem.

An Confeſſarius virtute Iubilęi reſeruantis diſpenſationem, & commutationem voti Religionis, poſſit commutare uotum Religionis Melitenſis, aut ſuper eodem diſpenſare.

SEC. LXXIX.

SVMMARIVM.

1 *Milites Militenſes largi modo ſunt Religioſi.*

2 *Contraria ſententia eſt de Iure verior, quod enim dicimus de Bulla Cruciata dicendum quoque eſt de Iubilao.*

3 *Milites huiuſmodi tria vota ſubſtantialia emittunt, gaudent priuilegio fori, & canonis: Et per profeſſionem in hac Religione matrimonium dirimitur ratum, & non conſumatū,*

1 IN hac difficultate *Panor. in rub. de Regular. nu.4. Sot.lib.7.de iuſt. & iure,q.5.art.3.Sylver. Religio 1. q.1. Gonzalez in reg. 8. Cancell. Gloſ.8. nu.57. & 65. Sarmien. lib. 4. de reddit. Eccl. q.1.nu.13.* Et alij, ex quo uolunt eiuſmodi milites non eſſe propriè, ſed largo modo Religioſos, conſequenter uolunt, uotum Religionis Melitenſis poſſe commutari per Confeſſarium ui Iubilæi, aut alterius priuilegij dantis facultatem commutandi omnia uota, & in eis diſpenſandi, exceptis uotis Religionis, & caſtitatis.

2 His tamen non obſtantibus contrariam ſententiam arbitror de iure ueram eſſe, quam docet *Henriq.lib.11. ſua ſum. c 8. num. 6. Ledeſ. de matr.q.61.art.8.ad 4.Rodriq.in Bull.Cruciata, §.9.nu.123. Natta conſ.495.nu.12.lib.3.Rimin. conſ.527.nu.23. & 24.lib.5.Decian.tract.crim. p.1.lib.4.c.9.nu.36. Cord. in ſua ſum.q.178. in fine, Molina de primog. Hyſpan. lib. 1. c.13.nu. 89.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana par.1. reſol.moral.tract.11. reſol.77.* Qui quamuis loquantur de Bulla Cruciatæ; tamen idem dicendum eſt de Iubilæo, cùm eadem facultas abſoluendi à quibuſcunque peccatis, &c. Et diſpenſandi, ac commutandi uota, exceptis uotis Religionis, &c. Quæ datur per Iubilæum, datur etiā per Bullam Cruciatæ. Vndè cùm uotum Religionis ſit unum ex exceptuatis, tàm ui Bullæ Cruciatæ, quàm per Iubilæum, conſequenter fit, ut per Confeſſarium ui Iubilæi, & d. Bullæ non poſſint commutari uota Religionis Melitenſis, aut ſuper eiſdem diſpenſari. Etenim Milites Militenſes; aliàs Hieroſolymitani ſunt uerè, & propriè perſonæ Eccleſiaſticæ, & formaliter Religioſi, ut patet ex ijs, quæ latè habentur per *Nauar. in ſuo tract. de reddit. Eccl. q.1.monit. 27. Azor.tom.1.inſtit.moral.lib.13.c.4. q.4.* Si-

3 quidem profitentur tria uota ſubſtantialia Religionis, & gaudent beneficio fori, & canonis, ut nos oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna,lib.2.c.15.q.5.nu.5.* Imò per profeſſionem in eiuſmodi Religione dirimitur matrimonium ratum, & non conſumatum, ut de *D. Gaſtone Duce Metina* teſtatur *Sanch. de matrim. lib.8. diſp.18. nu.8.* Et conſtat etiam ex conſtitutionibus eiuſdem Religionis, per Rom. Pontificem approbatis, in quibus habetur, poſſe ad Religionem ipſam admitti obligatos matrimonio rato. Vndè ſicut per Iubilæum, & per Bullam Cruciatæ non poſſunt eiuſmodi uota commutari, nec ſuper eiſdem diſpenſari; ita etiam dicendum eſt de Epiſcopo, vt hanc facultatem non habeat, vt notat *Fauſt.in Theſauro Relig.lib.3.q.97.nu. 1.* & alij apud eundem *Diana loco citato.*

An vi Iubilæi reſeruantis diſpenſationem, & commutationem voti Religionis, poſſit Confeſſarius commutare votum Religionis D. Iacobi, Calatrauæ, & Alcantaræ.

SEC. LXXX.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur prima ſententia affirmatiua eorum putantium hos milites non eſſe verè Religioſos.*

2 *Adducitur ſententia negatiua Nauar. & aliorum, qui putant hos eſſe verè, & propriè Religioſos.*

3 *Probabile eſt, quod Confeſſarius vi Iubilai, vel Bulla Cruciata commutare poteſt vota Religionis S. Iacobi, Calatraua, & Alcantara.*

1 IN hac re quoniam *Sot. lib. 7. de iuſt. & iure, q.5.art.3. Aragon. 22. q. 88. art.11.* Et alij, quos retulimus, ſec. præced. in relatione primæ ſententiæ, putant eiuſmodi milites non eſſe verè Religioſos, conſequenter docent, vi Iubilæi, aut alterius priuilegij excipientis votum Religionis, &c. Reliquis votis non exceptis, poſſe Confeſſarium commutare eiuſmodi Religionum vota, ac in eiſdem diſpenſare.

2 *Nauar. autem in ſuo tract. de reddit. Eccl. q.1.monit.55. & q.3.monit.28. Baſil. Pont. de de impedim. matrim.cauſ.27.q.2.§.4. Lopez. in inſtr.p.2.c.9. ad fin.* & alij apud *Dian.p.1.reſol. moral. tract.11. reſol. 78.* Tenent partem negatiuam loquentes de priuilegio Bullæ Cruciatæ, quod excipit votum Religionis, ſicut per Iubilæum reſeruatur. Mouentur ex eo, quòd prædicti Milites ſunt verè, ac propriè perſonæ Eccleſiaſticæ, & formaliter Religioſi; ſicut Milites Militenſes, ſeù Hieroſolymitani. Etenim emittunt tria vota ſubſtantialia Religionis; quidam ſcilicèt iuxta Regulam *D. Auguſtini*, & alij iuxta regulam *D. Benedicti*, vt probat *Nauar. d.monit.28.* Et quamuis non voueant caſtitatem ſimpliciter; ſed tantùm caſtitatem coniugalem; fuit tamen eis ex priuilegio Rom. Pontificis commutatum votum caſtitatis ſimpliciter in votum caſtitatis coniugalis; atque ideò dicuntur vouere caſtitatem, & profitentur tria vota ſubſtantialia Religionis: ſiquidem commutatio uoti continentię in caſtitatem coniugalem non mutat Regulæ ſubſtantiam, vt fuit deciſum per Rot. Rom. in nouiſſim. *p.2.deciſ.266. nu.6.* Et ob id nos diximus in noſtris *Commen. in Bull. Cœna lib.2.c.15. q. nu. 10.* Quòd trahentes Milites ad forum ſæculare, incidunt in excommunicationem d. Bullæ.

Eſt

3 Eſt tamen verum, quòd eùm prior ſententia
ſit probabilis, *Diana p.1.reſol. moral. tract. 11.
reſol.78.* putat, Confeſſariū vi Iubilæi, aut Bullæ
Cruciatæ poſſe commutare vota Religionis S.
Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ: imò & Epiſco-
pum, vt docet *Sanch. de matr. lib.8. diſp.9. nu.
16.* Etenim vt Epiſcopus, uel Confeſſarius uirtute
Bullæ Cruciatæ, aut alicuius Iubilæi poſſit com-
mutare aliquod uotum; ſatis eſt, quòd ſit ſub
opinione, an ſit reſeruatum, nec ne. Quibus adde
ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. 50.*

An ui Iubilæi reſeruantis uotum Religionis, poſſit
Confeſſarius commutare uotum perſeuerandi
in Religione, aut in eo diſpenſare.

SEC. LXXXI.

SVMMARIVM.

1 *Votum perſeuerandi in Religione, votum eſt
Religionis, & nu. 3.*

2 *Probabilius eſt, poſſe Epiſcopum hoc votum
commutare, & in eo diſpenſare.*

3 *Sic etiam, & Confeſſarius, diuerſum enim eſt
votum perſeuerandi in Religione à voto Re-
ligionis.*

1 IN hac re videtur negatiuè reſpōdendum eſſe.
Etenim votum perſeuerandi in Religione,
eſt votum Religionis, quod eſt reſeruatum per
Iubilæum, ac etiam per Bull. Cruciatæ. Vnde ſi
eiuſmodi votum emittat Nouitius, non poteſt
illud commutare, aut in eo diſpenſare Confeſſa-
rius vi Iubilæi, aut virtute Bullæ Cruciatæ. Et
hanc ſententiam docent *Azor. p.1.lib.11. inſtit.
moral.c.22.q.8. Valent. tom.3.diſp.6.q.6.pun.4.
queſtiun.4. Rodriq.tom.2.ſua ſum.c.95.nu.7.Syl.
ver. Religio 2.q.19. & alij.*

2 His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſen-
tentiam puto probabiliorem eſſe, quam tenent
Sanch. de matr. tom.3. lib.8. diſp.15. nu.4. qui
loquitur in terminis Bullæ Cruciatæ, & in *ſum.
tom.1.lib.4.c.40.nu.75.* Inquit etiam Epiſcopum
poſſe commutare eiuſmodi uotum, & in eo di-
ſpenſare. Hanc eandem opinionem docent
*Malder. in 22. tract. 10.c.5. dub.10.num.8. &
Santarell. de iubil. c.10. dub. 4. & Alph. de
Leone eod.tract.* quos refert, & ſequitur *Diana
p.1.reſol.moral.tract.11.reſol.79.* Qui loquuntur
3 in ſpecie de Confeſſario, qui ex ui Iubilæi facul-
tatem habet commutandi uota, & in eis diſpen-
ſandi, exceptis uotis Religionis, & caſtitatis: di-
cunt enim eum poſſe commutare uotum de quo
agitur, & in eo diſpenſare. Mouentur ex eo, quòd
uotum perſeuerandi in Religione eſt diuerſum
à uoto Religionis: Confeſſarius tale uotum
commutans, non commutat uotum Religionis,
ſed qualitatem adiunctam uoto: quæ qualitas
nō eſt Rom. Pontifici reſeruata. Imò ipſe *Diana
loco citato* arbitratur, poſſe in tali caſu uouentem
egredi è Religione citra ullam uoti commuta-
tionem, ac diſpenſationem; quoniam probabilis
eſt ſententia illa quam poſt alios tenet *Leſſ. de
iuſt. & iure, lib:2.c.41.dub.5.nu.46.* Et ſe habet,
quòd uotum perſeuerandi in Religione non
obligat ſi bona fide in probatione, putet quis
ſibi eam non eſſe accommodam. Ad contrarium
patet reſponſio ex dictis.

An Confeſſarius ui Iubilæi dantis facultatem com
mutandi omnia uota, & in eis diſpenſandi, ex-
ceptis uotis Religionis, & caſtitatis, poſſit
commutare uotum Religionis, ut
ex cauſa non impleatur tem-
pore præſcripto.

SEC. LXXXII.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopus non poteſt in hoc voto diſpenſare, niſi
Sum. Pontifex adiri non poſſit.*

2 *Oppoſita ſentẽtia eſt probabilior exemplo Bullæ
Cruciatæ.*

3 *Poteſt Cōfeſſarius vi Iubilæi commutare ingre-
diendi Religionem ſtrictiorem, vt laxiorem
ingrediatur.*

4 *Si quis voueris adire Sanctum Sepulcrum men-
dicando, poterit Confeſſarius vi Iubilæi, vel
Bullæ Cruciatæ commutare, vt votum adim-
pleat, portans expenſas neceſſarias itineris.*

1 IN hac difficultate *Suar.tom.2.de Relig.lib.6.
c.26. nu. 11. & 12.* Docet Epiſcopum non
poſſe in tali uoto diſpenſare, niſi ob cauſam ſu-
peruenientem non poſſit adiri S. P. ſiquidem
talis circumſtantia multum attingit uoti ſub-
ſtantiam: eo quòd differt totam uoti obſeruatio-
nem pro aliquo tempore: ergò ſi id non poteſt
Epiſcopus, nec etiam uidetur poſſe Confeſſarius
ui præfati Iubilæi, aut priuilegij ſimilis.

2 His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſen-
tentiam arbitror eſſe probabiliorem, quam do-
cent *Sanch.lib.8 de matr.diſp.9.nu.19.diſp.15.
nu.4. & tom.1. ſua ſum.lib.4.c.40.nu.76. Molf.
in ſum. tom. 1. tract.11. c.5.nu.147. Malder. in
22.tract.10.c.5.dub.10. nu. 9.* quos refert, & ſe-
quitur *Diana p.1.reſol.moral.tract.11.reſol.80.*
& quamuis *Sanch. d. nu.4.* Loquatur in terminis
Bullæ Cruciatæ, tamen idem dicendū eſt quoad
Iubilæum ſupra relatum, ut ſæpè diximus, pu-
tant enim, Epiſcopum poſſe ordinaria poteſtate
in eiuſmodi uoti dilatione diſpenſare, dummodò
uotum non adeò differatur, ut ſit periculum in
eum ſtatum incidendi, ut ita uouens non redda-
tur impotens ad uotum implendum: id enim
non eſt diſpenſare in ſubſtantia uoti; ſed tantum
in eius qualitate. Quòd ſi hoc caſu poteſt Epi-
ſcopus diſpenſare, poteſt etiam Confeſſarius ui
Iubilæi, per quem datur facultas diſpenſandi in
quibuſcunq; uotis, eademq; commutandi, ex-
ceptis uotis Religionis, & caſtitatis, &c.

3 Ex dictis modò patet, poſſe Confeſſarium ui
Iubilæi commutare ex cauſa uotum ingrediendi
Religionem ſtrictiorem, ut laxiorem ingredia-
tur: quoniam id non eſt commutare uotum Re-
ligionis, atque ideò uotum reſeruatum; ſed qua-
litatem adiunctam ſubſtantiæ uoti Religionis,
ut habetur ex *Syl. ver. Votum, 4.q.3.d.6. Palud.
in 4.diſt.38.q.4.art.4.nu.43. Rodriq.in ſum.tom.
2.c.96.nu.5. D. Anton.p.2.tit.11.c.2.§.9. not. 4.
verſ. Hoc autem videtur: Menoch. de arbitr.
lib.2.centur.5. caſu 421.nu.16.* & ex alijs, quos
refert, & ſequitur *Diana p.1. reſol.moral.tract.
11.reſol.55. & 83.* Qui licèt loquatur de priui-
legio Bullæ Cruciatæ, tam idem dicendum eſt
de facultate conceſſa ui Iubilæi, iuxta ea, quæ
4 ſupra adnotauimus. Idem dicendum eſt de eo,
qui uouit adire Sanctum Sepulcrū mendicando
quod uotum reſeruatum ſupponimus Papæ:

nam

nam Confeſſarius ui Iubilæi, aut uirtute Bullæ Cruciatæ poteſt commutare eiuſmodi uotum, ut portans neceſſarias itineris expenſas uotum illud adimpleat: quia hoc caſu Confeſſatius non commutat uotum reſernatum, quale eſt uotum uiſitandi Sanctnm Sepulcrum; ſed circumſtantiam, ſeù qualitatem per accidens ipſi uoto adiunctam, ut rectè docet *Leſſ. lib. 2. de iuſt. & iur. c. 40. dub. 13. n. 105. Molſ. tom. 1. ſua ſum. c. 15. n. 145. & Diana d. reſol. 83.* Qui licèt loquantur de Epiſcopo, & Confeſſario uirtute Bullæ Cruciatę; nihilominus idem dicimus de Confeſſario ui ſupradicti Iubilæi, reſeruantis uotum uiſitandi Sanctum Sepulcrum.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota Religionis, & caſtitatis poſſit commutare uotum uouendi caſtitatem, ſeù Religionem.

S E C. LXXXIII.

S V M M A R I V M.

1 *Reſponſio adducitur affirmatiua, cum votum vouendi caſtitatem, ſeù Religionem non ſit votum caſtitatis, vel Religionis.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur affirmatiuè. Etenim uotum uouendi caſtitatem, ſeù Religionem non eſt uotum caſtitatis, nec Religionis: quoniam uelle facere, non eſt facere. Vndè ſi ita uouens fornicaretur ante promiſſam caſtitatem nõ uiolaret uotum. Ita *Sanch. tom. 1. ſua ſum. lib. 4. c. 40. nu 70. Molſeſ. tom. 1. ſum. Theol. tract. 11. c. 15. nu. 148. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 21. nu. 7. & Diana p. 1. reſol. moral. reſol. 76.* Qui quamuis loquatur de Confeſſario ui Bullæ Cruciatæ; nihilominus idem dicendum eſt de Confeſſario ui Iubilæi.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota Religionis, & caſtitatis, poſſit eiuſmodi uota commutare, emiſſa à perſona alterius poteſtati ſubiecta, nempè à conjugata, ſeruo, & filio, citra licentiam, uiri, Domini, uel Patris.

S E C. LXXXIV.

S V M M A R I V M.

1 *Affirmatiua eſt prima ſententia, tùm de Epiſcopo, tùm de Confeſſario vi Iubilæi, & quare.*

2 *Oppoſitam ſententiam Doc. alij, cum ex diuerſis non fiat illatio.*

1 IN hac partem affirmatiuam docet *Guttier. lib. 2. qq. canon. c. 22. nu.* 49. Loquendo de Epiſcopo; atque ideò idem diceret de Confeſſario ui Iubilæi concedentis facultatem commutandi omnia uota, & in eis diſpenſandi, exceptis uotis caſtitatis, & Religionis. Mouetur ex eo, quoniam uir, Dominus, & Pater poſſunt eiuſmodi uota irritare; ergò poterit, & Epiſcopus diſpenſare, & commutare, & Confeſſarius pariter ui Iubilæi, aut alterius priuilegij ſimilis.

2 Oppoſitam tamen ſententiam docent *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 26. nu. 3. Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 9. nu. 4. Malder. in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 10. nu. 11.* cum qua etiam pertranſit *Diana par. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 84.* Moti ex eo, quòd cùm hæc poteſtas ſit diuerſa, ac diuerſa principia habeat, non poteſt ex una ad alteram deduci argumentum; eo quòd ex diuerſis non fit illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minor.* Et Rom. Pontifex reſeruando ſibi talia uota, cenſetur derogare poteſtati dominatiuæ, quam habet Pater, uir, & Dominus ſuper filium, uxorem, & ſeruum: ſecus autem dicendum eſt de poteſtate diſpenſandi, & commutandi.

An ui Iubilæi excipientis uota Religionis, & caſtitatis poſſit Confeſſarius commutare uotum pœnale Religionis, ſeù caſtitatis, & in eo ipſo diſpenſare.

S E C. LXXXV.

S V M M A R I V M.

1 *Votum pœnale Religionis, vel caſtitatis dicitur cum quis in pœnam alicuius facti vouet perpetuam caſtitatem, vel ingredi Religionem.*

2 *Votum formaliter penale quodnam dicatur.*

3 *Confeſſarius, nec vi Bullæ Cruciatæ, nec Iubilæi diſpenſare poteſt in voto pœnali Religionis, & caſtitatis.*

4 *Verior eſt ſententia, quod poſſit Confeſſarius in hoc voto diſpenſare, idemq; commutare.*

5 *Epiſcopus eiuſmodi vota commutare, & ſuper eis diſpenſare poteſt, igitur quoque Cõfeſſarius.*

6 *Confeſſarius tùm ante, tùm poſt impletam conditionem commutare poteſt vota pœnalia Religionis, & caſtitatis.*

7 *Confeſſarius vi Iubilæi ne dum vota pœnalia caſtitatis, & Religionis commutare poteſt, ſed vota quoque conditionalia eorundem.*

8 *Commutare vero non poterit votum Religionis, aut caſtitatis purè pœnale, & quod conditionem non inuoluit.*

1 AD intelligentiam eorum, quæ dicenda erunt, eſt adnot. quòd votum pœnale Religionis, ſeù caſtitatis dicitur cùm quis in pœnam alicuius facti vouet perpetuam caſtitatem, aut Religionem ingredi. Vt ſi quis proponat, v.g. non fornificari, & ſi fornicetur, vouet perpetuam caſtitatem, aut Religionem ingredi. Hoc autem votum differt à voto conditionali Religionis, ſeù caſtitatis: ſiquidem votum conditionale nuncupatur, quod factum eſt ſub aliqua conditione, vt ſi quis voueat caſtitatem, vel Religionem ſi recuperet ſanitatem, vt habetur ex *Molſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 12. num. 22.*

2 Votum verò pœnale formaliter dicitur cum quis in pœnam alicuius facti vouet Religionem, vel caſtitatem perpetuam, vt ſi quis proponat nunquam ludere aleis, & ſi aleis luſerit vouet caſtitatem, aut Religionem, vt habetur ex eodem *Molſeſ.* poſt alios *d. tract. 11. c. 14. ſub num.* 57. qui ait, quòd eiuſmodi votum reſoluitur in conditionale. Poteſt autem dici votum pœnale formaliter non inuoluens conditionem, cùm quis v. g. aliquem à Religione doloſè ſubtraxerit, & facti pœnitens in pœnam vouet ingredi Religionem, aut perpetuam caſtitatem.

3 In hac difficultate partem negatiuam docent *Acoſt. in Bull. Cruciata, q. 73.* & alij, qui cum vi dictæ Bullæ negent poſſe Cõfeſſarium diſpenſare in voto pœnali Religionis, & caſtitatis, conſequenter negant id poſſe vi Iubilæi excipientis vota caſtitatis, ac Religionis: ſiquidem hæc

quoque

quoque vota excipiuntur ind. Bulla, ſicut., & vota tranſ.nerina, vt habetur ex *Fernandez in exom. Theol. moral. p. 3. c. 9. ſec 2. §. 17. num. 7. Villaloh. in ſum. tom 1. tract. 27. clauſ. 9. §. 5. nu. 43. & Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 68.* Mouetur ipſe *Acoſta* ex eo, quòd eiuſmodi vota ſunt excepta vt ſupra, atque ideò reſeruata Rom. Pontifici.

4 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror de iure veriorem eſſe, atque poſſe Confeſſarium vota, de quibus agitur commutare, & in eis diſpenſare vi prædicti Iubilæi: ſiquidem vota pœnalia Religionis, & caſtitatis deficiunt valdè à perfecta votorum caſtitatis, ac Religionis, natura, ratione cuius perfectionis reſeruantur huiuſmodi vota. Etenim vouens tali caſu non eligit votum, vt tale eſt; ſed potius eius timore, & odio vult deterreri, ne delictum committeret, quod vitare propoſuit. Ita *Sanch. de matr. lib. 8. diſp. 15. num. 8. Nugn. in 3. p. tom. 2. tract. de Bull. §. 11. Ioan. della Cruz in director. conſc. p. 2. pracep. 2. art. 2. dub. 10. concl. 4. in fine, Fernandez in exam. Theol. moral. p. 3. c. 9. ſec. 2. §. 17. n. 9. Villalob. tom. 1. ſua ſum. tract. 27 clauſ. 9. §. 3. nu. 42. & Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 53.* Qui quamuis loquatur de Confeſſario vigore Bullæ Cruciatæ vota pœnalia ſupradicta commutare volente, ſeù ſuper eiſdem diſpenſare; tamen idem dicerent de Confeſſario commutante talia vota vi Iubilæi, & in eiſdem diſpenſante, cum eadem militet ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

5 Confirmatur hæc eadem concluſio; quoniam Epiſcopus eiuſmodi vota commutare, & ſuper eiſdem diſpenſare poteſt, vt habetur ex *Sanch. loco citato, Henriq. lib. 7. ſua ſum. c. 30. nu. 6. in addit. litt. A.* Et ex alijs, ergò idem dicendum eſt de Confeſſario vi ſupradicti Iubilæi, cum eadem militet ratio, vt docet *Sanch. ibidem, nu. 5. Santarell. de iubil. c. 9. dub. 1. & Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 56.* Vbi probat virtute Iubilæi, & Bullæ Cruciatæ poſſe Confeſſarium commutare omnia vota, quæ Epiſcopus commutare poteſt: quod tamen verum eſſe ait, quando Epiſcopus diſpenſat, vt Epiſcopus; non autem quando diſpenſat, vt Sedis Apoſtolicæ delegatus, iuxta ea, quæ cumulantur per *Barb. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 37. 14. & Alph. de Leone in tract. de iubil. p. 2. q. 13. ſec. 2. nu. 97.*

6 Ampliatur hæc concluſio, vt locum ſibi vendicet, atque ideò Confeſſarium poſſe commutare vota pœnalia Religionis, ſeù caſtitatis; ſiuè antequam fuerit impleta conditio, ſiuè poſt impletam conditionem: ſiquidem in vtroque caſu militat eadem ratio, vt per *Diana d. reſol. 53.*

7 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt Confeſſarius vi Iubilæi poſſit commutare non ſolùm vota pœnalia Religionis, ſeù caſtitatis, vt ſupra, & ſuper eiſdem diſpenſare; verum etiam vota conditionalia caſtitatis, ac Religionis, quando ſunt verè conditionalia: quoniam eiuſmodi vota non ſemper procedunt ex Religionis, aut caſtitatis affectu; ſed amore rei poſitæ ſub cōditione, quam vouens obtinere deſiderat, & vt facilius conſequatur offert Deo vota illa: vt patet ex ijs, quæ docet *Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 11. nu. 8. in fine, & Diana d. tract. 11. reſol. 54.* Vbi id quoq; ait verum eſſe non ſolùm antè, ſed etiam poſt impletam conditionem: & poſſe pariter Epiſcopum eadem vota commutare, ac ſuper eiſdem diſpenſare, vt per eundem *Sanch. d. lib. 8 de matr. diſp. 10. nu. 3. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 22. nu. 11* cum alijs, quos allegat.

8 Sic ampliata limitatur concluſio, vt fortè locum non habeat in voto Religionis, aut caſtitatis purè pœnali, quod conditionem non inuoluit; de quo ſupra egimus in not. circa finem. Vt cùm quis facinoris præteriti dolens in pœnam ipſius facinoris, vouit Religionem ingredi, aut perpetuam caſtitatem ſeruare: quoniam hoc caſu dicitur eligere votum, vt tale eſt, & vt condignam proprij facinoris pœnitentiam agat: non autem vt eius timore facinus effugiat: aut ex amore rei poſitæ ſub conditione, quam vouens obtinere deſiderat.

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis vota caſtitatis, ac Religionis, poſſit commutare votum non nubendi, ac in eo diſpenſare.

SEC. LXXXVI.

SVMMARIVM.

1 *Votum non nubendi eſt tacitum, ac implicitum votum caſtitatis.*

2 *Vera eſt ſententia contraria, quod tàm Epiſcopus, quàm Confeſſarius, commutare poſſit votum non nubendi.*

3 *Limitatur ſi emiſſum fuiſſet in fauorem alterius coniugis, id petentis ob filiorum bonum.*

1 IN hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe: ſiquidem votum non nubendi, eſt tacitum, ac implicitum votum caſtitatis: at taciti, & expreſſi eadem eſt virtus, *vt in l. cum quid*, & ibi *Iaſ. ff. ſi cert. petat.* Ergò ſicut votum expreſſum caſtitatis eſt reſeruatum vi Iubilæi, ita vt à Confeſſario commutari non poſſit, nec in eo diſpenſari; ita etiam dicendum eſt de voto caſtitatis tacito, nempè de voto non nubendi; cùm ſit perpetuum, & reducatur ad votum caſtitatis. Et hanc ſententiam docet *Caiet.* quem refert *Henriq. lib. 7. c. 30. nu. 6. in addit. lit. D.*

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto ueram. Etenim tàm Epiſcopus, quàm Confeſſarius ui Bullæ Cruciatæ poſſunt commutare huiuſmodi uotum: ſiquidem uotum non nubendi non eſt uotum abſolutum caſtitatis; nam ſi uouens poſt uotum emiſſum fornicetur, non dicitur uiolare uotum; quia poteſt ſeparari fornicatio à concubitu inter coniuges, ut docent communiter Doctores, nempè *Henriq. lib. 7. ſua ſum. c. 30. nu. 6. in addit. litt. D. Vgol. de poteſt. Epiſc. c. 58. §. 8. num. 3. Barb. eod. tract. p. 2. alleg. 37. nu. 17. Sanch lib. 8. de matr. diſp. 15. num. 4. Acoſta in Bull. Cruciata, q. 73.* & alij quam plurimi, quos refert, & ſequitur *Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 59.* Qui tamen hanc ſententiam limitant, ut locum non habeat, ubi tale uotum fuiſſet emiſſum in fauorem alterius coniugis id petentis ob filiorum bonum, & ut eius amor, nomen, honor, & amicitia cum eius conſanguineis conſeruetur; quoniam hoc caſu cùm eiuſmodi uotum ſit factum in fauorem tertij, Confeſſarius ui Iubilæi, aut alterius Bullæ conſimilis, non poſſet illud commutare, niſi coniux remittat ius ſibi acquiſitum, & ab illo

acceptatum . Ad coottarium patet reſponſio ex dictis,

An Confeſſariu ui Iubilæi excipientis uota caſtitatis, ſeù Religionis, commutare uotum caſtitatis emiſſum pro tempore limitato, & in eodem diſpenſare.

S E C. LXXXVII.

S V M M A R I V M.

1 *Votum caſtitatis pro tempore limitato, non eſt votum perfectum, & abſolutum caſtitatis.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè. Etenim uotum caſtitatis pro tempore limitato, non eſt uotum perfectum, & abſolutum caſtitatis, quod per Iubilæmo excipitur, ac reſeruatur. Vndè quamplurimi uolunt, eiuſmodi uotum poſſe per Epiſcopum commutari, & in eo diſpenſari, & idem poſſe Confeſſarium ui Bullæ cruciatæ, nempè *Acoſta in Bull. Cruciata, q. 7. Azor. p. 1. inſtit. moral. lib. 11. c. 19. q. 6. Gomez in eandem Bull. clauſ. 10. nu. 109. Graff. p. 1. decis. lib. 2. c. 31. nu. 29.* & alij apud *Diana par. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 57.*

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota caſtitatis, ſeù Religionis, poſſit commutare uotum coniugum non petendi debitum.

S E C. LXXXVIII.

S V M M A R I V M.

1 *Negatiuè videtur prima facie reſpondendum, & quare.*

2 *Oppoſita tamen ſentētia vera eſt, cum eiuſmodi vota, integra non ſint caſtitatis; ſed partis.*

1 VIdetur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe: ſiquidem eiuſmodi uotum reducitur ad uotum caſtitatis, maximè ſi uotum fuerit emiſſum ex alterius coniugis licentia; aut uterque coniux communi conſenſu uoueret, nec petere, nec reddere debitum: nam perindè ſe haberent, ac ſi uouerent caſtitatem abſolutam, ſi non expreſsè, ſaltem tacitè: at taciti, & expreſſi eadem eſt uirtus, *l. cum quid*, & ibi *Doctor. ff. ſi certum petat.*

2 Oppoſitis tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror eſſe ueram. Etenim eiuſmodi uota non ſunt integræ caſtitatis, ſed partis; quia durarent coſtante tantùm matrimonio, & eo diſſoluto expiraret, Imò ſi coniuges conſtante matrimonio cum alijs fornicarentur, licet peccarent grauiter peccato adulterij; non tamen facerent cootra uotum de non petendo, ac reddendo debitum. Vndè meritò quamplurimi Doctores tenent, eiuſmodi uota poſſe ab Epiſcopo, & à Confeſſario ui Bullæ Cruciatæ commutari, & in eiſdem diſpenſari. Vt docent *Azor. p. 1. inſtit. moral. lib. 13. c. 19. q. 6. Rodriq. tom. 2. ſua ſum. c. 90. num. 4.* & alij apud *Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 58.* Ad contrarium patet reſponſio ex dictis.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uotum caſtitatis, poſſit commutare uotum non fornicandi, non tenendæ certæ mulieris, non committendi actum mollitiei, aut abſtinendi ab alio actu uenereo.

S E C. LXXXIX.

S V M M A R I V M.

1 *Reſponſio affertur affirmatiua, cum non ſint eiuſmodi vota perfecta caſtitatis.*

1 AD hanc rem reſpondetur affirmatiuè. Etenim eiuſmodi vota non ſunt perfectæ caſtitatis, vt eſt votum exceptum, ac reſeruatum per Iubilæum, atque ideò poteſt per Epiſcopum ſuper dictis votis diſpenſari, & per eundem commutari poſſunt, ſicut per Confeſſarium vi Bullæ Cruciatæ, vt habetur per *Barb. de poteſt. Episc. p. 2. allegat. 37. nu. 15. Fernand. in exam. Theol. moral. p. 3. c. 9. ſec. 2. § 17. Molfeſ. in ſum. tom. 1. tract. 11. c. 15. nu. 50. Reginald. tom. 2. ſua prax. lib. 18. c. 22. nu. 33.* cum alijs, qoos refert, & ſequitur *Dian. p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 61. & 67.* Vbi hanc ſententiam limitat poſt *Sanch.* niſi vltimum votum, quo caſtitas perfecta completur, conſultò vouens fecerit, vt tali perfecta caſtitate ligatus maneat.

An Confeſſarius vi Iubilæi, excipientis votum caſtitatis, poſſit commutare votum aſſumendi ordines ſacros, & in eo diſpenſare.

S E C. XC.

S V M M A R I V M.

1 *Negatiuè videtur prima facie reſpondendum, etenim ordo Sacer votum includit caſtitatis.*

2 *Verior eſt contraria ſententia, cum non ſit hoc votum caſtitatis abſoluta, ſed votum aſſumendi ſtatum, cui annexa eſt caſtitas.*

3 *Sicut Confeſſarius vigore Bulla Cruciata commutare poteſt omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus, ſic etiam vigore Iubilæi, exceptis votis peregrinationis ad Sanctum Sepulcrum, & ad S. Iacobum de Galitia.*

1 AD hanc difficultatem videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Etenim ordo ſacer includit votum perpetuæ caſtitatis; quia nemo promouetur ad ordines ſacros, niſi præuio voto perpetuæ caſtitatis; ergò vouens aſſumere ordines ſacros implicitè, ac tacitè cenſetur vouere perpetuam caſtitatem, quæ reſeruatur vi Iubilæi; atque ideò Confeſſarius non poteſt vi talis Iubilæi excipientis, ac reſeruantis votum caſtitatis commutare votum aſſumendi ordines ſacros,

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veriorem. Etenim huiuſmodi votum non eſt caſtitatis abſolutæ, ſed votum aſſumendi ſtatum, cui caſtitas annexa eſt, quòd vi dicti Iubilæi non excipitur, nec reſeruatur, atque ideò ſi ita vouens violaret votum, non eſſet ſacrilegus fornicando: etſi matrimonium contraheret, licèt peccaret; poſſit tamen petere debitum. Confirmatur, quoniam in tali voto Epiſcopus poteſt diſpenſare, vt habetur ex *Vgol. de poteſt. Epiſcop. cap. 58. §. 3. num. 5. Suar. de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 22. nu. 7. Aragon. in 2. 2. q. 88. art.*

88.*art.12.Valent.tom.3.diſp.6.q.6.pun.4.Azor.tom.1. Inſtit.moral.lib.11. c.19.q.9.* Sicut, & Cõfeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ, vt per *Aoſt.* in ipſam *Bull.q.73.Henriq.lib.7.ſuæ ſum.c.30.nu.6.* & alios apud *Dian.p.1.reſol. moral.tract.11.reſol.64.* Ergò, & vi Iubilæi Confeſſarius poteſt commutare votum aſſumendi ordines ſacros, & in eo diſpenſare: ſiquidem ſicut Con-
3 feſſarius virtute Bullæ Cruciatæ poteſt commutare omnia vota, quæ Epiſcopus commutare poteſt, vt habetur ex *Bonac. de legib. diſp.4.q.2. pun.7.§.4. nu.16. Sanch.tom.1.ſuæ ſum.lib.4. c.54.nu.19. & lib.9.de matr.diſp.15.num.5.* Et alij ita etiam, & Confeſſarius vi Iubilæi, cùm vigore Iubilæi ſupponamus, poſſe Confeſſarium commutare omnia vota, exceptis votis peregrinationis ad Sanctum Sepulcrum, & ad S. Iaco- 1
bum de Galitia, vt in ſpecie inquit *Diana p.1. reſol.moral.tract.11.reſol.56.poſt Sanctarell. de Iubilæo, c.9.dub.1.* Vnde ad contrarium reſpondetur, quòd eiuſmodi votum licèt inuoluat votum caſtitatis; non tamen eſt votum caſtitatis abſolutæ, ſed votum aſſumendi ſtatum, cui caſtitas eſt annexa.

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis vota caſtitatis, poſſit commutare votum illius, qui vouit caſtitatem, vel ordinem ſacrum, & in eo diſpenſare.

S E C. XCI.

S V M M A R I V M.

1 *Vouenti illam partem eligere liberum eſt, quam poteſt Confeſſarius commutare ex vi Iubilæi.*

1 AD difficultatem reſpondetur affirmatiuè. Etenim ita vouenti liberum eſt illam partem eligere, quam poteſt Confeſſarius vi Iubilæi commutare, & in ea diſpenſare, qualis eſt 1
ordo ſacer: quoniam in alternatiuis ſatis eſt alterum adimpleri, *l. ſi hæredi plures, ff. de condit. inſtit. & clem. ſi quis ſuadente diabolo, de pœn.* Ergò tale votum non poteſt dici ſimpliciter caſtatis, ſeù Religionis. Confirmatur, quia in eiuſmodi voto poteſt Epiſcopus diſpenſare, illudque commutare, ſicut & Confeſſarius per Bullam Cruciatæ, vt docent *Suar.tom.2. de Relig.lib.6. c.24.nu.1. & 2. Reginald. tom.2.ſuæ prax. lib. 18.nu.138. Molfeſ.tom.2.ſuæ ſum.tract.11.c.15. nu.143. Azor. tom.1. inſtit.moral.lib.11.c.10. q.10. Sanch.lib.8. de matr.diſp.9.nu.14.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Diana p.1.reſol. moral.tract.11.reſol.63.* Ergò, & poteſt Confeſſarius vi Iubilæi tale votum commutare, & in eo diſpenſare iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, *ſec. præcedenti.*

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis votum caſtitatis poſſit commutare votum caſtitatis coniugalis, & in eo diſpenſare.

S E C. XCII.

S V M M A R I V M.

1 *Votum caſtitatis coniugalis non eſt abſolutum caſtitatis, ſed partis tantum.*

1 AD hanc dubitationem reſpondetur affirmatiuè: quoniam eiuſmodi votum non eſt caſtitatis abſolutum; ſed partis tantùm, quod vi Iubilæi non excipitur. Confirmatur, quia in tali voto diſpenſat Epiſcopus, & Confeſſarius virtute Bullæ Cruciatæ, vt habetur ex *Henriq. lib.7.ſuæ ſum.c.30.nu.7. Sanch. in ſum. tom.1. lib.4.c.40.nu.50. & lib 8. de matr. diſp.9.nu.7. Alph. de Leone de iubil. p.2.q.13.ſec.2.nu.103.* & ex alijs apud *Diana p.1 reſol.moral.tract.11. reſol.62.* Ergò, & id poterit Confeſſarius vi Iubilæi, per ea, quæ ſupra adnotauimus, ſec.90.

An Confeſſarius virtute Iubilæi excipientis votum caſtitatis, poſſit commutare votum caſtitatis vxoris, aut viri tempore matrimonij conſumati emiſſum.

S E C. XCIII.

S V M M A R I V M.

1 *Votum caſtitatis vxoris, vel viri tempore matrimonij conſumati emiſſum, non eſt abſolutum caſtitatis, & vigore Bullæ Cruciatæ commutari poteſt per Epiſcopum, vel per Confeſſarium, & in eo diſpenſari.*

An obliget ad non reddendum debitum, etiam quando redditio eſſet voluntaria.

2 *Quid ſi votum eſſet emiſſum cum conſenſu reciproco.*

1 REſpondetur affirmatiuè. Etenim eiuſmodi votum non ſit abſolutum caſtitatis, cùm ad non reddendum debitum nõ poſſit obligare. Confirmatur, quia huiuſmodi votum per Epiſcopum, & per Confeſſarium per Bullam Cruciatæ poteſt commutari, & in eo diſpenſari, vt habetur ex *Rodriq. in ſum.tom.2.c.90. Aragon. in 2.2.q.88.art.8.dub.vlt.Dian.p.1.reſol.moral. tract.11.reſol.70.* cum alijs, quos allegat. Vbi hanc concluſionem ait adeò eſſe veram, vt eiuſ-
1 modi non obliget ad non reddendum debitum, etiam quando redditio eſt voluntaria propter alterius coniugum adulterium, aut diuortium, vt latè *Sanch. de matr.lib.9.diſp.35.n.26.* Ergò, & Confeſſarius idem poteſt vi Iubilæi; iuxta ea, quæ ſupra diximus, ſec.89.

2 Limitatur tamen hæc quæ diximus vera eſſe, quando votum, de quo agitur, fuerit emiſſum ab vxore, vel marito ſine conſenſu reciproco: aliàs ſecus vt patet ex dictis per *Dian.loc.cit.*

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis vota caſtitatis, & Religionis, poſſit commutare votum caſtitatis, ſeù Religionis emiſſum cum expreſſa proteſtatione, ne vouens ad illius executionẽ teneatur, niſi ſub onere culpæ venialis.

S E C. XCIV.

S V M M A R I V M.

1 *Votum cum hac expreſſa proteſtatione emiſſum, non eſt votum perfectum caſtitatis, & Religionis, per Iubilæum exceptum, & reſeruatum.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè: quoniam eiuſmodi uotum non eſt uotum perfectum caſtitatis, & Religionis per Iubilæum exceptum, ac reſeruatum: & propterea poteſt non ſolum per Confeſſarium vi Iubilæi commutari, & in eo diſpenſari, ſed

etiam per Epiſcopum, & per Bullam Cruciatæ, ut habetur ex *Sanch. tom. 1. ſua ſum. lib. 4. c. 40. nu. 47. Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 72.* pro qua re allegat etiam *Bonac. de legib. diſp. 4. q. 2. pun. 7. §. 4. nu. 20.*

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uotum caſtitatis, poſſit commutare uotum caſtitatis emiſſum cum licentia alterius coniugis.

S E C. XCV.

S V M M A R I V M.

1 *Votum caſtitatis emiſſum cum licentia alterius coniugis, non eſt abſolutum caſtitatis, ſed partis dumtaxat. Eſto, quod uterq; coniux continentiam voueat citra alterius licentiam.*

2 *Limitatur tamen ſi ita vouens animum haberet ingrediendi Religionem.*

3 *Coniuges qui de communi conſenſu continentiã vouerunt, ſi ambo per modum contractus remittant ſibi ad inuicem renunciationem iuris petendi, & reddendi debitum, quamuis eſſet hæc remiſſio ſacrilega, eſſet tamen valida.*

1 AD hanc dubitationem reſpondeo affirmatiuè. Etenim huiuſmodi uotum non eſt abſolutum caſtitatis, ſed partis dumtaxat; quia eo non obſtante tenetur uouens reddere debitum, & poteſt reddere, licet alter adulterium committat. Confirmatur quoniam eiuſmodi uota poſſunt per Epiſcopum, & per Bullam Cruciatæ commutari, & in eis diſpenſari, ut probat *Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 15. nu. 7. Rodr. in ſum. tom. 1. c. 243. nu. 14. Vegha tom. 2. ſua ſum. c. 129. caſ. 77. & Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 82.* Qui putat id uerum eſſe, etiam ſi uterque coniux continentiam uouit citra alterius licentiam: at quando uterque ſeorſum continentiam uouit, habita tamen ab altero licentia. Secus autem ſi uterque communi conſenſu continentiam uoueret per modum contractus, ac reciprocæ conuentionis, facio, ut facias; quoniam ſic uouentes obligant ſe ad uotum abſolutæ, ac integræ caſtitatis. Vndè non poſſunt, nec reddere, nec petere debitum. Si igitur hæc uota poſſunt per Epiſcopum, & per Confeſſarium ui Bullæ Cruciatæ commutari, & in eis diſpenſari permittitur: ergò id poterit Confeſſarius ui Iubilæi, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, ſec. 90.

2 Limitantur tamen hæc, quæ concluſimus, quando ita uouens non haberet animum ingrediendi Religionem, ſecus autem ſi animum haberet ingrediendi Religionem; quoniam tunc eiuſmodi uotum eſſet abſolutum caſtitatis, ut patet ex ijs, quæ docet *Sanch. tom. 1. ſuæ ſum. lib. 4. c. 40.* Vbi *nu. 61.* etiam addit, quòd ſi coniuges prædicti, qui de communi conſenſu, ut
3 ſupra continentiam uouerunt ambo per modum contractus, ut ſupra remitterent ſibi adinuicem renunciationem illam iuris petendi, & reddendi debitum, quam uouendo fecerunt, & ſibi conferrent iterum poteſtatem ſuorum corporum, quamuis remiſſio eſſet ſacrilega contra uotum; eſſet tamen ualida, & tenetur uterque reddere debitum alteri petenti, & poterit tunc Epiſcopus diſpenſare ad petendum debitum citra culpam, cum qua ſententia pertranſit quoque *Diana loco citato*, atque ideò inquit, poſſe Confeſſarium ui rtute Bullæ Cruciatæ commutare uota caſtitatis emiſſa à coniugibus in his omnibus caſibus. Quòd ſi id uerum eſt poſſet etiam Cõfeſſarius ui Iubilæi per ea, quæ ſupra adnotauimus, ſec. 90.

An Confeſſarius ui Iubilæi, excipientis uotum peregrinationis ad ſanctum Sepulcrum, poſſit cõmutare qualitatẽ adiunctam tali uoto.

S E C. XCVI.

S V M M A R I V M.

1 *Ponitur caſus pro explicatione tituli.*

2 *Reſpondetur, adducitur affirmatiua, cum Confeſſarius commutet circumſtantiam, voto adiunctam, & non votum.*

1 AD tituli explicationem ponamus caſum, quòd Titius promiſerit Deo uiſitare ſanctum Sepulcrum, & ad illud peregrinari mendicando, an Confeſſarius ui dicti Iubilæi poſſit commutare tale uotum, ut ipſe uouens portans neceſſarias itineris expẽſas uotũ illud adimpleat.

2 Ad hanc difficultatem reſpondetur affirmatiuè; quoniam hoc caſu Confeſſarius non commutat uotum, ſed circumſtantiam ipſi uoto adiunctam, ut habetur ex *Molfeſio tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 15. nu. 145.* & ex alijs apud *Dian. p. 1. reſol. moral. reſol. 83. tract. 11.* Quibus adde, quæ cumulauimus ſupra *ſec. 82. verſ. Ex dictis*, cui me remitto, ne bis idem repetere uideamur.

An ſi ui Iubilæi concedatur facultas commutandi omnia, & quæcunque uota, exceptis uotis caſtitatis, ac Religonis, poſſit Cõfeſſarius commutare uotum uirginitatis.

S E C. XCVII.

S V M M A R I V M.

1 *Votum virginitatis implicitè includit votum caſtitatis, & impliciti, atque explicitè eadem eſt virtus.*

2 *Vouens ita non vult expreſsè ad caſtitatem ſe obligare, ſed tantum ad corporis integritatem ſeruandam.*

3 *Vouens virginitatem ſi expreſsè voluerit ſe obligare ad caſtitatem votum Confeſſarius commutare non poterit.*

1 IN hac re uidetur negatiuè reſpondendum eſſe: ſiquidem uotum uirginitatis implicitè includit uotum caſtitatis, at impliciti, & expliciti eadem eſt uirtus, ſicut taciti, & expreſſi, *ut in l. cum quid*, & ibi *Doctor. ff. ſi cert. pet.*

2 Oppoſitam ſententiam puto ueram: nam ita uouens non uult expreſsè ad caſtitatem ſe obligare; ſed tantùm ad corporis integritatem ſeruandam conſiſtentem in abſtinentia à primo Luxuriæ actu, per quem uirginitas deperditur, id autem ui dicti Iubilæi non excipitur, nec reſeruatur. Confirmatur, quoniam Epiſcopus, & Confeſſarius ui Bullæ Cruciatæ poſſunt huiuſmodi uotum commutare, & in eo diſpenſare; ut conſtat ex Doctoribus infra citandis, ergò, & hanc facultatem etiam habet Confeſſarius ui dicti Iubilæi, et patet ex ijs, quæ cumulauimus ſupra ſec. 90.

3 Limitatur tamen hæc concluſio, ut locum non habeat quando uouens uirginitatem expreſsè uolue-

uoluerit ſe obligare ad caſtitatem: quoniam ſicut eo caſu Epiſcopus non poteſt uotum uirginitatis commutare, nec in eo diſpenſare, nec Cōfeſſarius ui Bullæ Cruciatæ, ut docent *Sanch. de matr. lib. 8. diſp. 15. nu. 4. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 11. c. 19. q. 14. Barb. de poteſt. Epiſcp. p. 2. allegat. 37. nu. 18. Sayr. lib. 6. Clau. Reg. c. 11. nu. 55. Graff. p. 1. deciſ. lib. 2. c. 31. nu. 31. Portell. in addit. ad dub. Regular. verſ. Voti diſpenſatio, nu. 78. & Guttier. de matr. c. 123. num.* 8. quos refert, & ſequitur *Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 60.* qui poſt *Sanch. tom. 1. ſuæ ſum. lib. 4. c. 21. nu. 22.* Id ampliat etiam in eo, qui emiſit uotum uirginitatis, & dubius eſt de intentione; an ſcilicèt fuiſſe ad ſolam à primo actu uenereo abſtinentiam: ita etiam Confeſſarius ui Iubilæi talem facultatem non habet. Vndè ex dictis patet reſponſio.

An Confeſſarius ui Iubilæi excipientis uota Religionis, & caſtitatis, poſſit commutare uotum eius, qui uouit dare mille tali loco pio, reſeruans illud, ut non poſſit commutari, nec in eo diſpenſari, niſi à S. Pontifice, ſicut ſi uouiſſet caſtitatem, aut Religionem.

SEC. XCVIII.

SVMMARIVM.

1 *Vouentis intentio tollere non poteſt poteſtatem Superioris, nec votum prædictum eſt unum ex exceptis in Iubilæo.*

1 AD hanc dubitationem reſpondetur affirmatiuè: quoniam uouentis intentio priuata non poteſt tollere poteſtatem Superioris. Confirmatur; quoniam eiuſmodi uotum non eſt unum ex exceptis ui dicti Iubilæi. Denique quia dictum uotum poteſt commutari, & in eo diſpenſari per Epiſcopum, & per Confeſſarium ui Bullæ Cruciatæ, ut habetur ex *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 21. nu. 15. Sanch. tom. 1. ſuæ ſum. lib. 4. c. 40. num. 79. Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 75.* cum alijs, quos allegat: ergò diſpenſatio, & commutatio talis uoti fieri poteſt per Confeſſarium ui dicti Iubilæi, iuxta ea, quæ ſupra diximus, ſec. 90.

An Confeſſarius vi Iubilæi poſſit commutare votum factum de nō petenda commutatione, nec ſuper idem commutare.

SEC. XCIX.

SVMMARIVM.

1 *Votum de non petenda commutatione non eſt de exceptis, & reſeruatis in Iubilæo, & poterit commutari, ac ſuper eo diſpenſari.*

1 BReuiter reſpondetur affirmatiuè: eo quod eiuſmodi votum non eſt de caſibus exceptis, ſeù reſeruatis vi dicti Iubilæi. Vndè per Epiſcopum, & per Bullam Cruciatæ commutari eiuſmodi votum, & in eo diſpēſari poſſe, docent *Fernand. in exam. Theol. moral. p. 3. c. 9. ſec. 2. §. 17. nu. 4. Acoſta in Bull. Cruciata, q. 73. in fine,* & alij apud *Dian. p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 51.* Atque ideò per Confeſſarium vi Iubilæi, per ea, quæ adnotauimus ſupra ſec. 90.

An Confeſſarius vi Iubilæi excipientis votum caſtitatis, poſſit adſtrictum voto caſtitatis, qui ad nuptias tranſijt, per diſpenſationem, aut commutationem habilitare ad petendum debitum.

SEC. C.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarius vi Iubilæi habilitare poteſt adſtrictum voto caſtitatis ad petendum debitum, in eoq; Epiſcopus diſpenſare.*

2 *Negatiua eſt opinio Sanch. circa Confeſſarium vi Bullæ Cruciatæ, & per conſequens, neque vi Iubilæi.*

3 *Sententia Sanch. probabilis eſt, ſed prior probabilior.*

4 *Vota in quibus diſpenſatur per Epiſcopum Iure Ordinario, & ex natura reſeruationis, commutari non poſſunt per Confeſſarium vi Bullæ Cruciatæ, ſecus, ſi diſpenſaretur Iure ſpeciali, vel conſuetudine.*

1 IN hac difficultate pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Vital. in ſuo Candel. aur. p. 3. c. 14. nu. 41.* Dicentis, poſſe Confeſſarium vi Bullæ commutare votum eiuſmodi, ita vt vouens eo caſu poſſit petere debitum. Hoc autem ſuaderi poteſt ex eo, quod Epiſcopus diſpenſare poteſt in tali voto ad petendū debitum: ergò & Confeſſarius vi Iubilæi: quod poſſit Epiſcopus diſpenſare, docent *Angel. ver. Matrimonium 3. imped. 5. nu. 3. Valen. tom. 4. diſp. 10. q. 5. pun. 5. Henriq. lib. 12. c. 2. nu. 9. Sà ver. Debitum coniugale, n. 4. Graff. in ſuis deciſ. p. 1. lib. 2. c. 82. nu. 5. Rodriq. in Bull. Cruciata, §. 9. nu. 119.* Etenim vota, quæ poteſt Epiſcopus commutare, & in eis diſpenſare poteſt id etiam Cōfeſſarius vi Iubilęi, vt oſtēdimus ſupra ſec. 90.

2 Secunda ſententia eſt *Sanch. in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. nu. 20.* quem refert, & ſequitur *Dian. p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol. 66.* Quorū opinio eſt negatiua, ita vt non poſſit Confeſſarius per Bull. Cruciatam eiuſmodi vota commutare, nec in eis diſpenſare: quod ſi ita eſt, vtiq; dicerent, nec poſſe vi Iubilæi.

5 Hæc ſententia probabilis eſt: nam Confeſſarius diſpenſando, vt coniux poſſit petere debitum coniugale in caſu, de quo agitur, videtur diſpenſare in voto caſtitatis, quod vi Iubilæi excipitur, ac reſeruatur. Nobis tamen prior ſententia videtur probabilior: ſiquidem per diſpenſationem, vt vouens caſtitatem, vt ſupra poſſit petere debitum non relaxatur ſimpliciter votum caſtitatis; ſed tantum ſecundum quid, nempè ad ſolùm petendum debitum; atque ideò mortua coniuge, tota voti obligatio reuiuiſcit: at vi Iubilæi videtur reſeruari, ac excipi votum caſtitatis ſimpliciter, atque abſolutum. Confirmatur quoniam per Epiſcopum hoc caſu poteſt diſpenſari, vt diximus; ergò & vi Iubilæi, vt ſupra oſtendimus. Et quamuis Aduerſarij negent con-
3 ſequentiam loquentes in terminis Bullæ Cruciatæ; cùm id putent intelligendum eſſe de votis quæ Epiſcopus commutat iure Ordinario, & ex natura reſeruationis; non autem ſi talia vota commutet, & in eis diſpenſet iure ſpeciali, aut per conſuetudinem, vt in caſu noſtro; nihilominus quicquid ſit de hac diſtinctione, nos reſpondemus,

demus, quod in caſu propoſito Epiſcopus diſpenſat, & commutat non iure ſpeciali, ſed de iure communi, ac iure Ordinario: ſiquidem Epiſcopus poteſt iure Ordinario commutare vota, & in eis diſpenſare in omnibus caſibus, in quibus vrget magnum periculum incontinentiæ, & in adeundo Rom. Pontifice ſit periculum in mora, vt probant *Sanch. lib. 2. de matr. diſp. 40. nu. 7. Syl. ver. Votum 4. q. 4.* & alij, quos refert, & ſequitur *Molfeſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 4. c. 12. nu. 31.* At in caſu, de quo agitur, vrget eiuſmodi periculum, vt experientia docet, & conſideranti patet: & dato quòd hæc facultas competat Epiſcopis ex conſuetudine, adhuc tamen dicimus id eis competere iure Ordinario: quoniam conſuetudo eiuſmodi eſſet vniuerſalis circa omnes Epiſcopos vi muneris, & ex præſumpta voluntate Rom. Pontificis introducta, ex iuſta, ac rationabili cauſa, vt poſſint ſcilicet ſubuenire neceſſitatibus ſpiritualibus ſuarum ouium, vt poſt alios inquit idem *Molfeſ. loco citato*; atque ideò talis conſuetudo cùm ſit vniuerſalis, eſt etiã ius vniuerſale: eo quòd conſuetudo eſt altera lex, *vt in §. ex nõ ſcripto, in inſt. de iure nat. gent. & ciu.*

An qui obtinuit commutationem alicuius voti per Iubilæum, poſſit redire ad votũ prius, omiſſo eo, in quo facta eſt commutatio.

SEC. CI.

SVMMARIVM.

1 *Reſponſio adducitur affirmatiua, cum quilibet poſſit proprio fauori renunciare.*

1 AD hanc difficultatem reſpondeo affirmatiuè: ſiquidem talis commutatio fuit facta in vouentis fauorem; ergò nõn debet verti in odium; eò magis, quòd quilibet poteſt proprio fauori renunciare, *l. pen. C. de pact. & l. quod fauore, de legib.* Confirmatur, quoniam huiuſmodi commutatio facta cẽſetur ſub conditione, ſi vouens nolit prius votum implere. Denique probatur hæc concluſio ex *Azor. p. 1. inſt. moral. libr. 11. c. 18. q. 12 Sanch. de matr. lib. 9. diſp. 4. nu. 11. Malder. in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 11. q. 9. & Diana p. 1. reſol. moral. 11. reſol. 85.* Qui loquuntur generaliter de commutatione voti vi cuiuſcunque priuilegij facta: & etiam ſi pluries commutatio facta fuerit, vt ſi votum peregrinationis annuæ commutatum ſit in menſtruam confeſſionem, meſtrua confeſſio in ieiunium alicuius diei, & ieiunium in certas preces: ſiquidem poteſt vouens ſatisfacere voto, vel recitando illas preces, &c. Aut annuam peregrinationem, quod erat primum votum ſuſcipere. Quæ dicunt inſuper vera eſſe contra *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 20. nu. 1.* & contra *Filliuc. tom. 2. qq. moral. tract. 26. c. 10. nu. 288.* Non ſolùm quando commutatio facta fuerit in rem æqualem; ſed etiam in melius.

An ſi quis tempore Iubilæi nolit petere commutationem votorum, poſſit poſtea, eo tranſacto illam petere.

SEC. CII.

SVMMARIVM.

1 *Non ſolum qui tempore Iubilæi noluit commutationem petere votorum, ſed etiam qui oblitus eſt petere, haud eam petere poteſt tranſacto Iubilæo.*
2 *Probabilior eſt contraria ſententia, & quare.*
3 *Tranſacto Iubilæo non modo pœnitens petere poteſt commutationem votorum oblitorum, quando iam obtinuit à Confeſſario generalem illorum commutationem, ſed etiam ſi infra tempus Iubilæi nulla ſit facta à Confeſſario electo generalis votorum commutatio, ſeu diſpenſatio, eaq; fieri poterit ab alio Confeſſario.*

1 NEgatiuam partem tenet *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 8. nu. 9.* Non ſolùm ſi quis pro tempore Iubilæi noluit petere commutationem uotorum; ſed etiam ſi eam pœnitens petere oblitus fuerit; atque ideò tranſacto Iubilæo non poſſit uotorum commutationem petere. Mouetur ex eo, quòd abſolutio à peccatis facta uirtute Iubilæi, licèt cadat ſuper reſeruatis quoque oblitis; non tamen cadit ſuper commutatione uotorum. Hanc eandem ſententiam docet *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. nu. 4. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 10. nu. 279. & alij.*

2 Oppoſitis tamen non obſtantibus contrariam ſententiam puto probabiliorem, quam docent *Portell. in dub. Regular. ver. Indulgentia pro Iubilæo, nu. 18. Angel. Boſſ. de iubil. ſec. 2. caſu 47. & Diana par. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 40.* Dicentes, quòd qui tempore Iubilæi habebat uotum, & noluit pro tunc illud ſibi commutari, elapſo Iubilæo, poterit illius commutationem petere; quæ à quolibet Confeſſario ualet impendi. Etenim facultas illa ſibi collata in Iubilæo non eſt alligata tempori, quo durat Iubilæus, ſed Confeſſarius talis pœnitentis poteſt ea uti etiam elapſo tempore: ſiquidem ipſe pœnitens per conſecutionẽ Iubilæi acquiſiuit hoc ius.

3 Ampliatur hæc concluſio, ut multo magis poſſit talis pœnitens petere commutationem uotorum oblitorum: & id non ſolùm quando tempore Iubilæi obtinuit à Confeſſario generalem commutationem, & diſpenſationem circa uota, ut docent *Sanch. dẽ matr. lib. 8 diſp. 15. n. 16. & tom. 1. ſua ſum. lib. 4. c. 54. nu. 37. Alph. de Leone de iubil. p. 2. nu. 201.* & alij: ſed etiam ſi intra tempus Iubilæi nulla facta eſt à Confeſſario electo commutatio, uel diſpenſatio generalis uotorum: nam adhuc poterunt uota eiuſmodi commutari, & in eis diſpenſari, elapſo Iubilæo ab alio Confeſſario; quoniam non ſunt amplius reſeruata, ſi pœnitens uerè fuerit Iubilæum aſſecutus, ut poſt *Zerol. de iubil. lib. 2. c. 12. dub. 12. Alph. de Leone loco citato, num.* & alios inquit *Diana d. reſol. 40.* & infra latius patebit, ſec. ſeq.

An qui Iubilæi tempore uotorum commutationem fuit conſecutus, & aliquotũ oblitus, eo elapſo, poſſit dictorum uotorum commutationem, aut diſpenſationem petere, non obſtante, quod lucratus non ſit Iubilæum.

SEC. CIII.

SVMMARIVM.

1 *Votorum commutatio, ac diſpenſatio valida eſt, etiam ſi quis poſtea Iubilæum non aſſequatur.*
2 *Poteſt quis petere votorum oblitorum commutatio-*

tationem, quis Iubilæũ deinde non aſſequatur.
3 *Probabilior tamen videtur cõtraria ſententia.*
4 *Diſpar eſt ratio inter abſolutionem à reſeruatis & commutationem, ac votorum diſpenſationẽ.*

1 AD explicationem tituli dubitationis huius eſt adnot. quòd hoc loco non quærimus de votis iam commutatis, & diſpenſatis cum eo, qui poſtea Iubilæum non fuit aſſecutus; ſiquidem votorum commutatorum commutationem, ac diſpenſationem validas eſſe, etiam ſi quis poſtea Iubilæum non aſſequatur ex ſua culpa, rectè docent *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 7. c. 8. nu. 9. Pollach. de iubilæo, ſec. 42. nu. 69. Lauor. eod. tract. p. 2. c. 27. nu. 217.* & alij, quos refert, & ſequitur *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 13. reſol. 41.* qui addit ex *Sanch. in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. nu. 50.* Hanc opinionem eſſe veram etiam circa vota commutata à Confeſſario tantùm generaliter, remittendo opera ſubrogata à ſe, vel ab alio poſtea præſcribenda. Sed quæſtio noſtra eſt de votis non commutatis, &c. Sed oblitis, an poſſit is, elapſo Iubilæi tempore, petere eorum commutationẽ, ſeù diſpenſationẽ, etiam ſi Iubilæum non fuerit aſſecutus.

2 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Patris Alph. de Leone in ſuo tract. de iubil. p. 2. nu. 203.* Et aliorum, qui docent partem affirmatiuam; moti ex eo, quod in Bulla Iubilæi ſimul cõceditur facultas abſoluẽdi à reſeruatis, & commutandi vota: ergò coniunctorum cum eadem ſit diſponendi ratio, ſicut vbi quis confeſſus eſt tempore Iubilæi animo aſſequendi illud, remanet liber à reſeruatione peccatorum reſeruatorum oblitorum, etiam ſi nullum caſum reſeruatum confeſſus ſit, nec Iubilæum poſtea lucretur, ita etiam remanet liber à reſeruatione votorum; etiam ſi nullius voti commutationem, ſeu diſppenſationem petierit, nec Iubilæum fuerit aſſecutus.

3 Secunda ſententia eſt *Sanch. in ſum. tom. 1. lib. 4. c. 54. nu. 52. Boſſ. de iubil. ſec. 2. caſu 45. nu. 2. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 8. c. 10. nu. 279. Portell. in dub. Regul. ver. Indulgentia pro iubilæo, nu. 19. Philipp. della Cruz in Theſ. Eccl. tract. 1. §. 20. nu. 3.* & nouiſſimè *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 41.* Negantium poſſe quem commutationem, aut diſpenſationem votorum petere, quorum fuit oblitus, ſi Iubilæum non fuerit adeptus. Et hæc ſententia nobis videtur re vera probabilior. Etenim diſpar
4 eſt ratio inter abſolutionem à peccatis, & commutationem, ſeù diſpenſationem votorum: quoniam peccata reſeruata oblita remittuntur per accidens, per abſolutionem generalem ritè impenſam aliorum peccatorum licèt non reſeruatorum, quia non poteſt quis pro parte amicus, & pro parte inimicus eſſe Dei: aliàs eſſet, ſi à reſeruatis oblitis non remaneret abſolutus. Vnde peccata ſemel extincta non reuiuiſcunt, ſicut dicimus de cenſuris: nec nos ſupponimus dari abſolutionem ad reincidentiam, ſed abſolutè: quæ quidem ratio ceſſat in votis oblitis; & ideò per abſolutionem à peccatis non cenſentur vota ipſa commutata, nec in eis cenſetur diſpenſatum: meritò igitur abſolutio à peccatis facta virtute Iubilæi licèt cadat ſuper reſeruatis quoque oblitis; non tamen cadit ſuper commutatione votorum; ſed hoc ius acquirit vouens per conſecutionem Iubilæi, vt ſupra oſtendimus, ſec. præced. Et ſic patet reſponſio ad contrarium. Quibus adde ex *Portell. loco citato*, quòd ſi pœnitens pro Iubilæo aſſequendo non eſt confeſſus, quia non habeat conſcientiam peccati mortalis, non poterit poſtea abſolui à reſeruato oblito: quoniam illius reſeruatio non eſt ablata.

An Confeſſarius virtute Iubilæi habens facultatem diſpenſandi, & commutandi vota omnia, poſſit commutare, ac diſpenſare ſuper votis Religionis, caſtitatis, & peregrinationis in Hieruſalem, ad limina Apoſtolorum, & ad D. Iacobũ Galitiæ, ſi eiuſmodi vota ſpecialiter non excipiantur.

SEC. CIV.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur aliquorum ſententia affirmans quoad vota peregrinationis, negãs vero quoad vota caſtitatis, & Religionis.*
2 *Magis probatur ſententia ſimpliciter negans.*
3 *Quod ſi Romanus Pontifex abſolutè concederet facultatem commutandi vota reſeruata, vel in eis diſpenſandi, vel ſi in facultate diſpenſandi in omnibus votis, exciperet votum caſtitatis, & Religionis, vt ex ſtylo Rom. Curiæ fieri ſolet,*

1 IN hac difficultate quidam docent partem affirmatiuam quoad vota peregrinationis, de quibus agitur negatiuam verò quoad vota Religionis, ac caſtitatis, vt habetur ex *Soto lib. 7. de iuſt. & iure, art. 3. Sanch. lib. 8. de matr. diſp. 9. nu. 2. & Maldero in 2. 2. tract. 10. c. 5. dub. 10.* Qui hoc diſcrimen eſſe ait inter votum caſtitatis perpetuæ, & Religionis, & inter illa peregrinationis Rom. Pontifici reſeruata, quòd illa duo priora relaxandi poteſtas non cenſetur conceſſa in generali conceſſione, niſi exprimantur: non ſic dicendum eſt de ſupradictis votis peregrinationis; quia in generali conceſſione comprehenduntur: ſiquidem eorum votorum reſeruatio non eſt ita antiqua, nec tanti momenti; ſicut eſt reſeruatio votorum Religionis, ac caſtitatis perpetuæ.

2 Secunda ſententia eſt ſimpliciter negans, quæ nobis magis probatur, & docent eam *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de voto, c. 25. nu. 4. Sanch. tom. 1. ſua ſum. lib. 4. c. 40. nu. 16. Filliuc. tom. 2. qq. Regular. tract. 26. c. 9. num. 274. Laym. lib. 4. tract. 4. c. 8. nu. 7. Lauor. de iubil. p. 2. c. 27. nu. 8.* quos refert *Diana par. 3. reſol. moral. tract. 12. reſol. 58.* Probatur hæc ſententia ex generali regula, quæ deſumitur ex *tex. in c. in generali, de regul. iur. lib. 6. c. ſi Epiſcopus, de pœnit. & remiſ. eod. tit. ex c. 2. de offic. Vicar.* Ibidem ex alijs iuribus, & ſe habet, quod in generali conceſſione non veniunt, quæ non eſſet quis veriſimiliter in ſpecie conceſſurus: modò cum Rom. Pontifex quaſi ſemper ſoleat in Iubilæis reſeruare ſibi dicta quinque vota in ſpecie; in generali conceſſione non videntur comprehendi: ſiquidem non eſſet ea Pontifex veriſimiliter in ſpecie conceſſurus, vt commutari poſſint, & in eiſdem diſpenſari.

3 Limitatur tamen hæc ſententia etiam quoad

vota

vota Religionis, & caſtitatis, vbi Rom. Pontifex abſolutè concederet generalem facultatem commutandi vota reſeruata, uel in uotis reſeruatis diſpenſandi, ut habetur ex *Suar. loco citato, & Sanch. vbi ſupra nu.* 17. Quj idem dicendum eſſe uolunt, quãdo Papa in facultate diſpenſandi in omnibus uotis exciperet uotum caſtitatis, & Religionis, ut excipi ſolent ex ſtylo Romanæ Curiæ in omnibus Iubilæis. His adde, quæ adnotauimus ſupra ſec. 66. & 67.

An Confeſſarius ui Iubilæi concedentis facultatem commutandi uota, & in eis diſpenſandi, poſſit commutare iuramenta illicita, aut metu iniuſtè extorta.

S E C. CV.

S V M M A R I V M.

1 *Qui poteſt commutare vota facta ſoli Deo, poterit quoque commutare Iuramenta.*

2 *Oppoſita ſententia videtur probabilior, licet hæc ſit probabilis.*

3 *Qui iniuſtè detinetur carceratus, & inſtat excarcerari, ſub iuramenti de redeundo ad carceres, redire tenetur quamuis ad mortem iniuſtam ſe timeat eſſe damnandum.*

Idemque eſt in eo, qui mille latroni promiſit ſub Iuramento.

Poterit tamen relaxationẽ petere ab Epiſcopo, vel Confeſſario vi Bullæ Cruciatæ, ac Iubilæi.

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt affirmatiua, quam uidetur docere *Sanch. tom. 2. ſua ſum. c. 54. lib. 4. nu.* 21. Vbi in uniuerſum ait, quòd qui poteſt commutare uota facta ſoli Deo, poteſt etiam commutare iuramenta; ſiquidem plus eſt commutare uota, quam iuramenta. Hinc ait, quòd ex quo Confeſſarius ui Bullæ poteſt commutare uota pœnalia, & conditionalia Religionis, & caſtitatis; poterit etiam commutare iuramenta pœnalia, & conditionalia caſtitatis, ac Religionis. His adde quoque, quæ adnotauimus ſupra *ſec. 74. & Aegid. de Trullench in explicatione Bullæ Cruciatæ, lib. 1. §. 7. c. 3. dub. 2. nu. 3.* quem refert *Diana p. 4. reſol. moral. tract. 4. reſol. 19.* qui *p. 5. tract. 12. reſol. 56.* citat etiam nouiſſimè *Boſſ. de iubil. ſec. 2. caſ. 6. nu. 4.* Specialiter loquentem de Confeſſario uirtute Iubilæi, ac ita dicentem, non caret magna probabilitate affirmatiua ſententia; nempè quòd facultas delegata circa uota, extendatur ad iuramenta cum iniuria uel iniuſtitia extorta: ſiquidem per talia iuramenta nullum ius, ac nulla obligatio acquiritur homini, cui præſtãtur; ſed tota obligatio acquiritur Deo, qui in teſtẽ inuocatur, atq; ideò ſolus Deus ſit creditor, & propter ſolùm Dei honorẽ, & Religionis intuitu tenetur iurans iuramentum ſeruare; & ſic uerè dicitur inducere rationem uoti iuramentum ipſum, uotiſque æquiparatur: & quamuis iuramenta non fiant Deo, ſed homini; attamen quoad obligationem cenſentur tanquam iuramenta facta Deo, cùm obligent intuitu ſolius honoris Dei. Ergò cui conceditur facultas relaxandi, uel commutandi uota ui Iubilæi, aut alterius priuilegij, conceditur etiam facultas relaxandi, ac commutandi iuramentum.

2 Hæc ſententia licèt probabilis ſit, ut habetur per ſupra citatos Doctores; oppoſita tamen ſententia nobis uidetur probabilior, quam docent *Sanch. lib. 1. de matr. diſp. 37. nu. 17. Nauar. in Man. c. 27. nu. 275. Sà ver. iuramentum, nu. 31. Azor. tomo inſtit. moral. lib. 11. c. 10. q. 2. Ludou. della Cruz in Bull. Cruciata diſp. 1. c. 6. dub. 5. nu. 13. Laym. lib. 4. ſua ſum. tract. 3. c. 11. nu. 8.* & alij apud *Diana p. 4. reſol. moral. tract. 4. reſol. 19. & p. 5. tract. 12. reſol. 56.* Dicentes, facultatem diſpenſandi in uotis, aut illa commutandi, non extendi ad relaxationem, & commutationem iuramentorum, per quæ nullum ius parti, cui iuramenta præſtantur, acquiritur, qualia ſunt iuramenta adiecta contractui, in quo eſt turpitudo, uel iniuſtitia in creditore, ut eſt iuramentum ſoluendi uſuras, aut metu extortum. Mouentur ex eo, quòd eſto per eiuſmodi iuramenta nullum ius acquiratur homini, cui fiunt; attamen cùm non intuitu pietatis, ſed humani contractus fiant, nullam uoti rationem, ſed meræ promiſſionis humanæ cenſetur habere.

3 Cùm igitur utraque opinio ſit probabilis, docentes priorem ſententiam, ex ea inferunt, quòd quando quis iniuſtè detinetur carceratus, & inſtat excarcerari ad tempus ſub iuramento de redeundo ad carceres, tenetur redire, etiam ſi timeat ad mortem iniuſtam ſe eſſe damnandum, & idem dicunt de eo, qui mille aureos promiſit latroni, mediante iuramento, ne occideretur, ut habetur ex *Soto lib. 8. de iuſtit. & iure, q. 1. art. 7. ad 3. Merc. de contr. q. 89. art. 7. ad 4.* & ex alijs, quamuis *Diana d. tract. 4. reſol. 19.* contrarium teneat cum *Sanch. in opuſc. tom. 2. lib. 6. c. 4. dub. 16. nu. 4. & Guttier. de iuram. p. 1. c. 57. num. 26.* Et ſi qui latroni iurauit dare mille, ut ſupra, poſſit petere relaxationem iuramenti ab Epiſcopo, & à Confeſſario uirtute Bullæ Cruciatæ, & per conſequens ui ſupradicti Iubilæi.

An Confeſſarius uirtute Iubilæi poſſit commutare uota in fauorem tertij facta.

S E C. CVI.

S V M M A R I V M.

1 *Commutari poſſunt vota in fauorẽ tertij facta, non acceptata tamen ab ipſo tertio.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè; dummodò à tali tertio non ſint acceptata: ſiquidem ante acceptationem nullum ius ex eiuſmodi uotis eſt acquiſitum tertio. Vndè Confeſſarius ui Iubilæi poteſt commutare uota, & ſuper ea diſpenſare cum eo, qui uouit elargiri Calicem certæ Eccleſiæ, aut eleemoſynam certæ perſonæ, aut conſtructurum Eccleſiam in honorem talis ſancti, citra conſenſum illius, in cuius fauorem ſunt facta; dummodo non fuerint acceptata, ut habetur ex *Pont. lib. 8. de matr. c. 8. §. 1. num. 8. Barb. de poteſt. Epiſc. p. 2. alleg. 36. nu. 2. Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 56. circa fin.* qui *par. 1. tract. 11. reſol. 47.* idem dicendum poſt alios cenſet uirtute Bullæ Cruciatæ. Vbi meritò cum *Sanch. tom. 1. ſua ſum. lib. 4. c. 41. nu. 12.* Et alijs reijcit limitationem à quibuſdam allatam, ubi uotum dirigatur in ſanctum, cui dicatur Eccleſia, ut promitto B. Andreæ, me daturum eius Eccleſiæ unum Calicem; ſed ut tale uotum fiat incommutabile,

Digitized by Google

rabile, ac indiſpenſabile, exigitur omninò quòd talis uoti fiat acceptatio à Præpoſito Eccleſiæ; quia noa acquiritur niſi per acceptationem, ut ſupra diximus.

An Confeſſarius, qui uirtute Iubilæi habet facultatem commutandi uota, poſſit in illis diſpenſare.
S E C. CVII.

S V M M A R I V M.

1 *Voti diſpenſatio in plus ſe habet, quàm commutatio, & vtraq; qua nam ſit.*
An conceſſa facultate diſpenſandi, cenſeatur quoque conceſſa facultas commutandi.

1 AD hanc dubitationem reſpondetur negatiuè; quia in plus ſe habet uoti diſpenſatio, quàm commutatio. Etenim diſpenſatio eſt uoti relaxatio: commutatio uerò eſt annullatio obligationis uoti, cum lignamine ad aliquid dandum, uel faciendum, ut ſupra declarauimus ſec. 71. & 72. Non ſic dicendum eſt de conceſſa facultate diſpenſandi: nam conceſſa cenſetur facultas commutandi, ut oſtendimus *d. ſec.* 72. Vbi etiam aliqua quoque adnotauimus de redemptione, ac irritatione uoti; atque ideò ibidẽ nos remittimus, ne bis idem repetere uideamur. His adde pariter, quæ habentur ex *Diana p. 1. reſol. moral. tract.* 11. *reſol.* 42.

An Confeſſarius vi Iubilæi facultatem habens commutandi vota, poſſit ea commutate citra omnem cauſam.
S E C. CVIII.

S V M M A R I V M.

1 *Adducitur prima facie reſponſio negatiua, & quare.*
2 *Verior eſt ſententia in contrarium, & quare.*

1 AD hanc difficultatem videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe: ſiquidem ad commutationem voti in æquale bonum, iuſta, ac rationabilis cauſa exigitur, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 88. art. 12. in corpore*, ergò &c.

2 Oppoſitis tamen non obſtantibus in contrarium eſt verior ſententia, quam docent *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 19. nu. 10. Sanch. tom. 1. ſua ſum. lib. 4. c. 50. nu. 19. Portell. in addit. ad dub. Regul. ver. Voti commutatio, nu. 91. Diana p. 1. reſol. moral. tract.* 11. *c.* 39. Et alij, qui mouentur ex eo, quòd licet regulariter voti commutatio exigat iuſtam, ac rationabilem cauſam; nihilominus quando aliquod priuilegium ad commutanda vota non conceditur ſimpliciter, ſed cum aliquo onere ob bonum publicum, vt ſit per Iubilæum, per Bull. Cruciatæ, &c. tunc nulla alia expoſtulatur cauſa; niſi exequi opera in Iubilæo expoſtulata: & elargiri eleemoſynam in Belli ſubſidium in d. Bulla Cruciatæ præſcriptam. Siquidem ob tales cauſas Roman. Pontifex eiuſmodi priuilegia concedit, & ſic patet reſponſio ad contrarium. Quibus adde, qua ſupra adnotauimus, ſec. 6. ſiue 7.

An vi Iubilæi poſſit Confeſſarius commutare votum in minus bonum.
S E C. CIX.

S V M M A R I V M.

1 *Voti commutatio quibus modis fieri poſſit, & an voti commutatio in melius exigat Eccleſiæ Authoritatem.*
2 *Affertur prima aliquorum ſententia, non poſſe votum commutari in minus bonum.*
3 *Oppoſita ſententia videtur probabilior, multoq; magis vbi fieret commutatio in bonum æquale.*

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, ſunt recolenda, quæ ſupra adnotauimus, ſec. 71. in not. dum diuiſimus commutationem in melius, in æquale, & in minus bonum, & oſtendimus, quod quando commutatio voti eſt manifeſtè in melius non exigit Eccleſiæ auctoritatem; ſed vouens propria auctoritate poteſt votum ſibi commutare in melius. Vndè qui habet votum peregrinationis poteſt ex ſe, & citra omnem Eccleſiæ facultatem ſibi illud commutare in votum Religionis. In commutatione verò voti in æquale, vel minus bonum requiritur omninò Eccleſiæ auctoritas, vt in *c. peruenit, 2. de iureiur. cap. ſcriptura, de voto, Sanch. lib. 4. ſua ſum. tract. 1. c. 49. nu. 4. & ſeq.* & alij apud *Molfeſ. tom. 1. ſua ſum. tract. 11. c. 15. nu. 195.* quibus addo *Syl. ver. Votum, 4. q. 7. & Sot. lib. 7. de inſt. & iure, q. 4. art. 3. Syl. opinionem reijcientem.*

2 In hac igitur difficultate contrariæ ſunt opiniones. Nam prima ſententia eſt *Sanch. loco citato, c. 54. nu. 4. Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 7. & 19. Reginald. tom. 2 ſua prax. lib. 8. c. 22. nu. 352. Azor. p. 1. inſt. moral. lib. 11. c. 18. q. 6. Sayr. lib. 6. Clauis Reg. c. 12. nu. 6. & c. 19. nu. 7. & 8. Sot. lib. 7. de inſt. & iure, q. 4. art. 3. Beia par. 1. caſ. Bonon. caſu* 49. Et aliorum, qui licet non loquantur in ſpecie de Confeſſario vi Iubilæi in ſpecie; locuntur tamen de Confeſſario virtute alicuius diplomatis, ſeù priuilegij: & mouentur ex eo, quòd licèt priuilegium Bullæ ſit fauorabile; non tamen extenditur vltra verborum proprietatem: at commutatio ſecundum proprietatem eius ſignificat permutationem in æquale; ergò commutatio voti vi Bullæ non poteſt fieri in minus bonum, atque ideò vi Iubilæi, cùm militet eadem ratio, *arg. text. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

3 Oppoſitam tamen ſententiam docent *Henriq. lib. 7. ſua ſum. c. 30. nu. 5. Arag. in 22. q. 88. art. 12. Medina lib. 1. inſtr. c. 14. §. 7. Alph. de Leone de Iubil. p. 2. q. 12. num. 64. Homobon. de exam. Eccl. p. 1. tract. 5. c. 6. q. 40. & Diana p. 1. reſol. moral. tract. 11. reſol.* 40. Qui rationem hanc eſſe volunt, quòd aliter Bullæ, & ſic Iubilæum nihil operaretur, cùm Confeſſarius abſq; vllo priuilegio, & citra vllam cauſam in melius auctoritate propria, & in æquè bonum cum cauſa cum auctoritate Prælati infra ſec. 111. & per Doctores ſupra relatos. Vt igitur aliquid priuilegium operetur, dicendum eſt vi Iubilæi poſſe fieri commutationem voti in minus bonũ.

Nobis autem quoque hæc ſententia videtur probabilior: & multo magis id verum eſt, vbi commutatio fieret in bonum quaſi æquale, & nõ longè minus iuxta opinionem *Villalobos in ſua ſum. p. 1. tract. 27. cl. 9. §. 3. nu. 39.* Et aliorum: ſiquidem de minimis in moralibus non habetur ratio, *l. quod ſi ephebi, ff. de eo, quod cer. loco.*

An Confeſſarius peccet, ſi citra rationabilem cauſam nolit vi Iubilæi vota pœnitenti commutare, aut in illis diſpenſare.

SEC. CX.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarius vi Iubilæi tanquam Iudex delegatus ad fauorem pœnitentis tenetur Ius ſibi ex Iubilæo conceſſum, tribuere pœnitenti petenti.*

2 *Regulares ſi virtute ſuorum priuilegiorum nollent vota pœnitentis commutare, peccabunt tamen venialiter, ſi vi Iubilæi hoc agere nollēt*

1 AD hanc rem reſpondetur affirmatiuè. Etenim cum Confeſſarius vi Iubilæi ſit Iudex delegatus ad fauorem pœnitentis, tenetur ex Iubilæo ſibi conceſſum pœnitenti petenti tribuere: ſiquidem Epiſcopus pariter diceretur infidelis in denegando diſpenſationē illam ex iuſta cauſa petenti, vt in *c. quanto*, 2. *q.* 5. Hanc ſententiam docet *Sanch. tom.* 1. *ſua ſum. lib.* 4. *c.* 54. *nu.* 12. ita inquiens, Peccabit Confeſſarius requiſitus per Bullam, aut Iubilæum, vt commutet, ſi non commutarit, ſuadens ſibi iuſtam commutandi eſſe cauſam: ad quod etiā allegat *Aragon.* 2. 2 *q.* 88. *art.* 12. *col.* 2. *Viuald. in ſuo candelab. ſacram.* 3. *p. c.* 14. *nu.* 58. *Sayr. lib.* 6. *Clau. Reg. c.* 12. *nu.* 12. *in fine*, & alios: quibus *Barthol. de S. Fauſto in Theſauro Relig. lib.* 4. *q* 53. *Homob. de exam. Eccl. p.* 1. *tract.* 5. 6. *q.* 40. & *Dian. p.* 1. *reſol. moral. tract.* 11. *reſol.* 44. Et quamuis à

2 peccato excuſet ipſe *Sanch.* Regulares ſi virtute ſuorum priuilegiorum nollent vota pœnitentis commutare, cum velit eos non aſtringi ad vtendum ſuis priuilegijs; nihilominus eos quoq; eo caſu ſaltē venialiter probabilius putamus peccare cum *Henriq. lib.* 7. *ſua ſum. c.* 28. *nu.* 2. *Fauſto loco citato, q.* 54. & *Diana d. reſol.* 44. Siquidem Regularium priuilegium eiuſmodi datur in bonum quoque pœnitentis, cui ſi denegent votorum commutationem citra iuſtam cauſam, irrationabiliter agunt, & contra charitatem.

An Confeſſarius vi Iubilæi commutans aliquod votum citra debitam æqualitatis inueſtigationem, peccet mortaliter.

SEC. CXI.

SVMMARIVM.

1 *Commutans vota citra debitam æqualitatis inueſtigationem, deficit in re graui eſt cauſa diminuendi diuinum cultum, & malè commutat.*

2 *In moralibus de minimis non curatur.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur affirmatiuè. Etenim commutans vota citra debitam æqualitatis inueſtigationem deficit in re graui, eſt cauſa minuendi Diuini cultus, & malè commutat: non mirum igitur ſi mortaliter peccat. Ita *Sanch. tom.* 1. *ſua ſum. lib.* 4. *c.* 50. *num.* 8. *Portell. in dub. Regul. ver. Commutatio, nu.* 43. *Rodriq. in Bulla Cruciata*, §. 9. *nu.* 106. & *Diana p.* 1. *reſol. moral. tract.* 11. *reſol.* 48. Qui ob id conſulunt commutanti vota, vt ſemper commutatio fiat in paulò plus. Eſt tamen verum, quod *Suar. de Relig. tom.* 2. *c.* 19. *nu.* 44. Docet, commutationem fieri poſſe in materiam, de cuius æqualitate dubitatur, & idem inquit *Sanch. loco citato, nu.* 7. Et alij: ſiquidem quando materia eſt ita dubia, parua poteſt eſſe inæ-

2 qualitas; & ſi fortè contingat eſſe aliquam, cùm agatur de æqualitate morali: in moralibus de minimis non curatur, *l. quod ſi ephesi, ff. de eo, quod certo loco.* Vndè *Sanch. vbi ſupra ſub nu.* 6. *Portell.* & *Diana locis citatis*, inquiunt, commutantes vota non debere ſcrupulis agitari, & pluſquam par eſt inueſtigare, an id, in quod votum commutatur ſit omninò æquale; quoniam eiuſmodi æqualitas non debet eſſe mathematica; ſed moralis, quæ remittitur prudentis arbitrio; præſertim ſi commutatio fiat virtute alicuius priuilegij.

An Confeſſarius Iubilæi priuilegio, aut alterius Bullæ indigeat, vt valeat votum commutare in bonum æquale, vel id poſſit ſola ipſius ordinaria iuriſdictione.

SEC. CXII.

SVMMARIVM.

1 *Confeſſarius an indigeat poteſtate delegata ad votum commutandum.*

2 *Oppoſita ſententia eſt probabilior, & tutior, licet hæc ſit probabilis.*

3 *Ad votum commutandum in æquale, ſatis non eſſe propriam pœnitentis authoritatem, tutior, & magis probabilis eſt opinio.*

1 IN hac difficultate *Henriq. lib.* 7. *ſuæ ſum. c.* 30. *nu.* 5. *Medina in inſtr. confeſ. lib.* 1. *c.* 14. §. 17. *Suar. de Relig. tom.* 2. *lib.* 6. *c.* 20. *nu.* 4. & alij, quorum quidem omninò volunt, Confeſſarium non indigere poteſtate delegata ad votum commutandum in bonum æquale, ſed ſatis eſſe ordinariam: quidam verò id probabiliter tantum docent; imò dicunt id fieri poſſe propria auctoritate pœnitentis, quando bonum æquale eſt euidens. Siquidem vtraque materia eſt grata Deo: & vtrunque opus citra votum exhibitum placeret Deo; atque ideò præſumendum eſt eiuſmodi commutationem acceptari à Deo.

2 Hæc ſententia licèt ſit probabilis, eum multos Doctores grauis ponderis habeat pro ſe, quos refert *Sanch. tom.* 1. *ſua ſum. lib.* 4. *c.* 49. *nu.* 10. attamen oppoſita eſt probabilior, & tutior, quam docent idem *Sanch loco citato, nu.* 13. *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 6. *c.* 19. *num.* 6. cum alijs, quos allegant. Mouentur ex eo, quòd poteſtas ordinaria Confeſſoris extenditur tantùm ad forum pœnitentiæ: at poteſtas commutandi vota non pertinet ad forum pœnitentiale; ſed ad forum externum.

3 Vndè his ſic ſtantibus tutiorem, & magis probabilem cenſemus opinionem eorum, qui ad commutandum votum in æquale volunt ſatis non eſſe propriam auctoritatem pęnitentis: quoniam non eſt certum illam commutationem acceptari à Deo, cùm nulla vtilitas in tali commutatione videatur: ergò oportet concurrere Prælati auctoritatem interpretantis Dei beneplacitum. Confirmatur, quia in eiuſmodi æqualitate promiſſa materia excedit, cùm ad Dei cultum ſpectet perſeuerantia in priori voluntate, vbi aliquid auctius loco illius non præſtatur.

Eſt

Eſt tamen verum, quòd idem *Sanch. ibidem nu.* 14. Id admitteret, quando vtriuſque materiæ æqualitas eſſet euidens, aut dubium eſſet, an poſterior, in quam ſit commutatio, ſit melior, aut probabile, eam eſſe meliorem. Siquidem tunc euidens eſſet, commutationem cedere in maiorem Dei honorem, cùm vouens poſſit augere; non autem minuere Dei cultum.

De Eccleſijs viſitandis, & oratione facienda ad aſſequendum Iubilæum.

SEC. CXIII.

SVMMARIVM.

1 *Tenor Bullæ Iubilæi eſt ſeruandus, ſufficitque tot viſitare Eccleſias, quas Sum. Pontifex præſcripſit: Eſto, quod Epiſcopus plures deputet.*

1 IN hac re ſeruandus eſt Bullæ Iubilæi tenor: nam aliquando in Iubilæo præcipitur vna, vel altera viſitari, aliquando plures. Eſt tamen verum, quòd ſi Epiſcopus plures deputet Eccleſias, quàm ſint à Rom. Pontifice in Vrbe præſcriptæ; tunc ſatis eſt ſi tot viſitentur, quot S. P. aſſignauit: quia Epiſcopus non poteſt plus oneris imponere. Quòd ſi pauciores Eccleſias præſcripſerit, vt fit in oppidis paruis, in quibus vna tantum extat Eccleſia, vel ad ſummum altera; ſatis eſt illas viſitare, vt habetur ex *Boſſ. de iubil. ſec. 4. caſu 16. nu.* Quo verò ad orationes faciendas ſufficit ſi fundantur iuxta mẽtem Rom. Pontificis: & orantis intentio ſatis eſt ſi ſit virtualis; atque ideò neceſſaria non eſt actualis: & quando non decernitur orationis quantitas, ſufficit oratio quantumuis breuis, & oratio aliàs debita: fiat capite detecto, ſiuè cooperto, ſtando, flexis genibus, vel ſedendo, vt poſt alios declarat *Diana p. 5. reſol. moral. tract. 12. reſol. 33.* Inſuper vide Tractatum de magno Iubilæo Luſtralis anni eruditiſſimi, & pijſſimis Patris noſtri D. Pauli Maria Quarti; quem, vt omnibus prodeſſet, Italicè ſcripſit, & in Lucem edidit ſub pontificatu S. D. N. Innocentij Decimi P. M. iubilante Roma, qui in paruo libello extat magnus.

De Purgatorio.

DISP. XI.

SVMMARIVM.

1 *Indulgentijs non ſolum remittuntur pœnitentiæ à Confeſſario iniunctæ in Sacramento pœnitentiæ, ſed etiam debitum luendi pœnam temporalem in Purgatorio.*

2 *Sub Terra quatuor ſunt receptacula, ſeù ſinus, ſiuè vnum ſinum in quatuor partes diuiſum.*

3 *Infernum collocatum eſt in infimo loco, atque in Centro Terræ.*

4 *Purgatorij pœnæ ſunt omnium pœnarum huius ſæculi atrociſſimæ.*

4 *Purgatorij pœnæ in aliquo purgando non durat vltra diem Iudicij.*

1 TRactauimus hucuſque de indulgentijs, & Iubilæo, quibus oſtendimus remitti non ſolum pœnitentias à Confeſſarijs iniunctas in Sacramento pœnitentiæ; ſed etiam debitum luendæ pœnæ temporalis in Purgatorio, quæ remanet poſt remiſſam culpam; meritò igitur de Purgatorio hoc loco aliqua duximus breuiter diſſerenda. Ad cuius rei explicationem duo breuiter faciemus. Primò certa ab incertis apud Catholicos ſecernemus, omiſſa diſputatione cum hæreticis. Secundò dubia per ſuas quæſtiones determinabimus. Circa primum igitur ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 CErtum eſt apud Catholicos, ſub terram quatuor eſſe receptacula, ſeù ſinus, ſeù vnum ſinũ diuiſum in quatuor partes. Primum receptaculum appellatur ſinus Abrahæ, ſeù Lymbus SS. Patrum, in quo recipiebantur iuſti, qui decedebant ante Chriſti paſſionem, & ad præſens eſt vacuus. Secundum receptaculum dicitur Lymbus Puerorum ſine baptiſmo morientium, tertium eſt Infernus, in quo Damnati perpetuò cruciantur. Quartum denique receptaculum eſt Purgatorium, in quo purgantur animæ in veniali culpa obeuntium: & quibus remanet debitum luendæ pœnæ temporalis poſt culpam in hac vita remiſſam. In ſinu Abrahæ SS. Patres pœnam tantùm damni patiebantur temporalem; non autem pœnam ſenſus. In Lymbo Pueri patiuntur pęnam damni æternam, non ſenſus. In Inferno Damnati cruciantur pęna æterna, tàm damni, quàm ſenſus. In Purgatorio demum purgandorum animæ afficiuntur temporali pœna tùm damni, tùm ſenſus. Ita *Bellar.* cum communi, & Patrum ſententia *lib. 2. de Purgator. cap. 6.*

SECVNDA CONCLVSIO.

2 CErtum eſt apud Catholicos, Infernũ collocatum eſſe in infimo loco, atque ideò in Centro Terræ: ſinum Abrahæ, ſeù Lymbum SS. Patrum eſſe in ſuperiori, ac digniori loco: ſiquidem id apertè conſtat ex illo *Lucæ c. 16.* Vbi recenſetur parabola Lazari, & Diuitis, & refertur, Diuitem in tormentis conſtitutum eleuaſſe oculos, & vidiſſe Abraham à longè, quaſi in ſuperiori locò, & ab Inferno diſtante permanentem: & Abraham reſpondiſſe, *Et in his omnibus inter nos, & vos magnum chaos firmatum eſt, &c.* Vndè ſequitur, aliquam intercapedinem eſſe inter prædicta loca, quæ dicitur magnum chaos, atque ideò ſpacium illud eſſe concauum, & ſubtili corpore repletum: etenim vox *Chaos*, grecè hiatum, ſeù voràginem denotat. Nec ob id falſa redditur ſententia *Anſelmi, lib. de imagine mundi, cap.* 21. dicentis, Infernum eſſe inferius dilatatum, & ſuperius coanguſtatum quoad foramen illud; quod eſt velut os Inferni; quoniam ſpiritibus omnia penetrabilia ſunt: & propterea quamuis Infernus nullum penitus oſtium, nec foramen haberet; adhuc tamen potuit Lazarus in ſinu Abrahæ permanens videri ab illo Diuite in Inferno detento.

TERTIA CONCLVSIO.

4 CErtum eſt apud Catholicos, pœnas Purgatorij eſſe omnium pœnarum huius ſæculi atrociſſimas, vt ex communi SS. Patrum, & Theologorum ſententia probat *Bellarm. lib. 2. de Purgator. c. 16. & Suar. de pœnit. diſp. 46. ſec. 3.* Siquidem pœna damni, quam patiuntur animę in Purgatorio exiſtentes grauiſſima eſt ratione priuationis viſionis Dei; naut quamuis temporalis ſit; nihilominus maius malum eſt, quàm quodlibet huius ſæculi temporale damnum;

atque ideò triſtitiam ortam ex illo malo apprehenſo eſſe maiorem quocunque alio dolore, ac triſtitia præſentis vitæ:cuius quidem immenſitas prouenit ex immenſitate boni amiſſi, ſeù mali præſentis, & ex vehementiori illius conſideratione, & maxima affectione ad illud, cùm vehementiſſimè Deum ament, & ordinatiſſima charitate diligant: quapropter eadem intentione appetunt illum videre; atque ideò fit, vt dilatio conſecutionis tanti boni maximam triſtitiam afferat.

QVARTA CONCLVSIO.

5 CErtum eſt pœnam Purgatorij non durare in aliquo purgando vltra diem Iudicij: ſiquidem Purgatorij pœna in hoc differt à pœna Inferni, quòd prior eſt temporalis: poſterior autem æterna. Vndè meritò *D. Auguſt. lib. 2. Geneſ. contra Manich.* loquens de eo, qui reatum aliquem detinet peccatorum inquit, *Quòd ignem ſentiet Purgatorium, vel pœnam æternam. Et lib. 2. de Ciuit. Dei, c. 16. Purgatorias pœnas nullas futuras opinetur, niſi ante illum vltimũ, tremendum Iudicium*. Etenim ante Iudicium omnes reſurgunt, tàm ſaluandi, quam damnandi: illi ad gloriam æternam impaſſibiles, & immortales, iſti verò ad ſupplicium æternum, iuxta illud *Mat. c. 25.* ex quo infert *Molfeſ. p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 26. nu. 122.* ſententiam eorum, qui volunt, nullam animam in Purgatorio detineri, ac cruciari vltra decennium, nempè *Soti in 4. diſt. 19. q. 3. art. 2. & Maldon. de Purgator. q. 5.* Nullum habere fundamentum, & repugnare communi Eccleſiæ intelligentiæ. Non tamen pœnarum Purgatorij duratio eſt æqualis in omnibus purgandis; ſed iuxta maiorem, vel minorem pœnarũ reatum erit diuturna, vel breuis. Hæc adeò vera ſunt apud Catholicos, vt longa diſcuſſione non egeant; tota igitur difficultas conſiſtit in explicandis ſequentibus dubijs; de quibus apud Doctores magna controuerſia eſt.

An Purgatorium ſit propinquius Inferno Puerorum Lymbo.
SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Lymbus puerorum inferior, & propinquior eſt Inferno, quam Purgatorium.*
2 *Iuxta alios Purgatorium eſt medium inter Infernum, & Lymbum.*
3 *Secundum alios Purgatorium, & Lymbus ordinem non ſeruant inter ſe.*
4 *Purgatorium eſſe ad oram, & quaſi ad ripam Inferni nonnulli putant.*
5 *Iuxta D. Thom. idem Ignis eſt Inferni, & Purgatorij, imo ipſe in eodem loco ſituata ſunt, & in quo tantum differant.*
6 *Puerorum Lymbus diſtat ab Inferno, eſtq; propinquius Lymbo Sanctorum Patrum.*
7 *Reſpondetur ad Concil. Florent. pro prima ſententia allatum.*
8 *Improbatur ſententia, quæ opinatur dari Purgatorium ſuper Terram, & infra Cœlum, in media quadam regione collocatum.*

1 IN hac *D. Thom. in 3. ſent. diſt. 22. q. 2. art. 1. q. 1. Ricchard.* & alij volunt Lymbum Puerorum eſſe inferiorem, & propinquiorem Inferno, quàm Purgatorium. Etenim Lymbus eſt locus pro Dei inimicis deputatus, quales ſunt Puerorum animæ, ibi permanentes; atque ideò maiorem conuenientiam habet cum Inferno, quàm Purgatorium. Confirmatur; quoniam ſicut Damnatorum, & dictorum Puerorum animæ conueniunt in ratione eſſentiali culpæ, quæ eſt auerſio à Deo, & in eſſentiali pœna damni, quæ eſt æterna, ita quoque conuenit, vt loca ipſa inter ſe ſint propinquiora, quàm Purgatorium. Denique hæc ipſa ſententia patet ex *Conc. Flor. in litteris vnionis*, dum ait, quòd animæ iuſtæ ſi non dum plenè ſatisfecerunt, detinentur in Purgatorio: eos verò, qui in peccato actuali mortali, vel in ſolo originali deceſſerunt, mox in Infernum deſcendere pœnis imparibus puniendos. Et ſic Lymbum Puerorum Concilium comprehendit ſub Inferno ſimpliciter dicto, non ita Purgatorium. Idem ad Lymbum Puerorum, inquit fieri deſcenſum: & tranſitum ad Purgatorium non appellat deſcenſum, ſed detentionẽ.

2 Alij volunt, Purgatorium eſſe medium inter Infernum, & Lymbum Puerorum; atque ideò magis propè Infernum, quàm Lymbum: & id ob æqualitatem pœnæ ſenſus, quam patiuntur animæ Damnatorum, & animæ in Purgatorio permanentes.

3 Alij arbitrantur, Purgatorium, & Lymbus non ſeruare ordinem inter ſe; ſed æquè ab Inferno diſtare: & loca prædicta æquè eſſe illi propinqua ſecundum diuerſas mundi partes; ita vt Centrum Terræ ſit etiam Centrum Inferni ſecundum communem omnium ſententiam. Vndè putant, Lymbum, & Purgatorium eſſe ſuper Inferni locum collocata, ita tamen, vt ſingula non occupent integrum circulum; ſed ſemicirculum dumtaxat vnuſquis illorum locorum occupet.

4 Alij denique putant, Purgatorium eſſe ad oram, & quaſi ad ripam Inferni: Lymbum verò Puerorum eſſe propè Lymbum SS. Patrum. Hæc ſententia re vera videtur nobis cæteris probabilior; quamuis de re adeò occulta, & à Deo Eccleſiæ non reuelata, certum iudicium ferri non poſſit. Etenim quòd Purgatorium ſit ad oram, & quaſi ad ripam Inferni, videtur Eccleſiam expreſsè indicare, dum in publicis pro Defunctis orationibus fundit præces, petens, animas eorum erui à porta Inferni: ſiquidem non poteſt intelligi orare pro animabus, quæ ſunt in Inferno; quoniam in Inferno nulla eſt redemptio: nec pro animabus Puerorum in Lymbo detentis: quia eorum pena damni eſt æterna; ergò dicendum eſt, Eccleſiam preces fundere pro animabus permanẽtibus ad portam Inferni, & ſic in Purgatorio ſituato ad portam Inferni. Nec obſtat ſi dicatur, quòd Eccleſia orat etiam pro Defunctis, vt liberentur à morte æterna, dicens, *Libera me Domine de morte æterna, &c.* Quoniam reſpondetur, quòd tunc Eccleſia non orat pro Defunctis, ſed pro Eccleſia militante viuente, cùm loquatur in perſona ſingulari: at per verba illa, *à porta Inferi*. Loquitur in plurali, dicens, *Erue Domine animas eorum, &c.* Præterea ibi orat pro tota Eccleſia viuente; hic autem pro animabus Defunctis: ergò per portam, Inferi intelligitur Purgatorium.

5 In hanc eandem opinionem videtur etiam incli-

inclinare *D. Thom. in 4. d. 21.* dum ait, eundem ignem eſſe in vtroque loco, Inferni ſcilicet, & Purgatorij. Imò Infernum, & Purgatorium in eodem loco ſituata eſſe, & ſolùm differre; quoniam Infernum eſt quaſi in profundo; Purgatorium verò quaſi in ingreſſu Inferni. Et re vera vltra reuelationes pro hac opinione extantes, id videtur valdè veriſimile, tùm quia pertinet ad quandam maiorem afflictionem, ac humiliationem purgandorum; tùm propter conuenientiam in pœna ſenſus, tùm denique quoniam Theologi veriſimiliter arbitrantur, poſt diem Iudicij, Infernum dilatandum eſſe, & occupaturum Purgatorium, & Lymbum SS. Patrum. Imò non deſunt, qui velint, tunc temporis Infernum occupaturum quoque Lymbum Puerorum; quoniam putant, in die Iudicij educendas fore animas Puerorum, qui ſine Baptiſmo deceſſerunt ab illo loco, non vt in Cœlum ferantur aut Beatam Dei viſionem accipiant, vt Pelagiani malè, & contra Euangelium ſentiunt: nec vt in Infernum proiiciantur, vt alij contra pietatem, & irrationabiliter arbitrati fuerunt; ſed vt in ſuperficie Terræ habitent, ac ſenſibili luce fruantur, Deumque, vt auctorem Naturæ cognoſcāt, diligant, & laudent.

6 Quòd autem Puerorum Lymbus diſtet ab Inferno, & ſit propinquus SS. Patrum Lymbo, colligi poteſt ex proprietatibus, in quibus loca illa SS. Patrum, & Puerorum conueniunt: ſiquidem in neutro eſt pœna ſenſus: & in vtroque detinentur animæ ob primi noſtri Parentis peccatum dumtaxat. Imò credibile eſſe volūt Theologi, in illo Lymbo habere pueros ſuam requiem quodammodo naturalis conſolationis, ſi fortè neſciant propriæ naturæ caſum, & redemptionem, & ſola naturali cognitione, & amore fruantur. Ita *Suar. de pœnit. diſp. 45. ſec. 2. nu. 13. & 14.* Vbi ſoluendo contraria primæ ſententiæ, inquit, quòd non refert, quòd animæ in Purgatorio detentæ ſint abſolutè digniores animabus Puerorum in Lymbo exiſtentium, cùm ſint in gratia, & à pœnis omnibus eruendæ; quoniam pro tunc merentur maiorem afflictionem, & pœnam ob actualem culpam, quam contraxerunt in hac vita: quæ quidem culpa, attento præſenti illo ſtatu, pœnam merebatur æternam; atque ideò Infernum: & propter pœnitentiam remiſſa culpa, pœna æterna fuit illis commutata in temporalem.

7 Ad *Concil. Florent.* quod pro prima ſententia fuit allatum, quamuis *Suar.* ob id eam putet eſſe probabilem; nihilominus poteſt reſponderi, quod prædictum Concil. Lymbum collocat in Inferno, non quòd ſit propriè in Inferno, vel ad Inferni ianuam, & oram; ſed quoniam Lymbus eſt ſubtus Terram: qua ratione Lymbus quoque SS. Patrum, appellatur Infernus, iuxta illud Symboli, *Deſcendit ad Inferos, &c.* Et tamen de fide eſt, Chriſtum Dominum deſcendiſſe ad Lymbum SS. Patrum, ad liberandas eorum animas, & transferendas in Cœleſtem Patriam. Eſt tamen verum, quòd non ob id negamus, poſſe deputari, & fortè fuiſſe deputata etiam ſupra Terrā particularia loca, in quibus aliquæ animæ ex Diuina voluntate purgentur, vt ex nonnullis reuelationibus patet. Etenim *D. Gregor. 4. Dial. c. 40.* refert, Paſchaſium virum ſanctum in thermis Angulanis apparuiſſe Germano Epiſcopo Capuano, eique reuelaſſe, illum locum fuiſſe ſibi aſſignatum ad purgandum; eo quòd contra Symmachum cuidam Laurentio fauerat. Similem reuelationem habuit, *c. 51.* Imò apertè ait, *cap. 25.* animas purgandas quibuſdam manſionibus detineri ſuper Terram in media Regione aeris, aut in concauo Lunæ. Non tamen ob id

8 nobis probatur ſententia illorum, qui opinantur Purgatorij vnum tantùm dari communē locum ſuper Terram, & infra Cœlum in media quadam Regione collocatum: eo quòd purgandarum animarum ſtatus medius ſit inter ſtatum Beatorum, & Damnatorum; quam recenſet *Suar. loco citato, nu. 2.*

An pœna ſenſus Purgatorij ſit ab igne, vel ab aliquo alio.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Patres Græci negant, animas purgari in Purgatorio per corporeum, & elementarem ignem.*

2 *Communis tamen ferè Theologorum opinio eſt in contrarium, & qua ratione.*

3 *Prior verò ſententia ob rationes allatas dici non poteſt hæretica.*

4 *Damnati in Inferno inter alias, quibus plectuntur pœnis ſenſus eſt ingens, & terribilis illa cum Dæmonijs conuerſatio. Et quanto terribilis ſit eorum aſpectus.*

Et animæ torqueantur in Purgatorio per Dæmones.

1 IN hac difficultate Patres Græci quamuis concedant pœnalem locum Purgatorij, vbi ſi cælum animæ purgentur pro peccatis venialibus, vel pro pœnis, quæ remanent purgandæ poſt remiſſas culpas; negant tamen ibi animas purgari per corporeum, & elementarem ignem, vt conſtat ex *Conc. Flor. ſeſſ. 1. & ſeſſ. 25.* Paulò ante litteras vnionis: quoniam nihil aliud definiuit, niſi Purgatorium eſſe; in quo animæ iuſtæ, quæ in hoc ſæculo plenè pro peccatis non ſatisfecerunt, Purgatorij pœnis poſt mortem purgantur: de igne verò nulla fit mentio. Imò vnus tantùm eſt ſcripturæ locus, vbi de Purgatorij pœnis agitur, qui eſt *Apoſtoli 1. Corinth. 3.* in illis verbis, *Saluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Vndè pœna, qua plectuntur Damnati non eſt ignis formaliter, & elementaris, ſed quaſi ignis, atque ideò æquiuocè, ac impropriè.

2 In contrarium tamen eſt cōmunis ferè Theologorum opinio, vt teſtatur, & ſequitur *Suar. de pœnit. diſp. 46. ſec. 2. num. 2.* Quam opinionem probat tùm ex conſenſu Patrum Latinorum in *d. Conc. Floren.* tùm etiam ex ſupradictis Apoſtoli verbis, in quibus illa dictio, *Quaſi,* non eſt adiuncta ad minuendam veritatem ignis; ſed ad explicandum modum, quo ſalui erunt: quo circà ne crederent nihil mali eis ſupereſſe, addit, *Sic tamen quaſi per ignem.* Denique viſiones omnes, ac reuelationes, quæ de pœnis Inferni, & Purgatorij leguntur quoad ignem, & pœnas ſenſus non diſtinguunt eas, niſi quoad durationem. Vndè *D. Thom. in 4. d. 21. & 45. Sot. in d. diſt. 45. q. 1. art. 2.* Et alij volunt, Purgatorium eſſe prope Infernum, & eundem ignem habere, ita vt arbitrentur

Digitized by Google

trentur iſta duo loca, nullo interiecto corpore denſo, ac ſolido ſeparari; ſed habere potius eundem ignem continuum, eundemque numero: & ſolùm diſtingui quoad partes illius ignis, & per terminum præfixum à Deo.

3 Eſt tamen verum, quòd prior ſententia per rationes ſupra relatas non poteſt dici hæretica; atque ideò non eſt de fide, pœnam ſenſus Purgatorij eſſe à vero, & elementari igne; ſicut certum eſt de igne Inferni, iuxta illud *Matt.* 25. *Ite in ignem æternũ, &c.* Et latè habetur ex *Bellar. lib. 2. de Purgator. c. 11. & Suar. loco citato, sec. 2. nu. 2.* Sed quicquid ſit de hac re, certum eſt apud omnes, pœnas Purgatorij eſſe acerbiſſimas omnium pœnarum huius mundi, vt habetur ex *D. Auguſt. lib. 2. contra Manich. c. 24. & in pſal. 37. DD. Bernar. Anſel. Hilar. Bonauen.* & alij apud *Suar. diſp. 46. sec. 3. nu. 5.* Et ſuppoſito, quod pœna Purgatorij ſit ignis elementaris, cùm diximus illum eſſe eiuſdem rationis cum igne Inferni; ſicut ignis Inferni eſt ardētiſſimus, horribilis, fumoſus, turbidus, & fœtidiſſimus, vt habetur ex eodem *D. Auguſtino, relato in c. fin. de pœnit. d. 7.* Ita, ac eodem modo eſt Purgatorij ignis. Et cum Purgatorij ſitum cum probabiliori ſententia diximus eſſe ad oram, ſeù ad ripam, & portas Inferni; ſicut in Inferno ſunt tenebræ exteriores denſiſſimæ propter ſitum loci in Terræ Centro conſtitutum; quæ nullo Solis radio clareſcunt; ita etiam in Purgatorio, iuxta illud Iob de huiuſmodi loci agentis, *Vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam, & operatam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.*

4 Verum tamen eſt, quòd licèt damnati in Inferno inter alias pœnas ſenſus, quibus plectuntur, præcipua ſit iugis, & terribilis illa cum Demonijs conuerſatio; quorum aſpectus adeò terribilis eſt, vt mallet quis immenſam fornacem ignis ardentis ingredi, quàm eorum vnum ſolum proſpicere: & ab eiſdem duriſſimè torquentur, tanquam Diuinæ iuſtitiæ executoribus, vt latè habetur per *D. Thom. in addit. ad 3. p. q. 69. & ſeq. Sot.* & alios apud *Molfeſ. tom. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 26. nu. 135. vſque ad nu. 146.* Nihilominus animæ, quæ in Purgatorio detinentur, non torquentur per Demones tanquam Diuinæ iuſtitiæ executores, vt docet *D. Thom. in 4. d. 20. & 21.* quem Doctor. communiter ſequuntur: ſiquidem animæ huiuſmodi, cùm ſint in gratia, per ſe ſubduntur Diuino iudicio, ac voluntati, ſponté ſubeuntes pœnas à Diuina iuſtitia ſibi conſtitutas. Et cùm animæ illæ ſanctæ in vltimo ſaltem vitæ conflictu Demones vicerint, & confirmatæ ſint in gratia, dicendum potius videtur, ab Angelis eas comitari in Purgatorium, & ab eiſdem confortari, & conſolari, quàm violenter à Demonis trahi, & diriſſimis eorum aſpectibus cruciari. Non tamen ob id negamus, poſſe Deum animas illas ſanctas tradere Demonibus cruciandas: ſiquidem Demones miniſtri ſunt Diuinæ iuſtitiæ. Vndè in vita *S. Bernardi lib. 1. c. 10.* refertur, Religioſum quendam poſt mortem Beato Bernardo apparuiſſe, qui quatuor delacerantibus ſe traditum eſſe quærebatur, à quibus cruciebatur, & eiuſdem ſancti præcibus liberatum fuiſſe. Vide *Suar. d. diſp. 46. sec. 3. n. 8. & 9.*

An Purgatorij pœnæ paulatim per remiſſionem minuantur, vel ſemper eædem intenſiuè durent, donec animæ ſufficienter purgatæ in Gloriam deferantur.

S E C. III.

S V M M A R I V M.

1 *Veriſimiliter dici poteſt pœnam Purgatorij paulatim minui per remiſſionem.*

2 *Animæ in Purgatorio permanentes licet ſecundum Dei legem non poſſint ab eo ante tempus exire, bene tamen ad tempus ex Dei diſpenſatione.*

1 AD hanc dubitationem veriſimiliter dici poteſt, pœnam paulatim per remiſſionem minui. Etenim pro hac re faciunt quam plurimæ reuelationes, præſertim illa relata à *Diuo Bernardo in vita Malach. §. mortua eſt interim, &c.* dum ait, ſororem eius poſt mortem ſæpius illi apparuiſſe talia oſtendentem ſigna, & doloris habitum, vt oſtenderet per ſancti fratris ſuffragia in dies ſibi pœnas fuiſſe remiſſas. Non tamen ob id probamus ſententiam eorum, qui volunt, animas Purgatorij tranſire in locum amenum: imò prius transferri in Paradiſum Terreſtrem, ibique detineri, antequam ad Dei viſionem admittantur. Etenim ſi animæ illæ ſufficienter purgatæ non ſint, non poſſunt Terreſtrem Paradiſum ingredi: quòd ſi ſufficienter purgatæ ſint, de fide tenendum eſt, eas ſtatim in Beatorum gloriam transferri. Bene verum eſt, quòd licèt ſecundum communem Dei legem animæ in Purgatorio permanentes non poſſint
2 ab eo ante tempus à Diuina Iuſtitia determinatum exire; nihilominus, eas poſſe ad tempus ex Dei diſpenſatione, vt ex nonnullis exemplis conſtat, de quibus *Suar. d. diſp. 46. sec. 4 n. 10. & 11.* Vbi in fine quoque inquit, aduertendum eſſe, quòd quando eiuſmodi diſpenſatio fit, pœna non interrumpitur: ſiquidem talis pœnarum remiſſio potius pœnas augeret, quam minueret, cùm differret Beatitudinis tempus: eo magis, quoniam eiuſmodi interruptio non eſt neceſſaria nam ignis ille ſicut in hoc aere cruciat Demones; ita etiam illas animas torquere, & continuò purgare poteſt: quod ex multis reuelationibus conſtare teſtatur idem *Suar. loco cit. & Molfeſ.* poſt alios *d. c. 26. nu. 123. cum plur. ſeq. vbi nu.* 128. Ex aliquorum opinione ſimiliter ait, aliquas animas non pati pœnam ignis; ſed purgari in aliquo loco huius mundi in aqua, glacie, aut alia pœna afflictiua.

Quomodo corporalis, & elemautaris ignis pœna afficiat animas in Purgatorio, ac in Inferno detentas.

S E C. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Iuxta D. Thom. animæ in Purgatorio cruciantur per ignem, & quomodo.*

2 *Iuxta Sot. patiuntur quoque ab igne proprium cruciatum, quam paterentur ſi corporibus eſſent vnita.*

3 *Hæc Soti ſententia improbabilis videtur, & reycitur à Suar. & cæt.*

4 *Probabilior in hac re videtur opinio Suar. & con-*

connexis cum ſententia Diui Auguſtini.

5 *Animæ in Purgatorio quamuis atrociſſimè crucientur pœna ignis, & eodem ferendo, ac Dæmones, & damnatorum animæ, nihilominus certæ ſunt de ſua ſalute.*

1 IN hac re *D.Thom.1.p.q.64.art.3.& 4.contra Gent.c.90.Scot.Dur. & alij in 4.d.44.* Volunt, animas prædictas cruciari per ignem per quandam alligationem earum ad ignem ſibi inuoluntariam, de qua grauiſſimè triſtantur. Imò non deſunt, qui addant de animabus Damnatorum agentes, vt non ſolùm igni alligentur; verum etiam cogātur ad intuendum ſemper illum, & ad cogitandum de illo per ſpeciem impreſsā, aut per ipſammet cogitationem à Deo, vel immediatè, vel per ignem emiſſam. Quamquidem ſententiam meritò Recentiores reijciunt: eo quòd illa detentio, alligatio, cogitatio, aut ſpeciei impreſſio parui momenti ſint reſpectu vehementiſſimi doloris, quem prædictæ animæ ſentiunt.

2 *Sot. autem in 4. d. 50. art. 2. circa finem*, in cuius ſententiam videtur inclinare *Henriq. quodlib. 8. q.34.* addit, præter detentionem pati animas ab igne proprium cruciatum, quem paterentur ſi corporibus eſſent vnitæ; quæ per ignem concremarentur. Etenim quemadmodū per actionem ignis cauſatur in corpore inordinatio naturalium qualitatum, ex qua reſultat animæ diſconueniens; quæ obiectum eſt doloris, cuius qualitatis affectionem ſenſus tactus per perceptā reſugit appetitus ſenſitiuus, eumq; comitatur voluntas; atque ideò dolor perficitur; ita quoque virtute Diuina fit, vt in anima ſeparata citra ſenſum tactus ſit in intellectu eadem apprehenſio illius qualitatis, & eadem fuga eius in voluntate, quæ ſolet eſſe in anima corpori coniuncta: & propterea ſentit eandem afflictionem, quam ſentit in corpore dum vritur: ſiquidem poteſt Deus talem apprehenſionem animæ ſeparatæ infundere, quæ non ſit minus efficax, quam ſi re vera corpus cremaretur.

3 Sed hæc ſententia adhuc improbabilis videtur: & meritò reijcit eam *Suar. de pœnit. diſp. 46.ſec.1.nu.8. & 9.* Tùm quia non eſt ſufficiens ad explicandam acerbitatem illius pœnæ ſenſibilis, quæ maxima eſt omnium pœnarum, quibus creatura aliqua in hoc mundo affici poſſit, aut excogitare, vt communiter volunt Theologi, & SS. Patres, præſertim *D. Auguſtinus*; tùm etiam quoniam, vt ait *Ariſt. lib. de anima*, ſola apprehenſio, vel imaginatio non mouet affectū, nec cauſat amorem, vel triſtitiam; niſi ad Iudicium perueniat: atque ideò in illis animabus deberet eſſe iudicium de exiſtentia talis obiecti vera, ac reali, vt valeat triſtitiam, & dolorem cauſare: at tale iudicium falſum eſt; ergò talis exiſtimatio repugnat veritati illius pœnæ. Vndè ipſe *Suar.* concludit ibidem *ſec. 2. num. 17.* per actionem ignis fieri in anima, quæ cruciatur qualitatem aliquam ſpiritualem diſconuenientem illi, quæ dolorifera ſit, quatenus eſt obiectū doloris, & triſtitiæ: qualis autem illa ſit, vel in quo poſita eius malitia, vel diſconuenientia, ſeù cruciatus ab homine non poteſt excogitari.

4 Hæc *Suar.* opinio videtur nobis cæteris alijs ſupra relatis probabilior: ſiquidem videtur conuenire cum ſententia *D. Auguſt. c. 2. de Ciuit. Dei*; qui indicans eiuſmodi ignem verè, ac realiter, ac phyſicè cruciare ſeparatas animas; ſed inexplicabili modo, ſic ait, *Cur enim non dicamus, quamuis miris, tamen veris modis, etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporali ignis affligi.* Vocat illam pœnam corporalem, non quia formaliter, & in ſe talis ſit, cùm ſit inherens, & formaliter afficiens rem ſpiritualem; ſed quia ab inſtrumento corporali ad modum rerum corporalium efficitur. Vndè meritò *D. Gregor. 4. Dialog. c. 29.* modum illum occultum, quo anima ſeparata cruciatur ab igne explicās inquit, *Ex igne viſibili ardorem, & dolorem inuiſibilem trahi.* Non enim trahitur obiectiuè, ſed effectiuè; & propterea ſubdit, *Et per ignem corporeum mens incorporea, etiam incorporea flamma cruciatur*, iuxta illud *Lucæ 16. Quia crucior in hac flamma.* Atque ideò Diues ille non tantùm viuendo; ſed etiam experiendo cruciebatur. Ad quod clarius demonſtrandum, *D. Auguſt. loco citato*, inquit de Dæmonibus agens, *Adhærebunt ſpiritus Dæmonum corporeis ignibus cruciandi, accipientes ineffabilibus modis ab ignibus pœnas.* Ex quo fit, vt ignis licèt materialis; nihilominus per eius calorem, vel per ſuam entitatem, quæ eſt in potentia actiua obedientiali, vt inſtrumentum Diuinæ Iuſtitiæ eleuatur à Deo ad torquendum, & cruciandum phyſicè, & effectiuè animas illas in Purgatorio detentas; ſicut phyſicè cruciat Dæmones, & animas damnatas in Inferno. Hanc eandem opinionem tenet *Conynch. de Purgator. diſp. 1 i. nu. 27.* & alij apud *Molfeſ. p. 1. ſuæ ſum. tract. 7. c. 26. nu. 112. & 113.*

5 Eſt tamen verum, quòd licèt animæ in Purgatorio pœna ignis atrociſſimè crucientur, & eodem ferè modo, quo cruciantur Dæmones, & damnatorum animæ torquentur; nihilominus animæ illæ in Purgatorio permanentes certæ ſunt de earum ſalute: ſiquidem cognoſcunt eſſe in gratia, & ſciunt pœnas illas eſſe temporales; atque ideò, illis ſolutis, aſſumendas eſſe ad æternam gloriam. Etenim in illo inſtanti, quo anima ſeparatur à corpore, fit de ea particulare iudicium per ſpiritualem allocutionem, qua oſtenditur animæ meritum, vel demeritum: & probabile eſt fieri à Chriſto Domino animæ iudicandæ apparenti ad maiorem conſolationem Bonorum, & maiorem terrorem Malorum. Chriſtus enim per ſuam Diuinam potentiam in varijs locis, eodem tempore poteſt præſens eſſe, vt poſt alios rectè declarat *Molfeſ. vbi ſupra, nu. 108. cum plur. ſeq.* Poſtremò vide noſtrum olim Patrem Generalem D. Angelum Piſtachium, qui eruditè, ac luculenter tres partes in tres Tomos diſtinctas in lucem edidit de Purgatorio; vbi quid morale, quid doctrinale optas inuenies, tùm ad conciones, ac controuerſias, tùm ad omnia doctrinarum genera mira claritate concinnatas, ac methodo diſpoſitas cum ingenti Doctorum plauſu, qui inſtant, vt iterum, atque iterum in lucem edantur.

De forma Sacramenti pœnitentiæ.

D I S P. XII.

S V M M A R I V M.

1 *Præceptum annuæ confeſſionis, non aliter adimpletur,*

pletur, quam per veram, & perfectam Sacramenti pœnitentiæ perceptionem.

Et an formæ tractatio præcedere debeat tractationem materiæ.

1 QVoniam præceptum confeſſionis annuæ, de quo agitur in noſtro canone, non aliter adimpletur, quàm per verum, ac perfectam Sacramenti pœnitentiæ perceptionem, vt ſupra oſtendimus *diſp. 2. ſec. 1. & 2.* Quod quidem Sacramentum cùm conſtet ex materia, & forma, ſicut & reliqua omnia nouæ legis Sacramenta; idcircò egimus hucuſque de ipſius materia, quam diximus eſſe actus penitentis, nempè confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem, tanquam partes eandem integrantes: quas partes quales eſſe debeant, & quot conditiones exigant ad dictum præceptum implendum, ex eodem noſtro canone excipientes, *d. diſp. 2. ſec. 7. per totam*; per ſuas diſputationes, ac ſectiones ſufficienter explicauimus: modo conſequenti ordine reſtat videndum de ipſius Sacramenti forma; quę ad prædictum præceptum ſeruandum omninò requiritur. Et licèt ſecundum ordinem dignitatis formæ tractatio deberet præcedere tractationem materiæ, cùm forma ſit dignior, vltima rei perfectio, actuans, ac ſpecificans materiam; qua propter ab *Ariſt. 2. de anima, c. 2. & 2. phyſ. c. 28.* Enthelechia appellatur; atque ideò in moralibus à dignioribus inchoatur; vt in *§. fin. in inſtit. de iur. nat. gent. & ciuili*; Nihilominus, quoniam nos proſequimur noſtri canonis ordinem, qui prius agit de materia, & deindè tacitè ſaltem de forma Sacramenti pęnitentiæ, vt colligimus ex eo, in principio noſtrorum *Commentariorum, in diuiſione §. 1. verſ. Eſt autem*: Et id non immeritò; nam rectius à Confeſſario decernitur pœnitentia, & ſic ſacramentalis ſatisfactio antequam formam, atque ideò abſolutionem à peccatis impendat, tùm vt omnes partes Sacramenti materiales ſubijciantur ipſius Confeſſarij abſolutioni, tanquam parti formali; tùm etiam, quoniā hoc modo ordo iudicij, & iuſtitiæ vindicatiuæ melius ſeruatur, ſi pęnitens ſatisfactionē prius ſpondeat, quā abſoluatur, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 26. n. 10. Suar. de pœnit. diſp. 38. ſec. 3. in fine, Gloſa in clem. dudum, §. ſtatuimus, verb. Audire, de ſepult. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 6. c. 15. nu. 8.* Et ex alijs: non igitur ab re prius agendum duximus de materia, & deinde de forma Sacramenti pœnitentiæ.

Quænam ſit forma Sacramenti pœnitentiæ.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Heretici præcipuè Vuicloff, & Luther. negant in Eccleſia Clauium poteſtatem.*

2 *Forma Sacramenti pœnitentiæ non ſunt aliqua verba, ſed quodcunq; ſignum ſufficienter exprimens voluntatem Sacerdotis, pœnitentem abſoluere intendentis, & nu. 9.*

3 *De eſſentia Iudicij non eſt, vt ſententia voce proferatur: nec de ratione matrimonij ſunt formalia verba contrahentium.*

4 *Forma Sacramenti pœnitentiæ debet verbis à Confeſſario impendi, non autem nutu, aut ſcripto aliquo.*

5 *An impendi debeat determinatis verbis, & precatiuis. Scilicet Miſereatur tui, &c.*

6 *An fieri debeat his determinatis verbis: Remitto tibi peccata tua.*

7 *Vera Sacramenti pœnitentiæ forma debet impendi his verbis Abſoluo te.*

8 *Forma Sacramenti pœnitentiæ non poteſt aliter impendi, quam Confeſſarij verbis.*

9 *Periculoſa eſt ſententia Palud. & aliorum; exiſtimantium Sacramenti formam eſſe quodcunq; ſignum, quo ſufficienter exprimitur voluntas Sacerdotis pœnitentem abſoluere intendentis.*

10 *De ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ non tantum ſunt verba, ſed determinata verba.*

11 *Forma Sacramenti pœnitentiæ impendi non poteſt verbis deprecatiuis.*

12 *Hæc verba (Remitto tibi, &c.) ſunt de ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ.*

13 *Vera Sacramenti pœnitentiæ forma communis, & ſecundum vſum totius Eccleſiæ eiuſq; traditionem hæc eſt (Abſoluo te.)*

14 *Rectius impenditur forma huius Sacramenti per verba (Abſoluo te) quam per verba (Remitto tibi,) licet idem ſignificent.*

15 *De ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ eſt, vt impendatur pœnitenti præſenti; non verò abſenti.*

16 *Idque verum eſt, ſiuè pœnitens abſens confiteatur, & abſoluatur, ſiue præſens confiteatur, & abſens abſoluatur. Vtrunq; enim prohibetur.*

16 *Abſolui non poteſt pœnitens abſens, quacunq; neceſſitate non obſtante, quamuis reperiretur in articulo, vel periculo mortis.*

18 *Abſenti impendi haud poteſt abſolutio, quamuis culpa Confeſſarij eidem præſenti non fuerit impenſa.*

19 *Confeſſarius ſi ex obliuione, & inaduertentia pœnitentem ritè confeſſum non abſoluat, ſi commodè, & citra ſcandalum eum reuocare non poſſet, vel ex qualitate perſonæ probabiliter putet, eum non incidiſſe in culpam lethalem nouam, poteſt eum abſoluere, licet aliquantulum ab eo remotum, modo ſibi conſtet de præſentia ipſius pænitentis in eodem templo.*

20 *Pœnitens ſi à Confeſſario ſit parū ſciunctus, ita vt ab eo videatur poteſt validè ab eo abſolui.*

21 *Tex. in d. c. quodlib. adductus pro prima ſententia loquitur de abſolutione iudiciali, non autem ſacramentali, & diſpar eſt ratio materiæ, ac formæ Sacramenti pœnitentiæ.*

22 *Quamuis Sacramentum pœnitentiæ inſtitutū ſit per modum iudicij, iudicium tamen ſacramentale differt à Iudicio forenſi.*

23 *Chriſtus Dominus in matrimonio noluit inſtituere ſpecialem ritum, ſed honorare naturalem contractum, & in eo altiorem Sacramenti rationem fundare.*

24 *Sacramentum Baptiſmi multo magis neceſſarium eſt, quam Sacramentum pœnitentiæ.*

25 *Reſpondetur ad tex. in d. cap. multiplex.*

26 *Abſolutiones quæ in publico fiunt, ſacramentales non ſunt.*

27 *Suppoſita inſtitutione huius Sacramenti per modum Iudicij ſatis congruenter, imò moraliter neceſſarium eius forma proferri debet per verba indicatiua, quod ſecus eſt in proferenda forma Sacramenti extremæ vnctionis, & cur.*

28 *Peccata nō modo offenſæ ſunt, ſed etiā vincula.*

Ad

Digitized by Google

1 AD explicationem tituli huius difficultatis eſt adnot. quòd noſter intentus non eſt diſputare præſentem controuerſiam contra hæreticos, præcipuè *Vuicleff. & Luther.* negantes in Eccleſia clauium poteſtatem, & conſequenter abſoluendi facultatem; nam hæc materia pertinet ad quæſtionem de clauibus. Sed ſuppoſita cum Catholicis clauium poteſtate, quærimus, quænam ſit forma Sacramenti pœnitentiæ.

2 In hac re quinque ſunt opiniones. Nam prima ſententia eſt *Palud. Medina*, & aliorum, quos refert, & ſequitur *Nauar. in Man. c. 21. nu. 36. & in c. quem pœniter, de pœnit. d. 1. nu. 4.* Dicentium, quòd cùm aliquando per ſcripturam poſſit abſolutio impendi, conſequenter eſſe volunt formam Sacramenti pœnitentiæ non eſſe aliqua verba propriè dicta, ſed eſſe quodcunque ſignum, quo ſufficienter exprimitur voluntas Sacerdotis, pœnitentem abſoluere intendentis; nec opus eſſe quòd ore proferatur. Probatur hæc ſententia primò ex *tex. in c. qualis, 30. q. 5.* Vbi Leo Papa permittit pœnitentiã ſponſæ per ſcripturam recipi. Modò ſic argumentor, aut S. P. per illum *tex.* pœnitentiam à pœnitente, ideſt abſolutionem per ſcripturã recipi; aut permittit pœnitentiam, ideſt cõfeſſionẽ per ſcripturã recipi, aut vtranq; Sacramenti partem. Si primum, & tertiũ, clarè nos habemus intentum: quòd ſi ſecundum, ergò etiã abſolutio per ſcripturã poteſt impendi: ſiquidem non eſt maior ratio in vno caſu, quàm in alio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil. & l. adigere, §. quamuis, ff. de iur. patron.* Secundò Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per modum iudicij, cùm Sacerdos abſolutionem impendens dicatur Iudex, vt in *c. verbum de pœnit.*
3 *d. 1.* Probo conſequentiam; quoniam de eſſentia iudicij non eſt, vt ſententia voce proferatur; ſed ſæpè, & vt plurimum fit tantùm ſcripto, vt in *c. ſi ſententia, de ſent. & re iud. & l. vlt. C. de ſent. ex breuiloquo recit.* Tertiò de ratione matrimonij non ſunt formalia verba contrahentium; ſed ſatis ſunt quæcunq; ſigna, ipſorum conſenſum exprimentia: ergò eodem pacto forma abſolutionis ferri poteſt, &c. Antecedens patet ex *tex. in c. fraternitati, de ſponſal.* Nam Sacramentum matrimonij fundatum eſt in contractu, & ideò non plus requirit, quàm ſit de eſſentia contractus: conſtat autem contractus citra verba aliqua celebrari poſſe; cùm non verba, ſed mens contrahentium ſit attendenda, *arg. tex. in c. ad noſtrum*, & ibi *Doctor. de empt. & vendit.* Conſequentia probatur, quia non eſt maior ratio in vno caſu, quàm in alio. Deniqne Sacramentum pœnitentiæ eſt magnæ neceſſitatis: ergò abſolutio, & ſic forma Sacramenti huiuſmodi ſcripto aut quocumque alio ſcripto impendi poteſt. Antecedens patet. Probatur conſequentia; quia ſi pœnitens extremè indigeat, & Sacerdos loqui nequeat, ſi ſcripto, aut alio ſigno abſolutionem impendere non poſſet, pœnitentis anima detrimentum pateretur.

4 Secunda ſententia eſt *Scoti in 4. ſent. d. 14. q. 4.* Dicentis, formam Sacramenti pœnitentiæ debere verbis à Confeſſario impendi, non autem nutu, aut ſcripto aliquo; non tamen neceſſaria eſſe aliqua determinata verba, ſed ſatis eſſe quæcunq; verba, quibus exprimatur actus ſententiæ abſoluentis. Probat *Scot.* ſuam ſententiam ex eo, quòd Sacramentum pœnitentiæ eſt inſtitutum per modũ iudicij, cuius ſententia nõ exigit determinata verba: & proindè ſicut in iudicio forenſi ſentẽtia lata his verbis iubeo, volo hunc abſolui, placet hunc abſolui, valida erit; ita etiam forma Sacramenti his verbis inualida dici non poteſt.

5 Tertia ſententia fuit cuiuſdam Doctoris Catholici, contra quem *D. Thom.* ſcripſit *opuſc. 22.* Dicentis, formam Sacramenti pœnitentiæ debere impendi determinatis verbis; verum verba illa debent eſſe deprecatiua, nempè, Miſeratur tui omnipotens Deus, &c. Probat hanc ſuam ſententiam ex *tex. in c. multiplex de pœnit. d. 1.* Vbi Leo Papa inquit quod indulgentia Dei, niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequit obtineri; & tamen loquitur de Indulgentia Dei, quæ præſtatur pœnitentibus: ergò forma huius Sacramenti debet eſſe per modum deprecationis. Et confirmatur, quia in orationibus, quæ publicè fiunt in Eccleſia, ſicut in hora prima, & completorio abſoluẽs vtitur verbis deprecatiuis, nempè Miſereatur tui, &c. Ergò hoc idem dicendum eſt in abſolutione, quæ à Sacerdote impenditur in Sacramento pœnitentiæ. Denique Sacramenti extremæ Vnctionis forma fertur verbis deprecatiuis, nempè, Per iſtam Sanctam vnctionem, & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum, per auditũ, &c. Ergò forma Sacramenti pœnitentiæ eiſdem verbis impendi debet.

6 Quarta ſententia fuit *Abulen. p. 1.* ſui Defenſor, & ſequacium exiſtimantium, formam Sacramenti pœnitentiæ debere eſſe, ac ferri determinatis verbis; ſed verba determinata erunt huiuſmodi, Remitto tibi peccata tua. Probat ſuam opinionem hoc argumento, Peccata ſunt iniuriæ, & offenſæ Deo illatæ, quæ remittuntur dumtaxat, & non ſoluuntur: ergò Sacerdos in impendenda forma dicti Sacramenti debet vti ſupradictis determinatis verbis. Vndè legitur quod Chriſtus ſic ait in inſtituenda Sacramenti pœnitentiæ forma, Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, &c.

7 Quinta ſententia eſt communis, quæ ſe habet, quòd vera Sacramenti pœnitentiæ forma debeat impendi his verbis, Abſoluo te, quæ quidem opinio, quoniam veriſſima eſt, imò de fide, idcircò pro eius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

8 FOrma Sacramenti pœnitentiæ non poteſt aliter impendi, quàm Confeſſarij verbis. Hæc concluſio eſt communis, & vera, quam docent *Henriq. de pœnit. c. 11. nu. 5. in com. litt. M. Suar. eod. tract. diſp. 19. ſec. 3. & diſp. 19. ſec. 1. nu. 3. Zenard. in director. confeſ. de ſacra. pœnit. c. 47. in princ. Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 6. n. 62. & alij.* Probatur ex *Conc. Flor. in Decr. Eug.* Vbi generaliter docentur Sacramẽta nouæ legis conſtare verbis: ergò generaliter intelligendũ eſt de omnibus Sacramẽtis, atq; adeò etiam de Sacramento pœnitentiæ; quoniã lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi, vt in *l. 3. §. generaliter, ff. de leg. præſtand. l. generaliter. C. de ſacroſ. Eccleſ. & l. generali lege, C. de ſecund. nupt.* Confirmatur ex eodem Conc. quòd in ſpecie loquens de Sacramento pœnitentiæ ait, quòd forma Sacramenti pœnitentiæ ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert,

Digitized by Google

&c. Idem fuit decretum ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3.* Definiente, formam Sacramenti pœnitentiæ in illis Miniſtri verbis, *Abſoluo te*. Nec obſtat ſi dicatur, quòd in inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ non reperitur à Domino cautum, vt eius forma impendatur verbis; quoniam reſpondetur, quòd non ex hoc infertur, formam talis Sacramenti impendi poſſe aliter quàm verbis: nam Chriſtus Dominus expreſsè quoque non dixit, Sacramenta Baptiſmatis, & Euchariſtiæ conficienda formaliter verbis; & tamen ex ſenſu, ac traditione Eccleſiæ habemus, hanc fuiſſe Chriſti mentem, vt ſcilicet prædicta Sacramenta verbis conſumentur: ergò aut in prædictis Sacramentis non eſt certum, quòd verba ore prolata ſint de eſſentia, quod dici non poteſt: aut ſi eſt certum, quòd verba prolata ſint de eſſentia dictorum Sacramentorum, erunt etiam de eſſentia Sacramenti pœnitentiæ, quia in Sacramento pœnitentiæ vtitur ſimili loquendi modo: ſicut enim Dominus in inſtitutione Sacramenti Baptiſmatis ait, *Baptizantes eos, &c.* Et in inſtitutione Sacræ, ac ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, *Hoc facite, &c.* Ita quoque in inſtitutione Sacramenti pœnitentiæ inquit, *Quorũ remiſeritis, &c.*

9 Ex dictis patet, periculoſam eſſe ſententiam *Palud.* & aliorum, quos ſupra retulimus pro prima ſententia, exiſtimantium, formam Sacramenti pœnitentiæ non eſſe verba propriè dicta, ſed eſſe quodcunq; ſignum, quo ſufficienter exprimatur voluntas Sacerdotis pęnitentem abſoluere intendentis; nec opus eſſe, vt ore proferatur: nõ enim per ſcripturam, nutu, aut alio ſigno poteſt ipſa forma impendi; ſed debet omninò proferri voce humana, vt infra Deo duce latius dicemus.

SECVNDA CONCLVSIO.

10 DE ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ non tantùm ſunt verba, ſed determinata verba; atque ideò non ſufficiunt quæcunque verba, quibus exprimatur actus ſententiæ abſoluentis. Hæc concluſio eſt contra *Scot.* Probatur; nam aut *Scot.* vult quæcunque verba ſufficere, nempè æquipollentia his verbis, *Abſoluo te*. Aut vult quæcunque verba ſufficere, etiam ſi æquipollentia non ſint. Non poteſt dici primum; quia ſi verba illa, *Abſoluo te*, de ratione formæ ſunt, vt ea eſſe infra, Deo duce, dicemus, non poſſunt mutari citra culpã, & per æquipollentia impendi: quæ culpa ex ſuo genere eſt lethalis, cùm ſit ſacrilegium: nam licet mutatio illa verborum per æquipollentia nõ ſit contra formam; ſunt tamen contra præceptum Eccleſiæ. Vndè ſi quis diceret, mundo te à peccatis, &c. mortaliter peccaret: ſicut quando non mutaret verbum, ſed modum verbi, dicens abſoluere, &c. vt latè *Suar. de pœnit. diſp. 19. ſec. 1. nu. 4.* quamuis *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 3. in fine*, Velit, quòd ſi quis abſolutionem impenderet per verbum, Remitto, aut diceret abſolutionem impendo, vel abſoluaris à me, præciſo ſcandalo, non contraheret pluſquam venialem culpam, vt infra dicemus, *ſec. ſeq.* Nec poteſt dici ſecundum; nam ſi forma illa eſt eſſentialis, vt re vera eſt, vt infra declarabimus, non poteſt alterari per alia verba, quæ non ſint ſaltem æquipollentia: non ergò forma Sacramenti pœnitentiæ impendi poteſt per quæcunq; verba, ſed verba debent eſſe determinata.

TERTIA CONCLVSIO.

11 FOrma Sacramenti pœnitentiæ licèt ferri debeat determinatis verbis; non tamen impendi poteſt verbis deprecatiuis. Hæc concluſio eſt contra Doctorem illum, contra quem *D. Th. edidit opuſc. 22.* dicens non ſolùm nõ eſſe veram, ſed eſſe temerariam, ac præſumptuoſam. Probatur ex eo. quòd omnis Sacramenti forma habetur ex Chriſti inſtitutione, & Eccleſiæ vſu, ac traditione: At nunquam legitur, Chriſtum Dominum hanc formam inſtituiſſe, nec ab Eccleſiæ vſu receptam fuiſſe; ergò, &c. Probatur minor, quia nõ dixit Chriſtus Apoſtolis, quibus poſtulaueritis remiſſionẽ peccatorũ, impetrabitis; ſed quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis. Vndè non datur ibi poteſtas impetrãdi, ſed abſoluendi. Secundò Sacramentum pęnitentiæ eſt inſtitutũ per modũ iudicij; ſed in iudicio Iudex non profert ſententiã deprecando, ſed ſoluẽdo, vel ligando: ergò Sacerdos non poteſt proferre formam Sacramenti pęnitentiæ verbis deprecatiuis, nempè, Miſereatur tui, &c. Sed verbis indicatiuis.

QVARTA CONCLVSIO.

12 HAec verba, *Remitto tibi, &c.* Sunt de ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ. Probatur: quia omnis forma Sacramenti habetur ex Chriſti inſtitutione, & Eccleſiæ vſu, ac traditione; ſed Chriſtus vſus eſt verbo remittendi in concedendo Apoſtolis facultatem abſoluendi à peccatis, vt legitur *Matt. c. 18.* Quor remiſeritis, &c. Ergò verbum, Remitto tibi, &c. Pertinet ad abſolutionẽ à peccatis, atque ideò eſt de ratione formæ Sacramenti pęnitentiæ. Sed quia Eccleſia in impẽdenda Sacramẽti forma nõ vtitur verbo, Remitto, ſed verbo abſoluo, Sacerdos formã impendens per verbum Remitto, non eſſet à culpa immunis, licèt minus peccaret, quàm ſi formam ferret per verbum, mundo: quoniam verbum remitto in omni proprietate verborum ſignificare poteſt actum iudicialem, & eſt conformis verbis Chriſti, vt benè inquit *Suar. loco cittato*.

QVINTA CONCLVSIO.

13 VEra Sacramenti pœnitentiæ forma, communis, & ſecũdum totius Eccleſiæ vſum, ac traditionem hæc eſt *Abſoluo te*. Atque adeò hæc verba determinata ſũt de ratione, & eſſentia dictæ formæ. Hæc cõcluſio eſt communis, quam tenent *D. Thom. 3. p. q. 94. art. 3. Henriq. lib. 5. de Sacram. pœnit. c. 11. in prin. Suar. de pœnit. diſp. 19. ſec. 1. Vaſq. tom. 4. in 3. p. q. 84. art. 3. dub. 4. nu. 4. Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 1. p. 3. Caiet. in ſum. ver. Confeſſio concl. 51. Zenar. de Sacram. pœnit. c. 47. & alij*. Imò hanc ipſam concluſionem hodie de fide eſſe teſtatur *Filline. tom. 1. qq. moral. tract. 6. nu. 61. & P. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. Recoll. 3. ſub nu. 90.* Probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3.* dum ait, quòd forma Sacramenti pœnitentiæ conſiſtit in illis Miniſtri verbis, *Abſoluo te*. Confirmatur ex *Conc. Floren. in Decreto Eugen.* qui loquens de Sacramenti pœnitentiæ forma ſic ait, forma huius Sacramenti ſunt verba abſolutionis, quæ Sacerdos profert cùm dicit, *Abſoluo te*.

SEXTA CONCLVSIO.

14 HAec verba *Abſoluo te*, & verba *Remitto tibi, &c.* Licet idem ſignificant, & pro-inde omnia ſatis ſint ad conſtituendam formam Sacramenti pœnitentiæ; nihilominus rectius impendi-

Digitized by Google

penditur ipſa forma per verba, *Abſoluo te*, quàm per verba, *Remitto tibi*. Hæc concluſio eſt contra *Abulen. 1. p. ſui defenſor. c. 6.* & eſt communis, quam docent *Valen. tom. 4. diſp. 7. q. 1. p. 3. verſ. Porrò, Conynch. diſp. 4. dub. 2. & 8. Henriq. de pænit. lib. 1. c. 11. Bonac. diſp. 5. de Sacram. q. 4. p. 1. nu. 8. Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. Recoll. 3. nu. 86. & aliorum*. Imò *Valent.* inquit, opinionem *Abulen.* eſſe falſam, quia putat non poſſe propriè hominem dici abſolui à culpa, & pœna, ſed impropriè, quatenus culpa denotat reatum pœnæ. Probatur cõcluſio quoad primam partem: quoniam quando peccata remittuntur, relaxantur, iuxta illud pſal. relaxa facinora, plebi tuæ Iſrael: quæ quidem ad vincula referuntur: non enim relaxantur, niſi à vinculis, ergò verba Abſoluo, & Remitto, idem ſignificant. Probatur modò concluſio quoad ſecundam partem, quia, verbum Abſoluo, eſt magis actus iudicij, quàm verbum Remitto. Item verbũ, Abſoluo, valdè alludit verbis *Domini Matt. c. 16. Quæcunque ſolueritis, &c.* Et exprimit quoque ſignificantius vim beneficij collati, cùm ſignificet quoq; peccata à quibus quis abſoluitur eſſe vincula, quibus peccata alligatur, iuxta illud *Iſaiæ c. 58. Diſſolue colligationes impietatis*. Et alibi, ſolue vincula colli tui captiua filia Sion. Item *pſal. 118. Funes peccatorum circumplexi ſunt me. Et pſal. 115. Dirupiſti vincula mea. &c.* Quod non ſic apertè proponeretur peccatori, ſi diceretur, Remitto, &c.

SEPTIMA CONCLVSIO.

15 De ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ eſt, vt impendatur pœnitenti præſenti, non autem abſenti. Hæc concluſio eſt communis, quam docent *Suar. de pœnit. diſp. 19. ſec. 3. nu. 7. Reginald. lib 6. ſua prax. nu. 5. Molfeſ. in ſua ſum. tract. 2. c. 5. nu. 54. Alph. de Leone de offic. & poteſt. confeſ. Recoll. 3. ſub nu. 102.* cum alijs, quos allegant. Imò hodie eſt certa, ac indubitata, & contrariam, nempè quòd abſenti impendi poſſit, & per litteras, ſeu internuncium confiteri, Clem. VIII. in quadam ſua Bulla edita ſub die 19. Iulij, ad minus vti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnauit, præcepitq; ne deinceps eiuſmodi propoſitio publicis, priuatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur, ſub pœna excommunicationis ipſo facto, S. P. reſeruatæ contra violantes prædictum Decretum, præter alias pœnas à Iudicibus infligendas. Probatur ipſa cõcluſio ex *Conc. Floren. & Trid.* ſupra relatis, decernentibus, formam Sacramenti pœnitentiæ conſiſtere in illis verbis, *Abſoluo te*. Quæ non poſſunt dirigi in perſonam abſentem; ſed in perſonam præſentem: ergò forma ipſa, atque ideò abſolutio non poteſt impendi pœnitenti abſenti, ſed præſenti.

16 Ampliatur concluſio, vt vera ſit, ſiuè pœnitens abſens confiteatur, & abſoluatur iuxta decretum Clem. VIII. ſiuè præſens confiteatur, & abſens abſoluatur; quoniam vi prædicti decreti non ſolùm vtrumq; coniunctim; ſed etiam ſi eorum alterum diuiſim cenſetur prohiberi, vt habetur ex *Conynch. diſp. 4. de ſacram. dub. 10. & Alph. de Leone loco citato, ſub nu. 103.* Qui id verum eſſe docent, etiam ſi veriſimile foret tunc temporis eſſe huiuſmodi pœnitentem in ſtatu gratiæ.

17 Secundò ampliatur, vt ipſa concluſio locum habeat non obſtante quacunq; neceſſitate, etiam pœnitens conſtitutus reperiretur in articulo, ſeu periculo mortis: ſiquidem eiuſmodi pœnitens non poſſet abſens abſolui, nec per litteras, & internuncium confiteri, vt habetur per *Suar. de pœnit. diſp. 19. ſec. 3. Coriol. de caſib. reſeru. p. 1. ſec. 2. art. 20. Bonac. de Sacram. diſp. 5. q. 4. pun. 5. in prin. & Alph. de Leone d. Recoll. 3. nu. 104. vbi etiam nu. 105.* poſt alios, inquit, quòd adeò abſenti non poteſt impendi forma Sacramenti, vt impenſa ſit nullius momenti; quoniã licèt Clem. VIII. id expreſſè non declarauerit; nihilominus dum decreuit, cõtrariam ſententiam eſſe falſam, tacitè quoque cenſetur declaraſſe, formam prædictam abſenti impenſam eſſe nullius momenti.

18 Tertiò ampliatur, vt abſenti non poſſit impendi abſolutio, etiam ſi culpa Confeſſarij, qui pœnitentis confeſſionem audiuit, eidem præſenti non fuerit impenſa: tunc enim ſi Confeſſarius pœnitentem ipſum abſentem abſoluat nihil agit, quia cùm præſentia pœnitentis ſit de ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ vt ſupra diximus, & id, quod eſt de ratione formæ prætermitti nequeat citra nullitatem actus, vt latè nos oſtendimus in noſtris *Commen. in Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 2. q. 4. in addit. litt. A.* Non mirum ſi abſolutio, & ſic forma ipſa impendi nequeat abſenti, etiã ſi culpa Confeſſarij qui eius confeſſionem audiuit, eidem præſenti non fuerit impenſa.

19 Sic ampliatam prędictam concluſionem limitant, *Suar. de ſec. 3. num. 15. Molfeſ. in ſua ſum. tract. 7. cap. nu. 59. Bonac. diſp. 5. de Sacram. q. 7. pun. 6. nu. 7. & 3. Reginald. lib. 8. ſua prax. nu. 32.* Quando aliquis Confeſſarius ex obliuione, & inaduertentia pœnitentem ritè confeſſum non abſoluit: ſiquidem eo caſu, ſi commodè, & citra ſcandalum talis non poſſit reuocari; modò expectet communionem: vel ex qualitate perſonæ probabiliter eidem Confeſſario conſtet, quòd non dum inciderit in lethalem culpam nouam; licitè eum poſſe abſoluere, licèt aliquantulum ab eo remotum; dummodò eidem conſtet de præſentia ipſius pœnitentis in eodem templo. Etenim re vera huiuſmodi pœnitens dum eo caſu abſoluitur, poteſt dici moraliter præſens, atque ideò verificãtur in illo verba illa, *Abſoluo te*. Non tamen puto hanc limitationem veram, vbi pœnitens licèt ſit in templo; tamen à Confeſſario non videtur; quoniam re vera non poteſt dici moraliter præſens, nec verba formæ, *Abſoluo te*. Illi conueniunt, vt rectè ait *P. Alphon. noſter d. recoll. 3. nu. 108. & ſeq.* Quòd ſi pœnitens ſit à Confeſſionario parum ſeiunctus, ita vt à Confeſſario videatur, etiam ſi communicandus non ſit, tunc puto quòd poſſit validè abſolui, & citra culpam ad euitandum maximè ſcandalum, quoniam is re vera non tantum moraliter, ſed etiam phyſicè eſt præſens; & ei conueniunt illa verba, *Abſoluo te*. Et cùm primò petierit abſolutionem, & non fuit abſolutus, cenſetur in eadem voluntate, donec abſoluatur; atque ideò vnam tantùm dicetur obtinuiſſe abſolutionem, & non priorem, & poſteriorem. Eſt tamen verum, quòd Confeſſarius ſi commodè, & citra ſcandalum poterit reuocare pœnitentem huiuſmodi, & de errore admonere; vel hortari, vt confiteatur

Digitized by Google

peccata aliqua commiſſa poſt confeſſionem, & dicere ſuam culpam de alijs omnibus alijs confeſſis, & ſic eum abſoluere, tunc ad id tenetur, vt habetur ex eodem *Alph. de Leone loco citato ſub nu.* 21.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

21 AD primum primæ ſententiæ ex *tex. in d.c. qualis*, reſpondet *Suar. d. diſp.* 19. *ſec.* 3. *text.* illum loqui de abſolutione iudiciali, non autem ſacramentali: & dato, quòd de ea intelligatur, ita vt poſſit pœnitens materiam ſubminiſtrare propalando peccata Sacerdoti præſenti, non autem abſenti, iuxta *Gloſ. & Doctor. in d. c. qualis*; nihilominus negamus conſequentiam: ſiquidem eſt diſpar ratio materiæ, ac formæ Sacramenti pœnitentiæ: nam à Chriſto Domino non fuit ita expreſſa materia Sacramenti prædicti; ſicut fuit eiuſdem forma: & propterea non eſt alteranda, cùm omnis Sacramenti forma ex Chriſti inſtitutione, & Eccleſiæ traditione habeatur.

22 Ad ſecundum quidam reſpondent, quòd licèt Sacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum per modum iudicij; nihilominus iudicium ſacramentale eſt diuerſæ rationis à iudicio forenſi: ſiquidem in hoc iudicio idem eſt accuſator, & reus: & reo creditur tàm pro ſe, quàm contra ſe; quod quidem in forenſi non ſeruatur: & propterea non eſt mirum ſi hanc quoque conditionem habeat, vt eius forma verbis exprimatur. Vel ſecundò, reſponderi poteſt negando conſequentiam, & ad eius probationem dicitur, quòd licèt in iudicio forenſi ſententia feratur in ſcriptis; nihilominus nunquam ſuum ſortitur effectum, niſi legatur, ac ore proferatur poſt ſcriptam, vt in *l.* 1. *& toto tit. C. de ſent. ex breuil. recit.*

23 Ad tertium negatur conſequentia: nam Chriſtus Dominus in matrimonio noluit inſtituere ſpecialem ritum; ſed honorare naturalem contractum, & in eo altiorem Sacramenti rationem fundare: & propterea in illo nullam ſpecialem materiam, vel formam expoſtulauit, quæ ad contractum ipſum neceſſaria non eſſet: at in Sacramento pœnitentiæ inſtituit talem ritum ſacramentalem; & ideò determinatam formam Sacramentis nouæ legis accomodatã voluit inſtituere.

24 Ad quartum dicimus, quod Sacramentum Baptiſmatis multò magis neceſſarium eſt, quàm Sacramentum pœnitentiæ; & tamen non reperitur diſpenſatum, vt forma Baptiſmi ſcriptura, vel nutu impendi poſſit: ergo nec etiam in Sacramento pœnitentiæ hoc ipſum fieri poteſt. Vndè meritò ad argumentum reſpondemus, negando conſequentiam.

Ad argumentum *Scoti* pro ſecunda ſententia reſpondetur iuxta primam reſponſionem ad ſecundum argumentum primæ ſententiæ.

25 Ad primum argumentum tertiæ ſententiæ reſpondetur, *tex. in d.c. multiplex*, loqui de oratione deprecatoria, quæ præmittitur abſolutioni ſacramentali; ſed non ob id negat formam Sacramenti eſſe impendendam verbis indicatis, *Abſoluo te*.

26 Ad confirmationem dicitur, quòd abſolutiones illæ, quæ in publico fiunt, non ſunt ſacramentales: quoniam per illa verba Sacerdos non ſignificat fieri; ſed petit, vt fiat, ſunt potius orationes quædam ordinatæ ad remiſſionem venialium: præmittitur tamen in ſacramentali abſolutione talis oratio ad bene eſſe, vt per eam pœnitens melius diſponatur ad recipiendam Sacramenti formam.

27 Ad ſecundum negatur cõſequentia: ſiquidem ſuppoſita inſtitutione huius Sacramenti per modum iudicij, ſatis congruenter, imò moraliter neceſſarium extitit, in ferenda eiuſdem forma vti verbis indicatiuis ad denotandum actum iudicialem: at verò in Sacramento extremæ Vnctionis, in quo Sacerdos ſe gerit vt Medicus, congruenter eius forma fuit inſtituta per modum impetrationis: tanto fortius, quia effectus quidam illius Sacramenti, qui eſt ſanitas corporalis non confertur infallibiliter.

28 Ad rationem quartæ ſententiæ reſpondetur negando antecedens; quoniam peccata nõ modò ſunt offenſæ; ſed etiam vincula, vt ſupra oſtendimus concl.

Mutatio formæ Sacramenti pœnitentiæ, an & quando inualidet Sacramentum.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Mutatio formæ Sacramenti pœnitentiæ, quæ ſenſum eiuſdem non corrumpit, minimè inualidat Sacramentum.*

2 *Mutatio formæ Sacramenti pœnitentiæ, quæ corruptiua non eſt eiuſdem ſenſus, licet faciat Sacramentum validum, non erunt tamen à culpa immunes mutantes eam.*

3 *Præciſis ſcandalo, & contemptu mutantes formam Sacramentorum, ſaluo verborum ſenſu ex cauſa ignorantiæ, obliuionis, ac paruitatis materiæ, excuſari poſſunt à lethali peccato.*

4 *Mutatio formæ, quæ ſenſum eiuſdem corrumpit eſt contra valorem Sacramenti.*

5 *Si quis loco formæ Sacramẽti pœnitentiæ (Abſoluo te,) dicat (Abſoluaris à Deo) nihil agit.*

PRIMA CONCLVSIO.

1 MVtatio formæ pœnitentiæ, quæ corruptiua non eſt eiuſdẽ ſenſus, nõ inualidat Sacramentum. Hæc concluſio eſt communis, quam docent *Suar. de pœnit. diſp.* 19. *ſec.* 1. *nu.* 24. *Vaſq. Reginald. Molfeſ. Bonac. & Filliuc. relati ab Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. Recoll.* 3. Et alij Doctores communiter, qui concluſionem ipſam volunt locum ſibi vendicare in omnibus alijs Sacramentis: eo quòd Eccleſia non eſt alligata verbis, ſed ſenſui. Vndè Confeſſarius ſi in impendenda Sacramenti pœnitentiæ forma, loco verborum, *Abſoluo te*. Vtatur his verbis, ſoluo te: Sacramentum perficeretur, vt habetur ex *Henriq. de pœnit. lib.* 2.*c.* 11.*nu.* 3. Vbi idem dicendum putat ſi vtatur verbo condono, & *Valent. tom.* 4. *diſp.* 7 *q.* 1.*pun.* 3. Conficí quoque Sacramentum inquit, ſi Confeſſarius vtatur verbis, libero te. Validum quoque erit Sacramentum, ſi vtatur verbis Remitto tibi. Vt habetur per *Sot. in* 4.*d.* 1.*q* 1.*art.* 8. & ſupra adnotauimus *ſec. præcedenti, concl.* 4. Idem dicendum eſt ſi dicat, abſoluaris à me: abſoluere: abſolutionem tibi impendo, vt diximus *d. ſec.* 1 *concl.* 2. vel dicat, abſoluatur ſeruus Ieſu Chriſti: volo hunc abſolui: placet abſolui: abſoluimus te: abſoluo dominationem tuam: abſoluo Maieſtatem tuam: abſoluo

Digitized by Google

abſolno vos, quando plures abſoluuntur ſimul in periculo naufragij: abſoluo te ego: abſoluo tibi, vel abſoluat vulgari lingua, gallica, hyſpana. &c. vt poſt *D. Thom. Valent. Molfeſ. Zannar.* & alios inquit *Alph. de Leone loco citato à nu. 118. vſque ad nu. 120.*

SECVNDA CONCLVSIO.

2 MVtatio formæ Sacramenti pęnitentiæ, quæ corruptiua non eſt eiuſdem ſenſus, licèt non ſit contra valorem Sacramenti; nihilominus mutantes eam, à culpa non efficiuntur immunes: quæ quidem culpa ex ſuo genere eſt lethalis. Hęc concluſio eſt communis, quam docent *Henriq. lib. 1. de pœnit. c. 11. nu. 5. Suar. eod. tract. diſp. 19. ſec. 1. nu. 24. Valent. Molf. Conynch. relati ab Alph. de Leone, d. Recoll. 3. ſub nu. 124. & 126. & alij*. Probatur, quoniam eiuſmodi mutatio eſt contra præceptum Eccleſiæ in re graui, cùm forma præfati Sacramenti referatur in Concilijs relatis ſupra *ſec. 1. concl. 5.* & patet etiam ex ijs, quæ ibidem annotauimus, *concl. 2.* Confirmatur, quia mutatio formæ in alijs Sacramentis, quamuis non ſit contra eiuſdem verborum ſenſum, non poteſt fieri citra culpam, vt habetur per *Henriq. de Sacram. in genere, c. 9.* & alios Doctores ſupra relatos: ergò idem dicendum eſt de mutatione formæ Sacramenti pęnitentiæ.

3 Dixi, culpam ex ſuo genere eſſe lethalem: quoniam præciſis ſcandalo, & contemptu, mutantes formam eiuſmodi, ſaluo verborum ſenſu, ex cauſa obliuionis, ignorantiæ, ac paruitatis materiæ à lethali peccato excuſari poſſent, vt nos adnotauimus *d. ſec. 1. concl. 2.* & latè habetur ex *Valent. tom. 4. diſp. 3. q. 1. pun. 2. verſ. Vt verò diſcernatur, & diſp. 7. q. 1. pun. 3. Molf. in ſua ſum. tract. 7. c. 5. nu. 24. Alph. de Leone d. Recoll. 3. nu. 128. & Recoll. 7. à nu. 16. vſque ad n. 330.* Vbi copioſiſſimè tractat qualiter peccatū ex ſuo genere mortale fiat, ſeù ſit veniale ex leuitate materiæ, imperfectione diſcurſus, ſeù deliberationis, ex vi, metu, neceſſitate, ignorantia, inaduertentia, ac obliuione: & è contra quot modis peccatum veniale ex ſuo genere, fiat mortale, *à nu. 331. vſque ad finem d. recoll.*

TERTIA CONCLVSIO.

4 MVtatio formæ Sacramenti pęnitèntiæ, quæ corruptiua eſt eiuſdem ſenſus, eſt contra valorem Sacramenti. Hæc concluſio eſt quoque communis, non ſolùm quoad formam huius Sacramenti; ſed etiam omnium aliorum Sacramentorum, vt per *Valent.* & alios Doctores ſupra relatos: *Zanard. in ſuo Direct. de Sacram. Bapt. cap. 3. & Graff. p. 1. deciſ. lib. 1. cap. 3.* quos refert idem *Pater Alph. d. recoll. 3. ſub nu. 120.* Rationem autem hanc eſſe volunt; quoniam diſcedendo quis à ſenſu vero Eccleſiæ, non poteſt dici vti forma Eccleſiæ, ſed ſua, atque ideò nihil agit, & Sacramentum nō conficitur: quod neceſſariò conſtare debet ex materia, & forma ab Eccleſia aſſignatis. Vndè ſi quis loco formæ Sacramenti pœnitentiæ, *Abſoluo te*, de qua in *Conc. Trid. & Floren.* & habetur ex traditione Eccleſiæ, &

5 Chriſti Domini inſtitutione, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 1. concl. 5.* dicat, *Abſoluarit à Deo.* Huiuſmodi Sacerdos his verbis formam impendens nihil agit: ſiquidem verba iſta ſunt deprecatiua; quæ non ſignificant actum iudicialem: ſicut denotant verba illa indicatiua formæ, *Abſoluo te.* Ita *Henriq. lib. 1. de Sacram. pœnit. c. 11. n. 4. Valent. tom. 4. diſp. 7. q. 1. p. 3. D. Thom. opuſc. 22. Vaſq. tom. 4. in 3. p. q. 84. art. 3. nu. 11. Alph. de Leone d. recoll. 3. ſub nu. 118. verſ. Quartò idem*, cum alijs ab eo allegatis. Idem dicendum eſt ſi Sacerdos pœnitentem abſoluens hoc tantū vtatur verbo, *Abſoluo*. Vel dicat, *Abſoluo*, & deinde poſt notabile tempus diceret, *te*, ita vt inter Ly. abſoluo, & Ly. te, tantum tempus ſit interiectum, vt facile ſenſus verus non poſſet percipi, vt habetur ex ſupracitatis Doctoribus.

An verba illa, *A peccatis tuis, &c.* In impendenda Sacramenti pœnitentiæ forma ſint neceſſariò proferenda.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Expenditur prima opinio exiſtimantium, verba (à peccatis tuis) eſſe de eſſentia formæ Sacramenti pœnitentiæ.*

2 *Quidam verò aſſerunt, verba prædicta non eſſe ſimpliciter neceſſaria in ferenda forma verum ſi addantur, concurrere ad ſubſtantiam Sacramenti.*

3 *Communis eſt ſententia, verba (à peccatis tuis) non eſſe de forma Sacramenti pœnitentiæ, ſed illa tantum (Abſoluo te.)*

4 *Nec pronomen, Ego eſt de ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ.*

5 *Ad formam huius Sacramenti neceſſaria non eſt inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis, validaque erit abſolutio citra talem inuocationem.*

6 *Neque ſignum Crucis, & manum impoſitio eſt de ratione formæ huius Sacramenti.*

Nec manuum impoſitio Apoſtolorū erat ſacramentalis, ſed ordinabatur ad miracula facienda.

7 *Quamuis verba illa (à peccatis tuis,) non pertineant ad formam Sacramenti pœnitentiæ, tamen ſi Sacerdos ea omitteret abſque rationabili cauſa, peccaret mortaliter. Et cur.*

8 *Ex Concil. Maguntino, Monetur Sacerdos, vt in impendenda abſolutione vtatur inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis.*

9 *Signum Crucis licet non ſit de eſſentia, nec de præcepto in abſolutione ſacramentali impendenda, tamen ex Stephano Papa omnia Chriſmata ſacerdotalis Miniſterij Crucis figura ſunt perficienda.*

10 *Manuum impoſitio ſuper caput pœnitentis neceſſaria, haud eſt ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, non tamen citra impietatem negatur, & irridetur ab hæreticis.*

11 *Hæc cæremonia conſuetudinem traxit ex veteri lege, & quare deindè in deſuetudinem abijt.*

12 *Verba illa, (Abſoluo te,) licet referri poſſint ad cenſuras, referuntur etiam ad peccata.*

13 *Sacerdos in impendenda abſolutionis forma, licet proferret illa verba (à peccatis tuis,) non tamen poſſet ſuſpendere effectum, quin conferatur gratia per illa verba, (Abſoluo te.)*

14 *Verba tantùm (Abſoluo te,) ſunt de ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ, cætera verò præcedentia, & ſubſequentia ſunt extra Sacramenti eſſentiam.*

Et quænam verba vitanda ſint in hac forma.

In

1 IN hac re tres extant opiniones. Prima opinio eſt *Palud. in 4. ſent. d. 22. q. 3. nu. 5. Petri Soti*, & aliorum, exiſtimantium, verba illa, *à peccatis tuis, &c.* Eſſe de eſſentia formæ Sacramenti pęnitentiæ, ita vt ſi à Confeſſario omittantur, pœnitens non remaneret abſolutus. Probatur, quoniam verba formæ, *Abſoluo te*. Non ſolùm poſſunt referri ad peccata, ſed etiam ad cenſuras: ergò niſi addantur verba illa, à peccatis tuis, prædicta formæ verba non denotant determinatè abſolutionem à peccatis. Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 3.* Decernente, formam abſolutionis eſſe ſitam in illis verbis, *Abſoluo te*, Et additur Ly. &c. ergò Ly. &c. illa verba, à peccatis tuis, quæ ſequũtur eſſe de ratione, ac eſſe eſſentia Sacramenti pœnitentiæ.

2 Secunda ſententia eſt quorundam, relata ab *Henriq. de pœnit. lib. 1. cap. 11.* Dicentium illa verba, *à peccatis tuis*. Simpliciter non eſſe neceſſaria in ferenda forma Sacramenti pęnitentiæ verùm ſi addantur, ad Sacramenti ſubſtantiam concurrere: & poſſe Sacerdotem effectum abſolutionis ſuſpendere, donec omnia prædicta verba fuerint abſoluta. Hanc eandem ſententiam poſt *Vaſq.* videntur ſequi *Molſ. in ſua ſum. tract. 7. c. 5. nu. 26. & Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 3. ſub num. 95.* Mouentur ex eo, quòd ſicut in poteſtate Sacerdotis eſt ponere verba præter ſubſtantiam formæ; ita poteſt ſuſpendere effectum Sacramenti vſque ad perfectam prolationem verborum.

3 Tertia ſententia eſt communis, quam docent *Suar. de pœnit. diſp. 19. ſec. 1. Vaſq. tom. 4. in 3. p. q. 84. art. 3. dub. 4 nu. 4. Valent. tom. 4. diſp. 7. q 1. pun. 3. Zenard. de Sacram. pœnit. c. 47. in prin. Conynch. eod. tract. diſp. 4 dub. 7. Reginal. in ſua praxi lib. 8. nu. Nauar. in Man. cap. 26. n. 11.* Dicentes illa verba, *à peccatis tuis*. Non eſſe de forma Sacramenti pœnitentiæ; ſed illa tantum verba, *Abſoluo te*, eſſe veram, & completam formam ipſius Sacramenti: quam opinionem tenet etiam *Filliuc. tom. 1. qq. moral. tract. 6. de Sacram. pœnit. nu. 65. in fine, Graff. p. 1. deciſ. lib. 1. c. 32. nu. 9.* quos refert *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſ. recoll. 3. num. 92. & alij.* Mouentur ex eo, quòd poſita confeſſione peccatorum, & intentione abſoluentis verba illa, *Abſoluo te*, clarè ſignificant effectum abſolutionis à peccatis: ergò non ſunt neceſſaria verba prædicta, à peccatis tuis.

4 Ampliatur hæc concluſio, vt nec pronomen *Ego*, ſit de ratione Sacramenti pœnitentiæ ſubintelligitur enim ſub verbo, *Abſoluo*, vt habetur ex Doctoribus ſupra relatis pro confirmatione tertiæ ſententiæ, quæ nobis non modò probabilis, ſed omninò vera videtur.

5 Secundò ampliatur, vt nec ad formam huius Sacramenti neceſſaria ſit inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis; atque ideò valida erit abſolutio citra talem inuocationem, vt habetur per *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 3.* quem ſequitur *Nauar. in c. quem pœnitet, de pœnit. d. 6. nu. 34. Suar. de pœnit. diſp. 19. ſec. 1. nu. 18. Henriq.* & Doctores ferè omnes, excepto *Duran. in 4. d. 22. q. 2.* Qui vult, inuocationem ipſam eſſe de eſſentia. Nec obſtat ſi dicatur, quòd ſicut Chriſtus Dominus *Matt. c. vlt.* dixit Apoſtolis, euntes docete omnes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; ita *Matt. c. 16.* dixit Petro, quodcunque ſolueris, &c. Sed Sacerdos dum baptizat auctoritate Chriſti, dicit Baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: quæ verba cum inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis ſunt de ratione formæ Baptiſmatis; ergò Sacerdos quoque dum abſoluit à peccatis dicere debet, abſoluo te in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti; Quoniam reſpondetur, quòd diuerſa ratio eſt in forma Baptiſmatis: & diuerſa in forma pœnitentiæ: ſiquidem in forma Baptiſmi fuit expreſſa à Chriſto inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis; quæ tamen in forma Sacramenti pœnitentiæ non fuit: & propterea inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis eſt de eſſentia Sacramenti Baptiſ. non Sacramenti pœnitentiæ.

6 Tertiò ampliatur, vt de ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ, neque ſint ſignum Crucis, & manuum impoſitio, quibus vtitur Sacerdos in ferenda prædicta ſacramentali forma: ſiquidem *Matt. c. 16.* vbi à Chriſto Domino fuit tradita poteſtas clauium nulla fit mentio ſigni Crucis, & manuum impoſitionis: ergò prædicta ſigna non ſunt de eſſentia: quoniam omnis Sacramẽti forma ex Chriſti Domini inſtitutione, & vſu, ac traditione Eccleſiæ habetur. Nec obſtat, *Marci cap. vlt.* Vbi fertur, Dominum dixiſſe Apoſtolis, ſuper egros manus imponent, & benè habebunt: atque ideò videtur eodem modo ſanandos eſſe pœnitentes cum ſint egri; quoniam reſpondetur, negando conſequentiam: ſiquidem illa manus impoſitio non erat ſacramentalis, ſed ordinabatur ad miracula facienda, vt per contactum hominis ſanctificati corporalis quoq; infirmitas tolleretur: ſicut legitur de Domino *Matt. 6.* qui infirmum, manibus impoſitis, curauit: & *Matt. 8.* contactu curauit leproſum: gratia verò ſacramentalis non ex Miniſtri ſanctitate; ſed ex paſſione Chriſti prouenit Neque aduerſatur, quòd in Sacramento pœnitentiæ recuperatur à pœnitente Spiritus Sanctus, quem per lethalem culpam amiſerat iuxta illud pſal. 50. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me*. Et Spiritus Sanctus dabatur ab Apoſtolis per manus impoſitionem, vt patet *Act. 8. Matt. 19.* Vbi legitur oblatos fuiſſe Domino paruulos, quibus manus imponeret. Etenim non ſemper gratia Spiritus Sancti per manus impoſitionem accipitur, vt patet in Baptiſmo, & Euchariſtia; ſed vbi datur cum plenitudine. Vt in Sacramento confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti: & in Sacramento Ordinis, in quo confertur quædam excellentia poteſtatis in Diuinis miſterijs. Sacramentum autẽ pœnitentiæ non ordinatur ad aſſequendam aliquam excellentiam gratiæ, iuxta illud *Apoſtoli 2. ad Timot. 1.* ſed ad remiſſionem peccatorum.

7 Sic ampliata limitatur primò hæc concluſio, vt quamuis verba illa, *à peccatis tuis*. Non pertineant ad formam Sacramenti pęnitentiæ; nihilominus Sacerdos ſi in ferenda forma dicti Sacramenti ſcienter, & citra rationabilem cauſam omitteret prolationem dictorum verborum, lethalem culpam contrahere docet *Filliuc. tom. 1 qq. moral. tract. 6. de Sacram. pœnit. ſub n. 65.* quem refert, & ſequitur *Alph. de Leone, de offic. & poteſt. Confeſ. recoll. 3. ſub nu. 95.* Mouentur

uentur ex eo, quòd eſt probabilis ſententia, verba illa, *à peccatis tuis*. Pertinere ad formam Sacramenti prædicti, propter quod Sacerdos ea omittens exponeret periculo pœnitentem non recipiendi abſolutionem.

8 Limitatur ſecundò ipſa concluſio quoad ſecundam ampliationem, quòd inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis licèt non ſit de eſſentia formæ Sacramenti pœnitentiæ, nec etiam de præcepto; attamen *Conc. Magunt. prouinc. ſub Arch. Sebaſtiano, c. 24.* Monet Sacerdotem, vt in impendenda dicta forma, vtatur inuocatione prædicta: ſiquidem inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis eſt quædam proteſtatio Confeſſarij, ſe non ſua virtute, ſed Diuina, & vt Dei Miniſtrum abſoluere pœnitentes, vt in *c. remittuntur, 23. q. 5.* Vndè cùm communiter à Cõfeſſarijs in ferenda ſacramentali forma fiat prædicta inuocatio, nõ poteſt citra culpam ſaltem venialem ſcienter prætermitti rationabili cauſa non ſubſiſtente: ſiquidem conſuetudo Eccleſiæ eſt altera lex, *§. ex non ſcripto, in inſtit. de iur. nat. gent. & ciuili, & c. conſuetudo, d. 1.*

9 Limitatur tertiò eadem concluſio quoad tertiam ampliationem: quòd ſignum Crucis licèt non ſit de eſſentia, nec de præcepto in abſolutione ſacramentali impendenda; nihilominus illud adeò congruè, & rationabiliter impenditur, ut *Steph. Papa in c. numquid, de conſecr. d. 5.* Dixerit, omnia Chriſmata ſacerdotalis miſterij Crucis figura perfici: ſiquidem matrimonij quoque Sacramentum cum inuocatione ſanctiſſimæ Trinitatis, & ſigno Crucis perficitur, attenta nubentium benedictione, quæ illud conſequitur; quamuis non de omni matrimonio, ſed de primò tantùm intelligi debeat; nam ſecundæ nuptiæ non benedicuntur, ut eſt *text. in c. cur autem, de ſecund. nupt.* Vndè citra culpam ſaltem uenialem à Sacerdote non omittitur, ſi ſcienter, & nulla rationabili ſubſiſtente cauſa, prætermittatur.

10 Manus pariter impoſitio ſuper caput penitentis dum ſacramentaliter abſoluitur, non eſt neceſſaria ad ualorem Sacramenti pœnitentiæ, ut in ipſa tertia ampliatione oſtendimus, nõ tamen citra impietatem negatur, & itidetus ab hæreticis in ferenda ſacramentali forma in præfato Sacramento, ut de *Vuicleff.* refert *Thom. Vuald. tom. 2. de ſacram. c. 147.* Etenim in primitiua Eccleſia traditur eam fuiſſe in uſu non ſolùm in Sacramento confirmationis: quod idcirco manus impoſitio dicebatur, ut in *c. manus, de conſecr. d. 5.* Verum etiam in Sacramento penitentiæ, ut patet in *Conc. Niceno, c. 9. & Cartag. c. 32.* Vndè qui erant in penitentia publica, per manus impoſitionem conciliabantur, ut in *cap. pœnitentes, d. 50. & c. qui recedunt, 26. q. 6.* Imò *D. Auguſtin. lib. 4. de Baptiſ. relatus in c. manus 1. q. 1.* Hoc ipſum Sacramentum penitentiæ ap-
11 pellat manus impoſitionem: quæ quidem ceremonia ex ueteri lege conſuetudinem traxit: quoniam Sacerdos, ut legitur *Leuit. c. 16.* dum peccata populi confitebatur, manus capiti hirci emiſſarij imponebat; qui quidem hircus penitentis figuram geſtabat. Sed quoniam ſæpè non expedit eiuſmodi uti ceremonia, præcipuè cum feminis, idcircò in deſuetudinem abijt, ut benè inquit *Nauar. in d. c. quem pœnitet, nu. 9. de pœnit. d. 6.* Idcirco ſola manus extenſio citra contactum ſatis eſt, dum abſolutionis forma impenditur, quæ quidem hodiè cum ſit in uſu, non licet ab ea recedi, rationabili cauſa non exiſtente, cùm extenſio illa manus communiter hodie fiat à Confeſſarijs in impendenda Sacramenti penitentiæ forma: quo circè quando eiuſmodi ceremonia irrationabiliter à Confeſſario omittitur, eum arbitror non excuſari à culpa ſaltem ueniali.

Reſtat modò, vt ad argumenta reſpendeamus.

12 AD primum reſpondetur, quòd uerba illa, *Abſoluo te.* Licèt referri poſſint ad cenſuras, referuntur etiam ad peccata, atque ideò penitens tàm à cènſuris, quàm à peccatis cenſetur abſolutus; quoniam uerbum ad diuerſa relatum diuerſimodè ſumitur, *arg. text. in c. cum dilectus, de conſuet.* Vndè per prædicta uerba *Abſoluo te*, poteſt Confeſſarius abſoluere penitentem tàm à cenſuris, quàm à peccatis ſi intendat abſoluere ab omnibus, à quibus iuſte poteſt, ut per *Couar. in c. Alma mater, p. p. §. 11. nu. 12. de ſent. excom. in 6. Sot. in 4. d. 22. q. 1. art. 1. Nauar. in c. 1. §. cautut, de pœnit. d. 5. nu. 33. & de pœnit. d. 6. c. 1. num.* 27. Non tamen id uerum eſſet, ſi Confeſſarius adderet, à peccatis; quoniam non cenſeretur abſoluere à cenſuris: eo quod hanc intentionem uirtualiter non habet ſecundum *Nauar. in d. c. 1. de pœnit. d. 6. nu. 27.* Quod quidem mihi uidetur ualdè dubium: nam licèt peccatũ differat à cẽſura; ſicut culpa à pena; nihilominus nunquã fertur cenſura, niſi propter culpam. Vndè abſolutio à peccatis nominatim non tollit uirtualem intentionem abſoluendi à cenſura, cùm peccatum ſine cenſura abſolui non poſſit, atq; ideò qui vult illud cenſetur velle moraliter omne illud, per quod deuenitur ad illud, *arg. tex. in l. a. ff. de iuriſd. omn. iud.* Bene verũ eſt quòd penitẽs ſi cẽſura aliqua ſit alligatus, & Cõfeſſarius intentionẽ habeat abſoluendi penitentẽ tantùm à peccatis, & non à cenſura, non erit ille abſolutus, nec à cenſura, nec à peccatis: quoniam excommunicatus eſt incapax Sacramentorum, & conſequenter Sacramenti pœnitentiæ, cuius materia remota ſunt peccata. Ad confirmationem ex *Conc. Trid.* dicitur, quod Ly. &c. non refertur ad verba eſſentialia formæ, ſed ad verba extra eſſentiam, vt ſunt à peccatis, &c.

13 Ad argumentum verò ſecundæ ſententiæ dicimus, quod procederet ſuppoſito, quòd verba illa, *a peccatis tuis*, eſſent de ratione formæ: at nos qui ſequimur opinionem illorum, qui volunt, illa tantùm verba, *Abſoluo te*. Eſſe ſufficientia ad conſtituendam præfatam formam, reſpondemus, quòd Sacerdos in impendenda abſolutionis forma licet proferat verba illa, à peccatis, &c. non tamen poteſt ſuſpendere effectum, quin conferatur effectus gratiæ per ſupradicta verba, *Abſoluo te*. Etenim in Sacramento Euchariſtiæ illa verba, *Hoc eſt corpus meum*. Adeò ſunt de eſſentia Sacramẽti, vt per ſequentia verba non poſſit à Sacerdote effectus priorum verborum, quin efficiant quid ſignificant.

14 Vndè his reiectis remanet firma concluſio, quòd illa tantùm verba, *Abſoluo te*. Sunt de ratione formæ Sacramenti pœnitentiæ: reliqua verò præcedentia, & ſubſequentia prædicta verba ſunt extra eſſentiam Sacramenti. Vndè

verba

verba illa, quæ à quibuſdam vulgaribus Confeſſarijs in impendenda abſolutionis forma proferri ſolent, *Ego te abſoluo ab omnibus peccatis, tuis de quibus es contritus, & quorũ es oblitus.* Et aliæ ineptæ conculcationes non ſolùm non ſunt de eſſentia Sacramenti; ſed ſunt omninò vitanda, eo quòd illis prudentes Confeſſarij non vtuntur; ſed vulgares tantùm, ac rurales eiſdem vti ſolẽt.

An forma Sacramenti impendi debeat à Cõfeſſario ſtatim poſt anditam confeſſionem pœnitentis: vel etiam poſt aliquod temporis interuallum.

S E C. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Forma Sacramenti, atque ideò abſolutio debet ſtatim impendi poſt confeſſionem pœnitentis, nec temporis aliquod interuallum expectandum eſt.*

2 *Sacramentum pœnitentiæ habet rationem Iudicij, propterea eius forma eam connexionem cum materia habere debet, qualem in iudicijs habet cognitio cauſæ cum ſententia.*

3 *Materia Sacramenti pœnitentiæ non eſt phyſica, ſed moralis, cum conſiſtat in actibus pœnitentis, & in quibus.*

4 *In materia, & forma Sacramenti ſanctiſſimæ Eucharistiæ maior debet eſſe vnitas, ſecus in Sacramento pœnitentiæ.*

1 IN hac re videtur prima facie dicendum, quòd forma Sacramenti pœnitentiæ, atque ideò abſolutio impendi debeat ſtatim poſt confeſſionem pœnitentis: nec expectandum ſit aliud temporis interuallum. Probatur ex *Conc. Trid. in Decreto Eugenij Papæ, & Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3.* Vbi habetur, quod Sacramentum pœnitentiæ perficitur ex verbis Miniſtri tanquam ex forma: & actibus pęnitentis tanquã ex materia: ſed in naturalibus ſimul eſt forma cũ materia, ergò in Sacramẽto pęnitẽtiæ ſimul quoq; debet eſſe forma cum materia, atq; ideò impendi debet ſtatim poſt actus pęnitentis, nempè poſt eius confeſſionem, contritionem, & ſatisfactionem. Confirmatur, quoniam quando perficitur Sacramentum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ materia, & forma eiuſdem ſunt ſimul: nam ſuper Hoſtiam non conſecratam præſentem feruntur à Sacerdote verba formæ, *Hoc eſt, &c.*

2 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt veritas. Etenim Sacramentum pœnitentiæ habet rationem iudicij, vt in *c. verbum de pœnit. d. 1.* Et propterea eiuſdem forma eam connexionem cum materia habere debet, qualem cognitio cauſæ, & ſententia in iudicijs habere ſolent: atque ideò ſicut in iudicijs talis connexio ſufficit ſi Iudex recordetur cauſæ, & eius meritorum ad ſententiam ferendam; ita quoque in caſu de quo agitur materia, & forma non oportet, ita eſſe ſimul ſicut materia, & forma in naturalibus; ſed poteſt vna aliam præcedere, dummodò concurrant illa duo, nempè quod Confeſſarius recordetur peccatorum pęnitentis cùm formam abſolutionis impendit: & aduertat, an pęnitens poſtea commiſerit aliud peccatum, quod poſſit ponere obicem. Ita *Henriq. lib. 4. de pœnit. c. 10. in fino,* & alij apud *Alph. de Leone de offic. & poteſt. Confeſſ. recoll. 3. ſub num. 116.*

3 Ad contrarium patet reſponſio: licèt enim Sacramentem pęnitentiæ conſtet ex materia, & forma, ſicut omnia alia Sacramenta nouæ legis; non tamen eiuſmodi Sacramenti materia eſt phyſica, ſed moralis cum ſint actus pęnitentis, nempè confeſſio, contritio, & ſatisfactio: quæ materia à *Conc. Trid. loco citato*, ob id appellatur quaſi materia: & propterea non poteſt ſumi argumentum de materia, & forma phyſicis ad materiam, & formam morales: vndè licèt in materia, & forma phyſicis exigatur ſimultaneitas phyſica; attamen in forma, ac materia Sacramenti pęnitentiæ ſatis eſt ſimultaneitas moralis, ſicut in alijs Sacramentis. Imò in Sacramentis omnibus non poteſt aſſignari eadem indiuidua, & præciſa ſimultaneitas moralis; ſed vnũquodq; Sacramentum iuxta ſuam naturam exigit dictã ſimultaneitatem maiorem, vel minorem: quæ natura deſumitur ab ipſiuſmet Sacramenti ſignificatione, vt benè declarat *Alph. de Leone loco citato, ſub nũ. 115.*

4 Ad confirmationem reſpondemus, concedendo in materia, & forma Sacramenti ſanctiſſimæ Euchariſtiæ debere eſſe maiorem vnitatem: at in caſu noſtro ſatis eſt, quod ita abſolutio connectetur materiæ proximæ, ſicut cognitio cauſæ, & ſententia coniungi ſolet in iudicijs, vt ſupra declarauimus.

An Sacerdos dum formam abſolutionis impendit, effectiuè concurrat ad abſolutionem culpæ.

S E C. V.

S V M M A R I V M.

1 *Prima nonnullorum ſententia docet, culpam à ſolo Deo remitti, Sacerdotem vero per abſolutionẽ hominem abſolutum tantum oſtendit.*

2 *Communis, & vera eſt ſententia, quod Sacerdos verè, & effectiuè concurrit ad peccatorum abſolutionem.*

3 *Qui negat Sacerdotem abſoluere, clauium poteſtatem abnegare videtur.*

4 *Ex Concil. Trid. Abſolutio non eſt tantum miſterium declarandi peccata eſſe remiſſa, ſed actus iudicialis.*

5 *Licet culpa tranſeat actu, manet tamen ipſa inimicitia Dei, quæ dicitur reatus, ob quam peccata dicuntur vincula.*

6 *Ad peccata remittenda concurrit Sacerdos inſtrumentaliter, & vt Miniſter.*
Et reſpondetur ad author Iſaia.

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia fuit *Magiſtri ſent. in 4. d. 18. Abul. & aliorum*, quos refert, ſed non ſequitur *Sot. in 4. d. 14. q. 1. art. 3.* Dicentium culpam à ſolo Deo remitti, Sacerdotem verò per abſolutionem, quam impendit, hominem abſolutum tantùm oſtendere; effectiuè tamen ad abſolutionem non concurrere. Probant eorum ſententiam primò. Ab eo, quod non eſt, nemo abſoluitur; ſed in pœnitente non eſt culpa, dum Sacerdos illi abſolutionis formam confert: ergò à culpa pœnitens non abſoluitur. Maior patet. Probatur minor, culpa eſt priuatio rectitudinis rationis, & legis æternæ, quæ in illo inſtanti temporis eſt, in quo quis peccat: ergò tranſit, tran-

tranſeunte actu: atque ideò in pœnitente non eſt culpa dum abſoluitur. Secundò idem eſt à peccato abſoluere, quod peccatum remittere; ſed ſolus Deus peccatum remittit: ergò ſolus Deus à peccato abſoluit. Maior patet. Minor probatur ex *Iſaia c. 43.* vbi ait Dominus: Ego ſolus deleo iniquitates, & peccata populi: & ex *D. Auguſt. in illud Ioan.* Ecce agnus Dei, &c. Nemo, inquit, ſoluit peccata, niſi Deus, qui eſt Agnus tollens peccata mundi. Item patet ex *tex. in c. verbum, de pœnit. d. 1.* vbi *D. Ambr.* ſic ait, verbum Dei peccata dimittit, Sacerdos eſt Iudex Sacerdos quidem ſuum officium exhibet, & nullius poteſtatis iura exercet.

2 His tamen, & ſimilibus non obſtantibus, contraria ſententia eſt communis, & vera, nempè, quòd Sacerdos verè, ac effectiuè concurrit ad abſolutionem peccatorum. Ita *D. Thom. 3. q. 84. art. 3. Sot. loco ſupra citato, & alij.* Imò putat *Sot.* oppoſitam ſententiam parum differre ab hæreſi: nam ſi Sacerdos per abſolutionem, abſolutum tantùm pœnitentem oſtendit, & verè ipſū à peccatis non abſoluit, nunquam poſſet abſolutionem impendere, niſi reuelationem habeat, pęnitentem eſſe abſolutum. Confirmatur, quia prædicta ſententia clauium poteſtatem abnegare videtur, quæ potiſſimum in peccatorum remiſſione vim habet, atque ideò qui negat Sacerdotem abſoluere clauium poteſtatem abnegare

3 videtur. Probatur hæc ſententia pariter ratione. Sacramenta nouæ legis non ſolùm ſignificant, ſed etiam efficiunt quod ſignificant: ſiquidem Sacramentum ob id dicitur à ſacrando, ſicut medicamentum à medicando, & ornamentum ab ornando, vt habetur ex *Duran. in 4. ſent. d. 1.* Vndè definitur, quòd ſit inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ita vt eius imaginem gerat, & cauſa exiſtat: ergò ſicut Sacerdos cum dicit, Ego te baptizo, &c. re ipſa, & verbo oſtendit eſſe mundum non ſolùm ſignificatiuè, ſed efficiendo, quod ſignificat; ita cùm ait, Ego te abſoluo, &c. oſtendit pęnitentem abſolutum verè illum abſoluendo. Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 6.*

4 Vbi habetur, abſolutionem non eſſe tantùm miſterium declarandi eſſe remiſſa peccata, ſed etiā actum iudicialem, *& can. 9. eadem ſeſſ.* fuit definitum, quòd ſi quis dixerit, abſolutionem eſſe tantùm miſterium declarandi eſſe remiſſa peccata, & non actum iudicialē, anathema ſit. Idem fuit determinatum in *Conc. Floren. ſeſſ. vlt. in Decreto Eugen.* Vbi dicitur, remiſſionem peccatorum eſſe rem Sacramēti. Et vltimo loco Greg. XIII. in quadam eius bulla damnauit quaſdam propoſitiones cuiuſdam Doctoris, & inter aliàs eſt vna, qua dicebat, quòd pœnitens non viuificatur miniſterio Sacerdotis, ſed à Deo ſolo.

Reſtat modò, vt ad argumenta reſpondeamus.

5 AD primum negatur minor; & ad eius probationem reſpondetur, quòd licèt culpa tranſeat actu; manet tamen ipſa inimicitia Dei, quæ dicitur reatus; quoniam manet homo alligatus bono commutabili, ad quod ſe per culpam conuertit; qua quidem ratione peccata dicuntur vincula, quibus volūtas hominis alligatur. Vndè legitur *Iſaia*, Diſſolue colligationes impietatis: & alibi, ſolue vincula colli tui, &c.

6 Ad ſecundum negatur minor, ſi intelligatur, ita ſolùm Deum peccata remittere, vt Sacerdos nullo pacto concurrat: ſiquidem concurrit inſtrumentaliter, & vt Miniſter. Ad auctoritatem *Iſaia* reſpondetur, quòd ibi non legitur, ſolus Deus; ſed ipſe Deus: & dato, quòd ibi legatur, ſolus Deus, non per hoc excluditur Miniſter. Sicut ſolus Rex dicitur gubernare, licèt faciat Magiſtratus: & ſolus Faber fabrefacere, licèt operetur per inſtrumenta. Eodem modo reſpondetur ad auctoritatem *D. Auguſt. & D. Ambr.* intelligunt enim ſoli Deo competere per natiuam auctoritatem abſoluere à peccatis, verùm idem Sacerdotibus per ſuſceptam ab illo poteſtatem etiam communicatur.

An Sacerdos formam abſolutionis impendens effectiuè concurrat ad abſolutionem pœnæ.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Homo immediatè à Deo abſoluitur à reatu pœnæ æternæ, per Confeſſarium verò remittitur pars pœnæ temporalis.*

2 *Homo per contritionem abſoluitur à Deo quoad culpam, & pœnam ſenſus, per abſolutionem verò à pena damni.*

3 *Communis, & vera ſententia eſt, ac de fide, quod Sacerdos abſoluendo, tùm à culpa, tùm etiam à reatu pœnæ abſoluit.*

4 *Licet pœnitens non abſoluatur à pœna, abſoluitur tamen à reatu pœnæ, atque ideò à pœna dicitur abſolui.*

5 *Sancti Patres licèt contriti pœnā damni patiebantur, id non erat ex impotentia cōtritionis, ſed quia tunc aperta nō erat Cælorum Ianua.*

1 IN hac difficultate três extant opiniones. Prima ſententia eſt *Magiſtri ſent. in 4. d. 18. Abul.* & aliorum, dicentium, hominem à Deo immediatè abſolui à reatu pœnæ æternæ; per Confeſſorem verò nil aliud fieri, niſi quod remittitur pars pęnæ temporalis, & imponitur pro ea ſatisfactio. Probatur. Ab eo quod non eſt abſolui nemo poteſt; ſed pœna non eſt in pęnitente cùm ab ea abſoluitur à Sacerdote: ergò illa remitti ab eo non poteſt. Maior patet. Probatur minor, quoniam pęna non dum eſt in pœnitente tempore contritionis, & confeſſionis, ſed futura eſt: quod autem futurum eſt non eſt in eſſe. Confirmatur ex *Clem. 1. de priuil.* vbi Religioſi prohibentur abſoluere à culpa, & à pena: & hoc idem habetur in *Clem. abuſionibus, de pœnit. & remiſ.* Quaſi Sum. Pontifex diceret, Sacerdotem non poſſe verè à culpa, & pœna abſoluere.

2 Secunda ſententia eſt *Ioan. Med. de confeſ. q. 38.* Dicentis, hominem per contritionem abſolui à Deo quoad culpam, & pœnam ſenſus; per abſolutionem autem à pœna damni: quòd ſi non ſit negligens in procurando Sacramenti ſuſceptionem, & non poterit illud ſuſcipere, miſericordia Dei remittitur pœna damni. Probat ſuam ſententiam ex eo, quòd non eſt neceſſarium, vt dùm quis per contritionem abſoluitur à culpa, & à pęna ſenſus, abſoluatur etiam à pęna damni, vt patet in primis Patribus, qui detenti fuerunt in Limbo vſq; ad Chriſti Domini aduentum, licèt contritionem perfectam habuerint.

3 Tertia ſententia eſt communis, vera, & de fide; nempè quòd Sacerdos dum formam abſolutionis impendit, non modò abſoluit à culpa,

Digitized by Google

ſed etiam à reatu pœnæ. Probatur, quoniam alias ſequeretur, quòd Sacerdos impendendo formam abſolutionis ſuper pœnitentem attritum dumtaxat illum, nec à culpa, nec à reatu pœnæ abſolueret: quod eſt manifeſtè falſum; nam ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *c.* 4. Attritus virtute Sacramenti conſequitur gratiam, ac ſi contritus verè eſſet. Sequela patet, quoniam culpa, & pœna remittitur à Deo tantùm per contritionem, & per Sacerdotem remittitur pœna damni dumtaxat, vel pars pœnæ temporalis, vt prædicti Doctores falsò opinantur, ergò, &c. Confirmatur ex *Conc. Trid. loco citato, & ſeſſ.* 6. *c.* 14. Vbi habetur, quòd quando homo perfectè contritus accedit, tunc reconciliatio non eſt tribuenda contritioni, niſi prout includit Sacramenti votum, & pœna Sacramento, vel Sacramenti voto tollitur.

Ad argumenta reſpondetur.

4 AD primum primæ ſententiæ dicitur, quòd licèt pęnitens non abſoluatur à pœna, abſoluitur tamen à reatu pœnæ; atque ideò qui à reatu pœnæ abſoluitur, à pœna dicitur abſolui. Sicut in iudicio forenſi cum abſoluitur Reus à pęnæ reatu, à pęna abſolui re vera dicitur, ad quam pro delicto obligatur, vt in §. 1. *in inſtit. de obligat.* quæ ex delicto naſcuntur. Ad iura reſpondetur, quòd ex verbis S. P. non colligitur Sacerdotem non habere poteſtatem abſoluendi à culpa, & pęna; ſed arrogantia retunditur, qui citra legitimam facultatem id attentant.

5 Ad argumentum *Med.* reſpondetur, quòd licèt Sancti Patres, contriti pęnam damni patiebantur; id tamen non proueniebat ex impotentia contritionis; ſed quia tunc temporis non erat aperta ianua Regni Cęlorum per Chriſti Domini mortem, ac paſſionem. Concluditur ergò, his reiectis, Sacerdotem verè abſoluere non modo à culpa, ſed etiam à pœna: & multoties homines tali remedio carentes damnari: ſiquidem pauci ſunt, qui veram habeant contritionem, multi autem, qui attritionem tantùm: & hi niſi ſuſcipiant pęnitentiæ Sacramentum, vel alia Sacramenta, & moriantur, non ſaluabuntur.

An forma abſolutionis extendatur ad peccata oblita, ita vt pęnitens ab illis cenſeatur abſolutus.

S E C. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Adducitur prima ſententia, quod abſolutio non extendatur ad peccata oblita.*

2 *Communis tamen ſententia eſt in contrarium, & vera probatur ſolida ratione, & quare.*

3 *Abſolutio eſt actus iudicialis in cognoſcendo quoad ea, quorum pœnitens meminit, & in abſoluendo quoad ea, quorum obliuiſcitur, eſtque etiam actus iudicialis in cognoſcendo quoad oblita.*

4 *Quare peccata oblita teneamur confiteri, cum in memoriam redeunt.*

5 *Forma abſolutionis impenſa à Sacerdote non ſolum extenditur ad peccata, confeſſa per pœnitentem, ſed etiam ad peccata oblita.*

6 *Abſolutus ab aliquo Sacerdote, poteſtatem habente abſoluendi à reſeruatis culpis, ſi fuerit oblitus alicuius peccati reſeruati, poterit illud cuilibet confiteri, & à quocunq; abſolui.*

7 *Quod amplietur etiam peccatum reſeruatum oblitum cenſuram habuerit annexam.*

8 *An hæc cõcluſio extendatur ad irregularitatẽ.*

1 IN hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima opinio eſt *Ioan. Med. de confeſ. q.* 39. Dicentis, abſolutionem non extendi ad peccata oblita. Probatur, quoniam abſolutio eſt actus iudicialis: ergò non extenditur ad peccata oblita. Antecedens patet, quia Sacerdos abſolutionem impendens fungitur officio iudicis, vt in *c. verbum, de pœnit. d.* 1. Probatur conſequentia, quia actus iudicialis non fertur ſuper incognitis, cùm Iudex teneatur iudicare ſecundum allegata, ac probata, *l. illicitas; §. veritas, ff. de offic. Præſid.* Secundò ſi abſolutio extenderetur ad oblita, ſi illa in mentem venerint, non teneretur pęnitens amplius confiteri; ſed conſequens eſt falſum; ergò, &c. Sequela patet, quoniam peccata ſemel remiſſa non indigent noua abſolutione. Minor probatur, quia confeſſio non eſt integra: & proinde obligatur pęnitens illa confiteri, cùm integritas confeſſionis ſit iure Diuino præcepta.

2 Oppoſitis, non obſtantibus, in contrarium tamen eſt communis opinio, quam tenet *D. Thom. in* 4. *d.* 21. *q* 2. *Nauar. in c.* 1. *de pœnit. d.*6. *nu.* 31. Et nobis tanquam vera probatur ſolida quidem ratione. Vnum peccatum nõ poteſt ſine alio remitti: ergò abſolutio extenditur ad peccata oblita. Antecedens patet ex *text. in c. maiores, §. ſed adhuc, de Bapt.* Vbi habetur, quòd idcircò vnum peccatum non poteſt remitti ſine alio, quoniam aliàs Sacramentum non conferret gratiam: ex quo pęnitens adhuc remaneret Dei inimicus: vel ſimul eſſet Dei amicus, & inimicus, quod eſt incompoſſibile. Conſequentia probatur: nam aliàs remitteretur peccatum confeſſum, & non oblitum; atque ideò remitteretur vnum peccatum, & non aliud. Confirmatur, quia Deus quãdo ſanat perfectè ſanat; nam Dei perfecta ſunt opera, vt in *d. §. ſed adhuc:* ſed Deus remittit peccata confeſſa; ergò, & oblita. Quibus adde, quæ adnotauimus ſupra *diſp.* 3. *ſec.* 1. *concl.* 5. *ampl.* 3. *verſ. Secundus caſus.*

Ad contraria reſpondetur.

3 AD primum dicitur, quòd abſolutio eſt actus iudicialis in cognoſcendo quoad ea, quorum meminit pęnitens: eſt autem actus iudicialis in abſoluendo quoad ea, quorum obliuiſcitur. Secundò reſponderi poteſt, quòd abſolutio cadit etiam ſuper oblita, vt actus iudicialis in cognoſcendo; quoniam cognoſcit Sacerdos actus pęnitentis, peccata deteſtantis, & ſe humiliantis, qui materia ſunt proxima Sacramenti pęnitentiæ, & ex ſe ſufficiens ad integritatem formalem confeſſionis, quando materialis integritas peccatorum in ſpecie haberi non poteſt, aut ex capite ignorantiæ, vel impotentiæ, ſeù obliuionis, aut ad ſcandalum aliquod vitandum, aut ob aliam rationabilem cauſam, vt in *d. concl.* 5. *verſ. Secundus caſus.* Vndè cùm abſolutio ſit actus iudicialis in cognoſcendo quoad oblita, erit etiam actus iudicialis in abſoluendo, atque ideò fertur ſuper certis.

4 Ad ſecundum reſpondetur, quod ideò peccata oblita

oblita cùm in memoriam redeunt, tenemur confiteri: quia tenemur ad integritatem materialem confeſſionis omnium peccatorum ex præcepto Diuino incluſo in ipſa inſtitutione Sacramenti, cùm poſſumus, & nulla extat cauſa excuſationis: licèt peccata oblita ſint remiſſa virtute cõfeſſionis formaliter integræ. Vndè ad probationem ſequelæ reſpondetur, quòd tunc peccata ſemel remiſſa non indigent alia abſolutione, quotieſcunque per confeſſionem integram materialiter fuerunt ſubmiſſa clauibus: at peccata oblita non ſunt huiuſmodi.

5 Vndè his reiectis firma remanet concluſio, quòd forma abſolutionis impenſa à Sacerdote extenditur non ſolùm ad peccata confeſſa per pœnitentem, ſed etiam ad peccata oblita. Quæ tamen concluſio limitatur, vt tunc vera ſit, quando obliuio eſt inculpabilis, ſeù inuincibilis; ſecus autem, ſi culpabilis, & vincibilis eſſet, quoniam abſolutio non modò inualida eſſet quoad peccata oblita; ſed etiam quoad confeſſa: ſiquidem obliuio eiuſmodi eſſet directè, vel ſaltem indirectè volita, vt rectè declarat *Suar. de pœnit. diſp. 23. ſec. 3. nu. 4.*

6 Ex hac ipſa concluſione infertur, quòd ſi aliquis fuit abſolutus ab aliquo Sacerdote habente poteſtatem abſoluendi à reſeruatis culpis, ſi alicuius peccati reſeruati fuerit oblitus poterit illud confiteri cuilibet, etiam non habenti facultatem abſoluendi à reſeruatis: ſiquidem abſolutio extenditur etiam ad oblita; atque ideò peccatum illud reſeruatum oblitum per abſolutionem fuit iam remiſſum. Ita *Gabr. in 4. d. 17. q. 1. Couar. in c. Alma mater, p. 1. §. 11. nu. 12. Nauar. in Man. cap. 26. nu. 13. & in c. conſideret, §. cautus, de pœnit. d. 5. & in c. 1. nu. 32. de pœnit. d. 6. Syl. in ſum. ver. Confeſſio, 1. q. 19. & alij*: Quod tamen intelligendum eſt, quando obliuio eſt inuincibilis, vt ſupra, & ampliatur hoc dictum, etiam ſi

7 peccatum reſeruatum tale fuerit, vt cenſuram habuerit annexam, à qua prior Confeſſarius habebat abſoluendi facultatem, quoniam tunc poteſt abſolui à poſteriori Confeſſario non habente poteſtatem; licèt prior Confeſſarius non abſoluerit expreſsè à cenſuris; ſed tantùm verba eſſentialia formæ abſolutionis protulerit, *Abſoluo te*, cum intentione tamen implicita ſaltem abſoluendi ab omnibus neceſſarijs iuxta ea, quæ adnotauimus ſupra ſec. 3. quibus adde *Couar.*

8 *loco citato*. Eſt tamen verum, quòd quidam hanc concluſionem non extendunt ad irregularitatem quoniam irregularitas poteſt remanere, abſoluto peccato. *Nauar. autem in d. c. 26. nu. 13.* dubitat. Ego verò arbitror, idem dicendum in prædicto caſu, ſi prior Confeſſarius in impendenda forma abſolutionis, præmiſerit illa verba generalia, quæ à Confeſſarijs præmitti ſolent, *Diſpenſo tecum in omni irregularitate quomodocunque, & qualitercunq; incurriſti*. Nam cenſetur cum eiuſmodi pœnitente etiam in irregularitate oblita. Cæterùm ſi tantùm formam abſolutionis prior Confeſſarius impenderit, non cenſetur diſpenſaſſe in irregularitate: quoniam ab irregularitate quis non abſoluitur, ſed tantùm diſpenſatur; atque ideò verbum, *Abſoluo*, licèt referatur tàm ad peccata, quàm ad cenſuras, vt oſtendimus *d. ſec. 3.* non tamen poteſt referri ad irregularitatem: niſi in partem affirmatiuam velimus inclinare ex præſumpta intentione Sacerdotis abſoluentis, vt voluerit non ſolùm abſoluere à peccatis, & cenſuris, ſed etiam diſpenſare in irregularitatibus.

An ſi quis dicat, abſoluo te à peccatis, de quibus es confeſſus, & contritus, abſolutio extendatur ad oblita, & attrita tantùm.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Verba abſoluo te à peccatis, de quibus es confeſſus, & contritus, impendenda non ſunt in forma abſolutionis, quia periculoſa ſunt.*

2 *Magis probabile eſt, quod Confeſſarius vtendo talibus verbis abſoluat etiam ab oblitis, ſi eius intentio non excludat peccata oblita, & de quibus pœnitens eſt tantum attritus.*

1 MVlti Doctores negant: & ideò monent, vt eiuſmodi verba in impendenda abſolutionis forma non dicantur, quia ſunt periculoſa, & illis vti non eſt prudentis Confeſſarij, ſed ruralis, & vulgaris. Ita *Nauar. in Man. c. 26. nu. 11. & in c. 1. de pœnit. d. 6.*

2 Altera ſententia quæ nobis magis probatur, eſt *Henriq. de pœnit. lib. 1. c. 11.* Quòd ſi intentio talis Confeſſarij non excludit peccata oblita, & de quibus tantùm pœnitens eſt attritus, vtendo talibus verbis verè abſoluit ab oblitis: quoniam Ly. *Abſoluo te*, refertur non modò ad peccata confeſſa, & contrita formaliter; ſed etiam virtualiter ad attrita, & oblita: formalis autem, ac virtualis eadem eſt virtus, ſicut taciti, & expreſſi, *l. cùm quid, ff. ſi cert. petat.*

An forma abſolutionis impendi poſſit ſub conditione.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Conditio duplex eſt vna de futuro, & eſt vera, & propria conditio altera de præſenti, vel de præterito, & dicitur impropriè conditio.*

2 *Vtraque conditio in quo differat à modo.*

3 *Forma, ſeù abſolutio ſacramentalis impendi non poteſt ſub conditione de futuro.*

4 *Impendi verò poteſt ſub conditione de præſenti, vel de præterito, atque ideò ſub conditione impropria.*

5 *Forma abſolutionis ſacramentalis impendi poteſt ſub modo.*

6 *Vide hìc obiter, quomodo intelligatur indulgentia à culpa, & pœna.*

1 PRo determinatione huius difficultatis eſt adnot. quod conditio quoad rem noſtram attinet, eſt duplex. Nam altera dicitur conditio de futuro, & eſt vera, & propria conditio, cùm ſit futurus, quidam euentus, in quem diſpoſitio ſuſpenditur, concipiturq; per dictiones, ſi, niſi, & æquipollentibus, vt lego tibi centum ſi Titius factus fuerit Conſul: vel lego tibi centum, niſi Titius fuerit factus Conſul, vt latè *Bart. & Doctor. in l. 1. ff. de condit. & demonſtr.* Altera autem conditio dicitur de præſenti, vel de præterito, & dicitur impropriè conditio, quia non ſuſpendit actum. Vt lego tibi centum, ſi Titius

fuit factus Conſul: vel ſi Titius eſt Conſul, *l. cùm ad præſens, ff. ſi cert. petat.* Vtraq; autem con-
2 ditio differt à modo; nam modus in ſtricta ſignificatione ſumptus non eſt conditio, ſed moderamen diſpoſitionis per oneris impoſitionem; concipiturq; per dictionem, vt, dummodò, & æquipollens. Vt, lego tibi centum, vt domum tibi emas; vel dummodò domum tibi emas. Vnde modus nunquam actum ſuſpendit, ſed ipſum clarificat; ita vt promiſſum ſub modo de præſenti peti poteſt, *l. Titio centum, & l. quibus diebus, §. Termilius, ff. de condit. & demonſtr.* Debet tamen legatarius cauere de modo ſeruando, ſi modus eſt in fauorem teſtatoris, aut tertij; ſecus autem ſi modus ſit in fauorem legatarij, vt in dictis iuribus. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 FOrma, ſeù abſolutio ſacramentalis nõ poteſt impendi ſub conditione de futuro, atque ideò Sacerdos non poteſt abſoluere pœnitentem dicens, *Abſoluo te, ſi ſatisfeceris.* Vel centum in tali Eccleſia dederis. Probatur, quoniam forma à Chriſto eſt inſtituta, vt ſignificet actum præſentem: at abſolutio fit ſub conditione de futuro, non ſignificat actum præſentem, ſed futurum. Idem enim eſt dicere, abſoluo te ſi ſatiſfeceris, ac abſoluo te cùm ſatisfeceris.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 FOrma abſolutionis ſacramentalis impendi poteſt ſub conditione de præſenti, vel de præterito, atque ideò ſub conditione impropria. Probatur, quia vt ſupra diximus forma *Sacramenti* pœnitentiæ fuit à Chriſto Domino, vt ſignificet actum præſentem; quando autem abſolutio fit ſub conditione de præſenti, vel de præterito ſemper ſignificat actum præſentem. Eſt tamen verum, quod talis abſolutio ſine cauſa impendi non debet. Cauſa autem ſufficiens eſt ſi dubitet Confeſſarius, an pœnitens ſit abſolutionis capax, vt quia dubitat, an ſit freneticus, vel rationis compos, tunc poteſt abſolutionem dare ſub hac conditione, ſi es capax rationis ego te abſoluo. Item ſi dubitet, an dederit abſolutionem, ſtante eadem confeſſione: nam tunc poteſt ita abſolutionem impendere. ſi non es abſolutus, ego te abſoluo, &c.

TERTIA CONCLVSIO.

5 FOrma abſolutionis ſacramentalis impendi poteſt ſub modo. Vt abſoluo te, vt indulgentias lucrifacias. Is enim ſtatim eſt abſolutus, eſto quòd deindè mutata voluntate, indulgentias non aſſequatur. Etenim conditio modalis non ſuſpendit actum, vt ſupra oſtendimus in not. & propterea forma abſolutionis lata ſub modo ſignificat actum præſentem. Hinc infertur, quòd ſi ſuperior abſens Inferiori facultatem dederit, vt à caſibus ſibi reſeruatis abſoluat ſub eo modo, vt iterum confiteatur, quando præſens fuerit, Confeſſarius tenetur illum modum confitenti declarare, & ſi eum non acceptauerit, non debet audire. Si autem acceptauerit pœnitens, & Confeſſarius abſolutionem ei dederit, adeò valet abſolutio, vt quamuis poſtea pœnitens Superiori non confiteatur, valere illa non deſinat, peccatum tamen mortale nouum committet, vt latè probat *Nauar. in ſum. c. 26. nu. 12.*

† Nota etiam hic obitèr, quomodo intelligatur
6 illud, quòd conceduntur Indulgentiæ à culpa, & pœna; & reſpondetur, per Indulgentiam propriè fieri remiſſionem pœnæ temporalis, vt ſæpè diximus, quæ ſupponit remiſſam culpam impropriè verò dicitur per eam remitti culpam: ſiquidem Indulgentia cum abſoluat à pœna temporali pro culpa debita, dicitur conſequenter abſoluere à culpa, & pœna; quoniam perficit integram peccatoris abſolutionem, ita vt reducat hominem ad innocentiam baptiſmalem, non quod id per illam formaliter agatur; ſicut per Baptiſma, per quod remittitur culpa, & totalis pœna, ſed conſumari, ac compleri, quod antea erat imperfectum; quia ſublata lethali culpa, & pœna æterna per ſacramentalem abſolutionem, per Indulgentiam tollitur quoque pœna temporalis, vt rectè declarant *Palud. in 4. d. 20. q. 4. circa finem, Suar. de pœnit disp. 49. ſec. 4. Maldonat. tom. 2. in controuerſ. de indulgent. q. 1. Reginal. lib. 7. ſua prax. nu. 105.* & alij, quos refert, & ſequitur *Molfeſ. in ſua ſum. tract. 7. cap. 26. à num. 35. ad 39.*

COM-

Digitized by Google

COMMENTARIA
LEONARDI DVARDI CLER. REGVLAR.
IN §§. II. CAP. OMNIS VTRIVSQVE SEXVS
De Pœnit. & Remiſs.

In quo ſufficienter traditur explicatio præcepti ſanctiſſima Eucharistia in Paſcha: & obiter nonnulla explicantur ad tractatum eiuſdem Sacramenti pertinentia.

§. II. *SVſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Eucharistia Sacramentum, niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum: alioquin, & viuens viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Christiana careat ſepultura. Vndè hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſia publicetur, ne quis ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis alieno Sacerdoti voluerit iuſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam prius poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter ipſe illum non poſſit abſoluere, vel ligare.*

Tex. diuiditur in quatuor partes. In prima parte agitur de præcepto ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ ad minus in Paſcha: & de perſonis, quæ huiuſmodi præcepto alligantur. In ſecunda ſtatuitur pœna præcepto contrauenientibus. In tertia præcipitur noſtri capitis conſtitutionis publicatio. In quarta demum tractatur de licentia confitendi alteri, quàm proprio Sacerdoti, 2. ibi alioquin, 3. ibi, Vndè, 4. ibi, ſi quis. De quarta parte nihil hoc loco duximus diſcutiendum, ne bis idem repetere videamur; ſed remittimus nos ad ea, quæ cumulauimus ſupra, §. 1. *diſp.* 8. *ſec.* 9. Vbi agentes de Miniſtro Sacramenti pœnitentiæ, latè egimus de licentia confitendi alteri, quàm proprio Sacerdoti. Solùm igitur hìc reliquas huius §. partes per ſuas diſputationes explicabimus.

Suſcipiens, &c. De præcepto ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ ad minus in Paſcha: & de perſonis, quæ illo alligantur.

DISP. I.

SVMMARIVM.

1 *Diuiditur Textus in quatuor partes.*

1 EXplicauimus ſupra §. *primum noſtri cap.* in quo agitur de pcepto ſacramẽtalis cõfeſſionis ſemel ſaltem in anno; & de perſonis quæ tali præcepto ligantur; modò competenti ordine deueniendum eſt ad explicationem ſecundi eiuſdem noſtri *capit.* §. in quo tractatur de præcepto ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ ad minus in Paſcha; & de perſonis, quæ eodem præcepto ligantur. Et quoniam in *præcedenti* §. *diſp.* 1. *ſec.* ante omnia diſputauimus de confeſſionis ſacramentalis præcepto tùm Diuino, tùm etiam Eccleſiaſtico, idcircò hanc eandem controuerſiam duximus diſcutiendam antequam ad vlteriora progrediamur, de ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ præcepto, & quærimus.

An præceptum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ ad minus in Paſcha ita ſit Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Sanctiſſimum Eucharistia Sacramentum fuit à Deo inſtitutum, tùm vt Sacramentum, tùm vt præceptum.*

2 *Ratio inſtitutionis huius admirabilis Sacramenti fuit immenſus Redemptoris amor erga nos.*

3 *Quare Christus ſumi voluit Sacramentum hoc.*

4 *Præceptum Diuinum Euchariſtiæ ſumendæ, an & quando obliget.*

5 *Communis Eccleſiæ conſuetudo ſolet omnes in articulo, & periculo mortis communicare.*

Et quanta ſit antiqua conſuetudo aſſeruandi in Sacrario ſanctam Euchariſtiam ipſamq; deferri ad infirmos.

6 *Præceptum ſumendi Euchariſtiam adultos tantum baptizatos, & qui ſunt præceptorum capaces obligat.*

7 *Præceptum hoc adeò adultos baptizatos, alioſq; præceptorum capaces obligat in articulo, vel periculo mortis, vt qui eo tempore ſanctiſſimam Euchariſtiam non ſumpſerit, ſi dignè, & decenter poſſit, ſaltẽ in voto, peccet mortaliter.*

An Sacramentum hoc ſit neceſſarium neceſſitate ſalutis.

8 *Præcepto Diuino alligamur ad conſeruandam vitam temporalem per cibos temporales, & corporeos, & qui renuens cibum ſumere moriatur, cum poſſit, dicitur decedere in lethali culpa.*

9 *Præceptum hoc Diuinum non ſolum obligat in articulo, & periculo mortis naturalis, ſed etiam violenta.*

10 *Excipitur tamen vbi facinus adeò ingens eſt, & atrox, vt ſine dilatione vrgeat ad mortem facinoroſi.*

11 *Nonnulli excuſarunt Iudices à lethali culpa, qui vigore conſuetudinis extantis in Hyſpania & Luſitania, negabant Reis ſuſpendendis, & capite plectendis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, prætextu reuerentiæ tanti Sacramenti.*

Et an hæc conſuetudo potius corruptela debebat dici, quam conſuetudo.

12 *Reliqua Sacramenta tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur. At in Eucharistia ante vſum eſt ipſe ſanctitatis Author.*

13 *Sub vnaquaq; ſpecie tàm panis, quàm vini, & ſub ſingulis ſpeciei partibus facta ſeparatione eſt*

eſt Corpus, & Sanguis, ac totum Chriſti Corpus continetur.

14 *Omnes Chriſti fideles pro more in Eccleſia Catholica ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibent.*

15 *Præceptum Diuinum ſumendi hoc ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ab Adultis in articulo, vel periculo mortis in re, vel in voto obligat ſub lethali culpa.*

16 *Qui ſemel in mortis articulo conſtitutus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepit per modum Viatici, perſeuerante eodem periculo poterit iterum eodem modo communicari.*

17 *Si infirmus vno, pluribus, vel etiam octo diebus priuſquam in mortis articulo fuerit conſtitutus ſe communicauerit, eſt illi conſulendum, vt iterum communicet per modum Viatici.*

18 *Licet Eccleſia, haud conſueuerit deferre per plateas ſacram Euchariſtiam ad omnes infirmos; non tamen eſt expectandum mortis periculum ad eam infirmis miniſtrandam.*

19 *Parochus licet maximam diligentiã adhibere debeat in aſſeruanda ſacroſancta Euchariſtia in Tabernaculo, & bis ſaltem in menſe veteres particulas diſpenſare, ac nouas conſecrare; non tamen celebrare poterit pro cõmunicandis Parochianis infirmis, ſi particulas cõſecratas, non habeat, niſi ſaluis Eccleſiæ præceptis.*

20 *Præceptum Diuinum ſumendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non modo in articulo, vel periculo mortis obligat, ſed etiam aliquando extra mortis articulum.*

21 *Si quis periculoſam eſſet habiturus nauigationem, vel bellum, aut terras infidelium profecturus, vbi probabiliter timeat in articulo, ſeu periculo mortis ſe non habiturum commoditatem ſuſcipiendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, anticipare tenetur communionem ex præcepto Diuino.*

22 *Præceptum Diuinum ſumendi hoc Sacramentum in multis caſibus obligat extra mortis periculum per accidens.*

23 *Papa diſpenſare cum aliquo non poteſt, eidemq; in priuilegium concedere, ne teneatur hoc ſanctiſſimum Sacramentum ſumere.*

24 *Præceptum Diuinum communionis in articulo, ſeu periculo mortis, eos tantum fideles obligat, qui ad annum diſcretionis peruenerint.*

Quare in Aphrica, & in Hyſpania extitit conſuetudo communicandi etiam infantes ſub vna ſpecie, & quandoque ſub vtraque.

25 *Ita demum fideles adulti, ac rationis vſum habentes tenentur præcepto Diuino ſanctiſſimum ſumere Euchariſtiæ Sacramentum realiter, cum poſſunt, alias ſatis erit, illud in voto ſuſcipere.*

26 *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ſi tantum fuiſſet à Domino inſtitutum, & non præceptum potuiſſet Eccleſia illius ſumptionem fidelibus præcipere, cum poſſit circa Sacramentorum vſum ea ſtatuere, quæ ſaluti congruunt fidelium.*

Et quare Saluator diſceſſurus de hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituere voluit, ac illud eſſe pignus futuræ gloriæ.

27 *Præceptum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ ad minus in Paſcha ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum.*

28 *Præcepto hoc communicãdi in Paſcha obligatur etiam Summus Pontifex.*

29 *Rom. Pontifex non poteſt in totum tollere præceptum communionis in Paſcha, cum ſit Diuinum quoad ſubſtantiam, & tenetur ipſe Sum. Pontifex ſtare quoque determinationi temporis, & quare.*

PRo determinatione huius difficultatis, omiſſis hæreticorum figmentis, ac erroribus, & impietatibus, quid dicendum ſit ſecundum ſacrorum Conciliorum definitiones, & Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Catholicæ Doctorum ſententiam per ſequentes concluſiones explicabimus. Vnde ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 SAnctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per ſe conſideratum, ac vt diſtinctum à præcepto Eccleſiaſtico, non ſolum à Deo fuit inſtitutum; verùm etiam præceptum, vt ſumatur. Hæc concluſio eſt communis, & de fide. Probatur quoad primam partem ex *Matt. c. 19. & 26. Lucæ c. 1. & ex Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 1.* Vbi habetur hoc admirabile Sacramentum in vltima Cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cum poſt panis, viníque benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem, diſertis, ac perſpicuis verbis teſtatus eſt. Vndè ex eodem *Conc. d. ſeſſ. 13. can. 1.* Ita fuit decretum, *Si quis negauerit in ſanctiſſima Euchariſtiæ Sacramento contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter corpus, & ſanguinem vna cum anima, & Diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum: ſed dixerit tantummodo eſſe in eo, vt in ſigno, vel figura, aut virtute anathema ſit.* Et cùm Redemptor noſter Corpus ſuum id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè dixerit: & ſub ſpecie vini, ſanguinem, idem *Concil. ibidem can. 2.* ſic decreuit, *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini vna cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritq; mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini quam quidem conuerſionem, tranſubſtantiationẽ appellat: anathema ſit.* Ratio autem inſtitutionis admirabilis huius Sacramenti non alia fuit, quàm immenſus Redemptoris amor erga nos: vndè *Conc. Trid. ead. ſeſſ. 13. cap. 2.* Inquit quod Saluator noſter Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum, & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamque annunciare mortem, donec ipſe ad iudicandum mundũ veniat. Secunda pars huius concluſionis patet ex illis Euangeliſtarum verbis, *Accipite, & manducate: accipite, & bibite ex eo omnes, &c.* At verba illa, cùm ſint imperatiua, præceptum denotant, vt habetur ex *Panor. in c. veſtra per illum tex. nu. 1. de cohabit. cler. & mulier. & in c. clerici, de vita, & honeſt. cler.* & nos latè probauimus in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœnæ, lib. 3. §. 8 q. 1 nu. 3. 4. & 5.* Confirmatur ex eodem *Concil.*

3 *Trid. ſeſſ. 13. cap. 2.* vbi rationem talis præcepti aſſi-

Digitized by Google

aſſignans,ſic ait, *Sumi autem voluit Sacramen-*
tum hoc tanquam ſpiritualem animarum cibum
quo alantur,& confortentur viuentes vita illius,
qui dixit, qui manducat me,& ipſe viuit propter
me, & tanquam antitodum, quo liberemur à
culpis quotidianis,& à peccatis mortalibus præ-
ſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ
noſtræ gloriæ, & perpetuæ fœlicitatis: adeoque
Symbolum vnius illius corporis,cuius ipſe caput
exiſtit, cuique nos tanquam membra arctiſſima
fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos
eſſe voluit, vt id ipſum omnes diceremus. Nec
eſſet in nobis ſchiſmata.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 PRæceptum Diuinum ſanctiſſimæ Euchari-
ſtiæ ſumendæ abſolutè conſideratum, & ſe-
clusum à præcepto Eccleſiaſtico, obligat in arti-
culo, ſeù periculo mortis fideles baptizatos, &
qui ſunt præceptorũ capaces. Hæc concluſio eſt
Henriq. lib. 8. de Sacra. Euchar. c. 4. in prin. Sot.
in 4. d. 12. art. 11. Suar. 3. p. diſp. 66. ſec. 5. Nauar.
in Man. cap. 21. nu. 57. Fagund. de præcep. Eccl.
præcep. 3. lib. 1. c. 4. ſub n. 2. Laym. lib. 3. ſua ſum.
tract. 4. c. 4. ſub n. 2. verſ. Altera pars,cum alijs,
quos allegant. Probatur; quoniam præceptum
huiuſmodi eſt affirmatiuum, at præcepta affir-
matiua licèt nõ obligent ſemper ad ſemper;obli-
gant tamen neceſſitatis tempore, tempus autem
neceſſitatis maximè dicitur articulus, ſeù peri-
culum mortis: ſiquidem eo tempore ſumptio
ſanctiſſimæ Euchariſtiæ magis vrget propter
varias humani generis hoſtis inſidias, quibus
vtitur ad perdendam morientis animam, & id
ad conſeruandam, & augendam gratiam, quam
conſeruare tunc præſertim tenentur fideles ex
debito charitatis propriæ, cùm ex illa pendeat
æternitas: & ad hoc inſtitutum fuit tale Sacra-
mentum per modum cibi; quoniam ſicut cibus
corporalis neceſſarius eſt ad conſeruandã vitam
temporalem, ita & iſte celeſtis cibus ad conſer-
5 uandam vitam ſpiritualem. Cõfirmatur ex com-
muni, & antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine,
quæ ſolet omnes in articulo,ſeù periculo mortis
communicare per modum Viatici, atque ideò
vna ex præcipuis cauſis, ob quas hoc venerabile
Sacramentũ in ſacrario aſſeruatur, eſt,vt infirmi
facilius hoc præceptum adimplere poſſint. Vndè
per *Conc. Trid. d. ſeſſ. 13. c. 7.* ita fuit decretum,
Conſuetudo aſſeruandi in ſacrario ſanctam Eu-
chariſtiam adeò antiqua eſt, vt eam ſæculum
etiam Niceni Concil. agnouerit. Porrò deferri
ipſam ſacram Euchariſtiam ad infirmos, &
hunc vſum diligenter in Eccleſijs conſeruari,
præterquam cum ſumma æquitate, & ratione
coniunctum eſt, tum multis in Concilijs præcep-
tum inuenitur, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ
more eſt obſeruatum. Quare ſancta hæc Synodus
retinendum omninò ſalutarem hunc neceſſarium
6 *morem ſtatuit.* Dixi, *Fideles baptizatos, & qui*
ſunt præceptorum capaces: Quoniam præceptum
Diuinum ſumendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ
Sacramentum adultos tantùm baptizatos, & qui
ſunt præceptorum capaces alligat,ad excluden-
dum pueros, & amentes, qui cùm animi iudicio
careant,à præceptis non alligantur,vt latè infra,
Deo duce, dicemus, *limit. vnica.*

7 Ampliatur hæc concluſio, vt præceptum hu-
iuſmodi adeò adultos baptizatos alliget in arti-
culo, ſeù periculo mortis, vt qui eo tempore
ſacratiſſimam Euchariſtiam non ſumpſerit, ſi
dignè, ac decenter poſſit;aut ſi non poſſit ſaltem
in voto, mortaliter peccet, licèt in gratia reperi-
retur: atque ideò moriens citra ſumptionem
ſanctiſſimi Viatici in re, vel in voto, vt ſupra,
non ſaluabitur. Vndè præceptum Diuinum ſan-
ctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ in articulo, ſeù
periculo mortis in lege noua eſt neceſſarium
neceſſitate ſalutis,vt patet ex illis Chriſti verbis,
Ioan. c. 6. Niſi manducaueritis carnem filij ho-
minis, & biberitis eius ſanguinem, non habebi-
tis vitam in vobis. Vbi eſt adnotandum, quòd
eodem loquendi modo vſus eſt Chriſtus Domi-
nus in præcipiendo pœnitentiam, dum inquit
Lucæ 13. Niſi pœnitentiam egeritis, non intra-
bitis in Regnum Cælorum. Et in præcipiendo
Baptiſmum, dicens *Ioan. 3. Niſi quis renatus*
fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt
intrare in Regnum Dei. Ergò ſicut Diuinum
præceptum Baptiſmi neceſſe eſt vt impleatur ab
omnibus ſimpliciter in re, vel in voto ad ſalu-
tem, & gloriam aſſequendam; ſicut præceptum
pœnitentiæ ab ijs, qui poſt Baptiſmum peccaue-
runt;ita etiam neceſſaria eſt ad ſalutem impletio
præcepti Diuini de ſumenda ſanctiſſima Eucha-
riſtia: quæ quidem præcepta cum ſint affirma-
tiua neceſſariò ſunt adimplenda in articulo, ſeù
periculo mortis, vt ſupra adnotauimus, §. 1. *diſp.*
1. ſec. 7. concl. 4. & 5. Confirmatur; quoniam
8 præcepto Diuino alligamur ad conſeruandam
vitam temporalem per cibos temporales,& cor-
poreos: vndè qui renuens ſumere cibum cum
poſſet, moriatur, in lethali culpa diceretur de-
cedere, cùm contra Dei legem, ac præceptum
agat; atque ideò non ſaluaretur: ergò, & alliga-
mur etiam Diuino præcepto de conſeruanda
vita ſpirituali per ſpiritualem cibum ſanctiſſimæ
Euchariſtiæ, atque ideò ſi quis id non adimpleat
ſuo tempore in re, vel in voto, ſi aliter nequeat,
& moriatur, procul dubio non ſaluabitur: is
enim moritur non ſolùm corporaliter, ſed etiam
ſpiritualiter per ammiſſionem Diuinæ gratiæ.
Hanc ſententiam communem eſſe hodie teſtatur
Fagund. de præcep. Eccleſiæ, præcep. tertio, lib.
1. cap. 3. ſub nu. 4. qui pro hac opinione allegat
D. Thom. 3. p. q. 30. ar. 11. Henriq. lib. 8. de Euch.
c. 3. num. 2. cum alijs quamplurimis, quos refert,
ad margin. litt. G. Sot. in 4. d. 12. q. 1. art. 11.
Petr. Sot. tit. de Euch. lec. 91. & alios,quos idem
Fagund. citat d. lib. 1. cap. 4. Vbi ampliat dictũ
9 præceptum Diuinum obligare in articulo, ſeù
periculo mortis non ſolùm naturalis, ſed etiam
violentæ,& publica auctoritate iuſtitiæ inferen-
dæ: ſiquidem tenentur Iudices Reis ad mortem
damnatis tempus concedere confitendi,ac com-
municandi antequam ſupplicium ſubire com-
pellantur; aliàs mortaliter peccarent,vt in *c. quæ-*
ſitum, 13. q. 2. & Gloſſa in c. ſi quis de corpore, &
in clem. 1. de pœnit. & remiſ. Quod quidem
locum ſibi vendicat, etiam ſi Iudices certò ſci-
rent, reos eo tempore; quo deberent ſe præpa-
rare ad communionem per confeſſionem ſuo-
rum peccatorum, violentia fore eripiendos, vt
habetur ex *Syl. ver. Iudex, q. 13. dicto 6. Petr.*
Nauar. lib. 2. de reſtit. c. 2. nu. 23. Tolet. lib. 2 ſuæ
ſum. c. 28. Turrecrem. c. de his, 26. q. 6. & alij,
quos refert *Fagund. loco citato*; Motus ex eo,
quòd

Digitized by Google

quòd bonum animæ præſereudum ſit temporali.

10 Eſt tamen verum, quòd aliqui excipiunt, vbi facinus adeò ingens, & atrox eſſet, vt ſine dilatione vrgeat ad mortem facinoroſi, vt eſt proditio Principis, traditio Vrbis, arcis, & alia crimina eiuſmodi, vt habetur ex *Fagund. ibidem*, qui etiam addit, illos etiam Reos qui poſt relapſum hæreſis reconciliantur Eccleſiæ, per Patres Inquiſitores ante ſuſpendium, & mortem ignis eſſe confeſſione ſacramentali præparandos, & communicandos, vt in *c. ſuper Cathedram, de hæret. in 6. Syman. de cathol. inſt. c. 56. num. 16.* & alij apud eundem *Fagund. ibi.*

11 Illud autem eſt aduot. quòd quamuis nonnulli excuſarent Iudices à lethali culpa, qui olim vigore cuiuſdam conſuetudinis extantis in Hyſpania, & Luſitania, negabant Reis ſuſpendendis, aut capite plectendis ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, prætextu reuerentiæ tanti Sacramenti, vt habetur per *Nauar. in Man. c. 25. nu. 23. Couar. lib. 2. var. reſol. c. 1. num. 11.* Et alios; nihilominus quoniam conſuetudo eiuſmodi corruptela potius, quàm conſuetudo eiuſmodi corruptela potius, quàm conſuetudo dicebatur, ex vi illius putat ipſe *Fagund.* non potuiſſe excuſari Iudices, niſi aliam opinionem ſequerentur, quæ probabilis eſt, & quamplurimos pro ſe Doctores habet magni ponderis, & dicerent ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in articulo mortis non eſſe de neceſſitate ſalutis; ſed tantùm vtile ad conſeruandam vitam ſpiritualem gratiæ, vt docent *D. Bonauen. in 4 d. 12. q. 1. art. 3 & d. 14. q. 4. art. 1. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 4. cap. 5. in prin.* & alij apud eundem *Fagund.* Qui eorum rationes refert, & ſoluit: & re vera nobis videtur non ſolùm communis, ſed etiam tutior, & omninò tenenda prior ſententia, cùm ei faueant verba Redemptoris, quæ ſupra retulimus, & conſuetudo, ac antiquiſſima traditio Eccleſiæ in aſſeruando hoc admirabile Sacramentum in ſacrario, & deferendi ad infirmos. Etenim ob id illud habet præcipuũ ſupra omnia alia Sacramenta, ac valdè excellens, ac ſingulare in eo repetitur, quòd reliqua Sacramenta

12 tunc primum ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur: at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt. Legitur enim *Lucæ cap. 22.* Non dum Apoſtolos Euchariſtiam de manu Domini ſuſcepiſſe, cùm verè tamen affirmabat corpus ſuum eſſe, quod præbebat, vt hæc, & alia de excellentia tanti Sacramẽti traduntur per *Conc. Trid d. ſeſſ 13. cap. 3.* Quòd proindè de fide ibi canonem 4. edidit, ita ſe habentem, *Si quis dixerit, peracta conſecratione in admirabili Euchariſtiæ Sacramento non eſſe Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti; ſed tantum in vſu, dum ſumitur, non autem ante, vel poſt, & in hoſtijs, ſeu particulis conſecratis, quæ poſt communionem reſeruantur, vel ſuperſunt, non remanere corpus Domini anathema ſit.* Imo ſub

13 vnaquaque ſpecie tàm panis, quàm vini, & ſub ſingulis ſpeciei partibus, ſeparatione facta, eſſe corpus, & ſanguinem, & totum Chriſtum contineri, idem Conc. de hoc quoque definiuit, *d. cap. 4. & canonem condidit 3. ead. ſeſſ.* Ita ſtatuentem, *Si quis negauerit, in venerabili Sacramento Euchariſtiæ ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis cuiuſcunque ſpeciei partibus ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri, anathema ſit.* Nec inter ſe pugnant, inquit idem *Concilium citata ſeſſ. cap. 1.* vt ipſe Dominus Ieſus Chriſtus Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cœlis aſſideat, iuxta modum exiſtendi naturalem; & vt multis locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi ratione, quam & ſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus; & conſtantiſſimè credere debemus. Et denique de veneratione, ac cultu huic admirabili Sacramento exhibendis agens. Concilium præcitatum *cap. 5.* ſic ait,

14 *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Chriſti fideles pro more in Catholica Eccleſia ſemper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic ſanctiſſimo Sacramento in veneratione adhibeant, neque enim ideo minus eſt adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino, vt ſumatur, inſtitutum: nam illum eundem Deum præſentem adeſſe credimus, quem Pater Æternus introducens in Orbem Terrarum, dicit, & adorent eum omnes Angeli Dei: quem Magi procidentes adorauerunt; quem denique in Galilæa ab Apoſtolis adoratum fuiſſe ſcriptura teſtatur, &c.* Vndè contra hæreticos impiè de cultu, ac veneratione tanti Sacramenti ſentientes, *canonẽ 6. ead. ſeſſ.* edidit, ita ſtatuentem, *Si quis dixerit, in ſancto Euchariſtiæ Sacramento, Chriſtum vnigenitum Dei filium non eſſe cultu latriæ, etiã externo, adorandum, atque ideò nec feſtiua peculiari celebritate venerandum; neque in proceſſionibus, ſecundum laudabilem, & vniuerſalem Eccleſiæ Sanctæ ritum, & conſuetudinem, ſolemniter circumgeſtandum, vel non publicè, vt adoretur populo proponendum, & eius adoratores eſſe idolatras; anathema ſit.*

15 Concluditur igitur ex dictis, præceptum Diuinum ſumendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ab adultis in articulo, ſeù periculo mortis in re cum ſuſcipi poteſt; vel ſaltem in voto cùm non poteſt, obligare ſub lethali culpa, ita vt tranſgrediens illud, ſi moriatur non ſaluetur. Vndè reicienda eſt ſententia *Caiet. in ſum. ver. Communio, Armil. eod. ver. num. 4. & Sà ver. Euchariſtia, nu. 1.* Dicentium, fideles in articulo, ſeù periculo mortis conſtituti ſacram communionem per modum Viatici non ſuſcipientes per negligentiam, & citra contemptum, ſi in Paſchate communicauerint, non peccare mortaliter: etenim hæc ſententia tanquam minus probabilis reicitur apud *Henriq. lib. 8. cap. 4. Suar. 3. p. tom 3. diſp. 69. ſec. 3. Zambr. de Sacram. Euch. cap. 3. dub. 1.* quos refert, & ſequitur *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 4. cap. 5. ſub nu. 4.* Qui tamen addit, doctrinam illam ad hoc ſaltem inſeruire poſſe, vt Defunctus propter talem omiſſionem non poſſit dici de hæreſi ſuſpectus, nec ſacra ſepultura, & Eccleſiæ ſuffragijs priuari. Adde, quod idem *Laym. loco cit. nu. 3. cum plur. ſeq.* Multa notatu digna, & ad praxim vtilia cumulat circa infirmorum communionem. Etenim eſt adnot. primò, quòd qui

16 ſemel in mortis periculo conſtitutus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum per modum Viatici ſuſcepit, perſeuerante eodem periculo, poterit iterum communicari per modũ Viatici; licèt ad id non obligetur. Et quamuis aliqui

apud

apud *Zambr. loco citato*, id limitent, niſi infir-
mus poſt communionem in lethalem culpam
fuerit lapſus; nihilominus hanc limitationem
meritò non admittunt ipſe *Zambr. ibidem*,
Laym. ſub d. num. 4. verſ. Quartò qui ſemel, &
Suar. loco citato; Quoniam alias ſequeretur,
iterum eundem diem S. Euchariſtiam ſumendam
fore, ſi infirmus poſt primam ſumptionem mor-
taliter peccaſſet, quod *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 10.
ad 2.* Omninò negat fieri poſſe. Nec conſueuit
Eccleſia aliquem infirmum pluries eadem die
communicare. Secundò eſt adnot. ex eodem
Laym. prædicto nu. 4. in prin. Quòd ſi infirmus
17 vno, pluribus, & etiam octo diebus, priuſquam
in mortis periculo conſtitutus fuerit, communi-
caterat, conſulendum eſt illi, vt iterum ſanctiſ-
ſimum Euchariſtiæ Sacramentum per modum
Viatici ſuſcipiat; non tamen ad id obligatur; cùm
præceptum de Euchariſtia ſumenda ante mortē
inſtantem ſumenda ſecundum ſubſtantiam im-
pleuerit, quibus adde, quæ adnotauimus ſupra
§. 1. diſp. 1. ſec. 2. cōcl. 2. ampl. 2. Tertiò eſt adnot.
ex ipſo *Laym. ibidem, nu. 3.* Quòd licèt non con-
18 ſueuerit Eccleſia, nec deceat ſanctiſſimam
Euchariſtiam ad omnes infirmos deferri per
plateas; tamen non eſt expectandum mortis pe-
riculum ad eam miniſtrandam infirmis; ſicut
mortis articulus expectatur ad vnctionem extre-
mam conſerendam: quocircà ſi quis diuturno
morbo detineatur, vt ad Eccleſiam accedere non
poſſit, ſacroſanctam Euchariſtiam ad animæ ſuæ
ſalutem, ac medicinam, non tantùm ſemel, nem-
pè in Paſchate; verùm etiam ſæpius, ſpectatis
circumſtantijs loci, temporis, &c. poterit non
iniuria expoſcere. Eſt tamen aduertendum, quòd
ſi nullum probabile periculum mortis, vel ſu-
peruenientis diuturnæ phreneſis infirmo immi-
nere videatur, ipſi non ieiuno ſacram Euchari-
ſtiam miniſtrare, eſt omninò illicitum, cùm ob
ſolam neceſſitatem non ieiunis tribuatur, vt ſuo
loco latius dicemus: ſec. 3. quòd ſi neceſſitas
vrgeat non ſolùm non ieiunis, & diuturno tem-
pore; ſed etiam de nocte miniſtrari, ac deferri
per plateas poteſt. Quartò eſt adnot. quòd licèt
19 Parochi maximam diligentiam adhibere de-
beant, vt ſemper in Sacrario, ſeù Tabernaculo
claue obſerrato ſeruentur hoſtiæ, ſeù particulæ
conſecratæ in pixida munda, ſuo cooperculo
clauſa, & velo cooperta: & ne vetuſtate corrum-
pantur, bis ſaltem in menſe debeant veteres di-
ſpenſari, & aliæ conſecrari, & pixida ipſa puri-
ficari, vt loquit *Laym. d. c. 5. ſub num. 2. verſ.
Altera pars*; Nihilominus, ſi contingat, Paro-
chum aliquem non habere hoſtias, ſeu particulas
conſecratas in Tabernaculo aſſeruatas, non
poteſt celebrare, vt illas miniſtret Parochianis
in articulo mortis exiſtentibus, niſi ſaluis Ec-
cleſiæ præceptis, nempè ieiunus, non excom-
municatus, cum veſtibus ſacris, & in vtraque
ſpecie, & azimo: quoniam hæc omnia condu-
cunt ad debitam reuerentiam, ac tractationem
tanti Sacramenti, vt habetur ex *Henriq. lib. 8.
de Euch. c. 4. litt. F. & G. Nauar. in Man. c.
21.* & ex alijs, quos refert *Fagund. de præcep.
Eccl. præcep. 3. lib. 1. cap. 4. nu. 10.* quibus adde,
quæ habentur ex *Molf.* poſt alios *p. 1. ſuæ ſum.
tract. 3. cap. 8. per totum.*
20 Secundò ampliatur hæc eadem concluſio, vt
præceptum Diuinum ſumendi ſanctiſſimum
Euchariſtiæ Sacramentum non ſolùm obliget in
articulo, ſeù periculo mortis, ſed etiam aliquando
extra mortis articulum, vt poſt alios docet
*Laym. in ſua ſum. lib. 5. tract. 4. c. 5. ſub num. 6.
verſ. Tertia demum*. Et id ex eo, quod huiuſ-
modi Sacramentum eſt inſtitutum per modum
ſpiritualis cibi, & potus nutrientis, & confir-
mantis animam, ita vt citra ſpiritualem hanc re-
fectionem vita ſpiritualis hominis diù conſiſtere
poſſit iuxta illud *Ioan. 6. Niſi manducaueritis
carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem
non habebitis vitam in vobis*, Nempe perma-
nentem, ac diù perſeuerantem. Sed re vera hæc
ampliatio eſt intelligenda iuxta ea, quæ ſupra
adnotauimus *§. 1. diſp. 1. ſec. 1. q. 5. verſ. Adde*
De præcepto Diuino cōfeſſionis agentes; nempè
eam locum ſibi vendicaſſe antequam Eccleſia
determinaret certum tempus Paſchæ ad com-
municationem annualem fidelium: at poſt quam
per noſtrum *cap. in hoc §. 2.* tempus huiuſmodi
determinauit, non tenentur fideles extra peri-
culū mortis ex vi præcepti Diuini per ſe ſumpti
communicare, niſi in die Paſchatis, vt habetur
ex *Henriq. lib. 8. de Euch. cap. 5. num. 3. & Fa-
gund. loco citato, nu. 5.*
21 Eſt tamen verum, quòd ſi quis eſſet periculo-
ſam nauigationem habiturus, aut ad bellum,
vel terras infidelium profecturus, vbi probabi-
liter timeat in articulo, ſeù periculo mortis ſe
non habiturum commoditatem ſuſcipiendi ſan-
ctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, tunc ex
præcepto Diuino tenetur anticipare communio-
nem: ſicut tenetur anticipare confeſſionem, ſi
conſcientiam habeat peccati mortalis, vt ſupra
oſtendimus, *§. 1. diſp. 1. ſec. 1. concl. 5. verſ. Sed
quicquid ſit de hac re: & verſ. Ex hoc infertur.*
Quibus adde, quæ habentur ex *Laym. lib. 5. ſuæ
ſum. tract. 4. cap. 5. ſub nu. 9.* Imò ſi quis in Infi-
delium terris exiſtēs probabiliter crederet tem-
pore debito, nempè in articulo, vel periculo
mortis ſe non habiturum commoditatem com-
municandi, ac diſceſſurum ab hac vita citra
ſumptionem ſanctiſſimi Sacramenti per modū
Viatici, tenetur inde diſcedere, etiam ſi in terris
Infidelium grauiſſimis negotijs detineretur: ſi-
quidem bonum animæ omnibus alijs negotijs
temporalibus eſt præferendum, vt de præcepto
confeſſionis agentes diximus *d. diſp. 1. ſec. 1.
concl. 5. verſ. Illud autem*. Siquidem non eſt
maior ratio, cur id de præcepto confeſſionis ſit
dicendum, & de non præcepto communionis,
reliqua vide infra *ſec. 2. limit. 3.* Adde, quòd per
22 accidens præceptum Diuinum ſumendi ſanctiſ-
ſimum Euchariſtiæ Sacramentum in multis alijs
caſibus alligat etiam extra articulum, ac peri-
culum mortis, nempè quando quis probabiliter
crederet, ſe non poſſe effugere peccatum ali-
quod, niſi frequenter ſanctiſſimam communio-
nem. Vel ſi ſumptionem ſanctiſſimæ Euchariſtię
vouerit: aut in pœnitentiam fuerit ſibi à Con-
feſſario iniuncta, vt ſupra adnotauimus, *d. §. 1.
diſp. 1. ſec. 1. concl. 5. verſ. Per accidens*: 1. & 2.
de ſacramentalis confeſſionis Diuino præcepto
agentes.
23 Tertiò ampliatur, quòd cùm præceptum com-
municandi in articulo, ſeù periculo mortis ſit
diuinum Papa non poteſt cum aliquo diſpen-

ſare, eidemq; in priuilegium concedere, ne teneatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere in articulo, ſeù periculo mortis: & multò minus generalem legem condere, ne fideles ad illud ſumendũ eo tempore teneantur: ſiquidem Papa non poteſt diſpenſare ſupra ius Diuinum quoad articulos fidei, ac Sacramenta; & multo minus Sacramentorum neceſſitatem tollere, vt de præcepto confeſſionis ſacramentalis diximus ſupra *d.§.ſec.1. concl.5. ampl.2.* & latius infra dicemus, *diſp. 2. ſec.6.* Imò, & ipſe Sum. Pontifex nec ſecum quidem diſpenſare in articulo, ſeù periculo mortis poteſt, ne teneatur ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere cùm poſſit, vt adnotauimus, *d. §. 1. diſp. 1. ſec. 2. concl. 1. ampl. 2.* Etenim præceptum communicandi eo tempore cùm ſit Diuinum, omnes fideles, etiam Sum. Pontificem alligat: qui iuri Diuino ſubijcitur, vt cæteri fideles omnes.

24 Sic ampliata limitatur hæc concluſio, vt præceptum Diuinum communionis in articulo, ſeù periculo mortis alliget eos tantùm fideles, qui ad annos diſcretionis peruenerint, atque ideò adultos, ad excludendos pueros rationis vſum non habentes, ac amentes, qui præcepti capaces non ſunt. Etenim huiuſmodi Sacramentum eſt reuerenter ſumendum, vt habetur in noſtro §. at pueri, & amentes cum neſciant quid faciant, tantum Sacramentum reuerenter ſumere, ac tractare non valent, quæ tamen limita circa amentes, & phreneticos, iuxta ea, quæ infra dicemus *ſec.2.amp.2.* Nec obſtat, quòd in Aphrica extitit conſuetudo communicandi infantes ex reliquijs ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, vt teſtatur *D. Auguſt. epiſt. 23. & D. Cypr. ſerm. 5. de lapſ. lib. 3. ad Quirinum, cap.25.* & eadem conſuetudo fuiſſe apud *Græcos* conſtat ex *D. Clemente lib. 8. conſtitutionum Apoſtol. & ex D. Dyoniſio lib. de Eccl. Hierarch. c. 3. p. 3.* & in Hyſpania patet ex *tomo magno Conc. Tolet. 9. c. 11.* Vbi dicitur, quòd Infantes aliquando ſub vna ſpecie, & quandoq; ſub vtraque communicabantur; quoniam talis conſuetudo fortè fuit introducta ex eo, quòd tunc ſæuiebat impietas Tirannorum etiam in pueros Chriſtianos, & propterea eos communicabant fideles, vt ex tanto Sacramẽto virtutem elicerent ad ſubeundum, & præferendum martyrium: non tamen paruulis baptizatis communio neceſſaria erat ad ſalutem, nec in re, nec in voto, vt de fide fuit definitum in *Concil. Trid. ſeſſ.21. cap.4. & can.5.* & latè *Fagund. de precep. Eccl. precep. 3. lib. 1. c. 5. nu. 6. 7. & 8.*

25 Secundò limitatur eadem concluſio, vt ita demum fideles adulti, & rationis vſum habentes in articulo, ſeù periculo mortis præcepto Diuino teneantur ſumere ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum realiter, ac re ipſa cùm poſſunt, ac licitè poſſunt; aliàs ſatis eſt ſi illud ſuſcipiant in voto, vt benè declarat idẽ *Fagund. d. lib. 1. cap. 4. ſub num.* Dixi, *Cùm poſſunt, ac licitè poſſunt.* Quoniam in tali articulo conſtituti non debent recipere tantum Sacramentum à Sacerdote hæretico, vt laudabiliter Hermenegildus Hyſpaniarum Princeps illud recuſauit ab hæretico ſuſcipere: nec à ſchiſmatico, nec à publicè excommunicato, & nominatim denunciato: neque à viro laico: neque cum periculo euomendi illud, vt rectè declarat idem *Fagund. loco citato, nu. 11.*

TERTIA CONCLVSIO.

26 SAnctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ſi tantum à Domino inſtitutum fuiſſet; & non præceptum, vt ſumatur, potuiſſet Eccleſia illius ſumptionem fidelibus præcipere. Hæc cõcluſio patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *§. 1. diſp. 1. ſec. 1. concl. 6. de præcepto diuino confeſſionis ſacramentalis agentes.* Etenim Eccleſia circa Sacramentorum vſum, poteſt ea ſtatuere, quæ fidelium ſaluti congruunt, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.* quod in ſpecie loquens de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ſic ait, *Præterea declarat, hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorũ diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeù ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret, &c.* At quæ maior vtilitas excogitari poteſt, quàm tanti Sacramẽti vſus, ac perceptio: poſtquam Sacrum conuiuium eſſe ſancta Eccleſia cantat, in quo Chriſtus ſumitur, recolitur memoria paſſionis eius, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Vndè *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2.* inquit, quòd Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias diuini ſui erga homines amoris velut effudit: & ſumi voluit tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuit propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Pignus præterea id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ fælicitatis: adeoque Symbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput extitit, cuiq; nos tanquam membra arctiſſima, fidei, ſpei, & caritatis connexione adſtrictos eſſe voluit, vt id ipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.

QVARTA CONCLVSIO.

27 PRæceptum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſumendæ ad minus in Paſcha, non eſt merè Eccleſiaſticum, ſed ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum. Hæc concluſio patet ex ijs, quæ diximus ſupra *§. 1. diſp. 1. ſec. 1. concl. 8. & ſec. 2. cõcl. 3. ampl. 5.* Siquidem ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non tantùm à Chriſto fuit inſtitutum, ſed etiam eius ſumptio præcepta, vt ſupra oſtendimus, *concl. 1.* & id non ſolum in articulo mortis, vt probauimus ibidem, *concl. 2.* ſed etiam aliquando in vita, & extra mortis articulum, ſeù periculum, vt diximus *d. concl. 2. ampl. 1.* Tempus autẽ illud ſumendi in vita fuit à Chriſto Eccleſiæ commiſſum, vt deputet, ſicut circa confeſſionem: & propterea vno, & eodem canone fuit ab Eccleſia præfinitum tempus confitendi ſemel ſaltem in anno, & communionis ad minus in Paſcha.

28 Ex hoc infertur, quòd præceptum communicandi in Paſcha cùm non ſit merè Eccleſiaſticũ; ſed ſit etiam Diuinum, ipſo præcepto obligatur etiam Rom. Pontifex, vt declarauimus *d. §. 1. diſp. 1. ſec. 2. concl. 3. ampl. 5.* cui nos remittimus, ne bis idem replicare videamur. Limita tamen quoad vim directiuam, non coactiuam, vt in *d. concl. 3. limit. 2* quibus adde tradita per *Fagund. de præcep. Eccl. præcep 3. lib. 1. c. 6. nu. 11.*

Secun-

Secundò infertur, quòd Rom. Pontifex non poteſt in totum tollere diſpoſitionem noſtri capit. circa præceptum communionis in Paſcha, quoniam huiuſmodi præceptum eſt Diuinum quoad ſubſtantiam, cui ſubijcitur Sum. Pontifex vt ſæpè diximus. Determinatio verò temporis in Paſcha licet ſit de iure poſitiuo Eccleſiaſtico; tamen eiuſmodi determinationi ſtare tenetur
29 Papa, quia perindè eſt, ac ſi fuiſſet facta à Deo, à quo fuit commiſſa Eccleſiæ, vt declarauimus, *d. §. 1. diſp. 1. ſec. 2. concl. 3. ampl. 5.* Et propterea huiuſmodi præceptum in totum non poteſt abrogare. Eſt tamen verum, quòd circumſtantia illa, in Paſcha, cùm ſit Eccleſiaſtica, Rom. Pontifex poterit in temporis duratione variare, prout viderit Chriſtianæ Reip. magis expedire: & ideò poſſet prorogare præceptum communionis ad biennium, & vltra, vel reſtringere ad ſex, aut quatuor menſes, &c. ſicut ſupra diximus de præcepto confeſſionis ſemel ſaltem in anno *d. §. 1. ſec. 1. concl. 8. illat. 1. & 2.* Siquidem pro hac parte præceptum pendet à voluntate Legiſlatoris. Vide *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 1. c. 6. nu. 10. & 11.*

An præceptum communionis in Paſcha in noſtro canone contentum obliget fideles omnes.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum communionis in Paſcha obligat fideles omnes.*
2 *Etiam S. R. E. Cardinales communicare tenentur in Paſcha.*
3 *Præceptum hoc nedum alligat fideles baptizatos, ſed etiam fideles non baptizatos, nempè Cathecumenos, imò, & infideles.*
4 *Ante baptiſmum ſolum Diuinum præceptum baptiſmi obligat, & non aliud: nec præceptū Religionis obligat ad obſeruantiam Regulæ, eum, qui ex voto tenetur Religionem ingredi.*
Et in quo differat obligatio ſumendi Euchariſtiam ab eiuſdem ſumptione.
5 *Cathecumenus ſi in fine vitæ baptiſmum, & Euchariſtiam voluntariè ſuſcipere prætermittat, duplicem contrahit culpam.*
6 *Præceptum communicandi in Paſcha eſt Diuinum, & Eccleſia ſolum tempus determinat adimplendi illud, & ob id obligat etiam infideles.*
7 *Hæretici, & ſchiſmatici, ſiuè manifeſti ſint, ſiuè occulti multo magis hoc præcepto communicandi in Paſcha obligantur.*
8 *Præceptum communionis non ſolum obligat in Paſcha, ſed etiam in articulo, & periculo mortis.*
9 *Adultis, qui aliquando ratione vſi fuerint, & deindè in amentiam, vel in phreneſim inciderint, in mortis articulo non eſt deneganda communio, ſiue conſtet, ante amentiam, vel phreneſim cōtritionis ſigna oſtendiſſe, ſiuè non.*
10 *Quid ſi conſtet eiuſmodi amenſes, & phreneticos ante amentiam, vel phreneſim fuiſſe in peccato mortali, de quo certum non ſit fuiſſe confeſſos.*
An ſint quoque communicandi Energumeni in mortis articulo.
11 *Qui Sacerdotes ſunt non ſolum tenentur in Paſcha ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere, ſed etiam Miſſam celebrare.*
Et Parochi omnibus illis diebus celebrare tenentur, in quibus oues ſibi commiſſæ Miſſam tenentur audire, vel ipſis obligantur Sacramenta miniſtrare. Et an his caſibus poſſit celebrare, ac Sacramenta miniſtrare per alium.
12 *In Natiuitate Domini, Paſcha, & Pentecoſtes non ſolum Parochi, ſed omnes alij Sacerdotes tenentur ſub lethali culpa Miſſam per ſe ipſos celebrare.*
13 *Secundum Molfeſium non poteſt Epiſchopus Parochos, & Sacerdotes cogere per cenſuras ad celebrandum his diebus, quod tamen non probatur, & quare.*
14 *Sacerdos in periculo mortis conſtitutus, qui nondum celebrauit, vel pro aliquot menſes ſteterit ad celebrandum, tenetur Iure Diuino celebrare ſi poteſt, nec ſatisfacit communicando tantum.*
15 *Chriſtus Dominus, verbis illis (Hoc facite in meam commemorationem) præcepit Apoſtolis, & eorum in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt offerrent, eiſdemq; verbis Apoſtolos inſtituit Sacerdotes.*
16 *Quoties neceſſaria eſt celebratio pro communicandis fidelibus, communione indigentibus, toties Sacerdotes celebrare tenentur.*
17 *Non ſolum in Paſcha, ſed etiam ſæpe ſæpius in anno multæ perſonæ communicare tenentur, prout ſunt Monachi Benedictini, & Moniales, ſed hoc de conſilio, non de præcepto.*
18 *Præceptum communionis in Paſcha, ac in mortis articulo eſt ſolum de adultis, vſum rationis habentibus.*
Et quæ dicatur ætas diſcreta, ſufficiens, vt quis hoc præcepto alligetur.
19 *Duo ſunt obſeruanda ad cognoſcendam in pueris capacitatem, ſufficientem ad communicandum, & quæ.*
20 *Poteſt quis non communicare in Paſcha de conſilio Confeſſarij. Et an requiritur conſilium proprij, vel ſufficiat etiam alieni Sacerdotis.*
21 *An præcepto communionis excuſatur quoque quis ex capite impotentiæ.*
Et an ſi quis prauideat fore, vt ob aliquod impedimentum in Paſcha non poſſit Euchariſtiam ſumere, anticipare teneatur.
22 *Communicare in Paſcha nemo tenetur cum periculo propriæ vitæ.*

MVlta fuerunt à nobis tradita, ſec. præcedenti, quæ pertinent ad materiam huius controuerſiæ: & propterea vnica concluſione breuiter illam abſoluentes, concluſionem ipſam multipliciter ampliabimus, ac limitabimus. ſit igitur.

VNICA CONCLVSIO.

1 PRæceptum communionis in Paſcha obligat fideles omnes. Probatur hæc concluſio, tum ob dictionem illam, *Omnis*, in noſtro canone contentam, quæ vniuerſalis eſt, & neminem excludit, vt in *l. textoribus, & l. Iuliano, ff. de leg. 3.* tùm etiam, quoniam huiuſmodi præceptum ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum, vt ſupra oſtendimus, *d. ſec. 1. concl. 4.* at Diuino iuri omnes ſubijciuntur, cùm Deus ſit Dominus, & Creator omnium. Vndè vi noſtri canonis omnes fideles tenentur ſaltem in Paſcha

ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum ſumere: ſiuè maſculi ſint, ſiuè fœminæ, per illa verba noſtri canonis, *Omnis vtriuſque ſexus*. Et ſiuè ſeculares ſint, ſiuè Eccleſiaſtici, quacunq; mundana, aut Eccleſiaſtica præfulgeant dignitate, atque ideò Imperatores, Reges, Principes, Du-
2 ces, Marchiones, Comites, & alij nobiles, ac ignobiles: Epiſcopi, Archiepiſcopi, Patriarchæ, ſeù Primates, ac etiam S. R. E. Cardinales tenentur in Paſcha communicare, quoniam dictio illa, *Omnis*, vt diximus neminem excludit, & includit omnes ſupra relatas perſonas, vt oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 2. can. 2. q. 7. ſub num.* 4. Imò quamuis Papa ſit ſupra omnes leges, & canones, eiſdemque ſit ſolutus, omnes iudicet, & à nemine iudicetur, *c. cuncta per mundum*, 9. *q.* 3. Cùm omnibus ſit Superior, & nulli inferior; nihilominus ipſe Papa adhuc alligatur præcepto huius canonis, cum præceptum communionis in Paſcha non ſit merè Eccleſiaſticum; ſed ita eſt Eccleſiaſticum, vt etiam ſit Diuinum, cui ſubijcitur, vt diximus in *d. ſec. 1. concl.* 4. Quibus adde, quæ ſupra cumulauimus, §. 1. *diſp. 1. ſec. 2. concl. 3. ampl. 5. de præcepto confeſſionis agentes*. Non tamen Rom. Pontifex contrauenienſ ſubijcitur pœnis in noſtro canone contentis, quoniam illæ pœnæ ſunt ſimpliciter de iure Eccleſiaſtico, atque ideò humano iure, quo Princeps eſt ſolutus, vt in *l. Princeps, ff. de legib.* vt oſtendimus *d. concl. 3. limit.* 3. Et propterea Papa contraueniens mortaliter tantum peccat.

3 Ampliatur primò hæc cõcluſio, vt huiuſmodi præceptum alliget non ſolùm fideles baptizatos; ſed etiam fideles non baptizatos; atque ideò Cathecumenos: imò etiam Infideles, vt probat *Suar. tom. 3. in 3. p. q. 80. ſec.* 2. Etenim verba Domini, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Sunt generalia, & referuntur non ſolùm ad fideles; verum etiam ſimpliciter ad omnes, etiam Infideles: ſiquidem ipſe Dominus non ſolùm fidelibus loquebatur; ſed etiam Infidelibus. Confirmatur, quia eiuſmodi præceptũ eſt Diuinum; ergò etiam Infideles alligat: quoniam Diuinæ legi omnes ſubijciuntur; fideles ſcilicet, & Infideles.

4 Nec obſtat ſi dicatur, quòd ante Baptiſmum ſolum Diuinum præceptum Baptiſmi obligat, & non aliud; ſicut præceptum Religionis ante illius profeſſionem non obligat eum, qui ex voto tenetur Religionem ingredi ad obſeruantiam Regulæ; quoniam reſpondetur, quòd obligatio ſumendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, differt ab eiuſdem ſumptione, & propterea licèt Sacramenti huius ſumptio, vt licitè, ac proficuè efficiatur, ſupponat Baptiſmum; obligatio tamen baptiſmum nõ ſupponit: imò ob id homo obligatur ad Baptiſmum, vt poſſit præceptum eiuſmodi ſacræ communionis adimplere: ſicut qui lethalem culpam contraxit poſt Baptiſmum, antequam confiteatur, obligatur ad hoc Sacramentum ſuo tempore ſumendum, quamuis rectè ſumere nequeat, niſi præuia ſacramentali con-
5 feſſione ſi poteſt. Ex his colligit *Suar.* quòd ſi Cathecumenus in fine vitæ baptiſmum, & Euchariſtiam voluntariè ſuſcipere prætermittat, duplicem culpam contrahit, cùm duo præcepta Diuina violet. Dixi, *In fine vitæ*. Quoniam huiuſmodi præceptum communionis in Paſcha, cùm ſit affirmatiuum, non obligat ſemper ad ſemper; ſed tempore neceſſitatis; ergò ſaltem in articulo mortis, in quo neceſſitas magis vrget. Eſt tamen verum, quod præceptum communionis in Paſcha, vt Eccleſiaſticum eſt, quidam volunt non obligare Infideles non baptizatos: nam vi noſtri canonis fideles tantùm alligantur: & fidelium nomine illi intelliguntur, qui fidem Chriſti, & Eccleſiæ profeſſi ſunt per Baptiſmum, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 70. ſec. 1. in prin.* Dum putat, præceptum Eccleſiaſticum circa vſum Euchariſtiæ eſſe merum Eccleſiaſticum. Hanc eandem ſententiam tenet *Vaſq. tom. 3. in 3. p. diſp. 214. nu. 31. & Molfeſ. p. 1. ſua ſum. Theol. tract. 3. cap. 8. nu.* 41.

6 Sed re vera ſi nos volumus fateri præceptum noſtri canonis eſſe Diuinum, & Eccleſiam tempus tantùm determinaſſe, quo ſit adimplendum: quæ quidem determinatio licèt ſit de iure poſitiuo, reputatur tamen à Deo, tanquam ab eo Eccleſiæ commiſſa, vt oſtẽdimus ſupra *ſec. præced. concl. 4. & §. 1. diſp. 1. ſec. 2. concl. 3. ampl.* 5. Non video, cur hoc eodem præcepto communicandi in Paſcha, non obligentur etiam Infideles; itaut Infideles non communicantes in Paſcha duplicem culpam contrahant, ſicut in articulo mortis: alteram ex eo, quòd Baptiſmum non ſuſcipiant ad dignè communicandum; & alteram, quia communionem non ſuſceperunt: ſiquidem violarunt duo Diuina præcepta, Baptiſmi ſcilicet, & communionis. Nec obſtat noſter canon, quo obligatur omnis vtriuſq; ſexus fidelis dumtaxat; quoniam reſpondetur, quòd ipſe canon non ſolùm præcipit communionem in Paſcha; verum etiam, & primo loco confeſſionem ſemel in anno; ſed quia confeſſio ex vi præcepti Diuini debetur tantum poſt baptiſmum, cum Sacramentum pœnitentiæ dicatur ſecunda tabula poſt naufragium; idcircò vi noſtri canonis obligatur ad confeſſionem omnis vtriuſque ſexus fidelis tantùm, iuxta ea, quæ habentur ex *Sot. in 4. d. 18. q. 1. art.* 3. Verùm non ob id cenſetur Eccleſia deobligare Infideles à præceptis Diuinis baptizandi, & communicandi in Paſcha, cùm tempus illud cenſeatur à Deo deputatum: eo quòd deputatio temporis, quo adimpleri debet eiuſmodi præceptum communicandi fuit facta ab Eccleſia ex Dei commiſſione, vt ſupra diximus in *præced. ampl.* Vel ſecundò reſponderi poteſt, quòd Eccleſia dirigit præceptum tùm confeſſionis, tùm etiam communionis ad fideles, eo quòd contrauenientes afficit cenſuris Eccleſiaſticis, nempè perſonali interdicto, vt ſuo loco dicemus; at Infideles cenſurarum ſunt incapaces: nam de his, qui foris ſunt nihil pertinet ad nos, iuxta illud *Apoſtoli 1. Corinth.* 15. Sed non propterea cenſetur Infideles eximere à præcepto Diuino communicandi in Paſcha tanquam tempus à Deo præfinitum, vt ſupra: & ad dignè communicandum à præcepto Diuino baptizandi. Quæ di-
7 ximus de Infidelibus, multo magis dicimus de hæreticis, & ſchiſmaticis, ſiuè manifeſti ſint, ſiuè occulti: nam licèt ij dicantur Infideles; nihilominus per baptiſmum ſunt de foro Eccleſiæ: & proinde ſubijciuntur omnibus pœnis, tàm ſpiritualibus, quàm temporalibus ab Eccleſia ſtatutis.

8 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt præ-

ceptum

Digitized by Google

ceptum communionis non ſolùm obliget in
Paſcha, ſed etiam in articulo, ſeu periculo mortis
per viam ſanctiſſimi Viatici in re, vel in voto, ſi
aliter adimpleri non poſſit; ita vt, qui eo tem-
pore ſanctiſſimam Euchariſtiam non ſumpſerit,
ſi dignè, ac decenter poſſit, aut ſi non valeat ſal-
tem in voto, mortaliter peccet, etiam ſi in gratia
repeteretur: & id non modo ſi quis eſſet conſti-
tutus in periculo mortis naturalis; ſed etiam
violentæ, vt ſunt damnati ad mortem, vt latè
ſupra oſtendimus, *ſec. 1. concl. 2. ampl. 1.* Quibus
adde, quæ habentur ex *Molſ. d. c. 8. nu. 25. 95.
& 96. cum plur. ſeq. vbi num. 32.* Loquens de
condemnatis ad pœnam vltimi ſupplicij, ait, eiuſ-
modi condemnatos non debere mortis ſupplicio
affici eodem die, quo ſacram communionem
ſuſcipiunt, ſed die ſequenti, vt habetur etiam ex
Nauar. in Man. c. 25. nu. 23. Reginaldo lib. 29.
9 *ſua prax num. 70. & alijs.* Adde, quòd Adultis,
qui ratione aliquando vſi fuerint, & deinde in
amentiam, vel in phreneſim inciderint, in arti-
culo mortis non eſt deneganda communio, ſi
ante phreneſim, vel amentiam conſtet contritio-
nis ſigna oſtendiſſe, vt eſt *tex. in c. is, qui, 26. q. 6.
D. Thom. 3. p. q. 8. art. 9. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp.
69. ſec. 2. verſ. Tertium dubium. Vaſq. tom. 3. in
3. p. diſp. 314. nu. 32. & ſeq. & Reginal. d. lib. 29.
num. 78. & 79.* Imò etiam ſi non conſtet contri-
tionis ſigna vt ſupra oſtendiſſe; dummodò non
conſtet fuiſſe in mortali, adhuc tamen illi tri-
buendum eſt; quoniam in dubio quis præſumi-
tur bonus, ac benè diſpoſitus; atque ideò ſatis eſt:
ſi in ipſa ſumptione nō cadat aliqua irreuerentia
vomitus, aut expuitionis, vt habetur ex *Vaſq. &
Reginaldo locis citatis, & Molfeſ. d. c. 8. nu. 39.*
10 Quamuis nobis nō placeat opinio eorum, quam
ipſe *Molfeſ.* ibi refert, & probat, ſe habens, quòd
ſi eiuſmodi amentes, & phreneticos ante eorum
infirmitatem conſtet fuiſſe in peccato mortali, de
quo certum ſit non fuiſſe confeſſos, non eſſe
communicandos: etenim ſi ante infirmitatem
contritionis ſigna oſtenderint, creduntur ſuffi-
cienter depoſiti, quamuis pœnitentiæ Sacra-
mentum non ſuſceperint: & propterea non eſt
eis deneganda communio. Idem dicendum eſt
de Energumenis, cùm in eis militet eadem ratio:
nam dum à Dæmone agitantur habentur tan-
quam phrenetici, ac amentes, vt habetur ex *D.
Thoma 3. p. q. 80. art. 9. Suar. d. diſp. 69. ſec. 2. lib.
29. ſua prax. nu. 80. Molfeſ. d. c. 8. num. 40.* Vbi
refert praxim, qua prudentes Sacerdotes vtun-
tur antequam eis tribuant Sanctiſſimum Eucha-
riſtiæ Sacramentum. Reliqua verò ad hanc
ampliat pertinentia, vide ſupra *ſec. 1. concl. 2.
per totam.*
11 Tertiò ampliatur, vt qui Sacerdotes ſunt, non
ſolùm teneantur in Paſcha ſanctiſſimum Eucha-
riſtiæ Sacramentum ſumere; ſed etiam Miſſam
celebrare. Quod quidem quoad Saccerdotes
Parochos, & animarum curam habentes verum
eſt citra omnem controuerſiam, vt non ſolùm in
Paſcha teneantur celebrare; ſed etiam in alijs
diebus, in quibus oues ſibi commiſſæ tenentur
Miſſam audire, aut ouibus ipſis obligantur Sa-
cramenta miniſtrare, vt habetur ex *D. Thoma
3. p. q. 82. art. 10.* quem ſequuntur communiter
Thomiſtæ, Reginald. lib. 29. ſua prax. num. 167.
& ex alijs apud *Molſ. 1. p. ſua ſum. tract. 3. c. 14.*
Etenim Parochus ex vi ſui muneris tenetur ſuis
Parochianis Sacramenta miniſtrare, & Miſſam
celebrare diebus illis, quibus fideles obligantur
eam audire. Eſt tamen verum, quòd prædictis
caſibus ſatis eſt ſi per alium celebret, & Sacra-
12 menta miniſtret. Cæterum in Natiuitate Domini
in Paſcha, in feſto Pentecoſtes, & in alijs feſti-
uitatibus, in quibus ſolent fideles communio-
nem ſumere, non ſolùm Parochi, verum etiam
omnes alij Sacerdotes debent Miſſam ſub lethali
culpa per ſe ipſos celebrare: non quia adſit præ-
ceptum aliquod ſpeciale, quo prædictis feſtiui-
tatibus præcipiantur ſacrificare, vt benè probat
Suar. tom. 3. in 3. p. diſp 80. ſec. 1. Sed ad euitan-
dum graue Populi ſcandalum, & præiudicium
Eccleſiæ, ad quod facit *text. in c. dolentes, de
celebr. Miſſar. & Conc. Trid. ſeſſ. 23. de refor.
c. 14.* Vbi Concilium ſtatuit, quòd curet Epiſco-
pus, vt Sacerdotes curam animarum non ha-
bentes, Dominicis ſaltem diebus, & feſtiuis ſol-
lemnibus: qui verò curam animarum, tàm fre-
quenter, vt ſuo muneri ſatisfaciant Miſſas ce-
lebrare.
13 Non tamen poſſe Epiſcopum per Eccleſiaſti-
cas cenſuras eos cogere ad prædictis diebus ce-
lebrandum, ait *Molfeſ. d. tract. 3. c. 14. nu. 15. &
16.* Quia nec Concil. id præcipit: nec aliquo iure
reperitur cautum. Sed id nobis non probatur,
vbi ex iuſta, ac rationabili cauſa moueretur;
quoniam id poſſet ſuis ſubditis præcipere, & per
cenſuras Eccleſiaſticas eos compellere; etiam ſi
Concil. Trid. modo ſupradicto non diſpoſuiſſet:
ſiquidem Epiſcopus poteſt in ſuos ſubditos quaſ-
cunque rationabiles leges ferre, quæ iuri com-
muni, aut conſtitutionibus Pontificijs non ad-
uerſantur, vt latè de hac re egimus in noſtris
Comment. ad Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 1. q. 1. ſub n. 7.
14 Imò ſi daremus, Sacerdotem in periculo mortis
conſtitutum, vt quia in aliquo Caſtro, vel Ciui-
tate reperiatur obſeſſus, aut cogeretur longam,
& periculoſam nauigationem ſubire, &c. Si non
celebrauit, vel etiam ſi per aliquot menſes ſte-
terit ad celebrandum, tunc arbitror iure Diuino
eum obligari, ad ſacri celebrationem; ſi poſſet:
nec præcepto ſatisfaciet, ſi tantùm communicet:
quia præceptum ſacrificandi eſt Diuinum, factū
Apoſtolis, atque ideò Sacerdotibus, iuxta illud
Lucæ 22. Hoc facite in meam commemorationē.
Quod etiam expreſsè habetur ex *Conc. Trid.
ſeſſ. 22. c. 1.* ita ſe habente, *Chriſtum illis verbis,
15 Hoc facite in meam commemorationem, Apo-
ſtolis, eorumq; in Sacerdotio ſucceſſoribus, vt
offerrent, præcepiſſe, vt ſemper Catholica Eccle-
ſia intellexit, & docuit. Et can. 2.* Anathemate
duxit feriendos id negantes, his verbis, *Si quis
dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam com-
memorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apo-
ſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, vt ipſi, alijq;
Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum
anathema ſit.* Vndè cùm eiuſmodi præceptum
ſit Diuinum, & affirmatiuum, licèt non obliget
ſemper ad ſemper; obligat tamen neceſſitatis
tempore; atque ideò in articulo mortis. Idem
16 dicendum eſt ſi neceſſaria eſſet celebratio pro
communicandis fidelibus, communione indi-
gentibus. Vt quia proprius eorum Parochus im-
pedimento aliquo detineretur, & alius, ad quem
ex vi muneris id ſpectat, nollet, aut non poſſet:

nam tunc Sacerdos, qui poſſet, quamuis ſimplex ſit, iure Diuino teneretur celebrare; quoniam præceptum Diuinum, vt diximus, obligat neceſſitatis tempore. Extra verò caſum neceſſitatis ad adimplendum præceptum communicandi in Paſcha, ſatis eſt, ſi eo tempore Sacerdos celebret: nec obligatur celebrare in propria Parochia, ſed ſufficit in aliena; quia præceptum communicandi tempore Paſchali in propria Parochia, illos tantùm alligat, qui communicantur ab alijs, vt habetur ex *Rodriq. in ſua ſum. par. 1. c. 64. concl. 1.*

17 Quartò ampliatur ipſa concluſio, vt non ſolùm in Paſcha; ſed etiam ſæpè ſæpius in anno multæ aliæ perſonæ teneantur communicare, non vi noſtri canonis, ſed aliorum: ſiquidem Monachi Benedictini, ſingulis menſibus præcipiuntur ſanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum ſumere, vt in *Clem. ne in agro, § ſanè, de ſtatu monach.* Idem ſtatuitur de Monialibus in *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de Regul.* Sed verba *d. Clem. & Conc.* non inducunt præceptum, ſed tantùm conſilium, vt habetur èx *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 70. ſec. 2.*

18 Sic ampliata limitatur primò prædicta concluſio, vt licèt teneantur omnes præceptum communionis in Paſcha, & in mortis articulo, vt ſupra, adimplere; id tamen verum eſt de adultis, ac de habentibus rationis vſum, vt patet ex illis noſtri canonis verbis, *Poſtquã ad annos diſcretionis, &c.* Ad excludendos pueros, & amentes, qui præcepti capaces non ſunt, vt ſupra oſtendimus *ſec. 1. concl. 2. limit. 1.* Quæ autem dicatur ætas diſcreta, ſufficiens, vt qui hoc præcepto alligetur ſupra oſtendimus, *§. 1. ſec. 7. limit. 1. & in hoc §. diſp. 2.* latè *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 70. ſec. 1. & Molfeſ. p. 1. ſua ſum. tract. 3. c. 8. nu. 42. & 43* Vbi iuxta catechiſmum nuper editum
19 iuſſu Conc. Trid. duo colligit eſſe obſeruanda ad cognoſcendam capacitatem in pueris ad communicandum ſufficientem. Primò, vt aliqualem habeant huius Sacramenti cognitionem, nempè, quòd ſub illis ſpeciebus panis, & vini contineatur verè, ac realiter Corpus, & Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti, latriæ cultu adorandum, ac deuotè præuia præparatione ſuſcipiendum. Secundò quòd deſiderium oſtendant communicandi; aliàs ſi neutrum habeant, & ad ætatem treſdecim, aut ſupra annorum peruenerint, debent à Parentibus, à Confeſſario, aut ab alijs, ad quos ſpectat, inſtrui: aliàs iſti tales non inſtruentes à culpa non excuſantur: & multo minus ſi ad communionem eos admittant. Imò ſi in aliqua Ciuitate conſuetudine fuerit introductum, vt maſculus niſi poſt 14. & fœmina poſt 12. admittantur ad communicandum, talem conſuetudinem ſeruandam eſſe, ait *Rodriq. p. 1. ſua ſum c. 64. concl. 2.* Quo vero ad dementes phreneticos, & energumenos, multa ſupra diximus *ampl. 2.* quibus adde, quæ habentur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 69. ſec. 2. per totum.*

20 Secundò limitatur hæc ipſa cõcluſio, vt poſſit quis non communicare in Paſcha de conſilio Confeſſarij, vt patet ex illis noſtri canonis verbis, *Niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Vbi eſt adnot. ex *Panor. in explicatione noſtri can. nu. 3. poſt Ioan. Andr.* Quòd non debet quis abſtinere à ſumptione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ex conſilio alieni Sacerdotis; ſed proprij tantùm. Hoc idem docet *Suar. tom. 3. in 3 p. diſp. 70. ſec. 1.* Vndè de eius tantùm cõſilio id fieri permittitur, qui in ſacramentali foro iuriſdictionem habet ordinariam, & paſtor dicitur animarum. Sed re vera hodie id non attenditur; atque ideò ſatis eſt, ſi communionem quis differat ex conſilio ſui Confeſſarij, ſiuè proprius Parochus ſit, ſiuè delegatus ab Epiſcopo, ſiuè à Rom. Pontifice, vt ſunt Religioſi approbati ab Ordinario, cùm æquiparentur Parochis, iuxta ea, quæ habentur ex *Molf. p. 1. ſua ſum. Theol. tract. 7. c. 15. nu. 90. 91. & 92.* Eſt autem rationabilis cauſa differendi eiuſmodi Sacramentum, ſi non appareat pœnitens benè diſpoſitus ob conſuetudinem maximè peccandi, vt habetur ex *Reginal. lib. 29. ſua prax. nu. 99. & Molf. loco citato, tract. 3. cap. 8. nu. 32.* & nos latius dicemus intra *diſp. 5. ſec. 8. cum plur. ſeq.*

21 Tertiò limitatur, vt ab huiuſmodi præcepto quis excuſetur ex capite impotentiæ: nam ad impoſſibile nemo tenetur, *l. impoſſibilium, ff. de regul. iur. c. nemo poteſt, eod. tit. in 6.* Quod adeò verum eſt, vt non valenti communicare propter infirmitatem, aut ob aliam cauſam non ſit deferendum Sacramentum, vt illud adoret, quamuis reperiatur in articulo mortis; ſiquidem id eſt prohibitum vi decreti Pij V. relati à *Rodr. p. 1. ſua ſum. c. 64. concl. 3.* Imò non deſunt, qui velint, quòd ſi quis præuideat fore, vt ob aliquod impedimentum in Paſcha non poſſit ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere; non tamen ob id tenetur præuenire, & communionem anticipare: quia nemo tenetur anticipare actum præceptum, niſi per talem actum poſſit ſatisfacere obligationi præcepti: at eiuſmodi præceptum non adimpletur per communionem anticipatam: nam ſi quis eo caſu anticipaſſet cõmunionem, & deindè in Paſcha ceſſaret formidatum impedimentum, obligaretur ad communicandum eo tempore, cùm adſit præceptum communicandi, & adimpleri poſſit, ita *Suar. tom. 3. in 3 p. diſp. 70. ſec. 2. verſ. Tertium dubium.* Quid autem dicendum ſit de eo, qui periculoſam nauigationem ſit habiturus, vel ad terras Infidelium profecturus, vbi probabiliter timeat in articulo, ſeù periculo mortis ſe non habiturum commoditatem ſuſcipiendi ſacram Euchariſtiam, an teneatur illam anticipare: & quid de eo, qui reperitur in terris Infidelium cum probabili periculo non communicandi in articulo mortis, an teneatur inde diſcedere, ſi poſſit, latè ſupra *d. ſec. 1. concl. 2. ampl. 1. verſ. Eſt tamen verum, explicauimus.*

22 Quartò limitatur, vt non teneatur quis communicare in Paſcha cum periculo propriæ vitæ: quoniam præcepta poſitiua tùm humana, tùm diuina nunquam obligant cum tanto periculo, vt habetur ex *Sot. lib. 1. de Iuſt. & iure, q. 6. n. 4. & Rodriq. p. 1. ſua ſum. c. 64. concl. 4.* Et idem dicendum eſt de quocunq; alio metu cadente in conſtantem virum, niſi Eccleſiæ contemptus, aut fidei detrimentum ex eo proueniret, & in alijs caſibus à nobis relatis in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ, c. 2. q. 2.* & ſuo loco latius dicemus.

Ibi,

ibi, *Suſcipiens reuerenter, &c.* De diſpoſitione, qua ſuſcipiendum eſt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.

D I S P. II.

S V M M A R I V M.

1 *Dictio illa (Suſcipiens) in principio noſtri §. poſita, à quibus verbis regatur.*

2 *Ætas diſcreta, quæ ſufficit ad Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipiendum, ſatis non eſt ad ſumendum Euchariſtiæ Sacramentum, ſed requiritur diſcreta, deuota, & reuerentialis, quæ acquiri ſolet vt plurimum in 12. anno.*

3 *Eadem diſpoſitio exigitur ex parte ſuſcipientis ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro adimplendo præcepto communicandi in Paſcha, ac pro adimplendo præcepto Diuino cõmunicandi in articulo, ſeu periculo mortis.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd dictio illa, ſuſcipiens, in principio noſtri §. poſita, regitur à verbis illis in principio §. 1. *noſtri cap. contentis, Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, &c.* Vndè ſicut ex parte confitentis, vt alligetur præcepto confeſſionis annuæ exigitur quòd ſit fidelis, ſiue maſculus ſit, ſiuè fœmina, & quòd ad annos diſcretionis peruenerit; ita etiam ex parte illius, qui ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Paſcha ſumere præcepto huius §. vt ſit aſtringendus, expoſtulatur, quòd ſit fidelis, & quòd ætatem diſcretam habeat, ſiuè maſculus ſit, ſiuè

2 fœmina. Eſt tamen verum, quòd ætas diſcreta, quæ ſufficit ad ſuſcipiendum Sacramentum pœnitentiæ, non eſt ſatis ad ſumendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; ſed inſuper exigitur, quòd diſcretio ſit deuota, ac reuerentialis: quæ vt plurimum ſolet acquiri in duodecimo ætatis anno, cuius rei iudicium relinquitur arbitrio prudentis Confeſſarij, vt ſupra adnotauimus, *§. 1. diſp. 1. ſec. 7.* Vndè meritò in noſtro §. poſt Ly. ſuſcipiens, additur dictio illa, reuerenter: nempè ad excludendos Infideles, pueros, & amentes, qui deuotè, ac reuerenter Sacramentum non ſuſciperent. Infideles enim cum baptiſmo careant, atque adeo veſtem nuptialem gratiæ Diuinæ non habeant, ſunt omninò indigni, ac incapaces cœleſtis huius conuiuij; per quod nutritur anima, ac ſpiritualiter viuit: nam ſicut qui non eſt genitus nutriri non poteſt; ita qui non eſt regeneratus in Chriſto per baptiſmum nõ eſt capax huius ſpiritualis alimoniæ, quæ datur ad nutriendam gratiam; & eò magis, quia baptiſmus eſt ianua omnium Sacramentorum: vndè infideles fictè, ac irreuerenter hoc Sacramentum ſuſciperent: ſicut & pueri, & amentes, qui rationis vſum non habent, vt adnotauimus ſupra *ſec. præcedenti concl. 2. lim. 1.* de præcepto Diuino communionis agentes. Ete-

3 nim eadem diſpoſitio exigitur ex parte ſuſcipientis ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro adimplendo præcepto Eccleſiaſtico communicandi in Paſcha, ac pro adimplendo præcepto Diuino communicandi in articulo, ſeù periculo mortis; tùm quia præceptum Eccleſiaſticum eſt etiam Diuinum, vt oſtendimus *ſec. præcedenti, concl. 4.* tùm etiam, quoniam finis vtriuſque præcepti eſt idem, nempè, vt ſuſcipientes viuant vita illius, qui dixit, Qui manducat me, & ipſe viuet propter me: & tanto Sacramento velut antidoto liberẽtur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruentur, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 2.* Patet igitur ex dictis, quòd ad reuerenter ſuſcipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pro implendis præceptis communicandi tùm Diuino, tùm etiam Eccleſiaſtico, exigitur, vt ſuſcipiens ſit fidelis, ſit adultus, & vſum rationis actu habeat: qualiter autem non ieiunus corpore pollutus, lethali culpa, non præmiſſa confeſſione, irreuerenter dicatur ſuſcipere huiuſmodi Sacramentum, infra per proprias ſectiones diſcutiemus. Vide quæ infra dicemus, *ſec. 2. ampl. 1. & limit. 1.*

An, & quando non ieiunus ſuſcipiens ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum dicatur irreuerenter illud ſuſcipere; atque ideò præceptum non impleat.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Nullo præcepto Diuino præcipitur, vt volens ſuſcipere ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſit ieiunus, atque ideo communicet ante omnem cibum, vel potum deguſtatum.*

2 *Præceptum, vt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumatur à ieiunis eſt Eccleſiaſticum dumtaxat: habetq; ortũ ex conſuetudine vetuſtiſſima tempore Apoſtolorum ab initio naſcentis Eccleſiæ.*

3 *In quibuſdam locis extitit conſuetudo communicandi in fer. V. in Cœn. Dom. poſt ſumptum cibum: Et quare abolita fuit.*

4 *Ieiunium, quod præcipitur ad ſuſcipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentũ, debet eſſe perfectum, & naturale, excludens omnem cibum, & potum quantumuis minimum: ſed per quam actionem, & vndè acceptum.*

5 *Naturale ieiunium violatur per minimum cibi, aut guttulam aquæ, etiam ſi per ignorantiam, vel inaduertentiam deglutiatur.*

6 *Si quis immictat in os aliquod ſacchari, quod paulatim attritum, aut liquidum duret vſque ad tempus poſt mediam noctem violauit ieiunium naturale: immò, & ſi dubitet, an hoc ſaccharum durauerit poſt mediam noctem.*

7 *Ieiunium naturale dicitur quoque frangere, qui cibi reliquias in ore remanſi, ex propoſito poſt mediam noctem mittit in ſtomachum.*

8 *Qui naturaliter non ieiunus accedit ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non ſolum lethalem culpam contrahit, ſed etiam in excommunicationem incidit.*

9 *Præceptum naturalis ieiunij ante communionem vniuerſale eſt, omneſque ligat.*

10 *Sacerdos ebrioſus malè celebrans, non præmiſſa dormitione, beneficio priuatur.*

11 *Non eſt tamen recedendum à priori interpretatione.*

12 *Quod ſecus erit ſi caſualiter, tranſglutiantur, quia id eſſet per modum ſaliuæ. Idemq; dicendum eſt in eraycientò ſanguinem, vel humorem alium, ex capite deſcendentem, vel inſcnſum deguſtauit, & ſtatim reiecerit, aut*

Muſcam

Digitized by Google

Muſcam attraxerit per modum reſpirationis, aquam, aut quid aliud.

13 *Si quis aliquantulum aqua per nares attrahat, quæ in ſtomachum tranſmittatur non impeditur ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumere, & quare.*

14 *Sumptio Tabacchi in folio puluere, & fumo an ieiunium violet naturale, atque adeò impediat communionem.*

15 *In mortis articulo, ſeu periculo poteſt Euchariſtia ſumi non ieiunus per modum Viatici.*

16 *In morbo de ſe periculoſo non oportet ſcrupuloſè differre Viaticum, eo quod infirmus non ſit ieiunus.*

17 *In eadem infirmitate non ſolum ſemel poteſt infirmus non ieiunus ſuſcipere Euchariſtiam per modum Viatici, ſed etiam ſæpè ſæpius poſt cibum ſi adhuc duret mortis periculum.*

18 *Ob eandem cauſam mortis poteſt Sacerdos ſacrificare non ieiunus, vt ſe communicet, ſed non pro communicando altero per modum Viatici.*

19 *Sacerdos ſi putans conſecrare Vinum, conſecrauit aquam, & ſumpſit, debet Calicem cum Vino, hoſtiam non conſecratam de nouo offerre & conſecrare incipiendo à verbis. Qui pridie. Vel conſecrare ſolum Vinum ad euitandum ſcandalum.*

20 *Si Sacerdos poſt conſecrationem recordetur ſe non eſſe ieiunum, vel excommunicatum eſſe, aut irregularem, debet progredi in ſacrificio, illudque perficere.*

Quid ſi ante conſecrationem id aduertat, vel Miſſa publicè celebretur.

21 *Ad euitandum magnum ſcandalum licitum eſt non ieiuno ſacrificare, & communicare.*

22 *Licitum eſt non ieiuno communicare, vrgente neceſſitate ſumendi Sacramentum, ne irreuerenter tractetur ab hoſtibus, infidelibuſue.*

23 *Sicut ægrotus in mortis articulo, ſeu periculo conſtitutus poſſit per modum Viatici communicare non ieiunus, ita Sacerdos non ieiunus celebrare poterit pro communicando huiuſmodi infirmo.*

24 *Licet hæc ſententia ſit probabilis, contraria tamen eſt probabilior.*

25 *Neceſſitas communicandi ex parte ægroti eſt intrinſeca, ſed neceſſitas celebrandi eſt valdè extrinſeca.*

26 *Communicanti ſi adhæſerit palato ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum, ita vt non valeat illud traijcere, poterit ſumere vinum, vel aquam ſemel iterum, ac ſæpius donec illud traijciatur.*

27 *Sacerdos ſi poſt ſumptam Calicis ablutionem inuenit reliquias in Patena, vel Altari, an poſſit illas ſumere, cum non ſit ieiunus.*

28 *Probabilius eſt, quod poſſit illas ſumere, nil obſtante, quod per ablutionem ſumptam dicatur non ieiunus.*

29 *Idque intelligendum eſt non tantum de minutis reliquijs, ſed de grandioribus, ſi faciliè aſſeruari non poſſint.*

30 *Si reliquiæ non ſint ex illo ſacrificio, ſed ex alio præcedente, regulariter ſumi debent antequam digiti abluantur.*

Quid ſi poſt ablutionem reperta fuerint.

31 *Si Sacerdos poſt ſacrum abſolutum per horam, aut aliud notabile tempus ſanctiſſimam Euchariſtiam Populo miniſtrauerit, poterit vaſa purificare, & reliquias ſumere. Et quare.*

IN hac re duo faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus: ſecundò dubia per ſuas quæſtiones explicabimus. Vndè ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 NOn adeſt præceptum Diuinum, quo præcipiatur, vt volens ſuſcipere ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſit ieiunus, atque ideò communicet ante omnem cibum, vel potum deguſtatum. Hæc concluſio eſt certa, & citra omnem controuerſiam. Probatur ex eo, quòd huiuſmodi præceptum nullibi in ſacra ſcriptura reperitur impoſitum: nullibi ſcriptum, nullibi traditum. Nec ex inſtitutione huius Sacramenti id colligitur, quin potius oppoſitum apparet. Etenim Sacramentum huiuſmodi fuit à Chriſto Domino inſtitutum in Cœna; in qua ipſe Dominus poſtquam cœnauit cum Apoſtolis panẽ, & vinum cõſecrauit, deditq; illis ad manducandum, ac bibendum, vt patet *Luca* 12. & 1. *Corinth.* 11. Eſt tamen verum, quòd licèt Dominus poſt Cęnam communicauerit Apoſtolos; non tamen cenſetur præcepiſſe, vt poſt cibum Sacramentum ſumatur; aliàs eſſet etiam ſumendum in nocte: nam in qua nocte tradebatur illud inſtituit, & Apoſtolos communicauit; ſed illa verba præceptiua prolata à Domino, *Accipite, & manducate: accipite, & bibite.* Reſpiciunt ſumptionem Sacramenti, non autem ſumendi modum; nam hunc reliquit ab Eccleſia definiendũ, vt rectè explicat *Fagund. de precep. Eccl. pracep.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. *nu.* 2. & 9. *vbi etiam nu.* 3. Probat nec dari quidem præceptum naturale de ſanctiſſima Euchariſtia ſumenda ante omnem cibum, & potum.

SECVNDA CONCLVSIO.

PRæceptum, vt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumatur à ieiunis eſt Eccleſia-
2 ſticum dumtaxat. Hæc concluſio eſt communis, indubitata, ac de fide. Patet ex *Conc. Matiſconenſi* 11. *c.* 6. Vbi decernuntur pœnæ in eos, qui hunc ritum communicandi ieiunè non ſeruant. Patet etiam ex *Conc. Bracharen.* 11. *c.* 10. *ex Conc. Tolet. VII. c.* 2. *ex Conc. Altiſiodoren. c.* 19. & *Conc. Conſtanſien. ſeſſ.* 13. Patet etiam ex *tex. in c. nihil*, §. *nullus*, & ibi latè *Turrecr.* 7. *q.* 1. *D. Th.* 3. *p. q.* 80. *art.* 8. *Menoch. de arbitr. indic. lib.* 2. *cent.* 5. *caſu* 406. & *alij communiter.* Imò hoc præceptum ortum habet ex conſuetudine antiquiſſima tempore Apoſtolorum ab initio naſcentis Eccleſiæ, vt colligitur ex *Conc. Carthaginen.* 111. *c.* 29. & *c.* 48. Vbi dicitur, hanc conſuetudinem ſumendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ante omnem cibum fuiſſe in Conc. Niceno cõfirmatam. Nota, quòd non dixit inſtitutam, ſed confirmatam, quaſi huiuſmodi præceptum à tempore Apoſtolorum, per quandam conſuetudinem Eccleſiaſticam, ab ipſa Eccleſia latum, & approbatum ſit. Etenim conſuetudo Eccleſiæ præceptum inducit. Ita *Henriq. lib.* 8. *ſua ſum. c.* 49. *nu.* 1. *Suar. tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 68. *ſec.* 3. & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de precep. Eccl. pracep.* 3. *lib.* 3. *c.* 5. *nu.* 4. & *Laym. lib.* 5. *ſua ſum. tract. cap.* 6. *ſub*
3 *nu.* 17. Eſt tamen verum, quòd in quibuſdam

locis

locis cõſuetudo extitit fer. 5. hebdomadæ ſanctę, ad Chriſti Domini imitationem poſt cibum ſumptum communicandi, vt patet ex ſupra relato Conc. Carthagin. Sed meritò abolita fuit. Etenim Chriſtus Dominus idcircò poſt Cęnam ſanctiſſimam Euchariſtiam Apoſtolis tradidit; quoniam ſecundum ritum veteris legis debebat tunc Paſcha celebrari: voluit autem legem, & figuram præmittere priuſquam veritatem tanti Sacramenti inſtitueret, verba autem illa Redemptoris, *Accipite, &c. Hoc facite, &c.* Non continent præceptum faciendi omnia, quæ ipſe Redemptor tunc fecit; ſed ſolùm quæ ſpectant ad ſubſtantiam, ac veritatem Sacramenti, vt rectè declarant *Fagund. Laym. & alij locis cit.*

4 Ampliatur hæc concluſio, vt ieiunium, quod præcipitur ad ſuſcipiẽdum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, debeat eſſe perfectum, ac naturale, excludens omnem cibi, vel potus, quantumuis minimi ſumptionem; qui ore acceptus per propriam, ac vitalem actionem comedendi, ac bibendi in ſtomachum traijcitur, vt in *c. nihil in fine, 7. q. 1.* Et etiam ſi cibus, aut potus tantùm medicinalis ſit, nec nutritiuus. Vndè id locum ſibi vendicat, ſi quis comedat, ſeù deglutiat chartam, ceram, fruſtillum ligni, nummum aureum, aut parum Sacchari roſati ad confortandum caput, & alia eiuſmodi in quantitate quantumuis minima, naturale ieiunium violatum cenſetur, ita vt citra irreuerentiam, & lethalem culpam S. Euchariſtiam ſumere non poſſit. Siquidem ieiunium iſtud non ob temperantiæ virtutem, ſed ob Sacramenti reuerentiam iſtitutum eſt, vt ante alia omnia in ſtomaco perueniat. Ita *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 8. ad 4. Henriq. lib. 8. c. 49. §. 2. Syl. ver. Euchariſtia, 3. q. 6. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. lib. 5. tract. 4. cap. 6. n. 18. & 19. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. cap. 5. nu. 5.* Vbi

5 addit naturale ieiunium violari per minimum cibi, aut guttulam aquæ etiam ſi per ignorantiam, vel inaduertentiam deglutiatur: & quamuis ſtatim totum eijciat, & euomat. Etenim quamuis in alijs præceptis curandum non eſſe de minimis, ipſe *Fagund.* poſt alios aſſerat; nihilominus, quia in caſu de quo agitur præcipitur ieiunium naturale, quod violatur etiam per minimam partem cibi, aut potus, violatur tamen iſtud præceptum per contrauentionem etiam in re minima, atque ideò contrauenjens lethalem culpam contrahit. Confirmatur, quia hoc caſu non prohibetur cibus, & potus, ſed prohibetur communio poſt cibum, vel potum, & ſic non datur paruitas materiæ in proprio actu, in quem cadit prohibitio, ſed in alio actu, vt rectè declarat *Fagund. d. c. 5. ſub num.* 24. Idem di-

6 cendum eſt ſi quis mittat in os aliquid ſacchari, & paulatim attritum, ac liquatum deglutiendo duret vſque ad tempus poſt mediam noctem, in qua incipit dies naturalis iuxta ea, quæ habentur per *Laym. poſt alios loco citato, ſub n. 19. verſ. Sciendum eſt, & Fagund. vbi ſupra, num. 16. & 17.* Imo id verum eſſe arbitror, etiam ſi dubitet, an eiuſmodi ſaccharum durauerit poſt mediam noctem: nam vt docet idem *Fagund. ibidem nu.* 18. Dubitanti, an audierit mediam noctem, & edenti, vel bibenti cum eo dubio, non licet ſequenti die ad Euchariſtiam accedere; quia nulla datur poſſeſſio ex parte ipſius dubitantis: ſiquidem vt in dubio melior ſit conditio poſſidentis, opus eſt, vt detur aliqua poſſeſſio ex

7 parte dubitantis. Ieiunium naturale dicitur quoque frangere, qui reliquias cibi in ore remanſi ex propoſito poſt mediam noctem in ſtomachũ traijceret, vt limit. ſeq. melius explicabimus. Adde hæc quæ diximus adeò vera eſſe, vt Sacerdos, qui in Natiuitate Domini poſt conſumationem primæ, vel ſecundę Miſſæ ablutionem accipit, vel digitos ablutos lambit, adhuc dicatur naturale ieiunium violare, ita vt non liceat ei ſequens ſactum celebrare, vt in *c. ex parte, de celebr. Miſſ. Nauar. in Man. cap. 25. num. 88. Fagund. d. c. 5. ſub nu. 5.* & alij communiter.

† Secundò ampliatur eadem concluſio, vt qui
8 naturaliter ieiunus non accedit ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, non ſolùm lethalem culpam contrahat, ſed etiam in excommunicationem incidat, vt eſt *tex. in d. c. nihil, §. nullus, 7. q. 1. & Menoch. de arbitr. iudic. lib. 2. cent. 5. caſu 406. nu. 3. & 4.* Eſt tamen verum, quòd huiuſmodi excommunicatio non eſt latæ ſententię, ſed ferendæ, vt ex tenore d. §. clariſſimè colligitur. Et in hac rę non habetur ratio de eo, qui minimum quid commederit, vel magnum: ſiquidem hoc caſu non datur leuitas materiæ in proprio actu, in quem cadit prohibitio. Etenim non prohibetur cibus, & potus, vt ſupra diximus, ſed prohibetur communio poſt cibum, & potum. Ita *D. Thom. Sot. & alij apud Suar. tom. 3. in D. Thom. diſp. 68. ſec. 4.* contra quoſdam contrarium ſentientes.

9 Tertiò ampliatur, vt præceptum huiuſmodi naturalis ieiunij ante communionem ſit vniuerſale, omnes, & quoſcunque fideles alligans, ſiuè maſculi ſint, ſiuè fœminæ: Laici, aut Clerici: Sacerdotes, vel non Sacerdotes. Nam licet *tex. in c. ex parte de celebr. Miſſar.* Loquatur de Sacerdote celebrante; nihilominus Concilia ſupra relata, & communis vſus Eccleſiæ Theologi, & SS. Patres intelligunt dictum præceptum vniuerſaliter, etiam quoad eos, qui Sacerdotes non ſunt; ſed ſimplices Clerici, & merè Laici.

10 Quartò ampliatur, vt non ſolum quis prohibeatur poſt cibum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere, & Miſſam celebrare; ſed etiam ſi Sacerdos ebrioſus manè celebret, non præmiſſa dormitione, beneficio priuatur, vt in *c. ſi conſtiterit, de accuſat. Hoſt. in ſum. de conſecr. Eccleſ. & Altar. §. & qualiter ieiunio, & Card. in c. ex parte, q. 4. de celebr. Miſſ. & alij.* Sed *text.* illum id non probat, vt putat *Menoch. d. caſu 406. nu. 5.* Etenim ita ſtatuit ibi Sum. Pontifex contra ebrioſos, qui integram noctem in commeſſationibus, & compotationibus conſumpſerant, & manè incontinenti celebrant, atque ideò crapulantes, & bibentes, etiam poſt mediam noctem: & hanc eandem interpretationem ante *Menoch.* tradidit *Panorm. in d. c. ſi conſtiterit, Felin. ibidem, num. 3. cum alijs relatis à Diaz in pract. canon. crim. c. 29. nu. 5.*

11 Reverà tamen non videtur recedendum à priori interpretatione: nam *tex.* ille videtur loqui de Sacerdote vinolento, qui in Taberna pernoctauerat, & manè non præmiſſa dormitione Miſſam cantauit: nec poſt mediam noctem eum vinum bibiſſe inquit, nec ob id fuiſſe beneficio priuatum, ſed ob eam tantùm cauſam, quia non præ-

Nnn miſſa

miſſa dormitione Miſſam cantauit, vt patet ex
d. c. ſi conſtiterit, in principio, in illis verbis,
*Si conſtiterit, quòd D. Eccleſia non perpetuò con-
ceſſa, ſed ad tempus fuit commendata, & de
vinolentia, & quòd in Taberna pernoctauerit,
ita quod altera die, nulla præmiſſa dormitione
Miſſam cantaſſet, &c.* Nota verba illa, altera
die, nam cùm dies incipiat à media nocte, vide-
tur præfatum Sacerdotem pernoctaſſe in Taber-
na vſque ad mediam noctem: & propterea, eſto
quod vinum non bibiſſet poſt mediam noctem,
fuit tamen punitus, eo quòd Miſſam cantauit, nõ
præmiſſa dormitione.

12 Sic ampliata limitatur tamen dicta concluſio,
vt ita demum traijciens reliquias cibi in ore
remanſi, aut aliquid aquæ, & cætera eiuſmodi
naturale ieiunium violet ita vt non valeat ad ſan-
ctiſſimam Euchariſtiam accedere, quando ex
propoſito in ſtomachum traijcit. Dixi, ex pro-
poſito: ideſt vigilans; ſecus autem ſi dormiens:
nam id quamuis poſt mediam noctem agat, non
frangit ieiunium naturale, quia actio illa non
eſt moralis, nec per modum cibi fuerunt deglu-
titæ per ea, quæ dicit *Suar. loco infra mox ci-
tando. & Molf. p. 1. ſuæ ſum. tract. 3. c. 10. nn. 12.
& 13.* Dixi etiam ex propoſito, quia ſecus autẽ
eſt ſi caſualiter, vt habetur ex *D. Thoma 3. par.
q. 80. art. 8. ad 4.* Ita ſe habente, *Reliquia cibi
in ore remanentis ſi caſualiter transglutiantur,
non impediunt ſumptionem huius Sacramenti,
quia non traijciuntur per modum cibi, ſed mo-
dum ſaliuæ. Et eadem ratio eſt de reliquijs aquæ,
vel vini, quibus os abluitur, dummodò non
traijciantur in magna quantitate, ſed permixta
ſaliuæ, quod vitari nõ poteſt.* Idem docent *Henr.
lib. 8. c. 50. nu. 4. Nauar. in Man. cap. 21. nu. 53.
Fagund. d. c. 5. nu. 13. & Laym. lib. 5. ſuæ ſum.
tract. 6. c. 6. ſub nu. 18. verſ. Cæterum, & nu. 19.*
Qui hoc idem dicendum eſſe volunt de traij-
ciente ſanguinem, aut alium humorem ex capite
deſcendentem: vel ſi iuſculum quis deguſtauerit,
& illico reiecerit: aut per modum reſpirationis
muſcam, aquam, aut aliquid aliud attraxerit:
nam id non dicitur violare ieiunium naturale;
atque ideo non impeditur ad ſanctiſſimam Eu-
chariſtiam accedere: ſiquidem ea omnia non de-
glutiunt per modum cibi, ſed caſualiter. Illud
autem dicitur traijci, ac ſumi per modum cibi,
vel potus, quando aliquid huiuſmodi ore ſumi-
tur quod per ſe, & propria actione vitali in ſto-
machum traijcitur comedendo, & bibendo, vt
rectè declarat *Suar. tom 3. in 3. p. diſp. 68. ſec. 4.
§. quæres rurſum.* Vndè ſi quis aliquantulam
13 aquam per nares attrahat, quæ in ſtomachum
tranſmittatur, non impeditur ſanctiſſimam
Euchariſtiam ſumere, quia non fuit per modum
cibi tranſmiſſa, aut per modum potus, vt ex do-
ctrina *Suar.* colligit idem *Fagund. d. c. 5. ſub n.*
14. qui pro hac eadem ſententia allegat *Henriq.
loco citato*, ita ſe habentem, *Si ex ipſo homine
aliquid trayciatur per modum ſaliuæ, non tollit
ieiunium naturæ; quia comeſtio ſignificat ſump-
tionem cibi omnino exterioris, ſi aqua, vel vino
abluit os, & effluxit aliquid parum, & imper-
ceptibile in guttur ſiccum, non impedit commu-
nionem, quia non ſumitur per modum potus, ſed
per modum ſaliuæ: ſi coctus ore deguſtauit ius, nec
traiecit, vel muſca, aut quicquid minimum in-
trauit in os apertum, hic non dicitur comediſſe.*

† Sed iuxta hanc limitationem difficultas non
14 parua eſt inter Recentiores de ſumptione Ta-
bachi in folio, puluere, & fumo, an violet ieiu-
nium naturale, atque ideò impediat communio-
nem. In qua re *Antonius de Leone in qq. moral.
de Cocholate, p. 2. §. 4. nu. 10. & ſeq.* affirmati-
uam partem tuetur, cuius verba, & rationes re-
fert *P. Diana p. 5. reſol. moral. tract. 13. miſcell. 1.
reſol. 1.* Contrariam tamen ſententiam docent *P.
Alph. de Leone de offic. Capell. q. 8. ſec. 17. caſ. 2.
nu. 134. & P. Diana loco citato*: quam opinio-
nem communem eſſe *Hyſpan.* teſtatur *Franc. de
Nigro in addit. ad Ruiz, p. 1. praſ. 4. nu. 32. q. 18.*
nec eam Franciſcus ipſe in rigore confutat, ſed
vſum Tabacchi ante communionem videri po-
tius irreuerentiam, cùm viderit timoratos ſcru-
polizare. Hæc ſententia re vera ſatis probabilis
eſt, tùm per rationes, & auctoritates, quas nos
ſupra attulimus ex *D. Thoma, Henr. Fagund.*
& ex alijs relatis per noſtros *PP. Alphonſum, ac
Dianam.* Qui duo exigunt ad naturale ieiunium
violandum, atque ideò ad impediendam ſanctiſ-
ſimæ Euchariſtiæ ſumptionem; nempè quòd ſu-
matur aliquis cibus, vel potus: & quòd talis
cibus ſumatur per actionem, quæ ſit comeſtio,
vel potatio. At Tabacchus in puluere ſumitur
per nares, & ſic non per actionem comeſtiuam,
quæ ſolo ore efficitur, iuxta ea, quæ ſupra adno-
tauimus ex *Fagund.* & alijs, & conſtat etiam ex
d. P. Diana, qui alios allegat. Tabacchus autem
in folio tantùm licèt ſumatur in ore, & contingat
aliquando traiectio humoris alicuius ex capite
manantis in ſtomachum, aut ſaliuæ Tabaccho
ipſo tinctæ; attamen traiectio illa non poteſt dici
comeſtio, nec cenſeri potus, cum traiectio eiuſ-
modi non fiat per modum cibi; nec per modum
potus, ſed per modum ſaliuæ; eò maximè quia
nos ſupponimus, traiectionem prædictam non
fieri ex propoſito, ſed caſualiter per ea, quæ
ſupra adnotauimus ex *D. Thoma Henr. & alijs.*
Tabacchus deniq; qui ſumitur in fumo, quamuis
per os quoque ſumatur, & daremus nutrire;
attamen non deſcendit in ſtomachum; ſed ſtatim
per nares exit: & eſtò quòd aliquid fumi deſcen-
dat in ſtomachum, non tamen ob id frangeret
ieiunium naturale, quoniam non recipitur in
ſtomacho per actionem comeſtiuam, ſed per
modum reſpirationis, vt rectè declarat *P. Diana
loco citato*; Qui plura alia cumulat, & ſatis eru-
ditè ſoluit contraria Leonis contra noſtrum
Leonem.

15 Secundò limitatur ipſa concluſio in mortis
articulo, ſeu periculo conſtituto, qui ſanctiſſi-
mam Euchariſtiam velit ſumere per modum
Viatici, & non poſſit citra graue detrimentum,
aut periculum expectare, vt ieiunus accipiat:
tunc enim poteſt poſt cibum communicare, vt
patet ex *Concil. Conſtanſ. ſeſſ. 13.* Vbi Eccleſia
in ſpecie excipit hunc caſum: quem caſum
ampliant Doctores non ſolùm quando mors
immineat ex morbo; ſed etiam ex Iudicis
ſententia, ſi is diutius expectare nolit, vel ob
cauſam non poſſit, vt poſt *Laym. d. c. 6. num. 20.
& Fagund. d. c. 5. ſub nu. 19.* qui inter alios alle-
gant *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 50. nu. 1.* Dicen-
16 tem in morbo de ſe periculoſo, non oportere
ſcrupuloſè differre Viaticum, eo quòd infirmus
non

Digitized by Google

non ſit ieiunus;quia Eccleſia ſimpliciter excipit
hunc caſum, & concedi præcipit infirmis non
ieiunis Viaticum: & propterea inquit *Suar.
tem. 3. in 3. par. diſp. 68. ſec. 5. in prin.* Quòd ſi
intra vnam horam poſſit infirmus eſſe ieiunus
poſt mediam noctem, non eſſe expectandam
horam illam, quantū ſimpliciter conceditur hu-
iuſmodi Sacramentum infirmis non ieiunis: &
poſſet contingere vt in ea morula infirmus fiat
inhabilis ad ſuſcipiendum ſanctiſſimum Viati-
17 cum. Imò in eadem infirmitate non ſolùm ſemel
poteſt infirmus non ieiunus ſuſcipere ſanctiſſi-
mum Euchariſtiæ Sacramentum per modum
Viatici; ſed etiam ſæpè ſæpius poſt cibum, ſi
adhuc duret mortis periculum; modò detur
conuenieos temporis intercapedo inter commu-
nionem, & communionem, nempè octo; aut de-
cem dierum, vel etiam ſeptem, vel ſex, vt habe-
tur per Doctores ſupracitatos, & alios quos re-
fert *Fagund. d. c. 5. nu. 20. & Laym. vbi ſupra
verſ. Adde primo:* Vbi etiam exiſtimat, quòd ſi
quis aſſuetus ſit communicare, aut ſacrificare,
propter deuotionem poſſe illi permitti, vt altero
ſtatim die iterum ſanctam Euchariſtiam manu
Sacerdotis ſumat non ieiunus; dummodò mor-
tis periculum inſtare videatur. Imò addit ob
18 eandem cauſam (mortis probabiliſſimè immi-
nentis, Sacerdotem poſſe ſacrificare non ieiunū
ſi aliundè ſacram Euchariſtiam habere oequeat,
vt habetur ex *Zambr. c. 3. dub. 6. num. 1.* Quod
tamen negat poſſe Sacerdotem pro communi-
cando altero per modum Viatici quantumuis
conſtituto in articulo mortis, vt contra *Maior.*
docet cum alijs idem *Laym. ibidem, verſ. Sed
dubitant:* & nos adnotauimus ſupra *ſec. 1. concl.
2. ampl. 1. verſ. Concluditur igitur:* Vbi quam-
plurima alia adnotauimus circa ſanctiſſimam
Euchariſtiam ad infirmos deferendam, late
Fagund. d. c. 5. nu. 22.

19 Tertiò limitatur in Sacerdote, qui putans con-
ſecrare vinum, aquam conſecrauit, & hauſit:
nam ſi id deinde aduertat, poteſt Calicem cum
vino; & Hoſtiam nō conſecratā de nouo offerre,
& conſecrare, incipiens à verbis illis, *Qui pridie,
&c.* Vel ad euitandum ſcandalum poteſt occultè
in cornu Altaris vinum in Calice effundere cum
pauxillo aquæ, & illud conſecrare, incipiens ab
illis verbis, *Simili modo, &c.* Et deinde ſumere,
vt ſacrificium perficiat, vt habetur ex *Laym.
lib. 5. ſua ſum. tract. 5. cap. 7. in fine,* qui quam-
plurimos alios allegat, & *Fagund. d. cap. 5. ſub
nu. 25.* Et rationem hanc eſſe volunt, quoniam
præceptum Diuinum integrandi ſacrificium
maius, & fortius eſt præcepto humano cōmuni-
20 candi ieiunè. Idem dicendum eſt ſi Sacerdos
poſt conſecrationem recordetur, ſe non eſſe
ieiunum, vel eſſe excommunicatum, aut irre-
gularem; quoniam eadem ratione debet pro-
gredi in ſacrificio, illudq; perficere. Dixi, *Poſt
conſecrationem.* Quia ſi ante conſecrationem
Sacerdos recondetur non eſſe ieiunum, &c.
Tunc enim Sacerdos ſi citra graue ſcandalum
fieri poteſt, & Miſſa priuatim celebretur debet à
ſacrificio deſiſtere, iuxta ſententiam *D. Thoma
3. p. q. 83. art. 6. ad 2.* Si verò Miſſa publicè cele-
bretur, vt plurimum conſultius eſt, progredi,
cùm vix abſque graui ſcandalo deſiſti eo caſu
poſſit, vt habetur ex *Suar. in 3. par. tom. 3. q. 86.
ſec. 6. Laym. lib. 5. tract. 4. c. 6. ſub num. 21. verſ.
Secundus caſus: & verſ. Tertius ſi Sacerdos,
Henriq. lib. 8. c. 50. nu. 1. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art.
6. Nauar. in Man. c. 25. nu. 91.* & ex alijs apud
Fagund. d. c. 5. ſub nu. 25. & 26. Vbi id ampliat
locum ſibi vendicare, etiam ſi Sacerdos mala
21 fide acceſſiſſet ad ſacrificium poſt cibum, quo-
niam illis caſibus idem eſt dicendum, cum ſimi-
liter eadem ratio ſacrificij perficiendi, ac vita-
tionis ſcandali, & *nu. 27.* Probat quoque proſe-
qui poſſe ſacrificium inchoatum à Sacerdote
repentino morbo correpto, per alium Sacerdo-
tem etiam non ieiunum, ſi Sacerdos ieiunus ha-
beri nequeat; dummodò prior Sacerdos vtramq;
ſpeciem, vel alteram tantùm conſecrauerit, vt
poſt alios declarat *Suar. loco citato.* Imò ad eui-
tandum magnum ſcandalum licitum eſt non
ieiuno ſacrificare, aut communicare etiam in
alijs caſibus: quia vitationis ſcandali præceptum
eſt Diuinum: præceptum verò ieiunij in ſuſci-
piendo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum
eſt humanum: vltra quod leges poſitiuæ nnn-
quaoi tàm ſeuerè obligant, vt habetur ex eodem
*Laym. loco citato, poſt Suar. in verſ. Quartus
caſus.*

22 Quartò limitatur, vt liceat non ieiuno com-
municare ſi neceſſitas vrgeat ſumendi Sacra-
mentum, ne irreuerenter tractaretur ab hoſtium
infideliū ſacrilegis manibus, aut ne ab incandio
comburatur, & in alijs caſibus ſimilibus: tunc
enim poteſt ſuſcipi non tantòm à Sacerdote non
ieiuno poſt cibum, & potum; verum etiam à
quolibet Laico proprijs manibus in defectum
Sacerdotum. Etenim quod per reuerentiam tanti
Sacramenti introductum eſt, ooo debet in ma-
iorem illius irreuerentiam reduudare: ſunt enim
eiuſmodi caſus veluti quædā extrema neceſſitas
ex parte ipſius Sacramenti: & propterea ceſſat
obligatio cuiuſcunque præcepti Eccleſiaſtici, ita
*Fagund. d. c. 5. nu. 33. Laym. loco citato, ſub nu.
21. verſ. Quintus caſus. Suar. d. diſp. 68. ſec. 6.
Reginal. d. lib. 29. ſua prax. nu. 122. Molfeſ. d.
c. 10. nu. 17. & alij.*

† Quinto limitatur ſecundum aliquos, vt ſicut
23 ægrotus in mortis articulo, ſeù periculo conſti-
tutus poſſit per modum Viatici communicare
non ieiunus, vt oſtendimus ſupra, *limit. 2.* Ita
Sacerdos poſt cibum, & potum poteſt celebrare
ad conficiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sa-
cramentum pro cōmunicando eiuſmodi ægroto
ſi aliter id fieri non poſſit: ſiquidem præceptum
non communicandi poſt cibum, & potum fuit
latum propter charitatem, ac reuerentiam erga
tantum Sacramentum; ergò non debet locum
ſibi vendicare contra charitatem proximi in tali
neceſſitate conſtituti, iuxta illud *D. Bernardi
lib. de præcep. & diſpenſ.* imò *Maior. in 4. d. 49.
q. 3. ad 5.* Ob id ait, poſſe Sacerdotem citra
veſtes ſacras, ac panem azimum, at citra ſacri-
ficij integritatem ſecretè conſecrare accipiendo
fruſtrum panis fermentati, & conſecratum tri-
buere ægroto in eiuſmodi articulo, ſeù periculo
exiſtenti: quoniam hoc caſu vrget præceptum
Diuinum communicandi; atque ideò ſicut obli-
gat ægrotum ad communicandum; ita etiam
Eccleſiæ Miniſtros ad Sacramentum dandum.
Cōfirmatur, quia ob ſimilem neceſſitatem
poteſt Sacerdos celebrare, non præmiſſa con

feſſione, ſed cum ſola contritione exiſtimata, licèt habeat conſcientiam lethalis culpæ, vt infra Deo duce, ſuo loco dicemus: ergò ob id etiam poterit conſecrare, quamuis non ſit ieiunus; quoniam vtrunque eſt præceptum Eccleſiaſticum, & non poteſt aſſignari diuerſitatis ratio, cur potius neceſſitas in vno, & non altero caſu tollat præcepti obligationem. Imò præceptum præmittendi confeſſionem in prædicto caſu ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſimpliciter ſit Diuinum, vt ſuo loco diximus: & ideò præceptum illud arctius eſt, quàm præceptum ieiunè communicandi, quod eſt purè Eccleſiaſticum: ergò ſi neceſſitas, de qua agitur, tollit obligationem præcepti Diuini, multo magis tollit obligationem præcepti Eccleſiaſtici.

24 Hæc ſententia licèt probabilis aliquibus videatur per rationes ſupra relatas; nihilominus contra eſt probabilior, tùm quia pro ea ſunt Doctores, numero, ac grauitate maiores, nempe *Palud. in 4.d.8.q.2. num. 9. Gabr. q. 2. art.5. Nauar. in Man.c.21.nu.53. Victor.* & alij apud *Suar.tom.3. in 3.p.diſp.68.ſec.5. Vaſq. in 3.par. tom.3.diſp.177.nu.16. Reginal.lib.29.ſua prax. nu.120. & 121. Molf.p.1.ſua ſum.Theol.tract. 3.c.10.nu.18. & 19.* Et alij: tùm etiam, quia rationes ſunt efficaciores; ſiquidem hoc Sacramentum licèt ſit omnium digniſſimum; non tamen eſt abſolutæ neceſſitatis: & propterea maior ratio habenda eſt reuerentiæ Sacramento debitę quàm vtilitatis proximi: & eo magis, quia poteſt Aegrotus alia Sacramenta ſuſcipere, & ſpiritualiter ſe communicare; atque ideò rem illius percipere, iuxta illud *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c.8. & D. Auguſt. Crede, & manducaſti.* Vndè dicta vtilitas poſſet alia via compenſari. Et re vera ſi res ipſa perpendatur non minor eſt circumſtantia ieiunij, quàm præceptum Eccleſiaſticum celebrandi in Azimis, & veſtibus ſacris; ſed hæc, & ſimilia non ſunt prætermittenda pro communicando ægroto; ergò nec præcepta ieiunij circumſtantia. Tùm denique, quoniam rationes prioris ſententiæ facilè ſolui poſſunt. Etenim prima ratio tunc côcluderet, ſi probaret, præceptum non communicandi, eo caſu militare contra charitatem proximi, & reuerentiam Sacramenti: quod nos expreſsè negamus: ſiquidem non militat contra charitatem proximi; quia vtilitas, quæ ex ſuſceptione tanti Sacramenti, poteſt alia via compenſari, vt ſupra oſtendimus.

25 Ad ſecundam negatur conſequentia; quoniam militat diuerſa ratio, etenim neceſſitas communicandi ex parte ægroti, eſt intrinſeca, & frequentius accidit: neceſſitas autem miniſtrandi Sacramentum ex parte Miniſtri eſt valdè extrinſeca, & accidentaria, quæ rariſſimè poteſt contingere: nam ob id Eccleſia decreuit, ſanctiſſimam Euchariſtiam ſeruandam eſſe pro infirmis. Ad confirmationem negatur côſequentia: poteſt enim dari aliquando præceptum Eccleſiaſticum, quod vniuerſalius obliget, quàm Diuinum, ſi materia id expoſtulet; quoniam & ſi præceptum immediatè feratur ab Eccleſia; id tamen agit poteſtate, quam tribuit ei Dominus; atque ideò habet vim obligãdi iuxta exigentiam vniuſcuiuſq; materiæ: & multoties eſt determinatio quædam iuris Diuini, ac naturalis. In hoc igitur caſu militat diuerſa ratio quoad tollendam obligationé communicandi, & celebrandi, præmiſſa confeſſione: & communicandi ante omnem cibum, & potum, atque ideò, vt ſacrificiũ fiat à ieiuno: ſiquidem prior neceſſitas celebrandi, non præmiſſa confeſſione ab eo, qui conſcientiam habet lethalis culpæ, eſt moralis, & ſæpè contingit: neceſſitas verò celebrandi poſt cibum, & potum rarò accidit, imò rariſſimè: leges autem adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt, *l. nam ad ea, C. de legib.* Alias autem differentias vide apud *Suar. loco citato.*

26 Sextò limitatur, vbi communicanti adhæſerit palato ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, ita vt nõ valeat illud traijcere: tunc enim poterit ſumere vinum, vel aquam ſemel, iterum, ac ſæpius donec traijciatur: ſiquidem quamuis communicans eo caſu prius degluriat aquam, aut vinum, quàm ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; nihilominus, quia tota illa actio ordinatur ad conſumptionem ipſius Sacramenti, & per modum vnius moralis actionis integræ, idcircò non poſt potum, ſed ieiunus moraliter dicitur communicare. Confirmatur, quoniam aliàs, quod eſt inductum in reuerentiam tanti Sacramenti, cederet in ipſius indecentiam: nam indecens eſſe digito à palato illud retrahere, vt traijceretur. Idem dicendum eſt, ſi contingat particulã Hoſtiæ côſecratæ Calici adherere poſt ſanguinis ſumptionem, quoniam tunc *Suar. d. ſec.6. contra Sot. in 4. d.8.* Ait, non debere Sacerdotem illam digito trahere ad os Calicis, vt eandem citra vinum ſumat, ſed debere vinum imponere ad purificandum Calicem, & ita ſumere; etiam ſi côtingat aliquid vini prius bibere: & ſi adhuc Calici adhæreat, iterum, atque iterum id agere licitum eſſe, donec hoſtiæ particula traijciatur. Etenim in die Paraſceue, quando particula hoſtiæ conſecratæ vino miſcetur, cùm deindè ſumitur, ſemper aliqua pars vini traijcitur; & tamen Sacerdos dicitur ieiunus communicare: quia non valeret aliter ſuum miniſterium adimplere.

27 Hæc quæ hucuſque diximus circa ſupradictũ præceptum ſumendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum à ieiunis, vel non ieiunis adeo vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant. Difficultas modò eſt inter Doctores de Sacerdote, qui poſt ſumptam Calicis ablutionem inuenit reliquias ſanctiſſimi Sacramenti in Patena, vel Altari, an poſſit illas ſumere, cum ſtante ablutione ſumpta, non ſit ieiunus.

In hac re partem negatiuam docent *Palud. in 4. d.9.q.1. in fine, D. Antonin. 3.p.3.tit.13.c.6.§.9. & Roſella ver. Euchariſtia 3. §. 13.* Mouentur ex eo, quòd illa reliquiarum ſumptio vera eſt ſanctiſſimæ Euchariſtię Sacramenti communio: ſiquidem tam eſt totus Chriſtus ſub qualibet particula, quàm ſub toto Sacramento: ergò non eſt licitum Sacerdoti eas ſumere poſt ſumptam ablutionem, cùm non ſit ieiunus. Confirmatur ex *Conc. Matiſcomenſe 11. c. 6.* per quod præcipitur has reliquias dari hominibus ieiunis. His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror eſſe probabiliorem. Vndè pro eius explicatione ſit.

TERTIA CONCLVSIO.

28 SAcerdos, qui poſt ſumptam Calicis ablutionem inuenit hoſtiæ conſecratæ reliquias in Pate-

Patena, vel in Altare, poteſt illas ſumere, non obſtante, quod per ablutionem ſumptam non dicatur ieiunus. Hæc concluſio eſt *Sot. in 4. d. 12. q. 1. art. 8. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 50. nu. 4. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 89. Caiet. in ſum. ver. Miſſa, & tom. 2. opuſc. tract. 33. de celebr. Miſſa, q. 1. Syl. ver. Eucbariſtia, 3. §. 8. Victor. in ſum. nu. 83. Armil. ver. Miſſa, §. 26. Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 4. c. 6. nu. 23. Fagund. de præcep. Eccl. lib. 3. cap. 5. ſub nu. 28. & alij*. Probatur, quoniam huiuſmodi reliquiæ non ſumuntur hic per modum integræ communionis; ſed per modum circumſtantiæ, & complementi vnius integri ſacrificij; atque ideò tota illa Sacerdotis actio eſt per modum vnius actionis integræ, & ad totam illam acceſſit Sacerdos ieiunus, & ſic impleuit præceptum Eccleſiæ: vndè remanet ſolutum argumentum prioris ſententiæ. Et ad Conc. Matiſcomenſe reſpondetur, quòd Concilium loquitur, vbi reliquiæ dantur ieiunis hominibus cum ipſa formula qua quis communicatur: etenim per ſe loquendo non poſſunt huiuſmodi reliquiæ dari ſæcularibus poſt communionem, etiam ante ablutionem; quoniam illa reliquiarum ſumptio eſt vera communio, ſi per ſe, ac ſeparatim fiat, vt rectè declarat *Fagund. loco citato, nu. 31.*

29 Ampliatur hæc concluſio, vt intelligenda ſit non tantùm de minutis reliquijs in patena, ſeù corporali hærentibus, ſed etiam de grandioribus ſi facilè aſſeruari non poſſint; quoniam eiuſmodi reliquiarum ſumptio refertur ad vnum, & idem ſacrificium, vt poſt alios inquit *Laym. d. c. 6. nu. 22. & Fagund. vbi ſupra nu.* 29. qui pro hac re citant *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 68. ſec. 6.* Et alios dicentes in caſu, de quo agitur non eſſe attendendam quantitatem, & magnitudinem reliquiarum, ſed ſolùm attendendum, an ſint reliquiæ illius Sacramenti ab illo Sacerdote in ipſo ſacrificio confecti, tunc enim conſumi poſſunt, etiam ſi ſint aliquantulum grandiuſculæ.

39 Quod ſi reliquiæ non ſint ex illo ſacrificio; ſed ex alio præcedente, regulariter eas ſumendas eſſe antequam digiti abluantur, & ablutionis ſumptionem: eſt tamen verum, quod ſi poſt ablutionem ſumptam repertæ fuerint, & commodè in ſacrario ſeruari non poſſint, tunc conſumi etiam poſſunt ab ipſo Sacerdote, ne pereant; quoniam tunc datur neceſſitas ex parte ipſius Sacramenti, ne irreuerenter tractetur, aut pereat. Ita *Suar. loco citato, Henriq. lib. 8. c. 50. nu. 29. in fine*; qui *nu. 30.* etiam addit vna cum *Laym. vbi ſupra d. num. 22. ex Suar. & alijs*, Quòd Sacerdos poſt receſſum ab Altari non poteſt reliquias ſumere, ſi citra irreuerentiam aſſeruari poſſunt: eo quòd tunc expleuit miniſterium ſuum. Eſt tamen verū, quòd ipſe *Fagund. ibidem ex eodem Suar. d. ſec. 6. §. ad ſecundum*, ait quod ſi Sacerdos poſt ſacrum abſolutum per horam, aut aliud notabile tempus ſanctiſſimam Euchariſtiam Populo communicanti in Altari miniſtrauerit, poterit vaſa purificare, & reliquias ſumere, quæ ad præſens ſacrificium pertineant, quoniam tota illa eſt vna actio moralis. Quòd ſi reliquiæ ſint ex præcedentibus ſacrificijs conſultius videtur eas in ſacrario reſeruari, vt antea ſeruabantur, ſi cómodè ſeruari poſſunt, vt ſupra fuit dictum.

An, & quando ad reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramēti requiratur aliqua diſpoſitio, & munditia corporalis ex parte ſuſcipientis, & qualis eſſe debeat.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Nullum extat præceptum Diuinum, quo præcipiatur certa diſpoſitio, ſeù corporalis munditia valentibus ſuſcipere ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.*

2 *Poſſe tamen per Eccleſiam ſtatui, certum eſt apud omnes.*

3 *Extat per Eccleſiam præceptum Sacerdotibus volentibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere extra ſacrificium, & more laicorum, vt ſtola, & ſuperpelliceo vtantur ſub excommunicationis pœna.*

An peccant mortaliter Sacerdotes, ſi in infirmitate communicantes inſtar laicorum citra ſtolam, ac ſuperpelliceum, aut communicent in aliquo ſacello occultè, vel priuatè.

4 *Quamuis alia non adſint præcepta, quam prædicta circa veſtimenta, munditiam, & corporis diſpoſitionem, &c. Eſt tamen in hoc ſeruanda rationabilis Eccleſiæ conſuetudo.*

Et quomodo ſoleāt Clerici Regulares, & qui Sacerdotes non ſunt, ad hoc accedere Sacramentum, Quomodonè moniales, ac ſeculares omnes.

Et quomodo accedant fœminæ Dynaſticæ in Luſitania.

5 *Sacerdos antequam Miſſam celebret decens eſt, vt lauet manus, ac faciem. Et quam deuotionem habere debet, dum Miſſam incipit.*

6 *Mulieres remouendæ ſunt à communione propter fucum, & ornatum ementiti capilli.*

7 *Pollutio duplex eſt voluntaria, & inuoluntaria & an vtraque impediat Euchariſtiæ ſumptionem.*

Et adducitur opinio Diui Auguſtini, abſolutè negantis.

8 *Probabilior eſt opinio diſtinguens inter vtramq; pollutionem, & an vtraq; relinquat effectum, & carnis commotionem, etiam poſt pœnitentiam, aut non: vt primo caſu conſultius ſit non accedere. Secundo vero caſu nulla ratio ſuadet, cur abſtinendum ſit à communione.*

9 *Mulier, quæ communicare ſolet frequenter maximè omnibus diebus Dominicis, viro petenti debitum, debet reddere debitum, & poterit communicare.*

Quid ſi frequenter non communicet, ſed in præcipuis tantum feſtiuitatibus.

10 *Coniugi amenti poteſt alterum debitum reddere, ſed non tenetur, & quare.*

11 *In multis caſibus licitum eſt coniugi debitum denegare petenti, maximè ſi ſæpiſſime, & moleſtiſſimè petatur.*

12 *Quamuis peccatum carnis magnam ſecum afferat animi diſtractionem, poteſt tamen cohiberi per dolorem, pœnitentiam, ac ſanctiſſimi Sacramenti ſumptionem.*

13 *In lege veteri viguit præceptum, ne pollutus pane comederet propoſitionis, & ſimile quoq; aliquando extit poſt legem Euangelicam, fuit deinde eis abrogatum conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ.*

14 *Ne-*

Digitized by Google

24 *Negatur conſequentia de fucatis mulieribus ad pollutum, & quare.*
Et an, & quando pollutio ſit peccatum mortale, ſiuè voluntaria ſit in ſe, ſiue in cauſa.

IN hac controuerſia primò certa ab incertis ſeparabimus: ſecundò dubia per ſuas quæſtiones abſoluemus. Vndè ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

† CErtum eſt nullum extare præceptum Diuinum, quo præcipiatur certa diſpoſitio, ſeù munditia corporalis volentibus ſuſcipere ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Hæc concluſio patet, quoniam nec ex Euangelio, nec ex Apoſtolorum traditione habetur præſcripta certa veſtimentorum forma debere eſſe indutos accedentes ad hoc ſacrum conuiuium: nec legitur, quòd Dominus in Cœna Apoſtolis ſtantibus, vel genuflexis, ſeù iacentibus, detectis capitibus, aut coopertis, ſuum corpus ad manducandum, & ſuum ſanguinem ad bibendum tradiderit. Neque Diuino iure arcentur à ſumptione tanti Sacramenti deformibus veſtimentis induti, aut pretioſis: neque leproſi, ac vlceribus pleni: nec mulieres meſtruatæ: nec fluxum ſanguinis, aut ſeminis patientes: deformes facies, nec corpus giboſum, vel alium monſtruoſum defectum habentes, vt habetur ex *D. Gregor. in epiſt. ad Auguſt. Anglor. Epiſc. reſp.* 10. & 11. *D. Bonauen. in 4. d. 12. q. 3. Nauar. in Man. c. 21. nu. 50. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 68. ſec. 2. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. cap. 6. nu. 2. 3. & 4. & Laym. in ſua ſum. Thol. tract. 4. c. 6. ſub nu.* 13. & 14. cum alijs, quos allegant. Ait enim *Dominus Matt. c. 18. Non lotis autem manibus manducare non coinquinat hominem.* Non igitur iure Diuino per ſe præcipitur certa diſpoſitio, ſeu munditia corporalis ad ſuſcipiendam ſanctiſſimam Euchariſtiam.

SECVNDA CONCLVSIO.

2 QVamuis de diſpoſitione, & munditia corporali prærequiſita circa vſum ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti nihil de iure Diuino fuerit ſtatutum; nihilominus id poſſe per Eccleſiam ſtatui certum eſt apud omnes. Patet hæc concluſio ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de communione, cap.* 2. Dum ait, poteſtatem ſemper in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeù ipſorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret. Vndè licèt in principio naſcentis Eccleſiæ fuerit conſuetudo communicandi ſub vtraque ſpecie fideles omnes, etiam paruulos rationis vſu carentes, tamen progreſſu temporis ex iuſtis, ac grauiſſimis cauſis fuit mutata, & decretum, quòd ſub altera tantum ſpecie, nempè panis communicarentur: ac declaratum, paruulos non obligari ad communionem ſacramentalem, vt in *d. c. 2. Conc. Trid. & c. 4. & de fide definitum ead. ſeſſ. can. 1. & can. 4.*

TERTIA CONCLVSIO.

3 CErtum eſt per Eccleſiam extare præceptum Sacerdotibus volentibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere extra ſacrificium laicorum more, ſub pœna excommunicationis, vt ſtola, & ſuperpelliceo vtantur, vt in *c. Eccleſia 23. d. deſumpto ex Conc. Bracharen. 3. c. 3.* Eſt tamen verum, quod dictum *cap.* & relatum Conc. loquuntur quando Sacerdos vult communicare in Miſſa ſolemni, vt patet ex illis verbis, *Vt cum Sacerdos ad ſolemnia Miſſarum accedit, &c.* Et habetur ex *Nauar. in Man. c. 21. num. 54. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 68. ſec. 1.* & ex alijs, quos refert *Fagund. ſupra relato c. 6. ſub nu.* 1. quam ſententiam inquit eſſe communem contra *Angel. in ſua ſum. ver. Sacerdotes, §. 4.* Vndè inquiunt, non peccare mortaliter Sacerdotes communicantes in infirmitate inſtar laicorum citra ſtolam, & ſuperpellicium: aut communicent in aliquo ſacello occultè, vel priuatè. Et licèt excommunicationem *d. cap. ipſe Fagund.* putet eſſe non latæ ſententiæ, ſed ferendæ, mihi tamen videtur, eam eſſe ſententiæ latæ, eò quòd *d. cap.* vtitur verbis imperatiuis, vt in illis verbis, *Excommunicationi debita ſubiaceat.* Iuxta regulam à nobis traditā in noſtris *Commentar. ad Bull. Cœna. lib. 1. cap. 3. q.* 1. Sic etiam præceptum Eccleſiæ extat, quo cauetur, ne Sacerdos leproſus publicè celebret propter horrorem datis ei neceſſarijs ex Eccleſiæ facultatibus, vt in *c. tua nos, de cler. ægrot.* Qui quidem horror ceſſat, cùm Sacerdos celebrat coram leproſis, vt inquit *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 49. nu.* 1. quem ſequitur *Fagund. d. c. 6. ſub nu. 3.*

4 Cæterum quamuis in iure non adſint alia præcepta, quàm ſupra relata circa veſtimenta, munditiam, & diſpoſitionem corporis eius, qui ſumpturus ſit ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, eſt tamen in hoc ſeruanda rationabilis Eccleſiæ cuiuſcunque conſuetudo. Solent enim Clerici Regulares maximè, qui Sacerdotes non ſunt, ſuperpellicio induti, flexis genibus, humiliter, ac deuotè ad tantum Sacramentum accedere: moniales verò velatæ, ac genibus pariter flexis communicant; ſicut & ſæculares omnes, detecto quoque capite exiſtimantes, ac publicè profitentes ſe indignos eſſe, proferendo Centurionis verba illa, *Domine non ſum dignus, &c.* Non probat tamen *Fagund. vbi ſupra nu.* 2. fucos, & faſtus, quibus fœminæ Dynaſticæ in Lu-
5 ſitania communicando vtuntur, præmittendo prius ad Eccleſiam, in qua ſunt communicaturæ, mundiſſima mantilia, & vaſculos deauratos plenos aqua ad ſumendam ablutionem: quibus multo magis expedit procurare munditiam cordis, quàm corporis.

† Imò *D. Cyprianus lib. 2. epiſt. 10. ad euagr. &*
6 *lib. 3. epiſt. 14. & ſerm. de lapſis,* remouere iubet à communione mulieres propter fucum, & ornatum ementiti capilli.

Sacerdos denique antequam celebret valdè decens eſt, vt manus lauet, ac faciem: deindè Miſſam incipiens non ſolum intrinſecam deuotionem habere debet; ſed etiam ad ædificationem circumſtantium eamdem corporis amictu manifeſtare ſtudeat proferens verba deuotè, ac diſtinctè: in conſummatione ſacrificij hoſtiam dentibus non atterat, aut maſticet; ſicut nec alij communicantes; ſed reuerenter traijciant: non quod peccatum ſit dentibus atterere, ac maſticare; ſed ne quid dentibus adhæreat. Si quid autem fortè quicquam palato, dentibus, aut etiā fundo Calicis adhæſerit, illa particula, quæ ex tota hoſtia frangitur, & intra Calicem immittitur,

Digitized by Google

tur, decentius eſt, vt per ablutiones iteratas, ac repetitas inde educatur, quàm tactu digiti Sacerdotis: nullum tamen peccatum eſt, nec veniale quidem, ſi Sacerdotis digito decenter indè extrahatur. Ita *Fagund. d. cap. 6. nu. 4. ex Nauar. in Man. cap. 27. nu. 89. Henriq. loco citato, & ex alijs.* Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant. Tota difficultas modo eſt de pollutione corporis per effuſionem ſeminis, an & quatenus impediat ſumptionem ſanctiſſimæ
7 Euchariſtiæ. Et quoniam duplex eſt pollutio, inuoluntaria, & voluntaria; de vtraq; eſt præſens controuerſia, an impediat ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti ſumptionem eadem die, etiam præmiſſa confeſſione.

In hac re *D. Auguſtinus ſerm.* 244. de tempore abſolutè negat poſt pollutionem etiam inuoluntariam licitum eſſe communicare citra culpam ſaltem venialem eandem ſententiã tenet *D. Gregor. reſp. 10. & 11. ad Auguſtin. Anglor. Epiſc.* qui quidem *lib. 12. epiſt. 12.* loquens quoq; de pollutione voluntaria, inquit, quòd accedens ad ſanctiſſimam Euchariſtiam intra diem naturalem 24. horarum poſt voluntariam pollutionem, aut ad celebrationem Miſſæ, lethalem culpam contrahit: quam ſententiam ſequitur etiam *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 7. ad 3. & in 4. d. 9. q. 1. art. 4. Alex. q. 47. memb. 1. art. 1. Palud. in 4. d. 13. q. 2. tract. 2. Adrian. q. 4. de Euch. Conar. in clem. furioſus, 3. p. in prin. cap. 7. & alij.* Mouentur primò ex eo, quòd peccatum carnis, præter fœditatem corporis, affert communiter magnam mentis diſtractionẽ: vndè *Dyoniſ. Areop. c. 3. Eccleſiaſt. hierarch.* à communione, & ſacrificio magis præcipit abſtinere carnales, quàm Energumenos. Sic etiam *D. Clim. grad.* 15. docet citius eſſe communicandos hæreticos poſt pœnitentiam, quam carnales homines pœnitentes. Confirmatur, quoniam in lege veteri pollutus indignus æſtimabatur comedere panes propoſitionis, vt patet *1. Reg. c. 21.* Ergò multò magis indignus eſt cenſendus ad ſuſcipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo eſt verum Chriſti corpus, & ſanguis, & non ſubſtantia, ſed accidentia tantùm panis, & vini. Denique *Diuus Cypr. locis ſupra citatis*, iubet remoueri à communione fœminas propter fucum, & ornatum ementiti capilli, eiſdemq; præcipit differri abſolutionem: ergò multo magis à tanto Sacramento arcendi ſunt in voluntariam pollutionem lapſi.

8 His tamen non obſtantibus io contrarium eſt probabilior opinio, quam docent *D. Bonauen. Suar. Coninch.* & alij, quos refert, & ſequitur *Laym. in ſua ſum. Theol. lib. 5. tract. 4. cap. 6. nu. 14. & 15. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. cap. 6. nu. 6. 7. & 8.* Diſtinguentes, quod aut pollutio ſit voluntaria, aut inuoluntaria, & vtraque, an relinquat malignũ effectum, & carnis commotionem, etiam poſt pœnitentiam: aut non relinquat. Si primum conſultius eſt eadem die maximè ad tantum Sacramentum non accedere, ſiuè voluntaria fuerit pollutio poſt pœnitentiam, ſiuè inuoluntaria. Imò ita accedens venialem ſaltem culpam contrahit, quoniam citra irreuerentiam aliquam non dicitur accedere: & ita procedit prior ſententia: quod tamen verum eſt, niſi aliter Confeſſario videatur ad euitandum ſcandalum, aut ſi neceſſitas aliqua communicandi vrgeat, vel magna vtilitas; maximè ſi agatur de pollutione inuoluntaria, & putetur dæmonis fraude concitata. Quòd ſi ſecundum nulla ratio poſt pœnitentiam ſuadet, vt qui in pollutionem lapſus ſit inuoluntariam, aut etiam voluntariam, vel in fornicationem poſt pœnitentiam, à communione debeat abſtinere: ſiquidem rectè iam diſpoſitus eſt, & pollutionis peccatum, ſicut quoduis aliud poſt legitimam pœnitentiam perinde ſe habet, ac ſi peccatũ commiſſum non fuiſſet. Ita *Laym. loco citato. poſt alios, qui n. 16.* Addit quid dicendum ſit de mulieribus coniugatis, quæ pridie diei, qua communicaturæ ſunt, vel eodem die debitum maritis reddiderunt.
9 Etenim ſi mulier communicare ſoleat frequenter, nempè omnibus diebus Dominicis, aut feſtis, tunc viro petenti debitũ tenetur reddere, maximè ſi ſeriò petat, aliàs exponeret eum periculo peccandi, vltra quod ageret contra iuſtitiam, & poſſet virum ſcandalizare, & reddere ſibi odioſum, ſi debitum deneget: & propterea poterit reddere debitum, & communicare, quia opus licitum facit: eſt tamen verum, quòd ſi ob mentis euagationem indiſpoſitam ſe ſentiat, conſultius eſt, vt intermittat. Quòd ſi mulier non frequenter communicet, ſed in præcipuis feſtiuitatibus, tunc ante diem communionis futuræ, aut ipſa nocte petentem debitum debet rogare, vt abſtineat in honorem ſanctiſſimi Sacramenti; quod ſi ſeriò petat, & dubitet eum ſcandalizare ſi deneget, tunc poteſt reddere debitum, & communicare: & ſi ob animi euagationem indiſpoſitam ſe ſentiat, & non communicando admirationem, & notam aliquam contraheret apud domeſticos, & populum, conſultius eſt communicare, quàm communionem intermittere, maximè ſi communio facienda eſt tempore Iobilæi, in die Paſchatis, aut ſi ſtatuto ſodalitij eo die omnes ſodales Euch. accepturi ſunt. Ita *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 68. ſec. 2. Laym. loco citato*, & alij, & ſignanter *Fagund. d. cap. 6. ſub num. 16.*

10 Vbi addit coniugi amenti poſſe alterum debitum reddere ſi velit: non tamen tenetur, quia non liberè petit, neque actu humano; quamuis *Graff. lib. 2. deciſ. cap. 84. nu. 4. & Syl. ver. Debitum 2. circa finem*, contrarium doceant, quos intelligendos eſſe, inquit *Fagund.* quãdo coniux ſciebat coniugem eſſe amentem, ſed nihilominus voluit illum in maritum habere. Sed re vera eiuſmodi intellectus nobis non placet: nam ſi alter coniux tempore matrimonij contrahendi erat amens, non fuit validum matrimonium ex defectu conſenſus: & propterea coniux ſanæ mentis non poteſt citra culpam lethalem debitum reddere; quoniam id, quod redderetur, debitum non poteſt dici, cùm matrimonium non valuit: atque ideò non eſt recedendum à priori ſententia, quam docet *Sà ver. Debitum coniugale, nu. 16.*

11 In multis autem caſibus licitum eſt coniugi negare debitum petitum ab altero coniuge. Etenim ſi ſæpiſſimè, & moleſtiſſimè petatur, non iniuria ſibi denegatur, ſic etiam ſi coniux petens moderatè ſi non intendat alterum coniugem debitum ad aliquam culpam, denegans non peccat. Et denique ſi plures habeant filios, quàm alere poſſint, tunc alter coniux poſſet denegare

debi-

Digitized by Google

debitum; niſi timor adſit incontinentiæ in coniuge negante, vel petente, vt habetur ex *Syl. ver. Debitum 2. nu. 10. Sà ver. Debitum coniugale, num. 19. Graff. lib. 2. deciſ. cap. 84. nu.* & *Fagund. loco citato, nu. 17. qui nu. 18.* hæc, quæ diximus de coniuge amente extendit ad ebrium, ac furioſum: pro qua te allegat *Sanch. lib. 9. de debito coniugali diſp. 13. nu. 10.* & *Veg. 1. p. ſua ſum. cap. 18. caſu 12.* quamuis *Fagund. ibidem*, durum videatur velle alterum coniugem obligare ad reddendum debitum ebrio, ac furioſo. cum eorum petitio non ſit actus humanus, cùm non ſit libera, vt ſupra diximus.

12 Ad contraria facilè reſpondetur, & ad primum dicitur, quòd licèt peccatum carnis præter fœditatem corporis, magnam ſecum affert animi diſtractionem; illa tamen mentis diſtractio ſatis cohiberi poteſt per dolorem, & pænitentiam, ac ſumptionem ſanctiſſimi Sacramenti: quòd ſi per pœnitentiam non cohibeatur, conſultius eſt non communicare: verum ſi communicet, non eſt præceptum, quo quis ita diſpoſitus arceatur à communione.

13 Ad confirmationem reſpondetur viguiſſe in lege veteri præceptum illud, & ſimile aliquando poſt legem Euangelicam; attamen poſtea fuit abrogatum conſuetudine vniuerſalis Eccleſiæ, vt habetur ex *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 51. num. 1. Suar. in 3. p. D. Thoma diſp. 68. ſec. 3. §. ex hac enim, Nauar. in Man. cap. 21. nu. 51.* & facit *tex. in c. ad eius verò, d. 5.* & *c. teſtamentum, 6. d.* Etenim nocturna, vel diurna pollutio voluntaria licèt peccatum mortale ſit; tamen poteſt contingere, quòd homo manè, vel ſtatim poſt pollutionem tranſactam verè doleat, & de illa legitimam, ac veram penitentiam faciat: & propterea non poteſt aſſignari ratio, cur ad ſacram Eucharistiam non poſſit accedere.

14 Ad vltimum negatur conſequentia: quia fucatæ mulieres irrationabiliter, & ornatæ ementitis capillis, impenitentes earum vanitatum, accedunt ad ſacrum conuiuium, at pollutum ſupponimus accedere pœnitentem, & ſufficienter dolentem, ac confeſſum de ipſius crimine. Reliqua ad hanc rem pertinentia vide apud *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 6. à nu. 9. ad finem*, Vbi ſufficienter tractat de pollutione, an & quando ſit peccatum mortale, ſiuè voluntaria ſit in ſe, ſiuè in cauſa: ſiuè inuoluntaria in ſomnis ſimpliciter: ſiuè inuoluntaria in ſomnis, & effuſio in vigilia. Illud tamen eſt præcipuè notandum, quod idem *Fagund. ibi n. 10.* poſt alios inquit circa pollutionem voluntariam in cauſa, quod ſi quis poſt longum cibum, ac potum, quo præuidet certò pollutionem ſibi euenturam, ſtatim præcedenti nocte confiteatur, & dicat ſe dediſſe cauſam culpabilem pollutioni, quam inter eſum, & potum futuram præuidebat, & abſoluatur à Confeſſario, impoſita ſalutari pœnitentia, ſi deinde noctu polluatur, eum non teneri ad confitendum pollutionem illam; quoniam declarauit in confeſſione totum peccatum, & omnes circumſtantias illius, & per pœnitentiam, & confeſſionem fuit cauſa illius reciſa; atque ideò effectus pollutionis ſubſecutæ fuit effectus naturalis illius eſus, ac potus, inuoluntarius, & inculpabilis omninò. Quæ quidem ſententia ſi vera eſt, prout ita nobis videtur, idem dicendum puto de eo, qui mandauit alicui aliquem occidi in tali loco, ad quem dum iret mandatarius, & mandans non valens reuocare mandatum, pœnitentia ductus ad confeſſionem acceſſit, & legitimè pœnitentiam egit de mandato: nam ſi ſequatur homicidium, videtur eum non teneri homicidium ipſum confiteri; ſed tantùm damna reficere, quorum fuerit cauſa ob præfatum mandatum: ſiquidem in confeſſione totum peccatum, & eius circumſtantias manifeſtauit: & illud homicidium ex parte mandantis eſt inuoluntarium.

An ſit contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, quotidie communicare laicos.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Caietan. in ſum. haud laudat laicum, quotidie communicantem, & quare.*

2 *Diuus Ambroſius, & Cyprian. docent quotidie eſſe communicandum.*

3 *À D. Auguſt. non reprehenditur, qui communionem quotidie ſuſcipit, nec tamen laudatur.*
Et ex quibus pendeat huius controuerſiæ reſolutio.

4 *Quare Chriſtus Dominus ſub ſpecie panis, & vini, & per modum conuiuij hoc Sacramentum inſtituit. Quod Sacramentum panem quotidianum appellat, Diu. Auguſtinus.*

5 *Tam ex parte Sacramenti, quàm ex parte ſuſcipientis vtilius eſt quotidie communicare, quam non communicare, exigitur tamen magnus mentis affectus, conſcientia pura, ac magna reuerentia.*

6 *Licet Confeſſarius debeat eſſe fidelis, & prudens huius Sacramenti diſpenſator, eſſe tamen rigidus animarum cenſor, ſi laico vita probatiſſimo quotidianam non permitteret communionem.*
A quibus laudantur communicantes quotidie bona conſcientia.

7 *Res humanæ quãdo ſæpius tractantur vileſcunt, res verò Diuinæ, quo magis tractantur, & neſciuntur eo magis in maiori æſtimatione habentur.*

8 *Agnus Paſchalis fuit figura huius Sacramenti quantum ad Chriſti Paſſionem, & propterea ſemel in anno comedebatur.*

9 *Non ex eo, quod Lateranenſe Concil. ſtatuit, vt fideles ſemel tantum in anno communicent, damnat quotidianam communionem, & quare ſic præcepit.*

10 *Ab initio naſcentis Eccleſiæ fideles quotidie communicabant, & quare fuit præceptum, vt fideles quotidie communicarent.*

11 *Succeſſu temporis frigeſcente charitate ter tantum in hebdomada fiebat Miſſæ ſacrificium, & communicabant.*
Et quare Fabianus Papa indulſit, vt ter in anno fideles communicarent in Paſcha ſcilicet Pentecoſtes, & Natalis Domini, alias Catholici non haberentur.

12 *Reſpondetur ad authoritatem Diu. Auguſt. de qua in c. quotidie de conſecr. d. 2.*

13 *Diuus Hieronymus, nec laudat, nec vituperat coniuges quotidie communicare, etiam poſt coitum coniugalem: eiuſq; afferuntur verba.*

In

Digitized by Google

1 IN hac re *Caiet. in ſum. ver. Communio*, præſumptionis damnat hominem laicum quotidie communicantem. Etenim huic Sacramento, in quo totus Chriſtus continetur, maxima præ cæteris reuerentia debetur: & propterea ad maiorem reuerentiam pertinet, vt aliquando quis ab illius ſumptione abſtineat: quoniam quæ ſæpius tractantur viloſcunt, iuxta illud, *Nimia familiaritas parit contemptum*. Hinc laudatur *D. Petrus, Lucæ cap.* 2. dum ait Domino, *Exi à me Domine, quia homo peccator ſum*. Præterea hoc Sacramentum eſt figura Agni Paſchalis, qui ſemel tantum in anno manducabatur: ergò non eſt licitum quotidie communicare, ſed ſemel tantùm in anno. Denique probatur ex *noſtro capite*. §. 2. Vbi ex præcepto Eccleſiæ ſemel tantùm in anno communicare: at Eccleſia in ſuo præcepto declarauit id quod licitum erat, ac laudabile: non igitur licitum eſt laicis præſertim quotidie communicare.

2 *Diuus Ambroſ. vero lib. 4. de Sacram. c. vlt. de quo in c. ſi quotieſcunque, de conſecr. d.* 2. docet quotidie eſſe communicandum, his verbis, *Si quotieſcunque effunditur Sanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo illum ſemper accipere, vt ſemper mihi peccata dimittantur. Quia ſemper pecco, ſemper debeo habere medicinam.* Ob id in principio naſcentis Eccleſiæ Chriſtiani quotidie ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum ſumebant, iuxta illud *act. Apoſt. c. 2. Erant perſeuerantes in doctrinis Apoſt. & communione, fractione panis, & orationibus.* Quo circa vbi aliquis in crimen aliquod incidebat, à communione arcebatur, vt *Cypr. de orat. Domini*, ſic ait, *Euchariſtiam quotidie ad cibum ſalutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abſtenti, & non communicantes à cæleſti pane prohibemur, à Chriſti corpore ſeparamur.* Quæ quidem pœna quoniam à fidelibus grauiſſima tunc temporis reputabatur, idcircò fuit decretum per Hilarium Epiſcopum, de quo in *c. ſi non ſunt, de conſecr. d.* 2. vt non abſtineant fideles à corpore Domini, niſi qui excommunicari mererentur, his verbis, *Si non ſunt tanta peccata, vt excommunicetur quis, non ſe debet à medicina corporis, & ſanguinis Domini ſeparare.*

3 A Diuo Auguſtino denique, qui communionem quotidie ſuſcipit, non reprehenditur, nec laudatur, vt habetur in *c. quotidie, de conſecr. d.* 2. ita ſe habente, *Quotidie Euchariſtiæ communionem percipere, nec laudo, nec vitupero.* Vndè in hac difficultate tres extant opiniones. Prima damnat perceptionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ quotidie. Secunda laudat. Tertia denique non laudat, nec vituperat. Quid igitur nobis erit dicendum? Reſpondemus ergò, quòd reſolutio huius controuerſiæ pendet ex bonitate, qualitate, diſpoſitione, & deuotione eius, qui vult quotidie communicare: quod negotium non eſt remittendum arbitrio volentis communicare; ſed prudentiæ, ac iudicio prudentis Confeſſarij; qui ſi viderit ſuum pœnitentem eſſe ſingularis modeſtiæ, ac bonitatis, in lethalem culpam non ſolitum prolabi, & de venialibus peccatis, in quæ ex fragilitate incidat, maximè dolere, cum propoſito firmo non peccandi de cætero, non video cur ita diſpoſito poſſit quotidianam communionem denegare. Etenim Chriſtus Dominus ſub ſpecie panis, & vini, & per modum conuiuij hoc Sacramentum inſtituit, & ſumi voluit tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur, viuentes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuit propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ.* 13. *c.* 2. Hinc *D. Auguſtin. ſer.* 28. de verbis Domini, hoc conuiuium ſacrum appellat panem noſtrum quotidianum, ad quem dignè, ac frequenter ſuſcipiendum exhortans, ſic ait, *Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit, panis enim quotidianus eſt ſic tamen viue, vt quotidie merearis accipere.* Si igitur hoc admirabile Sacramentum panis noſter eſt quotidianus, inſtitutum à Deo ad præſeruandum nos à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus, a que ideò à morte ſpirituali animæ, quæ non eſt aliud, quàm ammiſſio gratiæ, per quam anima ſpiritualiter viuit: ergò ſicut indigemus quotidie pane, ac cibo corporali ad conſeruandam vitam corporalem; ita quoque indigemus quotidie hoc pane, & cibo cęleſti ad conſeruandam vitam ſpiritualem animæ, nempè Dei gratiam.

5 Vndè tàm ex parte Sacramenti, quàm ex parte ſuſcipientis, vtilius eſt quotidie communicare, quàm non communicare quotidie. Eſt tamen verum, quòd ex parte ſumentium, ad communicandum quotidie exigitur magnus mentis affectus, conſcientia pura, ac magna reuerentia, poſtquam communicando illum ſumunt, quem proni adorant Angeli, venerantur Cherubini, Cęlorumq; poteſtates reuerentur humiliſſimè. Et licèt *Rodriq. p. 1. ſuæ ſum. c. 57. nu.* 6. Ad dignè communicandum quotidie exigat ſanctitatem, & diſpoſitionem S. Catherinæ; nihilominus totum hoc negotium, vt ſupra diximus, remittitur iudicio prudentis Confeſſarij, qui antequam licentiam quotidie communicandi ſuo confitenti concedat, eumdem probet prohibendo illi communionem per aliquot tempus: nam ſi humiliter obediendo abſtineat, dignum quotidie communione ſe manifeſtat, alijs conditionibus concurrentibus, quas ſupra retulimus: quòd ſi pœnitens ipſe impatienter ferat priuari cęleſti pabulo, tunc indignum eſſe inquit *Rodriq. loco citato*, quotidie communicare: ſiquidem eiuſmodi deſiderium prouenit aliquando ex tentatione diabolica, vt ipſum præcipitet. Cęterum, ait *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. cap. 7. n.* 7.

6 Quod licèt Confeſſarius debeat eſſe fidelis, & prudens diſpenſator, vt ſciat cibum ſpiritualem in tempore egentibus dare, & negare; nihilominus rigidus admodum conſcientiarum cenſor eſſet ille Confeſſarius, qui laico etiam vitæ probatiſſimæ non permitteret quotidianam communionem: eo maximè quoniam *D. Auguſtinus*, de quo in *c. non prohibeat, de conſecrat. d.* 2. ſic ait. *Non prohibeat diſpenſator manducare pingues terræ in menſa Domini, ſed exactorem moneat timere.* Imò communicantes quotidie bona conſcientia laudant *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 10. D. Auguſt. ſerm. 28. de verb. Domini, D. Ambr. lib. 3. de ſacram. c. 4. D. Hieronym. in Apolog. contra Iouinian. Henriq. lib. 8. de Euch. cap. 55. num.* 6. & alij quamplurimi. Etenim ex inſti-

inſtitutione Chriſti hoc Sacramentum eſt cibus animæ, & panis quotidianus, & propterea dignus eſt laude, qui bene diſpoſitus quotidie huiuſmodi cęleſti pane cibatur. Eſt tamen verum, quòd tàm *D. Auguſt. in c. quotidie, de conſecr. d. 2.* quàm Doctores communiter ſuadent, ac hortantur fideles ad communicandum omnibus Dominicis diebus. vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 69. ſec. 4. concl. 2. Reginal. lib. 29. ſua prax. nu. 78. & 79. Molf. p. 1. ſua ſum. tract. 3. c. 8. in fine*, & ex alijs, quos ipſi allegant.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

7 AD primum primæ ſententiæ dicimus, quòd res humanæ quando ſæpius tractantur, vileſcunt: at res Diuinæ quò magis tractantur, & noſcuntur, eo magis in maiori æſtimatione habentur. Laudantur autem Apoſtolus Petrus, & centurio, eo quòd ex affectu, & feruore humilitatis dixerint, alter, exi à me Domine, quia peccator ſum: & alter, Domine non ſum dignus, vt intres ſub tectum meum, &c. Verùm multo magis laudatur Zaccheus, qui gaudens ſuſcepit Dominum in domum ſuam, dimidium bonorum ſuorum dedit pauperibus: & ſi quid defraudauerit, obtulit reddere quadruplum; propter quod meruit audire ab ipſo Domino; *Hodiè huic Domui ſalus facta eſt*. Atque adeò remiſſionem ſuorum peccatorum obtinuiſſe fuit certus redditus. Imò qui ex humilitate non audent accedere ad tantum Sacramentum, agnoſcentes ſe eſſe cęleſti conuiuio indignos: & præſertim ſi frigidos ſibi videri dicant, ſunt excitandi ad communicandum: quia vt inquit *Ioan. Gerſon relatus à Rodriq. d. cap. 57. nu. 5.* Qui non grauatur conſcientia peccati mortalis, & timet accedere ad tantum Sacramentum, eſt ſimilis illi, qui moriens propter frigus, timet ad ignem accedere, vt caleſiat.

8 Ad ſecundum reſpondetur negando conſequentiam: quoniam Agnus Paſchalis fuit figura huius Sacramenti quantum ad paſſionem Chriſti quæ in ipſo Sacramento repreſentatur, & propterea ſemel tantum in anno comedebatur; quoniam Chriſtus Dominus ſemel tantùm mortuus eſt; atque ideò Eccleſia ſemel quoque in anno memoriam paſſionis recolit: at in hoc Sacramento traditur nobis memoria paſſionis Chriſti per modum cibi quotidiani figurati in manna: qua propter, ſuppoſita debita diſpoſitione, quotidie debet ſumi, iuxta illud *D. Auguſtini, Iſte panis quotidianus eſt, accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit.*

9 Ad *tex.* noſtrum reſpondetur, quòd Concil. Lateran. ſtatuit, vt fideles ſemel tantùm in anno ex præcepto communicent, non vt quotidianam damnet communionem; ſed quia charitas ita refriguerat in ipſis fidelibus, vt niſi huiuſmodi præceptum fuiſſet impoſitum, vix ſemel, & fortè nunquam in vita communicaſſent; idcircò præcepit, vt ſemel in anno ad minus in Paſcha communicent. Cęterum Eccleſia maximè cupit renouari apud fideles antiquam illam conſuetudinem communicandi quotidie, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 6. in prin.* in illis verbis, *Optaret quidem ſacroſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles aſtantes nō ſolum ſpirituali affectu ſed ſacramentali etiam Eucharistia perceptione communicarent, &c.* Pro cuius rei clariori explicatione eſt adnot. quòd ab initio naſcentis
10 Eccleſiæ idcircò fideles quotidie communicabant, quia ob Chriſti Domini ſanguinem recenter effuſum magna vigebat deuotio, & deſiderium martyrij, idcircò vt fideles ipſi robur acciperent, fuit præceptum, vt fideles quotidie communicarent, vt decreuit Anacletus Papa, de quo in *c. peracta*, & ibi *Doct. de conſecr. d. 2.* Ita ſe habente, *Peracta conſecratione, omnes communicent, qui noluerint Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim, & Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet Eccleſia.* Deindè paulatim frigeſcente deuotione, & fidei feruore, præceptum deſuetudine ceſſauit, & inualuit conſuetudo communicandi quater in hebdomade, vt teſtatur *D. Baſil. in epiſt.* ad Cæſariam Patriciam, dicens *Nos quater in hebdomada communicamus, nimirum feria quarta, ſexta, Sabbato, & Dominica, ac in alijs diebus, ſi qua memoria fuerit ſancti.*

11 Poſtmodum ſucceſſu temporis frigeſcente adhuc magis charitate, ter tantum in hebdomade fiebat Miſſæ ſacrificium, & communicabant: & alicubi etiam bis, nempè in Dominica, & Sabbato, vt refert *D. Auguſtin. tract. 26. in Ioan. & epiſt. 118. ad Ianuar. c. 2.* Et quoniam multis fidelibus huiuſmodi communionis frequentatio videbatur oneroſa, idcircò indulſit Fabianus Papa, vt ſi non ſæpius, ſaltem ter in anno fideles communicarent, nempè in Paſcha, Pentecoſtes, & Natali Domini: vt in *c. & ſi non frequenter, de conſecr. d. 2.* Quod decretum adeo voluit ſeruari, vt contrauenientes voluerit non haberi catholicos, vt in *c. ſaculares ead. d.* ſtatuit his verbis, *Sæculares, qui in Natali Domini, Paſcha, & Pentecoſte non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.* Denique, quia multi quoque fideles æſtimabant hoc præceptum adhuc eſſe rigoroſum, ideò *Inn. IV. in ex Conc. Lateran. in noſtro cap.* ſtatuit, vt ſaltem ſemel in anno in Paſcha fideles communicarent: quòd *Conc. Trid.* confirmauit *ſeſſ. 13. can. 9. & ſeſſ. 21. c. 4.* Verum non ob id Eccleſia vetat amplius communicare; ſed obligat, & faſtidioſos inuitat, vt ſaltem ſemel in anno cōmunicent, vt latè declarat *Fagnnd. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 7. nn. 5.*

12 Ad auctoritatem *D. Auguſt. de qua in d. cap. quotidie, de conſecr. d. 2.* Dum communicantes quotidie non laudat, nec vituperat, reſpondetur, quòd *D. Auguſtin.* ibi non loquitur de illis, qui non ſoliti ſunt labi in lethales culpas, & alias conditiones habent, quas ſupra enumerauimus: nam hos non ſolum laudat, ſed etiam inuitat ad quotidie communicandum, dum ait *ſerm. 28. de verbis Domini, Accipe quotidie, vt quotidie tibi proſit, panis enim quotidianus eſt; ſic tamen viue, vt quotidie merearis accipere.* Sed loquitur de illis, qui facilè labentes in lethales culpas præmiſſa pœnitentia quotidie communicant: hos enim non laudat, nec vituperat; ſicut & D. Hie-
13 ronimus contra Iouinianum, & Apologia contra eundem non laudat, nec vituperat conſuetudinem Romanam coniugum quotidie communicantium etiam poſt coitum coniugalem, ita inquiens: *Scio Romæ eſſe conſuetudinem, vt fideles communicent omnibus diebus, etiam poſt coitum coniugalem, quod nec laudo, nec reprehendo.* Quoniam licèt nulla culpa ſit copula coniugalis,

nihi-

Digitized by Google

nihilominus ipſa licita admiſtio coniugum vix ſine voluptate carnis fieri poteſt, & propterea ſicut qui coniuge vtitur ſolummodò liberorum creandorum gratia relinquendus eſt ſuo iudicio ſi velit communicare, cùm non debeat prohiberi accipere, qui in igne poſitus neſcit ardere; ita arcendus eſt à communione, qui ſola voluptatis cupidine captus coniuge fuit vſus; quoniam voluptas ipſa ſine culpa nullatenus eſſe poteſt. Cum enim non amor procreandæ ſobolis, ſed voluptas dominatur in opere commiſtionis, habent coniuges etiam de ſua commiſtione, quod defleant. Ita *Gregor. in reſponſ. 10. ad interrogationes Auguſtini Anglorum Epiſcopi*, de quo in *can. vir cum propria coniuge, de conſecr. d. 2.* Vndè ad effugiendam irreuerentiam, quæ communicando tanto Sacramento inferri poſſet propter coniugum copulam ex ſola voluptatis cupidine habitam, & propter mentis diſtractionem, quam coniuges ex ea concipere ſolent, *text. in c. ſcitis fratres, 33. q. 4. ex D. Hieronymo*, ſic ait, *Si panes propoſitionis non poterant ab ijs, qui vxores ſuas tetigerant comedi, quanto minus panis ille, qui de Cœlo deſcendit, non poteſt ab his qui coniugalibus paulo ante hæſere complexibus, violari, atque contingi non quod nuptias condemnemus, (hoc enim non dicimus,) ſed quòd eo tempore, quo carnes Agni manducaturi ſumus, vacare operibus carnis non debeamus.* Vndè circa rem hanc ſeruanda ſunt, quæ ſupra docuimus, ſec. præcedenti.

An ſit contra reuerentiam Sacramenti ſanctiſſimæ Euchariſtiæ pluries in die communicare.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos in die Natalis Domini ter celebrat, & communicat; & S. Leo Papa ſepties, & nouies celebrabat.*
2 *Pluries eodem die communicare, non eſt prohibitum Iure Diuino, ſed ſolum Iure humano.*
3 *Romanus Pontifex diſpenſat, vt poſſit quis pluries eodem die Miſſam celebrare.*
4 *Per ſe loquendo, ſeruato ieiunio, ac ſecluſo ſcandalo, in qualibet diei hora poteſt fidelis communicare.*
5 *Ante auroræ principium regulariter licitum non eſt Miſſam inchoare, & quare.*
6 *Cur Teleſphorus Papa prohibet Miſſam ante horam tertiam, & de qua Miſſa id intelligatur.*
7 *In feſto Natalis Domini Miſſa celebratur in media nocte, & cur.*
Et an omnes tres Miſſæ celebrari poſſint de nocte.
8 *Sacrificare hora, & dimidia ante Solis ortum non eſt peccatum.*
Et an ſit licitum Miſſam celebrare per totam horam nonam diei vſque ad tertiam horam poſt meridiem.
9 *Quæ nam ſit rationabilis cauſa celebrandi Miſſam poſt alteram horam poſt meridiem, vel poſt finitum officium.*
10 *Patres Congregationis Theatinæ, ac Soc. Ieſu, & Congregationis Sanctæ Mariæ Fulienſ. ex priuilegio Miſſam celebrare poſſunt per horã ante Auroram, & infra horam poſt meridiem.*
Et ex qua cauſa.
11 *Pluries in die communicare, & ſi regulariter quis non poſſit, poterit quippe ad impediendam iniuriam, ac irreuerentiam, imminentem ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*
12 *Si quis poſt ſumptum mane ex deuotione ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, eodem die ex inopinato caſu in articulo mortis conſtituatur, an poſſit iterum, & debeat per modum Viatici communicare.*
Et quis nam ſit finis præcepti ſumendi Euchariſtiam in articulo mortis.
13 *Vnuſquiſq; in ſuis actibus obligatorijs intentionem habere præſumitur virtualem, ac implicitam implendi omnem obligationem.*
14 *Si quis in articulo mortis conſtitutus Sacram. Euchariſtiam, ſumpſerit per modum Viatici, non tenetur amplius ex præcepto communicare licet mortis periculum per menſem, & vltra perſeueraret, niſi poſt reconualeſcentiam iterũ recideret, & in periculum conſtitueretur.*
15 *Quamuis humano Iure prohibetur, quis communicare pluries eodem die, & Miſſas celebrare, in nouem vero caſibus, vel in tribus præcipuis licitũ eſt pluries eadẽ die celebrare.*
16 *Sacerdotes ter celebrantes in die Natalis Domini ante ſumptam digitorum ablutionem, id ex priuilegio agunt, cum pluries communicare non ſit intrinſecè malum; & poterit Summus Pontifex in hoc diſpenſare.*
17 *S. Leo Papa potuit ſecum diſpenſare, vt pluries in die celebraret, & quare.*

1 IN hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Etenim in die Natalis Domini Sacerdos ter celebrat, & communicat. Et de D. Leone Papa teſtantur graues auctores, eum ſepties, & aliquando nouies celebraſſe: ergò communicare pluries in die non eſt contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti; aliàs Sacerdotes in die Natiuitatis Domini non poſſent citra culpam celebrare, & D. Leo peccauiſſet ſepties, & nouies in die celebrando.

His tamen non obſtantibus, incontrarium eſt communis Doctorum ſententia, quam docent *D. Thom. 3. par. q. 80. art. 10. ad 4. & in 4. d. 12 Palud. Alenſ.* & alij apud *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 69. ſec. 4. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 2.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 7. ſub nu.* 11. Dicentes, nulli licitum eſſe communicare pluries in die, etiam ſi Sacerdos ſit, & extra ſacrificium Miſſæ velit communicare. Mouentur ex eo, quòd id vetat vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudo; quæ obligat ſub præcepto, vt aliàs diximus; quia propter pluries in die quis communicando cum faceret contra præceptum Eccleſiæ, procul dubio communicando lethalem contraheret culpam: at communicans in peccato mortali irreuerenter accedit ad tantum Sacramentum, vt infra ſuo loco latius, Deo duce, dicemus. Confirmatur, quia communicans ſecunda vice eodem die nõ communicaret ieiunus, etiam ſi ablutionem non ſuſciperet, vt inquit *Fagund. loco citato*; at communicans non ieiunus facit contra reuerentiam huius Sacramenti, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 3.* Hæc igitur ſententia cùm nobis magis placeat, idcircò pro eius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

† 2 DE iure Diuino non extat prohibitum pluries eodem die communicare: ſed tantùm eiuſmodi prohibitio eſt de iure humano. Hæc concluſio eſt *D. Thom. in 4. d. 12. Palud. Alenſ.* & aliorum apud *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 69. ſec. 4. verſ. Dices.* Prima pars huius concluſionis patet: nam ſæpè de iure Diuino non eſt prohibitum ſacrificare; ergò nec communicare, cum non poſſit aſſignari diuerſitatis ratio, cur de iure Diuino prohibeatur pluries communicare, & non pluries ſacrificare, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Et eo magis, quia nulla lege Diuina ſcripta, aut tradita cautum id reperitur. Quocirca
3 quemadmodum Rom. Pontifex diſpenſat, vt poſſit quis pluries eodem die Miſſam celebrare; ita quoque poterit, vt ſæpe eodem die communicet. Probatur ipſa concluſio quoad ſecundam partem ex *tex. in c. ſufficit, de conſecr. d. 1.* vbi ſic legitur, *Sufficit Sacerdoti vnam Miſſam in die vna celebrare.* Idem habetur in *c. conſuluiſti de celebr. Miſſar.* Si igitur non poteſt Sacerdos niſi vnam Miſſam in die celebrare, atque ideò ſemel eodem die communicare, multo magis id interdictum cenſetur ijs, qui Sacerdotes non ſunt, pluries in die ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere; cùm multo melius Sacerdotes, quàm qui Sacerdotes non ſunt, maximè ſæculares, diſpoſiti ad ſuſcipiendum tantum Sacramentum cenſeamur. Confirmatur ex Eccleſiæ vſu, ac conſuetudine; quæ eſt valdè rationabiliter introducta ob reuerentiam tanti Sacramenti, ne ſcilicet propter nimiam frequentiam vileſcat. Et re vera merito pro huius rei confirmatione myſtica congruentia aſſignatur à *D. Thoma loco citato*: vt ſcilicet per vnicam vnius diei communionem vnitas, ac ſufficientia paſſionis Chriſti repreſententur; ſicut per vnius Miſſæ celebrationem Chriſti paſſio commemoratur, qui ſemel paſſus eſt, & totum mundum redemit, iuxta *tex. in d. c. ſufficit, de conſecr. d. 1.*

SECVNDA CONCLVSIO.

4 PEr ſe loquendo, ſeruato ieiunio, ac ſecluſo ſcandalo, in qualibet hora diei poteſt fidelis communicare. Hæc concluſio eſt *Angeli in ſum. ver. Euchariſtia 3. nu. 39. Syl. eod. verbo, q. 14. & Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 69. ſec. 4. verſ. Tandem inquiri hic poteſt.* Probatur, quoniam licèt vt plurimum ſoleat dari communio vſque ad meridiem tanquam tempus congruentius; nihilominus nulla extat lex ad id obligans: neq; ſecundùm prælatos Doctores conſuetudo eò introducta eſt, vt præceptum induxerit. Quod quidem licet ſubſtineri valeat quoad communionem ſimplicem ſumendam; nihilominus aliter dicendum videtur quoad ſacrificium Miſſæ.
5 Etenim ante auroræ principium regulariter non eſt licitum Miſſam inchoare, vt habetur ex *D. Thoma 3. p. q. 83. art. 2. ad 4.* Hoc idem docent communiter *Theologi, & Summiſtæ,* vt habetur ex *Suar. loco citato, D. Thoma diſp. 80. ſec. 4.* Qui vltra rationem myſticam allatam à *D. Thoma vbi ſupra*, affert alteram humanam: ſiquidem ante illud tempus, vt plurimum non ſunt fideles conuenienter diſpoſiti ad eiuſmodi Religionis opus. Confirmatur ex conſuetudine totius Eccleſiæ, & ex regulis Miſſalis; atque ideò id eſſe Eccleſiaſticum præceptum manifeſte conſtat.

Nec obſtat *tex. in can. nocte ſancta, de cõſecr. d. 1.*
6 Vbi Teleſphorus Papa prohibet Miſſam ante horam tertiam; & rationem aſſignat inquiens, *Quia in eadem hora Dominus Crucifixus eſt, & ſuper Apoſtolos Spiritus Sanctus legitur deſcendiſſe.* Quoniam reſpondetur, quòd ibi Teleſphorus loquitur de Miſſis diei ſolemnibus, ſeù conuentualibus: aut ſi generaliter eſt intelligendus etiam de Miſſis priuatis, præceptum illud conſuetudine fuit abrogatum, vt per *Suar. loco cit.* vbi etiam ex rubricis Miſſalis, *Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. de obſeruandis in ritu ſacrificij,* Ex conſuetudine Eccleſiæ, ex communi Theolog. ſententia, & ex alijs, probat quòd ſicut Miſſæ debent inchoari regulariter ab initio auroræ; ita etiam abſolui debent ante meridiem: ſiquidem id pertinet ad reuerentiam tanti Sacramenti, vt ante prandium perficiatur, vt tàm ſacrificantes, quàm ſacrum audiẽtes decentius, ac deuotius id agant.

7 Dixi, *Regulariter*, quoniam id, quòd diximus multipliciter limitatur: ſiquidem in feſto Natalis Domini Miſſa celebratur in media nocte vt in *d. c. nocte ſancta de conſecrat. d. 1.* ita ſe habente, *Nocte ſancta Natiuitatis Saluatoris Miſſas celebrent Presbyteri.* Vbi eſt adnot. quòd canon ſimpliciter loquitur de Miſſis in plurali: nec eius diſpoſitio primam potius reſpicit, quam cæteras; atque ideo vi dicti canonis omnes tres Miſſæ celebrari poſſunt de nocte ante auroram. Quod quidem ait *Suar.* locum ſibi vendicare in Miſſis priuatis; quæ poſt primam abſolutam immediatè celebrari poſſunt; ſecus in Miſſis ſolemnibus, vt rectè declarat *D. Thom. 3. p. q. 83. art. 2. in corp. & Suar. in eum diſp. 80. ſec. 4.*
8 *verſ. Tertiò inquiri poteſt.* Imò de iure loquitur idem *Suar. ibi in verſ. Secundò inquiri poteſt,* Non eſſe peccatum ſacrificare hora, & dimidia ante ortum ſolis. Et quamuis non deſint Auctores, qui velint, licitum eſſe Miſſam celebrare per totam horam nonam diei, vſque ad tertiam horam poſt meridiem, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 25. nu. 85. & de orat. c. 21. nu. 22.* & alijs; nihilominus ipſe *Suar. ibidem, ver. Quocirca,* Putat, hanc ſententiam non eſſe tutam in praxi, & citra rationabilem cauſam non eſſe ſeruan-
9 dam. Erit autem rationabilis cauſa, ſi feſtum v. g. ſit ſolemne, & Miſſa publica, & concio non abſoluatur, niſi poſt vnam, aut alteram horam poſt meridiem: nam tunc poſſet Miſſa priuata inchoari poſt finitum ſolemne officium: & id maximè, ne aliqua Populi pars Miſſa priuetur. Item rationabilis cauſa erit iter: ſiquidem ratione itineris in die feſto quis poteſt celebrare poſt meridiem, dummodò vnius horæ terminus non excedatur. Poteſt etiam anticipari Miſſa ante auroram, aut celebrari poſt meridiem vigore alicuius priuilegij: quia præceptum celebrandi in principio auroræ: & abſoluendi Miſſam ante meridiem, non eſt Diuinum iuxta ea, quæ ſupra
10 diximus. Vndè noſtræ Congregationis Patres, ſicut & Societatis Ieſu, ac Congregationis S. Mariæ Fulienſ. & Ordinis Minorum, poſſunt Miſſas ex priuilegio celebrare per horam ante auroram, & infra horam poſt meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti cauſa, de licentia Superioris Generalis, vel cuiuslibet alterius ab eo ad id deputati; atque ideò in noſtra Congregatione quilibet Præpoſitus poteſt facul-

tatem

tatem eiuſmodi concedere, vt habetur ex *P. Pellegr. in comp. noſtr. priuil. p. 1. tit. Miſſa, §. 3. & in Schol.* Præterea ad conſolationem, & ſalutem animatum famulorum, & laborantium in Monaſterijs: & denique ex cauſa neceſſitatis poſſunt anticipare in celebranda Miſſa, & protrahere poſt meridiem, vt ex *Pellegr. loco citato*.

TERTIA CONCLVSIO.

11 Quamuis regulariter quis non poſſit pluries in die communicare, iuxta ea, quæ diximus in prima concl. nihilominus id licitum eſt ad impediendam iniuriam, ac irreuerentiam imminentem ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. Probatur; quia quòd quis poſſit pluries eodem die communicare, non eſt prohibitum de iure Diuino; ſed tantùm de iure humano id fuit introductum ob reuerantiam tanti Sacramenti, ne propter nimiam frequentiam vileſcat; ergo huiuſmodi humanum præceptum non debet ita ſeruari, vt in illius iniuriam, ac irreuerentiam cedat: ſiquidem quod fauore alicuius introductum eſt, non debet in odium, & leſionem retorqueri, *l. quod fauore, C. de legib.* Hinc ſequitur, vt ſi quis poſt ſumptam ex deuotione ſanctiſſimam Euchariſtiã, iterum, & tertio eodem die, etiam non ieiunus communicet, ne in hæreticorum, aut aliorum infidelium manus incidat, ne comburatur, conculcetur, &c. Nullam culpam contrahit; quin potius meretur, cùm eiuſmodi ſit pietatis actus, vt habetur ex *Angelo ver. Euchariſtia*, & ex alijs apud *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 69. ſec. 4. verſ. Quæri autem obiter poteſt.* Cæterùm extra huiuſmodi caſus nunquam licitum eſt pluries eodem die communicare.

12 Et licet aliqui velint, quòd ſi quis poſt ſumptum mane ex deuotione ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, eodem die ex inopinatu euentu conſtituatur in articulo mortis, poſſit iterum per modum Viatici communicare; imò debeat: quia præceptum de non communicando pluries eodem die eſt humanum, & præceptum de communicando in articulo mortis eſt Diuinum; atque ideò quando concurrant duo præcepta incompatibilia, tunc ſeruandum eſt, quod arctius, & maius eſt, vt in *c. Iulianus, & c. ſi Dominus, 11. q. 3.* & nos latè oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, c. 2. q. 3.* Nobis tamen contrarium videtur dicendum, vt expreſsè docet *Suar. d. diſp. 69. ſec. 3. verſ. Dico primò, in fine:* Etenim eo caſu non vrget præceptum Diuinum, ſed omninò ceſſat: nam dum finis præcepti ſumendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in mortis articulo, ſeù periculo ſit, vt per talem communionem fideles in eo ſtatu ſe præparent ad tranſitũ ex hac vita, id aſſequitur, dum paulò ante ſumpſit. Nec obſtat ſi dicatur; quod communionis tempore Diuinum præceptum non vrgebat; ergò non poteſt dici fuiſſe præcepto ſatisfactum, quoniam reſponderur, quòd vnuſ-
13 quiſque in ſuis actibus obligatorijs preſumitur habere intentionem virtualem, ac implicitã implendi omnem obligationem, quam tunc poteſt, & debet implere, quamuis illam ignoret: & ſatis eſt non habere intentionem contrariam. Vnde *Sot. Suar.* & alij apud *Molf. p. 1. ſua ſum. Theol. c. 8. nu. 96. tract. 3.* Secundum ſententiam magis receptam volunt, quòd communicatus ante dies octo, quam in mortis periculum incideret, licèt melius faceret, ſi iterum per modum Viatici communicaret; non tamen obligatur ex præcepto per rationem ſupra relatam. Et id etiam verum eſſet, inquit *Suar. ibi, concl. 4. verſ. Secundum modum, contra Sot.* Si illo medio tem-
14 pore lethalem culpam contraheret. Imò ſi per modum Viatici in articulo mortis conſtitutus ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumpſerit, licèt mortis periculum per menſem, & vltra perſeueraret; non tamen ex præcepto cogitur iterum communicare; niſi poſt conualeſcentiam iterum recideret, & in mortis articulo conſtitueretur: ſiquidem tunc quoniam diuerſæ ſunt infirmitates, obligatur etiam iterum per modum Viatici communicare; dummodò decem tantum dierum ſpacium interceſſerit ab vltima communione: quia tunc non ex præcepto, ſed ex conſilio duntaxat poſſet Viaticum ſumere. Illud tamen eſt, quod apud Religioſos paſſim ſeruatur in diuturna valitudine conſtitutos. Etenim communicare ſolent octauo quoque die, & in præcipuis feſtiuitatibus cum hac intentione, vt ſi mori eos contingat, illa vltima communio cenſetur habita per modum Viatici ad ſatisfaciendum præcepto Diuino communicandi in mortis articulo, vt habetur ex *Molf. loco citato, nu. 98. & 99.*

15 Eſt tamen verum, quòd quamuis humano iure prohibeatur quis pluries eodem die communicare, excepto ſupra relato caſu; ſicut & Miſſas plures celebrare, vt in *c. ſufficit, de conſecr. d. 1.* Nihilominus in multis caſibus eodem die conceditur vni, & eidem Sacerdoti pluries eadem die ſacrificare, quos enumerat *Syl. in ſua ſum. ver. Miſſa 11. q. 7. & Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 80. ſec. 3.* Et quamuis nouem à præfatis Doctoribus enumerentur; nihilominus, vt colligitur ex eodem *Suar. loco citato, & Molf. p. 1. ſua ſum. Theol. tract. 3. c. 10. nu. 44. cum plur. ſeq.* Tres caſus ſunt præcipui, in quibus ſecundum praxim licitum eſt vna die, vni, & eidem Sacerdoti pluries celebrare; quorum primus eſt dies Natalis Domini, in quo fas eſt ter ſacrificare, vt in *c. nocte ſancta, de conſecr. d. 1.* Secundus caſus eſt ſi contingat in feſto valdè ſolemni neceſſitas dicendi Miſſam pro Defunctis, iuxta declarationem ab eodem *Suar.* ibi traditam, & vnus tantùm eſſet Sacerdos; tunc Sacerdos ille poſſet celebrare duas Miſſas, alteram ſcilicèt pro Defunctis, & alteram de ipſo die ſolemni, vt in *c. ſufficit, de conſecr. di. 1.* Quòd quidem euenire poſſe ait *Molfeſ. loco citato poſt alios, num. 45.* Si Baro, aut alia perſona celebris ſepelienda eſſet die illo ſolemni. Tertius caſus eſt, vbi Parochus plures Parochias habet: nam tunc eodem die non ſolùm duas; ſed etiam tres Miſſas, ſi opus fuerit, poterit celebrare; quoniam ad hoc cenſetur tacitè diſpenſatus à Rom. Pontifice. Quæ quidem intelligenda ſunt; dummodo Parochus alios Sacerdotes non habeat: & ieiunus celebret, non ſumpta ſcilicèt purificatione, ſeù ablutione. Extra vero præfatos caſus pluries celebrantes eodem die, pœna extraordinaria puniuntur; quæ etiam ad Triremes per triennium ſolet extendi, & in Ciuitate Neap. ita ſeruari teſtatur *Molfeſ. ibidem, num. 47.* His adde, quæ infra dicemus, *tomo 2. §. 3. diſp. 12. ſec. 5.*

Ad

Digitized by Google

Ad contraria patet reſponſio.

16 AD primum de Sacerdote celebrante ter in die Natalis Domini, reſpondetur, quòd Sacerdotes celebrantes ter in die Natiuitatis Domini poſt communionem ante ablutionem digitorum ſumptam, id quidam ex priuilegio agunt: ſiquidem communicare pluries in die non eſt intrinſecè, & ex obiecto malum; ſed malum, quia prohibitum ab Eccleſia ex vniuerſali eiuſdem conſuetudine, ſuper quam poteſt Roman. Pontifex diſpenſare.

17 Ad illud D. Leonis dicitur, quòd ille potuit ſecum diſpenſare, vt ex iterato, & ſæpè repetito Miſſarum ſacrificio vberiores fructus participaret ad ſuſtinendum onus regiminis totius Eccleſiæ: eo quòd ingruerant tempore huius Pontificis atrociſſimæ tempeſtates contra ipſam, non tamen præualuerunt. Ita *Fagund d.c.7. nu.12.*

An ſit contra reuerentiam Sacramenti ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communicare manè ante lucem, vel poſt meridiem citra neceſſitatem aliquam.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Licitum non eſt Miſſa ſacrificium celebrare manè ante lucem, nec poſt meridiem, niſi in nocte Natalis Domini: Et conſequenter nec communicare.*

2 *Tempore primitiuæ Eccleſiæ in ſacrificio Miſſæ omnes fideles communicabant.*

3 *Nulla hora diei, etiam poſt meridiem prohibetur ieiunus communicare, licet ſanus ſit, & nulla cogat communicandi neceſſitas.*

4 *Per Eccleſiæ præceptum prohibetur celebrari ante lucem, & poſt meridiem, ſed non prohibetur in aliqua diei, vel noctis hora communicari extra Miſſæ ſacrificium. Et quare.*

5 *Ex priuilegio licitè celebratur ante lucem, & poſt meridiem: Et in multis caſibus ex iuſta, & rationabili cauſa: Et primò in nocte Natiuitatis Domini, idq; priuilegium extenditur quoque ad ſecundã, & tertiam Miſſam, & n. 8.*

An excuſetur à culpa, qui Miſſam priuatam finit in initio auroræ, eamque incipiat duabus horis ante Solis ortum.

6 *Ex priuilegio nonnulli quoq; Regulares Miſsã celebrare poſſunt ex licentia ſuorum Prælatorum, vſu hora antè auroram, & vna hora poſt meridiem.*

Idque priuilegium habet Congregatio Cleric. Regular. & alia.

7 *Refellitur opinio Nauar. & aliorum dicentium, ſecluſo ſcandalo poſſe celebrari toto eo tempore, quod intercedit à meridie vſque ad horam nonam.*

Et quomodo ſit intelligendum priuilegium, quod Sum. Pontifex concedit celebrandi ante lucem, & poſt meridiem.

8 *Multis in caſibus licitũ eſt celebrare ante lucẽ, & poſt meridiem ex iuſta cauſa, & in quibus.*

9 *Ceſſantibus priuilegio, iuſta, ac neceſſaria cauſa, & rationabili conſuetudine ſi quis Miſſam celebret notabiliter ante auroram, vel notabiliter poſt meridiem lethalem culpam contrahit.*

Et qua ſit iſta notabilitas.

1 VIdetur prima fronte affirmatiuè reſpondendum eſſe. Etenim non eſt licitum ſacrificium Miſſæ celebrare manè ante lucem, nec poſt meridiem, excepta prima Miſſa, quæ celebratur in nocte Natalis Domini, ita vt celebrantes poſt meridiem, vel ante lucem mortaliter peccent, etiam ſi reliquas duas Miſſas extra dictum terminum in die Natalis Domini celebrẽt, vt eſt *text. in c. nocte ſancta, de conſecrat. d. 2. Nauar. in Man. c. 25. nu. 85. Henriq. lib. 9. ſua ſum. de Miſſa, c. 24. nu. 25. ad margin. lit. L. & M. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 2. Bellar. lib. 2. de Miſſa, cap. 14. col. 6. & alij.* Ergò nulli licitum eſt communicare ante lucem, poſt meridiem; quoniam citra communionem non celebratur

2 Miſſa. Imò tempore primitiuæ Eccleſiæ in ſacrificio Miſſæ non tantùm Sacerdotes, ſed etiam omnes fideles communicabant, vt patet ex decreto Anacleti Papæ, de quo in *c. peracta, de conſecr. d. 2.* ita ſe habente, *Peracta conſecratione, omnes communicent, qui noluerint, Eccleſiaſticis carere liminibus. Sic enim & Apoſtoli ſtatuerunt: & Sancta Romana tenet Eccleſia.* Et licèt non adſit canon prohibens celebrationem poſt meridiem, adeſt tamen conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ, quæ pro canone habetur, vt habetur per *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 5. c. 4. in princ.*

3 His tamen non obſtantibus, aliter ſentiunt *Henriq. lib. 8. Euch. c. 53. nu. 5. Syl. ver. Euchariſtia 3. § 16. num. 5. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 3. cap. 7. num. 13. ac præcep. 1. lib. 3. c. 17. ſub nu. 19. & 20.* Et alij dicentes, nulla diei hora, etiam poſt meridiem prohiberi ieiunum communicare, licèt ſanus ſit, & bene valens & nulla cogat communicandi neceſſitas. Etenim nullum adeſt Eccleſiaſticum præceptum, quo præcipiatur communio vſque ad certam, & determinatam horam, de die, vel de nocte: nec malum eſt intrinſecè hac hora communicare, & non alia, de die, vel de nocte, dummodò ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumatur à ieiunis: nec demum extat præceptum Diuinum illud ſuſcipiendi in tali diei hora, & tempore: ergò dum quis eſt ieiunus, & aliàs diſpoſitus, licitè communicare poteſt quacunque diei, vel noctis hora.

4 Ad contrarium reſpondetur, quòd per Eccleſiæ præceptum prohibetur celebrari ante lucem, & poſt meridiem: non tamen prohibetur in aliqua diei, aut noctis hora communicare extra Miſſæ ſacrificium: & id non immeritò, quoniam ſacrificium Miſſæ dicitur officium diurnum, & repreſentat Chriſti paſſionem: vndè licèt Chriſtus Dominus noctu Miſſam celebrauerit, cum in nocte Cœnæ panem, & vinum conſecrauit, deditque Apoſtolis; nihilominus in die paſſus eſt: nempè hora tertia Iudeorum linguis, fuit Crucifixus, ſexta re ipſa, & hora nona expirauit, vt latè poſt alios habetur per *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. lib. 3. cap. 17. num. 23. & 11. & Laym. in ſua ſum. Thol. lib. 5. tract. 5. cap. 4. n. 1.* Qui alias quoque rationes affert, cur non poſſit licitè celebrari, niſi ab initio auroræ vſque ad meridiem.

5 Eſt tamen verum, quòd ex priuilegio licitè celebratur ante lucem, & poſt meridiem: imò in multis caſibus ex iuſta, ac neceſſaria cauſa. Ex priui-

Digitized by Google

priuilegio inquam, licitè celebratur de nocte Miſſa prima in feſtiuitate Natalis Domini, vt in *d.c. nocte ſancta, de conſecr. d.* 1. Imò huiuſmodi priuilegium extendi quoque ad duas ſequentes Miſſas, vt ante aurorã priuatim celebrari poſſint, docent *Suar. tom.* 3. *in* 3. *p. q.* 80. *ſec.* 4. *Conynch. q.* 83. *art.* 2. *dub.* 4. quos refert *Laym. loco citato:* qui etiam ſub *nu.* 2. *ex eodem Suar.* Et alijs putat a culpa aliquem excuſari, ſi Miſſa priuata ad initium auroræ finiatur; atque ideò duabus circiter horis ante Solis ortum Miſſam inchoare

6 illicitum nõ eſſe. Ex priuilegio Pariter nonnulli Regulares Miſſas celebrare poſſunt ex licentia ſuorum Prælatorum, hora ante auroram, & hora poſt meridiem, vt de priuilegijs noſtræ Congregregationis, & aliorum teſtatur *P. D. Alex. Pellegr. in compend. noſtr. priuil. tit. Miſſa,* §. 3. Vbi in Schol. plura cumulat circa rem hanc quæ hodie, tum de iure, tùm etiam de conſuetu-

7 dine ſeruantur. Eſt tamen animaduertendum, quòd doctrina *Nauar. in Man. c.* 25. *nu.* 85. Et aliorum aſſerentium licitè, & citra omnem culpam, ac priuilegium poſſe, ſecluſo ſcandalo ſacrificium Miſſæ celebrari toto eo tempore, quòd intercedit à meridie vſque ad horam nonam, communiter reijcitur, vt teſtatur *Laym. d. c.* 4. *ſub nu. verſ. Vlterius*, & latè *Fagund. d. c.* 17. *à nu.* 7. *ad* 15. qui contraria refert, & ſoluit. Imò idem *Fagund. ibi*, *nu.* 4. Inquit, quòd quando priuilegium S. P. abſolutè, ac ſimpliciter dat facultatem alicui Sacerdoti ſacrificandi ante lucẽ, & poſt meridiem, non eſſe intelligendum huiuſmodi priuilegium, vt licitè id fieri poſſit, toto eo tempore quod decurrit poſt meridiem, aut toto eo tempore, quod intercedit ante lucem, aut auroram; ſed cenſetur conceſſum priuilegium, vt poſt horam, poſt meridiem, & vna hora ante lucem celebrari poſſit, niſi aliter expreſsè in priuilegio contineatur. Et quoniam priuilegia cùm ſint contra ius, ob id dicuntur odioſa, & propterea de facili reuocantur. Hinc eſt, quod reuocatum fuit priuilegium conceſſum Venetijs in templo D. Marci, vt prima Miſſa in die Natalis Domini prima hora illius noctis diceretur, & reuocatum pariter priuilegium Senis in templo ſeruitarum, vbi hora, qua veſpertinæ præces recitari ſolent, Miſſa in Sabbato ſancto dicebatur, vt poſt alios teſtatur *Fagund. vbi ſupra ſub nu.* 5. Et extat Bulla Pij V. edita anno Domini 1567.

8 Ex iuſta quoque cauſa licitum eſt celebrare ante lucem, & poſt meridiem de iure, & coſuetudine in multis caſibus. Primus caſus eſt, quando Epiſcopus ſacros ordines celebrat, tunc enim licitum eſt ei protrahere Miſſam vſq; ad Veſperam, & ad Veſperam quoque illam incipere, quãdo actus ordinationis ante meridiem cæptus eſt, *arg. tex. in c. ſolent de conſecr. d.* 1 *D. Thom.* 3. *p. q.* 83. *art.* 2. *ad* 3. *Henriq. lib.* 9. *de Miſſa, cap.* 24. *nu.* 6. *litt. C. & D. & Fagund. d. c.* 17. *nu.* 14. *vbi nu.* 19. Idem locum ſibi vendicare poſt alios probat in funere Regis, aut Principis: nam poteſt inchoari Miſſa ante meridiẽ, & protrahi vſque ad veſperam: vel poſſunt inchoari officia funeralia ante Miſſam, & ante meridiem, & deindè poſt & Miſſa incipi longè poſt meridiẽ, & poſt horam nonam, ſeù poſt Veſperam; quoniam inchoatis officijs, cenſetur inchoari Miſſa Defunctorum, quæ iuxta morem Eccleſiæ Romanæ poſt officia ſubſequitur: idem dicendum eſt propter publicam conſuetudinem faciendam vt per *Laym. loco infra citando ſub nu* 4. Secundus caſus eſt, vbi Epiſcopus, aut Cardinalis iter faciunt: nam hi poſſunt quotidiè ſi volunt Miſsã audire ab alio Sacerdote, vel ipſi ſacrificare notabiliter ante lucem, vt patet ex ijs, quæ habentur per *Gloſ. in c. vlt. de priuileg. in* 6. *Palud. in* 4. *d.* 13. *q* 2. *concl.* 2. *art.* 2. *Azor. tom.* 1. *Inſt. moral. lib.* 10. *c.* 25. *q.* 4. §. *ſi quaras*, & alios, quos refert, & ſequitur *Fagund. loco citato, ſub num.* 16. & *Laym. lib.* 5. *ſuæ ſum. tract.* 5. *cap.* 4. *num.* 3. Qui addit, quod Epiſcopus in caſu particulari diſpenſare poteſt, vt ante auroram ſacrificare liceat, vel poſt meridiem. Non tamen hanc facultatem ob aliam honeſtam cauſam poteſt Sacerdoti concedere, nempè, vt commodè iter faciat, vt contra *Henriq.* docet idem *Laym ibi*, *verſ. Id vero.* Tertius caſus eſt pro communicando infirmo iam morituro: tunc enim licitum eſt Parocho Miſſam celebrare, non media nocte, ſed ſummo manè ante lucem notabiliter, vel poſt meridiem cum licentia Epiſcopi ſi commodè obtineri poteſt, vt habetur ex *Henriq. lib.* 9. *de Miſſa, c.* 24. *nu.* 5. *Azor. loco citato, q.* 7. *Laym vbi ſupra nu.* 4. Quartus caſus eſt conſuetudo alicuius Regionis, aut Vrbis ſcita, ac tolerata à Rom. Pontifice, vel eius Nuncio, & Officiali. Etenim in multis locis extat conſuetudo Miſſam celebrandi multo ante lucem, vt famuli, & operarij priuſquam ad ſuos labores proficiſcerentur eam audirent, & aliquibus Galliæ, ac Germaniæ Ciuitatibus viget cõſuetudo inchoandi celebrationem Miſſæ hyemis tempore tribus, vel quatuor horis ante Solis ortum, vt teſtatur *Nauar. in Man. c.* 25. *nu.* 85. & alij apud *Laym. d. c.* 4. *ſub num.* 3. *verſ. Quinto conſuetudo*, & *Fagund. d. c.* 17. *n.* 17.

9 Vndè ceſſantibus priuilegio, iuſta, ac neceſſaria cauſa, ac rationabili conſuetudine ſcita, ac tolerata à S. P. ſi quis Miſſam celebret notabiliter ante auroram, vel notabiliter poſt meridiem lethalem culpam contrahit. Quæ verò ſit iſta notabilitas, vt inde mortale, aut non mortale colligi valeat, rectè declarat *Fagund. loco citato num.* 6.

An ſit contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti communicare extra Sacrificium Miſſæ ſub vtraque ſpecie.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Rex Galliæ communicat ſub vtraque ſpecie, dum in Regem vngitur, & in articulo mortis ſic quoque Imperator dum coronatur.*
Et Paulus III. conceſſit Bohemis vſum Calicis, & communionem ſub vtraque ſpecie.

2 *Communicare ſub vtraque ſpecie, eſt valdè conueniens inſtitutioni tanti Sacramenti.*

3 *De Iure Diuino, & naturali non eſt per ſe malum, nec prohibitum communicare ſub vtraq; ſpecie fideles omnes.*

4 *Stando in ſolo Iure naturali, & diuino ſicuti licita eſt communio ſub vtraque ſpecie facta à laicis, & Clericis, nec eſt contra reuerentiã huius Sacramenti, ita quoque cõmũnio ſub vna tantum ſpecie panis.*

5 Stando

5 *Stando in ſolo Iure naturali, ac Diuino communio in ſpecie vini tantum nō eſt ex ſe mala, neque prohibita, neque contra reuerentiam tanti Sacramenti.*

6 *Sacerdos celebrans tenetur Iure Diuino communicare in vtraque ſpecie pro complemento ſacrificij.*

7 *Poteſt Eccleſia præcipere, vt fideles omnes in vtraque ſpecie communicent, vel in altera tantum ſpecie panis, vel vini.*

8 *Veriſſimum eſt tantundem contineri ſub alterutra ſpecie, ac ſub vtraque, & ſub quauis ſpeciei parte.*

9 *Eccleſia pro rerum, locorum, ac temporum varietate aliquando conſueuit etiam laicos, & Clericos, qui Sacerdotes non ſunt ſub vtraque ſpecie communicare: aliquando ſub ſpecie tantum vini: & demum ſub ſpecie tantum panis.*

10 *In Hyſpania etiam Infantes ſe communicarunt ſub vtraque ſpecie quod, & Regi Galliæ conceſſit Clemens VI. & hodie hoc priuilegium habet communicandi bis ſub vtraque ſpecie, ſicut Imperator. Idemq; Paulus III. conceſſit Bohemis.*

Et quibus alijs olim dabatur hæc ſub vtraque ſpecie communio.

11 *Olim in Græcia fuit conſuetudo, ijs infirmis, qui præ ægritudine ſpeciem panis deglutire non poterant, ſpeciem vini in os infundere cochlea argentea.*

12 *Apoſtolorum tempore fideles ſub ſpecie tantum panis communicabant.*

13 *Serapioni infirmo, & ſeni, quem Sacerdos adire non poterat, puer ſanctiſſimam Euchariſtiam attulit, eamque madefactam in os ſenis infudit.*

Similiter Honoratus Varcellenſis Epiſcopus attulit Diuo Ambroſio.

14 *Vſus communicandi ſub vtraque ſpecie nunquā fuit generalis in tota Eccleſia, ſed in quibuſdam tantum locis.*

Et hodie pro lege habendum eſt, vt omnes extra Miſſæ ſacrificium communicent in vna tantum ſpecie panis.

15 *Sancta Mater Eccleſia grauibus, & iuſtis cauſis adducta hanc conſuetudinem ſub altera tantum ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habendam eſſe decreuit.*

16 *Sancta Eccleſia Catholica multis ex cauſis, ac rationibus fuit adducta ad præcipiendum, vt laici, & etiam Clerici non ſacrificantes ſub panis tantum ſpecie communicent, & quæ.*

17 *Laicos, & Clericos non celebrantes communicare ſub vtraque ſpecie, vel in ſpecie vini tantum, eſt contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti.*

18 *Multo magis Laici, & Clerici extra Miſſam irreuerenter communicant ſi pertinaciter credant in ſpecie panis eſſe tantū Corpus Chriſti, & in ſpecie vini eſſe ſolum Sanguinem, aut Iure Diuino præcipi communionem ſub vtraq; ſpecie.*

19 *Non habet locum Concluſio, vbi quis ex priuilegio habet communicandi ſub vtraq; ſpecie, vel ſub ſpecie vini tantum ex diſpenſatione Romani Pontificis.*

20 *Sic quoque limitatur, vbi conſuetudo adeſſet taliter communicandi in certis caſibus, & perſonis, ſcitaque, ac tolerata eſſet à Romano Pontifice.*

21 *Si Calix conſecratus venturus ſit in manus hoſtium effundendus, & non adſit Sacerdos, vel Diaconus, poterit à ſæcularibus ſuſcipi.*

22 *Si quis reperiretur in extremis, & deglutire non poſſet Sacramentum, non poſſet licitè communicare ſub ſpecie vini citra priuilegium, aut conſuetudinem ſcitam, & toleratam à Rom. Pontifice.*

1 IN hac re videtur negatiuè reſpōdendum eſſe. Etenim *Henriq. lib. 8. Euch. 44. nu. 7. & in margine litt. M.* Teſtatur Regem Galliæ communicare ſub vtraque ſpecie, dum in Regem vngitur, & in articulo mortis: & Imperatorem ſimiliter dum coronatur. Imò legitur Paulum Papam III. conceſſiſſe Bohemis vſum Calicis, & communionem ſub vtraque ſpecie, vt teſtatur *Æneas Syluius de origine Bohemorum, c. 35. & Sander. lib. 7. de viſibili Monarchia.* Refert quoque *Vualdenſis lib. de Sacramentis, cap. 87.* Clem. VI. conceſſiſſe Regi Galliæ, vt quotieſcunque vellet, poſſet communicare ſub vtraque ſpecie ad augmentum gratiæ. Vndè mox effluxit apud quoſdam è Gallis cōmunicandi ſub vtraq; ſpecie, non publicè, ſed ſecretò in priuatis ſacellis ad imitationem ſui Regis. Ergò non eſt contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti communicare laicos, & Sacerdotes extra ſacrificium Miſſæ ſub vtraque ſpecie panis, ac vini, aliàs à Romano Pontifice ad conceſſum non fuiſſet Bohemis, Imperatori, ac Regibus. Confirmatur, quoniam communicare ſub vtraque ſpecie eſt valdè conueniens inſtitutioni tanti Sa-
2 cramenti, cùm illud inſtituerit Chriſtus Dominus ad vſum fidelium, & per modum conuiuij, at conuiuium non fit, niſi in eſu, ac potu; ergò non eſt contra reuerentiam huius Sacramenti, vt ſub vtraque ſpecie ſumatur, & fideles communicent. Denique non deſunt Catholici, qui velint eſſe præceptum Domini, vt fideles omnes communicent ſub vtraque ſpecie: nam dixit Dominus, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Non tamen damnat conſuetudinem Eccleſiæ communicantis extra ſacrificium Miſſæ ſub ſpecie tantùm panis, & in hoc præfati Catholici differunt ab hæreticis, ergò, &c.

His tamen non obſtantibus in contrarium eſt veritas. Pro cuius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 DE iure Diuino, ac naturali non eſt per ſe malum, nec prohibitum communicare fideles omnes ſub vtraque ſpecie; atque ideò ſtando in ſolo iure Diuino, ac naturali, communicare Laicos, & Clericos ſub vtraque ſpecie non eſt contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Hæc concluſio eſt communis, quam docent *Bellarm. lib. 4. de Euchar. à c. 20. ad 28. Suar. tom. 3. in 3. p. D. Thom. diſp. 71. ſec. 1. Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 44. vbi in margine litt. A.* quam plurimos allegat *Tolet. lib. 2. ſuæ ſum. cap. 25. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. cap. 4. ſub nu. 1. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 4. c. 5. nu. 11. & alij.* Probatur primò, quia tempore primitiuæ Eccleſiæ in quibuſdam locis

locis consuetudo in Ecclesia communicandi Laicos sub vtraque ſpecie, vt teſtatur *Tolet. in Ioan. c. 6. adnot. 27.* & alij, quos enumerat ibi *Fagund.* Imò in quibuſdam locis olim ſacer ſanguis aſſeruabatur, ſicut & ſacer panis ad infirmos ſub vtraque ſpecie communicandos, vt patet ex *D. Gregor. Nazian. in orat. funebri in laudē Gorgoniæ, epiſt. D. Chryſoſt. ad Innoc. 1. Papam,* & ex alijs apud *Laym. loco citato, ſub num. 14. verſ. Interim non negamus.* Ergò iure naturali, ac Diuino non eſt prohibitum Laicis, ac fidelibus communicare ſub vtraque ſpecie, neque per ſe mala: aliàs talis vſus in Eccleſia non fuiſſet introductus: nam quæ ſunt per ſe mala nunquam permitti poſſunt, vt in *c. ſuper eo, de vſur.* nec vſus, aut conſuetudo induci poteſt contra legem Diuinam, ac naturalem, vt in *c. quæ contra, 8. d.* Confirmatur ex eo, quòd Chriſtus Dominus noſter inſtituit hoc Sacramentum ſub ſpeciebus panis, & vini. Vndè ſuppoſita hac inſtitutione Chriſti, ſumptio, & communio vtriuſque ſpeciei eſt actio ſacra, licita, & ſacramentalis, & citra vllam irreuerentiam. Pro hàc eadem concluſione faciunt, quæ ſupra cumulauimus pro prima ſententia.

SECVNDA CONCLVSIO.

4 STando in ſolo iure naturali, ac Diuino, ſicut communio ſub vtraque ſpecie facta à Laicis, & Clericis nō eſt contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, nec per ſe mala, neque prohibita, ſed licita; ita ſtando in eodem iure Diuino, ac naturali, communio ſub vna tantùm ſpecie panis, non eſt mala, nec prohibita; ſed eſt licita. Hæc concluſio eſt communis, & de fide definita in *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 1.* his verbis. *Declarat ſancta Synodus nullo Diuino præcepto obligari Laicos, & Clericos non conficientes, ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum, neque vllo pacto, ſalua fide, dubitari poſſe, quin illis alterius tantùm ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat.* Et infra: *Nam qui dixerit, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis, Ioan. 6. dixit quoque ibidem: ſi quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & qui dixit, qui manducat carnem meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam: dixit etiam panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita.* Hoc idem fuit definitū in *Cōc. Conſtantien. ſeſſ. 13. in Baſilien. ſeſſ. 30.* Et in Epheſino, anno 433. quòd loquitur in ſpecie de Sacerdote communicante extra ſacrificium Miſſæ in ſpecie tantùm panis. Imò hæc veritas colligitur ex illo *Lucæ c. 24.* Vbi Chriſtus Dominus in ſpecie tantùm panis conſecraſſe legitur, & dediſſe diſcipulis in Emaus euntibus, quem cognouiſſe dixerunt in fractione panis: qui quidem locus communiter explicatur à Doctoribus de communione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, vt poſt alios probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. cap. 4. ſub nu. 3.* Non igitur communio ſub vna ſpecie, nempè panis eſt prohibita iure Diuino, aut naturali, nec contra reuerentiam tanti Sacramenti.

5 Ampliatur hæc concluſio, vt ſtando in ſolo iure naturali, ac Diuino communio in ſpecie vini tantùm non ſit ex ſe mala, nec prohibita, neque contra reuerentiam tanti Sacramenti. Etenim in *c. is qui,* ibi. *Infundatur ori eius Euchariſtia, 26. q. 6.* Conceditur infirmis, qui præ ægritudine ſanctiſſimam Euchariſtiam in ſpecie panis deglutire non valent, vt poſſint communicare in ſpecie tantùm vini: & ita in Grecia olim fuiſſe ſeruatum teſtatur *Tolet. in Ioan. c. 6. not. 27.* vt colligitur ex *Conc. Toletano 11. c. 11. & Carthagin. 4. cap. 76. relatis à Fagund. loco cit. ſub nu. 10.* Ergò communio in ſpecie vini tantùm inſpecto iure naturali, ac Diuino non eſt per ſe mala, nec prohibita, neque contra reuerentiam huius Sacramenti: aliàs ab Eccleſia, nec infirmis quidem permiſiſſet, neque conſuetudine introduci potuiſſet: ſiquidem quæ ſunt intrinſecè mala, nulla ratione permitti poſſunt, vt in *c. ſuper eo, de vſur.* Et contra ius naturale, ac Diuinum non poteſt induci conſuetudo, vt in *cap. quæ contra, 8. d.*

6 Sic ampliata limitatur ipſa concluſio in Sacerdote celebrante: nam de iure Diuino tenetur communicare in vtraque ſpecie pro complemento ſacrificij, vt probat *Fagund. d. c. 4. ſub nu. 4. in fine, & nu. 5. & præcep. 1. lib. 3. c. 5.* ad quod allegatur *tex. in c. comperimus, de conſecr. d. 2.* vbi ita ex *Gloſa text.* illum explicante, habetur, *Erant quidam Sacerdotes, qui ordine debito conſecrabant Corpus, & Sanguinem Chriſti, Corpus autem ſumebant, ſed à ſanguine abſtinebant, quos Gelaſius Papa reprehendit, & dicit, ſe neſcire qua ſuperſtitione id facerent, & præcipit, vt aut vtramque ſpeciem ſumant, aut à ſacrificando ceſſent, quia in ſacrificio vnam ſine alia accipere, ſacrilegium eſt.* Dixit, *Quia in ſacrificio, &c.* Quoniam Sacerdos cùm non ſacrificando recipit ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, tunc debet communicare ſub ſpecie tantùm panis ad inſtar Laici, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 1. Henriq. lib. 8. Euch. c. 44. n. 3. Nauar. in Man. c. 21. nu. 54. gloſa in d. c. comperimus, & alij.*

TERTIA CONCLVSIO.

7 POteſt Eccleſia præcipere, vt fideles omnes in vtraque ſpecie communicent: vel vt communicent in altera tantùm ſpecie vini, aut panis; ita vt poſſit præcipere vſum tantùm Calicis, & vetare vſum panis: ac præcipere vſum tantùm panis, & vetare vſum Calicis. Hæc concluſio eſt communis, quam docent *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 12. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 4. nu. 8. 9. & 10. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 4. c. 5. nu. 11. & alij.* Probatur; nam cùm nullum extet præceptum diuinum de modo vſus ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, vt ſupra oſtendimus ſed tantùm, de ipſius vſu, ac ſumptione, vt ſupra probauimus *ſec. 1. concl. 1. 2. & 3.* Eccleſia habet poteſtatem præcipiendi vſum tantùm Calicis, & non panis: & è conuerſo vſum tantùm panis, & non Calicis: vel præcipere vſum in vtraque ſpecie: quoniam Eccleſia circa Sacramentorum vſum poteſt ea ſtatuere, quæ fidelium ſaluti congruunt, & ipſorum Sacramentorum venerationi, ſalua tamen illorum ſubſtantia, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2.* In caſu autem noſtro ſaluatur ſubſtantia Sacramenti, & impletur præceptum Diuinum de ſumendo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, ſiuè ſumatur in vtraq; ſpecie panis, & vini, ſiuè in altera tantùm: ſiquidem non minus continet vna ſpecies, quàm alia, &

Ppp omnes

Digitized by Google

omnes ſimul innctæ: nam ſub ſpecie vini non
ſolùm adeſt ſanguis, ſed etiam corpus Chriſti, &
eius Diuinitas: & ſub ſpecie panis non ſolum eſt
Corpus, verùm etiam Sanguis Chriſti, & eius
Diuinitas: vt de fide fuit definitũ per *Conc. Trid.
ſeſſ. 13. cap. 2.* Ita ſe habente, *Quapropter veriſſimum eſt, tantundem ſub alterutra ſpecie, atque
ſub vtraque contineri, totus enim, & integer
Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius
ſpeciei parte, totus item ſub vini ſpecie, & ſub
eius partibus exiſtit.* Vndè *in can. 3. eiuſdem
ſeſſ.* ita fuit decretum contra aliter ſentientes,
*Si quis negauerit in venerabili Sacramento
Eucharistiæ, ſub vnaquaque ſpecie, & ſub ſingulis ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum
Chriſtum contineri, anathema ſit.*

QVARTA CONCLVSIO.

9 ECcleſia pro rerum, locorum, & temporum
varietate aliquando conſueuit etiam Laicos
& Clericos, qui Sacerdotes non ſint in vtraque
ſpecie communicare: aliquando ſub vna tantùm
ſpecie vini: & demum ſub ſpecie tantùm panis.
Hæc concluſio habet tres partes. Prima pars patet
ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2.* in illis verbis, *Licèt
ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens
vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet, &c.* Vndè in quibuſdam locis olim conſuetudinem fuiſſe ſacrum
ſanguinem aſſeruandi ad ægros ſub vtraq; ſpecie
communicandos, conſtat ex *Nazianz. in orat.
funebri in laudem Gorgoniæ: ex epiſt. D. Chryſoſt.
ad Innoc. Papam 1. Victore lib. 1. de perſecut.
Vuandalica, & ex D. Gregor lib. 3. Dialog. c. 36.*
Vbi teſtatur etiam mari Nauigantes Corpus, &
Sanguinem Ieſu Chriſti ſecum habuiſſe. Item
Bellarm. lib. 4. de Euch. c. 24. De clericali communione loquens inquit, quòd ex eo dicebatur
communio clericalis, quoniam in Eccleſia olim
ſub vtraque ſpecie ſumebatur; ſaltem intra cancellos à Clericis, iuxta ea, quæ habentur ex
Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 4. c. 5. ſub num. 15.
Imò ex *Conc. Toletano IX. cap. 11.* habetur in
10 Hyſpania etiam Infantes cõmunicaſſe ſub vtraq;
ſpecie. Clem. VI. quoque conceſſit Regi Galliæ
vt poſſit quoties voluerit cõmunicare ſub vtraq;
ſpecie: & hodie priuilegium habet, vt bis poſſit
communicare ſub vtraque ſpecie, ſemel dum
vngitur, & ſemel in articulo mortis; ſicut & Imperator dum coronatur. Et Paulus III. Hoc idem
conceſſit ad tempus Bohemis. Item apud Rutios,
ſeu Moſchouitas ſub vtraq; ſpecie dabatur omni
populo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.
Item Romæ Diaconus, qui miniſtrat Romano
Pontifici in ſolemni Miſſa olim ſub vtraque
ſpecie cõmunicabat, & in eadem Miſſa ſolemni
alijs Purpuratis communionem ſub vtraque
ſpecie præbebat; etiam Diaconis, & Subdiaconis: quam tamen conſuetudinem intermiſſam
fuiſſe à *Paul. 2.* refert *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp.
71. ſec.* Denique, cæteris prætermiſſis *Pariſ.*
extabat ſimilis conſuetudo communicandi ſub
vtraque ſpecie in Conuentu Cluniacenſi. Ita
Henriq. lib. 8. de Euch. c. 44. nu. 7. & alij, quos
refert *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3.
cap. 4. nu. 10. & 22.*

11 Secunda pars concluſionis probatur ex ijs, quę
habentur ex *Toleto in Ioan. c. 6. not. 27.* Vbi teſtatur olim in Græcia fuiſſe conſuetudinem, ijs
Infirmis, qui præ ægritudine ſpeciem panis deglutire nõ poterant, ſolam ſpeciem vini argentea
cochlea in os infundere, vt colligitur ex *tex. in
c. is qui, 26. q. 6. ex Conc. Tolet. XI. c. 11. Carthagin. IV. c. 76.* & habetur ex *D. Cypr. ſerm. in
Cœna Domini, Henriq. loco citato, & Fagund.
d. c. 4. ſub nu. 10.* Vbi addit, nunquam tamen in
tota, ac vniuerſali Eccleſia Catholica conſuetudinem fuiſſe introductam communicandi ſub
ſpecie vini tantùm: & quamuis Eccleſia poteſtatem habeat præcipiendi vſum Calicis tantùm; &
vitandi vſum panis, vt oſtendimus ſupra *concl. 3.*
non tamen id præcepit, quia cõueniens non erat
reuerentiæ tanti Sacramenti, vt mox latius dicemus.

12 Tertia pars probatur ab initio naſcentis Eccleſiæ: ſiquidem Apoſtolorum tempore fideles
ſub ſpecie tantùm panis communicabant, vt patet
Act. Apoſt. c. 2. & 20. ibi, *Erant omnes communicantes in fractione panis, &c.* Vbi *Lyran.*
& vtraq; *Gloſſ.* exponunt de commune ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſub ſpecie panis tantùm. Confirmatur ex illo *D. Pauli 1. Corinth. c. 10.* in illis
verbis, *Qui de vno pane participamus, &c.* In
veteri quoq; Eccleſia, communionem ſub vnica
ſpecie panis in vſu fuiſſe colligitur ex eo, quòd
conſuetudo fuit in multis Eccleſijs, vt fidelibus
ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſub
ſpecie panis in manus daretur, domum deferendum, ibique manducandum, vt conſtat ex *Clem.
Alexand. lib. 1. Stromat. Tertull. lib. 2. ad
vxorem, & lib. de orat. D. Cypr. ſerm. de lapſ.*
& ex alijs, quos refert *Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract.
4. cap. 5. ſub n. 15.* Vbi inter alia refert antiquam
Eccleſiæ conſuetudinem communicandi etiam
infirmos ſub vna tantùm ſpecie panis. Nam Sera-
13 pioni infirmo, ac ſeni, quem Sacerdos adire non
poterat, puer ſanctiſſimam Euchariſtiam ſub
ſpecie panis attulit, eamque madefactam, quæ
diù aſſeruatæ ſpecies panis induruerant; in os
ſenis infudit, atque illas ſimul, ac pedetentim per
fauces demiſerat, illicò ſpiritum emiſit, & Honoratus Vercellenſis Epiſcopus tertio vocem vocantis ſe audiuit, dicentis ſibi, ſurge, feſtina, quia
modò es receſſurus: qui deſcendens obtulit D.
Ambroſio Domini Corpus, quo accepto, vbi
glutiuit ſpiritum extremum edidit. Et quamuis
14 fideles in vtraque ſpecie communicare conſueuerint, vt ſupra oſtendimus; nunquam tamen
fuit eiuſmodi vſus generalis in tota Eccleſia, ſed
in quibuſdam tantùm locis, vt probat *Henriq. d.
c. 44. ſub n. 2. ad marginem litt. G.* At vſus communicandi fideles ſub vna tantùm ſpecie panis
fuit olim vniuerſalis in tota Eccleſia, iuxta illud
Apoſtoli, *Erant omnes communicantes in fractione panis, &c.* Et habetur ex *Fagund. locò
citato, ſub nu. 5.* Sicut & hodie viget in vniuerſali Eccleſia, & pro lege habendum eſſe decreuit,
vt Laici, & Clerici omnes, imò & Sacerdotes
extra ſacrificium Miſſæ communicent in vna
tantùm ſpecie panis: vetando communionem
ſub ſpecie vini, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ.
21. c. 2. De communione*, in illis verbis, *Quare
15 agnoſcens ſancta Mater Eccleſia hanc ſuam in
adminiſtratione Sacramentorum auctoritatem,
licèt ab initio Chriſtianæ Religionis non infrequens vtriuſque ſpeciei vſus fuiſſet; tamen progreſſu*

Google

greſſu temporis, latiſſimè iam mutata illa conſuetudine, grauibus, & iuſtis cauſis adducta, hanc conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbauit, & pro lege habendā decreuit: quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

QVINTA CONCLVSIO.

16 SAncta Eccleſia Catholica citra omnem errorem, & iuſtis ex cauſis, ac rationibus fuit adducta ad præcipiendum, vt Laici, ac etiam Clerici nō ſacrificantes ſub panis tantùm ſpecie, & non vini communicent. Hæc concluſio eſt de fide, & patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de communione, can. 2.* Ita definiente, *Si quis dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non iuſtis cauſis, & rationibus adductam, vt laicos, atque etiam clericos non conficientes ſub panis tantummodò communicaret, aut in eo erraſſe: anathema ſit.* Cauſæ autem inter alias, ob quas ſancta Mater Eccleſia laicis omnibus, & clericis non conficientibus vſum Calicis prohibuit, ſunt quæ ſequuntur. Prima cauſa eſt, quoniam multis vinū nauſeam infert, & ad vomitum prouocat. Secunda, quia ſunt nonnullæ Regiones, ad quas vix aſportari poteſt tanta vini copia, vt ſufficiat omnium ſumptioni. Tertia ad euitandam ſanguinis effuſionem, quæ de facili euenire poteſt ex Calicis vſu. Quarta, quia ſpecies vini diù in ſacrario ſeruari nequirent, pro illis deferendis ad infirmos, citra earundē corruptionem. Quinta ad extirpandam Neſtorianorum hæreſim, qui negabant Chriſtum totum in qualibet ſpecie contineri; ſed Corpus tantùm in ſpecie panis eſſe contendebant: & ſanguinem tantum ſub ſpecie vini contineri, contra definitionem *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de commun. can. 3.* Sexta ad euellendam hæreſim Petri Deldrenſis, Iacobelli Miſnenſis, Vuicleff, Ioannis Hus, & Lutheri, & ſequaciū, dicentium eſſe præceptum Diuinum, vt omnes fideles communicent in vtraque ſpecie, & non in altera tantùm, contra id quod definitum fuit per idem *Conc. Trid. loco citato, c. 1. & 2.* Vndè communicantes ſub vtraque ſpecie contra præceptum Eccleſiæ, non implent pręceptum communicandi in Paſcha iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, §. 1. *diſp. 2. ſec. 1. ampl. 1.*

SEXTA CONCLVSIO.

17 LAicos, & clericos non celebrantes communicare ſub vtraque ſpecie, vel in ſpecie vini tantùm, eſt contra reuerentiā ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Probatur, quia præfatæ perſonæ communicantes in vtraque ſpecie, vel in ſpecie vini tantùm faciunt contra præceptum Eccleſiæ in re graui, atque ideò peccant mortaliter: at accedere ad tantum Sacramentum cum lethali culpa, procul dubio dicitur irreuerenter accedere, vt infra latius, Deo duce, dicemus ſec. Ergò laicos, & Clericos non celebrantes communicare ſub vtraque ſpecie, vel ſub ſpecie vini dumtaxat, eſt contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchhriſtiæ Sacramenti.

18 Ampliatur hæc concluſio, vt multo magis irreuerenter communicent laici, & clerici in vtraque ſpecie extra ſacrificium Miſſæ, ſi pertinaciter credant ſub ſpecie panis eſſe tantùm Corpus Chriſti, & in ſpecie vini ſolum ſanguinem: vel credant iure Diuino præcipi communionem ſub vtraque ſpecie: quoniam eſſent inſuper excommunicati tanquam hæretici, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de conſuetudine, can. 1. & can. 3.* Non tamen puto poſſe damnari de hæreſi qui communicaret ſub vtraque ſpecie putans maiorem gratiam conſequi, quàm ſi ſub altera tantùm communicaret: quoniam id ab Eccleſia non fuit definitum, & ſunt Catholicorum hinc inde opiniones, ac probabilis exiſtimatur ſententia eorum qui dicunt, communicantes ſub vtraque ſpecie conſequi maiorem gratiam ſaltem ex opere operantis, vt habetur latè ex *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 4.*

19 Sic ampliata limitatur hæc concluſio, vt locū non habeat, vbi quis priuilegium habet communicandi in vtraque ſpecie, vel ſub ſpecie vini tantùm ex diſpenſatione Rom. Pontificis; quoniam tunc Laicus, vel Clericus extra ſacrificium miſſæ communicans non faceret contra reuerentiam huius ſanctiſſimi Sacramenti, eo quòd non peccaret communicando, ſtante dicta diſpenſatione, cum diſpenſatio cadat ſuper præceptum Eccleſiaſticum, non autem diuinum, in quo præcepto Eccleſiaſtico poteſt diſpenſare Romanus Pontifex, cùm ſit ſuper omnes leges, & canones, & eò magis, quia eiuſmodi præceptum, & Eccleſiæ conſuetudo pro libito nō poteſt mutari, ſecus autem ſi interueniat Eccleſiæ auctoritas, vt expreſsè definiuit *Conc. Trid. ſeſſ. 21. de commun. c. 2. in fine*, ibi, *Quam reprobare, aut ſine ipſius Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare non licet.* Vndè citra culpam Rex Galliæ, Bohemi, & alij, quos pro contraria opinione ſupra retulimus ſub utraque ſpecie communicabant. Eſt tamen uerum quòd Bohemis fuit diſpenſatum ſub conditione, ut à ſuo errore diſcederent, & firmiter crederent, alteram tantum ſpeciem ſatis eſſe ad ſalutem, atque ideò à ſuo errore deſiſterent, ipſis autem in eorum errore perſeuerantibus, diſpenſatio ceſſauit, ut habetur ex *Fagund. loco citato, ſub nu.* 19

20 Secundò limitatur eadem concluſio, ut non procedat, ubi conſuetudo in aliquo loco adeſſet communicandi certis caſibus, uel à certis perſonis in utraq; ſpecie, uel in ſpecie uini tantum: quoniam ſi talis conſuetudo eſſet ſcita, tolerata, ac approbata à Rom. Pontifice, laici, uel clerici non ſacrificantes ſi ita communicarent, non peccarent; atque ideò non facerent contra reuerentiam tanti Sacramenti. Vndè Græcorum conſuetudo communicandi ſub ſpecie uini tantum infirmos nō ualentes ſumere ſanctiſſimam Euchariſtiam ſub ſpecie panis, ſi talis conſuetudo erat ſcita, & approbata à Rom. Pontifice, procul dubio ſic communicantes non peccabant, nec contra reuerentiam tanti Sacramenti faciebant.

21 Tertiò limitatur, ubi ex parte Sacramenti occurrit neceſſitas urgentiſſima, ut ſi Calix conſecratus uenturus ſit in manus hoſtium fidei, ab illis effundendus, ac pedibus proterendus, tunc ſi deficiant Sacerdotes, aut Diaconi, qui illum reciperent, poterit à ſæcularibus ſuſcipi: nam præceptum de communione facienda laicis in ſpecie tantum panis, & non uini eſt tantum Eccleſiaſticum ob maiorem reuerentiam huius Sacramenti introductum: at ſi eo caſu laicus non ſumeret ſacrum ſanguinem, id cederet in grauiſſimam iniuriam Sacramenti: & propterea id, quòd in maiorem reuerentiam tanti Sacra-

menti ſtatutum fuit cederet in grauiſſimam eiuſdem irreuerentiam, atque ideo quod fauore inductum eſt, cederet in odium, contra *text. in l. quod fauore, ff. de legib.* & faciunt ea, quæ tradita ſunt à *Suar. in 3.p.tom.3.diſp.71.ſec.3.* Dixi

22 *Vbi ex parte Sacramenti occurrat neceſſitas.* Quia ſi neceſſitas eſſet ex parte ſuſcipientis Sacramentum, ut quia reperiretur in extremis, & non poſſet deglutire Sacramentum ſub ſpecie panis; ſed tantùm ſub ſpecie uini, tunc nõ poſſet licitè communicare ſub ſpecie uini citra priuilegium aliquod, ut conſuetudinem ſcitam, ac toleratam à Rom. Pontifice: etenim hoc caſu excuſaretur ægrotus, cum in arriculo mortis non poſſet communicare citra periculum effuſionis ſacri ſanguinis, ut rectè explicat *Fagund. d. c.4. ſub nu.20.*

Ad contraria patet reſponſio ex dictis.

An habens conſcientiam peccati mortalis, & accedens ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum attritione tantùm, uel etiam cum contritione, non præuia confeſſione, dicatur facere contra reuerentiam tanti Sacramenti.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Hæretici impiè docent, non modo exigi gratiæ diſpoſitionem ad reuerenter, & dignè communicandum, ſed quenquam eo melius eſſe diſpoſitum, quo magis eius conſcientia peccatorum pondere grauatur, & quare.*

2 *Falſa eſt hæreticorum doctrina circa iuſtificationem, dum putant peccata non tolli, nec remitti per veram pœnitentiam, ſed ſolùm non imputari per fidem.*

Et falſum quoque eſt, qui dicunt, hoc Sacramentum ex Chriſti inſtitutione tendere ad tollenda peccata, excitando ſolam fidem.

3 *Affertur opinio Caiet. Riccbar. & aliorum, dicentium, non extare Diuinum præceptum, quo habenti conſcientiam peccati mortalis prohibeatur acceſſus ad Euchariſtiam, non præmiſſa confeſſione.*

4 *Contraria ſententia communis eſt.*

5 *Prima ac præcipua diſpoſitio ad reuerenter ſumendum hoc ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eſt conſcientiæ puritas citra maculam lethalis culpæ.*

6 *Hoc Sacramentum non eſt per ſe primò ad conferendam primam gratiam, & impia eſt hæreticorum ſententia, dicentium ſolam fidem eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad dignam perceptionem tanti Sacramenti.*

7 *Ex vi huius Sacramenti remittuntur peccata venialia duobus concurrentibus ex parte ſumentis.*

8 *Peccatum Odij, charitati contrarium, & peccata carnalia huic tanto Sacramento ſpeciali quodam modo aduerſantur.*

9 *Peccata carnalia ſpeciali quodam modo aduerſari ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, ex eo conſtat, quia fornicator comparatur Iudæ Chriſtum oſculanti ad ſimilitudinẽ criminis.*

10 *Conſcientiam habens peccati mortalis, accedere non poteſt ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non præmiſſa confeſſione Sacramentali,*

11 *Præceptum Diuinum de præmittenda ſacramentali confeſſione ab eo, qui conſcientiam habet peccati mortalis, & vult accedere ad hoc Sacramentum non eſt naturale, ſed poſitiuum, immediatè à Chriſto latum.*

12 *Accedens ad Sacramentum Euchariſtiæ cum lethali culpa, non præmiſſa confeſſione ſacramentali, grauiſſimum ſacrilegium committit.*

Et quam probationem neceſſariam eſſe declaret Eccleſiæ conſuetudo.

13 *Accedens ſic ad hoc Sacramentum in Paſcha, præceptum non implet communicandi. Et an hoc peccatum maius ſit homicidio, adulterio, alijſq; peccatis, magiſq; peccet fidelis, ſic communicando, quam infidelis.*

14 *Licitum eſt aliquando ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumere citra cõfeſſionem habenti conſcientiam peccati mortalis, præhabita tamen contritione.*

15 *Præcepta Diuina poſitiua, vt affirmatiua obligant ſemper, ſed non pro ſemper, & in omni occaſione.*

16 *Copiam Confeſſarij, an, & quando quis non habere dicatur.*

17 *Communis cauſa ſeù neceſſitas, excuſans aliquem à confeſſione præmittenda, eſt ſi ſcandalum ſequatur, aut grauis infamia omittendo communionem, aut Miſſæ celebrationem.*

An in hoc ſufficiat Populi admiratio.

18 *Religioſus ſi peccatum habeat reſeruatum, & Superior non vult concedere licentiam pio Confeſſario, niſi ſub conditione, vt ſibi præſentetur, & abſolutionem a ſe petat, dicitur carere copia Confeſſarij.*

19 *Pro præbendo Viaticum morituro, alia hoſtia deficiente poterit Sacerdos celebrare cum ſola contritione ex defectu Confeſſarij.*

An Sacerdoti non ieiuno Miſſam liceat celebrare, vt ſuos Parochianos communicet in articulo mortis, ſi particulæ deſint in ſacrario.

20 *Si poſt conſecrationem recordetur Sacerdos peccati mortalis, debet elicita contritione ſacrificium complere. Et quid ſi recordatur, aut contrahat ante conſecrationem.*

21 *Sacerdos ſi ex officio celebrare teneatur, vt eſt proprius Parochus, aut fideles iure ſuo ſacrificium exigant, neq; per alium id perfici poſſit, & conſcientiam habeat peccati mortalis, careatq; copia Confeſſarij, cum ſola contritione celebrare poteſt.*

Et quid ſi non ſit Parochus proprius, vel ſimplex Sacerdos.

22 *Sacerdos, qui Parochus non eſt, ſit excommunicatus, non tamen denunciatus, nec publice Clerici percuſſor, & occurrit neceſſitas celebrandi, vel ob populi vtilitatem, vel Eccleſiaſtici præcepti obſeruantiam, ſacrificare poteſt.*

23 *Sacerdos iter faciens poterit cõtritus celebrare, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, & careat Confeſſario, vrgeatq; præceptum audiendi Miſſam, nec adſit qui celebret.*

24 *Si notabile damnum comminetur Sacerdoti conſcio peccati mortalis in perſona, vel in bonis, niſi celebret, eique deſit copia Confeſſarij, celebrare poterit, præhabita contritione.*

25 *Limitatur ſi metus incutiatur Sacerdoti in contemptũ Diuini præcepti de confeſſione præmitten-*

mittenda ante Miſſa celebrationem.

26 *Qui communicare velit, ſiuè Laicus, ſiuè Clericus ſit, & iam ad linteum menſæ Diuinæ adſiſtens recordetur alicuius peccati mortalis non confeſſi, poterit cum contritione communicare, ſecluſa quoque nota infamiæ, vel ſcandalo.*

27 *Qui iam confeſſus eſt, vt vrgeat præceptum Eccleſiæ de communione in Paſcha, & meminit alicuius peccati obliti, careatq; de præſenti copia Confeſſarij poterit contritus licitè communicare.*

28 *Vbi in aliquo Monaſterio, aut Religioſorum Collegio ex ſtatuto, vel conſuetudine illius Religioſi ſumpturi ſunt ſanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum certo die menſis, vel hebdomadæ, & deſit Confeſſarius pro oblitis reſeruatis, cum ſola contritione poterunt communicare, & celebrare.*

Quid ſi citra ſcandalum, & infamiam poſſint communionem prætermittere.

29 *Religioſus habens caſum reſeruatum, nec Superior vult concedere Pio Confeſſario licentiã illum abſoluendi, niſi ſub conditione, vt ſibi præſentetur, & abſolutionem à ſe petat, poterit cum ſola contritione cõmunicare, & quando.*

Secundum magis receptam opinionem eo ipſo, quod Superior ſemel, & iterum requiſitus negat licentiam tribuere Pio, Docto, ac Religioſo Confeſſario pro abſoluendo eius ſubditum, niſi ſub conditione, vt ſibi prius præſentetur, poterit Pius Confeſſarius eum abſoluere, inſtante neceſſitate communicandi, aut celebrandi ad euitandum ſcandalum, &c.

30 *Qui Sacerdotem habet, cui confiteri poſſit peccatum mortale, cuius conſcius eſt, ſed probabiliter timeat, illum Sacerdotem non ſibi ſeruaturum ſigillum, aut grauem iniuriam illaturum, ſi apud eum confiteatur, poterit ad ſacram communionem accedere cum ſola contritione prætermiſſa confeſſione.*

Et an hæc ſit ſufficiens cauſa tacendi peccatum in confeſſione.

31 *Si pœnitens plura habeat peccata mortalia, & ex confeſſione vnius tantum timeat hoc detrimentum fractionis ſigilli, &c. Illo excepto, omnium aliorum confeſſionem præmittere debet, antequam ad ſacram Euchariſtiam accedat.*

32 *Præceptum præmittendi cõfeſſionem ſacramentalem in habente conſcientiam peccati mortalis, & volente ſuſcipere Euchariſtiæ Sacramentum, ita eſt Eccleſiaſticum antiquiſſimum vt ſimpliciter ſit diuinum poſitiuum, à Chriſto ſpecialiter latum, & Apoſtolis traditum.*

32 *Euchariſtiæ Sacramentum eſt Sacramentum viuorum, ideo illud exigit ſuſcipientem eſſe in gratia.*

33 *Exigit quoque hoc Sacramentum communionis, confeſſionem præmitti ab eo, qui conſcientiam habet peccati mortalis, nec ſatis eſt ſola attritio; & quare.*

1 IN hac re eſt adnot. quòd nos non diſputamus hanc controuerſiam contra hæreticos impiè docentes, non modò nõ exigi gratiæ diſpoſitionẽ ad reuerenter, ac dignè communicandum; ſed eò quemquam melius eſſe diſpoſitum ad communicandum, quo magis eius conſcientia peccatorum pondere grauatur, dummodò firmiter, & citra omnem hæſitationem credat, ea ſibi peccata non eſſe imputanda propter merita Chriſti: etenim volunt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non tantùm eſſe animæ cibum, ſed etiam medicamentum, iuxta illud *Matth. c. 9. Non ſani egent Medico, ſed qui malè habent.* Sed verè falluntur: nam huiuſmodi Sacramentum fuit à Chriſto Domino inſtitutum non ad tollenda peccata per excitationem fidei, ſed ad nutriendam animam, eandemq; præſeruandam à culpis, & ad augendam gratiam poſt remiſſam culpam mediante vera, ac perfecta pœnitentia: Vndè patet, quàm falſa ſit hæreticorum doctrina

2 circa iuſtificationem dum putant peccata non tolli, nec remitti per veram pœnitentiam; ſed ſolùm non imputari per ſolam fidem, & non minus falſum eſt, quod dicunt exiſtimantes, huiuſmodi Sacramentum ex Chriſti inſtitutione tendere ad tollenda peccata excitando ſolùm fidem; cùm tamen inſtitutum ſit à Chriſto Domino ad augendam gratiam, & præſeruandum à peccatis inſtitutum committendis: propter quod dicitur Sacramentum viuorum, non autem mortuorum, vt ſuo loco latius, Deo duce, dicemus. Solam igitur controuerſiam hanc diſcutiendam duximus cum Catholicis.

3 In qua re *Caiet in ſum. ver. Communio, & opuſc. de Euch. ad articulos Pariſienſium, & 1. Corinth. 11. Riechard. in 4. d. 27. art. 3. q. 6.* Et alij nonnulli volunt, non extare Diuinum præceptum, quo à Deo inhibeatur habenti conſcientiam peccati mortalis acceſſus ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, non præmiſſa confeſſione. Ergò qui contritus, vel ſaltem attritus accedens cum conſcientia peccati mortalis ad huiuſmodi Sacramentum, non poteſt dici irreuerenter accedere. Confirmatur, quoniam ad alia Sacramenta, ſatis eſt ſi quis contritus accedat, imò, & attritus, vt de Sacramento pœnitentiæ latius ſuo loco egimus, *§. 1. diſp. 7. ſec. 11. verſ. Conueniunt primò.*

4 His tamen non obſtantibus, contraria ſententia eſt communis. Pro cuius explicatione ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

5 PRima, ac præcipua diſpoſitio, quæ requiritur ad reuerenter ſuſcipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eſt conſcientiæ puritas citra lethalis culpæ maculam. Hæc concluſio eſt communis omnium Theologorum, & contra hæreticos. Probatur primò ex illo *Apoſtoli Pauli 1. Corinth. c. 11. Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de Calice bibat: qui enim manducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit.* Etenim ad augmentum gratiæ conſequendum, quod eſt proprius effectus huius Sacramenti, ſupponitur, ſuſcipientem eſſe in gratia: non enim poteſt in aliquo habitualis gratia augeri, niſi ſupponatur in gratia exiſtere, vt latè probat *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 63. ſec. 1. concl. 1.* Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* Vbi declarans ſupra relata verba Apoſtoli ſic ait. *Probet ſe ipſum homo, Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe; vt nullus ſibi conſcius mortalis, &c.* Vndè ille dicitur indignè, ac irreuerenter ſumere tantum Sacramentum, qui

ad

ad illud accedit cum praua conſcientiâ, vt babe-
tur ex *D. Auguſt. de quo in c. quotidie, de conſecr.
d. 2.* in illis verbis, *Si tamen mens in affectu pec-
candi eſt, grauari magis dico Euchariſtia per-
ceptione, quàm purificari*. Eſt enim cæleſtis iſte
panis mors malis, & vita bonis. Iudas, cui buc-
cellam dedit Chriſtus, quia malus, non malum
accipiendo, ſed bonum malè ſumendo locum
præbuit Diabolo, ait *text. in c. ſicut Iudas de*
6 *conſecr. d. 2.* Ex hac concluſione infertur primò,
hoc Sacramentum non eſſe per ſe primo ad con-
ferendam primam gratiam, vt ſuo loco dicemus.
Secundò infertur, impiam eſſe hæreticorum ſen-
tentiam, dicentium nullam eſſe neceſſariam
diſpoſitionem ad dignam perceptionem tanti
Sacramenti, niſi fidem: & multo magis impius
eſt Luther, qui ait, neminem eſſe melius diſpo-
ſitum ad ſuſcipiendum illud, quàm qui habet
conſcientiam peccatis grauatam, ac perturba-
tam, dummodò credat ſibi non imputari peccata
per Chriſtum, vt latè eos impugnat *Bellar. lib.
4. de hoc myſter. c. 17. & Suar. tom. 3. in 3. par.
diſp. 66. ſec. 1.* Dum dicunt, huiuſmodi hæreticos
errare in primis in generali doctrina de iuſtifi-
catione, & remiſſione peccatorum: nam putant,
peccata non tolli, ſed ſolùm non imputari; idq;
non per veram pœnitentiam, ſed per ſolam fi-
dem. Secundò errant in fine, & inſtitutione dicti
Sacramenti, dum dicunt eſſe inſtitutum ad tol-
lenda peccata mortalia. Eſt tamen verum, quòd
7 licet hoc Sacramentum non ſit per ſe inſtitutum
ad tollenda peccata mortalia; eius vi tamen ex
opere operato remittuntur peccata venialia, vt
habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ 13. c. 1.* dicente, hoc
Sacramentum, *Liberare nos à venialibus, præ-
ſeruare autem à mortalibus*. Quod quidem ve-
rum eſt ſi duo concurrant ex parte ſumentis,
nempè quod ſit in ſtatu gratiæ, & quòd non ha-
beat actualem affectum ad ipſa venialia, vt latè
probat *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 63. ſec. 10.* Vbi
etiam probat remiſſionem pœnæ temporalis non
dari per hoc ipſum Sacramentum ex opere ope-
rato; ſed tantùm vt ſacrificium eſt id effici: aut
ex opere operantis; atque ideò promiſſio gratiæ
ſemper reſpicit recipientem, iuxta illud Domini,
*Qui manducat me, viuet propter me: qui man-
ducat hunc panem, viuet in æternum*. Sed non
ob id dicimus, fideles fruſtra pro viuis, & pro
Defunctis communicare: ſiquidem cùm talis
actus ſit Religionis, de ſe eſt ſatisfactorius apud
Deum ex opere operantis, vt latè habetur ex eo-
dem *Suar. loco citato*, & ex alijs, quos refert, &
ſequitur *Molfeſ. p. 1. ſuæ ſum. tract. 3. c. 8. à n. 75.
vſque ad nu. 80.*

SECVNDA CONCLVSIO.

8 QVamuis omne peccatum mortale ſit contra
reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sa-
cramenti; nihilominus peccatum odij,
charitati contrarium; & peccata carnalia huic
tanto Sacramento ſpeciali quodam modo aduer-
ſantur. Quoad peccatum odij patet concluſio.
Etenim eiuſmodi Sacramentum eſt vinculum
pacis, & charitatis, cùm per ipſum fidelis copu-
letur Chriſto, vt capiti; & ſub eo connectitur
cum alijs membris, nempè cum fidelibus, vt
vnum corpus fiat cum illis, vt habetur ex *Diu.
Auguſt.* de quo in *c. qui a paſſus, de conſecr. d. 2.*
in illis verbis, *Myſterium pacis, & vnitatis no-
ſtra in menſa conſecrauit: qui accipit myſterium
vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſte-
rium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe*.
Idem habetur ex eodem *Auguſt. in c. commen-
dauit, & in c. hoc Sacramentum, ead. d.* qui de
huiuſmodi vnione tractans ſic ait, *Commendauit
enim Chriſtus in hoc Sacramento Corpus, &
Sanguinem ſuum, quod etiam fecit, & nos ipſos;
nam, & nos corpus ipſius facti ſumus. Hoc Sa-
cramentum pietatis eſt, ſignum vnitatis, vincu-
lum charitatis. Qui vult viuere accedat, &
credat.* Ob id Dominus in Cœna ante huius Sa-
cramenti inſtitutionem, & diſpenſationem, ſer-
monem habuit ad Apoſtolos, dilectionem præ-
cipiens ad inuicem, ac dicens, *Hoc eſt præceptum
meum, vt diligatis inuicem.* Vndè cùm ipſe Do-
minus ſuſcepturis tantum Sacramentum ſpe-
cialiter præceperit dilectionē ad inuicem: ergò
peccatum odij dilectioni contrarium ſpeciali
quodam modo eidem Sacramento aduerſatur:
atque ideò maxima irreuerentia huic Sacramēto
infertur ab eo, qui pacem non habet cum alijs:
& proximum verè, & ex animo nō diligit. Hinc
ait *Dominus Ioan. c. 5. Si offers munus tuum ad
altare, &c.* Quod quidem multo magis locum
habet in eo, qui veram charitatem in Chriſtum
non nouit habere: is enim multo magis irreue-
renter accedit, vide *Vaſq. tom. 3. in 3. par. diſp.
207. & 208.*

9 Quòd autem peccata carnalia ſpeciali quodam
modo ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento ad-
uerſentur ex eo conſtat, quod vltra culpam ha-
bent magnam indecentiam propter adiunctam
eis ſpurcitiam corporis, in quo locatur ſanctiſ-
ſimum Chriſti corpus, & per ea ſpiritus magis
carni ſubijcitur, atque ideò magis impeditur di-
lectionis feruor, ad ſuſceptionem tanti Sacra-
menti requiſitus. Vndè *D. Thom. 3. p. q. 80. art.
5. ad 2.* ait, quòd fornicator accipiens Corpus
Chriſti, comparatur Iudæ Chriſtum oſculanti
quantum ad ſimilitudinem criminis. Idem ha-
betur per *D. Hieronymum relatum à D. Thoma
ibidem*, & ita dicentem, *Quid tibi cum fœminis,
qui ad altare cum Deo fabularis? Dic Sacer-
dos, dic Clerice, qualiter iiſdem labijs filium
Dei oſcularis, quibus oſculatus es labia mere-
tricis? cum Iuda oſculo filium hominis tradis.*
Hic ait *D. Thom. loco citato, art. 7. in corp.*
Quòd pollutio, quamuis ſine peccato contingat;
de congruentia tamen impedit à ſumptione
huius Sacramenti. Sed de hac re latè ſupra egi-
mus, *ſec. 2. concl. 3. verſ. in hac re: & verſ. His
tamen non obſtantibus*, Et propterea eo loco nos
remittimus, ne bis idem repetere videamur, ibi
etiam tractauimus de copula cum vxore, an &
quando impediat ſacram communionem.

TERTIA CONCLVSIO.

10 COnſcientiam habens peccati mortalis non
poteſt accedere ad ſanctiſſimum Eucha-
riſtiæ Sacramentum, niſi præmiſſa ſacramentali
confeſſione, nec ſatis eſt ſi ſit contritus, & multo
minus attritus. Hæc concluſio eſt communis, &
de fide. Probatur, quoniam de iure Diuino in-
hibetur ſacra communio habenti conſcientiam
peccati mortalis, non præmiſſa confeſſione, vt
patet ex illo *D. Pauli 1. Corinth. 11. Probet
autem ſe ipſum homo, &c.* In quibus verbis dari
præceptum Diuinum probandi ſe ipſum ante
acceſ-

Digitized by Google

acceſſum ad hoc Sacramentum, & quòd ea probatio facienda ſit iudicio Eccleſiæ præmittendo confeſſionem, cùm haberi poteſt copia Confeſſarij, vt docēt *Patres Theophylactus, Ambroſ. Hieronym. Anſelm. ad d. Pauli locum, Cypr. lib. 3. epiſt. 14. 15. 16. & 18. Chryſoſtom. homil. 10. & 83. in Matt.* & alij quamplurimi, quos refert *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. cap. 8. ſub num. 2. circa fin.* Et de fide definiuit *Conc. Cabilon. c. 46. tempore Caroli Magni, & Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* in illis verbis, *Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum, (id eſt Domini, cum Dominum loquentem paulo ſuprà referat) probet ſe ipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati, quantumuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Et can. 11. ead. ſeſſ.* Ita quoque ſtatuit, *Declarat ſancta Synodus illos, quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcunq; etiam ſe contritos exiſtiment, habita copia Confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe confeſſionem ſacramentalem. Si quis autem contrarium docere, vel aſſerere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus ſit.*

QVARTA CONCLVSIO.

11 PRæceptum Diuinum de præmittenda ſacramentali confeſſione ab eo, qui conſcientiam habet peccati mortalis: & vult accedere ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum non eſt naturale, ſed poſitiuum dumtaxat, immediatè à Chriſto latum, & per Apoſtolos ad Eccleſiam deductum, & declaratum, atque ideò dicitur ſimpliciter Diuinum poſitiuum. Hæc concluſio eſt *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 66 ſec. 3. §. Dico primo, Fagund. d. c. 8 ſub nu. 2. Sot. in 4. d. 15. q. 1. art 4. Cord. lib. 1. qq Theol. q. 16. Couar. in c. Alma Mater p. 1. §. 1. nu. 7. & alior.* Mouentur ex eo, quod quamuis ex generali illo principio, ſancta ſanctè tractanda ſunt, huiuſmodi præceptum dici poſſit etiam aliquo modo naturale; nihilominus præceptum ſpeciale de præmittenda ſacramentali cōfeſſione ante communionem ab habente conſcientiam peccati mortalis, non eſt naturale, ſed Diuinum poſitiuum, iuxta illud Apoſtoli, *Probet autem ſe ipſum homo, &c.* Siquidem illa probatio non eſt facienda per proprium tantum iudicium cuiuſcunque hominis particularis, ſed eſt facienda per iudicium Eccleſiæ, & Confeſſarij præmittendo confeſſionem ſacramentalem culpæ mortalis, vt fuit definitum per *Concil. Trid. locis ſupra citatis.*

QVINTA CONCLVSIO.

12 ACcedens ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum lethali culpa, non præmiſſa confeſſione ſacramentali, lethalem culpam contrahit, & grauiſſimum ſacrilegium committit. Hæc concluſio eſt communis, ac de fide, vt habetur ex *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 45. nu. 1. & 3. Suar. tom. 3. in 3 p. diſp. 66. ſec. 1. in prin. & ſec 3. §. dico primo, Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 8. ſub nu. 1. verſ. Primò igitur, Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 4. cap. 6. ſub nu. 4.* & ex alijs ab eiſdem relatis, & patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* vbi verba illa *Apoſt. 1. Corinth. c. 11. Probet autem ſe ipſum homo, &c.* Referens ita inquit, *Eccleſiæ autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis quantumuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad S. Euch. accedere debeat.* Vndè cùm Concilium Eccleſiaſticæ conſuetudini innitatur, cuius initij nulla memoria extat, ſatis declarat eſſe Apoſtolicam traditionem de ſacramentali confeſſione præmittenda, ſi communicaturus mortalis peccati conſcius ſit; ita vt ipſimet Apoſtoli de hac re præceptum à Chriſto acceptum promulgauerint. Etenim huiuſmodi Sacramentum ob id dicitur viuorum, non autem mortuorum; & peculiariter inſtitutum fuit, vt hominem cum Chriſto vniat: cui vnioni maximè repugnat peccatum mortale, cùm hominem à Deo ſeperet, & inimicum reddat. Imò ſic accedens ad tantum Sacramentum in Paſcha non implet præceptum communicandi in Paſcha, vt ſupra oſtendimus. §. 1. *diſp. 2. ſec. 1. ampl. 1.* Non
13 tamen hoc peccatum maius eſt homicidio, adulterio, & nōnullis alijs peccatis: nec magis peccat fidelis cum conſcientia peccati mortalis communicando, non præmiſſa confeſſione, quàm Infidelis, vt latè probat *Fagund. loco citato, nu. 12. 13. & 14.*

SEXTA CONCLVSIO.

14 LIcitum eſt aliquando ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum citra confeſſionem ſumere habenti conſcientiam peccati mortalis; præhabita tantùm contritione, vel ſaltem præmiſſa attritione exiſtimata contritione iuxta ea, quæ infra dicemus, *ſec. 19. lim. 1. verſ. Eſt tamen verum.* Hæc concluſio eſt communis, quam docent *Henriq. lib. 8. ſuæ ſum. c. 45. nu. 4. Nauar. in Man. c. 2. num. 10. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. c. 8. nu. 9. & c. 9. ſub nu. 1. Laym. lib. 5. ſuæ ſum. tract. 4. c. 6. ſub num. 6. & alij communiter.* Probatur, quia præceptum Diuinum de præmittenda confeſſione volenti communicare cum conſcientia peccati mortalis, eſt affirmatiuum, & poſitiuum: præcepta, aut Diuina poſitiua, & affirmatiua obligant ſemper; non tamen
15 pro ſemper, & in omni occaſione, quo circa tales occurrere poſſunt circumſtantiæ, vt illis occurrentibus nō obligent. Vndè in caſu noſtro *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* Excuſat communicantem cum conſcientia peccati mortalis non præmiſſa ſacramētali cōfeſſione ſi neceſſitas vrgeat, & copia non adſit Confeſſarij, vt patet ex illis Concil. verbis, *Neceſſitate vrgente modò deſit copia Confeſſoris.* Imo exigit Concilium ipſum, vt ſi Sacerdos neceſſitate vrgente abſque præuia confeſſione celebrauit, quam primum poſtea confiteatur, vbi nota Ly quamprimum importare præceptum non conſilium, ſicuti omnibus, ſanctè, ac piè declarauit S.D.N. Alexander VII. p. m. fer. V. die 18. Martij 1666. damnando omnino vti temerariam, & ſcandaloſam oppoſitam ſententiam, quod tamen præceptum cum loquatur de Sacerdote tantum, non eſt extendendum ad Laicos, vel ad ipſos quoque Sacerdotes laicorum more communicantes, atque ideò ſi illi ex cauſa neceſſitatis communicent cum contritione tantùm lethalis culpæ, non præuia confeſſione ex defectu Confeſſarij, non tenentur poſtea quam primum confiteri oblata

occa-

occaſione Confeſſarij; ſed poſſunt expectare tempus, quo obligat præceptum confeſſionis annuæ, vt habetur ex *Suar. in 3. p. tom. 3. diſp. 66. ſec. 7. Laym. loco citato, ſub nu. 7.* & ex alijs, vel cum aliàs ſint communicaturi, vt declarat *Fagund. d. lib. 3. c. 8. ſub nu. 9.* De ipſo vero Sacerdote intelligendũ eſt non ſuo tempore, ſed ſtatim ſicut declarauit idem ibidem S. P. Alex. VII. damnando contrariam opinionem.

16 Tunc autem cenſendum eſt aliquem non habere copiam Confeſſarij, quando non adeſt Sacerdos iuriſdictionem habens ſuper peccata mortalia, vel ſuper aliquod ex illis, quæ habet is, qui ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcepturus eſt. Dicitur quoque quis non habere copiam Confeſſarij, quando licet Confeſſarium habeat præſentem; non tamen poteſt apud illum confiteri citra graue damnum, & incommodum, vt infra latius dicemus, caſu octauo. Idem dicendum eſt ſi quis abſentem Confeſſarium adire nequeat abſque magna difficultate, ſpectatis circumſtantijs perſonæ, itineris, &c. vt rectè declarat *Fagund. d. cap. 9. ſub num. 17. & 24. & Laym. vbi ſupra, ſub nu. 6. verſ. Quoad alterum vbi Fagund. d. num. 17. verſ. Similiter deeſt,* Probat, deeſſe copiam Confeſſarij, quando Religioſus habet aliquem caſum reſeruatum, & Superior non vult concedere pio Confeſſario licentiam, vt illum ab eo abſoluat, niſi ſub ea conditione, vt ſibi præſentetur, & abſolutio-
17 nem à ſe petat. Communis denique cauſa, ſeu neceſſitas excuſans ab omnibus Doctoribus citra vllam controuerſiam, illa eſt, nempè ſi ſequatur ſcandalum, aut grauis infamia, communionem, aut ſacræ Miſſæ celebrationem omittendo, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 67. ſec. 4. Henriq. lib. 8. ſuæ ſum. c. 49. nu. 4. Fagund. d. lib. 3. c. 8. nu. 9. & c. 9. ſub nu. 9.* Non tamen ſatis eſt populi admiratio, vt habetur ex *Suar. d. ſec. 4. §. 4.* Verùm ſi magna ſit, probabilior nobis videtur opinio *Corduba in ſum. Hyſp. q. 142. Syl. ver. Euchariſtia, 2. §. 7. num. 9. & Fagund. vbi ſupra c. 9. nu. 9.* Dicentium ad euitandam populi admirationem poſſe quem, non præuia confeſſione communicare, ſi non adſit Confeſſarij copia. Imò non ſolum vitatio ſcandali, aut admirationis, vel infamiæ ſatis eſt homini habenti conſcientiam peccati mortalis communicare citra confeſſionem ex defectu Confeſſarij, atque ideò ſufficere contritionem, vel ſaltem attritionem exiſtimatam cõtritionem vt ſuo loco dicemus, ſed etiam vrgens neceſſitas propria, vel proximi, & defectus Confeſſarij, ſufficiunt in multis alijs caſibus: quorum.

18 Primus caſus eſt, vt morituro Viaticum præbeatur ſi alia hoſtia deſit: nam tunc licitum eſt Sacerdoti non præuia confeſſione celebrare ex defectu Confeſſarij cum ſola contritione, vt habetur ex *Laym. poſt alios, d. c. 6. ſub nu. 5. verſ. Tertium, & Fagund. d. c. 9. nu. 4.* Idem dicendum eſt de Sacerdote, qui ſciat probabiliter propinquam ſibi eſſe mortem ab inimicis, aut ab Infidelibus inferendam: vel hauſto veneno, ſentiat paulatim vires ſibi deficere: nam ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, & deſit copia Confeſſarij, cum ſola contritione poteſt celebrare; atque ideò communicare ſacrificium conſumando; vt per *Henriq. lib. 8. de Euchariſtia, cap. 46. nu. 1. & Fagund. d. c. 9. nu. 9.* Qui eam eſſe rationem volunt, quoniam tunc communicat per modum Viatici, quo caſu permittitur communio non ieiunis: & cùm non detur copia Confeſſarij ſatis eſt ſi cum contritione celebret, cùm aliundè vrgeat præceptum diuinum communicandi in articulo, ſeù periculo mortis. Non tamen licet Sacerdoti non ieiuno Miſſam celebrare, vt ſuos Parochianos communicet, etiam in articulo mortis, ſi deſint particulæ in ſacrario vt habetur ex *D. Thoma 3. p. q. 80. art. 8. Sot. in 4. d. 12. q. 1. art. 8. & Fagund. d. c. 9. nu. 3. & 4.* Vbi rationem aſſignat, & refert pœnam, quàm plectuntur Sacerdotes non ieiuni celebrantes.

19 Secundus caſus eſt, vbi Sacerdos poſt conſecrationem recordetur peccati mortalis: nam tunc debet elicita contritione, ſacrificum complere: ſecus autem ſi ante cõſecrationem peccati lethalis recordetur, aut contrahat: nam ſi citra infamiam poteſt confiteri, ad id tenetur, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 25. nu. 76. Suar. in 3. p. tom. 3. diſp. 66. ſec. 4.* & ex alijs apud *Laym. d. c. 9. nu. 5. verſ. Tertium,* quamuis contrarium doceant *Henriq. lib. 8. ſuæ ſum. c. 46. nu. 3. Sot. in 4. d. 13. q. 2. art. 6.* Et alij dicentes eo caſu non teneri Sacerdotem confiteri, etiam ſi ſtatim poſt introitum recordetur peccati mortalis, ac etiam ſi citra notam poſſit confeſſionem præmittere; ſed conſultius eſt contritionem elicere, & ſacrificium proſequi: quam ſententiam probabilem eſſe inquit, *Laym. ibidem, verſ. Contrarium, & Fagund. d. c. 9. nu. 11.* Eo maximè quoniam vix citra notam, & admirationem ſaltem aliorum id fieri moraliter nequit: & *nu. 12.* an autem ſatis ſit eo caſu attritio, ex dicendis *ſec. ſeq.* dicemus. Idem probabiliter putat dicendum ſi Sacerdos recordetur ſe eſſe excommunicatum, aut non ieiunum; quamuis contrarium doceat *Henriq. loco citato,* & alij, ſi excommunicationis, vel ſe non eſſe ieiunum meminerit ante conſecrationem, & citra ſcandalum poſſit ad Confeſſarium accedere.

20 Tertius caſus eſt, quando Sacerdos ex officio celebrare tenetur, aut fideles iure ſuo ſacrificiũ exigant, neque per alium id perfici poſſit, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 67. ſec. 4. alias 5. Laym. vbi ſupra, verſ. Tertium:* Tunc enim ſi Sacerdos eſt Parochus, v. g. & conſcientiam habeat peccati mortalis, & careat copia Confeſſarij cum ſola contritione poteſt celebrare, confeſſione non præuia. Etenim proprius Parochus ex iuſtitia tenetur Miſſam celebrare, & populus iuſtè ab eo petit, tale miniſterium, etiã ſi Parochus ipſe excommunicatus eſſet, & non denunciatus, nec publicus clericorum percuſſor, iuxta ea, quæ habentur ex *Suar. de cenſur. diſp. 11. ſec. 4. à nu. 13. ad 19. & Nauar. in Man. c. 9. nu. 10.* Dixi, *Si Sacerdos eſt Parochus.* Ideſt proprius Parochus; nam ſi eſſet Parochus non proprius, vel ſimplex Sacerdos, cui non competat ex officio ſacrum celebrare, aliqui volunt, eum non poſſe eo caſu celebrare, etiam ſi alius Sacerdos non adeſſet, & populus die feſto vellet Miſſam audire, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 67. ſec. 4. alias 5. §. ſed quæres col. 2.* Ea ratione motus; quia quantum ex vi, præter a

causæ,

Digitized by Google

cauſæ, illa ſola non eſt ſatis, ſecluſo ſcandalo, aut infamia in Sacerdotem reſultante: ſiquidem id neceſſarium non eſt ad vitandum peccatum proximi; nam alij non peccabant ſi ex defectu Sacerdotis nolentis ſacrificare die feſto Miſſam non audiant: hanc eandem opinionem tenet *Laym. lib. 5. ſua ſum. tract. 4. cap. 6. nu. 6.* cum alijs, quos allegat. Sed re vera probabilior nobis videtur ſententia, *Fagund. vbi ſupra ſub nu. 13.* & aliorum, dicentium præfatam cauſam eſſe ſufficientem, vt Sacerdos etiam ſi non teneatur ex officio ſacrificare, Miſſam celebrare poſſit, non præuia confeſſione, ſi copiam Confeſſoris non habeat, atque ideò cum ſola contritione, non obſtante conſcientia lethalis culpæ: etenim præceptum vrget, & neceſſitas proximi reputanda eſt propria, quando neceſſitas illa in ordi-
21 ne eſt ad ſalutem. Confirmatur, quoniam *Suar. poſt alios tom. 5. in 3. p. de cenſur.* Inquit, quòd quando Sacerdos non eſt Parochus, & eſt excommunicatus, non tamen denunciatus, nec publicus clericorum percuſſor, ſi occurrat ſimilis neceſſitas, quæ ex charitate plurimum induceret ad eiuſmodi ſacrificium celebrandum propter communem populi vtilitatem, vel Eccleſiaſtici præcepti obſeruantiam, tunc poſſet gratia populi ſacrificare. Nec obſtat argumentum ſupra allatum, nempè quòd alij non peccabunt ſi eo caſu Sacerdos non ſacrificet; ſiquidem proximus in mortis articulo conſtitutus, & vrgeat præceptum Diuinum communicandi, ſi Sacerdos tunc habens peccatum mortale nō ſacrificet ad eum communicandum, ægrotus quidem non peccabit, & tamen ſupra diximus, poſſe prædictum Sacerdotem contritum Miſſam celebrare, non præuia confeſſione: ergò neceſſitas non eſt ſumenda ex peccato, vel nō peccato pro-
22 ximi præcisè. Præterea Sacerdos dum iter facit poteſt contritus celebrare ſi cōſcientiam habeat peccati mortalis, & copiam non habeat Confeſſarij, & vrgeat præceptum audiendi Miſſam, nec adſit alius Sacerdos, qui celebret, vt habetur ex *Henriq. lib. 8. ſua ſum. c. 46. n. 5. Syl. ver. Eucharistia 2. §. 9.* & ex alijs apud *Fagund. loco cit.*

23 Quartus caſus eſt, vbi notabile damnum in perſona, vel in bonis comminatur Sacerdoti habenti conſcientiam peccati mortalis ſi non celebret; quoniam tunc ſi deſit copia Confeſſarij, poteſt celebrare non præuia confeſſione: & ſatis eſt ſi ſtudeat contritionem habere. Etenim præceptum Diuinum de præmittenda ſacramentali confeſſione volenti communicare, ac habenti conſcientiam peccati mortalis, eſt poſitiuum; at lex poſitiua, etiam Diuina non obligat, vrgente metu cadente in conſtantem virum, vt oſtendimus in noſtris *Commentarijs ad Bull. Cœnæ, lib. 1. c. 2. q. 2. nu. 21.* Quod verum puto, niſi metus
24 incutiatur Sacerdoti, de quo agitur in contemptum Diuini præcepti de præmittenda cōfeſſione volēti ſacram Miſſam celebrare, & habenti conſcientiam peccati mortalis: quoniam licèt metus iuſtus excuſet ab obſeruantia legis poſitiuæ, ſiuè diuina ſit, ſiuè humana, nunquam tamen excuſat cum contemptu fidei, Religionis, aut cum iniuria, vel graui ſcandalo Eccleſiæ, per ea, quæ cumulauimus in *d. Comment. loco citato, nu. 26.* vbi etiam *num. 27. & 28.* Oſtendimus metum iuſtum non excuſare violantes Diuinam legem poſitiuam cum aliorum detrimento, & offenſione, aut propriæ, vel alienæ ſalutis ſpiritualis.

25 Quintus caſus eſt de eo, qui vult communicare, ſiuè Laicus ſit, ſiuè Clericus, etiam Sacerdos: & iam ad linteum menſæ Diuinæ communicaturus aſſiſtens, ibi recordetur alicuius peccati mortalis non confeſſi: nam non deſunt qui velint eum non teneri ſurgere è menſa, vt Confeſſarium adeat, ſed ſatis eſt ſi cum contritione communicet, etiam ſecluſa nota infamiæ, vel ſcandalo: & id ob ſolam indecentiam; quoniam iam eſt inchoata actio ſacra communicandi, atque ideò non decet recedere à menſa, donec perficiatur; ſicut indecens eſſet recedere à menſa Principis ante conuiuium completum: eo maximè, quia iuſtus accedit, & probatus per confeſſionem: quæ quidem ſententia licet probabilis videatur, nihilominus probabilior nobis videtur ſententia eorum, qui per ſolam indecentiam non excuſant eo caſu communicantem, ſed inſuper expoſtulant aliquam notam ſcandali, admirationis, & infamiæ, vt habetur per *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 67. ſec. 4. aliàs 5. §. ſexta cauſa. Nauar. in Man. c. 27. nu. 49.* & alios apud *Fagund. d. c. 9. ſub nu. 14.*

26 Sextus caſus eſt de eo, qui confeſſus eſt, & vrget præceptum Eccleſiæ de communione in Paſcha, & meminit alicuius peccati obliti, ac caret de præſenti copia Confeſſarij, cui poſſit illud confiteri: nam contritus licitè poteſt communicare: ſiquidem adeſt neceſſitas præcepti Eccleſiaſtici, & non adeſt Confeſſarius, ac præceptum Diuinum communicandi citra cōfeſſionem omnium peccatorum mortalium, de quibus recordamur; non obligat, niſi data copia Confeſſarij. Ita *Henriq. lib. 8. ſua ſum. c. 46. num. 4. Palud. in 4. d. 9. q. 1. art. 2. & alij apud eundem Fagund. d. c. 9. ſub num. 15.* qui ad hoc allegat *Tolet. lib. 2. ſua ſum. c. 25. §. Quarta debet*, Vbi ſimpliciter ait, in neceſſitate implendi præceptum, & defectu copiæ Confeſſarij poſſe quemquam accedere ad menſam contritum cum voto confeſſionis faciendæ, habita occaſione. Vndè videtur velle, quod etiam ſi prius confeſſus non eſſet, ad implendum præceptum Eccleſiæ poſſe quemquam communicare, imò & Miſſam celebrare cum ſola contritione, ſi non adſit Confeſſarius. Nunquam tamen non ieiuno dum ſanus, & benè valens eſt licitum eſt communicare pro implendo præcepto communionis in Paſcha, aut propter inſtans Iubileum, vt habetur ex *D. Thoma 3. p. q. 80. art. 8. Sot. in 4. d. 21. q. 2. art. 3.* & ex alijs apud eundem *Fagund. loco citato, ſub nu. 16.*

27 Septimus caſus eſt, vbi in aliquo monaſterio, aut Collegio Religioſorum ex ſtatuto, vel conſuetudine illius Religioſi ſunt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpturi certo menſis, aut hebdomadis die, nec haberi poſſit Confeſſarius pro oblitis reſeruatis: nam ſi quis confeſſus alicuius lethalis culpæ fuerit oblitus, cum ſola contritione poterit communicare, & ſi Sacerdos ſit celebrare, ſi copiam Confeſſarij non habeat, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 16. in littera, & d. 17. q. 2. art. 5. quæſtiunc. 1. ad 3. & Henriq. lib. 8. Euch. c. 46. nu. 4.* quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 9. nu. 17.* pro qua re aſſert *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. & can. 11. ead. ſeſſ.* Quod

Digitized by Google

tamen verum putant cùm citra ſcandalum, aut infamiam non poſſit communionem prætermittere: aliàs non vrgeret neceſſitas communicandi vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3 p. diſp. 47.* quem citat *Fagund. ibidem, vbi verſ. Similiter.* Deeſt

28 idem dicendum eſſe ait, quando Religioſus habet aliquem caſum reſeruatum, & Superior non vult concedere pio Confeſſario licentiam, vt illum ab eo abſoluat, niſi ſub ea conditione, vt ſibi præſentetur, & abſolutionem à ſe petat, aut niſi eam petat per alium Sacerdotem, de quo Superior maiorem habeat confidentiam: nam hoc caſu poterit communicare cum ſola contritione: quod tamen intelligendum eſt, vt in præcedenti caſu, quando ſcilicet non poteſt prætermitti communio citra infamiam, ſcandalum, vel notabilem ſaltem aliorum admirationem iuxta ea, quæ aliàs diximus. Etenim obligatio præmittendæ confeſſionis ante communionem, licèt ſit de iure Diuino poſitiuo in caſu, de quo agitur nihilominus obligatio tuendæ famæ, & vitandi ſcandalum eſt de iure naturali, quo tanquam fortior eſt præferenda.

29 Imò ſecundum opinionem magis receptam eo ipſo, quòd Superior ſemel, & iterum requiſitus negat licentiam tribuere pio, docto, ac Religioſo Confeſſario pro abſoluendo eius ſubditum ab aliquo reſeruato, aut eiuſmodi facultatem renuit concedere, niſi ſub ea conditione, vt ſibi prius præſentetur, poſſe talem pium Confeſſarium abſoluere ab illo peccato reſeruato; inſtante neceſſitate communicandi, aut celebrandi ad euitandum ſcandalum, infamiam, aut notabile damnum, vt habetur ex *Henriq. lib. 3. de pœnit. c. 13. nu. 6. & c. 15. nu. 6. Rodriq. tom. 1. ſuæ ſum. c. 55. nu. 10 §. la ſettima concl. & Fagund. d. c. 9. num. 17. verſ. Secunda opinio*: vbi plura cumulat: *& num.* 18. Reijcit ſententiam eorum, qui dicunt, quòd vbi quis præſentem habet Sacerdotem aliquem, cui poſſit integrè confiteri; verum alium de proximo expectat, cui ſolet deuotius confiteri, poteſt communicare, aut celebrare contritus de lethali culpa, cuius habet conſcientiam, differendo confeſſionem quoadusque alius veniat: etenim eo caſu nulla vrget ſiuis neceſſitas, ſed tantùm vtilitas, & ſolatium particulare, quæ cauſa ex ſe non videtur excuſare à præcepto Diuino præmittendæ confeſſionis, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 67. ſec. 4.* & ex alijs, quos idem *Fagund.* allegat, *contra Ricchard. in 4. d. 17. q. 6. art. 3. & alios.* Idem dicendum eſſe ait ipſe *Fagund. ibi nu.* 19. quando eſt abſens proprius Parochus, & pœnitens habet licentiam, vel priuilegium confitendi alijs; quoniam tenetur vti priuilegio, & præmittere confeſſionem, nec ſatis eſt ſi contritus de lethali culpa accedat ad ſacram communionem.

30 Octauus caſus eſt, cæteris prætermiſſis, de eo, qui licèt Sacerdotem habeat cui poſſit confiteri peccatum mortale, cuius habeat conſcientiam, & deinde ad ſacram communionem accedere; nihilominus probabiliter timet Sacerdotem illũ qui ſolus ſit, ſibi non ſeruaturum ſigillum confeſſionis, aut grauem iniuriam illaturum, ſi apud eum confiteatur: nam hæc cauſa ſufficiens eſt, vt ad ſacram communionem accedat cum ſola contritione non præmiſſa confeſſione, ſi vrgeat præceptum, aut obligatio communicandi: ſiquidem pœnitens huiuſmodi perindè ſe habet, ac ſi ſibi deſit copia Confeſſarij. Ita *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 67. ſec. 4. Henriq lib. 8. de Euch. c. 47. n. 1.* & alij, qui pro hac re allegant *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* Nam in caſu, de quo agitur, concurrit vtraque cauſa à Concilio requiſita ad excuſandum à præcepto Diuino præmittendæ confeſſionis ante ſacram communionem, quando quis conſcientiam habeat peccati mortalis: etenim datur præceptum vrgens ad communicandum, & datur defectus copiæ Confeſſarij. Confirmatur, quoniam eo caſu datur ſufficiens cauſa tacendi peccatum in confeſſione, ſalua eiuſdem integritate formali, vt aliàs ſupra oſtendimus, de integritate confeſſionis agentes: ergo erit quoq; cauſa ſufficiens ad excuſandum à præcepto Diuino præmittendi confeſſionem antequam habens conſcientiam peccati mortalis ad ſacram communionem accedat. Hanc eamdem ſententiam ſequitur *Fagund. loco citato*, qui tamen *nu.* 21. eam limitat, vbi pœnitens vnam tantum

31 lethalem culpam habet, ex cuius confeſſione timet ſupra relatum detrimentum: ſecus autem ſi habeat alia peccata mortalia, & ex confeſſione vnius tantum timeat eiuſmodi detrimentum, non autem ex confeſſione aliorum: nam tunc antequam ad ſanctiſſimam Euchariſtiam accedat, debet præmittere confeſſionem omnium aliorum, excepto illo, ex cuius confeſſione probabiliter timet detrimentum illud ſibi futurum, cum propoſito illud confitendi, cùm periculum damni ceſſauerit, vt ex communi probat *Suar. loco citato, Nauar. in Man. c. 7. nu. 6.* Et alij, qui eam eſſe rationem volunt, quoniam ex vi præcepti Diuini probandi ſe, & præmittendi confeſſionem mortalium ante ſacram communionem, tenetur quis confiteri omnia peccata mortalia in ipſius conſcientia exiſtentia; & ex quorum confeſſione nullum timet detrimentum, ex aliorum autem confeſſione nullum formidat periculum, ſed ex iſtius duntaxat: ergò ex vi huius præcepti Diuini tenetur alia confiteri, & iſtud tacere.

Ad contraria patet ſolutio ex dictis.

† 32 AD primum negatur antecedens, ſatis enim ſupra oſtendimus concl. 3. & 4. præceptum præmittendi confeſſionem ſacramentalem in habente conſcientiam peccati mortalis, & volente ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipere, ita eſſe Eccleſiaſticum antiquiſſimum, vt ſimpliciter ſit Diuinum poſitiuum à Chriſto Domino ſpecialiter latum, & Apoſtolis, & per eos Eccleſiæ traditum, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 17. q. 3. art. 1. quæſtiun. 4. & quodlib. 1. art. 11. Scoto in 4. d. 9 q. vnica, Palud. d. 17. q 2.* & ex alijs, quos ſupra retulimus *d. concl. 3. & 4.* & patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7.* in illis verbis, *Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum, probet ſe ipſum homo Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumuis ſibi contritus videatur abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione ad ſacra Euchariſtiã accedere debeat, &c.*

33 Ad confirmationem negatur conſequentia; quia Sacramentum ſacræ Euchariſtiæ eſt Sacramentum viuorum: & propterea exigit ſuſcipientem illud eſſe in gratia, cum per ſe non ſit inſti-

tutum

Digitized by Google

tutum ad conferendam primam gratiam; ſed augmentum gratiæ, vt ſæpè diximus: at Sacramentum pœnitentiæ dicitur Sacramentum mortuorum; quod cùm ſit per ſe inſtitutum ad dandam primam gratiam, & expellendum peccatum, ſicut Sacramentum Baptiſmi, ex natura ſua non prærequirit vitam gratiæ, atque ideò ad dignè ſuſcipiendum prædicta Sacramenta, ſatis eſt attritio: quoniam attritus vigore dictorum Sacramentorum efficitur contritus, ideſt eundem effectum gratiæ iuſtificantis producit Sacramentum cum ſola attritione, quem producit
34 perfecta contritio. Exigit autem hoc Sacramentum communionis præmitti cõfeſſionem ab eo, qui habet conſcientiã peccati mortalis, nec ſatis eſt ſola attritio: ſiquidem conſcientiam habens peccati mortalis, & volens communicare non ſolum Deo per contritionem, ſed etiam Eccleſiæ ſatisfaciendum conuenit per ſacramentalem confeſſionem; antequam Sacramentum Eccleſiaſticæ vnitatis ſuſcipiat, tanquam medium magis proportionatum, ac certum ad iuſtificationem conſequendam, quàm ſola contritio. Etenim quis poteſt moraliter cognoſcere ſe habere attritionem, quæ iuncta cum confeſſione ſatis eſt ad iuſtificationem: ſed non poteſt cognoſcere habere veram, ac perfectam contritionem, cùm ſine maxima difficultate obtineri nequeat.

An quando quis habet conſcientiam peccati mortalis, & vrgeat neceſſitas communicandi, nec habet copiam Confeſſarij, debeat neceſſariò conteri ad dignè communicandum, vel ſatis ſit attritio.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Volenti communicare, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, & careat copia Confeſſarij vrgente neceſſitate ſatis erit, ſi attitus ad communionem accedat.*

2 *Communis ſententia in contrarium, quod hoc caſu teneatur contritus accedere.*

3 *Secluſo præcepto præmittendi confeſſionem per eum, qui conſcius peccati mortalis velit communicare, tenetur contritionem præmittere ex lege naturali.*

4 *Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eſt inſtitutum per modum cibi, qui per ſe vitam ſupponit.*

5 *Quamuis ſola attritio cognita ſatis non ſit ad dignam Sacramẽti huius ſuſceptionem ſufficit tamen attritio exiſtimata contritio.*

6 *Qui cum ſola attritione cognita ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipit, non ſanctè, ſed indignè ſumit.*

7 *Quod diximus de attritione exiſtimata contritione extendimus ad attritionem cognitam ex inuincibili ignorantia.*

1 IN hac re quidam putant, quòd volens communicare, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, & non habeat copiam Confeſſarij, vrgente neceſſitate, ſatis eſt ſi attritus ad communionem accedat, nec neceſſè eſt, vt habeat contritionem. Mouentur ex eo, quòd ad ſuſcipiendum dignè Sacramentum, ſecluſa ſpeciali lege poſitiua, ſatis eſt recipere illud ſine obice, atque ideò cum diſpoſitione ſufficiente ad Sacramentum; id autem efficitur per ſolam attritionem: ergò in caſu, de quo agitur, ſola attritio ſufficit. Confirmatur, quia ſi contritio neceſſaria eſſet, & attritio non ſufficeret, id profectò proueniret ex lege aliqua naturali, aut poſitiua Diuina, vel Eccleſiaſtica; ſed neutro modo; ergò, &c. Maior patet. Minor probatur; quia non poteſt dici primum: ſiquidem attritus per ſuſceptionem Sacramenti iuſtificatur; eo quòd omne Sacramentum ex attrito facit contritum: ergò ex naturali lege Diuina non exigitur contritio: nam ſuſcipiens Sacramentum Euchariſtiæ attritus, ſanctè ſuſcipit, atque adeò ſancta ſanctè tractat, iuxta *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* Quod ſolum exigit lex Diuina naturalis. Nec poteſt dici ſecundum, quoniam id tantùm cauetur de præmittenda confeſſione, in quo non reperitur obligatio ſpecialis præmittendi contritionem; ſed tantùm confitendi quàm primum, vt conſtat ex *Conc. Trid. loco citato*, in illis verbis, *Quòd ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quàm primum confiteatur.* Et re vera non immeritò id ſuaderi poteſt ex eo quoq; quòd obligatus confiteri in Quadrageſima, ſi nõ poſſit, non ob id tenetur conteri. Ob has, & alias rationes non deſunt, qui velint, ſatis etiam eſſe attritionem cognitam, nec neceſſariam eſſe attritionem exiſtimatam contritionem: quia exiſtimatio contritionis per ſe nihil confert ad effectũ Sacramenti, vel ad dignam diſpoſitionem ad illud ſuſcipiendum: ſed ſolùm poteſt excuſare à peccato, ſeù tranſgreſſione præcepti de habenda contritione, ſi illud eſſet impoſitum.

3 His tamen non obſtantibus, incontrarium eſt communis ſententia, quam tenet *Sot. in 4. d. 15. q 1. art. 4. Corduba lib. 1. qq. Theologic. q. 7.* & alij apud *Suar. tom. 3. ſec. 5.* vbi ait, hancquoque ſententiam eſſe SS. Patrum. Probatur ex *Conc. Trid. loco citato, in prin.* in illis verbis, *Si non decet ad ſacras functiones quempiam accedere, niſi ſanctè, certè quo magis ſanctitas, & diuinitas cæleſtis huius Sacramenti viro Chriſtiano comperta eſt, eò diligentius cauere ille debet, ne abſque magna reuerentia, & ſanctitate ad id percipiendum accedat.* Vbi eſt adnot. quòd ex eiuſmodi verbis duo argumẽta formari poſſunt. Primum de minori ad maius, dum ait, *Si non decet ad ſacras, &c.* Quaſi dicat, ſi non decet alia Sacramenta ſuſcipere, nec miniſtrare, niſi ſanctè, atque ideò, niſi præuia contritione, vel ſaltem attritione exiſtimata contritione, multo magis non decet, niſi ſanctè ad hoc Sacramentum, quod eſt omnium ſanctius, accedere, & ita niſi præuia contritione, aut ſaltem attritione, æſtimata contritione. Secundum argumentum ex eo deducitur, quod Concilium vult ſuſcepturum hoc Sacramentum debere ad illud percipiendum, cum magna reuerentia, ac ſanctitate accedere. Si igitur prærequiritur ſanctitas magna ad ſuſcipiendum eiuſmodi Sacramentum; ergò omninò exigitur, vt communicaturus ſit in gratia: id autem in homine habente conſcientiam peccati mortalis non poteſt contingere, niſi per veram, & perfectam contritionem, vel per attritionem, mediante Sacramento pœnitentiæ.

3 Præterea, ſecluſo præcepto præmittendi confeſſionem ab eo, qui habens conſcientiam peccati

cati mortalis vult communicare ex naturali lege conſequente inſtitutionem tanti Sacramenti, qua præcipitur ſancta ſanctè tractare, teneretur contritionem præmittere, cùm ſit vnum ex Sacramentis viuorum, ad differentiam Sacramenti pœnitentiæ, quod dicitur mortuorum, quod cùm ſit per ſe inſtitutum ad dandam primam gratiam, & expellendum peccatum, ex natura ſua non præſequitur vitam gratiæ, ſicut etiam Baptiſmus: ergò idem eſt dicẽdum, extante dicto præcepto: ſiquidem poſitiuum præceptum præmittendæ confeſſionis, non abſoluit naturalem obligationem contritionis. Nec ob id dici poteſt teneri fidelem conteri ante communionem; etiam ſi confiteatur: quia licèt lex poſitiua non auferat naturalem illam obligationem; tamen hæc ipſa obligatio adimpletur per æquiualentem contritionem cauſatam ex Sacramento pœnitentiæ, & attritione: nam attritus, mediante Sacramento
4 fit contritus. Denique ſanctiſſimum Euchariſtię Sacramentum eſt inſtitutum per modum cibi, cuius proprius effectus eſt nutritio, & augmentum, iuxta illud, quod Eccleſia cantat, *O Sacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur, &c.* Cibus autem, & nutritio per ſe vitam ſupponunt: ergò ſuſceptio tanti Sacramenti ſupponit vitam gratiæ in ſuſcipiente; atque ideò contritionem in habente cõſcientiam peccati mortalis, & non habente copiam Confeſſarij in caſu noſtræ quæſtionis, nec ſufficit attritio, niſi habeat ſacramentalem confeſſionem adiunctam. Eſt tamen
5 verum, quòd quamuis ſola attritio cognita ſatis non ſit ad dignam huius Sacramenti ſuſceptionem, cùm ſolus attritus non dignè, ſed indignè communicet, atque ideò in peccato, & nouum peccatum contrahat, cùm ponat obicem; nihilominus attritio exiſtimata contritio ſufficit ad effectum eiuſdem Sacramenti: nam attritus exiſtimans bona fide ſe eſſe contritum accedens ad ſacram communionem, excuſatur à nouo peccato, & ideò non ponit obicem. Vndè cùm per attritionem dicatur ſufficiẽter auerſus à peccato, mediante Sacramento efficitur contritus, & ſic per accidens aſſequitur primam gratiam, atque ideò effectum dicti Sacramenti, vt ſupra oſtendimus, *ſec. 1. concl. 1. verſ. Eſt tamen verum.*

Reſtat modò, vt ad argumenta reſpondeamus.

6 AD primum negatur minor, ſi attritio ſit cognita: nam qui cum ſola attritione cognita ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum ſuſcipit, cum percipiat illud in prauo ſtatu, non ſanctè, ſed indignè ſumit, quoniam prius manducat Sacramentum, quàm ab illo poſſit recipere effectũ: at in termino manducationis dandus eſſet effectus: qua propter ſi ſciens, & videns id agat, culpam lethalem contrahit, per quod ponit obicem Sacramento: ſecus autem eſt dicendum ſi Sacramentum bona fide percipiat cum attritione exiſtimata contritione: nam cùm nouam culpam non contrahat, non dicitur ponere obicem Sacramento, atque ideò effectum illius conſequi-
7 tur, vt ſupra diximus. Quod autem diximus de attritione exiſtimata contritione extendimus ad attritionem cognitam ex inuincibili ignorantia. Vndè ſi quis conſcientiam habens peccati mortalis, de quo cognoſcat habere tantum attritionem, quam probabiliter credat ſufficere ad dignè communicandum; & propterea communicet, is cùm nouam culpam non contrahat non ponit obicem Sacramento, atque ideò per accidens dicitur aſſequi primam gratiam iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus, vt rectè declarat *Suar. loco citato*, in reſponſione ad fundamenta contrariæ ſententiæ, quæ eodem modo ſoluuntur.

An conſcientiam habens lethalis culpæ, & communicans inculpabiliter non præuia cõfeſſione teneatur confiteri quam primũ poſſit.

S E C. IX.

S V M M A R I V M.

1 *Nulla lege Diuina tenetur quis confiteri quàm primum poſſit, ſi conſcius lethalis culpa communicauerit non praeuia confeſſione, ſed ſatis eſt ſi tempore debito confiteatur.*

2 *Hoc habet locum, etiam ſi confeſſionem non praemiſerit culpabiliter.*

3 *Ad dignè communicandum abſque praeuia confeſſione in caſu vrgentis neceſſitatis non eſt neceſſarium ſpeciale propoſitum confitendi quam primum.*

4 *Qui in articulo mortis confeſſionem praetermiſerit ob inopiam Confeſſarij ceſſante articulo non tenetur ſtatim cõfiteri, ſed tempore debito.*

5 *Qui communicauit, confeſſione non praemiſſa ob neceſſitatis vrgentiam, ſi iterum eſt communicaturus, confeſſionem praemittere tenetur.*

6 *Conſcius peccati mortalis ſi vrgente neceſſitate, & ob inopiam Confeſſarij communicet, tenetur iure Eccleſiaſtico quam primum confiteri.*

7 *Hoc praeceptum Eccleſiaſticum quamprimùm confitendi, tantùm obligat Sacerdotes celebrantes non autem Laicos, & Clericos non Sacerdotes.*

8 *Sacerdos, qui malitiosè, & culpabiliter celebrauit, non praemiſſa confeſſione à peccato non excuſatur.*

9 *Sacerdos qui ſolum propter obliuionẽ celebrat in peccato non praeuia confeſſione non dicitur celebrare in peccato, nec habere conſcientiam illius, idem eſt ſi celebret bona fide ſua culpa oblitis.*

HAEc quæſtio dupliciter à Doctoribus diſputatur de iure Diuino ſcilicèt, & de iure Eccleſiaſtico; atque ideò quæritur, an communicans non præuia confeſſione inculpabiliter, vt ſupra, teneatur confiteri quàm primum poſſit, non ſolùm humana, ſed Diuina quoque lege, vtroque igitur modo, quibuſdam poſitis concluſionibus, rem ipſam hoc loco explicabimus. Vndè ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 NVlla Diuina lege tenetur quis confiteri quàm primum poſſit, ſi conſcius lethalis culpæ communicauerit, confeſſione non præuia; ſed ſatis eſt, ſi tempore aliàs debito confiteatur. Hæc concluſio eſt *Nauar. in Man. c. 2. num. 10.* Probatur; quoniam præceptum communicandi præmiſſa confeſſione in habente conſcientiam peccati mortalis, eſt affirmatiuum: ergo ſi non impleatur, obligat ad implendum tempore tantùm aliàs debito, non autem quàm primùm poſſit. Antecedens patet. Conſequentia probatur; quoniam præcepta affirmatiua non obligant pro ſemper, ſed pro determinatis temporibus,

extra

extra quæ non obligant, etiam ſi tempore debito non fuerint adimpleta: etenim præcepta affirmatiua non obligant per modum reſtitutionis ad faciendum actum tempore debito prætermiſſum vt patet in eo, qui non audiuit ſacrum in die feſto, non ieiunauit in tali vigilia, &c. Idem dicendum eſt, ſi eiuſmodi præceptum eſſet negatiuum: nam nõ obligaret quàm primum ad confitendum; ſed ſolùm ad non communicandum iterum, niſi præmiſſa confeſſione.

2 Ampliatur primò hæc concluſio, vt vera ſit, non ſolùm quando quis communicauit, nõ præmiſſa confeſſione inculpabiliter; nempè ex defectu Confeſſarij, & vrgente neceſſitate; ſed etiã ſi confeſſionem non præmiſerit culpabiliter: ſiquidem militat eadem ratio, *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.* Vndè, qui indignè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumpſit, non præuia confeſſione, non tenetur poſtea ob hanc cauſam ſtatim confiteri, ſed ſolùm tempore aliàs debito.

3 Secundò ampliatur, vt ad communicandum dignè, non præuia confeſſione, in caſu de quo agitur, non eſt neceſſarium ſpeciale propoſitum confitendi quàm primùm poſſit; ſed ſatis eſt, ſi tempore debito quoad contritionem, quam habere debet, in tali caſu communicans ſaltem exiſtimatam, iuxta ea, quæ diximus *in præced. q.* Etenim nõ adeſt obligatio de iure Diuino ſtatim confitendi poſt communionem; ergò nec tenetur propoſitum habere confitendi, vt rectè docet *D. Thom. 3. par. q. 83. art. 6. in reſp. ad 2. & Suar. tom. 3. in 3 p. diſp. 66. ſec. 7. in fine.*

4 Tertiò ampliatur hæc ipſa concluſio, vt idem dicendum ſit in obligato confiteri in articulo mortis, ſi confeſſionem prætermiſerit ob inopiã Confeſſarij: ſiquidem ceſſante articulo, ſeù periculo mortis, non tenetur ſtatim confiteri; ſed tantùm tempore aliàs debito. Etenim præceptũ Diuinum confitendi in articulo, ſeu periculo mortis, eſt affirmatiuum: & propterea militat eadem ratio.

5 Sic ampliata limitatur hæc eadem concluſio, vt vera ſit, vbi quis iam communicauit in caſu, de quo agitur, non præmiſſa confeſſione: nam non tenetur hoc titulo, ſeù ob hanc cauſam ſtatim poſt communionem cõfiteri; ſed ſolùm tempore aliàs debito: ſecus autem ſi iterum eſſet communicaturus ob eandem cauſam, aut aliam ſimilem: nam tunc ad dignè communicandum debet præmittere confeſſionem ſi copiam habeat Confeſſarij; etiam ſi debitam contritionem habuerit, iuxta ea, quæ diximus in præced. q. & habetur ex *Suar. loco citato.*

SECVNDA CONCLVSIO.

6 COnſcius lethalis culpæ, ſi neceſſitate vrgente, & ex defectu Confeſſarij communicet, non præmiſſa confeſſione, Eccleſiaſtico iure tenetur cùm primùm poſſit confiteri. Probatur hæc concluſio ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 7. de ſacra. Euch. in fine*, in illis verbis, *Quòd ſi neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quàm primum confiteatur.* Hoc autem præceptum eſſe Eccleſiaſticum, patet ex eo, quòd ſupra probauimus ex ſola naturali, aut Diuina lege non poſſe eiuſmodi obligationem colligi. Et cùm ſit de re graui, certum eſt obligare ſub lethali culpa, vt benè notat *Suar. loco citato, ſec. 7.* cum communi Doctor. ſententia.

7 Limitatur primò hæc concluſio, vt hoc præceptum Sacerdotes tantùm obliget ad confitendum quàm primùm ad celebrandum acceſſerint vt ſupra, ſi cum conſcientia peccati mortalis celebrauerint, non præmiſſa confeſſione; non autem Laicos, & Clericos non Sacerdotes. Probatur, quia Concilium de Sacerdote tantùm celebrante loquitur, & ſumus in odioſis; ergò verba ipſius ſunt ſtrictè intelligenda: ſiquidem odia reſtringi, fauores conuenit ampliar, *c. odia, de regul. iur. in 6.* Nec obſtat id quod *Nauar.* ait in *Man. c. 2. num.* 10 Contrarium ſentiens, nempè, quòd ſi Concil. interrogatum fuiſſet de Laicis, idem ſtatuiſſet, cum militet eadem ratio; & quamuis ſolius Sacerdotis meminerit, id caſu accidit, vel quia id in Sacerdotibus frequentius euenit, & lex adaptatur ad ea, quæ frequentius accidunt, *l. nam ad ea, C. de legib.* quoniam reſpondetur ex *Suar. loco ſupra relato*, quòd ſine temeritate dici non poteſt, Concilium caſu ibi loquutum fuiſſe: & eò magis, quia poteſt ſufficiens diuerſitatis ratio aſſignari, tùm quia ad celebrandum maior reuerentia, ac preparatio exigatur, quàm ad ſimpliciter communicandum; tum etiã quia neceſſitas hæc frequentius accidit Sacerdotibus, & propterea meritò hoc præcepto alligantur, ne facilè aſſueſcant cõfeſſionem prætermittere. Et dato, quòd eadem eſſet ratio, & quòd Concilium interrogatum idem reſpondiſſet de Laicis; ad id non facit: nam ſicut non peccat is in eis, quæ facturus eſſet, ſi tentaretur, ſed in ijs, quæ facit: ita Superior non obligat per ea, quæ præciperet ſi animaduerteret, vel ſi ei dateiur occaſio; ſed per ea, quæ præcipit. Ex quo colligit idem *Suar.* quòd Sacerdos, qui communicat Laicorum more non alligatur hoc præcepto: quia Concilium loquitur de Sacerdote celebrante dumtaxat. Eſt tamen verum, quòd Sacerdos celebrans officium in die Paraſceues, licet non conſecret, neque ſacrificet, nec propriè dicatur celebrare; comprehenditur tamen ſub hac lege: quia ſatis eſt, quòd Sacerdos ſolemni ritu Eccleſiæ, & vt miniſter publicus conſumet ſacrificium, ſeù Sacramentum, cùm eiuſmodi actio ſit Sacerdotis propria, & ſub nomine celebrationis comprehendatur iuxta communem vſum, & ſenſum huius vocis. Idem dicendum eſt de eo, qui poſt conſecrationem lethalem culpam contraxit, & ſtatim communicauit, præmiſſa contritione: & de illo, qui aſſumitur ad complendum, & conſumandum ſacrificium ab alio inchoatum, quem contingit poſt conſecrationem ex aliquo accidenti impotentem reddi ad perficiendum illud.

8 Secundò limitatur, vt hæc ipſa concluſio locum non habeat in eo Sacerdote, qui malitioſè, ac culpabiliter celebrauit, non præmiſſa confeſſione. Etenim Concilium tantùm loquitur de eo, qui neceſſitate vrgente celebrat, non præmiſſa confeſſione ex defectu copiæ Confeſſarij. Et verba legis præcipientis ſunt ſtrictè intelligenda, & non extendenda ex paritate rationis, & eò magis, quia in caſu, de quo agitur, poteſt aſſignari diuerſitatis ratio; ne ſcilicèt detur occaſio fingendi neceſſitatem celebrandi, non præuia confeſſione, vel differendi nimium confeſſionem: quæ quidem ratio non militat in ijs, qui non vrgente neceſſitate in peccato celebrant.

9 Tertiò

Digitized by Google

9 Tertiò limitatur dicta concluſio, vt locum ſibi non vendicet in Sacerdote, qui ſolùm propter obliuionem celebrat in peccato, non præuia confeſſione. Nam qui eſt oblitus ſui peccati non dicitur habere conſcientiam illius, cum conſcientia dicat actum: & propterea non comprehenditur ſub diſpoſitione dicti Conc. diſponentis de Sacerdote celebrante cum conſcientia peccati. Confirmatur, quia obliuio non dicitur vrgens neceſſitas à Conc. requiſita. Et denique qui bona fide celebrat ſuæ culpæ oblitus iuxta conſcientiam ſuam nihil omittit, neque formaliter, neque materialiter, quod iure Diuino præceptum eſt; ſed omninò excuſatur: nimirū igitur ſi ſub diſpoſitione Concilij non comprehenditur, vt per eundem *Suar. loco ſupra citato*; qui hoc ipſum ait procedere, quando obliuio durat donec Sacramentum fuerit ſumptum: nam ſi quis ex obliuione ad celebrandum accedat, & ante communionem ſui peccati recordetur, & nihilominus communicaret, non præuia confeſſione, cum ſola tamen contritione ad euitandum ſcandalum, aut ſi copiam Confeſſarij non habeat, tunc comprehenditur ſub eiuſmodi præcepto: nam tunc communicat non præuia confeſſione ob vrgentem neceſſitatem, & cum conſcientia peccati. Quod quidem verum eſſe ait, ſiuè ante inchoatam celebrationem non fuerit confeſſus: ſiuè confeſſionem præmiſerit, & deindè ante communionem peccati obliti meminerit; quia tenebatur illud confiteri ante communionem ex Diuina lege, & ſolùm illud omiſit ſine peccato ob neceſſitatem vrgentem.

An ad reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti pertineat differre communionem per aliquot tempus ab eo, qui lethalem culpam contraxit etiam ſi contritus ſit, & confeſſus.

SEC. X.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotem, qui poſt fornicationem præcedenti nocte commiſſam, ſequenti die celebrat, etiam ſi contritus, & confeſſus ſit, lethalem culpam contrahere, impium eſt negare.*

2 *Verior eſt contraria ſententia, nō ſolum lethalis culpa, in anima permanens impedit neceſſario ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti perceptionem.*

3 *Aliquando eſt conſulendum, vt poſt culpam lethalem communionem quis differat per diem quamuis alias ſe contritum nouerit.*

1 IN hac re *Couar. in Clem. ſi furioſus p.3.nu.8. de homicid.* Inquit, impium eſſe negare lethalem culpam contrahere Sacerdotem illum, qui poſt fornicationem præcedenti nocte commiſſam, ſequenti die celebrare, etiam ſi contritus ſit, & confeſſus. Idem docet *Nauar. in Man. Hiſp. c. 21. nu. 50. & de pænit. d 6. c. 1.* Imù hæc eadem ſententia videtur colligi ex *D. Thom. 3 p. q. 80. art. 7.* Dum ait, quòd pollutio nocturna, quæ ex lethali culpa prouenit, de neceſſitate communionem impedit: & id non ob aliam cauſam, niſi ob reuerentiam tanti Sacramenti. Pro hac ipſa opinione affertur quoq; *D. Gregor.* qui ad primam interrogationem *D. Auguſt.* ait, opus eſſe, vt ſaltem per diem à communione abſtineat ex praua cogitatione pollutus. Etenim magna indecentia videtur, & irreuerentia tanti Sacramenti, ad illud ante præfatum tempus. In hanc eandem ſententiam videtur inclinare *Marſ. in 4. q. 6. art. 4. & Gerſ. de præpar. ad Miſſ. conſider. 8. & Alph. 37. lib. vlt.*

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veriorem eſſe, quam tenet *Palud. in 4. d. 9. q. 3. Adrian. ibidem, q. 4. de Euchar. Caiet. in ſum. ver. Communio, Syl. ver. Euchariſtia 3. q 10. Corduba lib. 1. q. 7. Suar. tom. 3. diſp. 66. ſec. 8.* qui dicit, hanc eſſe ſententiam *D. Thom. in d. art. 7. in reſp. ad 4.* Dum ait, lethalem culpam tantùm in anima permanentem impedire de neceſſitate ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti perceptionem, & clarius in *4. d. 9. art. 4. quæſtiun. 3. ad 2.* vbi dicit, conſulendum eſſe illi, qui lethaliter peccauit, vt non ſtatim ad communicandum accedat, etiam ſi contritus ſit, niſi magna neceſſitas vrgeat: ſi igitur conſulendum eſſe, inquit, profectò non ſentit id eſſe præceptum. Probatur hæc ſententia ex eo, quoniam ſi aliqua obligatio eſſet differendi communionem in caſu, de quo agitur, id eſſet ex lege naturali, vel Diuina poſitiua; ſed conſequens eſt falſum: ergò, & antecedens. Maior patet ex ſufficienti partium enumeratione; quod argumentum in iure eſt validiſſimum, vt in *l. patre furioſo*, & ibi *Bart. & alij, ff. de his, qui ſunt ſui, vel alien. iurib. l. ex maleficijs, §. hæres, ff. de act. & obligat. & c. cum dilectus, & ibi Panor. de iure patron.* Minor probatur, quoniam non poteſt dici primum: nam licèt tempus breue intercedat; poteſt tamen talis eſſe hominis cōuerſio vt non ſolùm ſanctus ſit, ſed etiam ſanctior, ac deuotior, quàm antea eſſet: ergò per ſe ex naturali lege, & ratione non oritur aliqua obligatio differendi communionem in eiuſmodi caſu, & eò magis, quia *Apoſtol. 1. Corinth. c. 11.* Id ſolùm præcipit ad dignam ſumptionem tanti Sacramenti, vt probet ſe ipſum homo, nec aliquam temporis dilationem exigit poſt culpam commiſſam. Nec dici poteſt ſecundum; quia nulla extat lex poſitiua, nec Diuina, nec humana, quæ id præcipiat: ergò non tenetur quis per aliquod temporis ſpacium differre communionem poſt peccatum mortale commiſſum, ſi contritus ſit, atque confeſſus, eſt in gratia, & vita gratia viuit, atque ideò nutriri etiam poteſt, & ſine peccato illud ſumere, & eiuſdem effectum conſequi. Denique probatur ex communi Eccleſiæ conſuetudine, tùm primitiuæ, quo tempore fideles quotidie communicabant; & tamen non eſt veriſimile, quin aliquis eorum lethalem aliquam culpam aliquando contraheret: tùm etiam præſentis, quo conſtat viros etiam doctos, ac timoratæ conſcientiæ celebrare poſt confeſſionem, etiam ſi eodem die mortale aliquod peccatum commiſerint. His adde, quæ infra dicemus, *ſec. 2.*

3 Eſt tamen verum aliquando conſulendum eſſe, vt poſt lethalem culpam communionem quis differat per diem etiam ſi aliàs contritum ſe eſſe nouerit, & confeſſum; maximè ſi peccatum, quod præceſſit carnale fuerit. Et id ob reuerentiam tanti Sacramenti, iuxta ſententiā *D. Thomæ* ſupra relatam, & aliorum. Imò aliquando per accidens contingere poteſt, vt communicans

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim poſt culpam lethalem contractam, non expectato ſaltem die, peccet mortaliter, etiam ſi aliàs contritus ſit, ac confeſſus. Vt ſi peccatum ſit publicum, & propterea ſcandalum inferret populo. Item poteſt mortaliter peccare ratione proprij ſcandali, vt ſi quis ob hanc cauſam efficiatur facilis ad peccandum, & non curet medicinam moraliter neceſſariam adhibere ad ſe continendum. Vel denique ſi ſe periculo exponat cum debita diſpoſitione non accedendi ad communicandum: quia peccatum recens non adeò de facili deteſtatur; maximè ſi carnale eſſet, vt benè declarat *Suar. loco citato.*

Ex his patet etiam reſponſio ad fundamentum eorum, qui contrariam ſententiam docent.

An accedere ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum cum conſcientia peccati venialis, ſit contra reuerentiam tanti Sacramenti.

SEC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Non eſt peccatum veniale accedere ad ſacram Euchariſtiam cum veniali culpa. Et quare.*

2 *Verior eſt ſententia, quod accedens ad communionem cum culpa veniali, ſi de ea non doleat, aliam culpam venialem committas.*

3 *Veniale peccatum licet, non ponat obicẽ gratiæ, & remiſſioni mortalium, ponit tamen obicem remiſſioni culpæ venialis, de qua non dolet, & feruori Charitatis.*

1 IN hac difficultate *Maior. in 4. d. 9. q. 1. ad 1. Ricchard. ibidem art. 2. ad 2. Andr. q. 1.* de confeſſione; & aliorum exiſtimantium, non eſſe peccatū veniale accedere ad ſacram Euchariſtiam cum veniali culpa: nam peccatum veniale non ponit obicem gratiæ, & remiſſioni mortalium, atque ideò dignè dicitur accedere ad huiuſmodi Sacramentum citra omnem irreuerentiam.

2 His tamen non obſtantibus, oppoſitam ſententiam puto eſſe veriorem, quam tenet *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 66. ſec. 1. verſ. Dicendum in primis, Tolet. lib. 2. ſuæ ſum. cap. 25. verſ. Quintò debent, & Fagund. de præc. Eccl. præc. 3. lib. 3. c. 8. ſub nu. 6.* Dicentium, quòd accedens ad ſacram communionem cum peccato veniali, ſi de eo non doleat ſaltem extra confeſſionem, venialem culpam committit; atque ideò facit contra reuerentiam tanti Sacramenti leuiter: quod verum eſſe volunt, non modo quando quis cum peccato veniali antea commiſſo communicat; verum etiam quando venialiter peccat in ipſa ſumptione ſacræ communionis, vt quia propter inanem gloriam ad ſacram communionem accedat. Eſt tamen verum, quòd *Suar. & Fagund. locis citatis,* hanc concluſionem limitant in eo, qui peccatum veniale habet in habitu, abſque illius actuali dolore, vt quia ipſius culpæ venialis oblitus fuerit, vel ob humanam fragilitatem non poteſt voluntate ab eodem retrahere: nam tunc cùm iſte talis non peccet venialiter communicando; non dicitur agere contra reuerentiam tanti Sacramenti.

3 Ad contrarium patet reſponſio: quoniam licèt veniale peccatum non ponat obicem gratiæ, & remiſſioni mortalium; ponit tamen obicem remiſſioni illius venialis culpæ, de qua non dolet, & feruori charitatis, qui ſunt effectus quoque huius Sacramenti, ſaltem ſecundarij, & non contemnendi: & propterea ſic accedens dicitur quodammodo indignus accedere.

An communicare in ſpecie panis confecti ex farina triticia, & aqua roſacea ſit cõtra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & an ita communicans ſatisfaciat præcepto communionis in Paſcha.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Panis confectus ex farina Triticea, & aqua roſacea eſt eſſentialiter, & verè panis melius reficiens hominem.*

2 *Communis opinio eſt in contrarium.*

3 *Panis triticeus dumtaxat eſt vera propria, ac ſufficiens materia Sacramenti Euchariſtiæ.*

4 *Tritici nomine comprehenditur etiam ſiligo, quæ delitium eſt tritici: idemque dicendum eſt de Alicaſtro, adore, & farro ex adore proueniente.*

Sed non erunt materia huius Sacramenti farina hordeacea, ex Milio, Auena, Tipha, Faba alijſq; leguminibus. Eſſetque ſacrilegium huiuſmodi panem conſecrare, ac in eo communicare.

5 *Falluntur Alan. & Caiet. exiſtimantes panem triticeum eſſe ſolum de neceſſitate præcepti, & propterea peccatum eſſe mortale in pane non triticeo conſecrare, ſed fieri Sacramentum.*

6 *Panis ſi ex diuerſis granis triticeis diuerſi generis fiat, ſemper eſt vera materia huius Sacramenti. Idemq; eſt ſi panis conſtet ex maiori parte triticea, ſecus ſi æqualis, vel minor.*

7 *Panis triticeus ex aqua naturali confectus, ſiuè ſit ex fonte, flumine, puteo, aut ciſterna, ſiuè pluuialis validè conſecratur, ac licitè, & reuerenter conſecratus ſumitur, ſi aliæ diſpoſitiones neceſſariæ ex parte ſuſcipientis concurrant.*

8 *Si cum farina triticea miſceatur vinum, mel, oleum, butyrum, aut lac, cum dici non poſſit panis vſualis, materia non eſt huius Sacramenti.*

Et quid ſi præfatæ res in minima quantitate adiungantur ita, vt adhuc panis remaneat vſualis.

9 *Improbabilis eſt opinio, exiſtimantium, panem triticeum, confectum, & ſubactum cum aqua roſacea, poſſe eſſe materiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & propterea validum eſſe Sacramentum, ſed grauiſſimum peccatum contrahi.*

An erit panis conſecrabilis, ſi aquæ naturali admiſceatur parum aquæ roſaceæ.

10 *Dato, & non conceſſo, quod panis ex farina triticea, & aqua roſacea confectus, conſecrabilis ſit, attamen in hoc pane conſecrans, grauiſſimum peccatum committit, cum ſaltem ſit materia dubia.*

An in tali materia communicans ſatisfaciat præcepto communionis.

1 IN hac re videtur negatiuè reſpõdendum eſſe Etenim panis confectus ex farina triticia, & aqua

aqua roſacea eſt eſſentialiter, & verè panis, & melius reficit hominem quàm ſi eſſet ex aqua naturali: ergò ſicut validè conſecratur, ita conſecratus reuerenter ſuſcipitur.

2 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis opinio, quam tenent *D. Thom. 3. p. q. 74. art. 7. ad 3. Sot. in 4. d. 9. q. 1. art. 6. ad 3. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 44. ſec. 2. in prin. Alenſ. 4. p. q. 32. membr. 5. art. 1. & alij communiter.* Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quòd hæc controuerſia diſputatur non ſolum quoad reuerentiam tanti Sacramenti; ſed etiam quoad eiuſdem validitatem, atque adeò quæritur, an panis triticius confectus ex aqua roſacea, & farina triticea ſit materia ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti: ſecundo ſuppoſito quod ſic, an conſecrans, aut communicans reuerenter conſecret, & communicet. Sit igitur.

PRIMA CONCLVSIO:

3 PAnis triticeus dumtaxat eſt vera, propria, ac ſufficiens materia Sacramenti Euchariſtiæ, ita vt in alio quocunque pane, nec Sacramentum fiat, nec conſecrari poſſit. Hæc concluſio eſt communis, ac de fide, quam docent *D. Thom. 3. par. diſp. 74. art. 1. & 4. & in 4. ſent. d. 11. q. 2. art. 2. & lib. 4. contra Gent. c. 69. D. Bonauent. in 4. d. 11. 2. par. art. 1. q. 1. Scot. ibidem, q. 6. Ricchard. art. 1. q. 2. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 9. nu. 1. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 44. ſec. 1. verſ. Dicendum, Tolet. lib. 2. ſua ſum. c. 25. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. c. 1. nu.* cum alijs, quos allegat. Quod autem ipſa concluſio ſit de fide, & hodiè adeo vera, ac indubitata, vt citra temeritatem negari nequeat, probatur ex *Conc. Florent. in Decreto Eugenij IV.* Vbi fuit definitum, materiam huius Sacramenti eſſe panem triticeum, & vinum de vite. Confirmatur ex *Catechiſ. Pij V.* vbi dicitur, traditionem eſſe Apoſtolorum, panem triticium, & vinum de vite eſſe materiam neceſſariam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Præterea Chriſtus Dominus in pane triticeo conſecrauit, vt omnes volunt; debuit enim conſecrare in pane ſimpliciter vſui humano accomodato: ergò ſolus panis triticeus eſt neceſſaria materia neceſſitate Sacramenti; quoniam panis triticeus dumtaxat eſt accomodatus vſui humano: ſiquidem panis ex hordeo, milio, typha, & ex alijs ſpicis, non tam humanus panis fit, quam belluarum. Vndè ſicut tangendo Chriſtus in Baptiſmo ſuo naturalem aquam, illam ſolum ad Sacramentum baptiſmatis tanquam materiã neceſſariam deſtinauit, ita accipiendo panem triticium in manus ſuas, & in illo conſecrando, ipſum dumtaxat in materiam huius Sacramenti inſtituit. Rurſus omnes Euangeliſtæ teſtantur, Chriſtum Dominum in pane conſecraſſe: at panis nomine in ſacra ſcriptura ſolus panis triticeus intelligitur, quoniam is dicitur ſimpliciter panis, alij vero panes ex triticeo nõ confecti nõ dicũtur ſimpliciter panes; ſed cum additamento: hinc panis ex hordeo dicitur hordeaceus, vt habetur *Io. c. 6. Eſt puer hic vnus habens quinque panes hordeaceos. Et Num. c. 5. Offert pro illa in oblationẽ decimam partem ſati farina hordeacea.* Ergò ſolus panis triticeus eſt materia huius Sacramenti. Deniq; omnes figuræ dicti Sacramẽti in pane triticeo præceſſerunt: ſiquidem ſacrificiũ Melchiſedechi, in quo panem, & vinum obtulit, *Geneſi. c. 14.* Fuit figura præfati Sacramenti: at panem, quem obtulit Melchiſedech, cum diceretur panis propoſitionis ex ſolo tritico conficiebatur, vt patet *Exod. c. 29. & Leuit. c. 24.* Ergò ſolus panis triticeus eſt materia dicti Sacramenti: & id non immeritò; nam, vt ait *D. Damaſcenus lib. 4. c. 14.* Satis congruum fuit inſtitui à Chriſto Domino Sacramentum huiuſmodi potius in pane tritici, & vino, quàm in materia alterius alimenti, eo quòd panis triticeus eſt commune, & vſuale alimentum viatorum; Sacramentum autem omnibus fidelibus commune; ſatis conueniens fuit, vt in materia etiam communi inſtitueretur, qualis non eſt panis ex alia materia confectus, quàm triticea, quo homines ſola neceſſitate compulſi vtuntur. No-

4 mine autem tritici comprehenditur etiam Siligo quoniam ſpecies eſt tritici, & optimum triticum, imò delitium tritici, vt habetur ex *D. Thoma 3. p. q. 74. art. 4. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 9. nu. 1. ad marg. litt. D. Tol. lib. 2. ſua ſum. c. 25. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 44. ſec. 1. ver. Secundum:* quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. c. 1. n. 3. vbi nu. 4. 5. & 6.* Idem probat dicendum eſſe de alicaſtro, adore, & farro ex adore proueniente. Cæterum farina hordeacea, ex Milio, Auena, Typha, Faba, & alijs leguminibus, & panis ex huiuſmodi ſeminibus confectus non eſt materia prædicti Sacramenti, ita vt panem eiuſmodi conſecrans nihil agit, & magnum ſacrilegium committit; ſicut, & in eo communicans: nam ſi non licet in tali pane conſecrare, nec licèt etiam communicare; ſiquidem in ea materia licitum eſt communicare, in qua licet conſerare: & quod in vna dicitur, in altera dictum eſſe intelligitur, vt per eundem *Fagund. d. c. 1. in princ.*

5 Ex dictis infertur falli *Alan. lib. 1. de Euch. c. 11.* Dicentem, incertum eſſe, an panis triticeus ſit ſolùm de neceſſitate præcepti, an de neceſſitate Sacramenti: & multo magis falli *Caietanum relatum à Fagund. loco citato, ſub nu. 2.* Exiſtimantem *Conc. Florentinum*, quod ſupra retulimus, tantum ſignificare, panem triticeum ſolum eſſe de neceſſitate præcepti, non autem de neceſſitate Sacramenti; & propterea peccatum eſſe mortiferum in alio pane non triticeo conſecrare: verum fieri Sacramentum, & conſecrationem eſſe validam. Etenim Doctores ſupra citati firmiter tenent, ſermonem ibi eſſe de neceſſitate Sacramenti; aliàs nihil certi haberemus in materia Sacramentorum, cùm pari ratione poſſemus, aquam naturalem in Baptiſmo eſſe de neceſſitate præcepti, non autem de neceſſitate Sacramenti, quod eſt omninò falſum. Confirmatur quoniam Ly. *Vinum de vite. In d. Concil.* mentionatum, explicat verum ſenſum illorum verborum, *Panem triticeum*: Siquidem quemadmodũ vinum de vite eſt materia neceſſaria neceſſitate Sacramenti; ita etiam & panis triticeus.

6 Eſt tamen verum, quòd ſi panis ex diuerſis granis triticeis fiat diuerſi generis; nihilominus vera materia eſt Sacramenti ſanctiſſimæ Euchariſtiæ; quoniam licèt grana ſint diuerſæ ſpeciei; tamen omnia ſunt tritici. imò ſi panis conſtet pro maiori parte ex farina triticea, & pro minori de alia farina, quæ non ſit triticea, adhuc huiuſmodi panem dicendum eſſe aptam materiam

dicti

Digitized by Google

dicti Sacramenti; ſiquidem in vſu hominum panis ille triticeus eſt: & illa maior pars adiuncta ſubactione, & contuſione cenſetur alias particulas trahere ad ſuam ſpeciem. Quòd ſi pars tritici ſit minor, vel etiam æqualis, talis panis non erit materia præfati Sacramenti, vt rectè declarat *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 44. ſec. 1. verſ. Quarto ſequitur:* & alij apud *Fagund. vbi ſupra ſub n. 9. vbi etiam num.* 10. *& ſeq.* Probat, quòd ex quo panis triticeus eſt materia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, maſſa, ſeù paſta cruda non poteſt eſſe eiuſdem materia, quoniam maſſa non vtuntur homines in alimentum: & Chriſtus Dominus inſtituit huiuſmodi Sacramentum in materia, & pane, quo homines communiter vtuntur: & ſimili ratione panis elixatus, aut frixus non eſt dicti Sacramenti materia; quoniam pane elixato, & frixo vtuntur communiter homines ad commendendum non vt pane, ſed vt obſonio cum pane, vt habetur per *Scot. in 4. d. 11. q. 6. Sot. ibidem diſt. 9. q. 1. art. 3. Suar. d. diſp. 44. ſec. 2. verſ. Dico ſecundo:* & alios, apud eundem *Fagund. ibidem, qui nu. 12. & 16.* Idem dicendum eſſe ait de pane recenti redacto in maſſam, ita vt adeò comprimatur, vt panis vſualis dici non poſſit. Et multo magis id dicendum erit ſi panis corrumpatur.

SECVNDA CONCLVSIO.

7 PAnis triticeus confectus ex aqua naturali, ſiuè ſit ex fonte, flumine, puteo, aut ciſterna, ſiuè ſit pluualis, ſicut validè conſecratur; ita quoque licitè, ac reuerenter conſecratus ſumitur, ſi diſpoſitiones neceſſariæ concurrant ex parte ſuſcipientis. Hæc concluſio eſt communis, quam docent *D. Thom. 3. par. q. 74. art. 7. ad 3. Palud. in 4. d. 12. q. 1. nu. 53. Sot. ibidem d. 9. q. 1. art. 6. ad 3. Alan. lib. 1. de Euch. c. 21. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 44. ſec. 2. in prin. Fagund. de precep. Eccl. precep. 3. lib. 2. c. 1. num. 13. & alij communiter.* Probatur, quia panis vſualis communiter fit ex aqua naturali, & farina triticea: at ſupra oſtendimus panem vſualem ad communem hominum vſum deſtinatum eſſe materiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti. Vndè ſi
8 cum farina triticea miſceatur vinum, mel, oleum, butirum, lac, aut aliud huiuſmodi, & panis ita confectus, & ſubactus coqueretur, cùm non poſſit dici communis, & vſualis, ſed potius placenta, & obſonium, mutato ſapore, ac odore panis, non poteſt eſſe materia dicti Sacramenti. Idem dicendum eſt ſi maſſa triticea permixta aqua naturali ſubigeretur inſuper cum ſaccharo, caſeo, lacte, butiro, vel alijs ex ſupra relatis rebus in magna quantitate: ſiquidem mixtum illud non poteſt dici panis vſualis, ſed potius obſoniũ, & delitię panis, mutato omninò ſapore, ac odore. Dixi, *In magna quantitate,* Quoniam ſi præfatæ res in minima quantitate adiungantur, ita vt adhuc panis vſualis maneat, lethalis culpa erit in huiuſmodi materia conſecrare contra puritatem, & vſum communem conſecrationis; ſed ipſa materia remanet conſecrata. Ita *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 9. nu. 2. Tolet. lib. 2. ſuæ ſum. c. 25. nu. 2. Suar. Fagund. locis citatis,* cum alijs, quos allegat.

TERTIA CONCLVSIO.

9 IMprobabilis nobis videtur ſententia eorum, qui putant, panem triticeum confectum, & ſubactum cum aqua roſacea poſſe eſſe materiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti. Hæc concluſio eſt *Toleti, Fagund. & aliorum Doctorum,* quos ſupra retulimus. Eſt tamen contra *Caiet. in 3. p. q. 75. art. 7. Alenſ. in 4. par. q. 32. membr. 5. art. 1. & Sa, verbo Miſſa nu. 4.* Qui volunt, validum eſſe Sacramentum in pane confectum ex aqua roſacea. licèt grauiſſimum peccatum contraheret id tentans efficere. Probatur noſtra concluſio ex eo, quòd licèt eiuſmodi panis cõfectus ex aqua roſacea ſit eſſentialiter, & verè panis; non tamen eſt panis vſualis, qui in alimentum communiter aſſumatur. Vndè hac ratione panis triticeus confectus ex farina triticea, & aqua nitris, cùm non ſit vſualis non erit materia huius Sacramenti, ſicut ſi conficiatur ex aqua ſtillata, aut alio liquore, qui non ſit aqua naturalis; vt declarat *Fagund. d. c. 1. ſub nu.* 14 Quòd verum eſſe ait, ſi farina triticea coagmentetur, & ſubigatur tota aqua roſacea, aut ſimili liquore: ſeù pro maiori parte; ſecus autem ſi parua quantitas miſceatur naturali aquæ, quoniam tunc huiuſmodi panis erit conſecrabilis: ſiquidem probabiliſſimum putat aquam roſaceam conuerti ab alia parte maiori aquæ naturalis, maximè adiuncta coctione, in qua odoriferæ aquæ, vt plurimum exalantur.

QVARTA CONCLVSIO.

10 DAto, & non conceſſo, quod panis ex farina triticea, & aqua roſacea confectus ſit conſecrabilis; nihilominus conſecrans in eiuſmodi pane grauiſſimum peccatum committit. Hæc concluſio eſt communis, & patet ex Doctoribus ſupra relatis. Etenim quòd hæc materia panis ſit conſecrabilis ſaltem dubitatur valdè apud Doctores: at quotieſcunque materia eſt dubia citra irreuerentiam tanti Sacramenti non conſecratur: nam ſi ſpectetur Sacramentum huiuſmodi præceptum tùm iure humano, & Eccleſiaſtico, tùm etiam iure Diuino, nulla poteſt concurrere ſufficiens cauſa, vt in materia dubia, & incerta confici poſſit. Etenim ſi ſpectetur vt præceptum iure humano non eſt Sacramentum neceſſarium neceſſitate ſalutis ſimpliciter, vt aliàs diximus, & habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 44. ſec. 1. verſ. Tertio ſequitur, Alano lib. 1. de Euch. c. 11. & ex alijs.* Neque ſi conſideretur, vt præceptum de iure Diuino, & quatenus medium neceſſarium ad ſalutem, quoniam non obligat, niſi quando reuerenter, ac decenter ſumi poteſt: non poteſt autem reuerenter ſumi, quando in materia dubia conſecratur: & propterea ſe habet eo caſu, ac ſi nunquam tale præceptum daretur, atque ideò in tali materia non tantùm licitè, ſed nec validè quidem fieret conſecratio; ſiquidem cum tali irreuerentia noluit Chriſtus Dominus præceptum neceſſarium neceſſitate ſalutis imponere, & propterea in tali materia communicans non ſatisfacit præcepto communionis in Paſcha. Ita *Fagund. vbi ſupra, nu.* 17.

An communicans in fermentato faciat cõtra reuerentiã ſanctiſſimæ Euch. Sacramenti, & ſatiſfaciat præcepto cõmunicandi in Paſcha.

SEC. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Aliqui Græci negant in pane azimo conſeruari*

poſſe: Et Lutherani negant panem azimum, aut fermentatum eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſed iſtorum rectè confutantur errores.

2 *Nonnulli ex Græcis catholici ſunt, & credunt tàm in azimo, quàm in fermentato conſecrari poſſe.*

3 *Græci tenentes nulliter conſecrari in azimo, communicantes in fermentato faciunt contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & tàm in eorum Eccleſijs, quàm Latinis.*

4 *Græci, qui catholici ſunt, & tenent validè conſecrari, tàm in azimo, quàm in fermentato, communicantes in eorum Eccleſijs cæteris concurrentibus, nullam committunt irreuerentiam contra ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum.*

Et an Sacerdotes Græci poſſint, & teneantur celebrare in fermentato, fideleſq; Græcos communicare, ſub culpa mortali.

5 *Sacerdotes Latini in Græcorum templis, in Eccleſia latina exiſtentibus, nō poſſunt in fermentato conſecrare, & quare.*

Quid ſi Sacerdos Latinus verſetur in terris Græcorum, ſiuè diù, ſiuè per breue temporis ſpatium tanquam hoſpes, & Viator, an poſſit eorum conſuetudini conformari, & in fermentato conſecrare.

Et quid in alijs conſuetudinibus ieiunandi, ſeruandi feſta, &c.

6 *Sacerdos Græcus tranſiens per Eccleſias Latinas non tenetur ſub culpa lethali conſecrare in azimo. Et an quilibet ſeruare debeat morem ſuæ Eccleſiæ.*

7 *Sacerdos Græcus per Eccleſiam Latinam pertranſiens, ſi ſponte in templis Latinæ Eccleſiæ celebret in azimo, & communicet, non facit contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti.*

8 *Extra ſuprarelatos caſus, ſi Sacerdos Græcus celebret in azimo, & Latinus in fermentato, vel Laici Græci communicent in azimo, & Latini in fermentato in die Paſchatis, non præceptum implent communionis in eo die.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd hanc controuerſiam non diſputamus contra illos Græcos, qui negant in pane azimo conſecrari poſſe: nec contra Lutheranos negantes panem azimum, aut fermentatum eſſe de neceſſitate Sacramenti; liquidem horum errores rectè confutat *Fagund. de precep. Eccl. precep. 3. lib. 2. c. 2 num. 1. cum plur. ſeq.* Sed ſuppoſita vera, ac de fide Catholicorum ſententia, panem triticeum, ſiuè azimum, ſiuè fermentatum ſufficere ad veritatem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, vt apertè definiuit *Conc. Florentia. ſub Eugen. IV.* Dicens, veraciter confici Corpus Chriſti in azimo, vel fermentato quæritur, an communicans in fermentato faciat contra reuerentiam tanti Sacramenti.

2 Secundò eſt adnot. quòd nonnulli ex Græcis ſunt Catholici, credentes, tàm in azimo, quàm in fermentato conſecrari poſſe, verum ipſi in fermentato tantùm conſecrant, & communicant: & propterea quæritur, an citra irreuerentiam huius Sacramenti id agant: & quid dicendum de Latinis in fermentato conſecrantibus, & communicantibus. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

3 GRæci tenentes nulliter conſecrari in azimo, communicantes in fermentato faciunt contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, ſiuè communicent in eorum Eccleſijs, ſiuè in Eccleſijs Latinis. Hæc concluſio patet, quoniam huiuſmodi Græci ſunt formaliter hæretici, cùm credant contra id, quod definiuit Eccleſia in *Conc. Florentino*, quod ſupra in primo not. retulimus, & in *c. ad abolendam, de hæretic.* Vbi declarantur hæretici omnes, & vniuerſi, qui de Sacramento Corporis, & Sanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti aliter ſentire, aut docere non metuunt, quam ſacroſancta Romana Eccleſia prædicat, & obſeruat: Romana autem, & vniuerſalis Eccleſia prædicat, & ſeruat in azimo validè conſecrari: ergò id negantes ſunt formaliter hæretici. Si igitur ſunt hæretici, ergò citra irreuerentiam tanti Sacramenti non communicant; tùm quia eis communio interdicitur, cùm ſint excommunicati; tùm etiam quia in lethali culpa communicant nō ſine magna eiuſdem Sacramenti irreuerentia, vt latè ſupra oſtendimus, *ſec. 7.*

SECVNDA CONCLVSIO.

4 GRæci illi, qui Catholici ſunt, & tenent validè conſecrari, tàm in azimo, quàm in fermentato, communicantes in Græcorum Eccleſijs, cæteris concurrentibus, nullam irreuerentiam committunt contra ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Hæc concluſio eſt communis: etenim ſicut Græci validè, & licitè in eorum Eccleſijs ex priuilegio Romani Pontificis, & Eccleſiæ Latinæ conceſſione, quæ mater eſt, & caput omnium Eccleſiarum conſecrant in fermentato; ita etiam validè, ac licitè in fermentato fideles Græcos communicant. Dixi, *In eorum Eccleſijs.* Quoniam Sacerdotes Græci in eorum Eccleſijs græcis non ſolùm poſſunt, ſed etiam tenentur in fermentato celebrare, & fideles Græcos communicare: & propterea ſi in ipſis Eccleſijs celebrarent, & communicarent in azimo, lethalem culpam committerent: ſiquidem id illis eſt interdictum à Latina Eccleſia, vt habetur ex *D. Thoma 3. p. diſp. 74. art. 4.* vbi etiam *Caiet. & Suar. diſp 44. ſec. 3. verſ. Quarto dico, Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 10 in prin. Bellarm. eod. tract. c. 8. Toler. lib. 2. ſuæ ſum. c. 25. nu. 6. Fagund. de praecep. Eccl. praecep. 3. lib. 2. c. 2. nu. 6. & alij.* Vndè quoniam in Eccleſia Latina reperiuntur aliqua Monaſteria, imò, & oppida integra Græcorum Catholicorum, idcircò in illis poſſunt Græci licitè, ac validè citra irreuerentiam in fermentato conſecrare, & communicare.

5 Non tamen poſſent Latini in Græcorum templis in Eccleſia latina exiſtentibus in fermentato conſecrare, & communicare; nam celebrare, & communicare in fermentato eſt velum ſpeciale priuilegium Græcis conceſſum, quo vti non poſſunt Latini, neque illo potiuntur, vt bene aduertit *Suar. loco citato, verſ. Illud verò.* Eſt tamen verum, quòd ſi Sacerdos Latinus verſetur in terris Græcorum licitè poterit in eorum templis celebrare, & conſecrare in fermentato, & eorum conſuetudini conformari, ſiuè Sacerdos ipſe diù verſetur in terris Græcorum, ſiuè per breue temporis ſpacium tanquam hoſpes, & viator, & idem dicendum eſſe de omni-

Digitized by Google

omnibus conſuetudinibus humanis ieiunandi, ſeruandi feſta, & ſimilibus, docet *Suar. vbi ſupra, & Fagund.d.c.2.nu.8. in fine*, cum aliјs, quos allegat: qui eam eſſe rationem volunt, quod vnuſquiſque peregrinus, & aduena illus Eccleſię conſuetudinem ſeruare tenetur, in qua actu verſatur.

6 Hac eadem ratione putat *Ledeſ. in 4.1.p.q.15. art.4. dub.* 2. Non ſolùm poſſe licitè, ſed etiam teneri Sacerdotem Græcum tranſeuntem per Eccleſias Latinas in azimo conſecrare, & peccare lethaliter ſi aliter faciat: quàm ſententiam puto probabilem, quamuis *Suar. & Fagund. locis citatis*, Videatur rigoroſa pro peregrinis: & propterea non ſeruanda; quoniam Eugen. Papa in litteris vnionis Græcorum cum Latinis poſt ſeſſionem vltimam *Conc. Florentini*, ſimpliciter, & citra omnem limitationem inquit, vnumquemque Sacerdotem debere conficere Sacramentum in fermentato, vel azimo iuxta morem ſuæ Eccleſiæ. Imò *Leo IX. epiſtola ad Michael. Patriarc. Conſtantinopolitanum, c.29.* Monet, vt vnuſquiſque iuxta Eccleſiæ ſuæ morem celebrare ſinatur, etiam ſi in alieno ſolo verſetur. Etenim ſatis probabilis opinio eorum eſt, qui docent, eum qui per locum aliquem tranſit, quamuis benè faciat, ſi illius loci conſuetudinem ſeruet; non tamen ad id tenetur per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, vt per *gloſ. in cap. qua contra, d.8.*

TERTIA CONCLVSIO.

7 GRæcus Sacerdos per Latinam Eccleſiam pertranſiens ſi ſponte in templis Latinæ Eccleſiæ in azimo celebret, & communicet, non facit contra reuerentiam ſanctiſſimæ Eucariſtię Sacramenti. Probaturq́, quoniam omnes conueniunt, benè agere eos, qui conſuetudinem loci ſeruant, vt ſupra oſtendimus, *concl. praced.* Et quod Græcis licitum ſit in fermento celebrare, id babent ex priuilegio Eccleſiæ Latinæ, quæ mater eſt, & caput omnium Eccleſiarum, cui priuilegio poteſt, imò debent renunciare ad euitandum maximè ſcandalum, & ad conformandos ſe conſuetudini loci, in quo reperiuntur.

QVARTA CONCLVSIO.

8 EXtra ſupra relatos caſus, in quibus oſtendimus licitum eſſe Græcis celebrare, & communicare in azimo, & Latinis in fermentato, ſi Sacerdos Græcus celebret in azimo, aut Latinus in fermentato, vel Laici græci communicent in azimo, & Laici Latini in fermentato in die Paſchatis, non dicuntur implere præceptum noſtri cap. de communione in Paſcha. Probatur, quia lethalem culpam committerent, atque ideò irreuerenter ad tantum Sacramentum accederent, iuxta ea, quæ ſupra diximus, *ſec. 9.* & contra diſpoſitionem noſtri cap. quod præcipit, ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum in Paſcha reuerenter ſuſcipi, vt conſtat ex illis verbis, *Suſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, &c.* His adde quæ ſupra cumulauimus, *ſec. 2.*

An ſit contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti celebrare, conſecrare, & communicare in alia ſpecie vini, quā ex vite.

SEC. XIV.

SVMMARIVM.

1 *Vinum ex vite veram, ac neceſſariam eſſe materiam ſanctiſſima Euchariſtia Sacramenti, certum eſt, & de fide.*

2 *Succus ex Vuis immaturis, atque ideò ex agreſtis non poteſt eſſe materia tanti Sacramenti, nec in rigore poteſt dici vinum.*

3 *Et multo minus liquor ex pomis, moris, tritico, hordeo, &c.*

4 *Acetum haud eſſe materiam ſanctiſſima Euchariſtiæ certum eſt, atque ideò celebrans in aceto, nulliter conſecrat, & grauem culpam committit, facitq; contra reuerentiam tanti Sacramenti.*

5 *Succus Vuarum maturarum non dum tamen expreſſus ex earum granis non eſt materia ſanctiſſima Euchariſtia.*

6 *Nec Sapa, ſeù Vinum coctum eſt materia ſanctiſſima Euchariſtia.*

7 *Vinum congelatum iuxta primam ſententiam non eſt materia ſanctiſſima Euchariſtia Sacramenti, & in aqua congelata non ſolum irreuerenter, ſed inualidè quoque fit baptiſmus.*

8 *Probabilis eſt ſententia in contrarium. Et qua ratione.*

9 *Diuerſa eſt ratio inter baptiſmum, & Euchariſtiam, qua non conſiſtit in actuali vſu, ſed in materia, & ſpeciebus conſecratis; baptiſmus verò per acta actione baptizandi, non remanet Sacramentum.*

10 *Vinum per congelationem haud corrumpitur, cum liquefactū habeat vini qualitates, & effectus*

11 *Muſtum de recenti ex vuis maturis expreſſum non eſt ſufficiens, & materia conueniens ſanctiſſima Euchariſtia.*

12 *Oppoſita ſententia eſt Diui Thom. & aliorum, cum poſſis botrum in Calice exprimi, & aqua miſceri, & ſic confici Euchariſtia.*

13 *Licet Muſtum ſit materia ſufficiens huius Sacramenti, non eſt tamen conueniens, niſi concurrēte neceſſitate, vel alia rationabili cauſa.*

14 *Licet Muſtum non ſit materia communiter potabilis, ſatis tamen eſt, quod interdum ſit potabilis.*

15 *Vappa, ſeù lōra, & vt italicè dicitur acquata, an & quomodo ſit materia ſufficiens Sacramenti Euchariſtia.*

16 *Lora tunc ſufficiens eſt materia huius Sacramenti, cum pro maiori parte conſtat ex vino, & pro minori ex aqua. Secus verò è contra.*

17 *Vua paſſa, & ſuccum ex ea deductum, an & quādo ſit materia ſufficiens huius Sacramenti.*

IN hac re duo faciemus. Primò certa ab incertis ſeparabimus: ſecundò dubia per ſuas quæſtiones diluemus. Circa primum ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 CErtum eſt, vinum ex vite eſſe alteram partem materiæ veram, ac neceſſariam materiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, ita vt conſecrans in alio liquore, qui vinum ex vite non ſit, non modò nulliter conſecret, ſed etiam graue committat ſacrilegium; atque ideò grauem contra tantum Sacramentum committat irreuerentiam. Hæc Concluſio non ſolùm eſt com-

munis, ſed eſt quoque de fide, & expreſſè definita in *Conc. Florentino*, vbi expreſſè definitur, materiam eſſe vinum vitis. Etenim quòd Chriſtus Dominus in vino vitis conſecrauerit, patet tùm ex traditione Apoſtolorum, & communi Eccleſiæ conſuetudine; verum etiam ex verbis eiuſdem *Domini Lucæ 22.* qui ante conſecrationem dixit. *Non bibam amodo ex hoc genimine vitis, donec veniat regnum Dei, venit autem mox Dei regnum in eadem Cœna poſt factam conſecrationem: ſiquidem venit noua Eccleſia, in qua Chriſtus regnat, quando veri, & noui Sacerdotes inſtituti ſunt Apoſtoli, noui Paſchatis manducatores cum nouo ſacrificio incruento veri, & immaculati Agni Chriſti Ieſu, & nouo Sacerdotio.* Confirmatur ex *Conc. Aurelsano IV. c. 4.* Vbi habetur, non eſſe in Calice offerendum aliud, quàm quod in mandatis Chriſtus tradidit: quod explicans inquit, eſſe illud vinum, quod ex fructu vineæ naſcitur.

SECVNDA CONCLVSIO.

2 CVm altera pars materiæ ſanctiſſimę Euchariſtiæ ſit vinum ex vite, certum eſt, quòd non poteſt eſſe tanti Sacramenti materia ſuccus ex vuis immaturis, atque ideò ex agreſtis. Hæc concluſio eſt cõmunis, & eam docent *D. Thom. 3. p. q. 74. art. 5. 6. & 7. Henriq. lib. 8. de Euchariſtia, c. 12. nu. 2. Sylueſt. ver. Euchariſtia 1. n. 3. Tolet. lib. 2. ſua ſum. c. 25. verſ. Rurſus, Suar. in 3. p. tom. 3. diſp. 45. ſec. 1. verſ. Vndè ſit primo, & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. c. 3. nu. 3.* Vbi in hanc ſententiam inquit conſpirare omnes Doctor. Probatur hæc concluſio ex eo, quòd licèt agreſtarum ſuccus ſit ex vite: tamen non poteſt in rigore dici vinum; nam vinum ad hominum vſum ordinarium ordinatum, eſt ſuccus ex vuis maturis compreſſus, non autem ex agreſtis: vndè ſuccum ex vuis non maturis, & ſic ex agreſtis, & ſuccum ex vuis maturis expreſſũ ſpecie inter ſe differre plerique Doctores volunt vt patet ex diuerſis effectibus, & qualitatibus vtriuſque, vt rectè ait *Fagund. loco citato.* Quòd

3 ſi ex agreſtarum ſuccus non eſt licita, nec valida ſanctiſſimi Sacramenti materia, multo minus erit liquor ex pomis, moris, tritico, hordeo, palmis, radicibus arborum, & alijs huiuſmodi erunt materia tanti Sacramenti, vt habetur ex *D. Thom. 3. p. diſp. 64. art. 8. Suar. loco citato, diſp. 65. ſec. 1. verſ. Omiſſis erroribus, in fine, Tol. vbi ſupra nu. 4. Henriq. d. c. 12 nu. 1.* & patet in *c. firmiter, de ſum. Trin. & fid. cathol.* ibi, *Cuius Corpus, & Sanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter continetur, tranſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem poteſtate Diuina.*

TERTIA CONCLVSIO.

4 CErtum eſt, acetum non eſſe materiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, atque ideò in aceto celebrans, ſicut nulliter conſecrat, ita quoque grauem culpam contrahit, & contra reuerentiam tanti Sacramenti facit. Hæc concluſio eſt communis, quam docent Doctores, quos in præcedenti concluſione citauimus. Etenim acetum quamuis ſit expreſſum ex vitæ vuis maturis, tamen non dicitur vinum, ſed tranſit in aliam ſpeciem, cum ſit vinum corruptum, vt patet ex qualitatibus illius, & effectibus, ex odore, & ſapore, ac frigiditate. Vndè *Ariſt. lib. 8. Meteor. c. 6.* Inquit, acetum ita ſe habere ad vinum, vt cadauer ad animal: conſtat autem apud phyloſophos, cadauer ſpecie diſtingui ab animali viuente ſecundum ſententiam magis receptam. Ob id in Miſſale Pij V. præcipitur repeti materiam ſi materiam reperiatur eſſe acetum. Et id non alia ratione, niſi quia non ſolùm nulliter conſecratur in aceto, verum etiam fit contra reuerentiam tanti Sacramenti. Eſt tamen verum, quòd ſi vinum incipit aceſcere, poteſt eſſe materia præfati Sacramenti, eo quòd non eſt adhuc corruptum, nec mutatum in aliam ſpeciem, vt per *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 12. nu. 2 Ricchar. in 4. d. 11. art. 2. q. 5. Palud. q. 1. art. 5. concl. 4. Syl. ver. Euchariſtia 1. nu. 4. Tabiena eod. ver. Victor. in ſum. q. 54 Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. cap. 3. ſub nu. 5.* cum alijs, quos allegat qui quidem ita putat intelligendum eſſe *Gloſ. in c. 2. de conſecr. d. 2.* loquitur enim de vino, quod cæpit aceſcere.

QVARTA CONCLVSIO.

5 SVccus vuarum maturarum nõ dum ex earum granis expreſſus, non eſt ſanctiſſimæ Euchariſtiæ materia, & propterea certum eſt, quod qui verba conſecrationis ſuper illis proferret, nihil ageret; quoniam vinum formaliter eſt ſuccus ex vuis maturis expreſſus. Ita *D. Thom. in 3. p. q. 74. art. 3. Sot. in 4. d. 9. q. 1. art. 3. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 45. ſec. 1. verſ. Vndè ſit ſecũdò, Fagund. loco ſupra relato, ſub nu.* 4. cum alijs, quos allegat.

QVINTA CONCLVSIO.

6 CErtum eſt ſapam, ſeù vinum coctum non eſſe materiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, vt habetur ex *Henriq. lib. 8. de Euchariſtia, c. 12. nu. 2. ad margin. litt. R. ſiquidem Ariſt. lib. 4. Meteor. c. 9. & 10.* Negat, ſapam eſſe vinum, quamuis ex vuis maturis deducatur; quoniam per decoctionem, & applicationem ignis ſpeciem vini mutat, & ſaltem non eſt vinum vſuale; nam illo non vtuntur homines per modũ potus, ſed per modum eſculenti, vt habetur ex *Henriq. loco citato, Fagund. d. c. 3. nu. 7.* Et ex alijs, qui idem dicendum eſſe volunt de aqua vitæ. Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant; difficultas modo eſt de vino cõgelato, de Muſto turbido mox è racemis expreſſo, de vappa, & de ſucco ex vua paſſa expreſſa, an ſint ſufficiens, ac conueniens materia tanti Sacramenti.

7 Circa primam difficultatem pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Henriq. vbi ſupra nu. 3. Alani lib. 1. de Euch. c. 11. Ledeſ. q. 15. dub. 1.* Et aliorum, negantium vinum congelatum eſſe ſufficientem materiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & propterea in illo celebrantes, communicantes magnum ſacrilegium committere, & maximam irreuerentiam inferre tanto Sacramento. Probant eorum ſententiam ex eo quòd in aqua congelata non ſolùm irreuerenter, ſed etiam inualide fit Baptiſmus: ergò nec validè, nec reuerenter in vino congelato fit conſecratio, & communicatio. Etenim non alia ratione non fit Baptiſmus in aqua congelata, quia non eſt potabilis, nec ad ablutionem apta: ergò eadem ratione in vino congelato non fit conſecratio, quia non eſt potabile, ſed potius comeſtibile. Confirmatur, quia vinum per congelationem ſubſtantialiter corrumpitur: ergò vinum congelatum

Digitized by Google

latum non poteſt eſſe ſufficiens materia præfati Sacramenti. Antecedens patet, quia vinum congelatum perdit colorem, ſaporem, & alias qualitates. Conſequentia probatur, quoniam non alia ratione excluſimus à materia huius Sacramenti acetum, niſi quia acetum eſt vinum corruptum.

8 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto probabiliorem eſſe, quam docent *Sot. in 4. d. 9. q. 1. art. 5. Syl. ver. Euchariſtia 2. q. 10. nu. 15. Angel. ver. Miſſa, nu. 23. Sa eod. ver. nu. 3. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 45. ſec. 1. verſ. Secunda ſententia, Fagund. d. c. 3. nu. 9. & alij.* Mouentur præfati Doctores, quoniam vinum conſecratum ſi congeletur, retinet conſecrationem, & non deſinit eſſe ſub eius ſpeciebus congelatis Chriſti Sanguis, vt ſupponit Miſſale Romanum, vbi in defectibus Miſſæ dicitur, quòd ſi contingat in Calice vinum conſecratum congelari, debet liquefieri, & conſumi tanquam verum Sacramentum: ergò vinum congelatum eſt ſufficiens materia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ.

9 Ad argumentum de aqua congelata, quæ non eſt materia Baptiſmi, reſpondetur eſſe diuerſam rationem inter confectionem Sacramenti Baptiſmatis, & ſanctiſſimæ Euchariſtiæ: ſiquidem Sacramentum Euchariſtiæ non conſiſtit in actuali vſu, & actione, ſed conſiſtit in materia, & ſpeciebus conſecratis; nam peracta conſecratione, manet Sacramentum: at peracta actione Baptizandi, & applicatione illa actuali aquæ, iam non manet Sacramentum Baptiſmi. Vndè cum actus baptizandi ſit tranſiens in ablutione conſiſtens, quæ aquam exigit actu abluentem: & actus conſecrationis ſit permanens, cum facta conſecratione ſub ſpeciebus vini maneat Chriſti Domini ſanguis, non eſt mirum ſi vinum congelatum poſſit conſecrari, & aqua congelata non poſſit quis baptizari.

10 Ad confirmationem reſpondetur negando antecedens: non enim vinum per congelationem corrumpitur; ſiquidem ſi poſtea liquefiat habet qualitates, & effectus vini, & re vera id negari non poteſt; aliàs per congelationem vini conſecrati, vini ſpecies corrumperentur, & ſub eis deſineret eſſe Chriſti Sanguis. Non tamen negamus quin vinum congelatum conſecrantes grauiter peccent, maximè cùm ſuper materiam dubiam, & inter Doctores controuerſam verba conſecrationis proferant, atque ideò contra reuerentiam tanti Sacramenti faciant, vt rectè docent Doctores ſupra relati.

11 Circa ſecundam verò difficultatem videtur dicendum, Muſtum de recenti ex vuis maturis expreſſum non eſſe ſufficientem, nec conuenientem materiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, atque ideò in eo celebrantes, & communicantes, nihil efficere, & maximam irreuerentiam, ac ſacrilegium committere contra tantum Sacramentum. Probatur, quia Muſtum non eſt materia communiter potabilis, nec ſimpliciter poteſt dici vinum, quo homines communiter vtuntur ad bibendum: nec in Muſto Chriſtus Dominus conſecrauit, cum de menſe Martij hoc ſanctiſſimum Sacramentum inſtituerit quo tempore vuæ maturæ non reperiuntur, ex quibus exprimi potuiſſet de recenti ſuccus, & illum conſecrare.

12 Oppoſitam tamen ſententiã docent *D. Thom. 3. p. q. 74. art. 6. & 7. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 12. nu. 1. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 45. ſec. 1. verſ. Tertiò ſequitur, Tolet. lib. 2. ſua ſum. c. 25. nu. 4. Fagund. de præcep. Eccleſiæ, præcep. 3. lib. 2. c. 3. nu. 5. & alij.* Probatur ex *text. in c. cum omne crimen, de conſecr. d. 2.* Vbi habetur, poſſe botrum in Calice exprimi, & aqua miſceri, & ita confici Euchariſtiam: botrus autem expreſſus de recenti eſt Muſtum, ergò Muſtum eſt ſufficiens materia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti. Ratio autem cur Muſtum ſit ſufficiens materia dicti Sacramenti hæc eſt, quoniam Muſtum eſt eſſentialiter vinum ex vite, & habet omnes qualitates vini, nempè ſaporem, eſt potabile, & inebriare ſolet ſicut vinum, vndè vinum in ſacris litteris appellatur Muſtum, vt patet ex illis verbis *Actor. c. 2. Muſto pleni ſunt iſti, & Iſaias c. 49. Quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur,* Et ſancta Eccleſia in die Pentecoſtes de Apoſtolis cantans inquit, *Muſto madere deputant, quos ſpiritus repleuerat.* Eſt tamen verum, quod licèt

13 Muſtum ſit ſufficiens materia huius Sacramenti, non tamen eſt materia conueniens, niſi concurrente neceſſitate aliqua, vel alia rationabili cauſa vt in caſu neceſſitatis tantum in Muſto conſecrari licitum eſſe definiuit, *tex. in d. c. cum omne crimen, de conſecr. d. 2.* in illis verbis; *Sed ſi neceſſè ſit, botrus in Calice comprimatur, &c.* Et ex vi conſuetudinis ſeruatur in quibuſdam locis in Muſto conſecrari, vt Brachare in tempo maximo in die transfigurationis ad ſignificandam innouationem Reſurrectionis Chriſti Domini. Nunquam tamen eo caſu ibi, & in alijs locis fit tota conſecratio in Muſto reuerenter ex vuis expreſſo; ſed aliqua tantùm grana exprimuntur in vino in Calice præiacenti, vt inquit *Suar. relatus à Fagund. loco citato.* Cæterum ſi citra neceſſitatem, conſuetudinem, aut cauſam aliquam rationabilem in Muſto conſecretur, procul dubio irreuerentia infertur tanto Sacramento, cum fiat conſecratio contra communem vſum totius Eccleſiæ, quæ conſueuit conſecrare in vino purificato, vt Chriſti Domini conſecrationi conformetur.

14 Ad contraria patet reſponſio: nam licèt Muſtum non ſit communiter materia potabilis; tamen ſatis eſt, quòd interdum ſit potabilis, & quod ſimpliciter ſit vinum ex vite: nam etiam panis azimus communiter non eſt in vſu hominum, & tamen quoniam ſimpliciter eſt panis triticeus, & interdum vſualis, ſimpliciter eſt materia neceſſaria. Nec ex eo, quòd Chriſtus conſecrauit in vino purificato, Muſtum excluditur à materia huius Sacramenti; quoniam conſtat Chriſtum Dominum conſecraſſe in azimo, & tamen panis fermentatus non excluditur, quin poſſit eſſe materia ſanctiſſimę Euchariſtię. Vndè ſicut ſufficiens materia huius Sacramenti ſunt panis azimus, & fermentatus, cùm non differant, niſi accidentaliter; ita etiam dicendum eſt de Muſto, & vino, quæ non differunt ſubſtantialiter, ſed tantum accidentaliter.

15 Circa tertiam difficultatem de lora vappa, ſeù vt vulgò, & italicè dicitur, acquata, adhuc pugnantes extant opiniones: nam prima ſentẽtia eſt *Henriq. lib. 8. Euch. c. 12. nu. 2. Palud. in 4. d. 11. q. 1. Syl. in ſum. ver. Euchariſtia 1. nu. 4. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 65. ſec. 1. verſ. Hic verò*

dubi-

dubitatur. Et aliorum, exiſtimantium, vappam ſimpliciter non eſſe materiam ſufficientem, nec conuenientē ſanctiſſimæ Euchariſtiæ. Secunda ſententia eſt *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. c. 3. ſub nu. 6.* Et aliorum, dicentium in hac re non eſſe præcipitandum iudicium, ſed prudenter, ac attentè conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, ac mixtiones, quæ in eis concurrunt. Etenim multoties vappa conſtat ex aqua ſuper infuſa, ſuper acinos vuarum habens aliquantulum acumen vini, & colorem: aliquando impletur dolium acinis, ſuper quos infunditur aqua calida, qua acini veniunt paulatim corrumpendi, ita vt poſt aliquot tempus, vappa illa non ſolum habet acumen, & colorem vini, ſed omninò ſaporem. Sic etiam lora aliquando continet maiorem quantitatem vini, & minorem aquæ: quandoque continet maiorem partem aquæ, & minorem vini: & demum ſolet continere tantam quantitatem aquæ, quantam vini. Vndè licèt vappa primo modo conſiderata non poſſit eſſe materia Sacramenti, cùm non ſit formaliter vinum, ſed aqua vinata; nihilominus vappa ſecundo modo ſumpta cum ſit formaliter vinum, quamuis admixtum cum parua quantitate aquæ videtur ſufficiens materia prædicti Sacramenti, cum non dicatur aqua vinata, ſed vinum aqua-
16 tum. Ita quoque proportionaliter dicendum eſt de lora, vt ſit ſufficiens materia, ſi pro maiori parte conſtet ex vino, & pro minori ex aqua: ſecus autem ſi pro maiori, vel æquali parte ex aqua, & ex vino: nam tunc non erit ſufficiens materia: ſiquidem ratione maioris partis aquæ, lora diceretur aqua vinata: & ratione partis æqualis vini, & aquæ non diceretur ſimpliciter vinum, cum vnumquodq; denominatur à maiori parte: nec poteſt aſſignari ratio, cur potius ſit dicenda ſimpliciter vinum, & non ſimpliciter aqua. Cæterum ſicut diximus de Muſto, ita quoque dicendum putamus de lora, & vappa, vt quamuis conſtent ex vino pro maiori parte, niſi pars illa ſit notabilis, ita vt aqua permixta ſit parua quantitas; ſemper tamen conſecrare ſuper talem materiam, & communicare irreuerentia infertur tanto Sacramento, vt habetur ex *Suar. & Fagund. locis citatis.* Benè verum eſt, quòd Bononiæ, & Mutinæ, ac in multis alijs Ciuitatibus, ad conſeruandum vinum, tempore vindemiarum cum vino adhuc in tinacijs ebulliente miſcetur aqua, ſaltem pro quarta parte ad ebulliendum cum eo, ſex, ſeptem, ac etiam octo diebus, & deinde in eiuſmodi vino purificato vidi Sacerdotes citra omnem ſcrupulum celebrare: quapropter in dictis locis, cum non reperiatur ferè vinum, quod aquam non habeat permiſtam, aliàs non poſſit diù ſeruari, puto huiuſmodi Sacerdotes non facere contra reuerentiam Sacramenti in eo celebrantes.

17 Circa vuam paſſam, & ſuccum ex ea deductū arbitror ita diſtinguendum, quòd aut vua ita eſt paſſa, & non ſolis, ſed etiam ignis vi eſiccata eſt: aut vua paſſa non eſt omnino eſiccata vi Solis, & nullo modo ui ignis. Succus igitur deductus ex uua omninò eſiccata priori modo, & ſuper infuſa aqua, non poteſt eſſe materia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, quoniam ſuccus ille non dicitur educi de uua ſimpliciter, ſed de uua paſſa, quæ eſt alterius ſpeciei, cum diuerſas habeat qualitates: & ſuccus ille eſt pro maiori parte commixtus aqua ſuperfuſa in ipſa uua paſſa. Succus uerò deductus ex uua paſſa poſteriori modo aqua ſuperfuſa quoaduſq; lenteſcat, arbitror illum eſſe poſſe materiam ſufficientē huius Sacramenti: ex quo ab eiuſmodi uuis educitur uinum ualdè generoſum, & ita in Aetiopia ex defectu uini ſeruaſſe Catholicos Sacerdotes, teſtatur *Fagund. loco proximè citato, circa finem nu. 6.*

An ſit contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ conſecrare, & communicare in ſpeciebus uini aqua non permixti.

S E C. X V.

S V M M A R I V M.

1 *Aquam permiſceri vino non eſt de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ, & valida erit Conſecratio in ſolo vino non habente permixtam aquam.*

2 *Probabilior eſt opinio aſſerens, aquam, quæ miſcetur vino, tranſmutari in ſanguinem.*

3 *Grauiſſima eſt quorundam Armenorum hæreſis, aquam vino non immiſcentium in celebratione Miſſæ. Ac improbabilis eſt Catholicorum ſententia aſſerentium, aquam vino permixtam eſſe de neceſſitate Sacramenti.*

4 *Sacrificare, & communicare in vino, aqua non permixto, eſt contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti.*

5 *Dilucidantur nonnulli Canones, & primo tex. Diui Cypriani, qui probare videntur, aquam in Calice vino miſcendam eſſe de neceſſitate Sacramenti.*

Et negatur principium illud Philoſophorum, aquam ſcilicet poſſe à vino ſeparari.

6 *Filo lineo, & medulla vinci, vino applicatis aqua permixto, tunc ſeparatur aqua à vino, quando in vinum conuerſa non eſt, ſecus quando conuerſa eſt.*

7 *Modiciſſima aqua eſt miſcenda vino in calice, offerendo, nam ſi tertia pars aquæ vino miſcentur probabilius eſt, aquam non conuerti in ſanguinem.*

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, ſupponimus cùm vera Catholicorum ſententia, aquam permixtam vino non eſſe de neceſſitate Sacramenti Euchariſtiæ: & propterea ſi in ſolo vino non habente permixtam aquam fieret conſecratio, valida quidem erit, vt habetur ex *D. Thoma 3. par. q. 74. art. 7. verſ. Sed contra*, & ex alijs communiter. Etenim aqua permixta vino non conſecratur ſe ipſa, ſed perfuſa vino etiam in vini ſubſtantiam conuerſa, & ſic totum quod conſecratur eſt vinum, vt eſt *text. in c. cum Martha, verſ. Quæſiuiſti etiam de celebr. Miſſ.* Ita ſe habens, *Quæſiuiſti etiam vtrum aqua cum vino in ſanguinem conuertatur? ſuper hoc autem opiniones apud Scholaſticos variantur: aliquibus enim videtur, quòd cùm de latere Chriſti duo præcipua fluxerint Sacramēta redemptionis in ſanguine, ac regenerationis in aqua, illa duo, vinum, & aqua, quæ commiſcentur in Calice, diuina virtute mutantur, vt in hoc Sacramento plenè ſit veritas, & figura. Alij verò tenent, quòd aqua cum vino tranſubſtantiatur in ſan-*

ſanguinem, cum in vinum tranſeat mixta vino: licet Phyſici contrarium aſſenerent; quia aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari, &c. Et deindè paulò infra definiens controuerſiam,
2 ſic ait, *Verum inter opiniones prædictas, illa probabilior indicatur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari: vt expreſſius eluceat proprietas Sacramenti, Nam cùm aqua multæ ſint populi multi, iuxta quod alibi legitur: Beati, qui ſeminatis ſuper omnes aquas, ideò vino aqua vnitur, vt Chriſto populus adunetur: per hoc enim quod ſuſcepit ipſe de noſtro, & accepimus ipſi de ſuo, tam inſolubili nexu coniungimur, vt qui eſt vnum cum Patre per ineffabilem vnitatem, fiat vnum nobiſcum per admirabilem vnionem: at per hoc, ipſo communiter mediante, cum patre vnum efficimur, &c.* Vndè ſicut grauiſſima eſt quorundam Armenorum hæreſis aquam vino non immiſcentium in celebratione
3 Miſſæ ad ſignificandum Chriſtum Dominum vnam tantùm habuiſſe naturam diuinam, non autem humanam, vt teſtatur *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 45. ſec. 2. verſ. Secunda ſententia;* Ita etiam improbabilis eſt hodie ſententia aliquorum Catholicorum aſſerentium, aquam vino permixtam eſſe de neceſſitate ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, vt latè probat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. cap. 4. vbi nu. 4.* Soluit contraria. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

VNICA CONCLVSIO.

4 SAcrificare, & communicare in vino aqua non permixto, eſt contra reuerentiam ſanctiſſimę Euchariſtiæ Sacramenti. Hęc concluſio eſt communis. Probatur, quoniam Sacerdos celebrans debet cum vino conſecrando aquam immiſcere, ad quod tenetur compulſus neceſſitate non Sacramenti, ſed neceſſitate præcepti, vt de fide fuit definitum per *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 7.* his verbis, *Monet deinde ſancta Synodus, præceptũ eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miſcerent, tum quod Chriſtum Dominum ita feciſſe credatur, tum etiam quia è latere eius aqua ſimul cum ſanguine exierit, quod Sacramentum cum hac mixtione recolitur: & cum aqua in Apocalypſi Beati Ioannis populi dicantur; ipſius populi fidelis cum capite Chriſto vnio repræſentatur.* Vndè idem *Concilium eadẽ ſeſſ. can. 9.* contrarium ſentientes anathemate ſtatuit eſſe feriendos, ita definiens, *Si quis dixerit, Eccleſiæ Romanæ ritum, quo ſummiſſa voce pars Canonis, & verba conſecrationis proferuntur, damnandum eſſe; aut lingua tantum vulgari Miſſam celebrari debere, aut aquam non miſcendam eſſe vino in Calice offerendo, eo quod ſit contra Chriſti inſtitutionem: anathema ſit.* Confirmatur etiam ex *can. cum omne crimen, de conſecr. d. 2.* in illis verbis, *Botrus in Calice comprimatur, & aqua miſceatur.* Et ex *c. cum Martha, de celebr. Miſſ.* Et ex vniuerſali totius Eccleſiæ conſuetudine, ac traditione, vt eius meminit *Iuſtin. Martyr Apol. 2. pro Chriſtianis, circa fin. D. Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4. ad fin. D. Auguſt. tract. 120. in Ioan.* latè *D. Thom. 3. p. q. 74. art. 7. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 12. nu. 4. Sot. in 4. d. 9. q. 1. art. 6. poſt concl. 2. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 45. ſec. 2. verſ. Dico tertiò, Fagund. de præcep. Eccleſ. præcept. 3. lib. 2. cap. 4.* cum alijs, quos allegant.

6 Quòd autem aqua non ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti, patet ex ijs, quæ ſupra diximus in not. Nec obſtat *tex. in c. 2. de conſec. d. 2.* vbi aquam vino in Calice miſcendam eſſe neceſſitate Sacramẽti videtur pręcipi his verbis, *Offerri aqua ſola non poteſt, quomodo, nec vinum ſolum poteſt. Nam ſi vinum tantùm quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine Chriſto. Quando autem vtrumq; miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulatur, tunc Sacramentum ſpirituale. & cæleſte perficitur.* Quoniam vt rectè reſpondet *D. Thom. loco citato, D. Cyprianus,* ibi docet, ſolum vinum offerri, & conſecrari non poſſe, quoniam id licitè fieri non poteſt, non autem quod aquæ commiſtio ſit neceſſaria neceſſitate Sacramenti: & ita debere intelligi alios canones, & auctoritates poſt *D. Thom.* & alios inquit *Fagund. d. c. 4. ſub nu. 4. vbi nu. 5. 6. & 7.* Alia contraria ſoluit; & præcipuè negat principium illud philoſophicum quod pro contrario aſſumitur: nam vinum propter calorem ſuum eſt maximè actiuum, & illa aqua per mixtionem in minutiſſimas partes diſtribuitur, & à vino contrario agente, vndiq; circumdatur; atque ideò facillimè in vinum conuertitur, vt habetur
6 ex *Ariſt. 1. de gener. c. vlt.* Nec obſtat experientia, quæ affertur de filo lineo, & medulla iunci applicatis vino aqua permixto, propter quod quidam ferunt aquam paulatim ſeparari à vino: quoniam licèt concedamus id fieri poſſe antequam aqua conuertatur in vinum; ſecus autem poſt eius conuerſionem: nam tunc non ſeparatur aqua à vino, ſed quidam humor aqueus vino incluſus, cuius ſignum eſt, quod idem humor ex ipſo vino poteſt extrahi, vt habetur ex *D. Thoma in 4. d. 11. in expoſitione litteræ, Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 45. ſec. 4. verſ. ad argum.* & ex alijs apud *Fagund. vbi ſupra, ſub num. 9.*
7 Vndè cum aqua conuertatur in vinum, Concilium Florentin. inquit modiciſſimam aquam eſſe miſcendam vino in Calice offerendo, vt de facili conuerti poſſit in vinum, & ita de communi conſuetudine ſeruatur, vt per *Fagund. ibidem ſub nu. 7. qui nu. 8.* Docet probabiliorem ſententiam eorum, qui volunt, quod ſi contingat tempore conſecrationis aquam non eſſe in vinum conuerſam, vt ſi tertia pars aquæ vino miſceatur in Calice, vt Conc. Triburienſe admittit, tunc aquam non conuerti in ſanguinem, cum aqua non ſit materia huius Sacramenti, vt habetur per *D. Thom. 3. p. q. 74. art. 8. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 12. nu. 4. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 45. ſec. 4. verſ. Nihilominus, Catechiſ. Pij V. de Euch. & alios ab eodem Fagund. ibid. relatos.*

An communicare in magna, vel minima quantitate ſpecierum panis, aut vini ſit contra reuerentiã ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramẽti.

SEC. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos ſecundum ſententiam magis receptam poteſt conſecrare ſemel, & vnica prolatione verborum quantamcunq; materiam voluerit, & magnam, & paruam, ſi debitè ſit præſens.*

2 *Id tamen non agit citra culpam: Et quare. Ac ita communicando graue ſacrilegium, & irreuerentiam infert tanto Sacramento.*

Ad

Digitized by Google

1 AD hanc difficultatem reſpondetur affirmatiuè. Nam quamuis Sacerdos ſecundum ſententiam magis receptam poſſit conſecrare ſemel, & unica prolatione verborũ quantamcunq; materiam voluerit circa magnitudinem, aut paruitatem, ſi debitè ſit præſens, ut habetur ex *D. Thom. 3. p. q. 74. art. 2. & in 4. d. 11. q. 2. art. 1. quæſtiun. 2. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 14. nu. 4. Durand. Sot. Ledeſ. Gabr. Syl. & Tol.* quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. cap. 5. num. 3. contra Alenſ. & alios ab eódem Fagund. relatos ibidem ſub n. 2.*

2 Nihilominus ſicut Sacerdos irrationabiliter cõſecrando in magna, uel minima quantitate panis aut uini, citra culpam id non agat, cum periculoſa ſit, & ad irriſionem potius tendat, quàm ad ipſius Sacerdotis, & fidelium uſum; ita communicando graue ſacrilegium, ac irreuerentiam infert tanto Sacramento, ut poſt alios idem *Fagund.* probat *loco citato, nu. 3. & 4.*

An communicando in hoſtia, conſecrata in una tantùm parte, & non in altera, faciat contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euch. Sacraméti.

S E C. XVII.

S V M M A R I V M.

1 *Sacerdos validè poteſt conſecrare unam partem hoſtiæ, & non aliam, dummodo partem conſecrandam determinet. Et nu. 3.*

2 *Sacerdos habens coram ſe 20. particulas, & intendat conſecrare decem tantum, non determinans illas ſaltem per intentionem, nulla ex eis erit conſecrata.*

Et quid ſi Sacerdos duas hoſtias ſimul iunctas conſecret, putans eſſe unam, an ambæ remaneant conſecratæ.

3 *Sacerdos conſecrans unam partem hoſtiæ, & non aliam, quamuis partem illam determinet, validè quidem conſecrat, ſed illicitè.*

1 PRO maiori huius rei intelligentia ſupponimus, Sacerdotem poſſe ualidè conſecrare unam partem hoſtiæ, & non aliam; dummodò partem conſecrandam determinet, nempè illam hoſtiæ medietatem, quæ eſt ad dextris: uel quæ eſt à genibus imaginis Crucifixi in ipſa hoſtia exiſtentis, infra, uel ſupra: ſiquidem uerba non operantur ultra materiam intentam, & determinatam, atque ideò ſi unam partem hoſtiæ indeterminatam, & non deſignatam intenderet conſecrare, nulla pars hoſtiæ maneret conſecrata: ſiquidé conſecratio eſt actio ſingularis, & realis, & propterea circa ſingularem, & deſignatam materiam uerſatur, non autem circa ſingularia uaga, ut habetur ex *Riechar. in 4. d. 10. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 14. num. 4. Syl in ſum. ver. Euchariſtia, 2. nu. 7. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 2. c. 5. nu. 5. & ex alijs.* Idem dicendum eſt ſi Sacerdos coram ſe habeat uiginti particulas, & intendat conſecrare décem tantum, non determinans per intentionem ſaltem illas decem, quas conſecrare uult: tunc enim nulla ex illis 20. particulis erit conſecrata, ut habetur per *Fagund. ibidem, nu. 9. Henriq. d. c. 14. nu. 5. & alios.* Non tamen ita dicédum eſt ſi Sacerdos duas hoſtias ſimul coniunctas conſecret, putans eſſe unam: nam tunc ambæ remanent cóſecratæ, ſiquidem tunc error eſt in opinione, non autem in intentione, niſi oppoſitum explicet mente, uel uerbis; quoniam eo caſu ea ſola, quam deſignauit remanet conſecrata, & ſi nullam deſignauit, nulla erit conſecrata per rationem, quam ſuperius adduximus. Et cum effectus conſecrationis ſequatur intentionem, non autem opinionem, ut ſupra diximus, ſi Sacerdos habeat in altari, & petra aræ hoſtiam, uel pyxidem cum formulis, ſeù particulis, uel eas ſecum deferat conſecrandas, & deinde tempore oblationis oblitus pyxidis hoſtiam tantum offerat, tunc etiam pyxidis uirtualiter cenſetur oblata: ſic etiã ſi hoſtiam, & pyxidem obtulit, & poſtea tempore conſecrationis oblitus fuerit pyxidis, & hoſtiam conſecret, cenſentur etiam uirtualiter conſecratæ formulæ in ipſa pyxide exiſtentes: quoniam intentio Sacerdotis ad omnem illam materiam ſe extendebat; & effectus conſecrationis ſequitur intentionem conſecrantis. Ita *Petr. Sot. tit. de Euchar. lec. 1. Henr. loco citato, nu. 8. Fagund. d. c. 5. num. 10. & 11.* Qui pro hac ſententia affert rubricam Miſſalis Pij V. & inquit, non obſtare quod pyxis, ſeù cuſtodia ſit clauſa, & cooperta; quoniam etiam quando ſit conſecratio, pyxide diſcooperta, non uidentur omnes formulæ, licet omnes ſufficienter ſint præſentes, quod ſatis eſt ad ualiditatem cõſecrationis; ſicut ſi Sacerdos, Calice cooperto conſecraret. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

VNICA CONCLVSIO.

3 SAcerdos conſecrans unam partem hoſtiæ, & non aliam, quamuis partem illam determinet, licèt ualidè; illicitè tamen conſecrat. Ita *Fagund. Henriq. & alij Doctores ſupra relati.* Vndè ſicut citra culpam non conſecrat; ita quoq; citra notabilem tanti Sacramenti irreuerentiam non communicat: ſiquidem in ea materia, in qua non licet conſecrare, nec licitum eſt communicare, ut colligitur ex eodem *Fagund. d. lib. 2. c. 1. in prin. & c. 6. nu. 1.* Et cum peccet conſecrando, & communicando procul dubio irreuerenter communicat, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 9.* Vndè qui ſic communicaret pro adimplendo præcepto communionis in Paſcha, illud non impleret, ut patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, *§. 1. diſp. 2 ſec. 1. ampl. 1.* Vbi idem oſtendimus eſſe dicendum de confeſſione cum peccato habita. Sed de hac re latius agemus infra *diſp. 3. ſec. 5.*

An cõmunicare in ſpecie conſecrata in alia forma, quàm in illa, qua modo utitur Eccleſia, ſit contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ; & per talem communionem impleatur præceptum communionis in Paſcha.

S E C. XVIII.

S V M M A R I V M.

1 *Omnia Sacramenta fuerunt à Chriſto Domino inſtituta: Et quæ nam verba ſint de forma Sacramenti Euchariſtiæ.*

Vbi delirat Luther. negans formam huius Sacramenti fuiſſe à Chriſto Domino.

2 *Non omnia verba formæ conſecrationis ſunt de eſſentia, ſed quædam ſunt de Eccleſiæ præcepto, prout eſt particula (enim.)*

3 *In forma conſecrationis vini, quædam ſunt de eſſentia, vt (hic eſt Calix ſãguinis mei,) vel (hic eſt Sanguis meus) vel (hic eſt Calix nouum teſtamentum in meo Sanguine) reliqua verò verba ſunt de præcepto Eccleſiæ.*

Et an fuerint conuenientiſſimè addita formæ eſſentiali ab Eccleſia.

4 *Poteſt contingere, formam eſſentialem tùm Corporis, tùm Sanguinis Domini ita variari, ac transmutari in verbis vt ſemper maneat idem ſenſus, & ita validè fiat conſecratio.*

5 *Secundum aliquos, validè conſecrat Sacerdos, ſi dicat (hæc eſt Caro mea,) vel ſi dicat (hic cibus eſt Corpus meum: hæc res eſt corpus meũ: Hæc eſt ſubſtantia mea,) vel (Illud eſt Corpus meum;) ſecus ſi dicat (Illud eſt Corpus meum.)*

6 *In forma cõſecrationis Sanguinis poſſunt verba variari, ac transmutari multis modis, firma remanente conſecratione.*

7 *Validè haud fiat conſecratio, ſi in forma prætermittatur illud verbum, Eſt.*

8 *Poteſt contingere, vt Sacerdos conſecret, ac communicet, ſacrificium perficiens ſub ſpeciebus panis, ac vini conſecratis ſub forma, verbis æquipollentibus variata, ac transmutata à forma, qua communiter vtitur Eccleſia: Et ſimiliter euenire poteſt, vt fideles nõ aliter velint cõmunicare, quàm ſub ſpeciebus panis, hoc modo conſecratis.*

9 *Sacerdos in Miſſæ ſacrificio verba proferens conſecrationis per verba æquipollentia, variata, vel transmutata forma, qua vtitur Eccleſia Romana, & deindè communicans, vtroque modo facit contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ.*

10 *Si huiuſmodi Sacerdos poſt conſecrationem ad ſe reuerſus, & peccati dolens de eo conterat, & deindè communicet, licet peccanit conſecrando, non peccabit communicando.*

11 *Sacerdos conſecrans per verba æquipollentia verbis formæ, qua vtitur Eccleſia Romana, aut conſecrans omiſſis illis verbis, additis ab Eccleſia formæ eſſentiali, pertinaciter aſſerens formam non eſſe veram, non ſolum tanquam ſacrilegus peccat conſecrando, & communicando, ſed etiam in excommunicationem incidit tanquam hæreticus.*

12 *Fideles nolentes communicare ſub ſpecie panis conſecrati, mediante conſecrationis forma, qua Romana Eccleſia vtitur, ſed ſub alia æquipollenti, faciunt contra reuerentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, & tanquam hæretici ſuut excommunicati.*

13 *Secus ſi bona ſide fidelis communicet, exiſtimans, conſecrationem fuiſſe habitam iuxta formam, qua vtitur Eccleſia.*

14 *Quando fidelis mortaliter peccat communicando in ſpeciebus panis conſecrati mediante forma æquipollenti, non ſatisfacit præcepto de communicando in Paſcha: ſecus verò ſi non peccet.*

1 AD euidentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt. eſt adnot. primò, quòd cùm omnia Sacramenta ſint à Chriſto Domino inſtituta, illa verba citra omnem dubitationem erunt forma ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, ſub quibus Dominus illud inſtituit, & confecit: quocirca ſatis conſtat deliraſſe *Lutherũ lib. de abroganda Miſſa priuata*, dicentem, formam conſecrationis huius Sacramenti nõ eſſe à Chriſto Domino inſtitutam; ſed ab Eccleſia: quam quidem impietatem impugnat, & reijcit *Chythonaus lib. 2. de ſacrif. Miſſæ cap. 19. & in tract. de forma Miſſæ cap. 34.* Et non minus rationabiliter quoque *D. Thom. 3. p. q. 78. art. 1. ad 1. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. c. 6.* Et alij, confutant opinionẽ, quam opinando, non autem definiendo tenuit *Innoc. Papa III. lib. 4. de ſacrif. Miſſ. cap. 6.* Dicens, Chriſtum Dominum vtendo excellentia ſuæ poteſtatis non conſecraſſe aliquibus verbis; ſed ſolùm tactu, aut alio ſigno externo: poſtea verò formam inſtituiſſe, & docuiſſe diſcipulos, qua Sacramentum erat conficiendum: & rectè pariter reijciunt quorundam ſentẽtiam dicentium, Chriſtum Dominum bis protuliſſe verba illa conſecrationis, *Hoc eſt Corpus meum* Primò ſecretè ad conſecrandum antequam daret panem Diſcipulis: & poſtea publicè, docens formam conſecrationis ipſos Apoſtolos, cum dixit, *Hoc eſt Corpus meũ, accipite, & manducate.* Vndè veram conſecrationis formam, à qua citra temeritatem non eſſe recedendum, inquiunt præfati Doctores, ſicut & certam appellat *Suar. tom. 3. in 3 par. diſp. 58. ſec. 1. verſ. Dicendum* eſt tamen, eſt illa, qua communiter vtitur S. Mater Eccleſia Catholica, nempè in conſecrando Corpus Domini, *Hoc eſt enim Corpus meum*. Et in conſecrando ſanguinem, *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei noui, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.*

2 Secundò eſt adnot. quòd non omnia verba formæ conſecrationis, quibus vtitur Eccleſia, ſunt de eſſentia, ac de neceſſitate Sacramenti: ſed quædam ſunt de eſſentia, & quædam de præcepto tantùm, quæ ſi omittantur, adhuc tamen ſubſiſtit conſecratio. Vndè Ly. *Enim*, in conſecratione Corporis Domini contentum non eſt de neceſſitate, & eſſentia formæ Sacramenti; ſed tantùm de præcepto Eccleſiæ Romanæ, & de conſuetudine illius à tempore Apoſtolorum ad nos continua, & inuiolata obſeruatione emanante; atque ideò qui ſcienter illud omitteret: & illa tantùm verba proferret, *Hoc eſt Corpus meũ.* Peccaret quidem grauiter; ſed validè conſecraret, quoniam illa ſola verba, *Hoc eſt Corpus meum.* Sunt de neceſſitate formæ: eo quòd illa verba dumtaxat, legitur *Matt. cap. 26.* à Domino fuiſſe prolata pro conſecratione Dominici corporis. Ita *D. Thom. 3. p. q. 78. art. 2. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 16. nu. 4. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 59. ſec. 1. verſ. Vltimo ex his. Syl. ver. Euchariſtia 1. nu. 7. Tolet. lib. 2. ſua ſum. c. 26. n. 1. Fagund. d. c. 6. nu. 2.* Et alij communiter: ſiquidem præfatis verbis ſufficienter ſignificatur conuerſio panis in corpus Chriſti Domini. Quæ

3 diximus de forma conſecrationis panis, qua vtitur Eccleſia, extendimus ad formam conſecrationis vini, vt ſcilicet non omnia verba, quibus vtitur Eccleſia ad conſecrandum Chriſti Sanguinem, ſint de eſſentia conſecrationis; ſed hæc tantum, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Reliqua verò ſunt de præcepto Eccleſiæ. Sunt etiã de eſſentia huius formæ verba æquipollentia,

Digitized by Google

quæ ab vnoquoq; Euangeliſta pro forma Sacra-
menti traduntur. Vt *Hic eſt ſanguis meus. Marci
c. 14. & Matt. c. 26.* Vel hæc, *Hic eſt Calix
nouum teſtamentum in meo ſanguine:* Iuxta illud
Lucæ c. 22. qua vtitur *D. Paulus 1. Corinth. c. 11.*
vt benè declarat *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 17. nu.
3. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 60. ſec. 7. & Fagund.
de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. c. 7. num. 7. & 8.*
Vndè cum omnia dicta verba conſecrationis
relata ab Euangeliſtis ſint æquipollentia illis,
quibus vtitur Eccleſia, nempè, *Hic eſt Calix ſan-
guinis mei*. Non eſt inueſtigandum de verbis,
quibus Chriſtus Dominus fuit vſus, ſed veriſi-
mile eſt, fuiſſe vſum forma prædicta, qua vtitur
Eccleſia ab initio eiuſdem naſcentis. Imò reliqua
verba quamuis non ſint eſſentialia formæ, ſed
tantùm de præcepto Eccleſiæ, vt diximus; nihi-
lominus ſecundum communem Doctorum ſen-
tentiam fuerunt addita ab Eccleſia, vt dicta à
Chriſto Domino; non tamen ad eſſentiam per-
tinentia; ſed illa tantùm, quæ ſupra retulimus, vt
habetur ex *D. Thoma 3. p. q. 78. art. 3. Altiſ. 4. p.
q. 33. art. 1. Scot. Palud. & alij in 4. d. 18. Henriq.
lib. 8. de Euch. c. 17. nu. 2. Suar. tom. 3. in 3. par.
diſp. 60. ſec. 3.* & eſt *tex. in c. Marthæ, de celebr.
Miſſ.* Vndè dicta verba conuenientiſſimè fue-
runt addita eſſentiali formæ ab Eccleſia, tùm
quia exiſtimatur fuiſſe à Chriſto Domino pro-
lata: tùm quia in formis aliquorum Sacramen-
torum interdum aliqua verba adduntur ab Ec-
cleſia ad maiorem ornatum illatum, & ad exci-
tandam maiorem deuotionem, & reuerentiam
in nobis, ac ad maiorem ſignificationem, ex-
preſſionemque miſterij. Et quamuis verba illa
formæ addita ab Euangeliſtis non referantur;
referri tamen omnia ferè à Chriſto Domino cō-
ſtat ex certa traditione, vt colligitur ex *d. c. cum
Martha de celebr. Miſſar.*

4 Tertiò eſt adnot. poſſe contingere formam
eſſentialē, tùm corporis, tùm ſanguinis Domini
in verbis variari, & illorum traſmutationem ita
tranſmutari, vt maneat ſemper idem ſenſus, in
quo ab ipſo Domino dicta fuerunt: & poſſe con-
tingere verba vtriuſque formæ eſſentialis ita
variari, ac tranſmutari, vt maneat idem ſenſus.
Vndè ſi Sacerdos conſecrando dicat, *Hoc eſt
corpum meum: vel corpus meus: vel hic, vel hunc
eſt corpus meus.* His caſibus valet conſecratio: ſi-
quidem hæc mutatio eſt accidentaria, & retinet
eundem ſenſum, licet error committatur contra
grammaticam: ſicut valet abſolutio, ſi Sacerdos
in impendenda abſolutionis ſacramētalis forma,
dicat *Abſoluo tibi.* Vel ita baptizet, *Ego te bap-
tizo in nomino patria, & filia, &c.* Erit quoque
valida cōſecratio corporis, ſi Sacerdos hæc verba
proferat, *Hoc contentum ſub his ſpeciebus eſt
corpus meum.* Quoniam licèt aliqua addantur;
manet tamen vera, & ſubſtantialis forma omniū
verborum conſecrationis. Idem dicendum eſt

5 Secundum aliquos ſi quis ita conſecret, *Hac eſt
caro mea.* Vel ſi dicat, *Hic cibus eſt corpus meum:
Hæc eſt ſubſtantia mea.* Conſecrat denique ſi
quis dicat, *Iſtud eſt corpus meum.* Non tamen
conſecrabit Sacerdos dicens, *Illud eſt corpus
meum.* Sic etiam non conſecrat Sacerdos ille,
qui loco pronominis, *Hoc*, Ponit, *Illud*. Quo-
niam pronomen, *Illud*. Ex vi ſuæ ſignificationis
non ſignificat materiam præſentem. Sacerdos
pariter, qui pronomen, *Hoc*, Mutaret in *Hic*.
Quod ſit aduerbium locale, inualidè conſecrat:
ſicut nihil faciet, ſi dicat *Ecce corpus meum*.
Vel dematur verbum illud *Eſt*, Idem dicendum
eſt ſi dicat, *Hoc ſit, fiat, vel fiet, conſecro, vel
conficio corpus meum ex pane.* Hæc omnia rectè
declarant *Sot. in 4. d. 1. q. 1. art. 8. Tol. lib. 2. ſua
ſum. c. 26. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 16. nu. 1. &
ad marg. litt. O. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 59. ſec.
2. verſ. Vndè infero, & verſ. Secundò colligitur:
& Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 6. à
n. 11. ad finem,* Vbi mutari eſſentialiter formam
putat poſt alios ſi Sacerdos hæc tantum verba
proferat, *Hoc eſt corpus.* Et dubitat ſi dicat, *Hic
6 cibus eſt corpus meum*. Circa verò conſecratio-
nem ſanguinis Domini poteſt contingere va-
riari, & tranſmutari verba conſecrationis, firma
permanente conſecratione multis modis. Etenim
ſi Sacerdos loco verborum conſecrationis, qua
communiter vtitur Eccleſia, *Hic eſt Calix ſan-
guinis mei*, Dicat, *Hic eſt Calix nouum teſta-
mentum in ſanguine meo, Iuxta Euang. Luca
c. 22. Pauli 1. Corinth. 11.* Vel *Hic eſt ſanguis
meus noui teſtamenti, Mar. c. 14.* Vel *Hic eſt
enim ſanguis meus noui teſtamenti, Matt. c. 26.*
Verè conſecrat, tùm quia huiuſmodi verba re-
feruntur ab Euangeliſtis tanquā dicta à Chriſto;
tùm quia æquipollent verbis illis quibus vtitur
Eccleſia, *Hic eſt Calix ſanguinis mei.* Idē faten-
dum eſt, ſi hæc verba Sacerdos proferat, *Hic eſt
potus ſanguinis mei.* Vel *Hoc eſt vas, aut poculū
ſanguinis mei*. Cum ſint verba æquipollentia.
Erit pariter valida conſecratio ſanguinis ſi Sa-
cerdos loco pronominis, *Hic*, Dicat, *Hoc*, Vel
Hæc. Idem dicendum eſt ſi loco, *Sanguinis*, Di-
catur, *Sanguino*, Vel *Sanguini*, Aut *Sanguinem*.
Aut loco, *Mei*, Proferatur, *Meum*, Vel *Meo*,
Aut *Meum*, Cum idem ſenſus maneat, in quo à
Chriſto Domino dicta fuerunt: & error tantùm
eſt contra regulas grammaticales. Aduerbium
illud *Enim*, Quod ponitur tàm in conſecratione
corporis, quàm ſanguinis, eſt extra eſſentiam: &
ideò ſi ommittatur in prolatione formæ erit va-
7 lida conſecratio. Non tamen validè fiet conſe-
cratio, ſi prætermittatur verbum illud *Eſt*, Cùm
ſit de eſſentia formæ, & loco illius nullum aliud
conuenientius apponi poſſit. Idem dicendum eſt
ſi Sacerdos loco pronominis, *Mei*, Ponat, *Chriſti*
Dicens, *Hic eſt Calix Sanguinis Chriſti.* Vel *Hoc
eſt vinum Sanguinis mei*. Vt hæc omnia colli-
guntur ex ijs, quæ traduntur ex *Suar. tom. 3. in
3 p. diſp. 60. ſec. 2. D. Thoma, D. Bonauen. Ric-
chard. Gabr.* & ex alijs, quos refert *Fagund. de
præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. cap. 7. per totum*:
Vbi declarat etiam verba tùm præcedentia, tùm
etiam ſubſequentia formam conſecrationis ſan-
guinis Domini, qua vtitur ſancta Rom. Eccleſia,
& ſunt de illius præcepto, vt ſupra oſtendimus.

8 Tertiò eſt adnot. quòd contingere poteſt, vt
Sacerdos conſecret, & communicet ſacrificium
perficiens ſub ſpeciebus panis, & vini conſe-
cratis ſub forma in verbis æquipollentibus va-
riata, & tranſmutata à forma, qua communiter
vtitur Eccleſia, aut non additis alijs verbis ab
ipſa Eccleſia præceptis. Similiter euenire poteſt,
vt aliqui fideles nolint communicare, niſi ſub
ſpecie panis conſecrati ſub prædicta forma va-
riata, ac tranſmutata in verbis vt ſupra æqui-
pollen-

pollentibus: aut ſub forma qua vtitur Eccleſia, omiſſis tamen verbis ab Eccleſia additis, ac præceptis. Et id, vel quoniam credant, conſecrationem non aliter eſſe validam: vel quia credant, formam, qua vtitur Eccleſia eſſe eſſentialem, & validam; verum putent conuenientius impendi formam verbis æquipollentibus: & abſque verbis ab eadem Eccleſia additis, & præceptis. Et denique poteſt contingere, vt aliqui fideles velint communicare ſub ſpeciebus panis conſecratis, variata, ac tranſmutata forma, vt ſupra, non quòd putent, formam, qua vtitur Eccleſia non eſſe veram, ſed quia ſciant eam eſſe eſſentialem ſicut & latam per verba æquipollentia: verum communicant ſub illis ſpeciebus variata in verbis forma conſecrationis, ne pereant, niſi ſumantur, exiſtimantes non communicando cedere in maiorem irreuerentiam tanti Sacramenti. His adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

9 SAcerdos in ſacrificio Miſſæ conſecrationis verba proferens per verba æquipollentia, variata, vel tranſmutata forma, qua vtitur Romana Eccleſia, & deindè communicans, ſicut facit cõtra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ conſecrando, ita etiam communicando. Hæc concluſio patet ex eo, quòd huiuſmodi Sacerdos in vtroque caſu peccat mortaliter. Etenim conſecrans, non ſeruata forma qua vtitur Romana Eccleſia facit contra eius præceptum in re graui, vt latè probat *Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 60. ſec. 2.* & alij apud *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 2. cap. 6. nu. 2. 3. & 11. & c. 7. num. 4. 9. 10. & 17. vbi nu. 7.* Id ampliat etiam ſi vtatur verbis ab Euangeliſtis expreſſis; nam quamuis Euangeliſtarum verba ſint æquipollentia; talis Sacerdos tamen faceret contra conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, & nouum ritum conſecrandi introduceret. Vndè communicans deinde, in peccato mortali Sacramentum ſuſciperet, & magnam illi irreuerentiam inferret, iuxta ea, quæ ſupra
10 adnotauimus, *ſec. 9. concl. 1.* Eſt tamen verum, quòd ſi huiuſmodi Sacerdos poſt cõſecrationem ad ſe reuerſus, & peccati dolens de eo conterat: & deinde communicet, ne imperfectum ſacrificium relinqueret, hoc caſu quamuis peccauerit conſecrando, non tamen peccat communicando; quoniam præceptum de perficiendo ſacrificium magis vrget, quàm præceptum de præmittenda confeſſione habenti conſcientiam peccati mortalis, vt probauimus ſupra *d. ſec. 9. concl. 4. verſ. Secundus caſus*. Imò ſi Sacerdos bona fide conſecrauerit ex ignorantia, vel inaduertentia variata, vel mutata forma, qua vtitur Ramana Eccleſia, ſicut excuſatur à culpa conſecrando, ita etiam excuſatur communicando: ſicut ignorantia, & inaduertentia non culpabiles excuſant ab alijs præceptis, vt per *Fagund. d. c. 7. num. 9. in fine*.

SECVNDA CONCLVSIO.

11 SAcerdos conſecrans per verba æquipollentia verbis formæ, qua vtitur S. Romana Eccleſia: aut conſecrans omiſſis verbis illis eſſentiali formæ conſecrationis ab ipſa Eccleſia additis, exiſtimans pertinaciter, formam illam, qua vtitur Eccleſia non eſſe veram, nec ſufficientem, non ſolùm tanquam ſacrilegus peccat conſecrando, & communicando contra reuerentiam tanti Sacramenti; verũ etiam in excommunicationem incidit tanquam hæreticus; cum credat id, quòd eſt contra traditionem Apoſtolorum, contra ritum, & conſuetudinem antiquiſſimam Eccleſiæ ab initio eiuſdem naſcentis, & contra communem Theologorum ſententiam, de qua *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 17. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 60. ſec. 1.* Vbi expreſsè ait eſſe certam fidem verba illa, *Hic eſt Calix Sanguinis mei*. Eſſe de eſſentia huius Sacramenti. Eſt etiam contra SS. Patres, nempè *D. Chriſoſtom. D. Cypr. Iuſtin. Damaſ.* quos refert *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 2. c. 7. ſub n. 3.* Probatur etiam concluſio ex *text. in c. quia corpus, & c. panis, de conſec. d. 2.* Vbi referuntur verba conſecrationis corporis, qua Eccleſia vtitur. *Hoc eſt corpus meũ.* Et verba conſecrationis Sanguinis, *Hic eſt Sanguis meus.* Quæ verba idem denotant, quod *Calix Sanguinis mei*. Quæ forma continet continens, & contentum. Denique probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ 22. can. 6.* Vbi anathemate feriendum eſſe decreuit, qui dixerit, canonem Miſſæ errores continere: at in canone Miſſalis Romani non alia conſecrationis forma præſcribitur, quàm illa, qua vtitur Romana Eccleſia; atque ideò caſus noſter comprehenditur ſub decreto Conc. Trid.

TERTIA CONCLVSIO.

12 FIdeles nolentes communicare ſub ſpecie panis conſecrati, mediante conſecrationis forma, qua vtitur Romana Eccleſia; ſed communicantes in ſpecie panis conſecrati ſub alia verborum forma ab ipſa Eccleſia non vſitata, licèt æquipollenti, faciunt contra reuerentiam ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti. Hæc concluſio patet ex traditis in ſupra relatis concluſionibus. Etenim, aut communicant in ſpecie panis conſecrati ſub dicta verborum forma, tanquã verba æquipollentia formæ, qua vtitur Eccleſia, aliàs non communicaturi, aut ita communicant ſub dicta panis ſpecie conſecrati, exiſtimantes, formam, qua vtitur Eccleſia non eſſe veram, ac ſufficientem. Si primum faciunt contra præceptum, atque ideò peccant mortaliter, cum videantur cooperari Sacerdoti conſecranti ſub tali forma contra præcepum Eccleſiæ, communicando ſub dicta forma æquipollenti, aliàs non communicaturi. Quòd ſi ſecundum, non ſolum peccant mortaliter, ſed tanquam hæretici in excommunicationem incidunt; poſtquam non ſolùm faciunt contra præceptum Eccleſiæ, ſed etiam tanquam hæretici ſunt excommunicati, cùm errorem habeant in intellectu fidei catholicæ contrarium, cum pertinacia iuxta ea, quæ adnotauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna lib. 2. can. 1. q. 24. & 25.* Eſt tamen verum, quod ſi bona
13 fide fidelis communicet ſub ſpecie panis conſecrati ſub forma æquipollenti exiſtimans conſecrationem fuiſſe habitam iuxta formam, qua vtitur Eccleſia, cum nullam culpam contrahat, nullam irreuerentiam infert Sacramento: & idẽ dicendum eſt ſi communicet hac intentione, & ad hunc finem in ſpecie panis ſub æquipollenti forma conſecrati, ne nõ exiſtens, qui Sacramentum ſub ea forma cõſecrãtum, ſpecies panis temporis curſu corrumpãtur, atque ideò deſinat Sacramentum ſub eis eſſe non ſine maxima Sacramenti irreuerentia: ſiquidem communicans in

ſpeciebus panis conſecrati mediante æquipollenti forma, non facit contra reuerentiam Sacramenti ex eo, quòd non ſit facta conſecratio; ſed quia peccat communicando nolens communicare, niſi in ſpecie panis conſecrati ſub forma æquipollenti contra præceptum Eccleſiæ, & nolens conformari eiuſdem Eccleſiæ vſui, ac conſuetudini non abſque ipſius Eccleſiæ contemptu: at in caſu noſtro fidelis non communicat, vt Eccleſiæ vſum, ac conſuetudinem contenderet, ſed ob reuerentiam Sacramenti, ne ſpecies panis conſecrati ſub æquipollenti forma, curſu temporis corrumpantur, ſi non ſit, qui Sacramentum ſumat: quod cederet in irreuerentiam tanti Sacramenti.

QVARTA CONCLVSIO.

14 QVandò fidelis mortaliter peccat communicando in ſpeciebus panis conſecrati mediante forma æquipollenti formæ, qua vtitur Eccleſia, procul dubio non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ in noſtro cap. contento de communicando in Paſcha: ſecus autem ſi nõ peccet. Hæc concluſio patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus *ſec. 9. concl. vlt.* Siquidem vi noſtri cap. præcipitur, ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Paſcha ſuſcipi reuerentet; atqui in lethali culpa communicat graue peccatum committit contra reuerentiam tanti Sacramenti. De qua re latius agemus, infra *diſp. 3. ſec. 5.*

De effectibus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ reuerentet ac dignè ſumptæ, & primo de defectu gratiæ.
S E C. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Duo ſunt principales effectus ſanctiſſime Euchariſtia dignè, ac reuerenter ſumpta, & qui.*
2 *Sanctiſſimum Euchariſtia Sacramentũ dignè, ac reuerenter illud ſumentibus gratiam confert ex opere operato in eo inſtanti, in quo verũ eſt dicere ſumptum eſſe, ac deglutitum.*
3 *In hoc Sacramento ſumitur Caro viuificans, ideſt conferens vitam gratia.*
Si inueniat obicem citra culpam ſuſcipientis, non confert ſtatim gratiam, ſed remoto obice.
4 *Quamuis hoc Sacramentum conferat gratiam ſubiecto benè diſpoſito, per ſe tamen, & ex prima ſui inſtitutione non confert primam, ſed ſecundam.*
5 *In quibuſdam tamen caſibus primam confert gratiam, & lethalem culpam delet, ac remittit.*
6 *Supponitur tamen producere hunc effectum ſecundariò, & per accidens.*
7 *In duobus caſibus ſanctiſſimum Euchariſtie Sacramentum confert primam gratiam, & & qui nam ſint.*

AD euidentiam huius ſectionis eſt adnot. quòd ſanctiſſimę Euchariſtię Sacramenti digne, ac reuerenter ſumptæ licet plures ſint effectus; tamen duo effectus ſunt principales, quorum alter eſt collatio gratiæ: alter vero vnio quædam, quæ fit ex Chriſto Domino eum dignè communicante. In hac igitur ſec. agemus de priori effectu, nempè de effectu gratiæ: & in ſequenti ſec. tractabimus de altero effectu, & ſic de vnione, & de nonnullis alijs effectibus, qui ex huiuſmodi vnione proueniunt. Pro explicatione igitur huius ſec. ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 SAnctiſſimę Euchariſtię Sacramentũ dignè, ac reuerenter illud ſumentibus confert gratiam ex opere operato, in eo inſtanti, in quo verum eſt dicere, ſumptum eſſe, ac deglutitum. Hæc concluſio habet tres partes. Prima eſt, quod ſanctiſſima Euchariſtia dignè, ac reuerenter eam ſumentibus confert gratiam. Secunda, quòd gratiam conferat ex opere operato. Et tertia, quod gratiam conferat poſt eius ſumptionem, & deglutitionem. Prima pars patet, quoniam ſanctiſſima Euchariſtia eſt Sacramentum, ergò confert gratiam, quoniam omnia Sacramenta benè diſpoſito conferunt gratiam. Imò ait *Caiet. 3. p. q. 79. art. 1.* quem ſequitur *Fagund. de precep. Eccl. precep. 3. lib. 4. c. 1. nu. 8.* Nemini conferri gratiam in alijs Sacramentis citra ſuſceptionem huius ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, in quo Chriſtus fons gratiæ continetur, in re, vel in voto ſuſcepti: in voto proprio ſcilicet, vt in adultis, vel Eccleſiæ, vt in paruulis, & infantibus: ſiquidem res ſignificata, & contenta in hoc Sacramento eſt ipſe Chriſtus, cuius inſtrumenta ſunt reliqua Sacramenta: quapropter huiuſmodi Sacramentum ad reliqua Sacramenta ſe habet ſicut fons gratiæ ad riuulos gratiarum. Secunda pars concluſionis, nempè, quod Sacramentum Euchariſtiæ conferat gratiam ex opere operato, eſt de fide, vt patet ex *Conc. Flor. & Epheſino 1.*
2 Vbi dicitur, quod in hoc Sacramento ſumimus carnem viuificantem, ideſt conferentem vitam gratiæ. Idem colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 3.* Dum ait, hoc Sacramentum continere vberrimum gratiæ fontem. Confirmatur ratione, quoniam omnia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam ex opere operato: at ſanctiſſima Euchariſtia eſt Sacramentum nouæ legis: ergò confert gratiam ex opere operato. Tertia pars probatur denique ex illo *Ioan. c. 6. Qui manducat me viuet in æternum.* At manducatio vitalis non dicitur tactus oris, aut guſtus, aut digeſtio, quæ fit in ſtomacho; ſed dicitur illa deglutio, ſeù traiectio, qua ex ore in ſtomacham Sacramentum tranſit: ergò ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum cõfert gratiam in illo inſtanti, in quo verum eſt dicere, Nunc facta eſt ſumptio, & immediatè antea non erat, licèt hoc inſtans nobis notum non ſit. Ita *D. Thomas in 3. p. q. 80. art. 8. Sot. in 4. d. 11. q. 2. art. 1. Ledeſ. q. 20. art. 1. Henriq. lib. 8. Euch. cap. 43. nu. 1. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 63. ſec. 3. Fagund. loco citato, ſub nu. 3. & 4. cum plur. ſeq.* Vbi aliorum placita circa rem hanc refert, & reijcit, & argumenta ſoluit: & multa ex hac parte concluſionis deducit. Dixi, *Confert*
3 *gratiam in illo inſtanti, &c.* Dummodò inueniat ſubiectum in illo inſtanti benè diſpoſitum: aliàs ſecus. Etenim fieri poteſt, vt aliquando inueniat obicem citra culpam ſuſcipientis; quo caſu non conferat ſtatim gratiam, ſed remoto obice: ſicut enim Sacramẽtum Baptiſmi, aut pœnitentiæ quando eſt informe non ſortitum ſtatim effectum gratiæ, ſed remoto obice, quem in ſubiectum benè diſpoſitum conferret; ita etiam illi, qui citra culpam bona fide communicat, putans habere ſufficientem diſpoſitionem, quam tamen non habet, ſi deinde diſponatur, & tollat

obicem,

obicem, etiam aſſumptis ſpeciebus videtur conferri, & quodammodo reuiuſci effectus impeditus, vt in materia Sacramentorum habetur ex *Caiet. tom. 1. tract. 5. de confeſſione q. 5. & de ſatisfactione, q. 2. Henriq. de Sacram. cap. 25. §. 7. Petr. Sot. de Baptiſ. lect. 4. Fagund. vbi ſupra ſub num. 12.* qui pro hac re allegat quoque *D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 4.*

4 Limitatur tamen hæc concluſio quoad primam partem, vt quamuis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, abſolutè loquendo, conferat gratiam ſubiecto benè diſpoſito; per ſe tamen, & ex prima ſui inſtitutione non confert primam gratiam iuſtificantem remittendo lethalem culpam; ſed ſecundam gratiam, atque ideò per ſe primò, ac principaliter eſt inſtitutum à Domino ad conferendum augmentum gratiæ, vt magis, ac magis per ipſam gratiam hominem cum Chriſto vniat; & ſic propterea, & præcipuus illius effectus eſt gratiam augere, animam nutrire, præſeruare à mortalibus, & remittere venialia. Ita *D. Thom. 3. p. q. 79. art. 1. & 8. Henriq. lib. 8. Euch. c. 34.* latè *Bellarm. de Euchar. c. 17. & alij apud Fagund. d. lib. 4. c. 2. ſub nu. 3.* Pro qua re extat definitio *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 2. Conc. Viennen. ſub Clem. V. Conc. Florent. in decreto Eugen.* & eſt *text. in c. firmiter, de ſum. Trin. & fid. Cath. & c. Martha. de celebr. Miſſar.* Vndè ob id Sacramentum huiuſmodi dicitur viuorum, ideſt exiſtentium in gratia; non autem mortuorum, qui in morte peccatorum ſunt. Ratio autem ea eſt, quoniam hoc Sacramentum inſtitutum fuit à Domino per modum cibi, & potus, iuxta illud *Ioan. c. 6. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Cibus autem fuit adinuentus, ac adhibetur, vt detur, & proſit viuenti, illum nutriendo: nec per ſe datur mortuo ad eum ſuſcitandũ: nimirum igitur ſi cibus iſte ſpiritualis detur, & proſit viuentibus vita gratiæ ad nutrimentum, & augmentum illius, non autem ad ſuſcitandum eos, qui in morte peccatorum ſunt; atque idem eiuſdem effectus per ſe primò non eſt primam gratiam conferre, qua mortui à peccatis ſuſcitantur; ſed eſt conferre augmentum gratiæ, ad nutrimentum, & augmentum ſpiritualis vitæ, vt rectè declarat poſt alios *Fagund. ibidem, & nu. 4. & 5.* Vbi contraria ſoluit. An autem peccatum veniale in ipſo actu communionis commiſſum, vel antecedenter impediat effectum huius Sacramenti, vide eundem *Fagund. ibidem, c. 3.* qui partem negatiuam contra *Caiet.* acerrimè defendit.

5 Eſt tamen verum, quod licèt præfatum Sacramentum per ſe primò non ſit inſtitutum ad conferendam primam gratiam, ſed ad conferendum augmentum illius; nihilominus in quibuſdam caſibus primam gratiam confert, atque ideò lethalem culpam delet, ac remittit. Etenim quamuis præcipuus, & primarius effectus huius Sacramenti ſit augere gratiam; non tamen eidem denegatur potentia in aliquibus caſibus conferendi primam gratiam, & remittendi culpam; ſed tantùm negatur præcipuum effectum dicti Sacramenti eſſe remiſſionem peccatorum, vt patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 3. & can. 5.* Non,

6 tamen negatur; imò ſupponitur producere hunc effectum remittendi lethalem culpam ſecundariò, & per accidens, vt ita dicam in aliquibus caſibus, vt patet ex *Conc. Epheſino 1.* Vbi dicitur, nos ſumere in hoc Sacramento carnem viuificantem, iuxta illud *Ioan. 6. Panis quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita.* Ergò poteſt dare vitam non habenti, atque ideò conferre primam gratiam, & hanc ſententiam docent *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 4. ad 5. & in 4. d. 9. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 2. Palud. d. diſt. 9. q. 1. num. 14. Scot. ibidem, q. vnica, Alenſ. 4. p. q. 46. nu. 3. art. 2. in fine, Suar. tom. 3. in 3 p. diſp. 64. ſec. 1. verſ. Dico tertio,* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 2. ſub nu. 9.* Qui teſtatur hanc eſſe communem opinionem: licet contrariũ ſentiant *Maior. in 4. d. 9. q. 1. Gabr. & D. Bonauen.* Dum dicunt, eiuſmodi Sacramentum nunquam poſſe conferre primam gratiam, quorum rationes refert idem *Fagund.* poſt alios, & reijcit *loco citato; nu. 8. cum pluribus ſeq.* Ac recenſet duos caſus,

7 in quibus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum confert primam gratiam, quorum alter eſt, cum quis diligenter excuſſit conſcientiam ſuam, & nullius culpæ mortalis conſcius ad communionem acceſſit cum peccato mortali; habens tamen dolorem aliquem de alijs peccatis, quæ habet in conſcientia, qui ſatis ſit ad attritionem, quoniam tunc ex attrito fit contritus virtute Sacramenti Euchariſtiæ, & ſic recipit primam gratiam. Alter caſus eſt, cùm quis memor eſt peccati mortalis, quod commiſit, & de illo dolet non vera contritione, ſed attritione tantum, quam putat eſſe contritionem, caret copia Confeſſarij, & vrget neceſſitas communicandi, tunc virtute Sacramenti Euchariſtiæ ex attrito fit contritus, & recipit primam gratiam. His adde caſus, quos enumerauimus ſupra *ſec. 7. concl. 4.* Nam ſi quis in illis caſibus communicet ſaltem attritus exiſtimans ſe eſſe contritum, videtur dicendum, quòd recipiat primam gratiam, atque ideò gratiam iuſtificantem. An autem cæteris paribus, plus gratiæ detur communicantibus ſub vtraque ſpecie, quàm ſub vna: & cum illa etiam, an ille, qui maiorem quantitatem ſpecierum ſumit, maiorem gratiam ex opere operato conſequatur, vide *D. Thom. 3. p. q. 80. art. 12. ad 3. & in eum Suar. ibi diſp. 63. ſec. 6. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 4. c. 4. nu. 4.* Qui partem negatiuam probabiliorem eſſe docent, & quamplurimos alios allegant, & contraria ſoluunt.

De effectu vnionis, quę fit ex Chriſto Domino cum dignè, ac reuerenter communicante, & de nonnullis alijs effectibus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti.

SEC. XX.

SVMMARIVM.

1 *Sancti Patres, ac Doctores multi multa dicunt de effectu vnionis inter Chriſtum, & dignè, ac reuerenter communicantem, & cui nam comparent hanc vnionem.*

2 *Quomodo dicatur ſanctiſſima Euchariſtia puritatem; ac caſtitatem corporis in hac vita cauſare.*

1 AD huius rei explicationem eſt adnot. quòd licèt Sancti Patres, & Doctores multi multa dicant de effectu vnionis, quæ fit inter Chriſtum, & dignè ac reuerenter communicantem,

tem, vt habetur ex *Bellarm. lib. 1. Euchar. c. 2. regula 5. & lib. 2. c. 39. §. 2.* Etenim quidam Patres hanc vnionem comparant cum vnione ſubſtantiali, qua verbum Diuinum naturam humanam ſibi hypoſtaticè vniuit. Alij putant per dignam communionem fieri cum homine ſuſcipiente naturalem quandam vnionem ad Chriſtum inſtar cibi manducati: alij volunt per huiuſmodi vnionem non modo vniri Chriſtum cum dignè communicante per amorem cum Chriſto, ſed re ipſa commiſceri carni, ac ſanguini Chriſti: alij hanc vnionem appellant naturalem coniunctionem, ac conglutinationem; nihilominus *Henriq. lib. 8. Euchariſtia, c. 36. nu. 2.* quem refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 4. c. 5. nu. 5.* Docet ex prædictis SS. Patrum placitis, ac exemplis non eſſe concipiendam aliam vnionem inter Chriſtum Dominum, ac dignè communicantem, quàm quæ datur inter motorem, & mobile, ſeù inter intelligentiam motricem, & corpus mobile, cui corpori immediatè aſſiſtit; qua ſecundum Phyloſophos appellatur vnio aſſiſtentiæ ſuppoſiti in loco. Vnde ſicut intelligentia motrix dicitur immediatè, & intimè citra informationem mobili aſſiſtere, & Cœlo vniri, vt ei vim conferat producendi in terra viuentia quædam, ita Chriſtus Dominus per ſpecies huius Sacramenti homini illud dignè ſumenti, intimè aſſiſtendo vim cōfert eiuſdemq; potentias inclinat, ac mouet ad efficiendas, & producendas mirabiles, & ſupernaturales amoris, ac feruentis deuotionis actiones liberè, ac ſuauiter exercendas, citra omnes alias præuias diſpoſitiones, præter gratiam habitualem, & dona Spiritus Sancti, quæ gratiam ipſam ſemper comitantur. Hinc *D. Thom. 2. 2. q. 18. art. 1. & D. Dyoniſius Areopagita lib 4. Eccleſ. hierarch.* In ſupremo gradu contemplationis vitæ vnitiuæ, ponunt vnionem quandam, qua illuſtratus intellectus cum ſuaui quodam experimento contemplatur Dei amici præſentiam in ſe ipſo, & qua contemplans excitatur in potentijs ſenſitiuis corporis, & in vtroque appetitu ad actus ſtudioſos, ad quos actus ſtudioſos Chriſtus per ſpecies huius Sacramenti quamdiù durant in corpore, potentias ſenſitiuas corporis inclinat, vt cogitatiuam, & appetitum, & alias vires, vt mitigato, ac ſedato fomite vincant dignè communicantes tentationes, promptius obediant rationi, & virtutum opera exerceant: atque ideò ſanctiſſima Euchariſtia indi-
2 rectè, planè, ac cauſaliter per ipſas ſpecies ex redundantia quadam animæ in corpus, dicitur puritatem, & caſtitatem corporis in hac vita cauſare, transformare carnem in ſpiritum, nempè ſpiritui obedientem facere, & ad futuram immortalitatem præparare, quatenus ratione huiuſmodi dignæ communionis, & coniunctionis cum Chriſto Domino, nobis ſpeciali iure corporis reſurrectio debetur, iuxta illud *Ioan. 6. Et qui manducat me, viuet in æternum, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die.* Et ſic omnes prædicti effectus proueniunt ex primario illo vnionis effectu, vt rectè declarat *Fagund. d. c. 5. num. 6. 7. & ſeq.*

Ibi, *Ad minus in Paſcha.* De tempore quo implendum ſit præceptum ſuſcipiendi ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum.

D I S P. III.

S V M M A R I V M.

1 *Tempore naſcentis Eccleſia fideles quotidiè communicabant ex præcepto Apoſtolorum. Et qua pœna fuit impoſita fidelibus non communicantibus.*

2 *Succeſſu temporis cæpit fieri communio bis tantum in hebdomada.*

Et quando decretum fuit, vt ter in anno fideles communicarent, & demum ſit ſemel tantum in anno.

1 SEcundum diuerſos Eccleſiæ ſtatus diuerſa præcepta, ac diuerſæ conſuetudines emanarunt circa vſum, ac frequentiam ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti. Etenim tempore naſcentis Eccleſiæ fiddeles quotidiè communicabant ex præcepto Apoſtolorum, vt habetur ex *Diu. Thoma 3. par. q. 80. art. 10. ad 5.* & eſt *tex. in c. Epiſcopus, de conſecr. d. 1. & in c. peracta, de conſecr. d. 2.* Vbi fuit pœna fidelibus excluſionis ab Eccleſiæ liminibus, qui peracta Miſſa non communicabunt. Et quoniam multi propter varia impedimenta ſe excuſabant, ceſſauit præcepti obligatio, & arbitrio cuiuſque communicandi relinquebatur. Deindè conſuetudine introductum fuit, vt fideles ter, aut quater in hebdomade communionem ſumerent, vt teſtatur *D. Baſil. in Epiſt. ad Cæſariam patritiam*, Et in his diebus ieiunio vacabant, vt inquit *Epiphan. lib. 3. contra hæreticos, tom. 2. ad fin. lib.* in illis verbis, *Synaxes ordinata ſunt ab Apoſtolis fer. 4. & 6. ad horam nonam, & Dominicam poſt matutinas, & tunc ieiunatur feria quarta,*
2 *& ſexta.* Succeſſu temporis frigeſcente deuotione cæpit fieri communio, bis tantùm in hebdomada, quoniam bis in hebdomade ſacrificium Miſſæ celebrari conſueuit, nempè in Dominica, & Sabbato, vt apud Græcos ſeruari teſtatur *D. Auguſtin. tract. 26. in Ioannem, & Epiſt. 118. ad Ianuarium cap. 2.* Poſtea Fabianus Papa decreuit, vt ſi non ſæpius, ſaltem ter in anno fideles communicarent, nempè in Natalitio Domini, in Paſchate, & Pentecoſte, vt in *c. & ſi non frequentius, de conſecrat. d. 2.* Et quoniam *D. Auguſtinus relatus in c. quotidiè, de conſecr. d. 2.* Omnibus Dominicis diebus ad communicandum hortatur, aliquando non ſæpius, quàm in Dominicis diebus communio fidelibus dabatur vt conſtat ex *D. Iuſtino Mart. Apolog. 2. pro Chriſtianis ad Antoninum.* Demum ſtatuit *Innoc. 3. in noſtro canone ex Conc. Lateran. c. 2.* Vt ſaltem ſemel in anno fideles in Paſchate communicent: & hoc ipſum fuit decretum per *Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 9. & ſeſſ. 21. c. 4.* Atque ideò Eccleſia per noſtrum canonem non prohibet amplius communicare, ſed obligat, & faſtidioſos inuitat ad ſemel ſaltem in anno communicandum, vt latius declarat *Fagund. de præcep. Eccleſia, præcep. 3. lib. 3. cap. 7. num. 5. & 6.*

An

An pluriès communicans infra annum, teneatur communicare in Paſcha.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Pluries communicans infra annum, non tenetur communicare in Paſcha.*

2 *Communis ſententia, ac conſuetudo totius Eccleſiæ eſt in contrarium.*

3 *Licet eodem canone feratur præceptũ confeſſionis, & communionis; tamen communio præcipitur determinato tempore, confeſſio vero infra annum.*

1 IN hac re videtur prima fronte dicendũ, quòd pluries communicans infra annum nõ teneatur communicare in Paſcha. Probatur ex noſtro canone in ſupra relatis verbis, *Ad minus in Paſcha.* Vbi præceptum datur de communicando ſemel ſaltem in anno ad minus in Paſcha: ergò quando quis pluries cõfitetur infra annum non comprehenditur ſub præcepto: ſiquidem præceptum huiuſmodi videtur, vt cõmunio non ſit differenda vltra annum, ſed ad minus fiat in Paſcha, ſi pluries ante Paſcha non fuerit habita. Confirmatur, quia eodem canone fertur tùm præceptum communionis, tùm etiam confeſſionis, ſed præceptum confeſſionis ſatis eſt ſi impleatur in qualibet parte anni maximè ſi pluries confeſſio intra annum reperatur, vt ſupra latè oſtendimus, §. 1. *diſp.* 5. *ſec.* 1. *concl.* 2. Ergò idem dicendum eſt de præcepto communionis.

2 His tamen non obſtantibus incontrarium eſt communis ſententia, quam docent *Sot. lec.* 5. *de confeſ. Fagund. de præcep. Eccl. lib.* 1. *c.* 6. *ſub nu.* 2. *& alij communiter.* Probatur ex communi conſuetudine totius Eccleſiæ, quæ fuit interpretata hunc canonem, vt obliget fideles ad communicandum determinato tempore Paſchatis; & id non immeritò; nam Fabianus Papa præceperat, vt ſaltem ter in anno fideles communicarent, nempè in Natalitio Domini, in Paſchate, & Pentecoſte, vt in *c. & ſi non frequentius, de conſecr. d.* 2. Et quoniam frigeſcente charitate, & deuotione, multi fideles, nec illis diebus communicabant, idcircò *Innoc. III. in Conc. Later.* ſtatuit per noſtrum canonem, vt omnes fideles communicent ſemel ſaltem in anno in Paſcha.

Ad primum patet reſponſio ex dictis.

3 D confirmatione dicitur, quòd licèt eodem canone ferantur præcepta confeſſionis, & communionis; nihilominus communio præcipitur determinato tempore, nempè in Paſcha: & confeſſio præcipitur ſemal tantum in anno, nec tempus determinatur: imò ex communi Eccleſiæ conſuetudine annus computatur de quadrageſima ad quadrageſimam, atque ideo quodammodo in ea quoque determinatur tempus, vt adnotauimus *d.* §. 1. *diſp.* 5. *ſec.* 1. *concl.* 4.

Quid nomine Paſchatis in noſtro canone intelligatur.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Nomine Paſchatis in hac materia non ſolum intelligitur dies Reſurrectionis, ſed etiam octo dies proximè præcedentes, & octo ſubſequentes.*

1 AD hanc rẽ breuiter reſpõdetur, quod quãuis *Panor. in explicatione noſtri canonis* velit, nomine Paſchatis, ibi de iure intelligi Reſurrectionis Domini diem cum duobus proximè ſequentibus, ac de conſuetudine, etiam die m Cœnæ; nihilominus, Eugenius IV. declarauit intelligi quoque non ſolùm diem Paſchatis, ſed etiam octo proximè præcedentes, & octo proximè ſubſequentes; atque ideò ille, qui intra hoc tempus deficiente legitimo impedimento culpa ſua hoc præceptum non implauerit, pœnas in ipſo canone ſtaturas poſt latam Iudicis ſententiam incurrit, vt habetur ex *Henriq. lib.* 8. *de Euch. c.* 55. *Suar. de pœnit. diſp.* 36. *ſec.* 8. *nu.* 2. *Nauar. in Man. c.* 21. *nu.* 45. & ex alijs, quos refert *Fagund. de præcep. Eccl. præcep.* 3. *lib.* 1. *cap.* 5. *ſub nu.* 3. Vbi etiam teſtatur de conſuetudine in Luſitania, in quolibet quadrageſimæ die, etiam in primo illius, eiuſmodi præcepto ſatiſfieri poſſe; & in tota Hyſpania hodiè conſuetudine receptum fuiſſe, teſtatur *Azor. tom.* 1. *Inſtit. moral. lib.* 7. *c.* 41 *q* 4. Et patet ex declaratione Clem. VI. quæ continetur in compendio priuilegiorum fratrum Minorum, & aliorum Mendicantium. Imò in multis Diœceſibus, præſertim in Diœceſi Bracharenſi conſuetudine quoq; introductum eſt, vt hoc præceptum impleri valeat vſque ad Dominicam Paſtoris boni, quæ ſequitur immediatè poſt Dominicam in Albis: & Punetij quoad piſcatores extenditur vſque ad Pentecoſtem præcepti impletio, vt habetur per *Fagund. loco citato, ſub num.* 4. Qui arbitratur quoque poſſe extendi per Epiſcopos impletionem dicti præcepti vſque ad dictum tempus ex iuſta, ac rationabili cauſa, ob illa verba noſtri canonis, *Niſi de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam à perceptione huiuſmodi, duxerit abſtinendum.* Etenim nomine Parochi, ſeù proprij Sacerdotis inquit venire propriiſſimè de iure Epiſcopum, & Papam.

An non communicans in Paſchate, ſeù in Paſchali tempore teneatur communicare poſt Paſcha.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Qui non communicauit in Paſcha, non tenetur ſtatim communicare, ſed tuta conſcientia poteſt communionem protendere in ſequentem annum.*

2 *Verior eſt contraria ſententia, & probatur paritate præcepti annuæ confeſſionis.*

3 *Siuè ex malitia, ſiuè ex impotentia præceptum communionis in Paſcha non fuerit adimpletum, adimpleri debet cum primum poterit infra annum.*

4 *Qui infra annum communicauit, non propterea liber remanet communicandi in Paſcha.*

5 *Qui non communicauit infra octo dies præcedentes, aut ſubſequentes diem Paſchatis, præceptum adimplere tenetur, alias ſecus.*

6 *Ieiunium, recitatio horarum, & ſacri auditio in die feſto dicuntur onera diei iniuncta, ſed non ita communio.*

Et reſpondetur ad ſecundum, & vltimum argumentum.

1 IN hac difficultate pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Sot. in 4. d. 8. q. 1. art. 4. D. Anton. 2. p. tit. 9. c. 9. §. 53. Syl. in ver. Euchariſtia*, 3. Et aliorum, dicentium non teneri ſtatim poſt Paſcha communicare, ſed poſſe tuta cõſcientia in ſequentem annum communionem protendere, quam in Paſcha prætermiſit. Mouentur ex eo, quòd ſicut ſe habet ieiunium reſpectu quadrageſimæ, ita ſe habet præceptum communionis reſpectu temporis Paſchalis: & vt ſe habet præceptum audiendi ſacrum, & recitandi horas canonicas, ita ſe habet præceptum ipſum communicandi in Paſcha; at qui in vna quadrageſima non ieiunat, & qui ſacrum non audit die feſto, & qui horas canonicas non recitat, non tenetur implere alio tempore, aut die: ergò idem dicendum eſt de præcepto communionis, vt qui non communicat in Paſcha non teneatur communicare elapſo Paſchali tempore. Confirmatur ex noſtro canone, qui loquens de confeſſione, præcipit, vt fiat ſemel in anno: & loquens de præcepto communionis, præcipit, vt fiat in Paſcha: ergò ſignum eſt voluiſſe obligare primo caſu pro toto anno; ſecundo verò caſu tempore tantùm Paſchatis, & eo elapſo noluiſſe amplius obligare. Denique patet hæc ſententia ex *tex. in c. ſicut, de ſponſal. & l. ſi fideiuſſor, §. vlt. ff. mand.* Vbi obligatio ad certum tempus limitata, poſt tempus limitatum non ligat amplius; ergò idem dicendum eſt in caſu noſtro.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror eſſe veriorem, quam docent *Maior. in 4. d. 17. q. 2. §. contra recidiuum, ad fin. Palud. ibidem, d. 12. q. 1. art. 5. concl. 1. Suar. de pœnit. diſp. 36. ſec. 3. nu. 3. & tom. 3. in 3. par. diſp. 70. ſec. 2. col. 6. verſ. Tertiò dico*. 1. *Rodriq. p. 1. ſua ſum. c. 64. can. 1. Azor. tom. 1. inſtit. moral. lib. 7. c. 41. q. 5. Nauar. in Man. c. 21. nu. 45. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 1. c. 6. ſub nu. 2. & alij*. Probatur primò ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *§. 1. diſp. 5. ſec.* 2. Dum oſtendimus, quòd non implens præceptum cõfeſſionis ſemel ſaltem in anno, tenetur ſtatim confiteri in illo anno; ſiquidem intentio præcepti eſt, vt cõfeſſio nimium, vltra annum nõ differatur, & propterea ita obligat confiteri intra annum, vt ſi tunc non impleatur ſemper, & continuò duret hæc obligatio, etiam elapſo anno: ergò idem dicendum eſt de præcepto communionis, cùm noſter canon eodem modo loquatur de præcepto communionis, ac confeſſionis, vt vltra non protrahantur. Confirmatur ex communi Eccleſiæ conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres: ſiquidem Parochi conſueuerunt ſuos Parochianos obligare ad communicandum poſt tempus Paſchale, ſi intra illud tempus præceptum non impleuerunt: ergò, &c.

† Ampliatur primò hæc concluſio, vt vera ſit,
3 ſiuè ex malitia, ſiuè ex impotentia præceptum non fuerit adimpletum; quia præceptum communicandi duas partes includit æquè principaliter intentas, nempè, vt communio vltra annum non differatur: & vt ſaltem fiat tempore Paſchatis; ergò qui præceptum non implet in Paſcha, tenetur poſtea adimplere cùm primùm poterit intra annum: ſiquidem quòd id fiat ex malitia, vel impotentia, per accidens eſt: nec veriſimile eſt Legiſlatorem voluiſſe deobligare eum, qui ex malitia, & non eum, qui iuſto impedimento non adimpleuit præceptum, vt rectè inquit *Suar. tom. 3. in 3. p. D. Thoma diſp. 70. ſec. 2. col. 6. verſ. Alij verò*. Vndè tuta nobis non videtur ſententia *Rodriq. poſt alios p. 1. ſua ſum. c. 64. conc.* 1. Excuſantis non communicantem in Paſcha, ſi ex cauſa excommunicationis, infirmitatis, itineris, &c. non communicauit, ab obligatione præcepti excuſari, ita ut non teneatur illud adimplere cùm primùm poterit.

4 Secundò ampliatur hæc ipſa concluſio, vt qui intra annum communicauit, non ob id liber remaneat ab obligatione præcepti communicandi in Paſcha. Etenim, vt diximus, eiuſmodi præceptum continet duas partes: alteram ſcilicet, vt communio vltra annum non differatur: & alteram, vt impleatur in Paſcha. Ita *Nauar. in Man. cap. 21. nu. 45. Reginal. lib. 29. ſuæ prax. nu. 26.* & alij apud *Molf. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 3. cap. 8. nu. 28.* Vbi id confirmat ex eo, quòd communio illa fuit voluntaria, non autem impletiua præcepti. Quod quidem verum puto quando quis ex deuotione communicat intra annum: nam communio illa dicitur facta per accidens: ſecus autem ſi communionem ſuſcipiat ad ſatisfaciendum præcepto, cum cõſilio maximè Confeſſarij, vt quia præuidens fore non impleturum præceptum in Paſcha, communionem ipſam anticipauit; quoniam tunc arbitror probabiliter non obligari ad communionem in Paſcha, etiam ſi eo tempore poſſit: ſiquidem melius eſt communionem anticipare, quàm poſtponere: ſed vi noſtri canonis licitum eſt communionem differre ex rationabili cauſa cum conſilio proprij Confeſſarij; ergò ſaltem ex præſumpta voluntate Legiſlatoris multo magis ex rationabili cauſa licitum erit communionem ipſam anticipare. Hoc ipſum probabile cenſet *Suar. d. ſec. 2. verſ. Tertium dubium*: Et propterea, qui hoc caſu non perciperet ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Paſcha, à lethali ſaltem culpa eum excuſari, probabiliter eſt dicendum.

5 Sic ampliata limitatur eadem concluſio, vt locum ſibi vendicet, vbi quis eiuſmodi præceptum non impleuit infra octo dies præcedentes, aut ſubſequentes diem Paſchatis; nam tunc tenetur præceptum adimplere cùm primum poterit intra annum: ſecus autem ſi præceptum impleuit infra dictum tempus. Etenim noſter canon per illa verba, *In Paſcha*, Non tantùm denotat ipſum diem Dominicum Paſchæ, in quo Chriſtus reſurrexit, ſed octo dies ante, & octo poſt illam feſtiuitatem; ita vt quis poſſit anticipare communionem à Dominica Palmarum, & differre vſque ad Dominicam in Albis, & implebit præceptum: & ita ex communi Eccleſiæ conſuetudine ſeruari declarauit *Eugen. IV. relatus à Nauar. loco citato, & Molf. d. c. 8. nu. 26.* Eſt tamen verum, quod ſi alicubi aliter eſſet conſuetudine receptum, ſtandum eſt conſuetudini, vt ſupra latius rem hanc explicauimus, *ſec.* 2.

Reſtat, vt ad contraria reſpondeamus.

6 AD primum reſpondetur, quod ieiunium, recitatio horarum, & auditio ſacri die feſto, ſunt tanquam onera diei præcepta: & propterea elapſo die, ceſſat obligatio præcepti, non autem ita præcipitur communio.

Ad

Ad ſecundum patet reſponſio ex dictis: nam noſter canon eodem modo loquitur de præcepto confeſſionis, & communionis, vt non vltra protrahantur, vt benè declarat *Fagund. loco citato.*

Ad vltimum dicitur, quòd clauſula ad certum diem in dictis iuribus contenta non ponitur ad tollendam obligationem, ſed ad non differendam vltra ſatisfactionem; atque ideò intelliguntur eodem modo, ac noſter canon.

An præuidens, non poſſe communicare tempore Paſchali, teneatur anticipare communionem.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur pars negatiua Azor.*

2 *Probabilior eſt ſententia in oppoſitum, & probatur multipliciter.*

3 *Probatur ſimiliter conſuetudine, quæ eſt in contrarium inter perſonas Catholicas, & timoratæ conſcientiæ.*

4 *Ieiunium, ac recitatio horarum canonicarum præcipiuntur tanquam diei onera, ſed non ita communio.*

1 IN hac difficultate partem negatiuam tenet *Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 7. c. 41. q. 13.* Motus ex eo, quòd nec vſus Eccleſiæ id habet, nec is qui ieiunare tenetur in vigilijs, & in Quadrageſima, aut horas canonicas recitare, tenetur anticipare tempus ſi præuideat futurum impedimentum, quo die proprio non valeat.

2 Oppoſitam tamen ſententiam puto eſſe probabiliorem, quam tenent *Maior. in 4. q. 2. art. 5. Petr. Sot. de confeſ. lect. 5. Nauar. in Man. c. 21. nu. 10. Syl. ver. Confeſſio 1. q. 2. Suar. de pænit. diſp. 36. ſec. 5. num. 2.* cum quamplurimis alijs, quos allegat, & *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 1. c. 6. ſub nu. 3.* Probatur, quia præceptum Euchariſtiæ non limitatur ad tempus Paſchæ ad tollendam obligationem, vt oſtendimus ſupra, ſec. 3. ergò ſicut obligat poſt Paſcha, ita etiam obligat ante illam, præuiſo impedimento, propter quod non poſſit impleri in Paſcha. Confirmatur, quoniam ſi quis præuideat die feſto non poſſe audire ſacrum die feſto hora nona, tenetur anticipare tempus, & audire hora tertia. Deniq; probatur hæc ſententia ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, §. 1. *diſp. 1. ſec. 1. concl. 5. verſ. Sed quicquid ſit: & verſ. Ex hoc infertur:* Vbi oſtendimus, quem teneri anticipare confeſſionem peccatorum mortalium, ſi præuideat tempore debito non habiturum copiam Confeſſarij: ergò idem dicendum in caſu noſtro, cum præceptum confeſſionis, & communionis eodem modo ſe habeant in noſtro canone.

3 Ad contraria patet reſponſio: nam conſuetudo eſt in contrarium inter perſonas Catholicas, & timoratæ conſcientiæ: imò ſi talis conſuetudo extaret, nõ eſſet ſeruanda; quia non conſuetudo, ſed corruptela diceretur, cum eſſet irrationabilis, atque adeò contra ius naturale; at conſuetudo contra ius naturale, ac Diuinum non introducitur, vt in *c. quæ contra, 8. d.* Vndè meritò inquit *Panor. in c. fin. de conſuetud.* Quòd ad introducendam conſuetudinem exigitur, quòd conſuetudo ſit rationabilis, & præſcripta. Ad exem-

4 plum verò de ieiunio, & horis canonicis reſpondetur, quòd ieiunium, & recitatio horarum canonicarum præcipiuntur tanquam diei onera, & propterea, elapſo die, ceſſat obligatio, non autem ita præcipitur communio, vt oſtendimus ſupra *ſec. 3. in reſp. ad primum.*

An qui indignè, & in peccato mortali ſcienter communicat, adimpleat præceptũ noſtri canonis.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Adducitur pars affirmatiua Soti, & aliorum.*

2 *Probabilis valdè eſt hæc ſententia; ſed contraria non eſt improbabilis, eaque probatur.*

3 *An militet diuerſa ratio in præcepto annualis confeſſionis, & in præcepto communionis in Paſcha.*

1 IN hac re partem affirmatiuam docent *Sot. lib. 2. de iuſt. & iur. q. 3. art. 10. Azor. lib. 1. Inſtit. moral. lib. 7. c. 41. q. 12. Vega lib. 3. ſuæ ſum. caſu 273. Couar. in c. Alma mater, 1. p. § 5. Reginald. lib. 29. ſuæ prax. nu. 87. Sanch lib. 1. Decal. c. 14. Molf. p. 1. ſuæ ſum tract. 3. c. 8. nu. 9.* & alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3 lib. 1. c. 6. nu. 4.* qui teſtatur de communi. Mouentur ex eo, quòd licèt communicans indignè, & in peccato mortali peccet mortaliter contra ius Diuinum, ac naturale, quibus præcipitur ſancta ſanctè tractari, nihilominus quoad ſubſtantiam implet præceptum Eccleſiæ, & legem Eccleſiaſticam ſeruat: ſiquidem nihil aliud Eccleſia præcipit, quàm vt in Paſcha fideles communicent; neque Eccleſia aliud curat. Idem dicendum eſſe volunt de excommunicato, ac interdicto, nam ſi communicat in Paſcha, quamuis ſacrilegium committat; implet tamen præceptum quoad ſubſtantiam, vt poſt alios probat *Fagund. loco citato, ſub nu. 5.*

2 Hæc ſententia re vera licèt ſit valdè probabilis, & qui ſecundum eam iudicaret tutus eſſet in conſcientia; nihilominus contraria nobis non videtur improbabilis. Probatur primo ex noſtro canone, vbi ſuſceptionem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ in Paſcha præcipit fieri reuerenter: atqui indignè accedit, & cum conſcientia peccati mortalis, proculdubio dicitur irreuerenter ſuſcipere Sacramentum, vt ſupra oſtendimus, *diſp. 2. ſec. 8.* Ergò non implet præceptum. Secundò præceptum communionis in Paſcha non ſolùm eſt Eccleſiaſticum, ſed etiam Diuinum, vt ſupra probauimus *diſp. 1. ſec. 1. concl. vlt.* Et inſtitutum fuit à Domino Sacramentum huiuſmodi per modum cibi, & præceptum vt ſumatur à fidelibus, vt alantur, & confortentur viuentes vita illius, qui dixit, qui manducat me, & ipſe viuet propter me: & tanquam antitodum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur, vt ex *Conc. Trid.* adnotauimus *d. ſec. 1. concl. 1.* Atqui indignè, ac ſcienter cum peccato mortali cõmunicat, non modo nõ liberatur à culpis quotidianis, & à mortalibus præſeruatur, ſed nouum peccatum committit: & non viuens, ſed ſpiritualiter mortuus accedit: ergò non modo non implet præceptum, ſed agit expreſſè contra præceptum, & finem illius. Deniq; confirmatur hæc ſententia ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, §. 1. *diſp. 2. ſec. 1.* Vbi concluſimus,

quòd qui culpabiliter citra attritionem ſaltem, ſacramentaliter confitetur, non ſatisfacit, nec implet præceptum noſtri canonis de confitendo ſemel ſaltem in anno: ergò idem dicendum eſt de eo, qui communicat in Paſcha indignè, & cum conſcientia peccati mortalis, cum eodem modo ſe habeat præceptum communionis in noſtro canone, ac præceptum confeſſionis annuæ.

3 Nec obſtat, ſi dicatur, quòd diuerſa ratio militat in præcepto annualis confeſſionis, & in præcepto communionis in Paſcha: quia communicans indignè cum conſcientia peccati mortalis licèt illicitè; tamen validè communicat, & verè ſuſcipit ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum: at ad confeſſionem accedens culpabiliter, & citra debitam attritionem ſaltem, non modo illicitè, verum etiam nulliter confitetur, & Sacramentum pœnitentiæ non ſuſcipit; Quoniam reſpondetur quòd licèt accedens indignè, ac ſcienter communicans in peccato mortali ſuſcipiat Sacramentum, cùm Sacramentum Euchariſtiæ hoc excellens, & ſingulare habeat ſupra omnia alia Sacramenta, quod in ea ſanctitatis Auctor, & ſic Corpus, & Sanguinis Domini eſt ante vſum; & alia Sacramenta, tunc primum ſanctificandi vim habent, cum quis illis vtitur, vt in *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c 3.* Tamen non ſuſcipit rem, ac virtutem Sacramenti, & ſic gratiam; atque ideò quoad vſum Sacramenti nihil facit, cùm non modo non ſuſcipiat gratiam, ſed iudicium ſibi manducet, & bibit, vt habetur ex eodē *Conc. loco citato*, c. 8. Et propterea quoad vſum, virtutem Sacramenti, qui cum peccato communicat, inaniter communicat, ſicut qui abſque attritione ſaltem ad confeſſionem accedit.

An Rom. Pontifex præceptum communicandi in Paſcha poſſit tollere, aut ſuper illud diſpēſare.

S E C. VI.

S V M M A R I V M.

1 *Quæſtio iſta intelligi poteſt dupliciter.*
2 *Romanus Pontifex tollere non poteſt præceptum communionis in Paſcha omninò, & quoad omnes.*
3 *Rom. Pontifex licet non poſſit in totum præceptum communionis in Paſcha, poterit tamen variare determinationem illam, prout viderit magis expedire.*
4 *Rom. Pontifex diſpenſare poteſt cum aliqua particulari perſona, Prouincia, vel oppido ad tempus in præcepto communicandi in Paſcha, non autem per totius vitæ ſpatium.*
5 *Sed diſpenſare non poteſt in præcepto Diuino communionis, quatenus medium eſt ad ſalutem.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd dū quæritur, an Rom. Pontifex poſſit tollere, ſeu abrogare præceptū communionis in paſcha, quæſtio poteſt intelligi dupliciter. Primò decernendo, vt non obliget pro ſingulis annis, ſed pro duobus, tribus, quatuor, &c. Secundò tollendo omninò præceptum annuum communicandi in Paſcha. Et dum quæritur an Papa valeat ſuper præceptum ipſum diſpenſare, intelligitur controuerſia, an ſcilicet diſpenſare poſſit cum aliqua perſona particulari, Ciuitate, aut Prouincia ex aliqua rationabili cauſa, vt non teneantur communicare in Paſcha in perpetuum, vel ad tempus His breuiter ſic adnotatis ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

2 ROm. Pontifex non poteſt tollere præceptum communionis in Paſcha omninò, & quoad omnes. Hæc concluſio patet ex ijs, quæ ſupra adnotauimus, *diſp. 1. huius §. ſec. vnica. concl. 4. illat. 2.* Dum probauimus, quòd præceptum communionis in Paſcha non eſt merè Eccleſiaſticum: ſed ita eſt Eccleſiaſticum, vt ſit etiam Diuinum. Et determinatio temporis in Paſcha licèt ſit de iure poſitiuo Eccleſiaſtico; tamen eiuſmodi determinationi ſtare tenetur Papa; ſiquidem perindè eſt, ac ſi fuiſſet facta à Deo, à quo fuit commiſſa Eccleſia, vt declarauimus latius ſupra §. 1. *diſp. 1. ſec. 2. concl. 3. ampl. 5.* De præcepto confeſſionis agentes.

SECVNDA CONCLVSIO.

3 ROm. Pontifex licèt non poſſit in totum tollere præceptū communionis in Paſcha; nihilominus determinationem illam in Paſcha, poterit in temporis duratione variare prout viderit magis expedire Chriſtianæ Reip. & proinde poſſet prorogare præceptum communionis ad biennium, & vltra, vel reſtringere ad ſex, quatuor, &c. Hæc concluſio patet etiam ex traditis à nobis *diſp. 1. ſec. vnica, illat. 2. & §. 1. diſp. 1. ſec. 2. concl. 3. ampl. 8. illat.* 2. Etenim illa circumſtantia in Paſcha eſt merè Eccleſiaſtica, ſicut circumſtantia, ſemel in anno, in præcepto confeſſionis, vt in dictis locis declarauimus, quibus nos remittimus, ne bis idem repetere videamur.

TERTIA CONCLVSIO.

4 ROm. Pontifex poteſt diſpenſare cum aliqua perſona particulari Prouincia & oppido ad tempus in præcepto Eccleſiaſtico communicandi in Paſcha, non tamen per totius vitæ ſpacium. Hæc concluſio eſt *D. Thomæ in 4. d. 17. q. 3. art 1. Palud. ibidem, q 2. Sot. d. 18. q. 1. art. 5. D. Anton. 3. par. tit. 14. c. 19. §. 1. Azor. tom. 1. Inſtit. moral. lib. 7. c. 40. q. 9. & 10. & Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 1. c. 6. ſub num. 9.* Et quamuis præfati Doctor. excepto *Fagund.* loquantur de diſpenſatione in præcepto confeſſionis, attamen ipſe *Fagund.* inquit eandem rationem militare in præcepto communionis in Paſcha. Probatur concluſio quoad primam partem, nempè de diſpenſatione ad tempus: quoniam in diſpenſatione ad tempus poteſt dari rationabilis cauſa, nempè ſi perſona cum qua eſſet facienda diſpenſatio, eſſet Eremita, aut Prouincia, vel Ciuitas eſſet obſeſſa ab Infidelibus tirannis, à quibus prohibeatur communio in Paſcha, aut alia rationabilis concurret cauſa. Secunda pars concluſionis patet, quia diſpenſatio in præcepto communionis in Paſcha per totā vitam alicuius nunquam poteſt continere rationabilem cauſam.

5 Dixi, quod Sum. Pontifex poteſt diſpenſare in præcepto Eccleſiaſtico communionis in Paſcha; quoniam non poteſt diſpenſare in præcepto Diuino communionis, quatenus eſt medium, & remedium neceſſarium ad ſalutem. His adde ea, quæ ſupra adnotauimus, *§. 1. diſp. 1. ſec. 1. concl. 5. verſ. Secundò principaliter infertur.* De diſpenſatione ſuper confeſſionem agentes.

Ibi,

Ibi, *Niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio, &c.*

De Miniſtro conſecrationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti.

D I S P. IV.

S V M M A R I V M.

1 *Miniſter Sacramenti Euchariſtiæ duplex eſt, alter conſecrationis, alter vero diſpenſationis & qui nam ſint. Et an ſeparatæ ſint hæ duæ actiones.*

2 *Secundum probabiliorem opinionem Chriſtus in ultima Cœna nō contulit, nec applicuit propria manu ori diſcipulorū huiuſmodi Sacramentum, ſed obtulit catinum, & Calicem duntaxat, & ipſi proprijs manibus ſumpſerūt.*

3 *Antiquitus, & fortè tempore primitiuæ Eccleſiæ erat conſuetudo tribuendi hoc Sacramentum in manibus communicantium, vt ipſimet acciperent, idque fiebat interdum in præſentia Sacerdotis, & quandoq; in proprias ædes illud deferebant, ibique ſumebant.*

An hodie Romano Pontifici ſolemniter celebranti Cardinalis Diaconus miniſtret potum Sanguinis.

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd Miniſter ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti eſt duplex, alter conſecrationis, & confectionis Sacramenti; alter verò collationis, ſeù diſpenſationis. Prior Miniſter certum eſt, quòd non poteſt eſſe alius, niſi ſolus Sacerdos, ita vt nullus, qui careat charactere Sacerdotali, poſſit validè conſecrare, & conficere Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt de fide fuit definitum in *Conc. Trid. ſeſſ. 23. c. 1.* Dum docet etiam Sacerdotium ab eodem Domino Ieſu inſtitutū fuiſſe, ac Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus in Sacerdotio tributam fuiſſe poteſtatem conſecrandi, offerendi, ac miniſtrandi Corpus, & Sanguinem eius, vt patet ex illis verbis, *Hoc autem ab eodem Domino Saluatore noſtro inſtitutum eſſe, ac Apoſtolis, eorumq; ſucceſſoribus in Sacerdotio, &c.* Miniſter vero collationis eſt etiam Sacerdos; verum eſt animaduertendum, quod aliud eſt conferre, diſtribuere, & diſpenſare huiuſmodi Sacramētum ex poteſtate: aliud verò illud tangere, deferre, aut ad os alicuius ſumentis applicare: & licèt hæc omnia in vna perſona Sacerdotis, & actione coniunganiur; tamen de ſe ſeparabilia ſunt, & interdum ſeparata exiſtunt, vt habetur ex *Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 26. § 4. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 72. ſec. 1. verſ. Vt veritatem: & ex Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 1. n. 2.*

2 Etenim in Cœna Domini ſolus Chriſtus Dominus hoc Sacramentum contulit, ac diſtribuit, *Matth. 26.* inquiens, *Accipite, & comedite.* Vndè ſecundum opinionem magis probabilem Chriſtus non contulit, nec applicuit propria manu ori Diſcipulorum huiuſmodi Sacramentū; ſed obtulit catinum duntaxat, & ipſi proprijs manibus ſumpſerunt ex eo conſecratum panem: ſicut & de Calice clarius habetur *Marci 14.* in illis verbis, *Et accepto Calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Et Lucæ, c. 22.* dum ait, *Accipite, & diuidite inter vos.* Fuit igitur per proprias Apoſtolorum manus ab vno

3 alteri datus Calix. Vndè antiquitus, & fortè à tempore primitiuæ Eccleſiæ inoleuit cōſuetudo tribuendi hoc Sacramentum in manibus communicantium, vt ipſimet acciperent: & id interdum in præſentia Sacerdotis fiebat: & quandoq; in proprias domos illud deferebant, ibiq; ſumebant, vt habetur ex *Suar. & Fagund. locis cit.* Et hodie ſeruatur, vt Romano Pontifici ſolemniter celebranti Diaconus Cardinalis miniſtret potum ſanguinis: & Diaconus miniſtrans ſolemniter Sacerdoti celebranti tangit ſacra vaſa ſanctiſſimam Euchariſtiam continentia. Ex quibus conſtat, ſeparatam eſſe actionem conferendi, ac diſpenſandi hoc Sacramentum, ab actione applicandi illud ad os communicantis. In hac igitur diſputatione videbimus de Miniſtro huius Sacramenti, atque ideò de Sacerdote, vt eſt Miniſter conſecrationis: & in ſequenti diſputatione de Sacerdote, vt eſt Miniſter collationis, diſpenſationis eiuſdem Sacramenti, ac applicationis eius ad os ſumentis.

An Miniſter conſecrationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ debeat eſſe Sacerdos, qui non ſolum habeat poteſtatem ordinis, ſed etiam iuriſdictionis.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Miniſter collationis, ſeu diſpenſationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, nō ſolum debet eſſe Sacerdos cum poteſtate Ordinis, ſed etiam proprius Sacerdos cum poteſtate iuriſdictionis. Quod nō requiritur in Miniſtro cōſecrationis.*

2 *Ad conſecrationis efficaciam exigitur ſolum, quod verba proferantur à Sacerdote ritè ordinato, & qui habeat intentionem conficiendi hoc Sacramentum, vel faciendi, quod Chriſtus inſtituit vel Eccleſia facit, nihilq; intereſt, an bonus, vel malus ſit, excommunicatus, vel hæreticus.*

3 *Impia eſt hæreticorum noſtri temporis hæreſis, qui aſſerunt, omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes.*

1 AD hanc difficultatem breuiter reſpondetur, quòd licèt Miniſter collationis, ſeù diſpenſationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, non ſolùm debeat eſſe Sacerdos, atque ideò habere poteſtatem ordinis; verum etiam debeat eſſe proprius Sacerdos, & ſic habere poteſtatem iuriſdictionis; vt infra diſp. ſeq. Deo duce, dicemus ſec. nihilominus Miniſter conſecrationis nō eſt opus vt ſit proprius Sacerdos poteſtatem habens iuriſdictionis; ſed ſatis eſt ſi poteſtatem habeat ordinis, ita vt ritè in Sacerdotem ſit ordinatus, atque ideò vt valeat conſecrare, & impendere formam Sacramenti huiuſmodi ſuper ſuppoſitā formam panis, & vini, de qua ſupra egimus, *diſp. 2. ſec. 15.*

2 Et verba conſecrationis ſint efficacia nihil aliud exigitur, niſi vt proferantur à Sacerdote ritè ordinato, qui intentionem habeat conficiendi Sacramentū, vel ſaltem faciendi id, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit: nec intereſt, an Sacerdos huiuſmodi ritè ordinatus ſit bonus, vel malus, hæreticus, ſchiſmaticus, excommunicatus, interdictus, ſuſpenſus, depoſitus, aut degradatus. Etenim ad conſecrationem ſufficit, vt quis Sacerdotalem characterem habeat, & propterea

bonitas, & ſupra relatæ conditiones merè accidentariæ ſunt, & Sacerdotalem characterem non delent, cùm character ſit qualitas indelebilis ſpiritualis animæ impreſſa, vt patet ex *Cõc. Trid. de ſacr. ordin. ſeſſ. 23. cap. 4. D. Thom. 3 p. q. 82. art. 5. 7. & 8. Suar tom. 3. in 3. p. diſp. 61. ſec. 3. verſ. Vltimo addendum*, quam ſententiam de fide eſſe inquit *Fagund. poſt alios de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. c. 1. nu. 18.* Vbi tamen inquit peccare grauiſſimè Sacerdotes malos in peccato conſecrantes. Et cum ſolus Sacerdos ſit Miniſter huius Sacramenti, quando legimus, Angelos aliquando ſanctiſſimam Euchariſtiam tribuiſſe nonnullis viris ſanctis, non eſt credendum, illam cõſecraſſe, ſed iuſſu Dei de ſacrario tuliſſe,
3 & illis præbuiſſe. Vndè impia eſt hæreticorum noſtri temporis hæreſis; ſacrilegè, & imprudenter aſſerentes, omnes Chriſtianos eſſe Sacerdotes, & habere poteſtatem conficiendi hoc Sacramentum, quamuis ea vti non debeant, niſi à Repub. vel communitate ad hoc munus deſignati ſint, vt ſufficienter hanc hæreſim, ac doctiſſimè confutat *Bellarm. lib. 4. de Euch. c. 16.*

An vnus tantùm Sacerdos, vel plures ſimul poſſint vnam, & eandem hoſtiam conſecrare.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Plures vnum baptizare, nec licitè, nec validè poſſunt.*
Et fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt per pauciora.

2 *Communis eſt opinio in contrarium, quod Sacerdotes de nouo ordinati ſimul cum Epiſcopo, & in eodem inſtanti verba conſecrationis proferentes, verè conſecrant.*

3 *Si Epiſcopus prius abſoluat formam conſecrationis, ille ſolus conſecrabit. Sed nouus Sacerdos prius abſoluens formam, quam Epiſcopus, haud conſecrat.*

4 *Nunquam legimus Chriſtum ſimul cum Apoſtolis baptizaſſe, ſicut legimus conſecraſſe*

5 *Huiuſmodi conſecratio per plures Sacerdotes non fit fruſtra, cum virtute propria non conſecrent, ſed virtute, & in perſona Chriſti.*

6 *Durandus, & qui damnant Eccleſiæ conſuetudinem tempore quo ordinantur Sacerdotes, vt ſcilicet illi cum Epiſcopo conſecrent, non poſſunt à temeritate excuſari.*

7 *Quomodo conſecret Epiſcopus, & quomodo Sacerdotes, qui ordinantur ſecundum meliorem ſententiam.*

8 *An Epiſcopus ſemper conſecret, licet poſterius prolationem formæ perficiat dubia res eſt.*

1 AD hanc rem videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Probatur primò ex eo, quod non poſſunt plures vnum baptizare, nec licitè, nec validè, vt docet *D. Thom. 3. par. q. 67. art. 6. & q. 82. art. 2.* Ergò non poſſunt plures, nec licitè, nec validè eandem hoſtiam conſecrare, cùm non minor ſit vis, ac poteſtas hominis baptizantis, quàm Sacerdotis cõſecrantis. Cõfirmatur, quoniam fruſtra fit per plura, quod fieri poteſt p pauciora; at in Sacramẽtis maximè nihil fieri debet ſuperfluum, nec poteſt: ergò cùm vnus tantùm Sacerdos ſatis ſit ad conſecrandum, plures nec licitè, nec validè poterunt conſecrare. Hanc ſententiam videtur tenere *Durand. in 4. d. 13. q. 3.* Qui damnat conſuetudinem, qua Sacerdotes denuò initiati concelebrant Epiſcopo ordinanti, & omnes ſimul eandem formam proferunt.

2 His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt communis ſententia, quam docent *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 18. nu. 2. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 61. ſec. 4. verſ. Dico tertiò, Fagund. de præcep. Eccl. præcp. 3. lib. 3. c. 2. ſub nu. 5.* Et alij, dicentes verè conſecrare cum Epiſcopo Sacerdotes denuò ordinatos verba conſecrationis ſimul cum Epiſcopo, & in eodem inſtanti verba conſecrationis proferunt, ſi intentionem habeant conſecrandi. Etenim hoc caſu omnia cõcurrunt; nam materia eſt præſens, datur intentio ex parte cõſecrantium, & forma à debitis Miniſtris ſimul & in eodem inſtanti profertur: ergò nihil impedit, quin ſequatur conſecratio. Confirmatur, quoniam Sacerdotes ſimul, & in eodem inſtanti conſecrantes non conſecrant virtute propria, ſed virtute, ac perſona Chriſti, qui eſt vnus, & illi Sacerdotes licèt ſint plures; nihilominus ſunt vnum in Chriſto, & eandem perſonam Chriſti efficiunt: & propterea parum refert, an per vnũ, vel plures hoc Sacramentum efficiatur. Non tamen hic conſecrandi modus licitè adhibetur extra tempus ordinationis; quia non eſt vſitatus ab Eccleſia, niſi eo tempore. Quod extra dictum tempus fiat, illicitè, ſed validè fiat.

3 Dixi, *Simul cum Epiſcopo, & in eodẽ inſtanti, quoniam ſi Epiſcopus prius abſoluat formam, ille ſolus conſecrabit, & non alij, quia iam inueniunt materiam conſecratam.* Et ſi aliquis ex nouis Sacerdotibus prius formam fortè abſoluat, quàm Epiſcopus, tunc nouus ille Sacerdos non conſecrat, & ſimiliter nullus illorum ſi prius quàm Epiſcopus formam cõſecrationis abſoluat; ſiquidem omnes ſe referunt ad Epiſcopi prolationem, & ſub ea formata conditione ſaltem virtualiter formam proferunt, vt nolint perficere conſecrationem, ſi prius ipſi, quàm Epiſcopus verba finiant. Ita *D. Thom. 3 p. q. 67. art. 6. & q. 82. art. 2. Palud. d. 3. q. 4.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. loco citato, ſub nu. 5.* qui etiam *nu. 2. & 3* Probat poſt alios, quod ſi plures Sacerdotes concurrant ad conſecrandam vnam hoſtiam, ita vt vnus vnam partem conſecrationis, & alius aliam ſuper ipſam hoſtiam proferant, nec licitè, nec validè conſecrant: quoniam tunc nullus illorum profert formam integram. Quòd ſi plures proferant formam integram, & alter eorum prius tempore abſoluat formam, quàm alius, ille prior conſecrat, & alij non conſecrant, niſi cum Epiſcopo tempore ordinationis vt ſupra conſecrantes prius ipſi formam abſoluant, quàm Epiſcopus: nam tunc ſolus Epiſcopus conſecraret, & non alij Sacerdotes, vt ſuperius ſecundum ſententiam aliquorum diximus. *Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.*

4 AD primum negatur conſequentia: nam ratio diuerſitatis inter hæc duo Sacramenta deſumitur ex inſtitutione, & modo, quo Chriſtus Dominus huiuſmodi Sacramenta inſtituit: ſiquidem nunquam legimus Chriſtum ſimul cum Apoſtolis baptizaſſe: at legimus ſimul communicaſſe cum Apoſtolis, quãdo eos Sacer-

dotes

dotes inſtituit, & eis officium conſecrandi impertijt, dicens *Hoc facite in meam commemorationem*. Confirmatur ex Eccleſiæ conſuetudine; nam Eccleſia habet poteſtatem declarandi ea, quæ conueniunt ad modum adminiſtrandi Sacramenta, ſalua eorum ſubſtantia, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 21. c. 2.* At Eccleſiæ conſuetudo declarauit, vt plures non poſſint vnum baptizare validè; poſſint tamen plures Sacerdotes vnam hoſtiam conſecrare, ſi ſimul eodē inſtanti formam conſecrationis abſoluant.

5 Ad ſecundum reſpondetur ex *D. Thoma 3. p. q. 82. art. 2. ad 2.* Quòd eiuſmodi conſecratio per plures Sacerdotes non fit fruſtra, cùm Sacerdotes virtute propria non conſecrent; ſed virtute & in perſona Chriſti, qui vnus eſt, & Sacerdotes ipſi vnū ſunt in Chriſto: & propterea hanc vnitatem ſignificant quando plures Sacerdotes vnam hoſtiam ſimul, & in eodem inſtanti conſecrant.

6 Vndè his reiectis, dicimus *Durandum ſupra relatum*, & alios ſi qui ſint, damnantes conſuetudinem Eccleſiæ tempore quo ordinantur Sacerdotes, vt illi vno cum Epiſcopo conſecrent, non poſſe à temeritate excuſari, eo magis quòd difficultas, qua mouentur ad damnandam Eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, dum dicunt, quòd dum Sacerdotes prædicti conſecrant ſimul & in eodem inſtanti cum Epiſcopo dicūtur concelebrare cum ipſo Epiſcopo, & tamen non communicant ſub vtraque ſpecie, atque ideò non communicant, vt Sacerdotes celebrantes, ac ſacrificantes; & tamen nunquam licitum eſt Sacerdotem Miſſam celebrare nō communicando ſub vtraque ſpecie, cùm teneatur ſacrificium conſumere, vt habetur ex *D. Thoma d. q. 82. art. 4.* Siquidem Euchariſtia non ſolùm eſt Sacramentū, ſed etiam ſacrificium: & propterea quicunque ſacrificium offert, debet eſſe ſacrificij particeps, iuxta illud *Apoſtoli 1. Corinth. 10. Non ne qui edunt hoſtias participes ſunt Altaris.* Atque ideò neceſsè eſt, vt Sacerdos quotieſcunq; celebrat, ac conſecrat, ſumat integrè hoc ſacrificium, vt fuit decretum in *Conc. Toletano V. can. 5.* quod refertur in *c. relatum de conſecr. d. 2.* in illis verbis *Modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcunque ſacrificans Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in Altari immolat, toties perceptionis Corporis, & Sanguinis Chriſti participem ſe præbeat.* Et quòd communio ſub vtraque ſpecie ſit de eſſentia ſacrificij, vel ſaltem de integritate latè poſt alios probat *Fagund. d. c. 2. ſub n. 9.* Etenim hæc difficultas facilè euacuatur: nam *Fagund. ibidem ſub nu. 5.* Teſtatur, quòd ſecundum communem conſuetudinem Epiſcopus prius abſoluit verba conſecrationis, & propterea ille ſolus conſecrat, & non alij Sacerdotes, quoniam inueniunt hoſtiam

7 conſecratam: vel ſecundò, & melius, Epiſcopus ſolus conſecrat, & profert verba conſecrationis formaliter, & cum intentione conſecrandi, reliquos verò Sacerdotes materialiter tantùm citra intentionem conſecrandi, ſed ſolùm in ſignum poteſtatis à Chriſto conceſſæ, & in memoriam illius Cœnæ, in qua Chriſtus Apoſtolos ordinauit, & cum eis cœnauit: vt habetur ex *Ricchar. in 4. d. 13. art. 2. q. 1. Caiet. in d. q. 82. D. Thom. art. 2. Suar. to. 3. in 3. p. diſp. 62. ſec. 4. Ang. in ſum. ver. Euchar. 2. § 3.* quos refert *Fagund. loco citato, ſub nu. 5.* qui addit etiam *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 18.* Dicentem rem eſſe dubiam, an

8 Epiſcopus ſemper conſecret, licèt poſterius prolationem perficiat: & propterea curare debere Sacerdotes initiatos, qui concelebrant, vt generali intentione velint facere, quod facit Eccleſia, & Chriſtus faciendum inſtituit.

Quænam ſint verba, à Sacerdote proferenda, ad conficiendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, & qui nam ſit eorum effectus.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Forma apponitur conſecrationis panis, & conſecrationis vini.*

2 *Prædictorum verborum proprius, & mirabilis effectus eſt tranſubſtantiatio panis, & vini in Corpus, & Saguinem Chriſti.*

Eſtq; in eo Chriſti Corpus, & Sanguis realiter, & ſubſtantialiter non per ſignum, & figuras, vt hæretici impiè aſſerunt.

3 *In ſanctiſſimo Euchariſtia Sacramento eſt vera, realis, ac ſubſtantialis præſentia Corporis Chriſti vna cum Diuinitate, & anima.*

Et confutatur hæreſis Noſtorij, tenentis, in Chriſto duas eſſe perſonas.

1 HAec controuerſia patet ex ijs, quæ ſupra cumulauimus, *diſp. 2. ſec. 15.* Dum oſtendimus, quòd forma conſecrationis panis qua vtitur Eccleſia, eſt iſta videlicet. *Hoc eſt enim Corpus meum.* Et forma conſecrationis vini, quā Eccleſia ipſa conſueuit, eſt. *Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, noui, & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Harum formarum verba quædam ſunt de eſſentia ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, ſine quibus nō poteſt fieri conſecratio; & quædam ſunt de præcepto Eccleſiæ, quæ ſi omittantur, dummodò eſſentialia concurrant, validè conſecratur, quamuis ſic cōſecrans lethalem culpam contrahat, vt latè *d. ſec. 15.* declarauimus, ac concluſimus, quod verba eſſentialia conſecrationis ſunt hæc, nempè, *Hoc eſt Corpus meum*, Aut his æquipollentia: Ly. verò *Enim*, Eſt extra eſſentiam, ſicùt & verba præcedentia formam. Eſſentialia vero verba conſecrationis vini, eſſe illa tantùm concluſimus, *Hic eſt Calix Sanguinis mei.* Vel alia verba, quæ ijs æquipollent: reliqua verò eſſe extra eſſentiam. & ab Eccleſia addita, ac præcepta. Solùm igitur hoc loco videbimus de effectu prædictorum conſecrationis verborum, ne bis idem repetere videamur.

2 Ad quam difficultatem breuiter reſpondemus; quòd dictorum verborum proprius, ac mirabilis effectus eſt tranſubſtantiatio panis, & vini in Corpus, ac Sanguinem Chriſti Domini, atque ideo de fide tenendum eſt, Chriſti Corpus, & Sanguinem verè, realiter, & ſubſtantialiter non per ſignum, & figuras, vt hæretici impiè, ac falsò aſſerunt, in hoc Sacramento eſſe, vt conſtat ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. can. 1.* Ita decernente, *Si quis negauerit in ſanctiſſima Euchariſtia Sacramēto contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem vna cum anima, & diuinitate Domini noſtri Ieſu Chriſti, ac proinde totum Chriſtum, ſed dixerit tantummodò eſſe in eo, vt in ſigno, aut figura, anathema ſit.* Vndè idem

Conc.

Conc. ibidem c. 4. De mirabili tranſubſtantiatione ſupradicta agens ſic ait, *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter, Corpus ſuum id, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit, ideo perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, idque nunc denuò ſancta hæc Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Corporis Chriſti, Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam Sanguinis eius, quæ conuerſio, conuenienter, & propriè à ſancta Catholica Eccleſia tranſubſtantiatio eſt appellata.* Hæc veritas Catholica eſt deſumpta ex communi SS. Patrũ, ac Doctorum Catholicorum placito, nec inter eos diſſentio eſt, vt latè poſt alios habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 46. ſec. 1.* & ex præfatis *Conc. Trid.* & aliorum Concil. decretis, ac definitionibus nonnullæ hæreſes contra hanc eandem veritatem confutantur.

3 Etenim dum in ipſo *Conc. Triden. d. can. 1. & cap. 4.* Fuit definitum in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe veram, realem, ac ſubſtantialem præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti vna cum Diuinitate, & anima, & totum Chriſtum, procul dubio confutatur Neſtorij hæreſis, de qua *Caſtro lib. 6. aduerſus hæreſes, ſub tit. de Euch. hæreſi 4.* Tenuit enim Neſtorius in Chriſto duas eſſe perſonas, atque ideo duo ſuppoſita: vnum quòd eſſet homo; aliud quòd eſſet Deus, in illo homine tanquam in templo habitans. Vndè in eiuſmodi Sacramento aſſeruit eſſe veram Chriſti carnem; verùm illam carnem, impiè inquit eſſe carnem puri hominis, non autẽ Dei, & hominis, quàm hæreſim non ſolùm confutauit *Conc. Trid.* per ſupradicta; ſed etiam *Conc. Epheſin. de quo in can. neceſſario, de conſecr. d. 2.* Et dum decreuit ipſum *Conc. Trid. d. can. 1.* Non contineri in ſigno, ac figura tantummodò Corpus Chriſti in hoc Sacramento, clarè confutauit Berengarij hæreſim, qui primus fuit auſus, Corpus Chriſti contineri in hoc Sacramento, ſicut in figura, & ſigno, quam hæreſim obiurauit poſtea idem *Berengarius*; de quo habetur in *can. Ego Berengarius, de conſecr. d. 2.* & latè *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. c. 1. nu. 4. cum plur. ſeq.*

An verba conſecrationis ſint cauſa phyſica præſentiæ Corporis Chriſti in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, vel ſint cauſa tantùm moralis.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Per cauſam phyſicã intelligitur qualibet cauſa, quæ verè, & realiter influit in effectum. Per cauſam verò moralem intelligitur conditio ſine qua non.*

2 *Licet verba conſecrationis ſecundum D. Thom. phyſicè attingant receſſum à termino, à quo nempè panem, non tamen attingunt terminum ad quem nempè præſentiam Chriſti, atque ideò moraliter influunt in Chriſti præſentiam, & num. 6.*

3 *Quemadmodum in conceptione verbi Diuini ad verborum præſentiam, quibus Beatiſſima Virgo conſenſum ſuum expreſſit, Spiritus Sanctus Corpus Chriſti condidit, ita dum Sacerdos verba profert conſecrationis, Spiritus Sanctus Corpus Chriſti præſens facit in Euchariſtia.*

4 *Pronomen (hoc indicat Corpus Chriſti ante verborum prolationem eſſe præſens.)*

5 *Opera miraculoſa effici non poſſunt virtute creata, ſed tantum Diuina. Et nu. 9.*

6 *Verior eſt ſententia oppoſita, quod omnia Sacramenta ſint cauſa phyſica gratiæ, quam ſignificant.*
Et traditur definitio Sacramenti.

7 *Licet pronomen (hoc) ſit demonſtratiuum, eſt tamen demonſtratiuum ſubſtantiæ in communi, citra formam determinatam, & abſque vllo nomine appoſito ex parte ſubiecti.*

8 *Licet verba conſecrationis non ſint ſimplicia, ſed ex multis aggregata; tamen conuerſio panis in Corpus, & vini in Sanguinem fit in inſtanti in prolatione vltima dictionis dictorum verborum.*

9 *Opera miraculoſa fieri non poſſunt à creatura tanquam ab agente principali, ſed benè tanquam ab inſtrumento, eleuato Dei virtute.*

10 *Parum intereſt, quod actio, qua Corpus Chriſti phyſicè attingitur ſine ſubiecto, & quod ſit creationi ſimilis.*

11 *Verba conſecrationis non ſunt propriè, & formaliter inſtrumentum humanitatis Chriſti.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd per cauſam phyſicam in hac controuerſia intelligimus quamlibet cauſam, quæ verè, ac realiter influit in effectum, vt in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ* diximus *lib. 1. cap. 1. q. 2. ſub nu. 2.* Et per cauſam moralem intelligimus conditionem ſine qua non, & propterea dum quærimus, an verba conſecrationis ſint cauſa phyſica, vel moralis præſentiæ Corporis Chriſti in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento, idem eſt ac quærere, an verba illa ſint cauſa efficiens, & verè, ac realiter influant in præſentiam Corporis, & Sanguinis Chriſti in eiuſmodi Sacramento: vel ſint tantùm conditio, ſine qua non eſſet in eo talis præſentia.

2 In hac re *D. Thom. in 4. d. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. ad 6.* Diſtinguit in hoc Sacramento receſſum termini, à quo, & acceſſum termini ad quem, & inquit, quòd licèt verba conſecrationis attingant phyſicè receſſum à termino à quo, nempè panẽ; non tamen attingunt acceſſum termini ad quem, ideſt præſentiam Corporis Chriſti: & *d. 8. q. 2. art. 3. ad. 5.* Ait etiam, totam actionem verborum verſari circa ſubſtantiam panis; non tamen attingere terminum ad quem. Vndè ex præfatis verbis non videtur obſcurè colligi, verba ipſa conſecrationis ſecundum ſententiam *D. Thomæ* non concurrere phyſicè, atque ideò verè, ac realiter nõ influere in præſentiam Corporis Chriſti; ſed tantùm moraliter, & vt conditio ſine qua non, modò ſupra explicato. Hanc ſententiam expreſsè docent *Capreol. d. 1. q. 1. art. 1. ad primum Aureoli contra tertiam concluſionem: & d. 8. art. 3. ad tertium Scoti contra tertiam concluſionem: & D. Bonauen. d. 10. art. 1. q. 3. Gabr. lect. 47. in can.* Et alij negantes verba conſecrationis in hoc Sacramẽto efficere Corpus Chriſti. Imò hanc eandem ſententiam videtur docuiſſe ex SS. Patribus, *Ioan. Damaſcen. lib. 4. fidei*

Ortho-

Orthodoxa, c. 14. circa med. Dum ait ſola vir-
tute Spiritus Sancti fieri conuerſionem panis in
Corpus Chriſti in ſanctiſſima Eucharistia: eiuſ-
demq; præſentiam in hoc Sacramento comparat
3 cum conceptione verbi Diuini ex Beatiſſima
Virgine: ſiquidem quemadmodum ibi ad præ-
ſentiam verborum, quibus ipſa Beatiſſima Virgo
conſenſum ſuum expreſſit, Spiritus Sanctus Cor-
pus Chriſti condidit, ita hic Sacerdos verba con-
ſecrationis dum profert, Spiritus Sanctus Cor-
pus Chriſti præſens facit in Euchariſtia. Et *D.
Chryſ. homil. 2. de prodit. Iud.* ſic quoq; inquit,
*Sacerdotis ore verba proferuntur; ſed Dei vir-
tute conſecratur*. Probatur hæc eadem ſententia
ratione. Etenim pronomen, *Hoc*, Contentum in
4 illis verbis conſecrationis, *Hoc eſt Corpus meum*,
Indicat, Corpus Chriſti ante prolationem verbo-
rum eſſe præſens: ergò verba illa conſecrationis
non attingunt phyſicè præſentiam Chriſti; atque
ideò nō efficiunt illius corpus præſens in vltimo
inſtanti dictorum verborum. Antecedens patet,
quia pronomen illud *Hoc*, Eſt demonſtratiuum.
Conſequentia probatur, quoniam aliàs falſa eſſet
hæc forma, *Hoc eſt Corpus meum*. Cùm ante
illud vltimum inſtans, & ante vltimam prolatio-
nem vltimæ dictionis ipſius formæ non ſit Cor-
pus, ſed eſt panis. Secundò conuerſio panis in
Corpus, & vini in Sanguinem fit in inſtanti: ergò
verba illa conſecrationis non concurrunt phy-
ſicè, ac effectiuè ad præſentiam Corporis Chriſti.
Antecedens patet. Probatur conſequentia, nam
prædicta verba non ſunt ſimplicia, ſed ex multis
aggregata, atque ideò ſucceſſiuè proferuntur.
Tertiò conuerſio panis in Corpus Chriſti, & vini
in ſanguinem eſt miraculoſa: ergò prædicta
verba conſecrationis non poſſunt phyſicè, ac
realiter, & effectiuè concuurrere ad præſentiam
Corporis Chriſti in hoc Sacramento. Antece-
dens ab omnibus cōceditur: ſiquidem conuerſio
huiuſmodi non eſt minus miraculoſa, quam
rerum creatio, & formatio corporis Chriſti in
5 vtero Beatiſſimæ Virginis. Conſequentia pro-
batur, quoniam opera miraculoſa non poſſunt
effici virtute creata, ſed virtute tantùm Diuina.
Quartò actio, qua Corpus Chriſti fit præſens in
hoc Sacramento, eſt ſine ſubiecto, ac creationi
ſimilis: ergò verba conſecrationis non poſſunt
phyſicè cōcurrere ad præſentiā Corporis Chriſti:
nam virtute creata non poteſt effici creatio. De-
nique ſi verba concurrerent phyſicè, & effectiuè,
attingerent præſentiam Corporis Chriſti in ipſo
Euchariſtiæ Sacramento, humanitas Chriſti ha-
beret etiam ſimilem efficaciam, & efficientiam:
ſiquidem verba ſunt velut inſtrumentum ipſius
humanitatis: ergò humanitas efficeret ſe ipſam,
quod eſt falſum.

6 His tamen non obſtantibus, oppoſita ſententia
nobis videtur verior, quam tenent *D. Thom. 3.
p. q. 78. art. 4. & omnis Thomiſtarum Schola*,
*Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 61. ſec. 1. verſ. Dico tertio
Alex.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de
præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. c. 1. ſub nu.* 10. Qui
teſtatur de communi, maximè eorum Theolo-
gorum, docentium reliqua omnia Sacramenta
eſſe cauſas phyſicas, & efficientes gratiæ, quam
ſignificant. Vndè ob id definiunt Sacramentum,
quod ſit inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, ita vt
eius imaginem gerat, & cauſa exiſtat, vt etiam
nos ſupra latè oſtendimus, *§. 1. diſ. 11. ſec. 5.* dum
probauimus Sacerdotem ſacramentaliter pœni-
tentem abſoluentem, effectiuè concurrere ad
abſolutionem culpæ. Probatur primò hæc ſen-
tentia ex eo, quòd in alijs Sacramentis verba
ſunt operatiua, & effectiua, ſeu creatiua gratiæ:
ergò in hoc Sacramento verba conſecrationis
ſunt phyſicè effectiua præſentiæ Corporis, &
Sanguinis Chriſti. Antecedens patet ex defini-
tione Sacramenti, quam paulò ſupra attulimus.
Conſequentia probatur, quia nō poteſt aſſignari
diuerſitatis ratio, cur verba in alijs Sacramentis
effectiuè ac phyſicè concurrant ad gratiam: &
verba conſecrationis in hoc Sacramento phyſicè,
ac effectiuè non concurrant, nec influant in præ-
ſentiam Corporis, & Sanguinis Domini; non
per qualitatem aliquam ſuperadditam ipſis ver-
bis, quæ ſit diſtincta ab illis, ſeu per potentiam
obedientialem ipſorum verborum, quæ eleuan-
tur à Deo ſufficienti concurſu ad efficiendam
hanc præſentiam Corporis Chriſti. Confirmatur
quoniam verba illa conſecrationis in perſona
Chriſti à Sacerdote proferuntur: ergò ex eius
potentia conſequuntur virtutem inſtrumenta-
lem à Chriſto Domino ad efficiendum præſens
corpus, & ſanguinem ipſius in eiuſmodi Sacra-
mento. Non enim pugnat, Deum aſſumere crea-
turam aliquam, vt inſtrumentum creationis, qua
mediante, rem aliquam creet, vt patet ex effi-
cientia aliorum Sacramentorum, quæ vt inſtru-
menta à Deo ſumuntur ad producendam gra-
tiam. Denique verba conſecrationis in hoc Sa-
cramento efficiunt id, quod ſignificāt: ergò effe-
ctiuè, ac phyſicè præſentiam Corporis, & San-
guinis Chriſti in eo efficiunt. Antecedens patet
ex definitione Sacramenti in genere, quam ſupra
retulimus. Probatur conſequentia, quoniam
verba illa, *Hoc eſt corpus meum*. Significant
Corpus Chriſti eſſe præſens. Deinde verba con-
ſecrationis efficiunt conuerſionem, ac mirabi-
lem illam tranſubſtantiationem Corporis, &
Sanguinis Domini: ergò phyſicè concurrunt ad
præſentiam corporis, ac ſanguinis eiuſdem, atq;
ideo terminum ad quem attingunt. Antecedens
patet ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4.* Conſequentia
probatur, quia id quod non attingit terminum
ad quem alicuius actionis non poteſt efficere
realem actionem; atque ideò verba illa conſe-
crationis non efficerent conuerſionem, ſeu tran-
ſubſtantiationem prædictam. Concludimus igi-
tur, quòd verba conſecrationis effectiuè per pro-
priam, ac phyſicam efficientiam concurrunt ad
præſentiam corporis Domini, expellendo ſub-
ſtantiam panis per actionem veram, ac realem,
ex qua neceſſariò, & ex natura rei ſequatur de-
ſitio ipſius ſubſtantiæ panis; quæ quidem actio
non eſt alia, quam illa, per quam talia accidentia
per ſe conſtituuntur, & non illa, per quam Cor-
pus Chriſti attingitur, & fit præſens in hoc Sa-
cramento: ſiquidem verba conſecrationis effe-
ctiuè attingunt præſentiam Corporis Chriſti, tan-
quam terminum, ad quem; effectiuè autem ex-
pellunt ſubſtantiam panis tanquam terminum
à quo.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

7 AD primum negatur conſequentia, quoniam
licèt pronomen illud, *Hoc*, ſit demonſtra-
tiuum, eſt tamen demonſtratiuum ſubſtantiæ in
com-

communi citra formam determinatam, & abſque vllo nomine appoſito ex parte ſubiecti: quapropter dum proferuntur verba illa. *Hoc eſt Corpus meum.* Suſpenſa, ac indefinita manet ſignificatio illius termini, *Hoc*, Donec verba ipſa integrè proferantur; & in vltimo inſtanti prolationis dictorum verborum, determinatur ad Corpus Chriſti; atque ideò in vltimo eo inſtanti demonſtrat pronomen illud, ſubſtantiam corporis Chriſti præſentem in ſanctiſſima Euchariſtia, & contentam ſub accidentibus, non informatam ab illis vt rectè reſpondet *D. Thom. 3. p. q. 78. art. 5. ad primum, & in corpore ad fin. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 58. ſec. 7. verſ. Quinta tamen ſententia, Bellarm. lib. 1. de Euchariſtia, c. 11. Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 3. lib. 5. c. 1. ſub nu. 12.* cum alijs, quos allegant.

8 Ad ſecundum negatur conſequentia, quoniam licèt verba conſecrationis non ſint ſimplicia, ſed ex multis aggregata, ita vt ſucceſſiuè proferantur; nihilominus conuerſio panis in corpus, & vini in ſanguinem dicitur fieri in inſtanti in prolatione vltimæ dictionis dictorum verborum, & ſic conſecrationis formæ.

9 Ad tertium negatur quoque conſequentia, & ad probationem dicitur, quod opera miraculoſa non poſſunt fieri à creatura tanquam ab agente principali: verùm fieri ab ea poſſunt inſtrumentaliter, & efficienter tanquam ab inſtrumento eleuato Dei virtute, vt immediatè illa efficiat: & in hunc modum verba conſecrationis nomine Chriſti prolata Dei virtute eleuantur ad conuertendum panem in corpus Chriſti, & efficiendam præſentiam illius in Sacramento.

10 Ad quartum negatur pariter conſequentia. Etenim parum intereſt, quòd actio qua corpus Chriſti phyſicè attingitur, ſit ſine ſubiecto, & quod ſit creationi ſimilis: ſiquidem non pugnat dari inſtrumentum creationis, & aſſumere Deum aliquam creaturam, vt inſtrumentum ad rem aliquam creandam ex nihilo propter potentiam obedientialem ipſius non communicando illi præuiam aliquam qualitatem, qua ipſa creatura fiat aptum inſtrumentum eleuationis, nec præuium impulſum illi imprimendo, ſed eleuando ſimul, & creando: quoniam in inſtrumentis diuinis non eſt neceſſaria præuia illa actio, aut impulſus, vt creatura fiat aptum inſtrumentum eleuationis, cùm illa propter potentiam obedientialem ſit ſatis ſubiecta Deo, & ſatis aptum illius inſtrumentum, vt poſſit eleuari, & extendi vſque ad creationem, ita *Fagund. loco citato, ſub nu. 11. poſt Suar. & alios.*

11 Ad vltimum negatur ſequela: nam verba conſecrationis nō ſunt propriè, ac formaliter inſtrumentum humanitatis Chriſti; ſed Diuinitatis.

An verba conſecrationis in Sacramento Euchariſtiæ proferantur à Sacerdote recitatiuè tantùm, vel effectiuè.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Verba conſecrationis proferuntur à Sacerdote recitatiuè tantum, non effectiuè, & nu. ſeq.*

2 *Verior eſt ſententia, quod non ſolum proferantur recitatiuè ſed etiam effectiuè, formaliter, ac ſignificatiuè, atque adeo efficere Sacramentum.*

3 *Sacerdos profert verba conſecrationis in perſona Chriſti, & Chriſti nomine.*

4 *Verba illa, (Qui pro vobis effundetur.) Non ſignificant effuſionem cruentam, qua habita fuit in paſſione Chriſti, ſed incruentam, qua fit in Sacramento.*

5 *Quando Sacerdos profert verba conſecrationis, ſtatim induit perſonam Chriſti.*

1 IN hac re *Innoc. lib. 4. de ſacrif. Miſſæ c. 17. Dur. in 4. d. 8. q. 2. ad primū, Ochan. quodlib. 2. q. 1. Mirand. in apologia, q. 10.* Et alij putant, verba conſecrationis in Sacramento ſanctiſſimæ Euch. proferri à Sacerdote recitatiuè tantùm: & non effectiuè. Probant eorum ſententiam primò; quoniam Sacerdos illa verba, *Hoc eſt Corpus meum*. Proferens recitat, quod Chriſtus dixit: vt patet ex illis verbis præcedentibus formam ipſam conſecrationis, *Qui pridie quam pateretur, accepit panem in ſanctas, &c. ergò Sacerdos recitatiuè tantùm profert verba illa conſecrationis.* Secundò probatur ex verbis illis ſubſequentibus conſequentibus formam eſſentialem conſecrationis vini, *Qui pro vobis effundetur, &c.* Etenim verba illa nunc formaliter prolata falſa eſſent; quia iam nunc non eſt effundendus Sanguis Chriſti: ergò cùm Sacerdos verba conſecrationis profert, recitatiuè tantum dicitur ea proferre: nam tota illa recitatio eſt materialis, non autem formalis. Tertiò confirmatur ex illis Domini verbis, formam ſubſtantialem conſecrationis ſubſequentibus, *Hoc facite in meam commemorationē*. Ergò Sacerdos recitatiuè tantum profert verba conſecrationis; quoniam id tantùm videtur Chriſtum Dominum exegiſſe; eo magis, quia Chriſtus potuit inſtituere, vt verba materialiter ſolùm prolata vim haberent ſacramentalem.

2 His tamen nō obſtantibus contraria ſententia nobis videtur verior, quam docet *D. Thom. 3. p. q. 78. art. 5. in corp. Alenſ. 4. par. q. 33. membr. 3. art. 2. §. 1. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 58. ſec. 4. verſ. Dico ſecundo, Scot. Palud. & alij*, quos refert, & ſequitur *Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 3. lib. 5. c. 1. nu. 15.* Dicentes, Sacerdotem proferre verba conſecrationis in hoc Sacramento non tantùm recitatiuè recitando illa verba, quæ Chriſtus protulit recitando materialiter tantùm; verum etiam effectiuè, formaliter, ac ſignificatiuè, atque adeò efficere Sacramentum. Probatur hæc ſententia ex illis *D. Auguſtini* verbis, *tract. 80. in Ioan. tom. 9. Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Ergò Sacerdos non tantùm recitatiuè, ſed etiam effectiuè, etiam profert verba conſecrationis: conſequentia patet, quoniam propoſitio illa *D. Auguſt.* non eſſet vera: ſiquidem verba illa non applicarentur ad materiam præſiſtentem panis: nec dicerentur efficere Sacramentum. Confirmatur hæc opinio ex ijs, quæ ſupra diximus ſec. præcedenti, dum diximus, quod verba conſecrationis verè ſignificant corporis Chriſti præſentiam eſſe in Sacramento: ergò verè quoque efficiunt, vt corpus Chriſti ſit hoc Sacramento præſens, atque ideò verè formaliter, ac effectiuè, & non tantùm recitatiuè, ac materialiter profert verba conſecrationis.

Ad

Digitized by Google

Ad contraria facilè reſpondetur.

1 AD primum reſpondetur concedendo, Sacerdotem proferre verba conſecrationis in perſona Chriſti, & Chriſti nomine, ita vt illud pronomen *Meum*, in forma conſecrationis contentum, ad Chriſtum referatur, ex cuius perſona loquitur, atque ideò verba illa ob id recitatiuè proferre: verum non tantum recitatiuè profert, ac materialiter; ſed etiam formaliter, effectiuè, ac ſignificatiuè: etenim ſi verba conſecrationis recitatiuè, ac materialiter proferret Sacerdos, ex veritate illorum nullo modo poterit colligi, hoc quod nunc eſt in manibus Sacerdotis, eſſe verum corpus Chriſti; quoniam id ea non ſignificant; ſed ad ſummum ſolùm colligi poterit, id quod fuit in manibus Chriſti fuiſſe corpus eius; ſiquidem verba Chriſti formaliter ſumpta illud dumtaxat ſignificabunt.

4 Ad ſecundum negatur conſequentia; quoniam verba illa, *Qui pro vobis effundetur*. Non ſignificant effuſionem cruentam, quæ habita fuit in paſſione Chriſti; ſed incruentam, quæ fit in Sacramento, vt ſenſus ſit, *Qui pro vobis effundetur*. Ideſt ad bibendum dabitur: vel certè referuntur ad effectum, nam cùm Chriſti ſanguine abluamur quando illum ſuſcipimus, non iniuria pro nobis effundi dici poteſt, vt colligitur ex *c. quotieſcunq; de conſecr. d.* 2. Et habetur ex *D. Ambr. lib. 4. de ſacram. c. vlt. Ianſ. cap. 131. ſua concordia, Suar. loco citato, Fagund. d. c. 1. nu. 17.* Et ex alijs, dum dicunt, ſanguinem effundi in Sacramento, idem eſſe, ac offerri illum, & libari Deo in ſacrificium, vt rectè explicat idem *Fagund. ibidem.*

5 Ad tertium negatur conſequentia: quia, quando Sacerdos profert verba conſecrations dicens, *Hoc eſt Corpus meum.* Statim induit perſonam Chriſti, & tunc iam non recitatiuè, ſed formaliter, ac ſignificatiuè loquitur. Et quamuis Chriſtus potuiſſet Sacramentum inſtituere, vt ad præſentiam, ac recitationem verborum conſecrationis applicatam ad debitam materiam Sacramentum fieret; non tamen ita de facto inſtituit, vt rectè declarat idem *Fagund. loco citato*, Qui etiam reſpondendo ad auctoritates SS. Patrum inquit, quod licèt dicant, Sacerdotem proferre verba conſecrationis recitatiuè; tamen non negant: quin proferat etiam formaliter, ſignificatiuè, ac effectiuè modo ſupra explicato.

An ſubſtantia panis, & vini poſt conſecrationem annihiletur.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Verba conſecrationis efficiunt conuerſionem, & mirabilem illam tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Domini.*
2 *Triplex eſt conuerſio vnius rei in aliam.*
3 *Iuxta Scoti ſententiã conuerſio ſubſtantiæ panis, & vini in Chriſti corpus, & ſanguinem non eſt productiua: idq; multipliciter probat.*
4 *Verior eſt in contrarium opinio Diu. Thomæ, & probatur.*
5 *Si conuerſio panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti non comitaretur deſitionem panis, & vini, eſſet annihilatio, & quare.*
6 *Licet ſubſtantia panis, & vini conuertatur in ſubſtantiam Corporis, & Sanguinis Chriſti praeſiſtentem, tamen deſitio ſubſtantia panis, & vini dici non poteſt annihilatio.*
7 *Si Deus prius annihilaret panem, & deinde ſub ſpeciebus poneret Corpus Chriſti non benè verificaretur forma (Hoc eſt corpus meum.)*
8 *Quando accidentia panis, & vini deſinunt eſſe, non annihilantur, ſed corrumpuntur.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd ſupra ſec. 3. concluſimus, quòd verba conſecrationis efficiunt conuerſionem, & mirabilem illam tranſubſtantiationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Domini, ita vt ad deſitionem panis, & vini ſequatur præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti. Quæritur modo, an deſitio illa panis, & vini ſit annihilatio ſubſtantiæ panis, & vini: vel ſit vera, ac realis conuerſio ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Domini.

2 Secundò eſt adnot. quòd triplex eſt conuerſio vnius rei in aliam. Prima eſt quando tota vna ſubſtantia conuertitur in aliam iam præexiſtentem ſecundum eſſe antiquum, quod habebat, vt ſi tota ſubſtantia hominis conuerteretur in ſubſtantiam Angeli præexiſtentem. Secunda conuerſio, quando tota ſubſtantia conuertitur in aliam, quæ non præexiſtebat, ſed incipit habere eſſe per ipſam conuerſionem, vt cùm generatur ignis ex ligno, quoniam lignum conuertitur in ignem, quæ conuerſio ſecundum *Scot.* dicitur productiua. Tertia conuerſio eſt, qua adducitur terminus ad quem ad locum vbi erit terminus à quo, vt ſi panis ſubſtantia deſtrueretur, & crearetur Angelus de nouo factus præſens ſpeciebus panis, per eiuſmodi conuerſionem dicitur Angelus adduci ad locum vbi antea erat panis: quam conuerſionem appellat *Scot.* adductiuam, & deſitionem panis annihilationem.

3 In hac re *Scot. in 4. d. 11. q. 4. §. ad quæſtionem*, Putat, conuerſionem ſubſtantiæ panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, non eſſe conuerſionem productiuam; ſed eſſe conuerſionem in aliam præexiſtentem, vel adductiuam, & conſequenter annihilationis panis, & vini: nam per talem conuerſionem adducitur corpus, & ſanguis Chriſti ad locum vbi erat ſubſtantia panis, & vini, quæ totaliter eſſe deſinit, atque ideò annihilatur. Ait tamen inſuper *Scot.* quòd licèt ſubſtantia panis, & vini annihiletur; non tamen dicitur annihilari conuerſio ipſius panis, & vini: ſiquidem conuerſio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Domini, cùm habeat pro termino realem præſentiam corporis Chriſti, & ad illam præſentiam terminetur ſub ſpeciebus panis, & vini; putat, conuerſionem ipſam per ſe ſumptam non eſſe annihilationem, cùm aliquid reale habeat, cum quo identificetur, nempe ipſam realem præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti, quæ eſt illius terminus realis, cum quo identificatur. Probat *Scot.* ſuam ſententiam ex eo, quod in eiuſmodi Sacramento inuenitur mutatio per ſe ab eſſe panis, ad non eſſe illius: inuenitur quoque alia mutatio à non præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti ad præſentiã illorum, modo ſic argumentatur, ſi hæc ſecunda mutatio non comitaretur primam, deſitio panis eſſet vera annihilatio: ergò quamuis modo illam comite-

tur, prima illa mutatio eſt vera annihilatio. Probat conſequentiam, quoniam id, quod eſt per accidens, non variat naturam rei: per accidens autem ſequitur præſentia corporis Chriſti ad deſitionem panis: ergò non variabit naturam eius quominus dicatur annihilatio. Secundò probat *Scot.* hanc ſuam ſententiam, quoniam tranſubſtantiatio duobus modis conſiderari poteſt: primo quando aliquid tranſubſtantiatur in id, quod non erat, & in hac tranſubſtantiatione deſitio panis non diceretur annihilatio, quia terminus illius per ſe eſt ſubſtantia acquirens eſſe ſimpliciter: ſecundo quando aliquid tranſubſtantiatur in id, quod iam exiſtebat, vt ſi ſubſtantia panis conuerteretur in ſubſtantiam Arcangeli Gabrielis: ſicut inquit modo fieri in conſecratione, in qua ſubſtantia panis tranſubſtantiatur in ſubſtantiam corporis Chriſti, quod iam exiſtebat, vndè cùm per hanc mutationem, ſeù tranſubſtantiationem terminus non acquirat eſſe ſimpliciter, ſed ſolum eſſe præſens in ſpeciebus, idcircò deſitio panis eſt vera annihilatio. Tertiò probat, quia ſi ſubſtantia panis deſtrueretur, & poſtea loco eius poneretur corpus Chriſti præſens ſub ſpeciebus, eo modo ſe haberet tàm ipſa ſubſtantia panis, quàm corpus Chriſti, ſicut modo ſe habent; at illa deſitio panis, eſſet perfecta annihilatio: ergò & quæ modo fit. Quartò probat, quia ſicut ſubſtantia panis deſinit eſſe propter aliquam mutationem poſitiuam, nempè conuerſionem ipſius in corpus Chriſti, quam non dicitur annihilari; ita etiam poſt conſecrationem, quando accidentia panis, quæ ibi manent ſine ſubiecto corrumpuntur, deſinunt eſſe ob mutationem aliam, quando ſcilicet generatur aliquid ex illis; at eiuſmodi deſitio ſpecierum, eſt vera annihilatio: ergò annihilatio eſt deſitio panis. Minor patet; quoniã ſpecies deſinunt eſſe ſecundum ſe totas, & ſecundum quodlibet ſui, ita vt nec in ſe maneant, nec maneat aliquod ſubiectum earum.

4 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto eſſe veriorem, quam docent *D. Thom. 3 p. q. 75. art. 3. & in 4 d. 11. q. 2. Capreolo ibidem, q 2. Sot. d. 9. q. 2. art. 4. Ferrar. 4. contra Gent. c. 63. Innoc. lib. 4. de ſacrif. Miſſa, c. 7. Vualdenſ. tom. 2. de ſacram. c. 66. Hugo de ſancto Victore eod. tract. lib. 2 p. 8. c. 9. Alenſ. D. Bonau.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. cap. 3 num. 7.* Dicentes ſubſtantiam panis in hoc Sacramento non annihilari, & non ſolùm conuerſionem eius in corpus Chriſti, verum etiam nec eius deſitionem appellandam eſſe annihilationem. Mouentur primò ex eo, quòd annihilatio alicuius rei, eſt illius rei deſitio ſecundum ſe totam, orta non ex mutatione aliqua poſitiua; ſed præcisè ex ſubtractione, ac negatione concurſus Diuini, conſeruantis rem ipſam: ſubſtantia autem panis deſinit in hoc Sacramento eſſe ex vi cõuerſionis ipſius ſubſtantiæ in ſubſtantiam corporis Chriſti; quæ conuerſio eſt cauſa deſitionis illius: ergò deſitio illius non eſt annihilatio. Secundò in hoc ipſo Sacramento fit tranſubſtantiatio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4. & ex Conc. Floren. & Lateran.* Ergò ſubſtantia panis, & vini non annihilatur. Conſequentia patet, quoniam aliàs ſubſtantia panis, & vini non tranſubſtantiaretur; eo quòd non tranſiret in melius eſſe; ſed deſineret in purum nihil. Tertiò de intrinſeca ratione annihilationis eſt, vt terminus illius mutationis, ex cuius vi res annihilata deſinit, ſit nihil: at terminus conuerſionis ex cuius vi ſubſtantia panis deſinit, non eſt nihil; ſed corpus Chriſti, ergò deſitio panis non eſt annihilatio. Denique ſi virtute agentis naturalis tota ſubſtantia ligni quoad materiam, & formam conuerteretur in ſubſtantiam ignis, illa deſitio ligni non eſſet annihilatio ligni, quoniam annihilatio, vt diximus, non oritur ex mutatione aliqua poſitiua, ſed præcisè ex ſubtractione Diuini concurſus: ergò ſi talis conuerſio fiat diuina virtute non ſequetur annihilatio.

Reſtat modò, vt contraria ſoluamus.

5 AD primum reſpondetur negando conſequentiam, quia ſi conuerſio panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti non comitaretur deſitionẽ panis, & vini, tunc deſitio panis, & vini eſſet annihilatio, eo quòd panis deſineret eſſe ſecundum ſe totum, ſicut & vinum, non per aliquam actionem poſitiuam, ſed ex vi ſubtractionis, ac negationis Diuini concurſus, conſeruantis ſubſtantiam panis, ac vini: at verò cùm conuerſio prædicta comitatur mutationem panis, ac vini ex eſſe per ſe ad non eſſe, ita vt ex vi ipſius conuerſionis ſequatur deſitio panis, & non ex vi concurſus ſubtractionis, deſitio panis, & vini non dicitur annihilatio.

6 Ad ſecundum negatur quoque conſequentia: nam licèt ſubſtantia panis, & vini conuertatur in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti præexiſtentem, ita vt corpus, & ſanguis nõ acquirant aliquod eſſe ſimpliciter, ideſt eſſe exiſtentiæ, quia iam illud antea habebant; nihilominus illa deſitio ſubſtantiæ panis, & vini non poteſt dici annihilatio: eo quòd talis deſitio non prouenit ex vi ſubtractionis concurſus Diuini conſeruantis; ſed ſequitur ex vi alterius mutationis poſitiuæ, cuius terminus non eſt purum nihil; ſed quid reale: ſiquidem corpus Chriſti, ſicut, & ſanguis, & ſi non acquirant eſſe exiſtentiæ per talem conuerſionem panis, ſeù vini; acquirunt tamen aliquod reale nouum, nempè realem continentiam ipſius corporis, ſeù ſanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini: quod quidem fit citra variationem aliquam corporis, & ſanguinis Chriſti: ex qua reali continentia ſequitur mediatè præſentia ad locum, vbi panis erat: nam quod præſens eſt ſpeciebus, præſens eſt etiam loco ambienti ſpecies.

7 Ad tertium negatur maior: nam ſi Deus prius annihilaret panem, & deindè ſub ſpeciebus poneret corpus Chriſti, licèt quoad exiſtentiam corporis Chriſti omnia eodem modo ſe haberent, nempè quòd corpus Chriſti tunc ibi exiſteret ſacramentaliter; non tamen omnia ſe haberent eodem modo quoad eundem modum: nam non æquè benè verificaretur, tunc forma, *Hoc eſt Corpus meum.* Sicut modo poſita conuerſione: ſiquidem tunc annihilato pane, & poſito corpore Chriſti loco eius, ſatis eſſet dicere, *Hic eſt Corpus meum.* Quod quidem eſſet contra *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4.* Dum decreuit, per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti

Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius: quam conuerſionem inquit, conuenienter, ac propriè à S. Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellari.

8 Ad quartum negatur minor, & ad probationem dicitur, quòd quando accidentia panis, & vini deſinunt eſſe, non annihilantur, ſed corrumpuntur: eo quòd eorum deſitio non prouenit ex vi detractionis Diuini concurſus conſeruantis ſpecies ipſas; ſed ſequitur ex vi alterius mutationis poſitiuæ, ſcilicet generationis, ſeu introductionis formæ ſubſtantialis, cum qua illa accidentia non poſſunt compati, vt ſequenti sec. latius declarabimus.

An poſt conſecrationem maneat aliqua pars ſubſtantiæ panis, vel vini ſub ſpeciebus conſecratis.

SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Luther. & nonnulli alij hæretici negant tranſubſtantiationem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti, & quomodo probent hunc errorem.*

2 *Vera eſt, & de fide ſententia in contrarium omnium Patrum, ac Theologorum communis eaque rationibus, & Conciliys probatur.*

3 *Licet ſubſtantia ſemper generetur via naturali ex ſubſtantia corrupta; tamen cum accidentia in hoc Sacramento ſint ſubſtantia, nihil repugnet, quia eis corruptis poſſit generari ſubſtantia & ſic vermis.*

4 *Hæretica eſt eorum ſententia, qui dicebant panis ſubſtantiam manere in hoc Sacramento excluſo eius ſuppoſito vnitam hypoſtaticè verbo Diuino.*

1 IN hac re *Luther.* & nonnulli alij hæretici tenent partem affirmatiuam, atque ideò negant tranſubſtantiationem panis, ſeu vini in corpus, & ſanguinem Domini. Mouentur ex eo, quòd in hoſtia conſecrata via naturali generatur vermis: ergò in ea remanet ſubſtantia panis conſtans ex partibus phyſicis, nempè ex materia, & forma, antecedens patet. Probatur conſequentia, quoniam vna ſubſtantia via naturali non generatur, niſi ex alia ſubſtantia. Sunt etiam alij hæretici, qui dicebant in hoc Sacramento manere naturam ſubſtantialem panis; non tamen eius ſuppoſitum, & ſic Chriſtum ſibi hypoſtaticè vnire ipſam panis naturam, quemadmodum vniuit ſibi hypoſtaticè naturam humanam ſine eius ſuppoſito. Probant hunc errorem ex illo *Ioan. 6. Panis, quem ego dabo caro mea eſt*, *Ex Apoſtolo Paulo 1. Corinth. c. 11.* in illis verbis, *Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de illo pane edat, &c.* Et ex omnibus alijs ſcripturæ locis, quibus Chriſtus, & corpus Chriſti panis vocatur.

2 His tamen non obſtantibus contraria ſententia eſt vera, ac de fide, quam docent *D. Thom. 3. p. q. 75. Palud. in 4. d. 11. q. 2. Scot. ibidem, q. 3. Alan. lib. 2. de ſacram. c. 34. Bellar. lib. 3. de Euch. c. 18. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 49. ſec. 2. &* 3. Et eſt communis omnium Patrum, & Theologorum dicentium, in hoc Sacramento poſt conſecrationem adeò fieri tranſubſtantiationem panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, vt non ſolùm nihil omninò ſubſtantiæ materiæ, & formæ panis, aut vini remaneat, ſed nec naturæ abſq; ſuppoſito; ſed ſolùm remanere nuda, & mera accidentia extra ſubiectum, diuina virtute ſuſtentata, quæ accidentia ſpecies panis, & vini communi vocabulo appellantur. Probatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 4* Vbi definiuit totam ſubſtantiam panis conuerti in corpus, & totam ſubſtantiam vini in ſanguinem Chriſti, manentibus tantum ſpeciebus panis, & vini. Vndè *Conc. ipſum ibidem, can.* 2. Ita de fide decreuit, *Si quis dixerit in ſacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini vna cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritq; mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis, & vini; quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſubſtantiationẽ appellat. anathema ſit.* Hoc ipſum fuit antea definitum in *Conc. Colonien. p. 7. c. 15.* in illis verbis, *Quid enim panis, viniq; ſpecies poſt conſecrationem ſunt, niſi ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubiecto?* Et denique, cæteris prætermiſſis, hæc catholica veritas probabitur ex *can. omnia il 2. de conſecr. diſt.* 2. Vbi habetur, quod poſt conſecrationem licet figura panis, & vini remaneat, tamen nihil eſt ibi, niſi corpus, & ſanguis Chriſti. Et re vera, ſi aliqua ſubſtantia panis remaneret in hoc Sacramento, non poſſet ſaluari veritas huius formæ. *Hoc eſt corpus meum.* Quoniam pronomen, *Hoc*, Significat omnem ſubſtantiam in pane repertam conuerſam eſſe, & tranſubſtantiatam in corpus Chriſti.

Reſtat modò, vt contraria ſoluamus.

3 AD illud Lutheri reſpondemus negando conſequentiam: nam licèt ſubſtantia via naturali ſemper generetur ex ſubſtantia tanquam ex termino à quo, nempè ex ſubſtantia corrupta, cùm generatio vnius ſit corruptio alterius; nihilominus, cùm accidentia in hoc Sacramento ſint loco ſubſtantiæ, non pugnat, vt ex eis corruptis poſſit generari ſubſtantia, & ſic vermis. Secundò reſpondetur, quòd quamuis ſubſtantia naturaliter non poſſit, niſi ex alia ſubſtantia, generari, nempè ex materia, quæ prius fuerit ſub forma rei corruptæ, & poſtea ſit ſub forma rei genitæ; nihilominus quando generantur vermes ex hoſtia conſecrata, reproducitur à Deo eadem materia, quæ ante conſecrationem fuerat ſub forma, & accidentibus ipſius panis, & in eam introducitur forma vermis, atque ideò in hac generatione ſubſtantia vermis generatur naturaliter ex ſubſtantia, nempè ex materia ſucceſſiuè exiſtente ſub vtraque forma. Ita *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 5. c. 3. ſub nu. 6.* Sed prior reſponſio eſt melior.

4 Ad errorem eorum, qui dicebant panis ſubſtantiam manere in hoc Sacramento excluſo eius ſuppoſito, vnitam hypoſtaticè verbo Diuino, reſpondemus eiuſmodi ſententiam eſſe hæreticam, vt patet ex *Conc.* ſupra relatis, vt benè docet *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 49. ſec. 2. verſ. Dicendum eſt primò.* Definierunt enim concilia, conuerſionem panis in corpus, & vini in ſanguinem Chriſti Domini eſſe tranſubſtantiationem, non

autem incarnationem, ſeù impanationem, vt rectè declarat idem *Fagund. loco citato ſub nn. 9. & 10.* Qui reſpondet ad auctoritates ſcripturæ, & Patrum.

Quid ſit præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti Domini in hoc Sacramento ſub ſpeciebus panis, ſeù vini: & in quo prædicamento ponatur.

S E C. VIII.

S V M M A R I V M.

1 *Præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & nu. ſeq.*

2 *Vera, & catholica ſententia eſt, Chriſti præſentiam eſſe in hoc Sacramento per modum realem, & pertinere ad prædicamentum* Vbi.

3 *Quamuis corpus, & ſanguis Chriſti ſint ſubſtantialiter in hoc Sacramento, non tamen infertur præſentiam Chriſti pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ: aliudq; eſſe per modũ ſubſtantiæ, & aliud per ſubſtantialem modum.*

1 IN hac re *Conc. Trid. ſeſſ. 13. cap. 3. & can. 3.* Definiuit, corpus Chriſti, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, ſeù vini eſſe in hoc Sacramento ſubſtantialiter: ergo præſentia corporis, & ſanguinis Chriſti in ipſo Sacramento pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ.

2 Vera tamen, ac catholica ſententia eſt, quam docent *D. Thom. in 4 d. 10. q. 1. art. 3. quæſtiunc. 1. ad 1. Ferrar. 4. contra Gent. c. 63. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 48. ſec. 3. verſ. Dico quarto, Capreol. D. Bonau.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. in præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. cap. 4. ſub nu. 1.* Dicentes, præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti in hoc Sacramento eſſe modum realem, qui ad prædicamentum *Vbi*, Reducitur: & propterea poteſt eſſe in pluribus locis eodem tempore ſacramentaliter, quamuis aſſideat in Cœlo ſecundum ſuum modum naturalem, vt fuit reſolutum per *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 1.* In illis verbis, *Neque hæc inter ſe repugnant, vt Chriſtus in Cœlo aſſideat iuxta modum exiſtendi naturalem, & vt multis alijs in locis ſacramentaliter præſens ſub ſubſtantia nobis ſit.* Probatur quoque ratione: nam modus huiuſmodi, cùm ſit realis, vt ad prædicamentum aliquod reducatur: ſed ſic eſt, quòd non poteſt reduci ad prædicamentum ſubſtantiæ; quoniam hæc præſentia non addit corpori Chriſti modum aliquem ſubſtantialem, qui ad prædicamentum ſubſtantiæ reducatur; nam ſecundum omnium ſententiam præter ſubſtantiam corporis Chriſti quicquid eſt in hoc Sacramento eſt accidens ſpectans ad modum exiſtendi; ſiquidem modus ſubſtantialis eſſe non poteſt; quoniam modus ſubſtantialis intrinſecè pertinet ad conſtitutionem, & complementum ſubſtantiæ: at ſubſtantia corporis Chriſti quando eſt præſens, iam eſt per ſe completa: non enim modus præſentiæ ſubſtantiam efficit corporis Chriſti; ſed afficit in facto eſſe: nam corpus Chriſti tàm plenè, ac perfectè conſtitutum, & integrũ ſubſtantialiter eſt in Cœlo ſine hac præſentia ſacramentali, quàm plenè, ac perfectè eſt in hoc Sacramento; atque ideò iſta præſentia ſacramentalis non eſt modus ſubſtantialis conſtitutiuus ipſius ſubſtantiæ corporis Chriſti exiſtentis in eſſe ſubſtantiæ. Non poteſt reduci ad prædicamentum relationis, nec ad alia prædicamenta, vt optimè declarat *Fagund. loco citato, & nu. 2.* Ergò neceſſariò reducitur ad prædicamentum, *Vbi*.

3 Ad contrarium facilè reſpondetur, quod quamuis corpus, & ſanguis Chriſti ſint ſubſtantialiter in hoc Sacramento; non tamen ex hoc infertur, hanc præſentiam pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ; ſiquidem aliud eſt eſſe per modum ſubſtantiæ, & aliud per ſubſtantialem modum: nam nos negamus, ac dicimus eſſe falſum, corpus Chriſti eſſe præſens in hoc Sacramento per ſubſtantialem modum, vt ſupra diximus: fatemur tamen idem corpus, ſeù ſanguinem eſſe ſubſtantialiter, ſeù per modum ſubſtantiæ præſens: quoniam id ſignificat, modum illum, licet accidentalis, & realis ſit, eſſe proportionatum ſubſtantiæ ſecundum proportionem ſuam, ſeu efficere præſentiam illam modo accomodato ſubſtantiæ; ſic Angelus dicitur præſens per modum ſubſtantiæ; non autem per ſubſtantialem modum. Ita *Fagund. poſt Suar. vbi ſupra ſub nn. 3.*

An præſentia corporis Chriſti in Sacramento includit aliquam veram vnionem ipſius corporis ad ſpecies ſacramentales.

S E C. IX.

S V M M A R I V M.

1 *Inter corpus, & ſanguinem Chriſti, ac inter ſpecies ſacramentales dari non poteſt vnitas formalis, nec accidentalis, nec ſubſtantialis.*

2 *Verior eſt oppoſita ſententia, & Multiformis probatur.*

3 *Non videtur poſſe corpus Chriſti, ac ſpecies inter ſe agere ad inuicem, & alterum ab altero in eodem genere cauſæ efficientis mutuo pendere, cum cauſa efficiens ſua actione ſit prior.*

4 *Non eſt inconueniens in ordine ad diuerſa mutuam dari efficientiam inter aliqua duo.*

5 *In hoc Sacramento Actio fit à corpore Chriſti præſente, ſed illa præſentia conſequenter ſe habet, non antecedenter.*

Et an corpus Chriſti dependeat ab accidentibus, ſeù ſpeciebus ſacramentalibus effectiuè ab in eſſe præſentia.

6 *Vnio, quæ eſt inter corpus, & ſanguinem Chriſti, ac ſpecies ſacramentales, eſt vnio effectiua, modo tamen ſupra explicato.*

1 IN hac re videtur prima fronte negatiuè reſpondendum eſſe. Etenim inter corpus, & ſanguinem Chriſti, & inter ſpecies ſacramentales non poteſt dari vnitas formalis, nec accidentalis, nec ſubſtantialis, nec mixta: ergò nulla datur vnio inter corpus, & ſanguinem Chriſti, & inter ſpecies ſacramentales. Conſequentia patet ex ſufficienti partium enumeratione. Antecedens probatur: quoniam hæc vnio non poteſt dici accidentalis, nam cùm aliud extremum ſit ſubſtantia, non poteſt hæc tota vnio ordinari ad componendum vnum accidens: nec ſubſtantialis, quoniam aliud extremum cùm ſit accidens non poteſt ordinari tota vnio ad componendam vnam ſubſtantiam: nec poteſt eſſe mixta, nempè partim ſubſtantialis, & partim accidentalis: quia ſi ex parte vnius extremi vnio eſt accidentalis,

non

Digitized by Google

non poteſt in alio extremo, quãuis ſit ſubſtantia, modus vnionis eſſe ſubſtantialis, nec poteſt tota vnio ad ſubſtantialem terminum referri: quoniam vt vnio ſit ſubſtantialis, aut accidentalis, oportet, vt modus ipſe vnionis ſit ſubſtantialis, vel accidentalis: vt autem ſubſtantialis neceſsè eſt, vt vtrunque extremum ſit ſubſtantia: & vt ſit accidentalis, neceſsè eſt, vtrumque extremum ſit accidens. Nec denique huiuſmodi vnio poteſt eſſe formalis, nempè compoſitio phyſica, ex qua reſultet vnum compoſitum phyſicum tanquam ex materia, & forma, & tanquam ex duabus ſpeciebus, ſeù extremis verè componentibus: quoniam talis vnio, nec accidentalis eſſe poteſt, nec ſubſtantialis, vt ſupra diximus: ergò nulla datur vnio inter corpus, & ſanguinem Chriſti, & inter ſpecies ſacramentales.

2 His tamen non obſtantibus oppoſitam ſententiam arbitror eſſe veriorem, quam tenent *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 47. ſec. 3. verſ. Dico ſecundò*, cum alijs, quos allegat, quam communem hodie teſtatur eſſe *Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 3. lib. 5. c. 4. ſub nu. 5. & 6.* Probatur hæc ſententia ex *text. in c. firmiter, de ſum. Trinit. & fide Cathol.* Vbi de fide decernitur, ſpecies continere corpus Chriſti, vt patet ex illis verbis, *Cuius Corpus, & Sanguis in Sacramento Altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter continentur.* Ergò per aliquam vnionem, ſeù coniunctionem ſaltem effectiuam continentur: quæ vnio ſit ad minus vinculum quodam reale per efficientiam, & quaſi attractionem vnius ad alterum. Secundò probatur, quoniam ſpecies verè ſubſtentantur à corpore Chriſti ſine ſubiecto, ergò per aliquam vnionem effectiuam ſubſtentantur. Tertiò corruptis accidentibus, corpus Chriſti deſinit eſſe præſens illis: ergò ſignũ eſt præſentiam corporis Chriſti habere aliquam vnionẽ effectiuam cum illis ſpeciebus. Denique nos videmus quod corpus Chriſti mouetur, motis ſpeciebus: ergò ſignum eſt, quòd in ſpeciebus ſit vis aliqua, ſeù vnio effectiua, qua ad ſe trahant corpus Chriſti: & in corpore Chriſti, qua effectiuè conſeruet, ac ſuſtineat ipſas ſpecies extra ſubiectum, & qua à ſe inuicem quoad hos effectus intimè pendeant. Etenim qui magnetem attraxerit, ferrum etiam illi coniunctum ſecum trahit, propter intimam dependentiam quam ferrum habet à magnete; ita etiam qui ſpecies ſacras trahit, ac mouet, corpus etiam Chriſti illi coniunctum trahit, ac mouet propter intimam illam dependentiam, quam corpus Chriſti habet ab ipſis ſpeciebus, nihil reſiſtendo ipſum Chriſti corpus.

3 Nec obſtat ſi dicatur, quod non videtur poſſe corpus Chriſti, ac ſpecies inter ſe ad inuicem agere, & alterum ab altero in eodem genere cauſæ efficientis mutuo pendere: ſiquidem cauſa efficiens eſt ſua actione prior, tàm in exiſtentia, quàm ſecundum omnes conditiones requiſitas ad agendum: nam prius natura res exiſtit, & ſubſiſtit, quàm operetur: ergò videtur dicendũ non poſſe dari hanc mutuam efficientiam inter corpus, & ſanguinem Chriſti, & inter ſpecies ſacramentales: quoniam ſpecies numquam prius exiſtunt ſeparatæ à ſubſtantia panis, quam ſub illis præſens ſit corpus Chriſti; illa enim actio, qua Chriſtus cõſeruat ſpecies abſque ſubſtantia, & ſubiecto, ſupponit ipſum Chriſtum ſub ipſis ſpeciebus exiſtentem; ergò vt ſic non poteſt pendere à ſpeciebus effectiuè. Quoniam reſpondetur,
4 non eſſe inconueniens in ordine ad diuerſa dari mutuam efficientiam inter aliqua duo: etenim habitus efficit actum cum ſit principium actus: & actus habitum intendit, imò ex frequentatis actibus fit habitus. Species igitur in hoc Sacramento licèt effectiuè non attingant, nec conſeruent corpus Chriſti; tamen conſeruant, & attingunt præſentiam illius, & ideo ordine naturæ ſupponunt corpus Chriſti ſubſiſtens independenter ab ipſis: vndè corpus Chriſti poteſt per ſuam ſubſtantiam, & entitatem, quæ à ſpeciebus non pendet habere efficientiam in ipſas ſpecies, & cõſeruare illas, tùm in exiſtentia, tum in modo exiſtendi, tùm etiam in præſentia: & ſpecies poſſunt efficere circa corporis Chriſti præſentiam, ſeù coniunctionem, aut attractionem ad ſe; quoniam non eſt neceſsè, vt illa actio corporis Chriſti circa ſpecies ſupponat hanc præſentiam, vt conditionem neceſſariam ad agendum: ſiquidem eiuſmodi conditio in Diuinis inſtrumentis neceſſariò non ſupponitur: & interdum fit actio citra talem præſentiam. In hoc autem Sacramento, licet actio non fiat, niſi à corpore Chriſti præſente; illa tamen præſentia conſequenter ſe habet, non antecedenter, & vt principium, ſeù conditio ſimpliciter neceſſaria, quæ ad actionem ſupponatur: ſic enim ille modus præſentiæ Chriſti poteſt immediate pendere à ſubſtantia eius; ergò, & mediantibus ſpeciebus; quoniam eadem ratio militat, cùm efficientia illius præſentiæ, ſupponat ſubſtantiam, non tamen præſentiam ipſam. Ita *Fagund. d. c. 4. ſub nu. 7. ex Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 47. ſec. 3. verſ. Secunda difficultas*. Hæc reſponſio tollit quoq; difficultatẽ dependentiæ corporis Chriſti ab accidentibus, ſeù ſpeciebus ſacramentalibus; pendet enim effectiuè ab illis in eſſe præſentiæ, non autem ſecundum ſuam ſubſtantiam, hoc autem non eſt inconueniens, vt colligitur ex eodem *Fagund. loco citato, ſub nu. 6. vbi etiam nu. 8. & 9 cum ſeq.* Alias circa rem hanc difficultates affert, & ſoluit.

6 Ad contraria patet reſponſio ex dictis: nam vnio, quæ eſt inter corpus, & ſanguinem Chriſti, & inter ſpecies ſacramentales non eſt formalis, nec ſubſtantialis, nec accidentalis, nec tandem mixta, ſed eſt vnio effectiua modo ſupra explicato.

Qualiter moueantur Corpus, & Sanguis Chriſti in hoc Sacramento.

S E C. X.

S V M M A R I V M.

1 *Quod attinet ad rem noſtram duplex eſt motus phyſicus, ſcilicet, & ſacramentalis, Et quid dicat motus phyſicus; Quiduè dicatur motus ſacramentalis.*

2 *Motus, aut eſt per ſe, aut per accidens. Motuſq; per accidens, vel eſt effectiuè, vel formaliter.*

3 *Motu per accidens effectiuè mouetur anima noſtra in corpore exiſtens.*

4 *Corpus Chriſti (iuxta primam ſententiam Durand. & alior.) non habet motum per ſe, vel accidens in ſanctiſs. Euchar. Sacramento.*

5 *Iuxta Scoti ſententiã corpus Chriſti nullo modo*

mone-

mouetur per accidens à Sacerdote mouente hoſtiam localiter, ſed mouetur ab ipſomet Chriſto propria voluntate.

6 *Communis, & vera ſententia eſt, quod ſuppoſita inſtitutione huius Sacramenti, & modo illius corpus Chriſti de potentia, ac lege ordinaria mouetur ſolum localiter per accidens à Sacerdote mouente ſpecies ſacramentales.*

7 *De potentia Dei abſoluta poteſt corpus Chriſti, pro vt eſt in hoc Sacramento, localiter moueri à Deo.*

8 *Inter corpus Chriſti, & ſpecies ſacramentales eſt ſufficiens colligatio, ſeu vnio effectiua. Nullumq; eſt inconueniens, idem per accidens moueri motibus contrarijs.*

9 *Corpus Chriſti ſacramentalem acquirit præſentiam citra omnem mutationem ipſius Corporis.*

Et cuius natura ſint qualitates termini alterationum.

10 *Quando aliquid voluntariè coniungitur alteri, tunc voluntariè cauſatur aliquis nexus inter illa, ita vt moto vno per ſe, alterum per accidens moueatur, licet mobile ſit mouenti improportionatum, propter nexum, quo cõiunguntur.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd duplex eſt motus, quoad rem noſtram attinet, nempè phyſicus, & ſacramentalis. Motus phyſicus dicit extenſionem ſubiecti in ordine ad ſpacium, quod occupat, & terminatur ad vbi quantitatiuum, ſeù circumſcriptiuum, ita vt totũ corpus mobile reſpondeat ratione quantitatis toti loco, & pars corporis parti loci. Motus autẽ ſacramentalis dicitur quaſi immaterialis, quem corpus Chriſti in hoc Sacramento habere poteſt. Nos igitur hoc loco non agimus de motu phyſico, quoniam hoc motu non poteſt moueri corpus Chriſti in ipſo Sacramento, cùm non ſit in eo quantitatiuè, nec habeat illum extenſionis modum, quem ſupra diximus; ſed loquitur de motu ſacramentali proportionato ſacramentali præſentiæ: qui propriè appellatur modus ſacramentalis.

2 Secundò eſt adnot. quòd motus, aut eſt per ſe, aut per accidens. Per ſe motus dicitur quando eſt ab ipſa re, quæ mouetur, & ab ipſius potentia prouenit. Per accidens autem dicitur motus, quando non procedit ab ipſa re, quæ mouetur, nec ab eius potentia. Motus per accidens ſubdiuiditur in motum per accidens effectiuè, quando ſcilicet aliquid mouetur ad motum alterius, cum quo eſt coniunctum, ita vt ab illo cauſetur effectiuè alius motus intrinſecus ipſi rei, quæ mouetur per accidens: & in motum per accidens formaliter, quando ſcilicet aliquid dicitur mutatum; nam res, cum qua eſt coniunctum, mouetur, & ipſum in ſe recipit aliquem motum intrinſecũ; verùm denominatur tantùm extrinſecè mutatum per motum rei, quæ per ſe mouetur. Motu

3 per accidens effectiuè mouetur anima noſtra in corpore exiſtens: non enim mouetur per ſe, quia non poteſt moueri à ſua potentia motiua; ſed mouetur per accidens effectiuè ad motum corporis, cum quo eſt coniuncta, qui quidem motus corporis procedit à potentia motiua corporis eleuata à Deo ad mouendam animam cauſando in eo effectiuè alium motum intrinſecum ipſi animæ. Quæritur modò, an corpus Chriſti in hoc Sacramento moueatur per ſe, an per accidens: & ſi per accidens, an moueatur motu formaliter, vel motu effectiuè?

4 In hac re tres extant opiniones. Nam prima ſententia videtur eſſe *Duran in 4. d. 10. q. 3. art. 1.* Et aliorum negantium corpus Chriſti habere motum per ſe, vel per accidens in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento. Mouentur ex eo, quòd corpus Chriſti non eſt per ſe localiter in hoc Sacramento, ſed ratione ſpecierum: ergò non poteſt per ſe moueri: quia quod non eſt per ſe in loco, non poteſt localiter moueri. Nec poteſt moueri per accidens; quoniam ad hoc, vt ad motum vnius ſequatur per accidens motus alterius, debet intercedere inter vtrunque aliqua colligatio vnius ad alterum, vel tanquam ſubiecti ad accidens, vel tanquam continentis ad contentum; vel quòd ſit ſaltem aliquis contactus phyſicus inter vtrunq; at ſpecies ſacramentales non habẽt huiuſmodi colligationem ad corpus Chriſti: ergò per accidens moueri non poteſt. Confirmatur, quia ſi corpus Chriſti moueretur per accidens ad motum hoſtiæ, ſequeretur moueri ſimul motibus contrarijs ſurſum, ac deorſum: ſiquidem quando vnus Sacerdos eleuat ſurſum hoſtiam, alter deorſum ponit, quod tamen videtur abſurdum. Præterea corpus Chriſti in Cœlo localiter exiſtens incipit eſſe de nouo ſacramentaliter in hoc Sacramento citra aliquam ſui mutationem, nec per ſe, nec per accidens: ergò multo magis id dicendum eſt in hoc Sacramento exiſtens, vt non moueatur de vno loco ad alium, tranſlatis ſpeciebus. Denique ſi corpus Chriſti localiter moueretur, motis ſpeciebus localiter, poſſet etiam moueri per accidens motibus alterationis, atque ideò poſſet calefieri, rarefieri, & condenſari, calefactis ſpeciebus, rarefactis, ſeù condenſatis: quod à nemine conceditur: ergò corpus Chriſti non mouetur localiter, motis ſpeciebus localiter, nec per ſe, nec per accidens.

5 Secunda ſententia eſt *Scoti in 4. d. 10. quæſt. 6. Argentina ibidem, q. 2. art. 4. concl. 3.* Et aliorum, exiſtimantium, corpus Chriſti nullo modo moueri per accidens à Sacerdote mouente hoſtiam localiter; ſed moueri tunc ab ipſomet Chriſto propria volutate, ſe mouente ad motum ſpecierum; ac ſi ſe Chriſtus voluerit obligare ad non ſe mouendum, niſi ad motum hoſtiæ Sacerdotis. Mouentur ex eo, quod ex motu corporis noſtri reſultat motus in anima noſtra, quo ipſa ſe voluntariè mouet ad ipſum motum corporis: ergò idem dicendũ eſt de motu corporis Chriſti, vt ex motu locali ſpecierum reſultet motus; ſeù excitatio quædam in Chriſto, quo ipſe voluntariè corpus ſuum moueat localiter per accidens, & effectiuè: ſiquidem cùm aliqua copulantur præciſè per actum voluntatis contingenter ſe habentis ad illam copulam: & vnum eſt mobile proportionatum; alterum verò improportionatum ipſi mouenti, mouens quando mouet per ſe vnum, non mouet per accidens alterum, ſed alterum ſe ipſum volutariè mouet in quantum voluntariè coniungitur per ſe moto. Sic Angelus, qui voluntariè præſentem ſe faceret lapidi, mouens lapidem, non diceretur mouere per accidens Angelum, ſed ipſe Angelus, qui voluntariè ſe lapidi cõiungeret, moueret ſe ad motũ lapidis.

6 Tertia

Digitized by Google

6 Tertia ſententia communis, & vera eſt *D. Thomæ 3. par. q. 76. art. 5. Alex. Alenſ. 4. p. q. 4. art. 3. ad fin. mem. 3. Palud. in 4. d. 10. q. 3. Ricchar. art. 4. q. 1. Capreol. q. 3. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 53. ſec. 1. verſ. Dico vltimo, Maior. Marſ. Caiet. Sot. & omnium Thomiſtar.* quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. c. 5. nu. 5.* Qui docent, ſuppoſita inſtitutione huius Sacramenti, & modo illius, corpus Chriſti de potentia, ac lege ordinaria moueri ſolùm localiter per accidens à Sacerdote mouente ſpecies ſacramentales. Probant primò hanc ſententiam ex eo, quòd quando Sacerdos huiuſmodi Sacramentum defert ad domum infirmi, tunc incipit eſſe corpus Chriſti in illa domo, & non per conuerſionem panis in ipſum Chriſti corpus, nec per nouam productionem ipſius corporis; ergò tunc incipit eſſe corpus Chriſti in illa domo per motum localem. Secundò nos manducamus verum Chriſti corpus, & bibimus verum eiuſdem ſanguinem, vt à catholica fide docemur: ergò corpus Chriſti localiter mouetur ex ore ad ſtomacum ad motum ſpecierum ſacramentalium, & ſic per accidens: ſiquidem non poſſumus manducare corpus Chriſti, & bibere eiuſdem ſanguinem, niſi ipſum Chriſti corpus in ſpeciebus ſacramentalibus prius ſit in ore, & poſtea in ſtomaco. Sic enim mouetur anima noſtra ad motum corporis; cum hac tamen differentia, quòd motus corporis humani eleuatus à Deo cauſat, & efficit in anima motum illi intrinſecum, qua ipſa in corpore exiſtente ſe ipſam per ſe moueat: at corpus Chriſti ſolùm dicitur moueri per accidens ad motum ſpecierum, in quantum ſcilicet denominatiuè dicitur moueri à motu ſubiectato in ſpeciebus, quibus eſt coniunctum, non autem quia ipſum ad motum ſpecierum ſe moueat, & ſubiectat motum: nam cùm ſit impatibiliter in hoc Sacramento, non poteſt extrinſecum agens in ipſum imprimere impulſum, & vim, ob quam poſſit in ſe ſubiectare motum. Etenim nihil poteſt ſubiectare motum localem, niſi id, quod exiſtit in ſpatio intrinſeco modo locali, & corporeo; atque ideò corpus Chriſti cùm nõ exiſtat in ſpatio ſpecierum modo locali, non ſubiectat in ſe motum localem, ſed ad motum localem ſpecierum dicitur per accidens moueri localiter, & acquirere aliud, atque aliud ſpacium extrinſecum, in quo eſt, vt rectè poſt alios declarat *Fagund. d. c. 5. ſub nu. 5.*

Dixi, *Suppoſita inſtitutione huius Sacramenti, & modo illius, corpus Chriſti de potentia,*
7 *ac lege ordinaria, &c.* Nam de potentia Dei abſoluta poteſt Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento localiter moueri à Deo: nam quamuis, inſpecta lege ordinaria, corpus Chriſti nunquam à ſpeciebus ſeparari poſſit, quamdiù integræ, ac incorruptæ manent, nec moueri, niſi ad illarum motum; nihilominus ſi Deus vellet in hac lege diſpenſare, poſſet de ſua abſoluta potentia transferre corpus Chriſti in alium locum, relinquendo ibi ſpecies, vel cõſtituendo Chriſti corpus ſub alijs ſpeciebus, vel ſub nullis, cum in his omnibus nulla ſit implicatio. Poſſet etiam ſuper mouere totum Sacramentum imprimendo primò, & per ſe motum in corpus Chriſti, & efficiendo, vt ipſum corpus concomitanter, & per accidens ſecum traheret ſpecies, nam nec ad pugnat, ſuppoſita vnione, de qua ſupra diximus, inter corpus, & ſpecies, ſec. præcedenti. Imò non ſolùm à Deo immediatè poteſt corpus Chriſti ſacramentaliter in Euchariſtia exiſtens, de potentia Dei abſoluta ſupernaturaliter moueri; ſed etiam mediante anima Chriſti tanquam inſtrumento Diuinitatis: quoniam anima Chriſti conſideretur, vt inſtrumentum Verbi Diuini, & eleuatur à Deo, & operetur per virtutem Diuinam ſupernaturaliter miraculorum effectricem, poteſt ſuum corpus in hoc Sacramento exiſtens primariò mouere motu locali, vel relictis ſpeciebus, vel ſecum illas deferendo: quoniam ſicut id non repugnat fieri à Deo, vt principali operante; ita neque à creatura, vt inſtrumento eius, vt benè declarat *Fagund. d. c. 5. ſub num. 7. licèt n. 12.* Neget, animam Chriſti poſſe corpus ipſius naturaliter mouere ab intrinſeco.

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

8 AD primum primæ ſententiæ negatur minor quia inter corpus Chriſti, & ſpecies ſacramentales eſt ſufficiens colligatio, ſeù vnio effectiua, de qua egimus ſec. præcedenti; quæ vnio ſatis eſt, vt motis localiter ſpeciebus, ipſum Chriſti corpus per accidens moueatur. Ad confirmationem negatur abſurdum: nullum enim eſt inconueniens, idem per accidens moueri motibus contrarijs, vt patet de eo, quæ exiſtit in naui per Diuinam virtutem, & ſimul eodem tempore inſidet in equo: nam is in naui poteſt moueri verſus orientem ad motum nauis, & ſimul quoque poteſt moueri ad occidentem, vel circulariter ad modum equi eum deferentis. Ad
9 tertium negatur antecedens; quoniam ſecundũ communem Theologorum ſententiam corpus Chriſti ſacramentalem præſentiam acquirit citra omnem mutationem ipſius corporis, vt declarat idem *Fagund. loco citato, ſub nu. 8.* Ad vltimum negatur ſequela: quoniam qualitates, quæ ſunt termini alterationum, ſunt talis naturæ, vt non poſſint, nec per accidens rem denominare, niſi illi intrinſecè adhæreant: nihil enim nec per ſe, nec per accidens eſt calidum, niſi in ſe habeat calorem ab agente extrinſeco: & propterea ad calefactionem ſpecierum non poteſt calefieri, nec rarefieri, nec condenſari corpus Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ exiſtens: ſiquidem corpus Chriſti dicitur eſſe in loco ſpecierum, non ob id quòd in ſe habeat intrinſecè vbiquationem ipſarum ſpecierum, ſed per hoc, quòd loco extrinſecè per ſpecies coniungatur; atque ideò ad motum localem ſpecierum per accidens moueatur; ſicut anima rationalis exiſtens in corpore per accidens localiter mouetur ad motum corporis, non autem per accidens calefit ad calefactionem corporis, quia non eſt capax caloris, in quem tendit calefactio.

10 Ad argumentum ſecundæ opinionis negatur conſequentia, & ad probationem dicimus, quòd quando aliquid voluntariè coniungitur alteri, tunc quidem voluntariè cauſari aliquem nexum inter illa, ita vt moto vno per ſe, alterum per accidens moueatur, licèt mobile improportionatum ſit mouenti propter nexum, quo coniunguntur, ſicut conſtat de anima, quæ mota per accidens ad motum corporis propter colligationem, quam habet ad corpus, quamuis ſit improportionata mouenti. Nec exemplum Angeli conuincit,

Digitized by Google

uincit, quia ſi Angelus per tres horas ſtatuat ſe coniungere lapidi, & in eo operari, propter nexum hunc agentis ad patiens, mouens lapidem, etiam moueret per accidens ipſum Angelum lapidi coniunctum.

An corpus Chriſti prout ſupernaturali modo exiſtit in Sacramento Eucbariſtiæ videri poſſit ab homine, aut ab Angelo cognoſci.

S E C. XI.

S V M M A R I V M.

1 *Nullus oculus corporalis actu videt, nec videre poteſt, nec quidem per Diuinam potentiam modum exiſtendi corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtia.*

2 *Corpore glorioſa ſanctorum erunt conſigurata corpori claritatis Chriſti.*

3 *Intellectus creatus, ſiue Angelicus ſit, ſiuè anima ſeparata per cognitionem ſupernaturalem poteſt cognoſcere modum exiſtendi ſupernaturalem corporis Chriſti in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

4 *Poteſt Deus creare propriam ſpeciem ſupernaturalem repreſentantem Chriſtum Dominum, & modum exiſtendi illius in hoc Sacramento, & modum, quo accidentia exiſtunt, ſine ſubiecto.*

5 *Anima Chriſti, & Beatiſſima Virgo habuerunt hanc cognitionem per ſupernaturalem ſpeciem*

6 *Secundum Scot. & alios intellectus Angelicus, & anima ſeparata per cognitionem naturalem poſſunt cognoſcere modum ſupernaturalem exiſtendi corporis Chriſti ſub hoc Sacramento. Idque probatur Multifariam.*

7 *Verior eſt in oppoſitum ſententia Diu. Thom. & aliorum.*

8 *Modus ſupernaturalis, etiam ſi accidentalis ſit, non eſt naturaliter cognoſcibilis.*

9 *Modus exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento non continetur ſub obiecto, naturaliter cognoſcibili alicuius intellectus etiam Angelici.*

10 *Non benè ſequitur: non eſt ibi ſubſtantia panis, ergò eius loco eſt corpus Chriſti.*

11 *Licet anima Chriſti naturaliter cognoſcat ſe ipſam, & ſuum Corpus, non tamen naturaliter cognoſcit modum exiſtendi ipſius in hoc Sacramento.*

12 *Quod ita producitur à Deo, vt produci poſſit à Creatura, non variat rationem cognoſcibilitatis, ſecus ſi tantum ſupernaturaliter à Deo produci poſſit.*

13 *Iuxta Paludani opinionem, & aliorum, neque per potentiam Diuinam ſupernaturalem fieri poteſt, vt oculus corporalis videat Chriſti Corpus in hoc Sacramento.*

14 *Sed probabilior eſt ſententia oppoſita D. Thom. Scoti, & aliorum, quæ multis probatur.*

IN hac re duo faciemus: primò certa ab incertis ſeparabimus: ſecundò dubia per ſuas quæſtiones definiemus. Circa primum ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

1 CErtum eſſe, nullum oculum corporalem, licèt glorioſum, actu videre, aut videre poſſe; nec quidem per Diuinam potentiam, modum exiſtendi corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ. Hæc concluſio eſt communis, & eam docent *D. Thom. 3. par. q. 76. art. 7. ad 2. Caiet. ibidem, Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 53. ſec. 4. verſ. Dico primò, Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 5. cap. 6. nu. 2. & alij Doctor.* Probatur concluſio ex eo, quòd modus exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento non cadit ſub obiectum viſiuæ potentiæ: ſiquidem obiectū viſus eſt lucidum, aut coloratum: at modus exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento non eſt lucidus, nec coloratus, cùm ſit ſupernaturalis: ergò ab oculo corporeo non poteſt videri modus exiſtendi corporis Chriſti in eiuſmodi Sacramento. Quod id fieri nequeat per Diuinam potentiam patet: nam per Diuinam potentiam fieri non poteſt quod implicat contradictionem, at implicat, poſſe eleuari potentiam, & ferri extra ſuum obiectum; atque ideò cùm hic modus non ſit color, nec lux, nec lucidus, nec coloratus, non poteſt in eum ferri oculus corporalis, mediante naturali, ac ordinaria viſione. Vide *Fagund. loco citato, nu. 7.* vbi contraria ſoluit.

2 Nec obſtat ſi dicatur, quòd corpora glorioſa Sanctorum erunt configurata corpori claritatis Chriſti, iuxta illud *D. Pauli ad Philipp. cap. 3.* At oculus Chriſti videt hunc modum exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento; ergò pari ratione quilibet alius oculus glorioſus poteſt videre, eiuſmodi exiſtendi modum corporis Chriſti in hoc Sacramento. Quoniam reſpondetur, oculum Chriſti corporalem videre ipſum Chriſtum ſub hoc Sacramento exiſtentem, non tamen videre poſſe ipſum modum exiſtendi, quo eſt ſub ipſo Sacramento: vt habetur per *D. Thom. 3. par. q. 76. art. 7. ad 2.* Siquidem id pertinet ad ſolum intellectum: vt latius declarat idem *Fagund. ibi, nu. 7.*

SECVNDA CONCLVSIO.

3 CErtum eſt, intellectum creatum, ſiuè Angelicus ſit, ſiuè anima ſeparata, per cognitionem ſupernaturalem poſſe cognoſcere modum exiſtendi ſupernaturalem corporis Chriſti in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento. Hæc concluſio eſt *D. Thomæ, & in eum Caiet. 3. p. q. 76. art. 7. Sot. in 4. d. 1. q. 1. art. 7. verſ. contra ſecundam concluſionem, Gabr. lect. 45. ſuper canon. in fine, Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 53. ſec. 5. verſ. Supponendum: Fagund. de præcep. Eccleſiaſt. præcep. 3. lib. 5. c. 6. nu. 6. & aliorum.* Probatur, quoniam eiuſmodi modum poſſunt Beati videre, ſeù cognoſcere in verbo per viſionem Beatificam: item per ſpeciē ſupernaturalem creatam, & infuſam à Deo intellectui Beato. Etenim poteſt

4 Deus creare prnpriá ſpeciem ſupernaturalem, repreſentantem Chriſtū Dominū, & modum exiſtendi illius in hoc Sacramento; & modum, quo accidentia exiſtant ſine ſubiecto, ac ſubſtantia panis, ſeù vini, & eam alicui intellectui creato infundere: & dare inſuper lumen, & auxilium vſui talis ſpeciei accomodatum: ſiquidem in hoc genere ſcientiæ, & cognitionis ſupernaturalis nulla eſt repugnantia. Imò probabiliſſimum eſt, omnes Beatos in Patria habere claram viſionem huius myſterij, tùm quia hic effectus ex lege Diuinæ prouidentiæ pertinet ad generalem perfectionem illius ſtatus beatifici: tùm etiam quoniam Beati in via hoc myſterium tanquam quid maximè difficile per fidem crediderunt cogni-

tione

Digitized by Google

tione quadam confuſa, vt poſſint dicere cum Propheta pſal. 45. *Sicut audiuimus, ſic vidimus in Ciuitate Domini virtutum.* Confirmatur, quia hanc eandem cognitionem per ſupernaturalem illam ſpeciem fatendum eſt habuiſſe animam
5 Chriſti, & Beatam Virginem in ſtatu gloriæ: ergò, & ipſam habere omnes Beatos probabiliſſimè dicendum eſt. Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant: ſola igitur difficultas conſiſtit in duobus. Primò, an intellectus Angelicus, & anima ſeparata per cognitionem aliquam naturalem poſſint cognoſcere modum ſupernaturalem exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento. Secundò, an oculus creatus quamuis viſione naturali ordinaria non poſſit videre modum exiſtendi corporis Chriſti in ipſo Sacramento; poſſit tamen per Diuinam potentiam ſupernaturalem ſaltem videre ipſum corpus exiſtens.

6 Quoad primum pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt *Scot. in 4. d. 10. q. 8. Maior. ibidem, q. 5. Gabr. lect. 45. in canone*, Et aliorum exiſtimantium, intellectum Angelicum, & animam ſeparatam per cognitionem aliquam naturalem poſſe cognoſcere modum ſupernaturalem exiſtendi corporis Chriſti ſub hoc Sacramento. Mouentur primò ex eo, quòd modus huiuſmodi eſt accidentalis Chriſti corpori, quod eſt obiectum per ſe intellectus: at modus accidentalis obiecti per ſe alicuius intellectus, non impedit cognitionem ipſius obiecti: ergò talis modus non impedit, quo minus cognoſcatur corpus Chriſti, pro vt hic exiſtit ſub iſto modo ab intellectu Angelico, vel ab intellectu animæ ſeparatæ. Secundò ens creatum eſt obiectum adæquatum intellectus: at tàm ſubſtantia corporis Chriſti, quàm hic modus exiſtendi eſt ens creatum: ergò, &c. atque ideò percipi poteſt ab intellecto creato naturaliter. Tertiò intellectus creatus poteſt cognoſcere naturaliter præſentiam ſubſtantiæ panis: ergò & eiuſdem abſentiam in ipſo Sacramento; atque ideò exiſtentiam corporis Chriſti ibi loco eius. Quartò anima vbicunq; eſt, cognoſcit ſe naturaliter: ergò anima Chriſti cognoſcit ſe eſſe in hoc Sacramento, & ſic cum exiſtentia corporis Chriſti ſit ratio exiſtentiæ animæ Chriſti, ipſa Chriſti anima naturaliter cognoſcet corpus ſuum ibi exiſtere: ergò idem dicendum eſt de qualibet anima à corpore ſeparata. Denique naturale, & ſupernaturale intrinſecum tantum dicunt reſpectum, & habitudinem ad agens: ſiquidem primum efficitur per cauſas naturales, & ſecundum à Deo, ſed produci à Deo, vel à cauſa naturali non variat rationem cognoſcibilitatis; quoniam homo productus immediatè à Deo, ſicut Adam: & homo genitus ab alio homine, & ſic per cauſas naturales, eiuſdem ſunt cognoſcibilitatis: ergò exiſtentia corporis Chriſti in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento licet ſit ſupernaturalis; eſt tamen naturaliter cognoſcibilis.

7 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror eſſe veriorem, quam docent *D. Thom. & in eum Caiet. 3. par. q. 76. art. 7. Alenſ. 4 par. q. 40. mem. 3. art. 8 § 1. Duran. in 4. d. 10. q. 4. Palud ibidē, art. 2. & Sot. q. 1. art. 7. Capreol. d. q. 4. art. 3. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 53. ſec. 4. alias ſec. 5. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. cap. 6. ſub nu. 3. & alij.* Dicentes intellectū Angelicum, ſeù animæ ſeparatæ per cognitionem aliquam naturalem non poſſe cognoſcere modū ſupernaturalem exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento. Probant ex eo, quòd cognitio naturalis tantùm ſe extendit ad ea, quæ ſplendent, ac relucent in ſpeciebus intelligibilibus Angeli, vel animæ ſeparatæ: at in illis non relucet modus omninò ſupernaturalis, & excedens capacitatem ipſius intellectus: ergò non poteſt ab eiuſmodi intellectibus naturaliter cognoſci; ſic nec etiam myſterium incarnationis. Qua ratione ſic ſtante ad argumenta facilè reſpondetur à *Fagund. poſt alios loco citato, num. 4. & 5.*

8 Ad primum negatur minor, quoniam ſi modus eſt ſupernaturalis, etiam ſi accidentalis ſit, non eſt naturaliter cognoſcibilis cum ſit altioris ordinis.

9 Ad ſecundum negatur maior, ſi ſit ſermo de ſubiecto adæquato cognoſcibili naturaliter: ſiquidem modus exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento non continetur ſub obiecto naturaliter cognoſcibili alicuius intellectus etiam Angelici; licèt abſolutè contineatur ſub obiecto cognoſcibili ſupernaturali cognitione.

10 Ad tertium negatur vltima conſequentia: etenim non ſequitur, non eſt ibi ſubſtantia panis; ergò eius loco eſt corpus Chriſti: ſiquidē poſſet Deus accidentia illa conſeruare ſine ſubiecto, non ponendo ibi ſuum corpus, ſicut conſeruat modo abſque ſubiecto ponendo illud.

11 Ad quartum negatur prima cōſequentia: quoniam licèt anima Chriſti naturaliter cognoſcat ſe ipſam, & ſuum corpus; non tamen naturaliter cognoſcit modum exiſtendi ipſius in hoc Sacramento, ſicut vnita hypoſtaticè verbo ſe ipſam cognoſcit, non tamen naturaliter cognoſcit modum hypoſtaticæ vnionis.

12 Ad vltimum reſpondetur diſtinguendo minorem: nam id non variat rationem cognoſcibilitatis, quod ita producitur à Deo, vt produci poſſit à creatura, vt in exemplo poſito: ſecus autem talis ſit naturæ, vt non niſi à Deo ſupernaturaliter produci poſſit, vt eſt modus exiſtendi corporis Chriſti in hoc Sacramento, vnio hypoſtatica, & lumen gloriæ: hæc enim variant rationem cognoſcibilitatis.

13 Quoad ſecundum dubium *Palud. in 4. d. 10. q. vlt. concl. 1. Ricchard. ibidem art. 3. q. 1. & Capreol. q. 4. art. 3. in ſolutione ad 6. contra primam concluſionem.* Putant per potentiam Diuinam ſupernaturalem fieri non poſſe, vt oculus corporalis videat corpus Chriſti in hoc Sacramento. Mouentur ex eo, quòd corpus Chriſti in hoc Sacramento exiſtit modo ſpirituali, ac ſupernaturali: ergò nec etiam per potentiam Diuinam poteſt videri ab oculo corporali; ſicut nec quidem poſſet videri Angelus corporali oculo.

14 Oppoſita tamen ſententia nobis videtur probabilior, quam docent *D. Thom. 3 par. q. 76. art. 7. ad 2. & in 4. d. 10 q. vnica, art. 4. quæſtiun. 1. Scot. ibidem, q. 2. art. 4. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. c. 6. ſub num. 11.* Et alij, dicentes per potentiam Diuinam fieri poſſe, vt oculus corporalis videat corpus Chriſti in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento: & propterea *D. Thom. loco citato*, inquit, oculum corporalem Chriſti

videre ipſum Chriſtum in ipſo Sacramento. Probatur ex eo, quòd obiectum à potentia perceptibile, quamuis potentia ipſa propter impedimentum aliquod non poſſit naturaliter percipere; poteſt tamen à Deo ſupernaturaliter eleuari, vt diffundat ſpecies in medium, & in organum ipſius potentiæ: ergò oculus corporalis per Diuinam potentiam poteſt videre corpus Chriſti in hoc Sacramento: clara conſequentia, quoniam corpus Chriſti eſt obiectum perceptibile à potentia creata, remoto impedimento, quo non poteſt illud naturaliter percipere. Antecedens probatur, quia non implicat fieri talem viſionẽ, producente Deo immediatè ſpeciem quandam repreſentantem ipſum ſuum corpus hic exiſtens in oculo hominis, quam debebat producere ipſum obiectum, vt ſupernaturaliter producat ſpeciem in aerem; licèt obiectum ipſum non ſit quantitatiuè extenſum, ſed ſit indiuiſibiliter totũ in tota, & totum in qualibet parte hoſtiæ conſecratæ, vt rectè explicat *Fagund. ibidem*, qui reſpondendo ad contrarium, *num.* 12. ait, quòd Angelus non eſt obiectum potentiæ viſiuæ, vt eſt corpus Chriſti, modus autem ſupernaturalis, quo corpus Chriſti in hoc Sacramento exiſtit, ſolum impedit, ac facit, vt naturaliter non videatur.

An ſi in hoſtia conſecrata appareat Caro, Sanguis, Puer Ieſus, aut Chriſtus in ea magnitudine, qua eſt in Cęlis, ibi ſit verè corpus Chriſti.

SEC. XII.

SVMMARIVM.

1 *Multis in locis contingerunt apparitiones aliqua in ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.*

2 *Duobus modis fieri contingunt huiuſmodi, & apparitiones, & quo ſigno dignoſci poſſint.*

3 *Quando apparitiones contingunt per immutationem potentiæ viſiuæ, ac oculorum, aut per mutationem ſpecierum in aere exiſtentium, tunc Chriſtus Dominus eodem modo manet præſens, ſicut antea erat.*

4 *Quoties per realem mutationem obiecti, ſeù ſpecierum ſacramentalium apparet in hoc Sacramento Caro, aut Sanguis Chriſti, vel ipſe Chriſtus in figura Pueri, vel hominis, adeſt ibi verus Chriſtus, & vera eius Caro, atque Sanguis.*

5 *Probabilior, & magis recepta eſt ſententia in contrarium, quod ſit ſimilitudo Carnis, & Sanguinis, quæ colore, aut figura illã referat.*

6 *Indecens valdè videtur, Corpus, & Sanguinem Chriſti in propria ſpecie apparere, ita vt videri, tangi, & bibi poſſit ab hominibus.*

7 *Licet hic modus apparendi poſſibilis ſit, non tamen decens eſt.*

8 *Sufficit, quod ibi appareat ſimilitudo illa Carnis, aut Sanguinis, quæ tetigit ſpecies ſacramentales, vt adoretur cultu Latriæ prout adorantur Chriſti veſtes, Claues, & Lancea.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd in multis locis contingerunt nonnullę apparitiones in ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento: nam in quibuſdam in hoſtia conſecrata apparuit Puer Ieſus; alibi ipſe Ieſus Chriſtus in ea magnitudine, quæ modo eſt; in alijs locis apparuit carneus digitus: imò, & Darocæ in Aragoniæ Regno ſunt hodie corporalia, in quibus apparet hoſtia carnea ſanguineis maculis interpuncta. Quæritur igitur, an prædicta omnia, quæ in ipſa hoſtia apparuerunt, fuerint corpus, & Caro Chriſti.

2 Secundò eſt adnot. quòd huiuſmodi apparitiones duobus modis fieri cõtingunt vno modo per immutationem potentiæ viſiuæ, ſeù oculorum, aut medij. ſacramentalibus ſpeciebus immutatis: & altero per mutationem ſubiecti, ſeù ſacramentalium ſpecierum. Ad id cognoſcendum *D. Thom. 3 par. q. 76. art.* 8. Duplex ſignum affert. Etenim ſi per breue tempus aliquid videtur, & non permanenter idem; aut ſi non omnes circumſtantes videant eandem rem, ſed vnus vnam, & alius aliam, tunc hæ immutationes, ac apparitiones miraculoſæ non fiunt per immutationem obiecti, ſeù ſpecierum ſacramentalium; ſed per immutationem oculorum videntium, eodem obiecto immutato remanente, vt quia Deus creet nouam ſpeciem illius rei, quæ videtur, & eam oculis imprimet, vel in aere iam exiſtat, ita vt per miraculoſam illam creationem, modificationemq; fiant ipſæ apparitiones. Quod ſi omnibus aſpicientibus idem ſemper appareat, vel ſaltem per longum tempus, tunc inquit *D. Thom.* ſignum eſſe, viſionem illam fieri per mutationem obiecti, atque ideò ſpecierum.

3 Tertiò eſt adnot. quòd quando apparitiones, ac viſiones fiunt non per mutationem obiecti, ſeù ſpecierum ſacramentalium, ſed per immutationem potentiæ viſiuæ, ac oculorum, aut per mutationem ſpecierum in aere exiſtentium, tunc certum eſt, Chriſtum Dominum eodem modo manere præſentem ſub ipſis ſpeciebus ſacramentalibus, ac antea erat; quoniam ſupponimus nullam in eis factam eſſe mutationem. Imò cum id, quod apparet non ſit in obiecto, ſed ſolùm appareat propter mutationem factam in ſenſu, & potentia viſiua colligunt aliqui contra *Alenſ.* non eſſe veram carnem, & ſanguinem Chriſti. Ita *Gabr. lect. 41. in canone, Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 55. ſec. 1. verſ. Quintò obſeruanda, Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. cap. 7. num.* 8. Ex illa enim apparitione, & miraculo, quod tunc fit, verum argumentum deducitur ad confirmandam veritatem huius Sacramenti, cùm miraculosè ibi ſimilitudo carnis, & ſanguinis appareat, quæ apparitio vera eſt, & nullum in ea mendacium miſcetur, cum apparitio ipſa, quæ in ſenſu fit, ad aliquam veritatem ſignificandam ordinetur. Et re vera hæc ſententia eſt probabilior: quoniam ſi vera Caro, aut Sanguis Chriſti glorioſi, & immortalis in his viſionibus appareret, & non ſimilitudo carnis, certè iam ibi non exiſteret ſacramentaliter corpus Chriſti, ſed in propria figura. Sed hæc ratio re vera non conuincit, quia non pugnat Chriſti corpus in vno loco eſſe in propria figura, & in alio ſacramentaliter: vel in eodem loco eſſe in propria figura, & ſacramentaliter, & licèt videatur Chriſtus vt plurimum in hoſtia, in ætate infantili, non tamen ex hoc ſequitur non videri in propria figura, quoniam in poteſtate corporis glorioſi eſt, ſe totum, vel partem, & in hac, vel illa ſpecie pueri, aut ſenis apparere. Vndè *Alenſ.* ſententia non videtur improbabilis. Hæc adeò vera ſunt, vt longa diſcuſſione non egeant. Tota difficultas eſt

Digitized by Google

eſt de apparitionibus, quæ fiunt per mutationem obiecti, atque ideò per mutationem ſpecierum ſacramentalium, an id, quod apparet ſit vera caro Chriſti, & verus ſanguis illius: & an quando Chriſtus ibi videtur, videatur in ſe, & in vera, ac propria forma veræ, ac propriæ carnis.

4 In hac re pugnantes extant opiniones. Nam prima ſententia eſt affirmans, quam docent *Alenſ. in 4. par. q. 53. mem. 4. art. 3. Gabr. lect. 51. in canone*, & alij, dicentes, quòd quoties per realem mutationem obiecti, ſeu ſpecierum ſacramentalium apparet in hoc Sacramento caro, aut ſanguis Chriſti, aut ipſe Chriſtus in figura pueri, aut hominis, re vera ibi adeſſe verum Chriſtum, & veram carnem, & ſanguinem illius ſecundum propriam ſpeciem. Mouentur ex eo, quòd hoc non implicat: nam poteſt idem corpus per Diuinam potentiam ſimul eſſe in duobus locis, & in iiſdem videri: & quia corpus glorioſum poteſt ſeſe, prout voluerit hoc, vel illo modo oſtendere, in maiori, vel minori quantitate, in parte, vel in toto, & ſecundum hanc, non ſecundum illam partem; quod præſertim in Chriſti corpore locũ ſibi vendicat: ergò. Confirmatur, quoniam ſuppoſito quòd huiuſmodi modus ſit poſſibilis videtur eſſe valdè conueniens, nam apparitio hæc, vel fit in teſtimonium, & ſignum comprobatiuum exiſtentiæ corporis Chriſti in tali loco, in quo non exiſteret, & falſum eſſet, hoc teſtimonium: vel ad ſolatiũ, & fauorẽ alicuius iuſti, & is verũ ſolatium non haberet ex apparentibus ſignis, & indicijs, & non ex vera Chriſti carne. Denique ſpecies illæ ſacramentales ſub illa forma carnis, & ſanguinis non ſunt conſumendæ quamdiù ſub tali forma ſunt; ſed ex communi vſu, ac conſuetudine Eccleſiæ in teſtimonium miraculi ſeruantur, venerantur, & adorantur adoratione latriæ, ſicut ſi, & Chriſtus in illis ſpeciebus appareat in forma pueri, aut viri, vt habetur ex *D. Thoma 3. par. q. 76. art. 8.* & habetur in *c. de hac re, de conſecr. d. 2.* Ergò ibi eſt vera Chriſti caro, quæ in propria ſpecie apparet, aliàs latriæ cultu non coleretur.

5 His tamen nõ obſtantibus, in contrariũ eſt probabilior, & magis recepta ſententia, quã docent *D. Thom. d. art. 8. Ricchard. in 4. d. 10. art. 5. q. 2. Suar. tom. 3. in 3. par. q. 55. ſec. 2. verſ. Dicendum eſt, Durand. Palud. D. Antonin. Ægid. & omnes Thomiſtæ*, vt refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 5. c. 7. nu. 11.* Dicentes, quòd nec vera caro abſolutè, nec verus ſanguis, nec verè Chriſtus in illis ſpeciebus appareat, ſed ſimilitudo carnis, & ſanguinis, quæ colore, aut figura illum referat. Mouentur ex eo quòd aut immutatio ſpecierum ſacramentalium, ſeù obiecti, & huiuſmodi apparitio, in qua videtur Chriſtus, aut caro illius, & ſanguis diù permanet, ita vt ſanguis, aut caro Chriſti ſemper ibi videatur, & in pixide conſeruetur, vt hoſtia illa carnea ſanguineis maculis interpuncta, quam ſupra retulimus: aut citò tranſit, & ſacramentales ſpecies eodem modo, vt antea apparent. Si primum, ait *D. Thom. loco citato*, nefas eſſe credere, id quod apparet, & in pixide conſeruatur, eſſe carnem, & ſanguinem Chriſti in propria ſpecie exiſtentem: ſiquidem tangi facilè poteſt, & contrectari ab hominibus: quod valdè indecens eſt, imò experientia docet temporis curſu, mutari, & tabeſcere id, quod caro, aut ſanguis videbatur: quapropter *Alenſis, & Gabr.* concedunt, non eſſe carnem Chriſti quando in eo fit talis mutatio. Quòd ſi dicas ſecundum, atque ideò citò tranſit, & idem dicendum eſt: tanto fortius, quoniam probabiliſſimum eſt, non fieri tunc aliquam mutationem in obiecto, ſed tantùm in potentia, vt ſupra diximus. Et re vera difficile ab aliquo credi poteſt, cùm videat ſanguinem ab hoſtia diffluere, illum eſſe verum, & proprium ſanguinem Chriſti extra eiuſdem venas effuſum, qui bibi, ac tangi poſſit: & difficile quoque eſt credere, fruſtulum carnis quod in Sacramento quis videt, eſſe verã carnem Chriſti. Concluditur igitur, quod id, quod videtur in eiuſmodi apparitionibus non ſit caro, aut ſanguis Chriſti. Imò dicendum eſt id non eſſe, nec veram carnem, nec verum ſanguinem; ſed tantum id, quod ſanguis, & caro apparet. Etenim hoc ſatis eſt ad confirmandos imbecilles in fide huius Sacramenti, ad confutandos hæreticos, & conſolandos fideles, & ad probandam fidem tanti Sacramenti, vt rectè declarat *Fagund. loco citato, ſub nu. 12.*

Ad contraria facilè reſpondetur.

6 AD primum concedimus antecedens; ſed negamus conſequentiam, quoniam indecens valdè videtur corpus, & carnem Chriſti in propria ſpecie apparere, ita vt videri, tangi, & bibi poſſit ab hominibus.

7 Ad confirmationem dicimus, quòd quamuis hic modus ſit poſſibilis; non tamen eſt decens per ea, quæ ſupra diximus. Eo maximè quòd id quod adducitur in teſtimonium fidei non conuincit: etenim mutatio licèt fiat in obiecto, adhuc tamen non manent ibi ſacramentales ſpecies atque ideò verè ſub illis exiſtit corpus Chriſti ſacramentaliter, in cuius exiſtentiæ confirmationem illud miraculum adducitur: ad quam confirmationem parum refert, quòd vera caro, aut ſanguis Chriſti ibi appareat, ſatis enim eſt miraculi manifeſtatio.

8 Ad vltimum reſpondetur negando conſequentiam: nam ſufficit, quod ibi appareat ſimilitudo illa carnis, aut ſanguinis, quæ tetigit ſpecies ſacramentales, & loco illarum ſuccedit, vt adoretur cultu latriæ; ſicut adorantur veſtes Chriſti, claues, & lancea, quæ tetigerunt illius corpus, vt poſt *Suar.* explicat ibidem *Fagund. ſub nu. 13. vbi nu. 15.* Oſtendit quoque quid agendum ſit Sacerdoti, ſi poſt perfectam conſecrationem vtriuſq; ſpeciei, talis videatur immutatio.

De Miniſtro diſpenſationis, ſeù collationis ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti. DISP. V.

DIximus ſupra *diſp. 4. in prin.* quòd Miniſter ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti eſt duplex: conſecrationis ſcilicet, & collationis, ſeù diſpenſationis. Egimus hucuſque de Miniſtro dicti Sacramenti in conſecrando, atque ideò conſecrationis; modo conſequenti ordine ſequitur videndum de Miniſtro eiuſdem Sacramenti in diſpenſando, & ſic diſpenſationis, ſeù collationis.

An ſolus Sacerdos iure Diuino poteſtatem habeat diſpenſandi, ac conferendi ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum fidelibus.

S E C. I.

S V M M A R I V M.

1 *Non tantum Sacerdotes, Diaconi, vel alij Clerici, verum etiam Laici poteſtatem habent Iure Diuino diſpenſandi, ac conferendi fidelibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, idque multifariam probatur.*

2 *Vera eſt ſententia contraria, quod ſoli Sacerdotes hanc poteſtatem habeant, & probatur nonnullis Canonibus, & Concilio Tridentino.*

3 *Quamuis ſolis Sacerdotibus poteſtas diſpenſandi, ac miniſtrandi hoc Sacramentum tradita ſit Iure Diuino, non tamen opus eſt ſemper illã exequi per ſe ipſos.*

4 *Nunquam licitum eſt Clericis, etiam Subdiaconis, & multo minus Laicis tantum Sacramentum per ſe ipſos ſumere, vel alijs diſpenſare non obſtante quacunq; licentia, vel commiſſione.*

Et an Chriſtus prius communicauit in Cœna, deindè ordinauit Apoſtolos.

5 *Conſuetudo illa dandi hoc Sacramentum in manibus communicantium non fuit vniuerſalis Eccleſiæ.*

6 *Sacerdotem illum, qui ad Serapionem morituri miſit hoſtiam per puerum, bona fides excuſauit; Etenim delatio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ad infirmos per Laicum ſacrilegium eſt.*

1 IN hac difficultate videtur dicendum, non tantùm Sacerdotes, verum etiam, & Diaconos, & alios Clericos; imò & Laicos iure Diuino poteſtatem habere diſpenſandi, ac conferendi fidelibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Probatur primò ex illo *Matt. c. 26.* in illis verbis *Accipite, & comedite, &c.* Ex quibus colligitur ſecundum ſententiam magis receptam, quòd Dominus in cœna Dominica poſt conſecrationem panis, non contulit ipſe Sacramentum, nec applicuit propria manu illud ori Diſcipulorum; ſed obtulit tantùm catinum, & ipſi proprijs manibus ex eo ſumpſerunt conſecratum panem. Confirmatur ex verbis *Marci c. 14.* dum ait, quòd Dominus, accepto Calice, gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. Vndè Euangeliſta ibi apertè declarat, Chriſtum conſecratum Calicem dediſſe diſcipulis, & illos inter ſe illum diſtribuiſſe. Hoc ipſum clarius colligitur ex *Luca c. 22.* in illis verbis, *Accipite, & diuidite inter vos.* Vbi oſtenditur, quòd per proprias Apoſtolorũ manus ab vno alteri datus fuit Calix. Ergò non tantum Sacerdotes Iure Diuino poteſtatem habent diſpenſandi ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum; ſed etiam Laici: quoniam ipſi Apoſtoli ante communionem, & in ipſa communione non erant Sacerdotes: ſiquidem fuerunt à Domino ordinati Sacerdotes poſt communionem, vt colligitur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 22. c. 1.* Quod tunc ait, Dominum Apoſtolos Sacerdotes conſtituiſſe, quando verba illa protulit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quæ verba dixit Dominus poſt communionem. Secundò probatur ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine tribuendi hoc Sacramentum in manibus communicantium, vt ipſimet acciperent: quod aliquando coram Sacerdote fiebat, & interdum etiam in proprias domos illud deferebant, ibique ſumebant: ad quod vtebantur fœminæ linteolis munditſſimis, quos Dominicales vocabant, vt colligitur ex *Conc. Antiſiodoren. c. 42. & 36.* Imò refert *Euſeb. lib. 6. Hiſtor. c. 33. & Niceph. lib. 6. c. 6.* Serapioni morituro occupatum Sacerdotem miſiſſe hoſtiam per puerum abſentibus Sacerdote, ac Diacono. Non igitur iure Diuino Sacerdotes tantum ſunt miniſtri in diſpenſando ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum. Denique probatur quod olim dum ex Eccleſiæ diſpenſatione fideles ſub vtraq; ſpecie communicabant, Diaconi miniſtrabant, & conferebant Laicis per fiſtulam argenteam ſorbentibus potum ſanguinis ex Calice, vt teſtatur *Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 54. num. 1. ad fin.* Et hodie Papæ ſolemniter celebranti Diaconus Cardinalis miniſtrat potum ſanguinis: quæ quidem omnia fieri non potuiſſent, ſi de iure Diuino Sacerdotes tantùm eſſent miniſtri in diſpenſando, ac conferendo fidelibus ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam dicimus eſſe veram, quam docent *D. Thomas in 4. d. 13. q. 1. art. 3. & 3. par. q. 82. art. 3. Ricchard. in d. diſt. 13. q. 1. art. 3. vbi etiam Sot. Durand. q. 4. Palud. q. 1. art. 4. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 54. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 1. verſ. Dico primò*, & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de pracep. Eccl. pracep. 3. lib. 3. c. 1. ſub nu. 3.* Probatur hæc ſententia primò ex *can. peruenit, de conſecr. diſt. 2.* Qui prohibens Laicis, ac fœminis deferre ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos ſic ait. *Peruenit ad notitiam noſtram, quòd quidam Presbyteri in tantum paruipendant Diuina myſteria: vt Laico, vel fœminæ ſacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur, ne Sacrariũ ingrediantur, nec ad Altare appropinquent, illis ſancta ſanctorum committuntur. Quod quàm ſit horribile, quamq; deteſtabile, omnium Religioſorum animaduertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præſumptio vlterius fiat; ſed omnimodis presbyter per ſemetipſum infirmum communicet. Quod ſi aliter fecerit gradus ſui periculo ſubiacebit.* Vbi eſt adnot. quòd horrendum, & deteſtandum ſacrilegium dicitur, per Laicos ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos deferri: & propterea ex tali exageratione colligitur, id non eſſe nouam prohibitionem Eccleſiaſticam, ſed reprehenſionem quandam actionis iniquæ, & Diuino iuri repugnantis. Confirmatur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 8.* Vbi habetur ex traditione Apoſtolica emanare, vt Laici à Sacerdotibus cõmunionem accipiant: & propterea traditio huiuſmodi præceptum Diuinum arguit. Quod quidem clarius colligitur ex eodem *Conc. ſeſſ. 23. c. 1.* Dum ait, Sacerdotibus ex vi Sacerdotalis ordinis traditam fuiſſe à Chriſto Domino poteſtatem conſecrandi, offerendi, ac miniſtrandi hoc Sacramentum, vt patet ex illis verbis, *Et miniſtrandi Corpus, & Sanguinem eius, &c.* Ergò ratione ordinis Sacerdotalis, atque ideò iure Diuino, cuius eſt ordo, ac omnia Sacramenta ſolis Sacerdotibus conuenit,

& ad

& ad eos tantùm ſpectat ex officio, & poteſtate iure Diuino eiuſmodi Sacramentum fidelibus miniſtrare, ac conferre.

3 Ad contraria reſpondetur, quòd quamuis ſolis Sacerdotibus poteſtas diſpenſandi, ac miniſtrandi hoc Sacramentum iure Diuino ſit tradita; non tamen eſt opus, vt ſemper per ſe ipſos illam exequantur; ſiquidem ex iuſta, ac neceſſaria cauſa Epiſcopus, vel Sacerdos poteſt committere Diacono, vt ſanctiſſimam Euchariſtiam diſpenſet: quæ quidem facultas Diaconis tantum hodie committi poteſt, & non alijs, etiam ſi Clerici ſint, ac Subdiaconi, vt habetur ex *D. Th ma 3. par. q. 82. art. 3. ad 1. Henriq. lib. 8 Euchar. c. 5. nu. 2. Sot. in 4. d. 13. q 1. art. 5. Suar. tom 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 1. verſ. Dico tertiò, Bellarm. lib. de ordine, cap. 6.* & ex alijs apud *Fagund. loco citato ſub nu. 5.* Etenim ſuppoſita conſuetudine, quæ hodie in Eccleſia extat communicandi populum ſub vna tantùm ſpecie panis; ad maiorem reuerentiam tanti Sacramenti ſpectat, vt ſoli præsbyteri hoc Sacramentum diſpenſent: & in neceſſitate diſpenſetur infirmis à Diacono duntaxat, ex licentia Epiſcopi, vel Parochi: ſiquidem diſpenſatio ſanguinis, quæ olim in primitiua Eccleſia per Diaconos fiebat, iam ceſſauit.

4 Nunquam tamen licitum eſt Clericis, nec Subdiaconis quidem, & multo minus Laicis tantum Sacramentum per ſe ipſos ſumere, vel alijs diſpenſare, non obſtante quacunque licentia, ac commiſſione. Nec Chriſtus prius communicauit Apoſtolos in Cœna, & deindè ordinauit per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quoniam ex Euangelio id clarè non colligitur, ſed potius videtur, Dominum poſt conſecrationem Apoſtolos ipſos Sacerdotes ordinaſſe, & poſtea Sacramentum eiſdem tribuiſſe, vt ſumant & dent cæteris, vt patet ex illis Apoſtoli verbis, *1 Corinth. c. 11. Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit; Accipite, & manducate: hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem, &c.* Vndè antequam catinum acciperent à Domino, vbi erat conſecratus panis, iam fuerant
5 ordinati in Sacerdotes. Quo uerò ad conſuetudinem illam dandi hoc Sacramentum in manibus communicantium, vt ipſimet acciperent: quod interdum coram Sacerdote fiebat; & aliquando in proprias domos illud deferebant, & ibi ſumebant, poſſet dici, conſuetudinem illam non fuiſſe vniuerſalis Eccleſiæ, ſed alicuius duntaxat, quæ tanquam parum conueniens fuit abolita: quamuis re vera ſic communicantes non poſſent dici diſpenſare, & conferre huiuſmodi Sacramentum, ſed illud iam à Sacerdote diſpenſatum per ſe ſumere: quod non videtur iure Diuino prohi-
6 bitum. Ad illud Serapionis morituri, cui Sacerdos occupatus miſit hoſtiam per puerum, reſpondetur, quod fortè bona fides talis Sacerdotis illum excuſauit. Cæterum delatio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ad infirmos per Laicos, ex ſuo genere eſt ſacrilegium, vt ſupra diximus.

An in extrema neceſſitate Clerici, & Laici poſſint per ſe ſumere ſanctiſſimam Euchariſtiam, & alijs diſpenſare: vel ſaltem Diaconi, etiam proprio Epiſcopo reluctante, ſeù Sacerdote.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Tempore Peſtis licere Laicis ſanctiſſimam Euchariſtiam proprijs manibus accipere, & alijs etiam miniſtrare, multis probatur exemplis.*

2 *In contrarium tamen eſt communis ſententia, & qua ratione.*

3 *Euchariſtia adminiſtratio eſt actus authoritatiuus, ex ordine Sacerdotij proueniens.*

4 *Diſpenſatio tanti Sacramenti per Laicos eſt intrinſecè malum, & ex ſui natura cedens in irreuerentiam tanti Sacramenti.*

5 *Diaconum haud poſſe communicare infirmum in periculo mortis conſtitutum, iniquè contradicentibus Epiſcopo, vel Parocho, exiſtimant nonnulli, cum nequeat diſpenſare hoc Sacramentum, niſi vt inſtrumentum Præsbyteri, vel Epiſcopi.*

6 *Laicis licitum eſt ſanctiſſimum Euchariſtia Sacramentum eleuare, deficiente Sacerdote; nec requiritur, quod eleuans ſit in gratia; non tamen poſſunt miniſtrare.*

7 *Regina Scotia ex diſpenſatione, ac conceſſione Romani Pontificis ampullam habebat, in qua Sacramentum Euchariſtiæ apud ſe retinebat, propterea ex defectu Sacerdotis, ſeu Diaconi bona fides eam excuſauit.*

1 IN hac re *Caiet. c. 26. in Mat.* in illis verbis, *Accipite, & manducate, &c.* Concedit tempore peſtis, & epidimiæ, Laicis, vt ſanctiſſimam Euchariſtiam licitè poſſint proprijs manibus accipere, & alijs etiam miniſtrare. Hoc idem tempore peſtis concedit *Henric. Boich. in c. decernimus de iudic.* Vndè licitum eſſe Sacerdoti exiſtimatur tempore peſtis, & epidimiæ ponere ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum in loco decenti, dum contagium timet, vt indè infirmus proprio ore, vel manu capiat. In eandem ſententiam videtur inclinare *Suar. tom 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 3. ad fin.* Mouentur ex eo, quod id non eſt intrinſecè, & ex ſui natura malum: nam tempore primitiuæ Eccleſiæ Laici Euchariſtiam proprijs manibus tangebant, in domos ſuas ferebant, ac ſumebant, vt præcedenti ſec. diximus: & Laicis licitum eſt ſanctiſſimam Euchariſtiam è terra proprijs manibus eleuare. Imò refert *Euſeb. lib. 6 Hiſtor. c. 33. & Niceph. lib. 6 c. 6.* Quòd Serapioni morituro Sacerdos occupatus miſit hoſtiã per puerum, abſentibus Sacerdote, ac Diacono. Et Diaconi iuſſu Sacerdotum miniſtrabãt Laicis Chriſti ſanguinem per fiſtulam argenteam ſorbentibus potum ipſius ſanguinis in Calice, vt teſtatur *Henriq lib 8. de Euchar. c. 54. nu. 1. ad fin.* Quæ quidẽ citra culpam fieri non potuiſſent, ſi eſſet intrinſecè malum, ſumere per ſe ipſos Laicos ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, aut alijs miniſtrare; quoniam ea, quæ intrinſecè mala ſunt nunquam fieri licent, nec ſuper illis cadit diſpenſatio, nõ obſtante quacunq; vrgenti, ac extrema neceſſitate, vt in *c. ſuper eo, de vſuris*

Et denique *Henriq. loco citato, nu. 2. Sot. in 4. d. 13. q. 1. art. 4. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 1. verſ. Difficultas verò*: Et alij volunt, quod in neceſſitate extrema, ac in proximo periculo mortis ſi improbus Parochus, aut Epiſcopus præſens nolint eiuſmodi licentiam Diacono dare, nec velint ipſi per ſe in periculo mortis conſtitutos communicare, ſed velint omninò infirmũ citra Viaticum diſcedere; tunc ipſe Diaconus, Parocho, & Epiſcopo reluctantibus, poſſet eo caſu tali infirmo Viaticum miniſtrare: quoniam tunc Chriſtus cenſetur id omninò velle, & approbare. Vndè cum de iure tantùm poſitiuo ſit prohibita Laicis, & Clericis, excepto Diacono, vt ſupra, diſpenſatio ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, & ipſius, niſi à Sacerdote, talis prohibitio non comprehendit caſum extremæ neceſſitatis: nam lex poſitiua non obligat cum tanto detrimento, vt oſtendimus in noſtris *Comment. in Bull. Cœnæ lib. 2 can. 1. q. 48. nu. 12. & 13.* Hac eadem ratione refert *Suar.* in noſtra ætate, Reginam Schotię martirium ſubituram ſub Iſabelia Regina Angliæ, prius Sacramentum, quod apud ſe habebat, proprijs manibus ſumpſiſſe cum ſumma omnium laude.

2 His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt communis ſententia, quam docent *D. Thom. 3. par q. 82. art. 3 Sot. in 4. d. 13. q. 5. art. 3. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 54. nu. 3. & in margine lit. A. Dec. & Rip. in c. 2. de iudic. Nauar. in Man. cap. 25. nu. 72. Ledeſ. Durand. Catherin. contra Caiet.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 1. ſub nu. 12. & 13. & c. 3. nu. 8.* Imò idem *Suar. loco citato, ſec. 1. verſ. Vltimò dicendum*, Inquit, difficile eſſe Doctoribus contraire communiter aſſerentibus non licere Laicis, nec etiam Subdiaconis Euchariſtiam miniſtrare infirmis in extrema neceſſitate; atque ideò non licèt illam miniſtrare alijs, nec etiam licebit in eadem neceſſitate eandem ſibi proprijs manibus ſumere, ac adminiſtrare, cum militet eadem ratio in vtroque. Pro hac ſententia facit *tex. in can. peruenit, de conſecr. d. 2.* cum alijs, quæ ſupra cumulauimus ſec. præced. vbi oſtendimus iure Diuino ſolis Sacerdotibus competere adminiſtrationem tanti Sacramenti, & citra magnum ſacrilegium non poſſe ab alijs, qui Sacerdotes non ſint, diſpenſari; cùm id videatur intrinſecè malum. Etenim admini-
3 ſtratio Euchariſtiæ eſt actus auctoritatiuus proueniens ex ordine Sacerdotij, & in defectum Sacerdotum hic actus committitur Diacono tantum in caſu neceſſitatis, & ſic ex iuſta, ac rationabili cauſa, vt rectè declarat *Suar. d. ſec. 1. verſ. Dico tertio, & Fagund. d. c. 1. nu. 6. & 7.* Vbi ex hoc infert, quòd ſi præter Diaconum eſſent alij Præsbyteri præſentes, qui poſſint, & velint ſanctiſſimam Euchariſtiam miniſtrare, non poſſet Epiſcopus, aut Sacerdos id committere Diacono. Vndè indecens eſt de ſui natura, quod talis adminiſtratio à Laico exerceatur, & de ſui natura id cedit in irreuerentiam tanti Sacramenti: quapropter maior ratio habẽda eſt reuerentiæ huius admirabilis Sacramenti, quàm fructus infirmi, cui ſatis eſt, ſi deficiat miniſter, quòd ſpiritualiter communicet in voto, vt habetur ex *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 8.* in illis verbis, *Patres noſtri tres rationes hoc ſanctum Sacramentum accipiendi diſtinxerunt: quoſdam enim docuerunt ſacramentaliter dumtaxat id ſumere, vt peccatores: alios tantùm ſpiritualiter illos nimirum, qui voto propoſitum illum cœleſtem panem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur fructum eius, & vtilitatem ſentiunt: tertios porrò ſacramentaliter ſimul, & ſpiritualiter; hi autem ſunt, qui ita ſe prius probant, & inſtituunt, vt veſtem nuptialem induti ad diuinam hanc menſam accedant.*

Reſtat modò, vt ad contraria reſpondeamus.

4 AD primum patet reſponſio ex dictis, & excumulatis in præcedenti ſec. dum oſtendimus diſpenſationem tanti Sacramenti per Laicos eſſe intrinſecè malam, & cedere ex ſui natura in irreuerentiam tanti Sacramenti. Nec conſuetudo deferendi per Laicos, aut per Clericos Sacerdotibus inferiores ſanctiſſimũ Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos, & ſumendi proprijs manibus fuit vniuerſalis Eccleſiæ, ſed fortè abuſus quarundam Eccleſiarum, & propterea per contrariam vniuerſalis Eccleſiæ rationabilem cõſuetudinem fuit abolita. Vndè *Conc. Cæſaraguſt. can. 3. Toletan. c. 14. & Rothomag. c. 2.* Expreſsè prohibent, ne Laico, aut fœminæ Sacerdos ponat ſanctiſſimam Euchariſtiam in manibus, ſed in os eorum intromittat: quia poſitio tanti Sacramenti in manu ſumentium, & collocatio in loco decente, vt proprio ore ſumatur, eſt contra vſum, & praxim Eccleſiæ, quæ vim legis habet: & cedit in maximam irreuerentiam ipſius Sacramenti, vt rectè declarat *Fagund. d. c. 1. nu. 13. & 14.*

5 Ad illud *Henriq.* & aliorum exiſtimantium poſſe Diaconum communicare infirmum in periculo mortis conſtitutum, & iniquè contradicentibus Epiſcopo, vel Parocho reſpondetur, quòd aliqui exiſtimant, non poſſe eo caſu Diaconum communicare ſine licentia Epiſcopi, aut Parochi infirmum in articulo mortis conſtitutum, etiam ſi illi iniquè licentiam negent: ſiquidem Diaconus non poteſt licitè diſpenſare Sacramentum Euchariſtiæ, niſi vt inſtrumentum Præsbyteri, aut Epiſcopi: tunc enim morale inſtrumentum eſſe non poteſt, cum principale agens illud non moueat, ita *Syl. ver. Euchariſtia 3. nu. 1.* Secundò reſpondetur, quòd in eo euentu præſentia Epiſcopi, ſeù Sacerdotis ſua poteſtate abutentis pro abſentia reputanda eſt, & ideò poteſt citra eorum licentiam talem infirmum communicare. Tertiò reſpondetur, quod in tali caſu ſi Sacerdos iniquè dictam licentiam neget, cenſetur eam concedere Epiſcopus: & ſi Epiſcopus malitiosè deneget, cenſetur concedere Papa: & ſi Papa improbè recuſet, recurrendum eſt ad Chriſti voluntatem, qui tunc cenſetur omninò velle, & approbare. Ita *Fagund. d. lib. 3. c. 1. ſub num. 9.*

6 Ad illud quod dicitur, Laicis ſcilicet licitum eſſe ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum eleuare, id concedimus, deficiente Sacerdote, vel Diacono, qui id faciat, vel facere velit: nec exigitur, quòd Laicus eleuans ſit in gratia. Negatur tamen ob id Laicum poſſe miniſtrare tantum Sacramentum, cùm illa eleuatio tali caſu non ſit miniſtratio: ſed cedat in reuerentiam Sacramenti, ne conculcetur. Ob hanc rationem quoque quando vrgentiſſima neceſſitas occurrit

ex

ex parte Sacramenti, vt quia Calix cum Chriſti ſanguine ab hoſtibus, ac Chriſtiani nominis inimici ſit effundendus, & hoſtia conſecrata pedibus conculcanda, tunc deficientibus Sacerdotibus, vel Diaconis poſſent à Laicis ſumi: ſiquidem ſeruare verba legis illo euentu, eſſet facere contra legem, & finem illius, qui eſt vitare periculum irreuerentiæ, & effuſionem ſanguinis: eſt tamen verum, quod id cum magna reuerentia agendum eſt: & præcipuè vt ſumentes ſi conſcientiam habeant peccati mortalis ſtudeant pro viribus conteri, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3 par. q. 71. ſec. 3. ad fin. & Fagund. d. lib. 3. c. 4. ſub num. 21.*

7 Ad factum Reginæ Schotiæ dum martyrium eſſet ſubitura, dicitur quòd Rom. Pontificis diſpenſatione, ac conceſſione habebat ampullam, in qua Sacramentum Euchariſtiæ apud ſe haberet, vt inquit *Suar.* & propterea ex defectu Sacerdotis, ſeu Diaconi, qui eam communicarent, bona fides eam excuſauit per ſe ipſam ſumendo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, putans ſibi licere: imò ſi id egerit ne Sacramentum ipſum deueniret in manus hæreticorum, licitè ſe ipſam communicauit ad vitandam irreuerentiam, tanto Sacramento ab hæreticis inferendam. Cæterum ex communi Doctorum ſententia non eſt licitum Laicis Sacramentum tangere, in manibus excipere, & ſe ipſos communicare, aut alijs diſpenſare, non obſtante quacunq; neceſſitate, vt ſupra diximus, & in ſpecie *Fagūd. d. lib. 3. c. 3. ſub nu. 8.*

An Sacerdos extra ſacrificium Miſſæ volens communicare, ſe ipſum licitè poſſit.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos, qui ægrotare contingit, & non adeſt, niſi Diaconus, qui ei Sacramentum deferat, non ſolum poteſt, ſed debet ſe ipſum communicare.*

2 *Non peccat Sacerdos, qui ſe ipſum communicat, etiam deuotionis cauſa ex præconſeruatis particulis.*

3 *Iuxta ſententiam Fagund. ſi adſit Diaconus, non poteſt Sacerdos ſe ipſum communicare. Et eur.*

1 PArtem affirmatiuam docet *Duran. in 4. d. 13. q. 4.* inquiens, quod ſi Sacerdos contingat ægrotare, & non adeſſet niſi Diaconus, qui Sacramentum deferat, tunc non ſolùm poſſet, verum etiam deberet ſe ipſum communicare. In
2 eandem ſententiam inclinat *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 3. ad fin.* Dum ait, quòd ſecluſo ſcandalo, non peccat Sacerdos, qui ſe ipſum communicat non tantùm in neceſſitate, ſed deuotionis cauſa in euentu, vbi eſſet ipſe tantùm Sacerdos, qui non poſſet celebrare: ex præconſeruatis enim particulis poſſet ſe ipſum communicare. Rationem autem hanc eſſe volunt, quia ipſe Sacerdos eſt proprius miniſter huius Sacramenti. Et de facto Sacerdos in die Paraſceues ſe ipſum communicat non conſecrando. Putat
3 tamen *Fagund.* quòd ſi adeſſet Diaconus, non poſſe tunc Sacerdotem ſe ipſum communicare, cùm iam adſit Miniſter ex priuilegio competens. Ita *Fagund. de præcep. Eccl. præcep 3 lib 3. c. 3. ſub num. 7.* Quæ quidem *Fagund.* opinio mihi videtur valdè dubia, cùm tale priuilegium competat Diacono ex commiſſione Sacerdotis, vel Epiſcopi iuſta, ac rationabili cauſa ſubſiſtente; at Sacerdos eſt proprius Miniſter huius Sacramenti, nec in eo adminiſtrando exigitur diſtinctio perſonarum ſicut in alijs Sacramentis, cùm Sacramentum ipſum ſit inſtitutum per modum cibi: & vſus eius per modum comeſtionis: cibus autem ab ipſo manducante, ac comedente ſuſcipitur: vel etiam per alium poteſt ſuſcipi: ergò ſupradicto caſu Sacerdos ſi oolit per Diaconum, poteſt ſe ipſum communicare.

An Sacerdotes Hæretici, Schiſmatici, interdicti, ſuſpenſi, degradati, ac exiſtentes in peccato mortali licitè poſſint Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare.

SEC. IV.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdotes Hæretici, Schiſmatici, excommunicati, ſuſpenſi ab ordine, interdicti, vel degradati tam verbaliter, quàm realiter grauiſſimè peccant, miniſtrando hoc Sacramentum, omneſq; in peccato mortali miniſtrantes, nouam culpam contrahunt.*

2 *Huius Sacramenti miniſtratio ſacrum, & grauiſſimum eſt miniſterium, ad quod ſanctè tractandum, Sacerdos eſt conſecratus.*
Semperque eſt mortale hoc Sacramentum in peccato tangere.

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter negatiuè. Etenim licèt Sacerdotes hæretici, ſchiſmatici, excommunicati ſuſpenſi ab ordine, interdicti, & degradati tàm verbaliter, quàm realiter retineant ordinem Sacerdotalem, cùm Sacramentum ordinis imprimat characterem, & character ſit indelebilis, omnes tamen ſunt ab ordinis executione ſuſpenſi, & propterea peccant grauiſſimè miniſtrando, vt habetur ex *D. Thoma 3. p. q. 82. art. 7. & 8.* Sicut & omnes in peccato mortali miniſtrantes nouam culpam lethalem contrahunt, vt Doctores communiter docent *in 4. d. 13. Palud. ibi, q. 1. Sot. q. 1. art. 5.* & alij apud *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 3. nu. 10.* Pro qua re facit *tex. in c. fin. 15. q. 8.* in illis verbis, *Mali bona adminiſtrando ſe tantummodò lædunt.* Ratio autem hæc eſt, quoniam ſancta à ſanctis tantùm tractanda ſunt.
2 Et licet adminiſtratio huius Sacramenti non ſit Sacramenti confectio; ſed tantum diſpenſatio: attamen hæc diſpenſatio eſt ſacrum, & grauiſſimum miniſterium, ad quod ſanctè tractandum, ſicut & conficiendum Sacerdos eſt conſecratus. Vndè ex hoc infert *Fagund. loco citato, ſub nu. 11.* Semper eſſe peccatum mortale hoc Sacramentum in mortali tangere: quoniam tactus illius, eſt id quod maximè facit, qui Sacramentum ipſum miniſtrat. An tamen licitum ſit prædictis Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare in caſe neceſſitatis, ſec. ſeq. dicemus.

An

An à Sacerdotibus hæreticis, ſchiſmaticis, excommunicatis, ſuſpenſis interdictis, degradatis, aut publicis peccatoribus, licitum ſit ſanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipere in caſu ſaltem neceſſitatis.

SEC. V.

SVMMARIVM.

1 *Hermenelgidus Hyſpaniarum Princeps renuit ab Epiſcopo Ariano Communionem percipere.*

2 *Euchariſtia Sacramentum licet non ſit neceſſitatis, eſt tamen magna vtilitatis; nunquam tamen ab huiuſmodi hæreticis reuerenter ſuſcipi poteſt.*

3 *A Sacerdote publico Concubinario hoc Sacramentum ſuſcipere non licet.*

4 *Verior eſt in contrarium ſententia, quod in mortis articulo licitum eſt à Sacerdotibus hæreticis, Schiſmaticis, &c. Accipere Sacramentum Euchariſtia, & pœnitentia in defectum aliorum Sacerdotum.*

5 *Quamuis Sacramentum Euchariſtiæ non ſit tanta neceſſitatis, eſt tamen ſufficientis, & grauiſſima, maximaq; vtilitatis.*

6 *Iura illa quæ prohibent, audiri Miſſam à publico Concubinario, alijſque publicis peccatoribus, in deſuetudinem abierunt. Et quid euitari præcipiatur per Extrauag. Mart. V. qua incipit ad euitanda ſcandala.*

1 IN hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe per *text. in can. ſuperueniente, 1. q. 1.* Qui loquens de Hermenilgido Hyſpaniarum Principe, qui renuit ab Ariano Epiſcopo communionem percipere ſic ait, *Perfidus pater Arianum Epiſcopum miſit, vt ex eius manu, ſacrilega conſecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano Epiſcopo venienti exprobauit, vt debuit, eiuſque à ſe perfidiam dignis increpationibus repulit.* Vndè *Greg. Papa lib. 3. Dialog. 31.* Laudat factum præfati Principis, eo quòd nec in extremo mortis articulo voluit ab hæretico Euchariſtiam ſuſcipere. Ratio autẽ hæc eſſe poteſt, quia Eucha-
2 riſtia non eſt Sacramentum neceſſitatis: & licèt ſit magnæ vtilitatis, nunquam tamen ab huiuſmodi hæreticis, & nominatim excommunicatis reuerenter ſuſcipi poteſt. Hanc ipſam ſententiam docent *D. Thom. 3. par. q. 82. art. 9. in corp. Durand. Palud. & alij in 4. d. 13. & Syl. ver. Euchariſtia 3. nu. 5.* Qui quidem cum abſolutè negent id eſſe licitum, videntur etiam loqui in caſu extremæ neceſſitatis; ſicut, & ipſe *Syl.* ibi expreſsè loquitur, inquiens, nec publicè, nec occultè, nec etiam in caſu mortis ſuſcipiendum eſſe Sacramentum Euchariſtiæ ab huiuſmodi præciſis hæreticis, & excommunicatis denunciatis. Et eadem ratio eſt de ſuſceptione aliorum
3 Sacramentorum. Idem dicendum eſſe de Sacerdote publico Concubinario docent *D. Thom. loco citato, & Nauar. in Man. c. 25. num. 8.* ad quod facit *tex. in c. nullus 32. d.* Vbi præcipitur, vt nullus audiat Miſſam Præsbyteri, quem ſcit concubinam indubitanter habere, hoc idem habetur in *c. præter, ead. d.* Ratio autem *D. Thomæ* ea eſt, quoniam huiuſmodi Sacerdotes concubinarij lethaliter peccant miniſtrando: ergò ſi hoc Sacramentum ab eis petimus, aut recipimus, neceſſariò cum illorum peccato concurremus. Quæ quidem ratio militat etiam in quocunq; alio Sacerdote, quem certo, ac moraliter ſcimus eſſe in publico, vel occulto peccato.

4 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam puto veriorem, quam tenent *Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 4. in medio, Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 4. verſ. Vltimo ex dictis,* quos ſequitur etiam *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 1. nu. 18. & 19.* Dicentes licitè poſſe Euchariſtiam, & pœnitentiam in articulo mortis accipi in defectu aliorum Sacerdotum à Sacerdotibus hæreticis, ſchiſmaticis, & de excommunicatione nominatim denunciatis, dummodò ſequentes concurrant circumſtantiæ: quarum prima eſt, vt id fiat citra ſcandalum: ſecunda quòd ex indè non animetur hæreticus, ſchiſmaticus, & excommunicatus: & tertia quod non ſequatur infamia Religionis: quæ quidem duæ poſteriores circumſtantiæ virtute continentur ſub circumſtantia ſcandali. Mouentur ex eo, quòd ab eiuſmodi Sacerdotibus in articulo mortis poteſt quis Sacramentum pœnitentiæ ſuſcipere, vt colligitur ex *Concil. Trid. ſeſſ. 14. de caſuum reſer. c. 7.* in illis verbis, *Omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibus vis peccatis, & cenſuris abſoluere poſſunt.* Ergò à dictis Sacerdotibus hæreticis, ſchiſmaticis, &c. Poteſt quis ſuſcipere in illo articulo ſanctiſſimam Euchariſtiam, quia cui conceditur pœnitentia in illo articulo, conceditur etiam Viaticum, vt in *c. quod in te, ſupra eod. tit. noſtro, de pœnit. ac remiſ.* ita ſe habente, *In illo verbo, per quod pœnitentiam morientibus non negamus, Viaticum etiam, quod verè pœnitentibus exhibetur, intel-*
5 *ligi volumus, &c.* Etenim licèt Sacramentum Euchariſtiæ non ſit tantæ neceſſitatis; eſt tamen maximæ vtilitatis, & grauiſſimæ, ac ſufficientis neceſſitatis, vt veriſimile non ſit, voluiſſe Eccleſiam ſuos fideles priuare tanto beneficio in extremo mortis periculo, concurrentibus maximè ſupradictis circumſtantijs. Confirmatur; quia in extrema neceſſitate nullus fauor fit malis Miniſtris, ſed ſolùm fidelibus verè pœnitentibus: ergò licitum eſt ab eis huiuſmodi Sacramentum ſuſcipere. Vndè his ſic ſtantibus, ad factum Hermenilgidi reſpondetur, quòd meritò ſanctus ille Princeps elegit potius mori, quàm ſanctiſſimam Euchariſtiam ab Ariano Epiſcopo ſumere, quoniam id fieri non poterat citra ſcandalum, & Religionis detrimentum, vt colligitur ex *d. can. ſuperueniente, 1. q. 1.* & rectè declarant *Suar. & Fagund. locis citatis.*

6 Quoad vero ad Sacerdotes publicos concubinarios, & alios ſimiles publicos peccatores probant *Suar. loco citato, & Sot. in 4. d. 22. q. 1. art. 4.* Eorum ſententiam, quoniam iura illa prohibentia Miſſam audiri à publico concubinario, & alijs eiuſmodi publicis peccatoribus abierunt in deſuetudinem, & per extrau. Mart. V. ad euitanda ſcandala non præcipitur vitari alios, quàm qui nominatim fuerint de cenſura denunciati, ac declarati, & notorij Clericorum percuſſores. Vndè licitum eſt ab illis ſanctiſſimam Euchariſtiam ſuſcipere non ſolùm in articulo mortis, ſed etiam extra mortis articulum: quod tamen

quo-

quomodo procedat, latè declarat *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 1. cap. 5. nu. 42. cum pluribus ſeq.* & ſignanter *nu. 50.* Vbi tamen ait non eſſe licitum ab eiuſmodi Sacerdotibus ſacramenta, & Miſſas petere, cùm ſint in publico peccato; niſi tanta ſit neceſſitas, aut vtilitas, quæ id excuſare poſſit.

An Sacerdos ad conferendum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum nõ ſolùm debeat habere poteſtatem ordinis, ſed etiã iuriſdictionis.

SEC. VI.

SVMMARIVM.

1 *Præter poteſtatem ordinis Sacerdotalis, exigitur quoque ad licitam huius Sacramenti diſpenſationem poteſtas iuriſdictionis.*

2 *Sacerdotes non proprij, qui ſine licentia proprij Sacerdotis hoc Sacramentum miniſtrant, lethalem culpam contrahunt.*

3 *Religioſi, qui abſque iuriſdictione, & licentia proprij Sacerdotis ſanctiſſimam Euchariſtiã miniſtrant, non ſolum mortaliter peccant, ſed excommunicationem quoque ipſo facto incurrunt, reſeruatam Romano Pontifici.*

4 *Sed tres conditiones requiruntur ad præfatam excommunicationem incurrendam.*

Et primò, vt contrauenientes ſint Religioſi, vndè Sacerdotes ſeculares non comprehenduntur: nec illi qui de Congregatione ſunt, inſtituta Romæ à S. Philippo Nerio: nec Religioſi, qui Rectores ſunt, aut Parochi ſecularium.

5 *Nec comprehenduntur Religioſi, qui alijs Religioſis hoc Sacramentum miniſtrant.*

6 *Nec etiam qui ex ignorantia, bona fide, aut ratihabitione probabiliter præſumpta hoc Sacramentum miniſtrant etiam Laicis.*

7 *Sacerdotes iuriſdictionem non habentes citra proprij Sacerdotis licentiam hoc Sacramentum miniſtrare non poſſunt, etiam conſtitutis in articulo mortis: idemque dicendum eſt in Religioſis.*

8 *Satis tamen erit, ſi iuriſdictionem habeant delegatam: Et quis nam dicatur habere ordinariam, quiſue delegatam.*

9 *Hodie ex priuilegio Romani Pontificis Religioſi vbiq; terrarum poſſunt per ſe ipſos, quouis anni die Euchariſtiam miniſtrare ſæcularibus, & Clericis ſolo die Paſchatis Reſurrectionis excepto.*

Idemq; poteſt quilibet Sacerdos ſæcularis in Religioſorum Monaſterio cum licentia Sacriſtæ.

Et quomodo ſit intelligendus dies Paſchatis.

10 *Hæc quoque priuilegia conceſſa fuerunt per Paulum IV. Fundatorem Religionis Theatinorum.*

11 *An in prædicto priuilegio ſit exceptuatus quoq; dies Paſchæ.*

12 *Simplex Sacerdos, etiamſi Religioſus ſit, abſente proprio Sacerdote, vel ipſo quoque præſente, & iniquè nolente, poteſt hoc Sacramentum miniſtrare conſtitutis in mortis articulo. Idemque poſſunt ex priuilegio fratres minores, & fratres Prædicatores.*

13 *Patres Theatini ex priuilegio Pij IV. & Pij V. poſſunt ſanctiſſimum Euchariſtiæ, ac extremæ Vnctionis miniſtrare non ſolum Clericis, & fratribus eiuſdem Congregationis, ſed etiam Mercenarijs, ac famulis, & quibuſcunque hoſpitibus, imò exteris in articulo mortis conſtitutis, qui in locis, & habitationibus prædictæ Congregationis reperiuntur, etiam Diœceſanorum, & Curatorum licentia non petita, nec obtenta.*

14 *Simplex Sacerdos, ſiuè Sæcularis, ſiuè Regularis ſit ex præſumpta proprij Sacerdotis voluntate, ac ratihabitione poterit hoc ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè, vt ex communi Doctorum ſententia docent *D. Thom. 3. par. q. 82. art. 3. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 55. in prin. Sot. in 4. d. 13. q. 1. art. 3. Alan. de ſacram. in genere, c. 50. Caſtro ver. Sacerdos, hæreſi 1. Bellar. lib. 4. de Euch. c. 16. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 2. in prin.* Et alij communiter, dicentes præter poteſtatem ordinis Sacerdotalis, per quam quilibet Sacerdos conſtituitur Miniſter ordinarius ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, exigi quoq; ad rectam & licitam diſpenſationem illius poteſtatem iuriſdictionis; atque ideò non eſſe liberum omnibus Sacerdotibus huiuſmodi Sacramentum diſpenſare; ſed illis tantum, qui iuriſdictionem habent reſpectu illorum, qui diſpenſant. Probatur primò ex noſtro cap. in illis verbis, *Niſi fortè de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Vndè ſicut ille *textus* ſtatuit Sacramentum pœnitentiæ à proprio Sacerdote eſſe ſuſcipiendum; ita quoque ſtatuiſſe cenſetur de Sacramento Euchariſtiæ, cum à perceptione illius ad tempus ſolus Sacerdos proprius, qualis proprius Parochus, aut proprius Epiſcopus, vel Papa poſſit diſpenſare. Etenim paſcere gregem Chriſti, non eſt munus cuiuſcunq; ordinarij Sacerdotis; ſed eſt munus, ac officium proprij Paſtoris: & propterea ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine ſolùm Curati, & Paſtores, qui præſunt, vel alij Sacerdotes de licentia illorum Sacramentum huiuſmodi diſpenſant. Confirmatur ex *Conc. Cartagin. 1. c. 7.* Ita ſe habente, *Statuat grauitas veſtra, vt vnuſquiſque Clericus, vel Laicus non communicet in aliena plebe ſine litteris Epiſcopi ſui.* Idem habetur ex *Concil. Millenit. c. 18. & ex Tertull. lib. de corona Militis, c. 3. Dionyſ. c. 3. de Eccl. Hierch. & Iuſtino martire apolog. 2. pro Chriſtian.*

2 Ampliatur primò hæc concluſio, vt adeò Sacerdotes, qui non ſint proprij illicitè ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrent ſine licentia proprij, vt lethalem culpam contrahant, vt habetur ex Doctoribus ſupra relatis, & *Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 3. c. 2. ſub nu. 11.* Etenim Sacerdotes, qui Sacramentum ſine debita iuriſdictione, ac licentia adminiſtrant, vſurpant alienum ius in re grauiſſima contra voluntatem Parochorum, pacem communem, & bonum Eccleſiæ regimen perturbant, nimirum igitur ſi mortaliter peccant.

3 Ampliatur ſecundò eadem concluſio, vt Sacerdotes, qui abſque iuriſdictione, ac licentia, vt ſupra ſanctiſſimã Euchariſtiam adminiſtrant

ſint Religioſi, nnn ſolùm mortaliter peccent;
verum etiam excommunicationem contrahant
ipſo facto, cuius abſolutio Rom. Pontifici eſt
reſeruata, vt eſt *tex. in clem. Religioſi, de priuil.*
Ita ſe habens. *Religioſi, qui Clericis, aut Laicis*
Sacramentum Vnctionis extremæ, vel Eucha-
riſtiæ miniſtrare, &c. præſumpſerint, excommu-
nicationis incurrant ſententiam ipſo facto, per
S. A. dumtaxat abſoluendi. Vbi eſt adnot. quòd
4 ad incurrendam præfatam excommunicationem
exiguntur tres conditiones; quarum prima eſt,
vt contrauenientes ſint Religioſi: & propterea
non extenditur ad alios Sacerdotes ſæculares,
quoniam in pęnis verba ſunt ſtrictè intelligenda
vt *c. odia, & ibi Dyn. & alij, de regul. iur. in 6.*
Eo maximè, quia in Religioſis poteſt eſſe ſpe-
cialis prohibendi ratio, cùm nnn valeant tàm
facilè ab Epiſcopis coerceri, atque ideò liberius
poſſent prædictam iuriſdictionem vſurpare, vt
ibi *Gloſa* notat, & habetur ex *Suar. tom. 3. in 3.*
par. diſp. 72. ſec. 2. verſ. Sed inquires. Vndè ſo-
lùm Religioſos à iuriſdictione Epiſcoporum
exemptos hæc excommunicatio videtur com-
prehendere, vt poſt alios inquit *Fagund. loco*
citato, ſub nu. 13. in fine. Appellatione autem
Religioſorum veniunt non ſolùm ij, qui in ali-
qua Religione à S. A. approbata tria vota ſo-
lemnia emittunt, vt ſunt Noſtri, Dominicani,
Franciſcani, &c. verum etiam qui emittunt tria
vota ſimplicia, vt ſunt Patres Ieſuitæ, vt nos latè
oſtendimus in noſtris *Comment. ad Bull. Cœnæ*
Domini, lib. 2. can. 1. q. 16. num. 4. & in addit.
litt. A. Non tamen puto comprehendi illos, qui
viuunt in aliqua Congregatione collegialiter
profeſſionē nō emittentes, vt ſunt illi de Cōgre-
gatione inſtituta Romæ à S. Philippo Nereo, vt
in dictis *Commentar.* diximus *loco citato, ſub*
nu. 5. verſ. Dicitur. Nec comprehenduntur Re-
ligioſi, qui Rectores, aut Parochi ſunt ſæcula-
rium, vt habetur ex *Nauar. in Man. cap. 27. nu.*
102. & ante ipſum *Felin. in c. cum quidam, de*
iureiur. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 55. ad marg.
litt. B. cum alijs, quos allegat, & *Fagund. d.*
c. 2. ſub nu. 14.

5 Secunda conditio, quæ requiritur ad incur-
rendam excommunicationem in *d. clem.* con-
tentam, eſt, vt Religioſi miniſtrent ſanctiſſimum
Euchariſtiæ Sacramentum Clericis, aut Laicis,
vt patet ex illis *clem.* verbis, *Clericis, aut Laicis*
Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare, &c.
Vndè prædicta excommunicatio non compre-
hendit eos, qui eam adminiſtrant alijs Religio-
ſis citra ſuorum Prælatorum facultatem, vt ha-
betur ex *Nauar. Henriq. Suar. & Fagund.*
locis ſupra citatis. Etenim in ipſa clem. ſatis di-
ſtinguuntur Clerici ſæculares, & Laici à Reli-
gioſis, & ex fine prędictæ legis id licet colligere:
quoniam clem. illa lata fuit in fauorem Paro-
chorum, ſub quibus in pœnis non comprehen-
duntur Superiores Religionum, atque ideò neq;
compredenditur adminiſtratio illa, quæ Reli-
gioſis fit.

6 Tertia conditio eſt, vt Religioſi contraue-
nientes ſcienter, & ex præſumptione contraue-
niant; atque ideò excommunicationem illam nō
contrahunt Religioſi, qui ex ignorantia Eucha-
riſtiam miniſtrant Laicis, vel Clericis exiſti-
mantes id ſibi licere: vel bona fide, aut ratiha-
bitione probabiliter præſumpta, vt habetur, &
Card. in d. clem. Religioſi, Henriq. Nauar. &
alijs Doctoribus ſupra citatis. Et id ob illa *clem.*
verba, *Qui præſumpſerint.* Etenim verbum præ-
ſumere, vſurpatur pro audere, ſeù tentare aliquid
contra iuris diſpoſitionem, vt in *c. ſed nec, ne*
cler. vel mon. Vndè excommunicatio, quæ exigit
præſumptionem ad eam incurrendam, non in-
curritur ab eo, qui ex ſimplicitate, inaduertentia,
& ex ignorantia etiam culpabili facit actum à
canone ſub excommunicatione prohibitum, vt
oſtendimus in noſtris *Commen. in Bull. Cœnæ*
lib. 2. can. 13. q. 8. & can. 1. q. 36. 37. & 38. Vbi
etiam latè probauimus en caſu excuſare ab ex-
communicatione non ſolum ignorantiam culpa-
bilem, ſed etiam craſſam, affectatam, & conco-
mitantem: & idem diximus eſſe dicendum,
quando ad incurrendam excommunicationem
exigitur ſcientia, ac dolus.

7 Ampliatur tertiò, vt Sacerdotes non habentes
iuriſdictionem, vt ſupra non poſſint ſanctiſſimū
Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare citra pro-
prij Sacerdotis licentiam, & ſi Religioſi ſint, &
Laicis, vel Clericis illud miniſtrent, in excom-
municationem incidant, etiam ſi ſanctiſſimam
Euchariſtiam conferant conſtitutis in articulo
mortis, vt habetur ex *Nauar. in Man. c. 27. nu.*
107. *Cardin. in d. clem. Religioſi, q. 11. Suar.*
loco citato, & Fagund. d. lib. 3. c. 2. ſub num. 14.
Vbi rem hanc optimè declarat, & infra *limit. 2.*
latius explicabimus.

7 Sic ampliata limitatur hæc eadem concluſio,
vt quamuis Sacerdotes iuriſdictionem non ha-
bentes non poſſint ſanctiſſimum Euchariſtiæ
Sacramentum miniſtrare; nihilominus non eſt
neceſsè, vt iuriſdictionem habeant ordinariam;
ſed ſatis eſt ſi habeant delegatā iuriſdictionem.
Ordinariam autem iuriſdictionem habere dici-
tur proprius Sacerdos, ſeù Parochus, ſub cuius
nomine veniant Curati, & Rectores, qui Paro-
chianos habent; Epiſcopus, & eius Vicarius Ge-
neralis, venit Papa. Delegata verò iuriſdictio
reſidet in his, quibus à ſupradictis ordinarijs
conceditur facultas, aut priuilegium. Etenim
Papa eſt Parochus totius Orbis, & Epiſcopus
ſuæ Diœceſis. Vndè hanc poteſtatem poterit
Papa delegare in toto Orbe ijs Sacerdotibus,
quibus voluerit, ſiuè ſint Religioſi, ſiuè non,
Epiſcopi in ſua tantùm Diœceſi, & alij Parochi
in ſua tantummodò Parochia, vt habetur ex eo-
dem *Fagund. poſt alios loco citato, & num. 15.*
9 Imò de facto hodiè ex priuilegio Romani Pon-
tificis, poſſunt Religioſi per ſe ipſos vbiq; terra-
rum quouis anni die miniſtrare Euchariſtiam
ſæcularibus, & Clericis, excepto ſolo die Pa-
ſchatis Reſurrectionis, vt patet ex *Compendio,*
ver. Communicare, §. 5. Et idem poſſe quem-
libet Sacerdotem ſæcularem, dum celebrat in
Monaſterio Religioſorum mendicantium cum
licentia Sacriſtę etiam tempore interdicti, inquit
Medina lib. 1. c. 11. §. 13. Et hoc per priuilegium
conceſſum Mendicantibus à Nicol. V. & Sixto
IV. & Religioſis Societatis Ieſu à Paulo III. vt
teſtatur idem *Fagund. d. lib. 3. c. 2. ſub num. 16.*
vbi etiam nu. 17. & 18. Explicat diem illum
Paſchatis exceptum, an intelligendus ſit mate-
rialiter, nempè de ipſo tantùm, & præciſè die
Paſchatis; an verò formaliter, atque ideò intelli-
gendus

Digitized by Google

gendus ſit non de ipſo die Paſchatis; ſed quòd non liceat Religioſis miniſtrare ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſæcularibus vt ſupra in eorum Eccleſijs, quando in eiſdem illi communicant ad implendum præceptum communionis annualis tempore Paſchatis, ſiuè illud Paſcha comprehendat octo, vel quindecim dies; ſiuè de more alicuius Regni, aut Prouinciæ, comprehendat etiam totum illud tempus, quod intercedit à primo die Quadrageſimæ vſque ad Dominicam in Albis, aut Paſtoris boni, & tandem concludit cum *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 72. ſec. 2. verſ. Cenſeo*, verba illa, *Excepto die Paſchatis*. In priuilegio ſupradicto contenta, intelligenda eſſe de die Paſchatis formaliter, non autem materialiter: atque ideò excipitur ſola illa communio, quæ fit ex obligatione huius præcepti quocunque die fiat. Quibus adde, quæ ſupra cumulauimus hoc eodem § *diſp. 3. ſec. 2.*

10 Quæ quidem priuilegia fuerunt quoq; conceſſa à S.M. Paulo IV. noſtræ Religionis Fundatore, vt habetur ex noſtro *P. Pellegr. in comp. noſtrorum priuil. ver. Communicare, §. 2.* Qui inquit, quòd vigore dictorum priuilegiorum Noſtri, qui idonei ſunt, Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare poſſunt in omnibus, & ſingulis, etiam ad nos ſpectantibus Eccleſijs quibuſcunque vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus.

11 Eſt tamen verum, quòd quamuis præfatum priuilegium ſit noſtris conceſſum citra limitationem, ſeu exceptionem diei Paſchatis; nihilominus *P. Pellegr. d. §. 2. in ſchol.* Vult cenſeri diem illum exceptuatum; quoniam inſolita in generali conceſſione non veniunt, niſi ſpecialis mentio de illis facta ſit, ad quod allegat *c. fin. de offic. Vicar. lib. 6.* Imò rectè quoque ibidem probat cenſeri diem illum exceptum etiã quoad vagos, Aduenos, & Peregrinos per Bull. Eugen. IV. qui declarauit quoque optimo iure ſatisfactum eſſe noſtro canoni, ſi in hebdomada ſancta vel infra octauam Paſchæ Reſurrectionis Dominicæ fideles ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum accipiant.

12 Secundò limitatur ipſa concluſio quoad tertiam ampliationem, vt quamuis Sacerdos non habens iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam non poſſit ſæcularibus, & clericis citra proprij Sacerdotis licentiam ſanctiſſimam Euchariſtiam miniſtrare, etiam ſi in mortis articulo ſint conſtituti; id tamen intelligendum eſt quando proprius Sacerdos ſit præſens, & velit miniſtrare: ſecus autem ſi ſit abſens: vel præſens, & iniquè nolit eiuſmodi conſtitutis in mortis articulo Sacramentum Euchariſtiæ conferre: quoniam tunc poſſet illud conferre Sacerdos ſimplex etiam ſi Religioſus eſſet, vt habetur ex *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 55. nu. 1. ad margin. litt. H.* & latè *Fagund. d. c. 2. nu. 20.* Vbi teſtatur hoc idem poſſe, & Sacramentum extremæ Vnctionis ex priuilegio fratres Minores, & fratres Prædicatores. Et *P. Pellegr. noſter in compendio noſtrorum priuilegiorum tit. communicare, §. 3.* inquit, Præsbyteros noſtræ Congre-

13 gationis ex priuilegio Pij IV. & Pij V. poſſe miniſtrare Sacramentũ Euchariſtiæ, & extremæ Vnctionis non ſolùm clericis, & fratribus eiuſdem Congregationis; ſed etiam Mercenarijs, famulis, operarijs, & ſeruis ipſius Congregationis, ac quibus vis Hoſpitibus, etiam ſæcularibus in articulo mortis conſtitutis. Imò id etiã poſſe extraneis, quos in locis, vel in habitationibus noſtræ Congregationis reperiri contingerit: & in mortis articulo, & quoties de illo dubitatur, etiam Diœceſanorum locorum, & Sacerdotum Curatorum quorumcunque, etiam in quorum Ciuitatibus, & Diœceſibus, ac Eccleſiarum Parochijs reſpectiuè Eccleſiæ, & loca ipſius Congregationis nunc, & pro tempore fuerint, aut aliorum quorumcunq; licentia minimè obtenta, nec petita: & in caſu quo non daretur licentia petendi ſpatium, poſſunt Sacramenta ſupradicta miniſtrare, etiam alijs quibuſcunque infirmis in mortis articulo conſtitutis, vbique: & in caſu neceſſitatis prædicto, etiam nulla ad hoc per nos petita, nec nobis conceſſa licentia.

14 Tertiò limitatur ipſa concluſio, vt licèt ſimplex Sacerdos, ſiuè ſæcularis ſit, ſiuè Regularis non poſſit licitè adminiſtrare Laicis, & Clericis ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum citra licentiam proprij Sacerdotis; id tamen poterit ex præſumpta voluntate, ac ratihabitione ipſius proprij Sacerdotis, vt docent *Henriq. lib. 8. de Euch. c. 54. nu. 2. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 72. in prin. Tolet. lib. 2. ſua ſum. c. 28.* quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 2. num. 11. in fine, vbi etiam nu. 12.* Notat diſcrimen inter eiuſmodi Sacramentum Euchar. & Sacramentum pœnitentiæ: ſiquidem ad miniſtrandum Sacramentũ pœnitentiæ non ſubditis exigitur, vt expreſsè præcedat licentia proprij Sacerdotis, nec ſatis eſt voluntas eius interpretatiua, extra caſum extremæ neceſſitatis, ſeu ratihabitio, vt nos latè oſtendimus ſupra *§. 1. diſp. 8. ſec. 7. concl. 4.* At in Sacramento Euchariſtiæ ad licitam eius miniſtrationem ſufficit præſumpta voluntas proprij Sacerdotis, & quòd ſub ſpe probabili illius ratihabitionis impendatur. Etenim hanc eſſe rationem inquit poſt alios: quia in Sacramento pœnitentiæ, ſicut & in Sacramento matrimonij requiritur licentia, & iuriſdictio ad ſubſtantiam, & valorem actus: in Sacramento autem ſanctiſſimæ Euchariſtiæ non exigitur eiuſmodi licentia, & iuriſdictio ad valorem actus; ſed tantùm ad debitum modum adminiſtrandi tale Sacramentum, ne contra voluntatem Paſtorum hæc iuriſdictio vſurpetur.

An Parochi tempore peſtis teneantur ſubditis ſanctiſſimum Euchar. Sacramentum miniſtrare.
SEC. VII.

SVMMARIVM.

1 *Parochi appellatione qui nam veniant in iure.*
2 *Homo nõ eſt propriæ vitæ Dominus, ſed Cuſtos, & ſub lethali culpa tenetur ſuam vitam tueri. Et nu. 7.*
Nec præceptum ſumendi communionem etiam per modum Viatici obligat, niſi quando commodè ſuſcipi poteſt.
3 *In contrarium eſt communis ſententia, quod de iuſtitia tenentur Parochi tempore peſtis, vel ex alia graui neceſſitate, etiam ſi extrema non ſit miniſtrare eis ſanctiſſimam Euchariſtiam.*
4 *Parochi tenentur quoque ſuis Parochianis, ac*

 quibus

ouibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aliaq; Sacramenta miniſtrare, nẽ dum in extrema, vel quaſi neceſſitate, ſed quoties rationabiliter, & iuſtè petunt.

5 *Idque tenentur Parochi de iuſtitia in his caſibus, alijſq; etiam in periculo vitæ.*

6 *An, & quando excuſentur Parochi à collatione Euchariſtiæ aliorumq; Sacramentorum tẽpore peſtis, vel alterius extremæ neceſſitatis.*

7 *Licet homo dominium non habebat vitæ ſuæ, habet tamen vſum illius ad omnia, quæ recta ratio dictat.*

8 *Conſtitutus in mortis articulo etiam à Sacerdote, qui peſte laboraret tenetur Euchariſtiam recipere, ſi alium Sacerdotem non habeat, qui Viaticum ſibi miniſtret.*

Et quando in correlatiuis quod diſponitur in vno diſponatur in alio.

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd vt aliàs diximus, appellatione Parochi in iure veniunt non ſolùm Rectores Eccleſiarum, & ij ad quos certarum Parochiarũ cura ſpectat; ſed etiam Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Papa. Etenim Papa dicitur vniuerſalis Eccleſiæ Parochus, Archiepiſcopus ſuæ Prouinciæ, & præſertim ſpecialis eiuſdem Diœceſis. Et Epiſcopus propriæ Diœceſis. Item appellatione Parochorum veniunt etiam Superiores Religionum reſpectu ſuorum ſubditorum, vt poſt alios docet *Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 1. c. 5. nu. 4. & lib. 3. c. 2. num. 14. & c. 3. nu. 2.* De his omnibus igitur quærimus, an tempore peſtis obligentur proprijs eorum ouibus ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare.

2 In hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Etenim homo non eſt propriæ vitæ dominus; ſed tantùm cuſtos; atque ideò ſub lethali culpa tenetur illam tueri, ac conſeruare, vt habetur ex *D. Thoma 2. 2. q. 73. art. 9. ad 2. Valent. 2. 2. diſp. 5. q. 1. pun. 1. & alij.* Ergò non tenentur Parochi tempore peſtis Sacramentum Euchariſtiæ eorum ouibus miniſtrare. Confirmatur, quia præceptum communionis etiam per modum Viatici non obligat ad eam ſuſcipiendam, niſi quando commodè ſuſcipi poteſt citra propriæ vitæ, aut alterius diſpendium, cùm poſſit ſpiritualiter ſuſcipi ad conſequendum fructum eius, vt habetur in *Conc. Trid. ſeſſ. 13. c. 8.* in illis verbis, *Qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viua, quæ per dilectionem operatur, fructũ eius, & vtilitatẽ ſentiunt.* Si igitur non tenetur quis Sacramentũ Euchariſtiæ cum tanto diſpendio ſuſcipere, ergò nec quis tenetur cum tali diſpendio dare, & ſic miniſtrare; quoniã dare, & accipere ſunt correlatiua, & in correlatiuis quod diſponitur in vno, cenſetur quoque diſpoſitum in alio, vt latè habetur ex *Euerar. de loc. com. iur. argum. à correlatiuis.*

3 His tamen non obſtantibus in contrarium eſt communis ſententia, quam docent *D. Thom. 3. p. q. 84. art. 7. Sot. in 4. d. 12. q. 1. art. 6. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 55. n. 2. Suar. tom. 3. in 3. p. diſp. 72. ſec. 3. Nauar. in Man. c. 24. nu. 11. & 18. & c. 25. nu. 131. Tab. ver. Epiſcopi, nu. 5. Tolet. lib. 4. ſua ſum. c. 10. nu. 5. Sa, verbo Caritas, nu. 3. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 3. ſub num. 1. & alij.* Dicentes de obligatione iuſtitiæ teneri Parochos tempore peſtis, vel ex alia graui neceſſitate, etiam ſi non ſit extrema ſub lethali culpa ſuis Parochianis ſubuenire, miniſtrando eis ſanctiſſimam Euchariſtiam, & alia Sacramenta etiam cum periculo vitæ; niſi adſint alij idonei Miniſtri, qui ſufficienter id præſtent. Etenim inter Parochos, & Parochianos cenſetur tacitè initum pactum, vt ſcilicet Parochiani Parochos paſcunt corporali alimento: & Parochi Parochianos alimento ſpirituali, quoties illo indiguerint. Confirmatur, quoniam ex debito iuſtitiæ tenẽtur Milites in bello iuſto, & Iudices, ac alij Magiſtratus à Rege, vel Repub. ad proſpiciendũ bono publico temporali ſtipendio conducti vitam exponere quoties ad tuendam Vrbẽ, & bonum publicum fuerit opus. Ergò, &c.

4 Ampliatur hæc cõcluſio, vt Parochi de iuſtitia teneantur ſuis Parochianis, ac ouibus ſanctiſſimum Euch. Sacramentum, & alia Sacramenta miniſtrare non ſolum in extrema, vel quaſi extrema neceſſitate; ſed etiam quoties oues ipſæ rationabiliter, & opportunè petunt; atque ideò ſi non nimis frequenter petant, neque vltra id, quod illarum ſtatum, & viuendi modum, & reuerentiam tanti Sacramenti decet, tenentur Parochi regulariter, ac per ſe hoc Sacramentum illis miniſtrare. Ita *Adrian. in 4. q. 5. de confeſ. dub. 8. Sot. d. 12. art. 6. Nauar. in c. placuit, de pœnit. dub. 6. nu. 15.* Etenim Parochi non tantùm aluntur à ſuis Parochianis, vt ſibi miniſtrent neceſſaria Sacramenta ad implenda præcepta Eccleſiæ; ſed etiam ad ea, quæ ſunt valdè vtilia, & opportuna ſaluti animarum, vt rectè declarat *Fagund. d. c. 3. ſub nu. 4.* Vbi tamen id limitat, vt in illis caſibus id verum ſit, quando non ſit cum periculo vitæ.

5 Secundò ampliatur concluſio, vt Parochi etiã cum periculo vitæ tempore peſtis, & in alijs caſibus extremæ, vel quaſi extremæ neceſſitatis teneantur de iuſtitia miniſtrare ſuis ouibus ſacram Euchariſtiam, & alia Sacramenta non quando ad ea ſuſcipienda præceptum obligat; verum etiam extra tempus præcepti, vt contra *Ricchard. in 4. d. 18. q. 3. art. 2. & Syl. ver. Confeſſor, 1. q. 18.* probant *Suar. loco citato, & Fagund. d. c. 3. nu. 6.*

6 Sic ampliata limitatur ipſa concluſio, vt Parochi ex accidenti excuſentur à collatione Euchariſtiæ, & aliorum Sacramentorum tempore peſtis, vel alterius extremæ neceſſitatis ſuis ouibus, nempè ob rationabilem cauſam occurrentem: vel quia habeant alios coadiutores ad quos poſſint oues citra omne diſpendium remittere; etiam ſi coadiutores voluntarij ſint, & ex priuilegio Sacramenta miniſtrent, quales ſunt Religioſi, vt habetur ex *Suar. vbi ſupra, & Fagund. d. c. 3. nu. 5.*

Reſtat modò, vt ad contraria reſpendeamus.

7 AD primum negatur conſequentia: quoniam licèt homo nõ habeat dominium vitæ ſuæ; habet tamen vſum illius ad ea omnia, quæ recta ratio dictat; atq; ideò quamuis ſub lethali culpa teneatur illam conſeruare; attamen quando recta ratio dictat tenetur eam exponere, vt in caſu noſtro pro ſalute ſpirituali propriarum ouium, cum recta ratio dictet, vt Paſtores objciantur periculis pro ouibus ſuis. Etenim bonus Paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.

8 Ad

8 Ad confirmationem, quod ſi quis conſtitutus in articulo, aut periculo mortis tenetur ſacram Eucharistiam per modum Viatici recipere à Sacerdote qui peſte laboret, ſi alium Sacerdotem non habeat, qui Viaticum ſibi miniſtret: quoniam in tali articulo vrget obligatio charitatis propriæ, & propterea negatur antecedens. Secundò reſpondetur quòd quicquid ſit de antecedenti negatur conſequentia, quoniam diuerſa ratio militat in Parocho, ac in Parochiano: quia Parochianus obligatur ad præſtandum Parocho alimentum corporale: at Parochus obligatur tacitè ad præſtandum ſuis Parochianis alimentum ſpirituale, atque ideò ad miniſtranda illis Sacramenta: vndè licèt dare, & accipere ſint correlatiua; nihilominus in correlatiuis tunc quod diſponitur in vno diſponitur quoque in alio, quando in vtroque militat eadem ratio, vt per *Euer. loco citato*. In caſu autem de quo agitur dato, & non conceſſo; quod Parochianus non obligetur ſuſcipere ſanctiſſimum Viaticum à Parocho peſte laborante; tenetur tamen Parochus valens illud Parochiano miniſtrare: quoniam ex parte Parochi adeſt obligatio miniſtrandi, quæ tamen nõ eſſet ex parte Parochiani.

Ibi, *De proprij Sacerdotis conſilio, &c.* An quis teneatur ſeruare conſilium proprij Sacerdotis conſulentis, vt à ſanctiſſima communione ad tempus abſtineat.

SEC. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Omnis vtriuſque ſexus fidelis cum ad annos diſcretionis peruenerit, tenetur in Paſcha ſuſcipere Euchariſtiæ Sacramentum, niſi aliud ex proprij Sacerdotis conſilio ſibi ſuadeatur.*
2 *Culpa haud contrahitur ex tranſgreſſione Conſiliorum Dei, ſed præceptorum.*
3 *Conſilium proprij Sacerdotis ſi rationabile ſit, & proficuum animæ ſubditi, ſi ſubditus non ſeruabit, peccabit ſaltem venialiter.*
4 *Si Parochus audita confeſſione ſui ſubditi, qui communicare velit pro implendo præcepto in Paſcha nouerit ipſum ſubditum laborare morbo, quo de facilè prouocatur ad vomitum, & nihilominus ipſe communicare velit; procul dubio dicitur communicaſſe contra rectam rationem, atque ideò contra ius naturale, & Diuinum.*

1 AD tituli explicationem eſt adnot. quòd vi noſtri cap. omnis vtriuſq; ſexus fidelis cum ad annos diſcretionis peruenerit tenetur ſuſcipere reuerenter in Paſcha ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; niſi de proprij Sacerdotis conſilio ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum. Quæritur modo, an ſi aliquis non obſtante tali conſilio ſibi dato à proprio Sacerdote, in Paſcha communicauerit, culpam aliquam contraxerit.

2 In hac difficultate videtur negatiuè reſpondendum eſſe. Etenim culpa non contrahitur ex tranſgreſſione conſiliorum Dei; ſed ex tranſgreſſione præceptorum: nam ob id *D. Auguſt.* definiens peccatum, loquit, quòd eſt dictum factum, vel concupitum contra legem Dei: ſeu peccatum eſt receſſus à regula Diuina, ſeu diuino præcepto, vt habetur ex *Toleto lib. 3. ſua ſum. c. 1.* Vndè tranſgreſſio præcepti humani, ac humanæ legis in tantum eſt peccatum, in quantum includit præceptum Dei, qui præcipit obedire Præpoſitis noſtris. Non igitur culpam aliquam dicitur contrahere quis, ſi non obſtante conſilio ei dato à proprio Sacerdote de differenda ſacra communione poſt Paſcha per aliquod tempus in Paſcha communicet non ſeruando huiuſmodi conſilium.

3 His tamen non obſtantibus, dicimus, quod ſi conſilium eſt rationabile, & proficuum animæ ſubditi, cui à proprio Sacerdote impenditur, ſi ſubditus non ſeruet, peccabit ſubditus ſaltem venialiter, cùm non rationabiliter agat. Nam licèt omne peccatum mortale ſit contra legem, ac præceptum Dei, vel hominis, quatenus reducitur ad Diuinum, quod præcipit ſuperioribus obedire, tanquam Dei Miniſtris: nihilominus peccatum veniale cum ſit præter legem, & non tendat in finem legis, ad illud contrahendum non exigitur, quod fiat contra præceptum, ſed ſatis eſt quòd fiat actus præter præceptum, qui non tendat in finem præcepti. Modo, qui non ſeruat rationabile conſilium proprij Sacerdotis in caſu, de quo agitur, ad minus facit actum, qui non tendit in finem legis; ergò peccat venialiter. Imò conſilium huiuſmodi poteſt eſſe adeò rationabile, vt ſit contra rectam rationem, atque ideò contra ius naturale illud non ſeruare & per conſequens ille talis peccaret mortaliter non ſeruando.

† Vndè ſi Parochus audita confeſſione ſui ſubditi,
4 qui vult communicare ad implendum præceptum communionis in Paſcha, nouerit ipſum ſubditum laborare tunc temporis aliquo morbo, quo de facili prouocatur ad vomitum, propter quod ei conſular, vt communionem differat poſt Paſcha, vt expectet donec conualeſcat: & ſubditus conſilio noluerit acquieſcere, ſed voluerit communicare in Paſcha, exponens ſe proximo periculo vomitus ſanctiſſimæ Euchariſtiæ, is procul dubio dicitur communicaſſe contra rectã rationem, atque ideò contra ius naturale, ac etiam Diuinum, & contra diſpoſitionem noſtri canonis, quibus iuribus præcipimur reuerenter accedere ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & propterea citra lethalem culpam non potuit proprij Sacerdotis conſilio nõ aquieſcere.

An ſi quis differat communicare in Paſcha ex conſilio proprij Confeſſarij excuſetur à pœnis in noſtro canone contentis.

SEC. IX.

SVMMARIVM.

1 *Proprius Sacerdos num dicatur proprius Confeſſarius, & valida ſit hæc conſequentia.*
2 *Ad differendam ſacram communionem in Paſcha non exigatur Conſilium proprij Sacerdotis, & ſatis nõ ſit conſiliũ proprij Confeſſarij.*
3 *veritas eſt in contrarium, quod ſatis ſit conſilium proprij Confeſſarij.*

1 AD tituli huius controuerſiæ explicationem eſt adnot. quòd proprius Sacerdos licèt dicatur proprius Confeſſarius ſuarum ouium; nibilo-

nihilominus non valet dicere Titius eſt proprius Sacerdos Sempronij, ergò eſt illius proprius Confeſſarius. Etenim hodie ferè omnes Religioſi ex delegatione Romani Pontificis cùm poſſint audire confeſſiones ſæcularium, quamuis aliquis ſæcularis habeat proprium Sacerdotem Parochum; nihilominus poteſt habere propriũ Confeſſarium aliquem Sacerdotem Religioſum approbatum ab Ordinario. Quæritur igitur, an ſi quis differrat communicare in Paſcha de conſilio proprij Confeſſarij, qui non ſit proprius Sacerdos, ſeù proprius Parochus, incidat in pœnas in noſtro canone contentas.

2 Ad hanc difficultatem videtur reſpondendum affirmatiuè. Etenim noſter canon exigit conſilium proprij Sacerdotis ad differendam ſacram communionem in Paſcha: ergò non eſt ſatis conſilium proprij Confeſſarij; qui non ſit proprius Sacerdos. Etenim incluſio vnius eſt excluſio alterius, *arg. tex. in c. non ne, de præſump.*

3 In contrarium tamen eſt veritas, vt ſupra oſtendimus, *diſp. 1. ſec. 2. lim. 2.* vbi latè de hac re egimus.

An proprius Sacerdos non ſolùm conſulere, ſed etiam præcipere alicui ex ipſius ouibus poſſit, vt communionem in Paſcha in aliud tempus differat.

S E C. X.

S V M M A R I V M.

1 *Duplici ex cauſa contingere poteſt, vt proprius Sacerdos præcipiat alicui ex ſuis ſubditis dilationem communicandi in Paſcha.*

2 *Publicus, vel occultus peccator dici poteſt multis modis.*

3 *Peccatum, vt ſit publicum ex euidentia facti, ſatis eſt, vt ſit notorium, manifeſtum, vel famoſum, & quod nam dicitur notorium, manifeſtum, vel famoſum.*

4 *Publicum quoque dicitur peccatum, quod notum eſt decem teſtibus.*

Et dicitur etiam publicum ex facti euidentia, quando publicus peccati rumor verſatur per Vrbem, Vicinium, vel Collegium, & in ore multorum eſt diſperſus. Sed quæ cognitio in hoc exigatur.

5 *In minimo pago, Vicinia, vel Parochia, quæ ad minus conſtituuntur ex decem perſonis, peccatum, vt dicatur publicum, opus eſt vt notum ſit ſaltem ſex.*

6 *Occultus peccator dicitur qui publicus non eſt, multiſq; modis id contingit.*

7 *Peccator, ſiuè publicus ſit, ſiuè occultus, contingere poteſt, vt poſtulet Euchariſtiam Paſchali tempore publicè, vel occultè.*

8 *Infirmo, facili ad vomitum, & qui probabili periculo ſe exponeret euomendi ſanctiſſimam Euchariſtiam, ſi communicaret, Sacerdos nõ ſolum poteſt, ſed debet illam denegare, atque ideò differre poſt Paſcha.*

9 *Publicus peccator volens communicare etiam pro implendo Paſchatis præcepto, poteſt, & debet omninò repelli per Sacerdotem à ſanctiſſima Euchariſtiæ ſuſceptione.*

10 *A ſuſceptione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ qui nam repellendi ſint, quiuè inter peccatores publicos connumerentur.*

11 *Peccator publicus eſt à ſacra communione arcendus, ſiuè publicè, ſiuè occultè petat.*

12 *Et ſiuè publicus ſit per euidentiam Iuris, ſiuè facti.*

13 *Sacerdos publicos peccatores admittens ad ſacram communionem mortaliter peccat.*

14 *Peccatori publico, quem Sacerdos ſcit eſſe emendatum, occultè petenti ſacram communionem maximè ad implendum Paſchale præceptum poteſt, & debet Sacerdos illam adminiſtrare occultè.*

15 *Publico peccatori publicè pœnitenti non eſt deneganda ſacra communio, etiam ſi publicè petat.*

16 *Publicus peccator ſi conſtitutus ſit in articulo mortis, ſatis eſt ad eum communicandum, ſi ſigna det contritionis, ſi confiteri nequeat.*

17 *Publicus peccator in vno loco, & occultus in alio ſi petat Sacramentum Euchariſtiæ in eo loco, vbi crimen eius eſt occultum, ſciatque Sacerdos illum eſſe emendatum, non poterit illi denegare ſacram communionem.*

18 *Publico peccatori, vbi ius eſt ambiguum, maximè apud viros doctos, præcipuè apud Epiſcopos, ad quos iudicare ſpectat de Iuſtitia, vel Iniuſtitia contractuum, licitum haud eſt ſacram denegare communionem.*

19 *Peccatori occulto, noto tamen Sacerdoti in confeſſione, non poteſt Sacerdos ipſe denegare ſacram communionem.*

20 *Et multo magis denegare nequibit, ſi publicè petat.*

21 *Peccatori occulto, noto tamen Sacerdoti extra confeſſionem, deneganda eſt ſacra communio, ſi eam occultè petat, ſecus ſi publicè.*

22 *Quilibet Chriſtianus eo ipſo, quo baptizatus eſt habet ius ad ſacram communionem petendam à qua repelli non poteſt citra iniuriam, abſque manifeſta cauſa.*

An poſſit Sacerdos, qui conſcius eſt criminis eum monere occultè in particulari, vel generali omnes peccatores occultos, ne publicè accedant ad menſam Domini in peccato.

23 *Peccator occultus, notus tamen duobus, vel tribus teſtibus extra confeſſionem, ſi publicè petat ſacram communionem coram ipſis teſtibus eſt ab ipſa repellendus.*

24 *Peccator occultus, notus tamen duobus, vel tribus teſtibus, & qui nulla laborat infamia erga alios, ſi illis abſentibus ſacram communionem petat, non eſt illi deneganda.*

25 *Quid ſi vnus ſit præſens, cum ſacram communionem petit peccator, & id ſciat Miniſter.*

1 PRO determinatione huius difficultatis eſt adnot. quòd duplici ex cauſa poteſt contingere, vt proprius Sacerdos præcipiat alicui ex ſuis ſubditis dilationem cõmunicandi in Paſcha. Primò propter aliquam corporis infirmitatem: ſecundò propter infirmitatem animi, vt quia nouerit eum velle communicare in Paſcha in peccato mortali publico, vel priuato.

2 Secundò eſt adnot. quòd peccator poteſt dici publicus, vel occultus, multis modis. Primò peccator publicus dicitur, qui notorius eſt talis ex euidentia iuris, quando ſcilicet peccator eſt de peccato conuictus, & condemnatus in iudicio per Iudicis ſententiam, vel per confeſſionem

ipſius

Digitized by Google

ipſius peccatoris; ſiuè peccator à multis ſciatur, ſiuè à paucis. Secundò peccator appellatur publicus, quia eſt notorius ex euidentia facti, ita vt peccatum illius adeò ſit euidens, vt nullo
3 modo cælari poſſit. Vt autem peccatum aliquod ſit publicum ex euidentia facti ſatis eſt, quod ſit notorium, manifeſtum, vel famoſum. Notorium dicitur, quod nititur ſcientia maioris partis Vrbis, Viciniæ, Monaſterij, Collegij, aut alterius vniuerſitatis. Manifeſtum verò eſt quod nititur fama eiuſdem maioris partis dictarum communitatum orta à ſcientibus. Famoſum denique appellatur, quod nititur fama maioris partis ipſarum communitatum, orta ex vno ſcienti, vel ex indicijs, aut ex præſumptionibus illis æquipollentibus; atque ideò vt aliquod peccatum dicatur publicum ex euidentia facti, ſatis eſt, vt ſit diuulgatum intra Vrbem, vel Viciniam; idq; vel in tota Vrbe, aut Vicinia, vel in maiori parte Vrbis, & Viciniæ. Ita *Sot. de ſecr. tegen. quæſt. 6. num. 2. Leſſ. tom. 1. de Iuſt. & iure, lib. 2. c. 11. Sayr. lib. 2. Theſauri som. 1. c. 12. nu. 19 Sanch. lib. 2. Decal. c. 11. num. 19. Fagund. de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 10.* Tertiò publicum di-
4 citur peccatum, quod notum eſt decem teſtibus, vt poſt alios nos adnotauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna. lib. 3. §. 2. q. 11. num. 5.* Vndè peccatum commiſſum coram quinque teſtibus dicitur occultum, vt notat *Gloſa in cap. quis aliquando, §. hac ergò, verſ. Secreta, de pœnit. d. 1. & Nauar. in Man. c. 27. num. 255.* Denique peccatum poteſt dici publicum ex facti euidentia, quando publicus rumor peccati verſatur per Vrbem, Viciniem Collegium, ſeù vniuerſitatem, in ore multorum diſperſus, iuxta ea, quæ habentur ex eodem *Nauar. in c. inter verba in relect. nu. 84. & 90.* Eſt tamen verum, quod adhoc, vt hoc modo peccatum dicatur publicum in aliquo loco, eo plurium hominum exigitur cognitio, quo plures degunt in illo, vt contra *Nauar.* & alios nititur probare *Fagund. loco citato*. Sed re vera non eſt recedendum à ſententia *Nauar.* dum ait, quòd factum decem teſtibus notum, ſit publicum; ſiquidem *Nauar.* non loquitur de rumore, & diffamatione peccati; ſed de peccato, noto decem teſtibus: quod contingere poteſt ex eo, quòd teſtibus ſit notum per ſenſum viſus, aut per ſenſum auditus, vt quia homicidium fuerit commiſſum coram decem teſtibus videntibus, aut quis coram totidem audientibus blaſphemauerit. Vndè idemmet *Fagund. loco cit. n. 2.* inquit, quòd in minimo pago
5 aut Vicinia, vel Parochia, cum illa ad minimum conſtituantur ex decem perſonis, vt aliquod peccatum dicatur publicum, opus eſt, vt ſit notum ſaltem ſex, quia hæc eſt maior pars illius minimæ Viciniæ, aut Parochiæ, & nunquam peccatum poteſt dici publicum, ſi notum fuerit minori numero infra ſex. Erit igitur publicum cùm coram decem teſtibus illud committi videntibus, aut quis coram totidem audientibus blaſphemauerit, ſiuè crimen fuerit patratum, aut blaſphemia dicta in Pago, ſiuè in Ciuitate, ac Vrbe magna. Manifeſtum autem, ſeù famoſum dicitur, quod nititur fama maioris partis alicuius vniuerſitatis, iuxta quæ ſupra diximus, & adnotauimus in dictis noſtris *Commentar. in Bull. Cœna loco citato;* à qua quidem ſententia, vt magis recepta non eſt recedendum.

6 Occultus autem peccator dicitur ex *Fagund. loco citato, num. 15.* qui non eſt publicus. Id autem contingit multis modis. Primò occultus peccator dicitur, qui vel ex ſola ſacramentali confeſſione eſt notus: vel ab vno, vel altero homine cognoſcitur extra confeſſionem, verùm nulla infamia laborat. Secundò peccator appellatur occultus cùm eius crimen vni, vel alteri eſt notum: erga alios verò eſt ſuſpicio, & rumor, & laborat infamia ex tali ſuſcipione orta, quod crimen dicitur famoſum. Tertiò poteſt peccator dici occultus, cuius peccatum eſt notum duobus teſtibus. Sed hæc diſtinctio nobis non probatur; quoniam peccator ſecundo modo dicitur publicus cum ſit famoſus: & peccator tertio modo dicitur occultus, etiam ſi crimen fuerit commiſſum coram quinque teſtibus, per ea, quæ ſupra cumulauimus: quibus adde, quæ adnotauimus in præfatis noſtris *Commentar. in Bull. Cœna ibidem.*

7 Tertiò eſt adnot. quòd peccator, ſiuè publicus ſit, ſiuè occultus, contingi poteſt, vt ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum poſtulet in die Paſchatis, ſeù Paſchali tempore pro implendo præcepto noſtri canonis, publicè, vel occultè. His breuiter ſic adnotatis, ſit.

PRIMA CONCLVSIO.

8 INfirmo, qui propter aliquam infirmitatem eſt facilis ad vomitum, & probabili periculo ſe exponeret euomendi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſi communicaret, Sacerdos non ſolùm poteſt, ſed etiam debet ſanctiſſimam communionem denegare, etiam ſi illam petat in die Paſchatis pro implendo præcepto noſtri canonis; atque ideò eam debet illi differre poſt Paſcha, donec conualuerit, & ceſſauerit præfatum periculum. Hæc concluſio patet: quoniam ſi ſanctiſſimam Euchariſtiam eiuſmodi infirmo tribueret: tàm Sacerdos, quàm infirmus agerent contra reuerentiam tanti Sacramenti, cùm exponeretur infirmus periculo probabili euomendi illud, at poteſtas diſpenſandi ſanctiſſimam Euchariſtiam datur Sacerdotibus ſub obligatione, vt fideles ſint, ac prudentes, & prudenti, ac conuenienti modo tantum Sacramentum diſpenſent: ſiquidem obligatio dignè, ac reuerenter tractandi hoc Sacramentum naturalis eſt, ac illi intrinſeca, ex ipſius dignitate procedens: & nobis eſt quoque naturalis obligatio non cooperandi peccato alterius. Volens autem communicare cum tali indiſpoſitione, cùm ſe exponat periculo inferendi magnam irreuerentiam Sacramento, procul dubio peccatet, iuxta illud *Qui amat periculum peribit in illo.* Ergò Sacerdos non ſolùm poteſt, ſed etiam debet illi denegare communionem, etiam ſi eam petat in die Paſchatis, aliàs diceretur cooperari peccato illius, ſiuè publicè petat, ſiuè occultè; quoniam ex degatione communionis ex ſupradicta cauſa nulla oritur infamia eiuſmodi infirmo.

SECVN-

SECVNDA CONCLVSIO.

9 PVblicus peccator ſi velit cõmunicare, etiam pro implẽdo præcepto noſtri canonis communicandi in Paſcha, non ſolùm à Sacerdote poteſt, ſed omninò debet repelli à ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſuſceptione. Hæc concluſio eſt communis, quam docent *Palud. in 4. diſt. 9. diſp. 4. Riccbar. ibi art. 3. q. 1. Henriq. lib. 8. de Euch. c. 61. num. 6. Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 67. ſec. 2. in princ. Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 3. cap. 10. ſub num. 4.* cum alijs, quos allegant. Probatur hæc concluſio ex eo, quòd obligatio non dandi ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum peccatoribus prouenit ex iure naturali, ac Diuino ſuppoſita illius inſtitutione, iuxta illud *Matt. c. 7. Nolite ſanctum dare Canibus*. Vbi per Canes communiter intelligunt Doctores, ac ſancti Patres publicos peccatores. Secundò Sacerdotes dicuntur Sacramentorum diſpenſatores, vt ſæpè diximus; ergò obligantur eſſe fideles, ac prudenti, & conuenienti modo tantum Sacramentum tenentur diſpenſare; aliàs non diſpenſatores, ſed diſſipatores dicerentur, ſi tribuerent illud indignis, ac publicis peccatoribus. Tertiò, quoniam diſpenſatio tanti Sacramenti indignis, & publicis peccatoribus cedit in magnam irreuerentiam ipſius Sacramenti, cùm non liceat ſanctum dare Canibus, vt ſupra diximus. Quartò, quia ex tali diſpenſatione ſcandalum ſequitur in populo: eo quòd Maieſtati Diuinæ, & Euangelicæ diſciplinæ non congruit, vt pudor, & honor Eccleſiæ tàm turpi, & infami publicorum peccatorum contagione fœdetur, vt de publicis Hiſtrionibus ait *text. in can. pro dilectione tua, de conſecrat. d. 2.* Denique quoniam Sacerdotes huiuſmodi publicos peccatores ad ſanctam communionem admittentes dicerentur cooperari eorum peccatis, vt diximus in præcedenti concluſione. Vndè
10 à ſuſceptione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ſunt repellendi publici Vſurarij, publicæ Meretrices, publici Hiſtriones, nempè, qui ex officio turpes comedias exercent: ſecus ſi turpes non exerceant, ſed modeſtas ad populi recreationem. Repellendi ſunt quoque paraſiti publici, qui cum aliorum præiudicio vtuntur intemperijs, & mordacibus dictis, de quibus meminit *text. in can. tres ſunt*, ibi, *Tertia actio, de pœnit. d. 1.* Dum tractat de peccatis, de quibus inquit *Apoſtolus ad Gal. c. 5. Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poſſidebunt*. Inter peccatores publicos numerantur exercentes torneamenta prohibita. Item qui cum periculo notorio exercent choreas cum fœminis, & puellas humeris geſtantes. Item qui officium, & conſuetudinem exercent ludendi notabilem quantitatem aleis, ac taxillis: ſiquidem hi omnes, & alij ſimiles inter publicos peccatores connumerantur; quos tamen limita, ac declara, prout declarant, & limitant *Nauar. in d. c. tres ſunt, num. 16. de pœnit. d. 1. & in Man. c. 23. num. 123. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 56. nu. 4.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 10. ſub num. 3.*

11 Ampliatur primò hæc concluſio, vt locum habeat, atque ideò peccator publicus ſit à ſacra communione arcendus, ſiuè eam petat publicè pro implendo præcepto communionis in Paſcha ſiuè occultè: ſiquidem ex negatione illius non ſequitur infamia talis peccatoris, cùm publicus ſit: nec ſequitur ſcandalum in populo: quin potius ædificatur populus, dum id fieri videt in reuerentiam tanti Sacramenti, & ne pudor, & honor Eccleſiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur, iuxta *text. in d. can. pro dilectione tua, de conſecrat. diſt. 2.* Imò peccatori publico poteſt denegare Sacerdos ſacram communionem, etiam ſi talis peccator fuerit ipſi Sacerdoti confeſſus: id enim non eſt reuelare confeſſionem, nec directè, nec indirectè: ſiquidem non negat ei ſacram Euchariſtiam ob notitiam confeſſionis; ſed ob notitiam publicam publici ſtatus, in quo peccator perſeuerat, vt habetur ex *Nauar. in c. Sacerdos, num. 85. de pœnit. d. 6. & Fagund. d. c. 10. num. 12. vbi tamen num. 13. cum Nauar. ibidem, & in Man. c. 28.* Monet Confeſſarios, vt non ob id ob publica crimina in confeſſione audita, publicas imponant pœnitentias; quoniam ſaltem indirectè reuelant confeſſionem, ſignificantes ea pœnitentia huiuſmodi peccatores publica peccata fuiſſe illos confeſſos.

12 Secundò ampliatur eadem concluſio, vt deneganda ſit à Sacerdote publico peccatori ſacra communio, ſiuè publicus ſit per euidentiam iuris, vt in *can. multi, 2. q. 1.* Siuè per euidentiam facti iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus in 2. not. & patet ex *text. in c. tua nos, & c. fin. de cohabit. cler. & mulier.* Etenim eadem ratio eſt de peccatoribus publicis côuictis in iudicio: & de peccatoribus publicis, qui nulla tergiuerſatione cælari poſſunt.

13 Tertiò ampliatur, vt peccatores publici adeò repellendi ſint à communione, vt Sacerdos illos admittens peccet mortaliter, cum fiat cooperator irreuerentiæ, quam inferunt tanto Sacramento: quod verum eſt, ſiuè Sacerdos ſit proprius, ſiuè non proprius, & poteſtatem habeat miniſtrandi ſanctiſſimam Euchariſtiam ex delegatione, aut priuilegio, vt habetur ex *Suar. tom. 3. in 3. par. diſp. 67. ſec. 2. Henriq. lib. 8. de Euchar. c. 61. num. 6.* & ex alijs, quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 10. ſub nu. 4.*

14 Sic ampliata limitatur eadem concluſio in peccatore publico, quem Sacerdos ſcit eſſe emendatum: ſiquidem tali peccatori occultè petenti ſacram communionem ad implendum maximè præceptum noſtri canonis poteſt Sacerdos imò, & illi debet ſacram communionem occultè miniſtrare; dummodò id populus non ſciat, & ipſe peccator paratus ſit ad dandam omnem culpæ ſatisfactionem, vt habetur ex *Palud. in 4. diſt. 9. diſp. 4. Sot. lib. 6. de iuſt. & iure, q. 1. art. 1. Syl. ver. Vſura 9. & Fagund. loco citato, ſub num. 6.* Vbi addit, quod ſatisfactio, ad quam tenetur, ſatis eſt quod occultè confeſſus fuerit & Sacerdoti, vel alijs ſi fortè præſentes fuerint, id conſtet. Etenim coram Deo huiuſmodi peccator iam diſpoſitus eſt; coram hominibus verò maiori ſatisfactione non indiget, quam quæ ſit neceſſaria ad tollendum ſcandalum: ad hoc autem ſatis eſt, quòd non ſit magis publica communio, quàm confeſſio.

15 Secundò limitatur eadem concluſio in peccatore publico publicè pœnitenti, nam huic non eſt deneganda ſacra communio, etiam ſi eam publicè

Digitized by Google

publicè petat, vt patet ex *can. pro dilectione*, *&* *ex canone, Scenicis, de conſecr. diſt.* 2. & colligitur etiam ex *can. ſi peccauerit*, t. *q.* 1. Eſt tamen verum, quod *Fagund. loco citato*, ait, ſatis eſſe, ſi Sacerdos huiuſmodi peccatori per aliquos dies abſolutionem diſtulerit, & deindè eum abſoluat, & circumſtantibus, qui publicum illum peccatorem eſſe ſciebant, in Eccleſia priuſquam eidem ſacram communionem conferat, dicat. Ne ſcandalum patiamini, ſi ſacram communionem miniſtrem: eſt enim dignè ad eam ſuſcipiendam diſpoſitus, ac emendatus. Quòd ſi pu-
16 blicus peccator ſit conſtitutus in articulo mortis tunc ſatis eſt ad eum communicandum ſi det ſigna contritionis, ſi confiteri nequeat: nam in eo articulo præſumendum eſt feciſſe quòd potuit, vt ſe ſufficienter diſponeret, cum nemo præſumatur immemor ſalutis æternæ, vt habetur ex *Suar. loco citato*. Vſurario autem publico in articulo mortis conſtituto prohibetur Sacerdos miniſtrare Sacramenta pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, etiam ſi reperiatur in articulo mortis, niſi præſtita cautione de reſtituendo, quam pro eo articulo dare poteſt, vt habetur ex *Henriq. lib.* 8. *Euchar. c.* 61. *num.* 6. *Nauar. in Man. c.* 27. *num.* 279. & ex alijs apud *Fagund. d. c.* 10. *nu.* 4. & eſt *tex. in c. cum tu, de vſur.*

17 Tertiò limitatur prædicta concluſio in peccatore publico in vno loco, & occulto in alio: nam ſi talis peccator petat Sacramentum Euchariſtiæ in eo loco, vbi crimen eius eſt occultum, & ignoratur: & Sacerdos per confeſſionem, aut per aliam viam ſciat eſſe emendatum, non poteſt illi denegare ſacram communionem: ſiue delictum alibi ſit publicum per euidentiam iuris, atque ideò per Iudicis ſententiam: ſiuè per euidentiam facti, ac ratione infamiæ contractæ. Etenim vbi res eſt occulta, & peccator eſt emendatus, nullum ſcandalum ex hac communione ſubſequi poteſt. Imò ſi huiuſmodi peccator publicè petat ſacram communionem in præfato loco, in quo ignoratur, vt ſupra, licèt Sacerdos ſciat non eſſe emandatum, non poteſt eam illi denegare, quia cùm in tali loco ſit peccator occultus non poteſt ipſi denegari communio citra infamiam: ſecus ſi ſacram communionem petat occultè; quoniam ſi Sacerdos certò ſciat non eſſe emendatum, poteſt eidem communionem ipſam denegare citra omnem infamiam, vt ex communi Theologorum ſententia docent *Suar. d. diſp.* 67. *ſec.* 4. *in princ. &* *Fagund. vbi ſupra, ſub num.* 7. pro qua re eſt *text. in cap. placuit,* 6. *quaſt.* 1.

18 Quartò limitatur in peccatore publico, vbi peccatum eſt publicum, ſed ius ambignum, vt patet in Publico vſurario, qui putat ſuos contractus eſſe licitor; Confeſſariur autem exiſtimat eſſe illicitos, ſiquidem ſi ius ſit ambiguum apud viros doctos, præcipuè apud Epiſcopos, apud quos pertinet decernere, ac iudicare de iuſtitia, vel de iniuſtitia contractuum, tunc non eſt licitum Sacerdoti denegare huiuſmodi peccatori ſacram communionem: quoniam in dubijs melior eſt conditio poſſidentis: & licèt Confeſſarius contrarium ſentiat; nihilominus ſatis eſt, ſi pœnitens pro ſua opinione aliquos viros doctos habeat. Quòd ſi apud viros doctos nulla ſit iuris ambiguitas, tunc neganda eſt illi abſolutio, vt habetur ex eodem *Fagund. d. c.* 10. *nu.* 10.

TERTIA CONCLVSIO.

2 PEccatori occulto, noto tamen Sacerdoti in confeſſione, non poteſt ipſe Sacerdos denegare ſacram communionem. Hæc concluſio eſt *Bann.* 22. *q.* 33. *art.* 8. *ad finem*, *Henriq. lib.* 8. *Euchar. c.* 59. *num.* 3. *Syl ver. Euchariſtia* 3. *num.* 7. *Graff. lib.* 1. *Deciſ. aur. cap.* 23. *num.* 38. *Fagund. d. c.* 10. *num.* 23. *& aliorum*. Probatur, quia Sacerdos cùm habeat huiuſmodi peccatorem notum per confeſſionem eius auditam, non poteſt ei denegare ſacram communionem citra violationem ſacramentalis ſigilli, atque ideò negando lethalem culpam contrahit. Etenim Sacerdos, aut denegat ſacram communionem huiuſmodi peccatori occultè eam petenti: & talis negatio, quæ fit occultè, per accidens ſe habet, quòd ſit occulta, cùm per ſe ſit publica; ergò citra violationem ſacramentalis ſigilli fieri non poteſt: ſiquidem notitia confeſſionis vti non poteſt homo ad dirigendos actus externos aliorum prout re vera dirigeret Sacerdos in caſu, de quo agitur, negando dicto peccatori ſacram communionem: nam ideò denegat, quòd ſtatum peccatoris nouerit in confeſſione, aliàr non negaturus. Secundò ſigillum confeſſionir ita obligat, vt ea finita, Confeſſarius nec cum ipſo pœnitente poſſit amplius de illa loqui citra ſpecialem confitentis licentiam: imò non ſolùm loqui, ſed nec quidem vultu, vel geſtis eiuſdem culpas poſſumus exprobare, quantumuis occultè id faciamus: ſiquidem nihil minus ſcimur: quàm per confeſſionem ſcimus: ergò peccatori, de quo agitur non poteſt denegari ſacra communio quantumuis occultè petatur, cùm eiuſmodi ne-
20 gatio ſit exprobationis ſpecies. Quòd ſi publicè petatur communio, eo magis vera eſt noſtra concluſio.: quoniam Sacerdos per eiuſmodi denegationem palam manifeſtat peccatum occultum in confeſſione detectum contra ſacramentale ſigillum: & id verum eſt, ſiuè Sacerdos denegans ſit proprius Sacerdos, ſeù Parochus, ſiuè non; quoniam eadem eſt ratio de Sacerdote proprio, & ſic Parocho; & de non proprio, atque ideò non Parocho, cùm omnes Coſeſſarij æqualiter ad ſigillum obligentur; *arg. tex. in l. illud, ff. ad leg. Aquil.*

QVARTA CONCLVSIO.

21 PEccatori occulto noto tamen Sacerdoti extra confeſſionem, deneganda eſt communio ſi occultè eam petat: ſecus ſi publicè. Hæc concluſio habet duas partes. Prima eſt, quòd occultus peccator notus tamen Sacerdoti extra confeſſionem, repellendus ſit à ſacra communione, ſi occultè eam petat. Secunda pars eſt, quòd talis peccator non ſit repellendus ſi petat eam publicè. Patet concluſio quoad primam partem; quoniam ex tali denegatione nulla ſequitur denegatio ſigilli: nec vlla infamia afficitur ipſe peccator occultns occultè petens: & in foro externo nullum ius habet petendi, cùm occultè petat. Ita *Suar. tomo* 3. *in* 3. *par. diſp.* 67. *ſec.* 3.

Vbi idem putat dicendum eſſe aliorum teſtimonijs fide dignis Sacerdoti conſtet de prauo talis peccatoris ſtatu, & ipſi teſtes nolint in publico teſtificari ad eum conuincendum *Henriq. lib. 8. de Euchar. cap. 59.* & ante illos *D. Thomas 3. par. q. 80. art. 6.* & alij, quos refert, & ſequitur *Fagund. d. c. 10. num. 24.* Probatur modo ipſa concluſio quoad ſecundam partem, quoniam illa publica repulſio de ſe eſt vera infamatio, cùm ſit peccati occulti tacita manifeſtatio: ergò tali peccatori non poteſt Sacerdos Euchariſtiam
22 denegare. Eo magis, quoniam quilibet Chriſtianus eo ipſo, quòd baptizatus eſt habet ius ad ſacram communionem petendam à qua repelli non poteſt citra iniuriam abſque manifeſta cauſa, vt habetur ex *D. Thom. loco citato, Suar. d. diſp. 67. ſec. 4. Henriq. lib. 8. Euchariſtia, cap. 57. num. 4.* quam ſententiam communem eſſe teſtatur *Fagund. vbi ſupra, num. 16.* Vbi addit ex *D. Thom.* poſſe Sacerdotem hoc caſu, qui conſcius eſt criminis, eum occultè monere, vel in particulari, vel generaliter omnes peccatores occultos, ne publicè accedant ad menſam Domini in peccato, *& num. 19.* id ampliat locum habere in quocunq; Sacerdote miniſtrante ſanctiſſimam Euchariſtiam, ſiuè Parochus ſit, ſiuè non Parochus, ſiuè petatur tempore Paſchali ad implendum præceptum noſtri canonis, ſiuè extra dictũ tempus. Etenim cũ quilibet Chriſtianus eo ipſo, quòd Chriſtianus eſt habeat ius ad petenda ſacramẽta Eccleſiæ quocunq; tempore, & à quocunq; Sacerdote Parocho, vel non Parocho, parato, vel nõ Parato, qui de licentia Parochi, vel ex priuilegio illa adminiſtrat, eo iure nõ poteſt priuari publicè, niſi per publicũ crimen illud ammittat. Quæ diximus de peccatore occulto publicè petente, noto Sacerdoti, extendimus ſi Sacerdoti conſtet de prauo huiuſmodi peccatoris ſtatu ex aliorum teſtimonijs fide dignis, cùm eadem ratio militet in vtroq; caſu, vt colligitur ex eodem *Fagund. loco citato*.

QVINTA CONCLVSIO.

23 PEccator occultus, notus tamen duobus, vel vel tribus teſtibus extra confeſſionem, ſi publicè petat ſacram communionem coram ipſis teſtibus, licèt nulla laboret infamia; eſt tamen ab ipſa ſacra communione repellendus. Etenim huiuſmodi peccatoris crimen eſt publicum reſpectiuè, nempè reſpectu eorum, qui præſentes ſunt petitioni; quamuis abſolutè loquendo reſpectu aliorum ſit occultum. Ita *Suar. d. diſp. 67. ſec. 3. & Fagund. d. c. 10. num. 27.* Vbi contraria ſoluit, & 26. multo magis id verum eſſe probat, vbi peccator erga alios propter rumorem laboraret infamia: nam ſi ſacram Euchariſtiam petat, etiam in abſentiam teſtium, eſt repellendus: ſiquidem huiuſmodi notitia, ſeu infamia, vel eſt publica, vel occulta. Si primum huiuſmodi peccatori eſt deneganda communio, cum ſit publicus, vt ſupra diximus: peccator enim publicus, ſiuè publicè, ſiuè ſecretè eam petet, eſt repellendus. Si ſecundum adhuc eſt repellendus, maximè ſi occultè petat, vt rectè docet *Suar. d. diſp. 67. ſec. 3. verſ. Dico primò.*

SEXTA CONCLVSIO.

24 PEccator occultus, cuius peccatum notum eſt duobus, vel tribus teſtibus, & qui nulla laborat infamia erga alios; tunc ſi teſtibus illis abſentibus ſacram communionem petat, non eſt illi deneganda. Etenim hoc caſu crimen ſimpliciter eſt occultum in ſe, ac reſpectiuè. In ſe, quoniam crimen commiſſum etiam coram quinque teſtibus dicitur occultum, vt ſupra oſtendimus, not. 2. Et reſpectiuè, quoniam teſtes illos, qui crimini fuerant præſentes, ſupponimus omnes eſſe abſentes: & reſpectu illorum, qui ſunt præſentes, omnes illi crimen ipſum ſupponimus ignorare. Et quamuis in iudicio probari poſſit, tamen adhuc non eſt probatum. Ita *Ricchard. in 4. d. 9. art. 5. q. 1. Gabr. ibidem, quæſt. 2. Nauar. in Man. c. 21. num. 55. Suar. d. ſec. 3. verſ. Dico ſecundo.* Et hanc concluſionem communem eſſe teſtatur *Fagund. d. c. 10. num. 28.* Qui addit inſuper, quod poteſt contingere, vt ex tribus, quatuor, vel etiam quinque, qui delictum ſciunt, vnus ſit præſens, cùm peccator
25 ſacram communionem petit, alij verò abſentes, & id ſciat ſacræ communionis Miniſter, tunc putat, Miniſtrum non teneri illum communicare: quoniam vtrumque periculum hoc caſu datur: infamandi peccatorem ſi ei communio denegetur coram ſe: & infamandi etiam ſi ei detur, affirmando poſtea, ſe vidiſſe illum communicare, & eſſe in peccato.

An denegari poſſit ſacra communio de crimine ſuſpecto.
SEC. XI.

SVMMARIVM.

1 *Suſpecto de crimine, & petenti ſacram communionem ad finem ſe purgandi ab illo, eſt ei deneganda, & quare.*

2 *Suſpicio, vel temeraria eſt, vel probabilis, vel violenta, & cui nam ſuſpecto de crimine denegari poſſit ſacra communio.*

1 AD intelligentiam eorum, quæ in hac re dicenda erunt, eſt adnot. quòd in hac ſec. non agimus de ſacra commonione, an ſit conferenda, vel deneganda ſuſpecto de aliquo delicto ad purgationem illius. Clarum eſt enim, quod eiuſmodi de crimine ſuſpecto ad hunc finem petenti, ſit deneganda ſacra communio, cùm ad hunc finem conferre communionem ſit Deum tentare, vt in *c. conſuluiſti, & c. minas, 2. q. 5. Doctor. in c. ſæpè contingit, 2. q. 4. Diu. Thom. 3. par. q. 80. art. 6. Suar.* & alij, quos refert *Fagund. d. c. 10. num. 31.* Solùm igitur hoc loco quærimus de vſu ſacræ communionis, an ſcilicet eius ſuſceptio ſit deneganda ſuſpectis de aliquo crimine.

2 Ad hanc difficultatem reſpondetur breuiter; quòd ſuſpicio cùm ſit triplex, nempè temeraria, quæ nullo fundamento probabili nititur: probabilis, quæ ſatis eſt ad generandum dubium; non tamen ad affirmandum ſimpliciter crimen alterius: & tertia violenta, quæ eam vim infert intellectui, vt probabili ratione deponi non

poſſit;

poſſit;ſuſpecto de crimine ſuſpicione temeraria, vel probabili non poteſt denegari ſacra communio, cum prior ſit irrationabilis, & altera dubium tantum generet intellectui, quod ſatis non eſt ad denegandam communionem. At ſuſpecto ſuſpicione violenta de crimine deneganda eſt communio: quoniã eiuſmodi ſuſpicio eam vim tribuit intellectui, vt probabili ratione deponi non poſſit, atque ideò nititur talibus indicijs, quæ licèt non faciant rem euidentem; faciunt tamen eam moraliter probabilem. Ita *D.Thom.in 4.d.9.q.1.art.3.quæſtiun.2.Ricchar. ibidem, art.3. q.7. Gabr. Alenſ. D. Anton.* & *Suar.* quos citat, & ſequitur *Fagund.de præcep. Eccl. præcep. 3. lib. 3. c. 10. num. 29.* Qui hanc concluſionem limitat dupliciter. Primò vbi ipſa ſuſpicio eſt publica: nam ſi publica non ſit, ſed occulta, ſatis erit ad negandam communionem occultè, non publicè: at ſi publica ſit, ſufficiet ad negandam ſacram communionem tàm publicè, quàm occultè, iuxta ea, quæ ſupra adnotauimus ſec. præcedenti. Secundò limitat in mortis articulo: nam ſi tali articulo neget huiuſmodi peccator delictum, & præbeat ſigna bonæ diſpoſitionis, non eſt deneganda illi communio: ſiquidem negatio criminis in tali euentu multum extenuat ſuſpicionem.

Ibi, *Alioqnin, & viuent ab ingreſſu, &c.*
De pœna tranſgredientium præcepta noſtri cap.

DISP. VI.

SVMMARIVM.

1 *Violantes præceptum annua confeſſionis, vel communionis in Paſcha ab ingreſſu arceantur Eccleſia: Et morientes Eccleſiaſtica priuantur ſepultura.*
Arceriq; poterunt etiam implorato in hoc brachio ſæculari.

1 EST ſtatuta pœna violantibus præceptum noſtri canonis confeſſionis annuæ, vel communionis in Paſcha, vt viuentes arceantur ab ingreſſu Eccleſiæ: & morientes Chriſtiana careant ſepultura. Ex quo *tex.* colligit *Panor. ibi, ſub num.4.* caſum, in quo non excommunicatus arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ: & cum ipſe *text.* vtatur verbo illo, *Arceatur*, quod denotat violentiam, poteſt violans præceptum ipſum arceri violenter: & ſi opus fuerit, poterit ad hoc inuocare bracchium ſæculare, vt in *c.1.de offic.ordin. & in c. adminiſtratores, 24. q. 5.* Similis caſus habetur in *c. ſacro, de ſent. excom.* Vbi interdicitur ingreſſus Eccleſiæ per menſem excommunicanti aliquem, non præuia competenti admonitione.

An violantes præceptum confeſſionis annuæ, aut communionis in Paſcha, cenſuram aliquam contrahant.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Cenſura diuiditur in excommunicationem, ſuſpencionem, & interdictum. Et qua nam pœna in noſtro canone contineatur, & nu. 6.*
2 *Verior eſt ſententia in contrarium, quod pœna lata contra violantes præceptum annua confeſſionis, vel communionis in Paſcha, ſit cenſura interdicti perſonalis.*
3 *Interdictum quid, & quotuplex ſit.*
4 *Interdictum, ſiuè perſonale, ſiuè locale ſit, diuiditur in generale, & particulare.*
5 *Diuiditur tandem interdictum in totale, ac partiale, & vnumquodque quid ſit.*
6 *Pœna in noſtro canone conſtituta eſt interdictum perſonale, omnes habens conditiones, quas exigit interdictum perſonale.*

1 IN hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe. Nam cenſura diuiditur in excommunicationem, ſuſpenſionem, & interdictum, vt in *c. quærenti, de verbor. ſignif.* At pœna in noſtro canone contenta, lata contra violantes præceptum confeſſionis annuæ, aut communionis in Paſcha, non poteſt dici excommunicatio; quoniam hæc cenſura priuat omnibus ſpiritualibus bonis actiuè, ac paſſiuè, & à communione fidelium ſimpliciter ſeparat, vt in *c. nuper, & ibi Doctor. de ſent. excommun.* Pęna verò noſtri canonis arcet contrauenientem, & viuentem ab ingreſſu tantùm Eccleſiæ, & mortuum priuat Eccleſiaſtica ſepultura. Vndè *Panor. in explic. noſtri cap. num.* 4. Ob id notat dari caſum ibi, in quo non excommunicatus arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ. Nec prædicta pœna poteſt dici ſuſpenſio: quoniam ſuſpenſio fertur contra Eccleſiaſticos dutaxat, & impenidit ea exercere, quæ ab ordine, iuriſdictione, vel adminiſtratione Eccleſiaſtica pendent, vt habetur ex *Suar. de cenſur. diſp. 26. ſec. 1. num. 3. & Barb. de offic. & poteſt. Epiſc. allegat. 16. num. 12.* Cum alijs, quos allegat, at pœna illa non ſuſpendit contrauenientem ab vſu ordinis, vel iuriſdictionis; ſed arcet ſolùm ab ingreſſu Eccleſiæ viuentem: & mortuum priuat Eccleſiaſtica ſepultura. Neque denique pœna, de qua agitur, dicitur interdictum: ſiquidem per interdictum prohibetur vſus actiuus, & paſſiuus Sacramentorum, quibuſdam exceptis: celebratio, & auditio Diuinorum officiorum: & fit priuatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, vt in *c. quod in te ſupra eod. tit. noſtro, c. ſi ſententia, & c. Alma Mater*, & ibi latè *Couar. & alij, de ſent. excom. in 6.* Modò licèt pœna ſupradicta priuet violantes præceptum noſtri canonis Eccleſiaſtica ſepultura; non tamen priuat eos vſu Sacramentorum, celebratione, ac auditione Diuinorum officiorum, ſed ingreſſu Eccleſiæ, atque adeò contrauenientes ab Eccleſiæ ingreſſu arcentur.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam arbitror de iure veriorem eſſe, atque ideò, pœnam prohibitionis ingreſſus Eccleſiæ, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ, latam contra violantes præceptum confeſſionis annuæ, & ſacræ communionis ad minus in Paſcha ſumendæ, eſſe cenſuram interdicti perſonalis.

3 Pro cuius rei explicatione eſt adnot. quod Interdictum eſt Eccleſiaſtica cenſura, qua prohibetur quorundam Sacramentorum, omnium Diuinorum Officiorum, & Eccleſiaſticæ ſepul-

turæ participatio, vt colligitur ex *text. in d. c. quod in te, ſupra eod. tit. noſtro, & c. non eſt vobis de ſponſal.* latè *Cenar. in c. Alma Mater, par. 2. §. 1. num. 2. Sayr. lib. 5. Theſ. c. 1. Laym. lib. 1. ſua ſum. Thol. tract. 5. par. 4. c. 1. ſub nu. 1.* cum alijs, quos allegant: Diuiditur autem interdictum in locale, & perſonale: Primum dicitur, quod immediatè locum afficit, prohibens ne in eo ſpirituales illæ functiones efficiantur. Perſonale verò eſt, quod immediatè afficit perſonas, prohibendo eis participationem ſacrarum

4 illarum functionum. Vtrumque autem interdictum diuiditur in generale, ſiuè ſit locale; quod fertur in locum aliquem generalem, vt in Regnum, Prouinciam, Ciuitatem, Villam, Parochiam, *c. cum in partibus, de verbor. ſignif.* Siuè ſit perſonale, quod fertur in communitatem, vt eſt corpus politicum, vt cum generaliter fertur in populum alicuius Ciuitatis, Oppidi, vel Pagi, in Collegium, Capitulum, Academiam: & in interdictum particulare locale, quod fertur in particularem Eccleſiam vnam, vel plures alicuius Ciuitatis, Oppidi, vel Pagi: & in particulare perſonale, quod fertur in perſonam particularem vnam, vel plures, vt in Epiſcopum, conſulem Ciuitatis, &c. vt rectè poſt alios declarat *Laym. loco citato, ſub nu. 2.*

5 Diuiditur tandem interdictum in totale, ac partiale. Primum dicitur quòd omnes interdicti effectus habet, nempè, quod prohibet Sacramentorum participationem, exceptis à iure quibuſdam, omnium Diuinorum Officiorum, & Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Partiale verò eſt, quod non omnes habet interdicti effectus, vt cum interdicitur ingreſſus ad Eccleſiam, de quo in *c. ſacro de ſent. excom.* Vbi Iudici excommunicanti aliquem non præuia monitione interdicitur ingreſſus Eccleſiæ per menſem. Similis prohibitio in multis alijs caſibus de iure habetur, de quibus in *c. 1. eod. tit. in 6. c. Epiſcoporum, de priuil. in 6. c. exigit, de cenſib. in 6. c. præſenti, de offic. Ordin. in 6.* vt benè declarat *Laym. poſt alios loco citato, ſub num. 4. verſ. Partialis.* Vbi etiam addit in *ver. Per hoc autem:* quod per eiuſmodi interdictum prohibetur aliquis intra Eccleſiam officia diuina non ſolum celebrare, ſed etiam audire: & ſi impœnitens in tali cenſura moriatur, corpus eius in loco ſacro ſeppelliri non poteſt, vt in *c. is cui, & ibi Gloſ. & Doct. de ſent. excom. in 6.* Et ſi Clericus, cui ingreſſus Eccleſiæ fuit interdictus, huiuſmodi interdictum violet exercendo actum Ordinis intra Eccleſiam, efficitur irregularis, vt in *d. c. is cui*: & habetur etiam per *Gloſ. in d. c. præſenti, ver. Eccleſia de offic. ordin. in 6. & in c. præſenti, 5. q. 2.* Vbi ponit regulam inquiens, *Cui interdicta eſt Eccleſia, etiam Sacramenta Eccleſiæ interdicta eſſe cenſeantur.* Et nomine Eccleſiæ intelligit *Laym.* ibi, & alij omnem locum ab Epiſcopo deputatum ad publicum Miſſæ ſacrificium, vel alia officia. Vndè in priuatis Oratorijs, inquiunt, talem interdictum celebrare, & audire Miſſam non prohiberi: imò, & intra Eccleſiam poſſe orationes priuatas perſoluere.

6 Ex dictis igitur patet, quòd pœna in noſtro canone conſtituta violantibus præceptum confeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha, eſt cenſura formaliter, cum ſit interdictum perſonale: ſiquidem prohibitus ingredi Eccleſiam, prohibita ei cenſentur in Eccleſia percipere Sacramenta, celebrare, & audire Diuina officia, & in ea ſeppelliri; ſicut expreſsè violantibus dictum præceptum vi noſtri canonis interdicitur Chriſtiana ſepultura. Vndè eiuſmodi interdictum perſonale habet omnes conditiones, quas exigit ſaltem interdictum perſonale partiale. Et ex dictis quoque patet reſponſio ad contrarium. Licèt enim fateamur, hanc cenſuram non eſſe excommunicationem, nec ſuſpenſionem propriè dictam; dicimus tamen eam eſſe interdictum perſonale.

An cenſura interdicti perſonalis in noſtro canone lata contra violantes præceptum annuæ confeſſionis, aut communionis in Paſcha ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Cenſura, de qua hic agitur, eſt latæ ſententiæ non ferendæ.*

2 *Verior eſt contraria ſententia, quod ſit ferendæ ſententiæ.*

3 *Cenſura, quæ fertur per verba indicatiui temporis, regulariter eſt latæ ſententiæ. Secus ſi feratur per verbum ſignificans aliquod de futuro.*

4 *An verba excommunicatus ſit, anathema ſit, interdictus, ſuſpenſus ſit, denotent cenſuram latæ, vel ferendæ ſententiæ.*

1 IN hac re videtur prima facie dicendum, cenſuram, de qua agitur, eſſe latæ ſententiæ, non autem ferendæ, atque ideò in eam incurri eo ipſo, quòd contrauenitur, nec expectatur aliqua ſententia ad illam contrahendam, qualis eſt cenſura ferendæ ſententiæ. Probatur, quoniam illa dicitur cenſura latæ ſententiæ, ſub qua præcipitur aliquid, aut inhibetur per verbum imperatiui 2
modi, vt ſi dicatur, *Excommunicationi ſubiaceat,* vt in *c, ſi quis ſuadente Diabolo, 17. q. 4.* Vel *In excommunicationem incurrat, c. vnico de iniur. in 6.* & nos latè in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib. 1. cap. 3. q. 1.* Sed per noſtrum canonem præcipitur confeſſio ſemel ſaltem in anno, & communio ad minus in Paſcha ſub cenſura interdicti per verba imperatiui temporis, vt patet ex illis verbis, *Viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur: & moriens Chriſtiana careat ſepultura.* Ergò cenſura, de qua controuertitur, eſt latæ ſententiæ, non autem ferendæ.

2 His tamen non obſtantibus, contrariam ſententiam docent *Suar. de pœnit. diſp. 36. ſec. 8. num. 4. & Fagund. de præcep. Eccleſ. præcep. 3. lib. 1. c. 5. ſub num. 3.* Dicentes, pœnas in noſtro canone contentas non incurri, niſi poſt latam Iudicis ſententiam, atque ideò non eſſe latæ ſententiæ, ſed tantùm ferendæ. Probatur, quoniam vt diximus in dictis noſtris *Commentar. num. 3.* illa cenſura dicitur ferendæ ſententiæ, ſeù comminatoria, quæ fertur per verbum ſignificans aliquid de futuro, vt cùm dicitur, *Excommunicentur, hoc vel illud facientes. Qui hoc fecerit,*

erit

erit excommunicatus. Item ſi dicatur, *Excommunicetur, communione priuetur, excommunicationis vinculo innodetur*, vt per *Gloſ. in c. 2. §. inhibemus, ver. Innodetur, de haret. in 6. Nauar. in Man. c. 27. num. 12. & Sayr. lib. 1. Theſ. tom. 1. c. 11. num. 13.* At verba illa noſtri canonis, *Arceatur*, careat non ſignificant tempus præſens, ſed futurum: nam ob id *Panorm.* hic explicans verbum illud, *Arceatur*, inquit, quòd denotat violẽtiam, & poteſt violans arceri violenter: & ſi opus fuerit, poterit ad hoc inuocari brachium ſæculare, vt ſupra diximus.

3 Ad contrarium reſpondemus, quòd regulariter cenſura, quæ fertur per verba indicatiui temporis eſt latæ ſententiæ, vt in *c. noueris, de ſent. excommunic.* Ibi excommunicamus, ſuſpendimus, interdicimus, idem habetur in *c. excommunicamus, 1. & 2. de haret.* Et in excommunicationibus in Bulla Cœnæ contentis, ibi, *Excommunicamus, & anathematizamus, &c.* Ob quæ verba concluſimus in *d. q. 1. cencl. vnica noſtr. Comment. in ipſam Bullam*, Quod omnes cenſuræ eiuſdem Bullæ ſunt latæ ſententiæ: quæ regula eſt ſimpliciter. At quando cenſura fertur per verba imperatiui temporis tunc eſt latæ ſententiæ, quando fertur per verbum ſignificans aliquid de præſenti, vt in iuribus contrarijs: ſecus autem ſi feratur per verbum imperatiuum ſignificans aliquid de futuro, vt eſt cenſura in noſtro canone contenta, vt ſupra oſtendimus. Et eo maximè, quia talis præſumitur fuiſſe intentionem Conc. in ferenda cenſura noſtri canonis, cum ex communi conſuetudine nunquam dicta pœna executioni demandatur, niſi poſt latam ſententiam, cùm conſuetudo ſit optima legis interpres, vt per *Abb. in c. cum dilectus, ſub num. 7. de conſuet.* Vndè verba iſta, *Excommunicatus ſit, anathema ſit, ſit interdictus, ſit ſuſpenſus.* Licèt ſint imperatiui temporis, atque ideò poſſunt denotare cenſuram latæ ſententiæ; nihilominus aliter eſt dicendum, ſi aliter conſtet de mente cenſuram ferentis, vt contra *Nauarrum Suar. & alijs concluſimus in dictis noſtris Commentar. loco citato, ſub nu. 2.*

An cenſura interdicti lata in noſtro canone obliget ſub lethali culpa ad obſeruantiam præcepti ante Iudicis ſententiam.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Pœna, qua arcentur ab ingreſſu Eccleſiæ violantes præceptum noſtri canonis, eſt cenſura ferenda, non latæ ſententiæ.*

2 *Præceptum noſtri canonis ante Iudicis ſententiam ſaltem non obligat ad culpam, ſed tantum ad pœnam.*

3 *Legiſlator ferendo legem pœnalem ex Iuris præſumptione culpam excludere cenſetur.*

4 *Præceptum noſtri canonis poſt Iudicis ſententiam non ſolum obligat ad pœnam, ſed etiam ad culpam.*

5 *Diſpoſitio noſtri canonis non eſt purè pœnalis, ſed mixta.*

6 *Leges etiam temporales, & purè pœnales obligant in conſcientia, niſi Legiſlator exprimat, non eſſe ſuæ intentionis obligare ad culpam.*

1 Concluſimus ſuperiori ſec. pœna, quâ arcentur ab ingreſſu Eccleſiæ, & priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, violantes præceptum noſtri canonis de confitendo ſemel ſaltem in anno, & communicando in Paſcha, eſſe cenſuram ferendæ, non autem latæ ſententiæ, & proindè non incurri, niſi poſt Iudicis ſententiam: quapropter quæritur, an contraueniens dicto præcepto antequam per Iudicis ſententiam arceatur ab ingreſſu Eccleſiæ, peccet mortaliter non confitendo elapſo anno, vel non communicando poſt Paſcha.

2 In hac re videtur prima facie negatiuè reſpondendum eſſe; atque ideò præceptum noſtri canonis ante Iudicis ſententiam ſaltem, non obligare ad culpam, ſed tantùm ad pœnam, atque ideò viuentem ad Eccleſiam non ingrediendum poſt latam ſententiam: & ſi decedat antequam ſententia proferatur, mortuus non priuatur Eccleſiaſtica ſepultura. Probatur ex ijs, quæ habentur ex *Dec. in c. nam concupiſcentiam, in 2. lect. de conſtit. Nauar. in c. fraternitatis, 12. q. 2. num. 23. & in Man. c. 23. num. 55. Iaſ. in l. 2. num. 143. C. de iure emphyt.* Et ex alijs, dicentibus, legem pœnalem non obligare ad culpam, niſi id in ipſa lege fuerit expreſſum; ſed tantùm ad pœnam: etenim lex pœnalis eſt odioſa; ergò Legiſlator per legem pœnalem ſimpliciter latam non cenſetur obligare contrauenientem ad culpam, ſed ad pœnam dumtaxat: ſiquidem in pœnalibus in dubio benignior interpretatio facienda eſt, ita vt lex intelligenda ſit de minori pœna, *c. in pœnis, de regul. iur. in 6. c. pœna, de pœnit. d. 1. l. ſi Præſes, & l. interpretatione ff. de pœn.*

3 Confirmatur, quia Legiſlator ferendo legem pœnalem, ex iuris præſumptione cenſetur excludere culpam: nam qui ex duobus propoſitis vnum affirmat, alterum ex iuris præſumptione cenſetur excludere, *l. cum Prætor, ff. de iudic.* Ergò lex pœnalis non obligat ad culpam: ſed ſic eſt, quòd diſpoſitio noſtri capitis eſt lex pœnalis, ergò non obligat ad culpam, ſed tantùm ad pœnam poſt latam Iudicis ſententiam, qua violantes præceptum confeſſionis annuæ, vel communionis in Paſcha, declarentur ſuſpenſi ab ingreſſu Eccleſiæ viuentes: & poſt mortem Eccleſiaſtica ſepultura priuati. 2

4 His tamen non obſtantibus, in contrarium eſt veritas; & communis opinio, quam docent *Vaſq. tom. 3. in 3. par. diſp. 214.* cum alijs, quos allegat: *& Molfeſ. par. 1. ſuæ ſum. Theol. tract. 3. c. 8. num. 81.* Atque ideò dicimus, præceptum noſtri canonis non ſolùm obligare ad pœnam poſt Iudicis ſententiam; ſed etiam ad culpam eo ipſo illud violantes. Probatur primò ex eo, quòd præcepta confeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha non ſunt purè Eccleſiaſtica, ſed ſunt etiam Diuina, vt ſupra oſtendimus, *§. 1. diſp. 1. ſec. 1. & in explic. noſtri §. diſp. 1. ſec. vnica.* Ergò obligant non ſolùm ad pœnam, ſed eo ipſo tranſgredientem ad culpam, cum omne peccatum mortale ex ſuo genere ſit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, vt habetur ex *D. Auguſt. & D. Ambroſius lib. de Paradiſo*, definiens peccatum ait, Quid eſt peccatum, niſi præuaricatio legis Diuinæ, & cœleſtium inobedientia mandatorum. Secundò, dato, & non

con-

conceſſo, quòd præcepta noſtri canonis ſint purè Eccleſiaſtica; nihilominus cùm fiant ſub cenſura interdicti perſonalis, vt ſupra diximus ſec. præcedenti; procul dubio obligant non ſolùm ad pœnam poſt Iudicis ſententiam, ſed eo ipſo, & ante ipſam tranſgredientem ad culpam; cum ad ferendam cenſuram interdicti exigatur culpa grauis; imò grauior quàm ad ferendam excommunicationem, vt oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna, lib. 1. cap. 1. q. 3. nu. 22.* & latius *lib. 3. §. 8. q. 1. ſub num. 9.* Vbi diximus, quòd lex Eccleſiaſtica irrogans pœnam excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, ac irregularitatis ex delicto, obligat ad peccatum mor-
5 tale. Denique cæteris prætermiſſis, noſter canon primò ponit præceptum confeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha; & deindè ponit pęnam illud violantibus, vt ex eo clarè colligitur: ergò citra omnem difficultatem obligat non modò ad pœnam, verum etiam ad culpam: quoniam diſpoſitio ipſius canonis non eſt purè pœnalis, ſed eſt mixta, quæ præceptum continet, & pœnam addit. Lex autem, quæ in verbis ſuis, & modo, quo fertur præceptum continet, etiam ſi pœnam adijciat obligat in conſcientia, vt habetur ex *D. Thom. 2. 2. q. 186. art. 9. ad 1.* Et hanc ſententiam communem eſſe omnium Theologorum teſtatur *Suar. lib. 5. de legib. c. 3. nu. 6.* cum alijs quamplurimis, quos nos retulimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœna Domini lib. 3. §. 8. q. 2. ſub num. 33.*

6 Ad contraria patet reſponſio ex tertia ratione, quam ſupra adduximus ad probandam noſtram ſententiam: & ex ijs: quæ diffusè cumulauimus in noſtris *Commentar. d. q. 2. per totum*, Vbi inter alia *num. 31.* oſtendimus, quòd leges etiam ſi eſſent temporales, & purè pœnales ſimpliciter latæ obligant in conſcientia; niſi Legislator expreſsè declaret non eſſe intentionis ſuæ obligare ad culpam: & pro hac ſententia tanquam magis communi, ac magis recepta adduximus ferè viginti Doctores, quorum plerique ſunt magni ponderis, & quos ſuperuacaneum mihi duxi hoc loco quoque referre.

Ibi, *Hoc ſalutare ſtatutum frequenter, &c.* De publicatione pręcepti noſtri canonis de annua confeſſione, & communione in Paſcha.

DISP. VLTIMA.

SVMMARIVM.

1 *Ex vi noſtri canonis præcipitur publicatio præcepti de confitendo ſemel ſaltem in anno, ac de communicando in Paſcha.*

1 CErtum eſt vi noſtri canonis præcipi frequentem publicationem eiuſmodi præcepti de confitendo ſemel ſaltem in anno, & de communicando in Paſcha: quoniam *lex* vtitur verbis imperatiui temporis, vt patet ex dictis verbis, *Hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſijs publicetur, &c.* Quæ verba videntur præceptum denotare, vt conſtat ex eodem noſtro canone, ibi *Semel ſaltem in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & iniunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere.* Vndè per ſequentes ſectiones videndum eſt de ſequentibus dubijs.

Quibus nam perſonis præcipiatur publicatio præcepti noſtri canonis de confitendo ſemel in anno, & de communicando in Paſcha.

SEC. I.

SVMMARIVM.

1 *Per Eccleſias intelliguntur Cathedrales præcipuè, & Parochiales in quibus animarum cura exercetur, & ad quos dirigatur hoc præceptum publicandi.*

1 AD hanc difficultatem reſpondetur, quod cùm per noſtrum canonem præcipiatur eius ſtatutum frequenter publicari in Eccleſijs, per Eccleſias intelligit, Cathedrales præcipuè, ac Parochiales, in quibus animarum cura exercetur, & Sacramenta ex vi muneris à curatis miniſtrantur tanquam proprijs Sacerdotibus. Vndè eiuſmodi præceptum dirigitur ad Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, alioſq; locorum Ordinarios, & Eccleſiarum Prælatos, Rectores, & cæteros cura animarum exercentes: his enim præcipitur, vt frequenter in eorum Eccleſijs conſtitutionem noſtri canonis de confitendo ſemel ſaltem in anno; & de communicando in Paſcha, publicent: ſiquidem in ipſo canone cùm fit mentio de proprio Sacerdote, cui ex vi muneris competit miniſtratio Sacramenti pœnitentiæ, ac communionis, proprijs Sacerdotibus præſertim cenſetur fieri eiuſmodi mandatum: appellatione autem proprij Sacerdotis ſatis ſupra oſtendimus venire ſupra nominatos Prælatos, & omnes curam animarum habentes, vt probauimus ſupra p. 1 *diſp. 8. ſec. 2.* In horum enim Eccleſijs, quia vt plurimum congregatur populus maximè tempore Paſchali ad ſuſcipiendam ſacram communionem, eſt facienda huius conſtitutionis publicatio: ne quiſquam ignorãtiæ cæcitate velamẽ excuſationis aſſumat.

Ibi, *Frequenter in Eccleſijs publicetur.* Quando frequenter dicitur in Eccleſijs publicari præceptum noſtri canonis.

SEC. II.

SVMMARIVM.

1 *Præceptum annuæ confeſſionis, ac communionis in Paſcha, tunc dicitur ſufficienter publicari in Eccleſijs, cum ad minus bis in anno publicatur.*
2 *Coniugia frequentari dicuntur per duos actus.*
3 *Frequentari in Monaſterijs Monialium non dicitur is, qui tribus annis duodecies alloquitur cum Monialibus.*
An ſit remittenda Iudicis arbitrio frequentia alicuius actus.

1 IN hac re videtur dicendum quòd præceptum confeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha ſufficienter tunc dicitur publicari in Eccleſijs frequenter, quando ad minus bis in anno publicatur: etenim hæc dictio, frequenter, verificatur ad minus in duobus actibus, vt habetur per *Gloſ. in c. Monaſteria, in ver. Frequentare*

quentare

quentare, vbi etiam *Panor. num. 5. de vita, & beneſt. cler.* & facit *tex. in c. ita nos*, 25. *q.* 2. *& c. vna tantum*, 26. *d. Idem Panorm. in c. tua nobis, in Gloſa* 1. *de appellat. & Gloſ. in §. fin.*
2 *de defenſor. Ciuit.* Hinc ait *text. in d. c. vna tantùm*, Quòd coniugia dicuntur frequentari per duos actus: & in *d. c. ita nos*, habetur, quòd inducitur conſuetudo per duos actus: quòd *Archid. in c. illud*, 12. *d.* Ampliat etiam quoad inducendam conſuetudinem in maleficijs. Adde his *Maſcard. de probat. concl.* 424. *num.* 16. *Gratian. Diſcept. forenſ. c.* 393. *nu.* 18. *Praxis verò Epiſcopalis, ver. Moniales* §. 7. Putat, quod frequentare non intelligitur is, qui tribus
3 annis duodecies alloqueretur cum Monialibus; atque ideò circa frequentiam locutionum Clerici cum Monialibus, inquit, non eſſe ſtandum dicto *Gloſæ, in d. c. Monaſteria, de vita, & honeſt. cler.* Et aliorum, quos ſupra retulimus, exiſtimantium, Ly. frequenter, verificari in duobus actibus. Mihi autem placet ſententia *Barboſæ poſt alios, de offic. & poteſt. Epiſcop. allegat.* 102. *ſub num.* 70. Dicentis declarationem frequentiæ alicuius actus remittendam eſſe Iudicis arbitrio, cùm non poſſit aſſignari certa regula, atque ideò aliquis actus dicitur frequentati, cum repetitur bis, & ter, & pluries ſecundum ſubiectam materiam, ita vt penſanda ſit ratio, propter quam lex exigit frequentiam alicuius actus. Vndè cùm in noſtro canone hæc ratio aſſignatur circa publicationem frequenté præcepti eiuſdem canonis de confitendo ſemel ſaltem in anno, & de communicando in Paſcha; nempè, *Ne quiſquam ignorantiæ cecitate velamen excuſationis aſſumat.* In caſu de quo agitur illa frequentia publicationis dicti præcepti expoſtulatur, quæ ſatis ſit ad non admittendam excuſationem ex capite ignorantiæ præfati præcepti. Id autem ſatis eſſe arbitror, ſi prædictum præceptum ſemel in anno, præſertim in Quadrageſima publicetur: etenim non præcipitur vi noſtri canonis, vt præceptum ipſum publicetur in anno: ſed ſimpliciter, quòd publicetur frequenter. Vndè frequenter cenſetur publicatum, ſi habito reſpectu ad omnes annos publicetur ſemel in anno, vt publicari præcipitur Bulla Cęnæ vt ex eius tenore conſtat, & ita vidi ſeruari in publicis locis.

An Epiſcopi, & alij Curati, ſi præceptũ confeſſionis annuæ, aut communionis in Paſcha non publicent, lethalem culpam contrahant.

SEC. III.

SVMMARIVM.

1 *Præfatum præceptum frequenter non publicantes, in cenſuram aliquam non incidunt, ſecus illud violantes.*
2 *Violantes quamcunq; legem, ſiuè pœnalem, ſiuè non, ſemper lethaliter peccant.*
3 *Incidunt tamen in lethalem culpam, frequenter præceptum hoc non publicantes.*

1 CErtum eſt, in cenſuram aliquam non incidere præfatum præceptum frequenter non publicantes, iuxta noſtri canonis diſpoſitionem; quoniam in ea cẽſura ſtatuitur violantibus præceptum ipſum, non autem illud frequenter non publicantibus, vt ex eiuſdem tenore conſtat. Nec controuerſia noſtra eſt de contemptu dictæ publicationis: certum eſt enim, quòd recuſantes publicare dictum præceptum ex contemptu formali peccare mortaliter: ſiquidem violantes quamcunq; legem ex contemptu formali Legiſ-
2 latoris, ſiuè pœnalis ſit, ſiuè non pœnalis, ſemper peccare lethaliter, vt habetur ex *Suar. lib. 3. de legib. c.* 28. *nu.* 13. cum alijs, quos allegat. Dixi ex contemptu formali, ideſt ex voluntate tranſgrediendi noſtrum canonem ex ea ſola cauſa, quòd quis ei noluerit ſubijci, ad differentiam contemptus virtualis legis, qui dicitur voluntas tranſgrediendi legem ex concupiſcentia, nempè ex affectu lucri, odio, amore, &c. vt nos declarauimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib.* 3. *§.* 8 *q.* 2. *nu.* 7. Difficultas igitur eſt, an Epiſcopi, & animarum curam habentes, qui citra contemptum formale, vt ſupra negligunt publicare frequenter præceptum, de quo agitur peccent mortaliter.

3 Ad hanc difficultatem reſpondetur breuiter affirmatiuè. Etenim Concilium in noſtro canone volens præceptum confeſſionis annuæ, & communionis in Paſcha, in Eccleſijs frequenter publicari, vtitur verbis imperatiui modi, inquiens, *Hoc ſalutare ſtatutum frequenter in Eccleſijs publicetur, &c.* Quæ quidem verba quando non conſtat de cõtraria voluntate diſponentis ſaltem per probabiles coniecturas præceptum denotant vt in *c. Clerici, de vit. & honeſt. Cler. c. ſi quis ſuadente diabolo*, 17. *q.* 4. *c. nullus*, 32. *d.* Colligitur ex noſtro canone, ibi, *Fideliter confiteatur, &c.* Et ex alijs quamplurimis iuribus, *Panor. in c. veſtra, per illum tex. nu.* 1. *de cohabit. Cler. & mulier.* & nos latè oſtendimus in noſtris *Commentar. in Bull. Cœnæ, lib.* 5. *§.* 8. 9. *num.* 4. *cum plur. ſeq.* Vbi contraria ſoluimus. Si ergò iuſſio frequenter publicandi præcepta noſtri canonis de confitendo ſemel ſaltem in anno, & de communicando ad minus in Paſcha, eſt præceptum: ergò obligat ſub lethali culpa, vt probauimus in dictis noſtris Commentarijs, & patet ex ijs, quæ ſupra diximus, *diſp.* 6. *ſec.* 3. Hæc de iſta quæſtione, & de prima parte noſtri canonis ad Laudem, & gloriam Omnipotentis Dei, eiuſdem glorioſiſſimæ Matris Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum: ſubmittens omnia, & ſingula in ea contenta omni qua decet reuerentia, ac humilitate ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ iudicio, atque cenſuræ.

Finis Commentariorum in Primam Partem Cap. Omnis vtriuſque ſexus, de Pœnit. & Remiſs.

DEO GRATIAS.

INDEX

Omnium rerum, quæ in his Commentarijs continentur.

Ordine Alphabetico diſpoſitus.

Abbates.

ABbates exempti dici non poſſunt proprij Sacerdotes in Sacramento pœnitentiæ adminiſtrando, ſiuè ſeculares ſint, ſiuè regulares. Diſp.8. ſec.2.nu.11. fol.204.

Abbates exempti iuriſdictionem, quam habent in foro pœnitentiali, alteri delegare poſſunt. diſp.8 ſec.7. nu.10.238.

Abbatibus, & Præpoſitis abſentibus, aut mortuis, Priores, & Vicarij Præpoſitorum Regularium eligere ſibi poſſunt Confeſſarium, & quando. Diſp.8.ſec.3.nu.29. 219.

Cætera vide in verb.Epiſcopi,& in ver.Prelati.

Abortus.

Abortus procuratio, etiam effectu non ſecuto poteſt reſeruari per Superiores regulares, modo fœtus ſit animatus. diſp. 8. ſec. 11. nu. 85. 280.

Referuntur Bullæ Summorum Pontificum, pœnas ſtatuentes circa abortum. nu.86. fol. eod. An regulares alijq; priuilegiati abſoluere poſſint ab hoc caſu ibid.

Num Confeſſarij non priuilegiati ab hoc crimine abſoluere poſſint citra Ordinarij delegationem, quamuis ſpecialiter ſibi non reſeruauerit. nu 87. fol. eod.

Quoad pœnas in hoc crimine impoſitas, Bulla Sixti V. non fuit immutata per bullam Gregorij XIV. nu.88. 281.

Abortum conſulentes, fauentes, auxilium præſtantes, &c. incidunt in caſum reſeruatum, & pœnas latas, d.ſec. 11.nu.90.& 91 fol.eod.

An incidant etiam mandantes. nu.93.282.

An etiam ratum habentes. nu. 97. fol. eod.

Abſoluendi facultas, & abſoluere.

Abſoluendi facultas à caſibus reſeruatis ſi detur Confeſſario per Sum. Pontificem intelligitur quoque data à Cenſuris. diſp. 8. ſec. 16. nu. 6. 311.

Num comprehendat quoque facultatem abſoluendi à caſibus Bullæ Cœnæ. Vid. in verb. Confeſſarius.

Quid ſi hæc facultas detur ab Epiſcopo qui quoſdam caſus reſeruauit cum cenſura, & quoſdam ſine cenſura, num cenſeatur conceſſiſſe facultatem abſoluendi à reſeruatis cum cenſura. d.n.6.

Abſoluendi facultas à caſibus, & cenſuris Bullæ Cœnæ, ſi in ſpecie concedatur per Iubilæū, non autem in indiuiduo, an poſſit quis vigore talis facultatis abſolui à caſibus, & cenſuris in Bulla Cœnæ reſeruatis. diſp. 10. ſec. 65. nu.2. & 3. 410.

Quid ſi concedatur in ſpecie, & in indiuiduo ſimul. ſec.66. nu.2. 410. & nu.3. 411.

Quid ſi per Iubilæum excipiatur vnus tantùm caſus in indiuiduo ver. gratia, hæreſis, an cæteri caſus cenſeantur conceſsi, ac ſi eſſent expreſsi in indiuiduo. ſec.67. n. 1. & 2. 411.

Quotupliciter concedatur iſta facultas. ſec.65. nu. 1.409.

Abſoluendi facultas à Cenſuris reſeruatis ſi ſit data per Iubilæum, vel aliam Bullam non licet ea vti extra pœnitentiæ Sacramentum. diſp.10. ſec.70.nu.1.413.

Quid ſi data ſit ſimpliciter. n. 2. & 3. fol. eod.

Abſoluendi facultas à cenſuris,& caſibus reſeruatis,data per Iubilæum, non comprehendit facultatem commutandi vota,vel ſuper ipſis diſpenſandi. diſp. 10.ſec.72.n.8.416. Cætera vide in verbo facultas.

Abſoluendi facultas ab hæreſi occulta,conceſſa Epiſcopis per Trident. num ablata ſit per Bullam Cœnæ Domini. diſp.8.ſec.16.n.16. 312. & nu.17. 313.

Quid dicendum circa impeditos, nu. 18. verſ. Satis 313.

Abſoluendi facultas à reſeruatis, an & quando à Prælato concedi debeat ſubdito petenti. diſp.8.ſec.15.nu.1. & 2. 305.

Et quotuplex ſit. ſec.16.nu.1.310.

Abſoluere Iure Ordinario poteſt Epiſcopus in foro conſcientiæ à quibuſdam caſibus, & cenſuris, Rom. Pontifici reſeruatis, maximè occultis. diſp.8.ſec.16. nu 4. 311.

Quando delictum dicatur occultum in hac materia. nu.5. fol. eod.

Abſoluere qui nam poſſint directè à caſibus, & cenſuris reſeruatis. ſec.ead.n.2.310.

Abſolutio, & abſolutus.

Abſolutio à peccatis quæ nam ſit. diſp. 12. ſec. 7.nu.3.450.

Abſolutio à peccatis, impenſa per Sacerdotem citra Ordinarij approbationem nullius eſt roboris. diſp.8. ſec.9. n.4.249.

Abſolutio à reſeruatis, & diſpenſatio ſuper votis, accepta cum intentione lucrandi Iubilæum, erit valida, tùm ſi deinde citra culpam, tùm ſi cum culpa indulgentiā abſolutus non recipiat. diſp. 10. ſec 3.n.9.348.

Digitized by Google

An peccet mortaliter taliter abſolutus. diſp. 10. ſec. 69. nu. 2. 413.

Abſolutio ſacramētalis, impenſa ſuper peccata, aliàs confeſſa, & remiſſa, vt valida ſit, quidnā neceſſario requiratur. diſp. 3. ſec. 1. nu. 88. 71.

Abſolutio ſi detur ſub iſta forma (abſoluo te à peccatis, de quibus es confeſſus, & contritus) an & quando extendatur ad oblita, & attrita tantum. diſp. 12. ſec. 8. nu. 1. & 2. 451.

Abſolutionem ſi Confeſſarius impendat, per verbum, remitto, vel per verba, abſolutionem impendo, vel dicat, abſoluaris à me, valida erit, & ſolum venialiter peccabit, præciſo ſcandalo. diſp. 3. ſec. 1. nu. 66. 67.

Abſolutus a Sacerdote, facultatem habente abſoluendi à reſeruatis, ſi alicuius peccati reſeruati fuerit oblitus, poterit deindè abſolui per quemcunq; etiam facultatem prædictam non habentem. diſp. 12. ſec. 7. nu. 6. 451.

Quid ſi obliuio fuerit vincibilis, vel peccatum reſeruatum habuerit cenſuram annexam. nu. 7. fol. eod.

Quid dicendum in irregularitate. nu. 8. fol. eod.

Accedens, & accedere.

Accedens ad Baptiſmū. Vid. in ver. Baptiſmū.

Accedens ad confeſſionem cum venialibus tantùm, debet de illis habere veram ſufficientem, ac ſupernaturalem attritionem. diſp. 2. ſec. 6 nu. 3. 45.

Si ſufficientem non habeat attritionem culpabiliter, num peccet mortaliter, & ſacrilegium committat. nu. 7. 46.

Accedens ad confeſſionem, putans ſe habere ſupernaturalem attritionem, cum habeat tantum dolorem naturalem; ſi poſtea ſupernaturalis dolor ſuperueniat, & interim lethalem culpam non contraxerit, recipit gratiam virtute ipſius Sacramenti validi, ſed informis. diſp. 2. ſec. 5. nu. 3. 44.

Accedere ad confeſſionem poteſt quis multis modis. diſp. 2. ſec. 6. nu. 1. 45.

Accedere ad Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum cum conſcientia peccati venialis, num ſit contra reuerentiam huius Sacramenti. diſp. 2. §. 2. ſec. 11. nū. 1. & 2. 495.

Accuſans, & accuſatio.

Accuſans ſe de grauiſſima culpa, quam non contraxit, nō alio fine, quam vt à Confeſſario grauem ſubeat pœnitentiam, lethaliter peccat, & inualidè confitetur. diſp. 6. ſec. 1. n. 19. circa fin. & nu. 20. 164.

Accuſatio quæ fit in iudicio forenſi, fit abſque ſpe veniæ, ſecus verò in iudicio ſacramentali diſp. 2. ſec. 7. nu. 16. 50.

Actio, & actus.

Actio ſacra, facta in loco non decenti, rationē habet ſacrilegii, neceſſario in confeſſione explicandam. diſp. 3. ſec. 3. nu. 26. in fin. 93.

Actus concurrentes ad committendum aliquod totale peccatum, quamuis ſint ordinati ad ipſum, ſunt diſtincta peccata, non obſtante actu interno voluntate, intrinſecus perſeuerante. diſp. 3. ſec. 3. nū. 3. in med: 126.

Quid dicendum de actibus ſubſequentibus. nu. 4. & 6. 127.

Actus exterior continuus multipliciter conſideratur; ſcilicet phyſicè, & moraliter, vel moraliter tantum, & non phyſicè. diſp. 3. ſec. 3. nu. 1. 126.

Actus internus non multiplicatur numero interruptionum, ſi interruptio, quamuis phyſica, proueniat ex inaduertentia, maximè ſi modica ſit, & quare. diſp. 3. ſec. 5. nu. 26. 121.

Et vid. in verbo Peccatum externum.

Actus omnes ſpecificantur ab obiecto, & diſtinguntur ſpecie à diuerſitate obiectorum. diſp. 3. ſec. 2. nu. 3. 80.

Actus præcedentes, & ordinati ad principale peccatum, vel etiam incontinenti conſequentes peccatum principale iam conſummatum, ſunt nouum peccatum contra opinionem Nauarri. diſp. 3. ſec. 7. nu. 10. 128.

Actus purè internus. Vid. in verb. Satisfacere.

Actu vno, qui mortem imprecatur alicui, & toti ſuæ familiæ, duo peccata committit. diſp. 3. ſec. 5. nu. 13. 120.

Actu vnico, qui plures homines occiderit, non ſatisfacit in confeſſione, dicendo ſe homicidium commiſiſſe. diſp. 3. ſec. 3. nu. 86. 107.

An committat vnum peccatum numero, cum circūſtantia aggrauāte. diſ. 3. ſec. 5. n. 11. 120.

Et vid. in verb. Deliberans, Deſiderans, & Voluntatem.

Actu vnico qui res alienas diuerſorum concupiſcit, unum peccatum contrahit. diſp. 3: ſec. 5. nu. 7. 120.

Idem dicimus qui unico actu uoluntatis pluries deſideret aliquem percutere continuatis uicibus. nu. 8. fol. eod.

Et quid ſi concupiſcat plures fœminas uno, ac eodem actu uoluntatis. nu. 9 fol. eod.

Adultus.

Adulti qui aliquando ratione vſi fuerint, & deinde in amentiam, uel freneſim inciderint, non denegari debet communio, ſi ante dementiam, uel freneſim ſigna contritionis dederint. diſp. 1. §. 2. ſec. 2. n. 9. & 10. 461.

Adultus non baptizatus, & ad Martyrium raptus, ſi commodè ante Martyrium baptizari poteſt, tenetur baptiſmum ſuſcipere. diſp. 7. ſec. 7. nu. 24. 179.

Raptus ad Martyrium, & conſcientiam habeat peccati mortalis, tenetur illius formalem, & veram contritionem habere. nu. 25. fol. eod.

Adultus non baptizatus, qui cum venialibus tantum baptiſmum accipit, num indigeat contritione. diſp. 7. ſec. 10. nu. 8. 189.

An teneatur ad attritionem, ſi neque mortalis,

neque

neq; venialis conſcientiam habeat. n. 10. 190.
Adultus cum iuſtificatur per proprium actum, videtur habere virtualem diſplicentiam de peccato originali. diſp. 3. ſec. 1. nu. 22. 57.
Adultus de recenti baptizatus accedens ad Sacramentum pœnitentiæ, ſi dicat, ſe non habere peccata, niſi commiſſa ante baptiſmum, interrogari debet, num baptiſmum ficte ſuſceperit. diſp. 3. ſec. 1. nu. 31. 59.
Si dicat, ſe non habuiſſe intentionem illud ſuſcipiendi, an monendus ſit, vt iterum illud ſuſcipiat. nu. 32. fol. eod.

Ætas.

Ætas requiſita ad confeſſionem annuam, requiritur quoque in articulo, vel periculo mortis. diſp. 1. ſec. 7. nu. 6. 28.
Quæ nam ætas requiratur ad ſuſcipienda Sacramenta confirmationis, & extremæ vnctionis. nu. 7. fol. eod.
Quæ ætas requiratur ad ſuſcipiendum Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum. nu. 8. eod. fol.
Quæ ſufficit pro ſuſcipiendo Sacramento pœnitentiæ, haud ſufficit pro ſuſcipiendo Sacramento communionis, ſed requiritur deuota diſcretio diſp. 2. §. 2. nu. 2. 463.
Ætatem diſcretam quiſnam habere dicitur. diſp. 1. ſec. 7. nu. 1. & 3. 27.
Ætatis diſcretæ tres ſunt gradus. diſp. 1. ſec. 7. nu. 13. 29.

Afficere.

Afficere hominem iniuria in vitam, vel in famam, ſunt peccata ſpecie diſtincta. diſp. 3. ſec. 3. nu. 39. in med. 96.

Alapa.

Alapam ſi quis in publico alicui inferat, haud ſatisfacit, aperiendo in confeſſione alapam illatam, ſed tenetur quoque cōfiteri circumſtantiam loci publici. diſp. 3. ſec. 3. n. 56. 101.

Anima.

Anima B. Virginis, & Chriſti Domini habuerunt cognitionem de exiſtentia Corporis Chriſti in Sacramento per ſupernaturalem ſpeciem. diſp. 4. §. 2. ſec. 11. nu. 5. 529.
Animæ bonum cæteris omnibus eſt præferendum. diſp. 1. ſec. 1. nu. 57. 10.
Animæ in purgatorio, quamuis crucientur atrociſſima pœna ignis, & eadem, qua cruciantur damnati, ſunt tamen certæ de earum ſalute. diſp. 11. ſec. 4. nu. 5. 439.

Annus.

Annus, in præcepto confeſſionis computatur de Quadrageſima in Quadrageſimam, diſp. 5. ſec. 1. nu. 9. & 11. 152. & nu. 12. 153.
Annus, vel dies indulgentiæ partialis propriè ſignificat durationem pœnitentialis ſatisfactionis, in hac vita exhibendæ pro peccatis. diſp. 10. ſec. 3. nu. 11. 349.

Aperiens.

Aperiens literas alterius. Vid. in verb. Literas.

Apoſtaſia, & Apoſtata.

Apoſtaſia à Religione externa tantum, quæ nam ſit, & an talis apoſtata incidat in caſum reſeruatum. diſp. 8. ſec. 11. nu. 46. 274.
Apoſtaſia à Religione reſeruari poteſt per Superiores Regulares, & triplex eſt. diſp. 8. ſec. 11. nu. 43. 273. Vid. in verb. Habitus.
Apoſtaſia externa, & interna ſimul dicitur quando quis animo, & corpore Religionem deſerit, & eſt vnus de vndecim caſibus, qui per Superiores Regulares reſeruari poſſunt. diſp. 8. ſec. 11. nu. 47. 274.
An Apoſtata incidat in excommunicationem. d. nu. 47.
Et vid: in verb. Hæretici.

Apoſtoli.

Apoſtoli nunquam habuerunt facultatem inſtituendi Sacramenta. diſp. 1. ſec. 1. nu. 6. 4.

Apparitiones.

Apparitiones nonnullæ in multis locis contingerunt in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, & quales. diſp. 4. §. 2. ſec. 12. nu. 1. 530.
Quot modis fieri contingant apparitiones iſtæ. nu. 2. fol. eod.
Si haud fiant per mutationem obiecti, ſed per immutationem potentiæ viſiuæ, ſeù oculorum, aut per mutationem ſpecierum in acre exiſtentium, quo modo Chriſtus maneat præſens ſub ipſis ſpeciebus ſacramentalibus. nu. 3. fol. eod.

Approbatio.

Approbatio Ordinarij ad confeſsiones audiendas debet eſſe Epiſcopi Sacerdotis, ſiuè ſecundum alios Antiſtetis loci, vbi confeſsiones audit. diſp. 8. ſec. 9. nu. 30. 254.
Et debet ab Ordinario gratis impēdi. n. 40. 257.
Fieri poteſt tam expreſsè, quam tacitè. nu. 45. 258.
Quis intelligatur ſub nomine Ordinarij in materia huius approbationis. nu. 50. 259.

Aqua.

Aqua congelata nom ſit materia apta ad Baptiſmum. diſp. 2. §. 2. ſec. 14. 501.
Aqua permixta vino non eſt de neceſsitate Sacramenti Euchariſtiæ. Et an conſecretur in ſe ipſa, vel conuerſa in vini ſubſtantiam. diſp. 2. §. 2. ſec. 15. nu. 1. 502. Et nu. 2. & 5. 503.
Aquam vino non immiſcere in celebratione Miſſæ, eſt hæreſis Armenorum. diſp. 2. §. 2. ſec. 15. nu. 3. 503.
An ſit contra reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ ſacrificare, vel communicare in vino, aqua non permixto. nu. 4. fol. eod.
An ſit verum, aquam ſeparari a vino per filium lineum, vel medullam iunci, applicatas vino. nu. 6. fol. eod.
Num modica aqua miſcenda ſit vino in Calice offerendo. nu. 7. fol. eod.

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopus dum viſitat prouinciam, non poteſt Ordines conferre, nec literas dimiſſorias concedere ſubditis ſuffraganeorum. diſp. 8. ſec. 2. nu. 6. 204.

Archiepiſcopus poteſtatem habet eligendi ſibi Confeſſarium, licet ſit tantum confirmatus. diſp. 8. ſec. 4. nu. 12. 224.

Articulus.

Articulus mortis in quo differat à mortis periculo. diſp. 1. ſec. 1. nu. 40. 8.

Attritio, & attritus.

Attritio duplex eſt, & qualis. diſp. 7. ſec. 5. nu. 13. 173.

Attritio, & contritio in quo conueniant. Vid. in verb. Contritio.

Attritio exiſtimata contritio homini habenti conſcientiam peccati mortalis, nec habenti copiam Confeſſarij, dum rapitur ad Martyrium, confert primam gratiam diſp. 7. ſec. 7. nu. 22. 179. Et quid ſi ſit attritio cognita, nu. 23. fol. eod.

Attritio formalis vnius peccati, eſt virtualis attritio aliorum peccatorum inculpabiliter oblitorum. diſp. 2. ſec. 4. nu. 11. 43.

Attritio neceſſario non expoſtulat deteſtationem, ac dolorem maximum omnium peccatorum appretiatiuè. diſp. 7. ſec. 6. nu. 3. 174.

An requirat quantitatem deteſtationis extenſiuam. nu. 4 fol. eod. Et vid. in verb. Contritio.

Attritio quid nam ſit, & an ſufficiens ſit ad gratiam mediante Sacramento pęnitentiæ. diſp. 7. ſec. 5. nu. 1. 170. & nu. 2. 171.

An debeat eſſe ſupernaturalis. nu. 4. fol. eod.

An ſacrilegium committat, & teneatur confeſſionem repetere, qui cum naturali attritione accedit ad confeſſionem. nu. 5. fol. eod.

Quæ nam attritio ſit de eſſentia Sacramenti pęnitentiæ. diſp. 2. ſec. 4. nu. 5. 42. & diſp. 7. ſec. 5. nu. 10. 172.

Attritio, ſeù contritio imperfecta ſupernaturalis, quæ nam ſit. diſp. 7. ſec. 1. nu. 2. 166.

Attritio, ſeù contritio imperfecta exiſtimata vera contritio ſatis eſt ei, qui rapitur ad Martyrium, ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, ſecus ſi ſit attritio cognita. diſp. 7. ſec. 11. nu. 22 193.

An ſufficiat attritio in Sacramento baptiſmi. nu. 23. in fin. fol. eod.

Attritio vera, & ſupernaturalis æſtimata, quamuis talis non ſit ſecundum aliquos ſufficit ad obtinendam primam gratiam in Sacramento pœnitentiæ. diſp. 7. ſec. 11. nu. 24. 193.

Oppoſitum tamen ſentiunt alij. nu. 25. 194.

Attritio vocatur donum Dei, & Spiritus Sancti impulſus. d. nu 25.

Attritio vndè dicta ſit. diſp. 7. ſec. 2. nu. 2. 167.

Attritus ſi quis accedat ad Sacramentum baptiſmi, conſequitur gratiam iuſtificantem, ac remiſſionem venialium, & mortalium, ac etiam peccati originalis. diſp. 7 ſec. 7. nu. 19. cum ſeq. 178.

Quæ nam Sacramenta conferant attrito primam gratiam. nu. 21. 179.

Baptiſmus, & baptizans.

Baptiſmum recipiens citra attritionem ſaltem ſuorum peccatorum, licet tunc non aſſequatur gratiam, adueniente tamen attritione eam aſſequitur, & virtute præcedentis baptiſmi. diſp. 2. ſec. 5. nu. 2. 44.

Baptiſmus aquæ confert attrito primam gratiam, ſed non baptiſmus ſanguinis, & quare. diſp. 7. ſec. 7. num. 26. 179. Et vid. in verb. Attritio.

Baptiſmus, & Sacramentum pęnitentiæ dicuntur Sacramenta mortuorum, & conferunt primam gratiam. ibid. nu. 21 fol. eod.

Baptizans plures in peccato mortali vnica ablutione vnum tantum peccatū committit in genere moris. diſp. 3. ſec. 5. nu. 42. 124.

Baptizare, & baptizati.

Baptizare vnum plures ſimul, nec licitè, nec validè poſſunt. diſp. 4 §. 2. ſec. 2. n. 1. & 4. 516.

Baptizati baptiſmo flaminis, dicuntur baptizati quoad Deum, ſed non quoad Eccleſiam. diſp. 1. ſec. 5. nu. 3. 24.

Beata, & beati.

Beatam Virginē fuiſſe confeſſam Beato Ioanni Apoſtolo, falſum eſt. diſp. 1. ſec. 1. nu. 25. 7.

Beatam Virginem nunquam oportuit conteri, quia nunquam actualiter peccauit, nec leuiter quidem. diſp. 7. ſec. 10. nu. 7. 189.

Beatos in patria habere claram viſionem Myſterij Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramenti, probabiliſſimum eſt. diſp. 4. §. 2. ſec. 11. nu. 4. 528.

Bellum.

Bellum profecturus, aut longam nauigationem facturus, aut ad terras infidelium iturus, & probabiliter timens, ſe copiam Confeſſarij non habiturū tempore debito, tenetur anticipare confeſſionem. diſp. 1. ſec. 1. nu. 51. 9.

Blaſphemia, & blaſphemans.

Blaſphemiæ in Deum, & ſanctos ipſius, an ſpecie differant, & ſint in confeſſione explicandæ. diſp. 3. ſec. 4. nu. 13. 115.

Quid de blaſphemia in Beatam Virginem. d. nu. 13. & 14. fol. eod.

Blaſphemans vnum Sanctum, incidit in pęnas Conſtitutionum Regni Neapolitani. diſp. 8. ſec. 11. nu. 105. 284.

Breuiarium.

Breuiarium qui proiecit in Mare in diuturna nauigatione propter quod per menſem omiſit recitare horas canonicas, ſatis eſt Confeſſario aperire omiſſam recitationem

Digitized by Google

per menſem, nulla facta mentione de proiectione breuiarij. diſ.3.ſec.3.n.41.in fin.97.

Capitulum.

Capitulum Sede vacante poteſt omnes, & quoſcunq; Confeſſarios, etiam Religioſos, iterum examinare, ac licentias, & approbationes, datas à mortuo Epiſcopo, dum viueret, reuocare. diſp.8. ſec.9. nu. 26. 253.

Capitulum Sede vacante, vel eius Vicarius dicitur proprius Sacerdos in Sacramento pęnitentiæ, cum ſuccedat in omnem iuriſdictionem Epiſcopi. diſp.9. ſec.2. nu.9. 204.

Habetq; facultatem abſoluendi à cenſuris, & à caſibus occultis, ac diſpenſandi in irregularitate occulta vigore Tridentini. nu.28. 208.

Cardinales.

Cardinales, alijq; Prælati, qui non ſunt Epiſcopi non habent iuriſdictionem ordinariam concedendi Indulgentias. diſp. 10. ſec. 5. nu.8. 356.

Quid dicendum de Cardinalium Collegio Sede vacante. d.nu.8.

Cardinales in Eccleſijs ſuorum titulorum iuriſdictionem habent ordinariam in ſubditis in foro pęnitentiali. diſp. 8.ſec.2. nu.28. 207.

Cardinales S.R.E. facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium, etiam non approbatum. diſp.8.ſec.4.nu.10. 224. & ſec.5. nu. 4.229.

An habeant facultatem prædictam pro ſuis quoque familiaribus. nu.11. fol. eod.

Carens.

Carens vſu rationis. vid. in verb. Vſus rationis.

Caro.

Carnis lapſus. vid. in verb. Lapſus carnis.

Caſus.

Caſum reſeruatam habens, ſi primo Superiorem adeat pro abſolutione, ſatis prudenter Superior agit, ſi integram illius confeſsionem audiat. Et quid ſi ob grauia negotia tempus non ſuppetat. diſp.8.ſec.15.n.6.306.

Caſus omnes Papæ reſeruati habent ſecum cenſuram annexam. diſp.8.ſec.11.nu 4. 267.

Caſus omnes ſi Epiſcopus concedat, num concedere intelligatur diſpenſationem votorũ, ac irregularitatum. diſp.8.ſec.19.nu.7.311.

Quid ſi concedat aliquem caſum, & addat. Et omnem meam authoritatem, ac poteſtatem. nu. 9. fol. eod.

Quid ſi concedat alicui Parocho ſuæ Diœceſis generalem facultatem ad audiendas confeſſiones omnium ſuorum ſubditorum totius Dięceſis. nu.10. fol.eod.

Caſus reſeruatos concedens, non videtur concedere poteſtatem abſoluendi à cenſuris. diſp.8.ſec.11.nu.21.270.

Caſus vndecim poſſunt ſibi reſeruare Superiores Regulares ex Decreto Clementis VIII. diſp.8.ſec.11.nu.18. 270.

Explicantur ſigillatim caſus prædicti. à nu.40. 273.

Caſuum in reſeruatione, haud fit extenſio ex idemtitate pęnæ. diſp.8.ſec.11.nu.158. verſ. Nec obſtat. 292.

Caſuum reſeruatio licet nulla detur in articulo mortis, dari tamen poteſt per Sum. Pontificem in tali articulo. diſp.8. ſec.11. num.6. 268. Et vid. in verb. Reſeruandi.

Cathecumeni.

Cathecumeni licet fideles ſint, & in Chriſtum credant, non ligantur tamen præcepto annuæ confeſsionis, & communionis. diſp. 1. ſec.6. nu. 1. 24.

An ſint de iuriſdictione Eccleſiæ. n.2. fol. eod.

An dicãtur baptizati baptiſmo flaminis. d.n.2.

Cauſa.

Cauſa efficiens prior eſt ſua actione, tàm in exiſtentia, quàm quoad omnes conditiones ad agendum. diſp.4. §.2.ſec.6.nu.3.525.

Cauſa finalis duos actus continet formaliter, vel virtualiter, nempè intentionem finis, & electionis medij. Et an, & quando conſtituat culpam lethalem, & ſit in confeſſione explicanda. diſp.3.ſec.3. nu. 27. 93.

Cauſa iuſta ſuſcipiendi Sacramentum pęnitentiæ, quæ nam ſit. diſp.3. ſec. 1. num. 118. circ. med. 79.

Cauſa phyſica in Sacramento Euchariſtiæ quomodo intelligatur. diſp.4.§.3.ſec.3.n.1.,518.

Cauſam qui dedit omiſſioni, tenetur ſolum aperire cauſam Confeſſario, & non omiſsionem. diſp.3.ſec.3.nu. 43. 98.

Cauſæ excuſantes fideles à præcepto confeſsionis annuæ plures ſunt, & quæ. diſp. 1. ſec.9. à nu.1. 31.

Cenſura.

Cenſura, quæ fertur per verbum Indicatiui temporis regulariter eſt latæ ſententiæ. diſp. 6.§.2.ſec.2. nu. 3. 549.

Cenſura interdicti. vid. in verb. Violantes.

Charitas.

Charitas perfecta eſſe non poteſt ſine formali contritione. diſp.7. ſec.8. nu. 10. 183.

Charitas ſola erga Deum ſatis non eſt ad dolendum de malo peccari. diſp. 7 ſec.4. nu.8. verſ. Dixi. 169.

An ſatis ſit ad perfectam contritionem. Et quid in Martyrio. diſp.7. ſec.8. nu.4. 181.

Chriſtianus.

Chriſtianos omnes eſſe Sacerdotes, & habere poteſtatem conficiendi Sanctiſs. Euchariſtiæ Sacramentum, impia eſt hæreticorum noſtri temporis hæreſis. diſp. 4. §. 2. ſec. 1. nu. 3. 516.

Chriſtianus quilibet, eo ipſo quo eſt baptizatus, habet ius ad ſacram communionem, à qua repelli non poteſt ſine cauſa. diſp.5. §.2. ſec. 10. nu. 22. 546.

Chriſtus.

Chriſtus Dominus dimiſit peccata abſque obligatione confitendi, & quare. diſp. 1. ſec. 1. nu. 7. 5.

Chriſtus Dominus Sacramentum Euchariſtiæ contulit, ac diſtribuit in vltima Cęna. Et an diſtribuerit propria eius manu, vel potius, oblato ſentino omnes diſcipuli proprijs ſuis manibus ſumpſerunt. diſp. 4. §. 2. n. 2 515.

In Chriſto duas fuiſſe perſonas, & duo ſuppoſita, fuit hæreſis Neſtorij. diſp. 4. §. 2. ſec. 3. nu. 3. 518.

Circumſtantia.

Circumſtantia aggrauans infra eandem peccati ſpeciem notabiliter, num ſit in confeſsione explicanda. diſp 3 ſec. 3. nu. 78. 105.

Quid ſi valdè exceſſerit ordinarium modum peccati. nu. 84. 106.

Circumſtantia aggrauans notabiliter peccatū, ita vt fiat reſeruatum, eſt in confeſsione explicanda. diſp. 3. ſec. 3. nu. 89. 108.

Idem eſt ſi habeat excommunicationem annexam. nu. 90. fol. eod.

Circumſtantia aggrauans temporis, puta ſi quis per annum fuerit aliquem odio proſecutus, aut per totam noctem cum muliere concubuerit, vel in die ieiunij pluries comederit carnes, num ſit in confeſſione explicanda. diſp. 3. ſec. 3. nu. 77. 105.

Circumſtantia, cur cauſam finalem denotat, ſeu propter quod, ac rationem. diſp 3. ſec. 3. nu. 17. 93.

Circumſtantia diei feſti non mutat ſpeciem peccati nec illud intra eandem ſpeciem notabiliter aggrauat. diſp. 3. ſec. 3. nu. 37. 96.

Circumſtantia eſt ſemper in confeſſione explicanda, quando per eam peccatum multiplicatur numero. diſp. 3. ſec. 3. nu. 85. 106

Circumſtantia finis num ſit in confeſſione explicanda. diſp. 3 ſec. 2. nu. 7. 81.

Circumſtantia gradus in peccato inceſtus, an ſit in confeſsione explicanda ſaltem quoad lineam. diſp. 3. ſec. 3. nu. 15. 89. & num. 79. 105. & nu. 100. 110.

Circumſtantia inceſtus ſpiritualis, quādo committitur inter compatres, & commatres, eſt neceſſario in confeſsione aperienda. diſp. 3. ſec. 3. nu. 16. in med. 90.

Circumſtantia profeſsi, vel in ſacris conſtituti, impertinens eſt ad integritatem confeſsionis. diſp. 3. ſec. 3. nu. 47. 98.

Circumſtantia, quando, ſignificat tempus, quo peccatum committitur. diſp. 3. ſec. 3. n. 36 95.

Circumſtantia quibus auxilijs, quæ nam explicet, & an ſit in confeſsione explicanda. diſp. 3. ſec. 3. nu 17. 90.

Circumſtantia, quis, vel quid, quæ nam denotet. diſp. 3. ſec. 3. à nu. 10. 88.

Circumſtantia quomodo explicet modum peccandi. Et an, & quando mutet actus in aliam ſpeciem. diſp. 3. ſec. 3. nu. 51. 94.

Circumſtantia raptus, an mutet ſpeciem peccati, ſi Virgo rapta conſentiat. diſp 3. ſec. 3. nu. 14. verſ. Quæ diximus. 89.

Circumſtantia ſtupri voluntarij licet nō mutet ſpeciem peccati, notabiliter tamen peccatum aggrauat. diſp. 3. ſec. 3. nu. 99. 110.

Circumſtantia, Vbi, locum ſignificat, in quo peccatum committitur. diſp. 3. ſec. 4. n. 20. 91.

Et an, & quando hæc loci circumſtantia ſit in confeſſione aperienda. nu. 58. 101.

Circumſtantia Virginitatis, an ſpeciem mutet peccati. diſp. 3. ſec. 3. nu. 13. in fin. 89.

Circumſtantia voti ſimplicis in Religioſo profeſſo, vel Clerico in ſacris, impertinens eſt ad integritatem confeſſionis. diſp. 3. ſec. 3. nu. 49. 89.

Circumſtantia vndè deriuetur. Quid, & quotuplex ſit. diſp. 3. ſec. 3. nu. 1. 86.

Circumſtantiam perſonæ occiſæ tenetur quis confiteri, nec ſufficit dicere, ſe hominem occidiſſe. diſp. 3, ſec. 3. nu. 60. cum ſeq. 102.

Circumſtantiæ ad confeſſionem pertinentes, quot nam ſint. diſp. 3. ſec. 3. nu. 3. 86.

Circumſtantiæ aggrauantes culpam, dupliciter differunt inter ſe. diſp. 3. ſec. 3. nu. 8. 87.

Circumſtantiæ aggrauantes non multum malitiam peccati intra eandem ſpeciem non pertinent ad integritatem confeſſionis, & propterea non tenetur pęnitens eas confiteri. diſp. 3. ſec. 3. nu. 64. 103.

Circumſtantiæ aggrauantes notabiliter malitiam peccati, ſecundum opinionem valde probabilem non prrtinent ad integritatem confeſsionis. diſp. 3. ſec. 3. nu. 76. 104.

Sed probabilior eſt in contrarium ſententia. nu. 92. 108.

An & quando poſsit quis vti prima ſententia in praxi: nu. 109. cum ſeq. 112.

Circumſtantię impertinentes non pertinent ad integritatem confeſsionis; atque ideò pęnitens non tenetur eas confiteri. diſp. 3. ſec. 3. nu. 38. 96.

Quæ nam ſit circumſtantia impertinens in peccato odij. nu. 39 fol. eod.

Circumſtantiæ in actibus humanis ad ſeptem reducuntur. diſp. 3. ſec. 3. nu. 9. 87.

Circumſtantiæ minuentes malitiam peccati infra eandem ſpeciem non pertinent ad integritatem cōfeſsionis. diſp. 3. ſec. 3. n. 50. 99.

Quid ſi multum minuant. nu. 51. fol. eod.

Circumſtantiæ Mollitiei, ſodomiæ, beſtialitatis, ac concubitus mulierum ordine præpoſtero, conſtituunt diuerſas peccati ſpecies, & pertinent ad integritatem confeſsionis. diſp. 3 ſec. 3. nu. 81. 106.

Circumſtantiæ morales quot nam ſint. diſp. 3. ſec. 3. nu. 3. 86.

Cir.

I N D E X.

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem peccati, ſiuè augentes, ſiuè minuentes eius malitiam, pertinent ad integritatem confeſsionis, & tenetur pœnitens in confeſſione eas explicare. diſp. 3. ſec. 3. nu. 55. 100.

Quid ſi ſpeciem mutent ſolum venialiter. nu. 63. 102.

Circumſtantiæ mutantes ſpeciem non ſolum actuum externorum, ſed etiam internorum ſunt in confeſſione explicandæ. diſp. 3. ſec. 3. nu. 62. 102.

Clauſura.

Clauſura, quænam loca, & partes Monaſterij includat ad effectum incurrendi caſum reſeruatum ob nocturnam egreſsionem de Monaſterio. diſp. 8. ſec. 11. nu. 49. 274.

An includat Sacriſtiam, Cæmeterium, & Eccleſiam ad effectum ne mulieres ingredi valeant. nu. 50. 275.

Clauſuram Monaſterio ſi Religioſi bona fide permittant mulieribus ingredi, nec ipſi Religioſi, nec mulieres excommunicationem incurrunt. diſp. 7. ſec. 11. nu. 51. 275.

Clauſuram virorum ſi mulieres ingrediantur, vel viri clauſuram Monialium in caſibus, iure permiſsis, completo negotio, non tenentur mox egredi, ſed poſſunt ex curioſitate omnes Monaſterij officinas videre. diſp. 8. ſec. 11. nu. 52. fol. eod.

Clemens.

Clemens Papa VIII. videns Romæ quendam cadere ex fabrica Diui Petri illum ſub conditione abſoluit (ſi es capax, &c.) diſp. 3. ſec. 1. nu. 112. 77.

Clericus.

Clericis nunquam eſt licitum Sacramentum Euchariſtiæ per ſe ſumere, & cæteris adminiſtrare. diſp. 5. §. 2. ſec. 1. nu. 1. 532.

Sed quid in extrema neceſsitate, & tempore peſtis. ſec. 2. nu. 1. 533.

Clericis nunquam licitum eſt defendere armis, nè confugientes ad Eccleſiam per Iudicem ſecularem violenter extrahantur, & quare. diſp. 3. ſec. 3. nu. 25. 92.

Clericos tres qui vno impetu, aut ictu percutit, triplicem contrahit excommunicationem. diſp. 3. ſec. 5. nu. 12. 120.

Quid ſi percutiat vnum Clericum vno ictu, ſed ferro tripiciti. nu. 14. fol. eod.

Vel ſi tres ictus vno impetu Clerico inferat. nu. 36. 123.

Clericum occidens, putans occidere laicum, excuſatur à malitia ſacrilegij. diſp. 3. ſec. 3. nu. 5. 87.

An teneatur hanc erroris circumſtantiam in confeſsione aperire. nu. 59. 102.

Clericus prima tonſura tantum initiatus, poteſt à cenſuris abſoluere in articulo mortis, & indulgentiam applicare. diſp. 10. ſec. 46. nu. 4. 393.

Clericus ſimplex maximè iuriſdictionem habens, puta ſi ſit Vicarius, ſecundum probabiliorem opinionem non poteſt ab excommunicatione, & à peccatis abſoluere, in articulo mortis, quamuis opinio affirmatiua non ſit improbabilis. diſp. 8. ſec. 1. nu. 5. in fin. 200.

Cognitio.

Cognitio cauſarum ciuilium, & criminalium in Eccleſia interdicitur Iudicibus ſæcularibus ſub pœna excommunicationis, & eſt circumſtantia in confeſsione explicanda diſp. 3. ſec. 3. nu. 26. 92.

Quid autem ſi ſit cauſa Eccleſiaſtica. d. nu. 26. 93.

Communicans, communicare, & communio.

Communicans indignè ſcienter, & in peccato mortali, an adimpleat præceptum communionis in Paſcha. diſp. 3. §. 2. ſec. 5. num. 1. & 2. 513.

An ſatisfaciat præcepto annuæ confeſſionis, qui ſcienter indignè confitetur. nu. 3. 514.

Communicans in pane fermentato, an faciat cõtra reuerentiam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ, & ſatisfaciat præcepto communicandi in Paſcha. diſp. 2. §. 2. ſec. 13. num. 1. & 2. 491. vid. in verb. Græci, & in verb. Latini.

Communicans minimè in Paſcha, an teneatur communicare poſt Paſcha. diſp. 3. §. 2. ſec. 3. nu. 1. & 2. 512.

Quid ſi ex impotentia præceptum hoc non impleuerit. nu. 3. fol. eod.

Communicans pluries in anno, an communicare teneatur in Paſcha. diſp. 3. §. 2. ſec. 1. n. 1. & 2. 511. & ſec. 3. nu. 4. 512.

Quid ſi hoc præceptum impleuerit infra octo dies præcedentes, vel ſubſequentes diem Paſchatis. d. ſec. 3. nu. 5. 512.

Communicare extra ſacrificium Miſſæ ſub vtraq; ſpecie, an ſit contra reuerentiam Sacramenti. diſp. 2. §. 2. ſec. 6. nu. 1. 480.

Communicare fideles omnes ſub vtraq; ſpecie non eſt prohibitum Iure Diuino, neque naturali. ibid. num. 3. fol. eod. vid. in verb. Communio.

Communicare in ſpecie panis confecti ex farina Triticea, & aqua Roſacea, an ſit contra reuerentiam Euchariſtiæ Sacramenti. diſp. 2. §. 2. ſec. 12. nu. 1. 495. & nu. 2. 496.

Communicare in magna, vel minima ſpecierum quantitate panis, vel vini, an ſit contra reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ. diſp. 2. §. 2. ſec. 16. nu. 1. & 2. in fin. 504.

Cõmunicare in Paſcha, an teneatur impotens, & cum periculo propriæ vitæ. diſp. 1. §. 2. ſec. 2. nu. 21. cum ſeq. 462.

Communicare Laicos, & Clericos non celebrantes ſub vtraq; ſpecie, vel ſub ſpecie vini tantum, eſt contra reuerentiam Sacramenti. diſp.

diſp.2.§.2.ſec.6.nu.17. 483.
Quid dicendum ſtante priuilegio, vt poſſit quis communicare ſub vtraque ſpecie. n.19. fol. eod.
Vel ſi adeſſet conſuetudo, aut concurreret vrgentiſſima neceſſitas ex parte Sacramenti. nu.20. cum ſeq. fol. eod. & nu.22. 484.
Communicare mane ante lucem, vel poſt meridiem citra neceſſitatem, an ſit contra reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ. diſp.2.§.2. ſec.5.nu.1. & 3. 478.
Communicare non ieiuno an licitum ſit, vrgente neceſſitate ſumendi Sacramentum, ne irreuereuter tractetur ab hoſtibus, vel infidelibus. diſp.2.§.2. ſec.1.nu.22. 467. Et vid. verb. Ieiuuus.
Communicare poteſt fidelis in qualibet hora diei, ſeruato tamen Ieiunio, ac ſecluſo ſcandalo. diſp.2 §.2.ſec.4.nu.4. 476.
Communicare an poſſit per modum Viatici, qui poſt ſumptam mane ex deuotione Euchariſtiam, conſtituitur deindè ex inopinato caſu in articulo mortis. diſp.2. §. 2. ſec. 4. nu. 12. 477.
Communicare pluries in die an ſit cōtra reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ. d. ſec. 4. nu.1. 475.
Et an id prohibitum ſit Iure Diuino. n.2. 476.
An id ſit licitum ad impediendam irreuerentiam, imminentem Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. nu.11. 477.
Communicare quotidiè vtilius eſt, quam non communicare. diſp.2.§.2. ſec.3.nu.5. 473.
Communicare ſæpè ſæpius in anno, qui nam teneantur. diſp.1.§.2.ſec.2.nu.17. 462.
Communio quo tempore fuerit ab Eccleſia præcepta. Vid. in verb. Fideles.
Communio ſacra denegari num poſſit ſuſcepto de crimine. diſp.4.§.2. ſec.11.nu.2. 546.
Qui nam repellendi ſint à ſacra communione. ſec.10. nu.10. 544. Et vid. in verb. Peccator ſi ſit publicus.
Communio ſub vtraq; ſpecie eſt de eſſentia, vel ſaltem de integritate ſacrificij Miſſæ. diſp.4.§.2.ſec.2. nu. 6. in fin. 517.
Communio ſub vtraq; ſpecie facta a Laicis, vel Clericis Iure naturali, vel diuino non eſt prohibita, ſed licita. diſp.2.§.2 ſec.6.n.4.481.
Num ſit prohibita Iure naturali, & Diuino cōmunio in ſpecie vini tantum. n.5. fol. eod.
Et quid in Sacerdote celebrante. n.6. fol. eod.
An Eccleſia poſſit præcipere communionem ſub vtraq; ſpecie. nu.7. fol. eod.
Communio ſub vtraq; ſpecie fuit ab Eccleſia prohibita pro rerum, locorum, & temporum varietate etiam pro Laicis, & Clericis non celebrantibus. d.ſec.6 nu.9. 482.
Et aliquando ſub ſpecie tantum vini, & aliquando ſub ſpecie tantum panis. d. num. 9. cum trib. ſequent.
Communionem anticipare an teneatur præuidens, non poſſe communicari tempore paſchali. diſp.3.§.2.ſec.4. nu.1. & 2. 513.
Communionem differre ad aliquod tempus per eum, qui lethalem culpam contraxit, etiam ſi contritus, & confeſſus ſit, an pertineat ad reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ. diſp.2. §.2. ſec.10. nu.1. & 2. 494.
Communionem in Paſcha poteſt quis omittere de conſilio Confeſſarij. diſp. 1. §. 2. ſec. 2. nu. 20. 462.
Cætera vid. in verb. Præceptum, & in verb. Sanctiſſimum.

Concilium.

Concilium Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. vbi præcipitur Superioribus, vt Sanctimoniales moneant ad confitendum ſingulis menſibus, num comprehendat Monachos. diſp. 1. ſec. 4. nu. 24. 24.

Concubitus.

Concubitus Mulierum ordine præpoſtero. Vid. in verb. Circumſtantiæ Mollitiei.

Conditio.

Conditio aut eſt de futuro, & dicitur propria conditio: aut de præſenti, vel de præterito, & dicitur conditio impropria. diſp.12.ſec.9. nu. 1. 451.
Conditiones quot, & quas confeſsio ſacramentalis requirat. diſp.2. ſec. 8. num. 8. cum duob. ſeq. 49.
Simpliciter neceſſariæ ad confeſsionem ſacramentalem duæ exiguntur. n.13. fol. eod.

Confeſſarius.

Confeſſarii copiam, quando quis cenſeatur non habere. diſp.2.§.2.ſec.7. nu.16. 488.
Confeſſarij deputati ad audiendam confeſsionem fratrum noſtræ Congregationis, facultatem eandem habent, quam habent Viſitatores abſoluendi ſcilicet etiam extra tempus viſitationis à caſibus, quibuſcunq; & cenſuris etiam Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis caſibus Bullæ Cœnæ, & Superioribus reſeruatis iuxta formam Decreti Clem. VIII. diſp. 8.ſec.2. nu.22. 206.
An poſsit abſoluere Nouitios à caſibus reſeruatis. d nu. 22. in med.
Confeſſarij, deputati à Regularibus, abſoluere poſſunt ſubditos deputantium regulares ab omnibus caſibus, per Regulares ipſos reſeruatos. diſp.8.ſec.11. nu.19. 270.
An poſsint delegare alijs nudum miniſteriū. nu.22. fol. eod.
Confeſſarij plures ſi vnum audiant pœnitentem, quamuis vnus deindè abſoluat, omnes tenentur ad ſigillum. diſp.4.ſec.1.nu.9. 142.
An poſsint ſimul abſolutionem impendere ſub hac forma: Nos te abſoluimus. num.12. fol. eod.

Con-

INDEX.

Confeſſarij, qui priuilegiati non ſunt, abſoluere non poſſunt a crimine abortus citrà Ordinarij delegationem. diſp.8.ſec.11.n.87.280.
Vid. in verb. Abortus.

Confeſſarij quos ſibi eligunt Archiepiſcopi, poſſunt illos abſoluere tempore Viſitationis, & cum eiſdem diſpenſare ab omnibus caſibus, & irregularitatibus, à quibus abſoluere poſſunt Epiſcopos. diſp.8.ſec.6. nu.17.233.

Confeſſarius abſoluere an poſsit à caſibus Bullę Cœnæ, ſi per Iubilæum concedatur ſibi facultas abſoluendi ab omnibus caſibus, & cenſuris, Papæ reſeruatis. diſp. 10. ſec. 64. nu.1.408. & nu.2.409.

Confeſſarium ſibi eligendi, qui nam de Iure facultatem habeant. diſp.8.ſec.3.nu.27.218.
An hæc facultas competere poſsit ex priuilegio, vel bulla, vel virtute Iubilæi. nu.31. cum ſeq. 219.

Confeſſarius approbatus ab Ordinario cuiuſuis loci ſit, poteſt confeſsiones illorum audire, qui vigore Iubilæi, aut alterius priuilegij facultatem habent eligendi ſibi Confeſſarium. diſp.8.ſec.9. nu. 32. 255.

Confeſſarius approbatus a Rom. Pontifice, non debet ab alio Ordinario examinari, ſed ſatis eſt, ſi licentiam præſentet. diſp.8.ſec.3.n.33. 219. & nu.39. 221.
Quid de alijs Confeſſarijs à Sede Apoſtolica Delegatis, an teneantur petere licentiam à proprio Sacerdote. nu. 35. & 38. 220.

Confeſſarius approbatus tantum limitatè ad certam perſonarum qualitatẽ, vel ad paruũ Oppidum, an eligibilis ſit virtute Iubilæi. diſp.10. ſec.58.nu. 1. & 2. 402.

Confeſſarius approbatus in vna Diœceſi, ſi in aliam domicilium transferat, an extinguatur, vel ſuſpendatur eius approbatio. diſp.8. ſec.9.nu.34.256.

Confeſſarius Capuanus, qui facultatem habet à ſuo Archiepiſcopo, vel à Sum. Pontifice abſoluendi à reſeruatis, an poſſit abſoluere pœnitentem Neapolitanum à reſeruatis in ipſa Diœceſi Neapolitana. diſp. 8. ſec. 16. nu.20. 314.

Confeſſarius caueat, ne pęnitenti incongruas pęnitentias imponat. diſp.9. ſec.5.n.8. 329.

Confeſſarins commutare an poſſit vota. Vid. in verb. Confeſſarius vi Iulilæi, & in verb. Votum.
An commutare poſſit partem voti alternatiui. Vid. in verb. Vouens.

Confeſſarius curare debet, vt ſatisfactionem pęnitenti imponat præſeruatiuam in futurum diſp.9.ſec.2.nu.7. 323.

Confeſſarius differre poteſt abſolutionẽ aſſuetis peccato, per menſem plus, vel minus, prout prudenter ſibi videbitur. diſp.3. ſec. 3. num. 35. in med. 95.

Confeſſarius expedire ſi iudicauerit, poterit confeſſo imponere pęnitentiam, implendam per alium. diſp.9. ſec.6.nu.8. 332.
An valeat ad ſatisfaciendum ex opere operato. nu.9. fol.eod.

Confeſſarius exponens. Vid. in verb. Confeſſarius voluntariè.

Cõfeſſarius explorare an teneatur pęnitentes de propoſito formali non peccandi de cætero, ſi ſint ſimplices, & ideotæ. diſp. 7. ſec. 9. nu. 20. 187.

Confeſſarius ex rationabili cauſa, an poſſit abſolutionem, & ſacram communionẽ differre vltra tempus, in bulla Iubilæi ſtatutum, adeo vt pęnitens poſtea indulgentiam conſequatur. diſp. 10.ſec.31.nu.1. 381.

Confeſſarius ex vi Iubilæi eligibilis, à quonam Epiſcopo debeat eſſe approbatus. diſp. 10. ſec.55.nu.1. cum ſeq, 398. & nu.6. 399.
An ſint eligibiles omnes approbati ab Ordinario. ſec.56. nu.8. 401.

Confeſſarius imponere poteſt pęnitenti ſuſceptionem Sacramenti pęnitentiæ, & Euchariſtiæ bis in hebdomada, vel in menſe, eſtq; maximum remedium contra pollutionem voluntariam. diſp.9. ſec.2.nu.8. 324.
An poſſit imponere aliqua opera in generali nu. 9. fol.eod.

An poſſit imponere paſſiones, & pęnas, quas aliundè pati debet pęnitens, vtpote flagella à Deo immiſſa, infamem mortem, &c. nu.10. fol. eod.
An poſſit imponere opera, debita ex præcepto, vel alio titulo. nu. 11. fol. eod.
Et an illis debeat aliquid addere. n. 12. fol.eo.
An poſſit imponere opera publica. num. 13. fol.eod. & nu. 14. 325.
An denique poſſit imponere opera merè interna. nu. 17. & 18. fol.eod.

Confeſſarius imponere an poſsit publicas pœnitentias. diſp.4. ſec. 2.nu.5. 143.
Quid pro peccatis occultis, quantumuis euormibus. nu. 6. fol.eod.

Confeſſarius inferior pęnitentem habentem reſeruata, & non reſeruata, audita omnium confeſsione, num poſsit abſoluere, cum onere, vt reſeruata tantum Superiori confiteatur. diſp.8.ſec.15.num.10. 306. & nu.11. cum ſeq. 307.
Quid dicendum è contra in Confeſſario Superiori. nu.14.fol.eod. & nu.15. 308.

Confeſſarius interrogare poteſt pęnitentem de omnibus circumſtantijs, notabiliter aggrauantibus. diſp.3.ſec.3.nu.96. 109.

Confeſſarius intra tempus Iubilæi abſoluere poteſt pęnitentem à cenſuris, & caſibus reſeruatis, & differre abſolutionem peccatorum poſt tempus Iubilæi, fortè ob longam pęnitentis confeſsionem, aut temporis angu-

ſtiam, ità vt vigore talis abſolutionis lucratur fructum Iubilæi. diſp.10.ſec.31.n.2.381.
An poſsit deindè pęnitentem abſoluere ſi poſt tempus Iubilæi in nouos caſus reſeruatos inciderit, vel noua vota emiſerit ſec.32. nu.1. fol.eod.
Confeſſarius nimis eſſet rigidus conſcientiarũ cenſor, qui laico vitæ probatiſsimæ quotidianam communionem non permitteret. diſp.2 §.2.ſec.3.nu.6.473.
Confeſſarius peccatum aliquod cõfiteri nequit, ſi propter id alterius reuelet confeſsionem. diſp.3. ſec.8. nu.21. 132.
Confeſſarius poſt auditam pęnitentis cõfeſsionem, tenetur ei imponere mulctam, ſeù ſatiſfactionem pro ſolutione pœnæ, quæ remanet poſt culpam remiſſam. diſp. 9. ſec.4. nu. 1.326.
An, & quando poſsit abſoluere pęnitentem, nulla impoſita pęnitentia. nu.2. fol.eod.
An teneatur condignam imponere pęnitentiam. nu.3.fol.eod. & nu. 4. 327.
An teneatur imponere pęnitẽtiam pro qualitate criminum, & pęnitentium fragilitate. nu. 5. fol. eod.
An debeat in mitiorem partem inclinare, & pęnitentibus condeſcendere. nu.6. fol.eod.
Confeſſarius qui habuit carnaliter rem cum pęnitente, tenetur hanc circumſtantiam in confeſsione aperire.diſp.3.ſec.3.n.105. 111.
Confeſſarius qui non modo impotens eſt ad audiendam integram pęnitentis confeſsionem, ſed ex ſuperuenienti morbo, ita obmuteſcit, vt nequeat loqui, eundem abſoluere non poteſt. diſp.3.ſec.1 nu. 115.78.
Confeſſarius Regularis, vid.in verb. Regularis.
Confeſſarius ſi conſideratis omnibus circumſtantijs dubitet de pueri capacitate; debet eum abſoluere ſub conditione, ſaltem animo retenta. Et quid ſi reperiatur in articulo mortis. diſp.3.ſec.1. nu.81.69.
Confeſſarius ſi dubius ſit de ſua iuriſdictione, non debet pęnitentiæ Sacramentum adminiſtrare. diſp 8.ſec.9.nu.18. in fin. 252.
Et quid ſi neceſsitas vrgeat. nu.19.fol.eod.
Confeſſarius ſi in confuſo ſaltem recordetur ſtatus pęnitentis, id ſatis eſt ad abſolutionem impendendam. diſp.3.ſec.1. nu.73. 68.
Confeſſarius ſi ob ſurditatem, animiq; diſtractionem, vel ex alio accidenti peccata mortalia non intellexerit, quæ pœnitens bona fide illi aperuit, exiſtimans intelligi, & abſolutionem impendat, validum, & fructuoſum erit Sacramentum. diſp.3. ſec.1. num. 67. in med. 67.
Confeſſarius ſi ſciat innocentiam pœnitentis ex eius confeſsione ſacramentali, non poteſt citra expreſſam illius licentiam eam reuelare, quamuis ſciat pœnitentem ipſum iam carceratum, & ad mortem condemnatum, fore à mortis ſupplicio ex tali reuelatione liberandum. diſp.3.ſec.11. nu.3. 139.
Confeſſarius vi Bullæ Cruciatæ commutare poteſt omnia vota, quæ poteſt Epiſcopus. diſp.10.ſec.90.nu.3. 417.
Confeſſarius vi Iubilæi commutare an poſſit vota facta in fauorem tertij. diſp.10.ſec. 106. nu. 1.432.
Confeſſarius vi Iubilæi concedentis facultatem commutandi omnia vota, caſtitatis, ac religionis exceptis, an commutare poſſit Votum religionis, vt ex cauſa non impleatur tempore præſcripto. diſ. 10.ſec.82.n.1. & 2.423.
An poſſit ex cauſa votum commutare ingrediendi ſtrictiorem religionem, vt in laxiorem poſſit ingredi. nu.3. fol.eod.
An poſſit votum adeundi ad Sanctum Sepulcrum mendicando, commutare, vt poſsit neceſſaria ſecum adducere. nu.4. fol. eod. & ſec.96.nu.2. 428.
Confeſſarius vi Iubilæi commutare an poſsit votum vouendi caſtitatem, vel religionem. diſp. 10.ſec.83.nu.1. 424.
Si ſint emiſſa à perſona, Iuri alieno ſubiecta, puta à filio, coniuge, vel ſeruo citra licentiam Patris, Mariti, vel Domini, num poſsint per Confeſſarium commutari. ſec.84. nu. 1. & 2. fol. eod.
Confeſſarius vi Iubilæi commutare an poſsit votum pęnale caſtitatis, vel religionis. diſp. 10.ſec.85.nu.3. fol.eod. & nu.5. & 8. 425.
Et quid ſi hoc votum pęnale. num. 1. & 2. fol.eod.
Et in quo differat à voto conditionali. d. nu. 1. & 2.
An commutare poſsit vota conditionalia caſtitatis. nu. 7. fol. eod.
Confeſſarius vi Iubilæi concedentis facultatem commutandi omnia, & quæcunq; vota, exceptis votis caſtitatis, & religionis, an commutare poſsit votum Virginitatis. diſp. 10. ſec.97.nu. 1. & 2. 428.
Et quid ſi expreſsè quis voluerit obligare ſe ad caſtitatem. nu.3.fol.eod.
Confeſſarius vi Iubilæi excipientis votum caſtitatis, ac religionis, commutare an poſsit votum non nubendi, vel ſuper eo diſpenſare. diſp.10.ſec.84.nu.1. & 2. 425.
An poſsit commutare votum caſtitatis, vel religionis, emiſſum pro tempore limitato ſec.87. nu. 1. 426.
An commutare poſsit votum coniugum non petendi debitum. ſec.88.n. 1. & 2. fol. eod.
An commutare poſsit votum nõ fornicandi, vel non tenendæ certæ mulieris, aut nõ committendi mollitiem, vel abſtinendi ab alio actu venereo. ſec.89.nu. 1. & 2. fol.eod.
An commutare poſsit votum aſſumẽdi ordinem

nes ſacros, vel ſuper eo diſpenſare. ſec. 90. nu. 1. & 2. fol. eod. & ſec. 91. nu. 1. 427.

An poſsit commutare votum caſtitatis coniugalis, & ſuper eo diſpenſare. ſec. 92. nu. 1. 427.

An commutare poſsit votum caſtitatis vxoris, vel viri, emiſſum tempore matrimonij conſummati. ſec. 93. nu. 1. fol. eod.

Et quid ſi emiſſum fuèrit cum reciproco cõſenſu. nu. 2. fol. eod.

Et quid ſi fuerit emiſſum cum licentia alterius coniugis. ſec. 95. nu. 1. 428.

Si coniuges de communi conſenſu remittant ſibi ad inuicem renunciationem iuris petendi, vel reddendi debitum, quam vouendo fecerunt, an ſit valida, vel ſacrilega talis renunciatio. nu. 3. fol. eod.

Confeſſarius vi Iubilæi excipientis votum caſtitatis, vel religionis, commutare an poſsit huiuſmodi vota, emiſſa cum expreſſa proteſtatione, ne vouens ad eius executionem teneatur, niſi ſub culpa veniali, diſp. 10. ſec. 94. nu. 1. 428.

Confeſſarius vi Iubilæi excipientis votum peregrinationis ad Sanctum Sepulcrum, commutare an poſsit qualitatem huic voto adiunctam. diſp. 10. ſec. 96. nu. 2. fol. eod.

Confeſſarius vi Iubilæi excipientis vota caſtitatis, & religionis an commutare poſsit votum eius, qui vouit dare mille tali loco pio, reſeruans illud, vt commutari non poſsit, nec in eo diſpenſari, niſi à Summo Pontifice, ac ſi religionem, vel caſtitatem vouiſſet. diſp. 10. ſec. 98. nu. 1. 429.

An vi talis Iubilæi commutare poſsit votum de non petenda commutatione, nec ſuper idem diſpenſare. ſec. 99. nn. 1. fol. eod.

Confeſſarius vi Iubilæi excipientis votum caſtitatis, vel religionis, an poſsit adſtrictum tali voto, & qui ad nuptias tranſiuit habilitare ad petendum debitum per commutationem, vel diſpenſationem. diſp. 10. ſec. 100. nu. 1. 2. & 3. 429.

Confeſſarius vi Iubilæi facultatem habens commutandi omnia vota, an poſsit commutare, & diſpenſare in votis religionis, caſtitatis, peregrinationis ad Hieruſalem, ad limina Apoſtolorum, ac Diui Iacobi Galitiæ ſi hæc vota ſpecialiter per Iubilæum non excipiantur. diſp. 10. ſec. 104. nu. 1. & 2. 431.

Quid ſi Sum. Pontifex generalem daret facultatem commutandi vota reſeruata, vel in votis reſeruatis diſpenſandi. nu. 3. fol. eod.

Confeſſarius virtute Iubilæi facultatem concedentis commutandi vota, & in eis diſpenſandi, an commutare poſsit iuramenta illicita, vel metu iniuſtè extorta. diſp. 10. ſec. 105. nu. 1. & 2. 432.

Confeſſarius virtute Iubilæi facultatem habens commutandi vota, non poteſt ſuper illis diſpenſare. diſp. 10. ſec. 107. nu. 1. 433.

Confeſſarius virtute Iubilæi facultatem habens commutandi vota, an poſsit ea citra omnem cauſam commutare. diſp. 10. ſec. 108. nu. 1. & 2. fol. eod.

An vi Iubilæi commutare poſsit votum in minus bonum. 109. nu. 2. & 3. fol. eod.

An peccet ſi citra rationabilem cauſam non vult vi Iubilæi vota commutare pęnitenti. ſec. 110. nu. 1. 434.

Quid dicendum in Regularibus, qui virtute ſuorum priuilegiorum nolunt vota commutare pęnitentibus. nu. 2. fol. eod.

An peccet mortaliter Confeſſarius, qui votum commutat citra debitam æqualitatis inueſtigationem. ſec. 111. nu. 1. fol. eod.

Vt Confeſſarius valeat commutare votum in æquale bonum, an indigeat Iubilæi priuilegio, vel alterius bullæ, vel potius id poſsit ſola Ordinaria Iuriſdictione. ſec. 112. nu. 1. & 2. fol. eod.

Confeſſarius virtute Iubilæi reſeruantis diſpenſationem, & commutationem votorum Religionis, an commutare poſsit votum Religionis Melitenſis. diſp. 10. ſec. 79. num. 1. & 2. 422.

An commutare poſsit votum Religionis Diui Iacobi, Calatrauæ, vel Alcantaræ. ſec. 80. nu. 1. & 2. fol. eod.

An commutare poſsit votum perſeuerandi in Religione, vel in eo diſpenſare. ſec. 81. nu. 1. & 2. 423.

Confeſſarius voluntariè exponens ſe ad confeſsiones audiendas, & ſit expertus, vt plurimum pollutionem pati, licet inuoluntariam, an teneatur ſe ab hoc munere abſtinere diſp. 8. ſec. 11. nu. 152. 291.

Confeſſarius vti an poſsit notitia confeſsionis de licentia pęnitentis ad corrigendum complicem, vel in bonum aliorum. diſp. 3. ſec. 9. nu. 1. & 4. 135. & nu. 13. 137.

Vti non poteſt notitia confeſsionis citra iniuriam Sacramenti, & citra magnum ſacrilegium. nu. 2. fol. eod.

An teneatur aliquando ea vti, & pęnitens teneatur illã Confeſſario concedere. n. 9. 136.

Satis eſt ſi licentiam obtineat extra cõfeſsionem. nu. 10. fol. eod.

An poſsit illa vti non ſolum ad emendationem complicis, ſed etiam ad vtilitatem ipſius pęnitentis. nu. 11. fol. eod.

Quot circũſtantiæ requirantur, vt Confeſſarius vti poſsit notitia confeſsionis. n. 12. 137.

Confeſſarius vti an poſsit notitia confeſsionis citra expreſſam licentiam pęnitentis ad bonum, & emendationem complicis, vel ad impediendum aliquod damnum ipſi complici. diſp. 3. ſec. 11. nu. 1. & 2. 139.

Confeſsio.

Confeſsio actualis ad indulgentiam conſequendam expoſtulari poteſt à concedente, vt conditio neceſſaria. diſp. 10 ſec. 18. nu. 3. 373.

Confeſsio, contritio, & ſatisfactio an ſint partes eſſentiales, vel integrales Sacramenti pœnitentiæ. diſp 2. ſec. 7. nu. 5. 48.

Confeſsio debet eſſe humilis in actu exteriori. diſp. 2. ſec. 8. nu. 31. 52.

Confeſsio eorum, qui animum peccandi non depoſuerunt, an ſit recipienda. diſp. 2. ſec. 1. nu. 3. in fin. 36. & nu. 22. 38.

Confeſsio, & pœnitentia publica in multis differunt à ſecreta, & auriculari. diſp. 1. ſec. 1. nu. 10. 5.

Confeſsio facta laico in articulo, vel periculo mortis, licet nõ ſit materia Sacramenti pœnitentiæ, eſt tamen valdè utilis: eſtq; de cõſilio, non de præcepto. diſp. 8. ſec. 1. nu. 9. 201.

Confeſsio fieri debet fideliter, libens, ac de proprijs peccatis. diſp. 2. ſec. 8. nu. 24. & 28. 51. & nu. 29. cum ſeq. 52.
Vid. in uerb. Confeſsio ſacramentalis.

Cõfeſsio fieri debet proprio Sacerdoti, & debet eſſe integra, & fidelis. diſp. 8. in princip. nu. 1. 198.

Confeſsio debet fieri nutibus quando aliter fieri nequit. diſp. 4. ſec. 3. nu. 16. 145.

Confeſsio fieri debet ſcripto coram Sacerdote, ſi pœnitens aliter nõ poſsit ſua peccata ſufficienter manifeſtare. diſp. 4. ſec. 4. n. 5. 149. Et quid extra mortis articulum. nu. 7. fol. eod.

Confeſsio multis modis inualida redditur. Et quomodo inualida fiat ex parte Confeſſarij. diſp. 3. ſec. 1. nu. 64. cum ſeq. 66. & nu. 68. fol. 67. & nu. 69. & 70. fol. 68.
Quomodo fiat inualida ex parte pœnitentis. nu. 75. fol. eod. & nu. 77. 69. & nu. 83. cum ſeq. fol. 70.

Confeſſio publica abrogata fuit in Eccleſia Conſtantinopolitana per Nectarium eiuſdẽ Epiſcopum, cui adhæſit Chriſoſtomus: diſp. 1. ſec. 1. nu. 8. & 9. fol. 5.
Quare fuit ab Eccleſia introducta confeſſio, & pœnitentia publica, & quo tempore exoleuit. nu. 11. fol. eod.

Confeſſio quid ſit. diſp. 2. ſec. 8. nu. 12. in fin. 49. & nu. 25. 51.

Confeſſio ſacramentalis dupliciter fieri poteſt fideliter, & dupliciter infideliter. diſp. 6. nu. 1. 160.

Confeſſio ſacramẽtalis an inſtituta fuerit, præceptauè Iure Diuino, vel ſolum Iure humano ex traditione Eccleſiæ. diſp. 1. ſec. 1. nu. 1. 3. & nu. 2. fol. 4.
Per ſe ſumpta, ſecluſo Eccleſiæ præcepto eſt de Iure Diuino, à Chriſto Domino inſtituta, & etiam præcepta. Eſt de fide contra nonnullos hæreticos. n. 3. fol. 4. & n. 12. fol. 5. Idq; latè probant ſexdecim Patres. n. 5. fol. 4.
Non fuit in lege naturæ, aut ſcripta, ſed ſolum in lege Euangelij poſt Chriſti Reſurrectionem. nu. 16. cum pluribus ſeq. fol. 6.
Falluntur, qui docent fuiſſe inſtitutam in Paradiſo Terreſtri, cum Deus vocauit Adam. nu. 18. fol. eod.
Non tamen inſtituta fuit, vt mediũ neceſſarium abſolutè. nu. 23. fol. 7.
Si à Deo inſtituta non fuiſſet, nec præcepta, ab Eccleſia præcipi potuiſſet. nu. 70. 12.

Confeſſio ſacramentalis præmittenda non eſt neceſſario per conſtitutum in lethali culpa ad cætera Sacramenta ſuſcipienda. diſp. 1. ſec. 1. nu. 61. 11.

Confeſsio ſacramentalis quoad Eccleſiæ determinationem non eſt de conſilio, ſed de præcepto. diſp. 1. nu. 76. 12.

Confeſsio ſacramentalis ſi citra iuſtam, ac rationabilem cauſam fiat publicè, pœnitens mortaliter peccat, & quare. diſp. 4. ſec. 1. nu. 10. 142.

Confeſsio ſacramentalis ſit ne facienda ore proprio, vel fieri poſsit ore alieno, nempè per interpretem, nuncium, vel per Epiſtolam, aut nutu. diſp. 4. ſec. 3. num. 144. & nu. 2. 145.
An neceſſe ſit, vt fiat propria voce humana. nu. 3. fol. eod.

Confeſsio ſacramentalis ſi tolleretur, tolleretur vtiq; peccandi verecundia, & innumera ſcelera homines committerent. diſp. 1. ſec. 1. nu. 45. fol. 9.
An confeſsio ſacramentalis tolli poſsit per Summum Pontificem. nu. 64. fol. 11.

Confeſsio ſacramentalis, vt publicè fiat, num per præceptum ſtatui poſsit. diſp. 4. ſec. 2. nu. 1. & 3. 143. & nu. 7. 144.
Ex qua cauſa vrgere poſsit Confeſſarius pœnitentem ad publicam pœnitentiam agendam. nu. 4. fol. eod.

Confeſsio ſacramẽtalis ſexdecim expoſcit conditiones, & quas. diſp. 2. ſec. 7. nu. 6. 48. & nu. 26. 51.
Sed quatuor tantum ad validitatem confeſsionis. nu. 7. 49. Vid. in verb. Conditiones.

Confeſsio ſemel in anno qualis eſſe debeat, & quot requirat conditiones. diſp. 2. ſec. 7. nu. 1. 47. & nu. 6. 48.

Confeſsio ſi expoſtuletur ex forma indulgentiæ & quis habeat tantum venialia, an teneatur illa confiteri ad lucrandam indulgentiam. diſp. 10. ſec. 17. nu. 1. cum ſeq. 371.

Confeſsio ſi ex vi formæ indulgentiæ expoſtuletur tanquam conditio neceſſaria ad eam lucrandam, ſi nulla fiat, vel talis, quæ non ſufficiat ad veram cõfeſsionem, nec obtinebitur indulgẽtia, nec fauores, qui cum Indulgentia conceduntur. diſp. 10. ſec. 41. n. 5. 389.

Quod

Quod ſecus eſt ſi fiat informis. nu.6.fol.eod.
Confeſsio ſi præcipiatur, vt diſpoſitio ad gratiam tantum, etiò quod indulgentiam, quis non aſſequatur ob defectum gratiæ, remanet tamen abſolutus, & diſpenſatus à reſeruatis. nu. 4. fol. eod.
Confeſsio valida, & informis an dari poſsit, & per eam impleatur præceptum annuæ confeſsionis. diſp.2. ſec. 2. per totam. Et ſec. 3. per totam. 39.
Quæ nam dicatur hæc confeſsio valida, ſed informis. ſec.4.nu.1. & 4. 41. nu. 6. 8. & 9. 42.n.10. 43.n.13. & 14. 43. Et ſec.6.n.2.45. In quibus caſibus hæc confeſsio locum habeat. nu. 11. verſ. Septima ſententia. 43.
Si quis cum probabili ignorantia, & modo accedat ad confeſsionem putans habere ſupernaturalem motiuum, cum re vera non habeat, niſi tantum dolorem naturalem, probabile eſt fieri confeſsionem validam, ſed informem. nu.12. fol.eod.
Confeſsio venialium poteſt præcipi ab Eccleſia ſaltem quoad exercitium actus, non autem quoad ſpecificationem. diſp.1.ſec.9.nu.38. 35. & diſp.3.ſec.1. nu.41. cum ſeq. 60.
Confeſsionem annuam anticipare in quibus caſibus quis teneatur. diſp.5.ſec.7.nu.9. 159. Et vid. in verb. Fidelis.
An teneatur anticipare dubitans de obliuione peccatorum. nu. 10. 160.
Confeſsionem auricularem, & ſecretam Lutherus, & Caluinus irridebant. diſp.4.ſec.1. nu 1. 140.
An ſit de eſſentia confeſsionis ſacramentalis, vt fiat ſecretò. num. 2. fol. eod. Et vid. in verb. Modus.
Quæ, & quotuplex ſit cauſa faciendi confeſsionem publicè. nu. 8. 141. & nu. 9. in fin. 142.
Confeſsionem nullam, qui fecerit in articulo mortis, vel ad ſumendum dignè Euchariſtiæ Sacramentum, ſi deindè conualuerit, vel Sacramentum ſumpſerit, & fuerit elapſum tempus paſchale, licet teneatur implere præceptum annuæ confeſsionis, non tamen tenetur implere præceptum Diuinum validè confitendo, niſi denuò velit communicare. diſp.2 ſec.1.nu.8. 37.
Confeſsionem præſentis anni differens ad principium anni ſequentis, an poſsit vna confeſsione vtriuſq; præcepto ſatisfacere. diſp. 5.ſec.5. nu.1. & 2. 156.
Quid ſi confeſsionem præſentis anni inculpabiliter diſtulerit. nu.5. fol. eod.
Quid ſi poſt confeſsionem in principio anni ſequentis inciderit in lethalem culpam. nu.6. fol. eod.
An teneatur ad aliam confeſsionem pro adimplendo præcepto communionis in Paſcha. num. 8. fol. eod.
Confeſsionem qui diſtulit vſque ad diem Paſchatis, an dicatur ſatisfeciſſe per ſe præcepto annuæ confeſsionis. diſp. 5. ſec. 3. nu. 1. & 2. 155.
Confeſsiones multorum vno, eodemque tempore audiens in peccato mortali, an vnum, vel plura peccata committat. Vid. in verb. Euchariſtiæ Sacramentum.
Confeſsionis ſacramentalis duplex datur integritas. diſp.3. ſec. 1.nu.1. 55.

Confeſſus.

Confeſſus Confeſſario carenti iuriſdictione bona fide, & ignorans defectum iuriſdictionis, an & quando dicatur nulliter confeſſus. diſp.2.ſec.1. nu. 10. 37.
Confeſſus mortalia infra annum, ſi tempore Quadrageſimæ habeat conſcientiam peccati mortalis, an teneatur iterum confiteri pro illo anno. diſp.5. ſec.1. nu.7. & 10. 152.

Confiteri.

Confiteri hodie quilibet poteſt tàm Regularibus, quàm ſecularibus approbatis tamen, etiam extra Eccleſiam, & citra licentiam proprij Sacerdotis. diſp.8.ſec.5. nu.8. 229.
Confiteri nutibus non eſt contra eſſentiam Sacramenti pœnitentiæ. diſp.4.ſec.3.n.4. 145.
Quid ſi valeat quis verbis confiteri. n.7.146.
An teneatur confiteri nutibus, qui ſic poteſt ſua peccata manifeſtare. diſp. 1. ſec.9. num. 19. 33.
Confiteri per interpretem etiam fidelem nemo tenetur ex vi præcepti. d. ſec. 9. nu. 9. 31. & nu. 10. 32.
An teneatur ex præcepto naturali charitatis confiteri per interpretem aliqua peccata venialia, & generaliter omnia peccata mortalia. n. 12. fol.eod.
Confiteri per interpretem, & etiam publicè, quis tenetur ſi conſtitutus in articulo mortis, viderit ſe non habere contritionem, vel ſaltem dubitet, etiam ſi ſe attritum cognoſcat. diſp.1.ſec 9.nu.13. 32.
Et quid ſe cognoſcat contritum. n. 14. fol. eo.
Confiteri per interpretem an ſit contra rationem ſacramentalis confeſſionis. diſp.4.ſec.3. nu.14. 147. & nu. 17. cum ſeq. 148.
An quis teneatur confiteri per interpretem, vel ſcriptura, cum aliter confiteri nequeat. ſec.4. num.1. 148. & num.2.3. & 8. 149. & nu. 9. 150.
Si poſſit nutu, vel ſigno ſua peccata Confeſſario manifeſtare, tenetur vnum peccatum veniale confiteri in ſpecie, & generaliter accuſare, ſe peccaſſe mortaliter. d.nu.8.
Confiteri qui non poteſt, niſi per ſcripturam præſente Confeſſario, an teneatur ex vi præcepti ad annuam confeſſionem. diſp.1.ſec.9. nu.16. cum ſeq. 32.

An

Digitized by Google

An teneatur confiteri per ſcripturam manibus tenendam, qui probabiliter timet, à Confeſſario fore ſibi è manibus rapiendam. nu. 19. 33.

Confiteri qui tenetur ratione ſtatuti generalis, vel particularis, ſi mortalia non habeat, an ſatisfaciat, confitendo generaliter venialia, dicendo tantum ſe peccatorem eſſe. diſp. 1. ſec. 9. nu. 31. 34.

Confiteri ſcriptura an ſit contra reuerentiam Sacramenti pœnitentiæ. diſp. 4. ſec. 3. nu. 8. 146. & nu. 12. 147.

An ſit contra rationem huius Sacramenti tradere Cõfeſſario præſenti peccata ſcripta, exhibendo ſigna contritionis, ac petendo ab eo pœnitentiam, & abſolutionem. nu. 9. 146.

In quibus caſibus teneatur qnis confiteri per ſcripturam. nu. 10. fol. eod.

An poſsit quis confiteri per ſcripturam Sacerdoti abſenti mittendam. nu. 11. fol. eod.

Confiteri ſcripto quis non tenetur vbi nutibus poteſt ſuà peccata dicere Confeſſario. diſp. 4. ſec. 4. nu. 4. 149.

Confiteri venialia Confeſſario Ordinario, & mortalia extraordinario, an, & quando ſit lethalis culpa. diſp. 6. ſec. 3. nu. 1. & 2. 165.

Conſcientia.

Conſcientia erronea, vel eſt vincibilis, vel inuincibilis. diſp. 3. ſec. 3 nu. 32. 94.

Conſcientiam habens lethalis culpæ, & communicans inculpabiliter, nulla præuia confeſſione, nulla lege dinina tenetur quamprimum confiteri, ſed ſatis eſt ſi debito tempore confiteatur. diſp. 2. §. 2. ſec. 9. nu. 1. 492.

Quid ſi omiſerit confeſſionem culpabiliter. nu. 2. 493.

An neceſſarium ſit propoſitum ſpeciale confitendi quamprimum. nu. 3. fol. eod.

Eſt ſolum præceptum Eccleſiaſticum, hoc caſu confiteri quamprimum, obligans tantum Sacerdotes. nu. 6. & 7. fol. eod.

Conſcientiam habens peccati mortalis accedere non poteſt ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, niſi præmiſſa ſacramentali confeſſione, nec ſatis eſt eſſe contritum, & multo minus attritum. diſp. 2. §. 2. ſec. 7. nu. 10. 486.

Conſcientiam habens peccati mortalis, ſi neceſſitas vrgeat communicandi, & careat Confeſſario, an debeat neceſſario conteri ad dignè communicandum, vel ſatis ſit attritio. diſp. 2. §. 2. ſec. 8. nu. 1. & 2. 491.

Conſcientiæ propriæ ad rectam diſcuſſionem quanta ſit diligentia adhibeuda. diſp. 3. ſec. 1. nu. 108. 76.

Conſilium.

Conſilium proprij Sacerdotis conſulèntis, vt à ſanctiſſima communione ad tempus quis abſtineat, an & quando ſequi teneatur. diſp. 5. §. 2. ſec. 8. nu. 2. & 3. 541.

Conſtitutus.

Conſtitutus in articulo, vel periculo mortis tenetur Sacramentum recipere Euchariſtiæ à Sacerdote, peſte laborante. diſp. 5. §. 2. ſec. 7. nu. 8. 541.

Conſuetudo.

Conſuetudo eſt optima legum interpres, & in caſu dubio ad eam eſt recurrendum. diſp. 10. ſec. 63. nu. 5. 407.

Conſuetudo peccandi eſt in confeſsione aperienda, maximè quando pœnitens à Confeſſario interrogetur de illa. diſp. 3. ſec. 3. nu. 35. 95.

Conſuetudo, quæ olim vigebat Hiſpaniæ, ac Luſitaniæ. Vid. in verb. Præceptũ Diuinum.

Conſuetudo quod quis communicare nõ teneatur, ſi præuideat, non poſſe communicare tempore paſchali, ſeruanda non eſt tanquam irrationabilis. diſp. 3. §. 2. ſec. 4. nu. 3. 513.

Quæ nam requirantur ad inducendam conſuetudinem. nu. 4. fol. eod.

Contritio.

Contritio conſiderata in ordine ad confeſsionem faciendam, ſiuè perfecta, ſiuè imperfecta ſit, præexegit ſingnlorum peccatorum diſcuſsionem, ac recogitationem. diſp. 7. ſec. 7. nu. 10. 176.

Contritio conſiderata ſecundum ſe, & ante legem Euangelicam, nihil aliud eſt quam pœnitentiæ virtus. Et quid ſit. diſp. 7. ſec. 3. nu. 1. 168.

Quid ſit obiectum formale huius virtutis. nu. 2 fol. eod.

Vt pœnitentiæ virtus non ſolum eſt pars Iuſtitiæ commutatiuæ, ſed etiam ſpecies Religionis erga Deum. ſec. 4. nu. 11. 169.

Contritio conſiderata vt pars Sacramenti pœnitentiæ, quid ſit. diſp. 7. ſec. 5. nu. 1. 169.

Contritio, & attritio in quo conueniant inter ſe. diſp. 7. ſec. 11. nu. 1. cum ſeq. 195. & n. 3. cum ſeq. 196. & 197.

Et in quo differant. nu. 21. cum ſeq. fol. eod.

Contritio, & attritio ſecundum ſe non ſunt pars Sacramenti, ſed vt relatæ ad confeſsionem. diſp. 2. ſec. 3. nu. 5. 40.

Contritio perfecta, & ſecundum ſe conſiderata in homine non habente conſcientiam peccati mortalis, haud eſt neceſſaria ad obtinendam remiſsionem peccati originalis, & gloriam æternam. diſp. 7. ſec. 10. nu 4. 189.

Contritio perfecta ſecundum ſe conſiderata abſque actuali ſuſceptione Sacramenti, eſt neceſſaria homini, habenti conſcientiam peccati mortalis neceſsitate medij ad iuſtificationem conſequendam. d. ſec. 10. num. 11. 190.

An ſit quoque neceſſaria neceſsitate præcepti. nu. 12. fol. eod.

An

An ſufficiat contritio virtualis homini, non habenti conſcientiam mortalis culpæ. num. 14. 191.
An in lege noua contritio ſit neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij ſimpliciter, vel ex ſuppoſitione. nu. 15. fol. eod.
Contritio quædam dicitur perfecta, & quædam imperfecta, quæ alio nomine Attritio nuncupatur. diſp. 7. ſec. 1. nu. 1. 166.
Quotupliciter conſideretur in ordine ad Sacramentum pœnitentiæ. nu. 3. fol. eod.
A quo verbo Contritio deriuetur. ſec. 2. nu. 1. 167.
Contritio tùm perfecta, tùm imperfecta debet eſſe de omnibus peccatis, in memoriam adductis, & reuocatis. diſp. 7. ſec. 7. nu. 1. 175.
An requirantur ſingulæ contritiones iuxta numerum peccatorum, vel ſatis ſit ſimplex voluntatis motus, omnia peccata reſpiciens. nu. 2. fol. eod.
An requirat Contritio ex parte intellectus recogitationem aliquam de peccatis commiſſis. nu. 4. 176.
An de ratione contritionis requiratur, vt deteſtatio cadat in omnia peccata, dixtinctè recogitata, ſiuè contritio ſit perfecta, ſiuè imperfecta. nu. 5. & 6. fol. eod.
Contritionis quantitas tripliciter conſideratur, & an requirat aliquam intentionem. diſp. 7. ſec. 6. nu. 1. & 2. 173.
An requirat quantitatem extenſiuam, atque adeo temporis durationem. nu. 4. 174. Cætera vid. in verb. Attritio.

Conuerſio.

Conuerſio vnius rei in aliam eſt triplex, & quæ. diſp. 4. §. 2. ſec. 6. nu. 2. 521.

Copula.

Copula carnalis habita in Eccleſia, vel alio loco ſacro, rationem habet ſacrilegij in confeſſione explicandam. Et an, & quando Eccleſia polluat. diſp. 3. ſec. 3. n. 20. cum ſeq. 91.
An explicanda ſit in confeſſione, ſi ſit habita inter coniuges, dicentes ſe non poſſe amplius continere: vel ſi ſit habita in porta. Eccleſiæ à parte exteriori, vel in Monaſterio, aut Cellis Monachorum, aut in Oratorijs priuatis. d. nu. 21. in fin. & nu. 22. fol. eod. & nu. 108. 111.

Corpus.

Corpus Chriſti de potentia Dei abſoluta poteſt localiter moueri. diſp. 4. §. 2. ſec. 10. n. 7. 527.
An ſit vnio effectiua inter Corpus Chriſti, & ſpecies ſacramentales. nu. 8. fol. eod.
An acquirat ſacramentalem præſentiam citra omnem ipſius Corporis mutationem. nu. 9. fol. eod.
Corpus Chriſti prout ſupernaturali modo exiſtit in Sacramento Euchariſtiæ, an videri poſſit ab homine, vel cognoſci ab Angelo. diſp. 4. §. 2. ſec. 11. nu. 6. & 7. 529.
An oculus corporalis, licet groſioſus, actu videat, vel videre poſſit ſaltem per diuinam potentiam modū exiſtendi Corporis Chriſti in Sacramento. nu. 1. & 2. 528.
An intellectus creatus, ſiuè Angelicus, ſiuè anima ſeparata per cognitionem ſupernaturalem poſſit cognoſcere ſupradictum exiſtendi modum.
An oculus creatus, & corporalis poſſit per diuinam potentiam ſuperuaturalem videre ipſum Corpus exiſtens in Sacramento. nu. 5. 13. & 14. 529.
Et vid. in verb. Beatos, in verb. Anima, & in verb. Hoſtia conſecrata.
Corpus, & Sanguis Chriſti, qualiter moueantur in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento. diſp. 4. §. 2. ſec. 10. nu. 4. & 5. 526. & n. 6. 527.

Crimen.

Crimen aliquod committens damnatum in Bulla Cœnæ Domini, excuſetur tamen à cenſura, Papæ reſeruata ob ignorantiam non craſſam, abſolui poterit a quolibet inferiori Confeſſario. diſp. 8. ſec. 11. nu. 5. 267.
Sed quid in peccato hæreſis. Vid. in verb. Hæreſis.
Crimen perſonæ circa quam pęnitens peccauit ſi fuerit publicum in vno loco, an, & quando poſſit in alio illud licitè in confeſsione explicare perſonam manifeſtando. diſp. 3. ſec. 10. nu. 1. & 2. 137. & nu. 4. & 6. 138.
An ſit contra Iuſtitiam, vel contra charitatem crimen publicum reuelare in loco vbi ignoratur. d. nu. 2.
An ſaltem ſit peccatum veniale. n. 3. fol. eod.
Quid ſi crimen perſonæ occultum, diuulgatum fuerit per iniuriam illius. nu. 5. fol. eod.

Culpa.

Culpam mortalem cōtrahens poſt baptiſmum, ad obtinendam remiſsionem, au debeat confiteri, vel ſaluari poſsit per ſolam contritionem citra confeſsionem actu, vel propoſito. diſp. 1. ſec. 1. nu. 1. 3.
Cætera vid. in verbo Peccatum.

Curati.

Curati non publicantes frequenter præceptum annuæ confeſsionis, & communionis in Paſcha, lethalem culpam contrahunt, ſed minimè in aliquam incidunt cenſuram. diſp. vlt. §. 2. ſec. 3. nu. 1. & 3. 551.
In quibus actibus verificetur ly frequenter. ſec. 2. nu. 3. fol. eod.
Cætera vide in verb. Parochus.

Damnati.

Damnati in Inferno inter cęteras pęnas ſenſus, quibus plectuntur præcipua eſt iugis, & terribilis cum dæmonibus conuerſatio. diſp. 11. ſec. 2. nu. 4. 438.

De-

Debitum.

Debitum coniugale coniugi amenti reddi poteſt, ſed non tenetur, & quare. diſp. 2. ſ. 2. ſec.2.nu.10. 471.
In quibus caſibus licitum ſit denegare illud coniugi petenti. nu.11.fol.eod.
Debitum luendæ pœnæ temporalis pro peccato, quæ remanet poſt remiſſam culpam, aliquando exoluitur in hac vita, & aliquando in alia. diſp.9. ſec.1. nu.5. 317.
An Deus poſsit hoc debitū gratis remittere. nu.7.fol.eod.
An tolli poſsit hoc debitum per alia opera ſatisfactoria. nu.10. fol. eod.
An tolli poſsit per Indulgentias à Romano Pontifice conceſſas. nu. 11. 318.
An per opera ſatisfactoria exoluatur debitum pœnæ temporalis luendæ in Purgatorio. n. 12. fol. eod. vid. in verb. Satisfactio.

Delegatio, & Delegatus.

Delegatio ad audiendas confeſsiones fieri poteſt à proprio Sacerdote expreſsè, & tacitè. diſp. 8.ſec.8. nu.1. & 2. 243.
Et quando fiat tacitè. nu.3 244.
Satis eſt ratihabitio de præſenti, habita per proprium Sacerdotem. nu.6. fol. eod.
Induci non poteſt per ratihabitionem de futuro. nu.9. 245.
Inducitur quoque ex præſumpta voluntate eiuſdem. nu.12. 246.
Induci quoque poteſt ex conſuetudine. nu. 13. fol. eod.
Ex titulo quoque putatiuo, ſeù communi errore: Et ex priuilegio. nu. 15. fol. eod. & nu.18. 247.
Delegatus ad vnam tantum perſonam abſoluendam, ſubdelegare non poteſt nudum miniſterium. diſp.8.ſec.7. nu.23. 242.
Quis nam dicatur Iudex delegatus. n.5. 237.
Delegatus ſubdelegare an poſsit.nu.25.242.

Deliberans.

Deliberans in principio Quadrageſimæ toto eo tempore non ieiunare, vnum committit peccatum, quamuis aggrauans notabiliter. diſp.3.ſec.5.nu.5. 119.

Delictum.

Delictum occultum quando dicatur, vt ab Epiſcopo abſolui valeat, eſto quod Pontifici ſit reſeruatum. Vid. in verb. Abſoluere.

Deſiderans.

Deſiderans multorum necem vno, eodemque actu odij, an, & quando plura committat peccata, numero diſtincta. diſp.3. ſec.5. nu. 4. 119.

Deus.

Deus creare poteſt propriam ſpeciem ſupernaturalem, repræſentantem Chriſtum Dominum, eiuſq; modum exiſtendi in Euchariſtia. diſp.4.ſ.2. ſec. 11. nu.4. 528.

Dictio.

Dictio, aut, ſumitur quandoq; coniunctiuè, & quandoque expoſitiuè. diſp. 8. ſec. 11. num. 180. 296.
Dictio, omnis, eſt vniuerſalis, & neminem excludit. diſp.1.ſec.2. nu. 1. 14.
Dictio, ſeù, quomodo accipiatur. diſp. 8. ſec. 11. nu. 75. 279.
Poſita inter dictiones, vulneratio, & percuſsio, accipitur expoſitiuè. nu.178. 295.
Dictio, ſolus, dupliciter accipitur. diſp. 4. in princ. 139. & ſec.1. nu. 11. & 13. fol. eod.

Difficultas.

Difficultas magna impoſsibilitati comparatur in moralibus. diſp.1.ſec.9.nu.3. 31.

Diſcretio.

Diſcretionis ætas, an & quando in quolibet adueniat, quoad præceptum annuæ confeſsionis. diſp.1.ſec.7. nu.1. & 2. 27.
Quando adueniat quoad præceptum communicandi. nu. 4. & 5. 28.
Præſumitur quis ad annos perueniſſe diſcretionis, cum ad ſeptennium peruenerit.d.n.5.

Diſpenſatio, & diſpenſatus.

Diſpenſatio à præcepto annuæ confeſsionis à Rom. Pontifice, vel ad tempus per Epiſcopum eſt iuſta cauſa excuſans fideles à præcepto prædicto. diſp. 1.ſec.9.nu.39. 35.
Diſpenſatio exigit iuſtam, ac rationabilem cauſam. diſp. 1.ſec.1.nu.68. 11.
Diſpenſatio in quo differat à commutatione votorum. diſp. 10.ſec.71.nu.1. 414.
Diſpenſatus per Rom. Pontificem in his, quæ diſpoſita ſunt per legem diuinam, vel naturalem citra rationabilem cauſam, tutus non eſt in conſcientia. diſp.1. ſec. 1.nu.68. 11.

Diſplicentia.

Diſplicentia quæcunq; cum velleitate non peccandi ſatis eſt ad valorem Sacramenti pœnitentiæ, nec eſt neceſſaria deteſtatio efficax cum abſoluto propoſito peccata non committendi. diſp.2.ſec.4.nu.3. 41.

Diuturnitas.

Diuturnitas voluntaria retentionis rei alienæ furto ablatæ, nō eſt in confeſsione neceſſario explicanda. diſp.3. ſec.5.nu.22. 121.
Vid. in verb. Perſeuerans, & in verb. Temporis.

Dolens, & dolor.

Dolens, quod veram attritionem habere non poſsit, abſoluendus non eſt. diſp.7. ſec. 10. nu.25. in fin. 194.
Dolor de peccatis vt ſit ſufficiens ad obtinendam gratiam in Sacramento pœnitentiæ, debet eſſe attritio ſupernaturalis. diſp.7. ſec. 7. nu. 11. 177.
Sufficiat nè dolor, quod non ſatis de peccatis doleat. nu.12. fol. eod.
Quid ſi doleat, quod magnitudini ſuorum pecca-

peccatorum non ſatis proportionatum dolorem habeat. nu. 13. fol.eod.
Dolor omninò ſupernaturalis exigitur ad validum confeſsionis Sacramentum.diſp.2.ſec 4. nu. 2. 41.

Domicilium.

Domicilium duplex eſt, vel originis, vel habitationis. Et quando quis dicatur contrahere domicilium habitationis, & an ſit mutabile. diſp.8.ſec.2.nu.32. & 34. 208.
An domicilium hoc contrahant Scholares, Mercatores; Quiuè fugiunt aliquò ex cauſa vitandæ peſtis. nu. 33. fol. eod.

Dormiens.

Dormiens, vel furioſus, occidens aliquem. Vid. in verb. Homicidium.

Dubitans, & Dubius.

Dubitans de confeſſione ſacramentali, an ſit iure Diuino, vel humano, anathemate damnatur. diſp.1.ſec.1.nu.14. fol.6.
Dubitans an fuerit abſolutus, non debet ſe abſolutum habere. d.ſec. 1. nu.32. fol.7.
Dubitans de irregularitate an, & quando exiſtimare ſe debeat irregularem. n.33.fol.eod.
Dubitans ſe Clericum percuſſiſſe, & ſi ſciat percuſſiſſe hominem, ita vt indifferens ſit ad vtramq; partem, ſi facta diligentia non poſſit deprehendere veritatem, non debet ſe habere excommunicatum. nu. 31. fol.eod.
Dubitans ſe lethale peccatum commiſiſſe, obligatur ad illud confitendum. nu.30. fol.eod.
Dubius in fide, infidelis eſt. diſp.1.ſec.1.nu.14. fol.6. & ſec.6. nu. 2. 25.

Eccleſia.

Eccleſia circa Sacramentorum vſum poteſt ea ſtatuere, quæ fidelium ſaluti congruunt. diſp.1.ſec.1. nu.71. 12.
Eccleſia cum ſit ſenſibilis de internis, & occultis non iudicat, ſed de externis tantum. d. ſec.1.nu.72.fol.eod. & diſp. 2.ſec.1.nu.3. 36.
An iudicare poſſit de internis indirectè. diſp. 1.ſec.1.nu.74. 12.
Eccleſia de internis non iudicat, nec directè, & immediatè punire poteſt pœnis externis actus merè internos, licet iuriſdictionem directam habeat ſuper eos in foro ſacramentali, & Interno. diſp. 8. ſec. 12. nu. 2. 299.
Eccleſia deſtructa, an & quando extinguatur indulgentia ipſi conceſſa. diſp. 10. ſec. 33. nu. 1. 381. & nu. 2. cum ſeq. 382.
Eccleſia materiam Sacramenti non neceſſariam, facere non poteſt vt neceſſaria ſit. diſp. 3.ſec. 1. nu. 55. 64.

Effectus.

Effectus proprius, & adequatus indulgentiæ quis nam ſit. diſp.10.ſec.42.nu.6. 390.
Effectus Sacramenti pœnitentiæ validi, ſed informis plures ſunt. diſp.2.ſec.5. nu.5. 45.

Egreſsio.

Egreſſio nocturna, ac furtiua de Conuentu, etiam ſi animus non concurrat apoſtatandi, poteſt per Superiores Regulares reſeruari. diſp.8.ſec.11. nu.49. 274.
Quando dici poſsit nocturna egreſsio. num. 53. 275.

Electio.

Electio Confeſſarij citra licentiam proprij Sacerdotis, quibus in caſibus ſit conceſſa. diſp. 8.ſec.5.nu.6. & 7. 229.
Cætera Vid. in verb. Prælati.

Eleemoſyna.

Eleemoſyna expoſtulata ad indulgentiam conſequendam, elargiri debet iuxta facultates elargientis. diſp.10.ſec. 19.nu.4. 374.
Quid ſi ſimpliciter, & indeterminatè expoſtuletur ex vi indulgentiæ, vel iubilæi. diſp. 10.ſec.22. nu. 1. & 2. 377.
Si expreſsè expoſtuletur ex vi indulgentiæ, vt ſcilicet fiat iuxta facultates largientis, niſi ita fiat, an obtinebitur indulgentia. diſp.23.nu. 1. & 2. fol. eod.
An pauperes, qui Eleemoſynam largiri nequeunt, commutatione egeant Confeſſarij ad aliud opus pium. ſec. 24. num. 1. & 2. 378.
An Monachus, qui non poteſt illam à Superiore conſequi, poſsit propria auctoritate de bonis Monaſterij illam ſumere, ac dare pro lucranda indulgentia. ſec.25.nu.1. fol.eod.
An pro lucranda indulgentia elargiri poſsit eleemoſyna, alias debita ex voto, vel ex præcepto naturali. ſec.26.nu.1. fol.eod.
An exolui poſsit eleemoſyna ſpiritualis, puta remittendo inimico, &c. ſec.27. nu.1. & 2. fol. eod.
Eleemoſynam dare extremè indigenti ſi quis omittat, an ſatis ſit dicere in confeſsionem: non dedi eleemoſynam, vel confiteri debeat omiſsionem ipſam. diſp.3. ſec.3. nu. 56. in med. 101.
Eleemoſynam elargiri, ſi quis ſeruo præcipiat pro conſequenda indulgentia, qui ſeruus eam ſibi retinuit, nec largitus fuit, an lucrabitur indulgentiam. diſp.10. ſec.21. num. 1. & 2. 376.

Epiſcopus.

Epiſcopi, alijq; Prælati concedere an, & quando poſsint indulgentias. Vid. in verbo Indulgentias concedendi.
Epiſcopi abſoluere poſſunt impeditos à quibuſcunq; caſibus, & cenſuris, etiam in Bulla Cœnæ reſeruatis, & etiam quoad crimen hæreſis. diſp.8. ſec. 16. fol.313.
Epiſcopi, alijq; Prælati, facultatem habentes diſpenſandi in votis, irregularitatibus, &c. licet non poſsint ſecum diſpenſare in caſibus prędictis, poſſunt tamen alijs delegare facultatem,

tatem, vt ſecum diſpenſent. diſp. 10. ſec. 7. nu. 4. 358.

Epiſcopi, & Curati ſi frequenter non publicant præceptum annuæ confeſsionis, & communionis in Paſcha, incidunt in lethalem culpam. diſp. vlt. §. 2. ſec. 3. nu. 3. 551.

An incidant in aliquam cenſuram. n. 1. fo. eo.

Epiſcopi, & Prælati omnes iuriſdictionem Epiſcopalem habentes abſolui, & diſpenſari poſſunt à Confeſſarijs, quos ſibi eligunt ab omnibus, à quibus abſoluere, & diſpenſare ipſi poſſunt ſuos ſubditos. diſp. 8. ſec. 6. nu. 4. 231.

Quid dicendum in Epiſcopis non conſecratis, ſed tantum electis, & confirmatis. nu. 5. fol. eod.

An abſolui poſsint à caſibus contentis in Sacro Conc. Trid. nu. 6. fol. eod.

Quid ſi præſentes ſint in Vrbe, vbi adeſt Sum. Pontifex. nu. 7. fol. eod.

An abſolui poteſt Epiſcopus excommunicatus per Confeſſarium Electum, à quo ipſe abſoluere poſset ſubditum. nu 8. fol. eod.

An facultas hæc competat quoque Epiſcopis Titularibus. nu. 9. fol. eod.

Epiſcopi licet Titulares ſint, & etiam qui Epiſcopatui renunciarunt, facultatem habent iure humano eligendi ſibi Cõfeſſarium. diſp. 8. ſec. 3. nu. 27. 218. & ſec. 4. nu. 15. 224.

Si reperiantur extra propriam Diœceſim, eligere nequeunt ſimplicem Sacerdotem, ab Ordinario non approbatum, nec ſibi ſubditum, ſed benè ſibi ſubditum. nu. 18. fol. eod. & d. ſec. 4. nu. 20. 225.

Si tantum electi, & confirmati ſint, hanc quoq; facultatem habent. d. ſec. 4. n. 12. 224.

Poſſunt quoque Confeſſarium eligere pro ſua familia. nu. 14. fol. eod.

An hanc facultatem habeant, ſi fuerint verbaliter depoſiti, vel ſuſpenſi, aut Epiſcopatu fuerint ob crimen priuati. nu. 16. fol. eod.

Eligere tamen poſunt Sacerdotem nõn ſubditum, qui in eorum reperitur Diœceſi, ibiq; manſerit per horam, & quare. nu. 18. 225.

Epiſcopus aliuſuè Prælatus concedens ſubdito, vt ſibi eligat Confeſſarium ex approbatis, quem voluerit, qualis Confeſſarius electus poteſtatem non habet in reſeruatis, niſi Prælatus id exprimat. diſp. 8. ſec. 16. nu. 11. 312.

Epiſcopus dicitur proprius Sacerdos omnium, qui ſunt de propria ſua Diœceſi in Sacramento Pœnitentiæ. diſp. 8 ſec. 2. nu. 4. 203.

Quis nam veniat ſub nomine Epiſcopi. nu. 5. 204.

An Epiſcopi, & Archiepiſcopi Titulares dicantur proprij Sacerdotes in hoc Sacramento Pœnitentiæ. nu. 8. fol. eod.

Epiſcopus electus tantum, & confirmatus, nec dum conſecratus, poteſt iuriſdictionem ſuam in foro pœnitentiali alteri delegare. diſp. 8. ſec. 7. nu. 7. 238.

Epiſcopus excommunicatus nominatim, non toleratus, ſuſpenſus, vel irregularis, degradatus, &c. an poſsit validè licentiam dare Sacerdoti, vt a ſibi reſeruatis aliquem abſoluat. diſp. 8. ſec. 16. num. 11. cum duob. ſeq. 312.

Si ſit excommunicatus in vno loco, verbi gratia, in Gallia, & accedens ad ſuum Epiſcopatum in Italia, ibiq; publicè ſe gerat, vt talis, & communiter exiſtimetur idoneus, validè hanc facultatem delegat. n. 14. fol. eod.

Idem eſt dicendum ſi non ſit nominatim excommunicatus, nec publicus Clerici percuſſor. nu. 16. fol. eod.

Epiſcopus nolens admittere ad Examen Confeſſariorum Religioſos ex odio, vel malitia, mortaliter peccat. diſp. 8. ſec. 9. nu. 10. 250.

Si Regulares Mendicantes, à Prælatis eorum præſentatos, ac manifeſtè idoneos, abſque cauſa reijciat, poſſunt ipſi nihilominus ad confeſsiones etiam ſecularium exponi, modo eſt damnata opinio. diſp. 10. ſec. 58 n. 4. 402.

Epiſcopus nõ modo vnũ, ſed plures Pœnitentiarios in Eccleſia Cathedrali conſtituere poteſt pro Diœceſis amplitudine: Et nõ ſolum præsbyteros ſæculares, ſed etiam Regulares. diſp. 8. ſec. 7. nu. 20. 241.

Epiſcopus qui in lapſum incidit carnis, & iam ſit conſecratus, non ſatisfacit in confeſsione dicendo, ſe cum eſſet in ſacris fornicaſſe, vel adulterium commiſiſſe, ſed tenetur circumſtantiam Epiſcopi explicare. diſp. 3. ſec. 3. nu. 71. 104. & nu. 104. 111.

Epiſcopus ſi facultatem generalem ad abſoluendum aliquem, alicui Sacerdoti concedat, vel dat vices, & voces ſuas, non cenſetur concedere facultatem abſoluendi illum a reſeruatis. diſp. 8. ſec. 10. nu. 12. 261.

Epiſcopus ſucceſſor poteſt omnes, & quoſcunq; Confeſſarios etiam Regulares generaliter ad examen vocare, etiam ſimpliciter approbatos, & quos idoneos non inuenerit reprobare. diſp. 8. ſec. 9. nu. 25. 253.

Si generaliter reuocet omnes approbationes, à ſuo Prædeceſſore conceſſas, non comprehenduntur Regulares, niſi ſpecialiter reuocentur. nu. 27. fol. eod.

Epiſcopus an poſsit cum ſuis ſubditis diſpenſare in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto prouenientibus, excepta ea, quæ ex homicidio oritur voluntario, licet in aliena Diœceſi exiſtant. diſp. 8. ſec. 16. fol. 313.

Epiſcopus votum perſonale, vel conditionale Religionis, aut caſtitatis commutare poteſt, ac etiam in eo diſpenſare. diſp. 10. ſec. 85. nu. 5. 425.

Epiſcopus vt inquiſitor Ordinarius, ſi incidat

in

Digitized by Google

in hæreſim, poteſt abſolui à Cõfeſſario quem ſibi eligit. diſp.8.ſec.6. nu.11. 232.

Euchariſtia.

Euchariſtia eſt Sacramentum, & Sacrificium. diſp.4.§.2.ſec.2.nu.6. in med. 517.

Euchariſtia non eſt Sacramentum neceſſitatis, ſed maximæ vtilitatis. diſp.5.§.2.ſec.5.nu.2. & 5. 536.

Euchariſtiæ præceptum Diuinum etiam infideles obligat. diſp.1.ſec. 1.n.28. cum ſeq.f.7.

Euchariſtiæ in Sacramento adeſt vera, & ſubſtantialis præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti vna cum Diuinitate, & Anima, ac totus Chriſtus. diſp.4.§.2.ſec.3.nu.3. 518.

Euchariſtiæ Sacramentum ad ſumendum iure Diuino nulla præcipitur certa diſpoſitio, nec corporalis munditia. diſp.2.§.2. ſec.1. nu.1. 470. & ſec.7.nu.3.485.

Poteſt tamen id per Eccleſiã ſtatui.n.2. 470.

Ad reuerenter ſuſcipiendum requiritur conſcientiæ puritas citra lethalis culpæ maculam. d.ſec.7. nu.5. 485.

Quæ nam ætas, & diſpoſitio requiritur ad rite ſumendum hoc Sacramentum. Vid. in verb. Ætas.

An licitum ſit aliquando habenti lethale peccatum accedere ad hoc Sacramentum citra confeſſionem, præhabita tamen contritione, vel attritione. nu. 14 487. Et vid. in verb. Sacerdos.

An præcepto Diuino quis debeat ieiunus ſuſcipere hoc Sacramentum. Vid. in verb. Ieiunus.

Euchariſtiæ Sacramentum fuit à Deo inſtitutum, ſiuè conſideretur per ſe, ſiuè vt præceptum. diſp.1.§.2.ſec.1.nu.1. 454.

Quare fuerit inſtitutum. nu.2. & 3. fol. eod.

Niſi fuiſſet à Deo præceptum, an potuiſſet Eccleſia illud præcipere. nu.28. 458. Vid.in verb. Præceptum.

An ſub vtraque ſpecie, vel panis, vel vini: Et in ſingulis ſpeciei partibus, facta ſeparatione contineatur totus Chriſtus. nu.13.456.

Euchariſtiæ Sacramentum producit effectum vnionis inter Chriſtum, ac dignè, & reuerenter communicantem. diſp.2.§.2. num.1. 509. & nu. 2. 510.

Euchariſtiæ Sacramentum, qui ſemel ſuſcipit per modum Viatici in articulo mortis, eodẽ periculo perſeuerante, iterum ſic communicare poterit, licet ad id non obligetur. diſp. 1.§.2.ſec.1.nu.16. 456.

Quoties in menſe renouari debeant particulæ conſecratæ, & quo in loco ſeruandæ. nu. 19 457.

Euchariſtiæ Sacramentum, qui ſimul multis miniſtrat in peccato mortali, vel qui multorum audit confeſſiones, aut qui ſimul, & ſemel multos vnica ablutione baptizaret, vel vnica abſolutionè abſolueret, vnum tantum committit peccatum in genere moris. diſp. 3.ſec.5.nu.42. 124.

Euchariſtiæ Sacramentum, qui ſurripit, non ſatisfacit in cõfeſſione dicendo ſe ſurripuiſſe rem ſacram. diſp.3.ſec.3. nu.95. 109.

Euchariſtiæ Sacramentum ſumptum dignè, ac reuerenter, multos producit effectus, præcipuè gratiam confert ex opere operato. diſp.2.§.2.ſec.19.nu.1. 508.

An in hoc Sacramento ſumamus carnem viuificantem. nu.2.fol. eod.

An gratiam cõferat in illo inſtanti, & quando. nu.3. fol.eod.

An per ſe, & ex prima ſua inſtitutione conferat primam gratiam. n.4. 509.

Quibus in caſibus conferat primam gratiam, atque ideo culpam lethalem deleat, ac remittat. nu.5. cum duob. ſeq. fol. eod.

Euchariſtiæ Sacramentum tempore primitiuæ Eccleſiæ tribuebatur in manibus communicantium, vt ipſimet acciperent. diſp. 4. §.2. nu.3. 515.

Euchariſtiæ Sacramentum vbi adhæſerit communicantis palato, nec valeat illud traijcere, ſumere poterit vinum, vel aquam ſemel, ac iterum, & ſæpius, donec Sacramentum traijciatur. diſp.2.§.2.ſec 1. nu.26. 468.

Examen.

Examen conſcientiæ. Vid. in verb. Conſcientiæ propriæ.

Excommunicatio, & Excommunicatus.

Excommunicatio. Vid. in verb. Percutiens.

Excommunicatus excommunicatione maiori, cuius tamen inculpabiliter eſt ignarus, aut oblitus, ſi Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipit validè quidem ſuſcipit. diſp. 8. ſec. 15. num. 16. 308.

Exhæredatio.

Exhæredatio facta contra filios, haud extenditur ad filios. diſp.1.ſec.4.nu.1. 22.

Extractio.

Extractio delinquentium ab Eccleſia ad quam confugiunt ſacrilegium eſt, eſtq; in confeſſione explicanda. diſp. 3.ſec.3.nu.23. 92.

Facultas.

Facultas eligendi Confeſſarium. Vid. in verb. Prælati.

Facultas ſi detur in iubilæo, vt abſolui quis poſſit ab omnibus caſibus Bullæ Cœnæ, excepta hæreſi, an hoc non obſtante abſolui poſſit hæreticus occultus, & emendatus. diſp. 10.ſec.68.nu.1. & 2. 412. & diſp.8. ſec. 16. à nu.18. vſque ad nu. 19. in med. fol. 313.

Facultas vi iubilæi, ſiuè alterius priuilegij conceſſa diſpenſandi, ſeù commutandi vota, an extendatur ad iuramenta promiſſoria facta Deo, ſiuè ad vota iurata, & ad iuramenta

pia, abſolutè facta. diſp. 10. ſec. 73. num. 4. cum duob. ſeq. 417.

Facultate conceſſa per iubilæum commutandi vota, exceptis votis Caſtitatis, & Religionis, an poſſit Confeſſarius commutare iuramenta pia Religionis. & Caſtitatis. diſp. 10. ſec. 74. nú. 2. 3. & 4. 418.

Facultatem habens diſpenſandi in votis vi Iubilæi, aut alterius priuilegij, an poſſit ea commutare, ſeù redimere, vel irritare. diſp. 10. ſec. 72. nu. 2. & 3. 416.

Cætera vid. in verb. Abſoluendi facultas: in verb. Confeſſarius, & in verb. Iubilæum.

Falſificatio.

Falſificatio manus, vel Sigilli Officialium Monaſterij poteſt per Superiorem Regularium reſeruari. diſp. 8. ſec. 11. nu. 99. 282.

Quot modis contingere poſſit Sigilli falſificatio. nu. 100. 283.

An ſufficiat falſificatio alicuius Officialis Monaſterij ad contrahendum caſum reſeruatum. nu. 104. fol. eod.

An dicatur falſificatio, ſiuè addatur aliquid ſiuè detrahatur nu. 107. 284.

An incidat in caſum reſeruatum, qui obſignauerit litteras, vero Sigillo Officialium, ſed ipſis ignorantibus. nu. 108. fol. eod.

Quid ſi committatur falſificatio in litteris priuatis Officialium. nu. 109. fol. eod.

An comprehendat hæc reſeruatio, tàm maſculos, quàm fęminas regulares n. 110. f. eod.

An comprehendat mandantes, vel ratum habentes. nu. 113. cum ſeq. 285.

An comprehendat falſificantem in aliquo modico, quam non ſit contra mentem Officialium. nu. 116. fol. eod.

An comprehendat falſificantem litteras iniuſtas ipſorum Officialium. nu. 117. 286.

An requiratur dolus in falſificante. nu. 118. fol. eod.

An comprehendat falſificãtem litteras Officialium, quæ nullam habent vim. n. 119. f. eo.

Fœminæ, & fęmininum.

Fęminæ iure feudorum in feudonõ ſuccedunt, niſi de ipſis in inueſtiturã ſpecialis fiat mentio, vel niſi talis ſit conſuetudo. diſp. 1. ſec. 4. nu. 10. 22.

Fœmininum nunquam concipit maſculinum. diſp. 1. ſec. 4. nu. 21. 23.

Ferrum.

Ferro tripiciti hominem percutere. Vid. in verb. Clericum, & in verb. Voluntatem.

Feſtum.

Feſtum alicuius Sancti ſi venerit in die Dominico, poterit quis vtriq; præcepto ſatisfacere audiendo vnicam Miſſam. diſp. 5. ſec. 5. nu. 3. in med. 156.

Fideles.

Fideles ex vi præcepti Eccleſiaſtici tenentur confeſſionem anticipare, eamq; facere in quacunq; parte anni, ſi forte præuideant, vt poſt occaſionem confitendi ſibi contingentem, nequeant in toto anno confiteri. diſp. 1. ſec. 1. nu. 43. fol. 9. & diſp. 5. ſec. 8. n. 1. 158.

Idemq; dicendum eſt in præcepto Communionis. nu. 49 fol. 9. & d. ſec. 7. nu. 7. 159.

Quid dicendum ſi præuideant, impotentiam fore inuoluntariam. nu. 5. 159.

An teneatur anticipare confeſſionem habens reſeruata, & hic, & nunc confiteri poteſt habenti iuriſdictionem abſoluendi; probabiliter tamen timeat, non habere amplius in illo anno copiam Confeſſarij huiuſmodi facultatem habentis. nu. 6. fol. eod.

Vid. in verb. Confeſſionem anticipare.

Fideles nolentes communicare ſub ſpecie panis conſecrati mediante conſecrationis forma, qua vtitur Eccleſia Romana, ſed communicare volunt ſub alia, ab Eccleſia non vſitata, licet Equipollenti, faciunt contra reuerentiam Sacramenti. diſp. 2. §. 2. ſec. 18. nu. 12. 507.

Quid ſi bona fide communicent ſub ſpecie conſecrata forma æquipollenti. Et an ſatiſfaciant præcepto communionis in Paſcha. nu. 13. fol. eod. & nu. 14. 508.

Fideles præcepto Diuino non obligantur ad curandum, vt peccata commiſſa, memoriæ retineant. diſp. 1. ſec. 1. nu. 35. fol. 8.

Fideles ſecluſa temporis determinatione, ab Eccleſia facta, adhuc quarto, vel quinto quoque anno ad confeſſionem accedere tenerentur. diſp. 1. ſec. 1. nu. 46. fol. 9. & nu. 80. fol. 13.

An teneantur ad confeſſionem peccatorum mortalium ratione periculi cauendi in futurum Confeſſario. nu. 47. fol. 9.

Fideles ſubditi vnius Diœceſis poſſunt etiam data opera confiteri in aliena Diœceſi, idq; conſuetudine introductum eſt. diſp. 8. ſec. 3. nu. 21. 216.

Fideles tempore naſcentis Eccleſiæ quotidie communicabant, frigeſcente verò deuotione, fieri cæpit communio bis in hebdomada. diſp. 3. §. 2. nu. 1. & 2. 510.

Quo tempore Decretum fuit, vt fiat ter in anno, & demum, vt ſemel in anno tempore Paſchatis, d. nu. 2. Vid. in verb. Pœnitens.

Finis.

Finis, & medium ſi malitiam contineant, faciunt circumſtantiam in confeſsione explicandam. diſp. 3. ſec. 3. nu. 28. 93.

Finis præcepti confeſſionis annuæ qualis nam ſit. diſp. 2. ſec. 2. nu. 5. 39.

Finis. Vid. in verb. Cauſa finalis.

Fœtus.

Fœtus in maſculo in quo tempore dicatur animatus, quouè tempore in fœmina: Et an in

dubio

dubio præſumatur maſculus. diſp.8. ſec. 11. nu. 85. 280.

Forma.

Forma abſolutionis impendi an poſſit ſub conditione ſaltem de præſenti, vel de præterito. diſp.12.ſec.9.nu.3. & 4. 452.

An impendi poſſit ſub modo. nu.5. fol.eod.

Forma abſolutionis ſimpliciter impenſa, an extendatur ad peccata oblita, ita vt pœnitens ab eis cenſeatur abſolutus. diſp. 12. ſec. 7. per totam. 450.

Formam abſolutionis dum impendit Sacerdos an concurrat effectiuè ad abſolutionem culpæ, vel pœnæ. diſp.12.ſec.5.nu.1.448. & nu. 2. 449. & ſec.6.fol. eod.

Forma conſueta Eccleſiæ Sacramenti pœnitentiæ, ſi mutaretur per verba æquipollentia, validum fieret Sacramentum, ſed committeretur peccatum mortale. diſp.2. ſec. 7. nu. 22. 51. Et diſp.3.ſec.1. nu.65. cum ſeq. 67.

Forma eſſentialis tùm Corporis, tùm Sanguinis Domini, an poſſit variari, & transmutari, ita tamen vt maneat ſemper idē ſenſus. diſp.2.§.2.ſec.18. nu. 4. cum ſequent. 506.

Si in forma omittatur illud verbum, eſt, inualida an ſit conſecratio. nu.7. fol.eod.

Forma Sacramenti Euchariſtiæ quibus verbis conſtet, & an fuerit inſtituta à Chriſto. diſp. 2.§ 2.ſec.18.nu.1.505. & diſp. 4. §. 2. ſec.3. nu. 1. 517.

An omnia verba conſecrationis ſint de eſſentia. nu.2. 505.

Quæ verba ſint de eſſentia conſecrationis vini. nu.3. fol. eod.

Quis nam ſit proprius, & mirabilis effectus verborum formæ conſecrationis. d. ſec. 3. nu.2. 517. Et ſec.6. nu. 1. 521.

An pronomen illud, Meum, referatur ad Chriſtum. diſp.4.§.2.ſec.5. nu.3. 521.

An verba illa, qui pro vobis effundetur, referantur, vt ſignificent effuſionem cruentam. nu.4. fol.eod.

Forma Sacramenti pœnitentiæ humana voce debet proferri, & neque ſignis, neque in ſcriptis. Sed ſolum Confeſſarij verbis. diſp.3. ſec.1.nu.115.78. & diſp. 12.ſec.1. n.8. 441.

An de ratione formæ huius Sacramenti requirantur determinata verba. nu. 10. 442.

An proferri poſſit verbis deprecatiuis. nu. 11. fol. eod.

An verba, Remitto tibi, ſint de ratione formæ huius Sacramenti. nu.12. & 14.fol.eod.

An ſit de ratione formæ, vt impendatur præſenti. nu. 15. 443.

An abſolui poſſit abſens, ſi præſens confiteatur. nu.16. fol.eod.

Et quid ſtante aliqua neceſsitate. n.17.f.eod.

Quid dicendum ſi culpa Confeſſarij impenſa non fuerit præſenti. nu. 18. fol.eod.

Quid dicendum ſi Confeſſarius ex obliuione, ac inaduertentia pœnitentem non abſoluat, nec poſſit citra ſcandalum reuocari. nu. 19. fol. eod.

Forma Sacramenti pœnitentiæ an neceſſario conſiſtat in illis verbis: A peccatis tuis diſp. 12.ſec.3. nu. 1. cùm ſeq. 446. & nu. 13. 447.

An pronomen Ego ſit de ratione formæ. nu. 4. 446.

Quid de inuocatione Sanctiſsimæ Trinitatis. nu.5.fol.eod. & nu.8. 447.

An ſignum Crucis, manuumq; impoſitio ſit de ratione huius Sacramenti. nu. 6. 446. & nu. 9. & 10. 447.

An Sacerdos mortaliter peccet, ſi ſcienter, & citra rationabilem cauſam omittat verba illa à peccatis tuis. nu.7. 446.

An verba: Abſoluo te, referri poſsint tùm ad peccata, tùm ad cenſuras, adeo vt quis ab vtriſq; cenſeatur abſolutus. nu. 12. 447.

Forma Sacramenti pœnitentiæ, quæ nam ſit. diſp. 2. ſec.7.nu.2. 47. & diſp.12. ſec. 1.nu.2. & 3. 441.

Forma Sacramenti pœnitentiæ, an ſtatim impendi debeat a Confeſſario poſt auditam pœnitentis confeſsionem, vel poſt interuallum temporis. diſp. 12. ſec.4.nu.1. & 2. 448.

Formalis.

Formalis peccatorum deteſtatio, quæ nam dicatur. diſp.7.ſec.8. nu. 1. & 2. 181.

Omninò requiritur in homine, conſcientiam habente peccati mortalis, nec virtualis ſufficit. nu.6. 182.

Idem dicimus in contritione imperfecta, atque adeo in attritione. nu.7.fol.eod.

Quid ſi homo conſcientiam non habeat peccati mortalis. nu.9.fol.eod.

Fornicatio.

Fornicationem ſimplicem quando quis dicatur committere. diſp.3.ſec.3. nu.12. in med. 88.

Fornicationem ſi quis ter committat cum tribus fœminis ſolutis, ſatisfacit, dicendo in confeſsione, ſe ter fornicaſſe, non explicando fœminas. diſp.3.ſec. 3.nu.87. 107.

Forum.

Forum internum diuiditur in ſacramentale, & in forum conſcientiæ. diſp. 10. ſec. 70. nu. 4. 413.

Forum ſortitur quis ratione delicti. diſp. 8. ſec.3.nu.19. & 216.

Frater.

Frater Franciſcanus, niſi ieiunet in die Veneris Sancti, duo committit peccata, ſpecie diſtincta. diſp.3.ſec.2.nu.10. 81.

Fratres minores, & fratres Prædicatores ex priuilegio Sum. Pontificis miniſtrare poſſunt Sacramentum Euchariſtiæ, ac extremæ Vnctionis non ſolum ipſorum fratribus, ſed etiam mercenarijs, ac famulis, & operarijs eiuſ-

Digitized by Google

eiuſdem Congregationis. diſp.5. §. 2. ſec. 6. nu. 13. 539.

Frequentare.

Frequentare aliquid an dicatur quis per duos actus. diſp.vlt.§.1.ſec.3. nu.2. 551.

Frequentare allocutionem cum Monialibus an dicatur, qui in tribus annis duodecies alloquitur cum Monialibus. d.ſec. 3.n.3.fol.eod.

Furans.

Furans coram Iudice, vel cum manifeſto vitæ periculo, an teneatur hanc circumſtantiam in cōfeſsione explicare.diſp.3.ſec.3.n.46.98.

Furans decem aureos, lethaliter peccat, & furans quinquaginta Diuiti,paulo plus peccat, hinc in confeſsione quantitatem exprimere non tenetur, niſi in ordine ad reſtitutionem faciendam. d.ſec.3.nu.75. 104.

Furans rem ſacram de loco ſacro, ſatisfacit, dicendo in confeſsione, ſe furatum eſſe rem ſacram. diſp.3.ſec.2.nu.9. 81. & nu. 41. 97.

Furtum.

Furtum bonorum Monaſterij poteſt reſeruari per Superiores Regulares. diſp. 8. ſec. 11. nu. 121. 286.

Quæ quantitas requiratur ad furtum mortale in Monaſterijs. nu.122.cum ſeq.fol.eod.

An reſeruari poſsit quodcunq; furtum, ſiuè rei ſacræ, ſiuè profanæ, & ſiuè ambigatus, ſiuè plagij. nu. 125. cum ſeq. 287.

An reſeruato furto, intelligatur etiam reſeruata rapina. nu.127. fol. eod.

In quibus caſibus Religioſus incidat in caſum reſeruatum furti, à nu. 131.288. & à nu. 138. 289. & à nu. 146. 290.

Furtum committens ad finem adulterandi, tenetur hanc circumſtantiam in confeſsione aperire. diſp.3.ſec.3. nu.57. 101.

Furtum committens in loco ſacro, fit Reus furti, & ſacrilegij; Et quomodo ſit hoc peccatum in confeſsione explicandum. diſp. 8. ſec.3.nu.20. 91.

Furtum an dicatur vnum ſpecie, & quid ſi fuit ad finem adulterandi, diſp.3. ſec. 2. nu.5. & 6. 81.

Furtum quid ſit. diſp.8.ſec.11.nu.121. 286.

Furtum rei minimæ veniale eſt. diſp. 3. ſec. 3. nu.6. 87. & nu.11. in med. 88.

Furtum, vel homicidium, aut ſanguinis effuſionem, ſi quis committat in loco ſacro diruto, vel ab hoſtibus capto,& ab eis ad prophanos vſus deſtinato, aut Eccleſiaſtico ſuppoſito interdicto, an teneatur hanc circumſtantiam in confeſsione aperire, vel ſatis ſit dicere, ſe ſacrilegium commiſiſſe. diſp. 3. ſec.3. nu.53. 100.

Geſta.

Geſta per Prælatum, vel Parochum, communi errore talem exiſtimatum habentem titulum putatiuum à legitimo Superiore, valida ſunt etiam quoad forum conſcientiæ. diſp.8.ſec.8 nu. 17. 246.

Gradus.

Gradus conſanguinitatis, vel affinitatis quod attinet ad peccatum inceſtus, an ſit in confeſſione explicandus. diſp.3.ſec.3.nu.15. 89.

An ſit explicandus ſaltem primus, vel ſecundus gradus, d.nu.15. verb. Cæterum 90.

An ſaltem explicanda ſit circumſtantia quoad lineam. nu.16.90. & nu.79. 105.

Gratia.

Gratiæ effectus an redeat ſublata fictione, quando fit valida quidem confeſſio, ſed informis. diſp.2.ſec.5. nu.1. 44.

Gratiæ infuſio non eſt per ſe neceſſaria ad remiſſionem venialium. diſp.3. ſec.1.n.37. 59.

Gratiæ ſtatus an requiratur ad alios conſequendos fauores, qui cum indulgentia aliquando conceduntur. diſp.10. ſec. 41. nu.2. & 3. 389. Et vid. in verb. Confeſſio ſi præcipiatur.

Græci.

Græci communicantes in fermentato,tenentes tamen nulliter conſecrari in azimo, faciunt cōtra reuerentiam Sacramenti Euchariſtiæ, & ſiuè communicent in eorum Eccleſijs,ſiuè Latinis. diſp.2.§.2. ſec.13.nu.3. 498.

Quid dicendum de Græcis catholicis, qui teneant validè conſecrari in vtroq; & communicent in eorum Eccleſijs. nu. 4. fol.eod.

An Græci in eorum Eccleſijs teneantur in fermentato celebrare. d. nu.4. in med.

An ſit priuilegium,conceſſum tantum Græcis, celebrare, & conſecrare in fermentato. nu. 5.fol.eod.

Si Sacerdos Græcus tranſeat per Eccleſias Latinas, an teneatur in azimo conſecrare, alias peccat lethaliter. nu. 6. cum ſeq. 499.

An ſatisfaciant præcepto communionis in Paſcha, ſi Græcus celebret in azimo, Latinus verò in fermentato: vel Laici Græci communicent in azimo,& Latini in fermentato, nu. 8. fol.eod.

Vid. in verb. Latini.

Habitus.

Habitum regularem dimittens, quamuis permaneat in Conuentu, incidit in excommunicationem, & quam. diſp.8.ſec.11. nu.44. in fin. 274.

An incidat in excommunicationem, tàm Religioſus,quàm Clericus, qui habitum Monachalem, vel Clericalem non defert in Cella,vel in balneis, aut in alio loco ſecreto. nu.45. fol. eod.

Habitus efficit actum, actus verò intendit habitum: ſitq; habitus ex frequentatis actibus. diſp.4.§.2.ſec.9. nu.4. 525.

Her-

Hermaphroditi.

Hermaphroditi an comprehendantur ſub diſpoſitione Can. Omnis Vtriuſq; Sexus, vt teneantur ſemel in anno confiteri, & communicari in Paſcha diſp. 1. ſec. 3. nu. 319. & nu. 13. cum ſeq. 20.

Quotuplices ſint, & in quibus differant. nu. 4. & per totam.

Hermenelgidus.

Hermenelgidus Hyſpaniarum Princeps noluit Sacram Communionem recipere ab Arriano Epiſcopo. diſp. 5. §. 2. ſec. 5. nu. 1. 536.

Hæreſis, & Hæreticus.

Hæreſis occulta abſolui an poſſit per Epiſcopum. diſp. 8. ſec. 16. nu. 16. 312. & n. 17. 313. circa impeditos, & ſubditos. eod. fol. à nu. 18. vſque ad 19.

Hæreſis peccatum ſolum à Romano Pontifice abſolui poteſt, quantumuis quis à cenſura excuſetur ob ignorantiam non craſſam. diſp. 8. ſec. 11. nu. 5 in med. 267.

Hæretici, & Apoſtatæ à fide an ligentur præcepto annuæ confeſſionis. diſp. 1. ſec. 6. n. 1. & 4. 25. Et quid ſi manifeſti fuerint. n. 13. 26.

In quo differant Hæretici, & Apoſtatæ à fide nu. 6. 26.

An ligantur præcepto Communionis in Paſcha. nu. 15. 27.

Si copiam Confeſſarij non habeant, vel confiteri nequeant, an ligentur præcepto. nu. 16. fol.

An excuſantur à ſpeciali culpa trangreſſionis huius præcepti ex capite probabilis ignorantiæ. nu. 17. fol. eod.

Hæretici non relapſi, ſi reſipiſcant, vltimo non puniuntur ſupplicio. diſp. 8. ſec. 11. nu. 42. 273.

Hæreticus occultus. Vid. in verb. Facultas ſi concedatur, & fol. 313. à n. 18. vſque ad 19.

Hoc.

Hoc, pronomen, demonſtratiuum eſt ſubſtantiæ in communi. diſp. 4. §. 2. ſec. 4. nu. 7. 519.

Homicidium.

Homicidium, & grauis hominis percuſſio reſeruari poſſunt per Prælatum regularem. diſp. 8. ſec. 11. nu. 161. 292.

Si Religioſus dormiens, vel furioſus occidat aliquem, aut grauiter percutiat, an incidat in caſum reſeruatum. nu. 164. 293.

An irregularitatem incurrat ibidem.

An caſum reſeruatum incurrat ſi interficiat caſu. nu. 165. fol. eod.

Quid ſi operam dabat rei illicitæ ibidem, cum nu. ſeq.

Quid ſi occidat veneno. nu. 168. 294.

An comprehendantur mandantes, conſulentes, vel non impedientes. num. 169. cum ſeq. fol. eod.

Homicidium an ſit vnum ſpecie peccatum diſp. 3. ſec. 2. num. 5. 81.

Homo.

Hominem occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ ad ſui defenſionem, immunis eſt ab omni malitia homicidij. diſp. 3. ſec. 3. num. 7. 87.

Hominem veneno extinguere plus eſt quam gladio. diſp. 3. ſec. 3. nu. 2. 86.

Homo citra gratiam iuſtificantem, ſatisfacere non poteſt in hac vita pro pœnis temporalibus alterius vitæ. diſp. 9. ſec. 2. nu. 6. 320.

Homo, & ſi dominium nõ habeat propriç vitæ; habet tamen vſum illius ad ea omnia, quæ recta ratio dictat. diſp. 5. §. 2. ſec. 7. nu. 7. 540.

Homo per confeſſionem, vel in ordine ad ipſam reſtituitur in Dei gratiam. diſp. 1. ſec. 1. nu. 13. fol. 6.

Homo rerum omnium eſt Creatura digniſſima, diſp. 1. in princ. nu. 2. fol. 1.

Hoſtia.

In Hoſtia conſecrata ſi appareat Caro, Sanguis, puer Ieſus, aut Chriſtus in ea Magnitudine, qua eſt in Cœlis, an ſit ibi verè Corpus Chriſti. diſp. 4. §. 2. ſec. 12. n. 4. & 5. 531.

Ieiunium, & Ieiunus.

Ieiunij fractio veſcendo carnibus, eiuſque fractio comedendo cibos vetitos, quamuis conueniant ſpecie, prima tamen notabiliter aggrauat. diſp. 3. ſec 3. nu. 10. 100.

Ieiunium naturale an, & quando violet traijciens ſibi reliquias in ore remanſas, vel aliquid aquæ, aut cætera huiuſmodi. diſp. 2. §. 2. ſec. 1. nu. 12. 466.

Quomodo violetur ieiunium naturale, & quid ſit. nu. 5. cum duob. ſeq. 465.

An violetur per Tabacchi ſumptionem in folio, puluere, aut fumo. nu. 14. 466.

Ieiunium non ſeruans in Vigilia, quæ occurrit in Quadrageſima, vnam tantum committit culpam. diſp. 3. ſec. 2. nu. 11. in med. 82. Et ſec. 5. nu. 38. 123.

Ieiunium præmittere non tenetur, præuidens fore ſe ieiunare non poſſe in Vigilia alicuius Sancti. diſp. 5. ſec. 7. nu. 4. 158.

Ieiunium quod præcipitur ad reuerenter ſuſcipiendum ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum quale eſſe oporteat. diſp. 2. §. 2. ſec. 1. nu. 4. 465.

Ieiunium debere ſuſcipere Euchariſtiæ Sacramentum, nullo præcepto Diuino cauetur, ſed tantum Eccleſiaſtico. diſp. 2. §. 2. ſec. 1. nu. 1. 464.

Vid. in verb. Præceptum.

An incidat non ſolum in lethalem culpam, ſed etiam in excommunicationem, qui non ieiunus naturaliter accedit ad Euchariſtiæ Sacramentum. nu. 8. 465.

Ignis.

Ignis corporalis, ac elementaris pœna quomodo animas cruciet, in Purgatorio detentus, aut in Inferno. diſp. 11. ſec. 4. nu. 1. cum ſeq. 439.
Vid. in verb. Purgatorium.

Ignorantia.

Ignorantia craſſa non coniuncta cum comitante, excuſat à caſus reſeruatione. diſp. 8. ſec. 11. nu. 183. 297.
Quid ſi adeo eſſet craſſa, vt conferetur ingens temeritas. nu. 184. fol. eod.
Ignorantia Idiomatis à præcepto Confeſſionis tùm Diuino, tùm Eccleſiaſtico non excuſat. diſp. 1. ſec. 9. nu. 9. 31.
Ignorantia in quo differat ab obliuione. diſp. 3. ſec. 1. nu. 106. in fin. 75.

Impoſſibilitas.

Impoſſibilitas an excuſet fideles à præcepto annuæ confeſſionis. diſp. 1. ſec. 9. nu. 2. 31.
An excuſet Sacerdotem ab horarum Canonicarum recitatione. d. nu. 2.
Quæ nam ſit impoſſibilitas phyſica, & quæ moralis, d. nu. 2. & nu. 3. fol. eod.

Impotentia.

Impotentia tàm naturalis, & phyſica, quàm moralis excuſat pœnitentem ab integra ſuorum peccatorum confeſſione, quorum conſcientiam habet, & quæ poſt baptiſmum commiſit. diſp. 3. ſec. 1. nu. 116. 79.
Vid. in verb. Neceſſitas.

Inceſtus.

Inceſtus non eſt ſpecies Luxuriæ formaliter, ſed tantum materialiter. diſp. 3. ſec. 3. num. 80. 105.
An ſit in confeſſione explicanda eius circumſtantia. Vid. in verb. Circumſtantia gradus. Et in verb. Gradus.

Indulgentia.

Indulgentia abſolutè conceſſa alicui Eccleſiæ pro tali feſto ſingulis annis ad annos viginti reſtringitur. diſp. 10. ſec. 2. nu. 2. 342.
An Indulgentia conceſſa alicui Eccleſiæ, tacita tamen alia Indulgentia, eidem conceſſa, quantumuis parua, vim nullam habeat. d. n. 2.
Quid ſi petatur pro feſto alicuius Sancti, & Papa indulgentiam concedat per verbum, Fiat, vel fiat vt petitur, per quot annos cenſeatur conceſſa, ibid. in med.
An facultas lucrandi omnes Indulgentias Stationum Vrbis, comprehendat tantum Indulgentias, non plenarias, ibid. in med.
Indulgentia concedi poteſt per modum gratitudinis propter obſequia, Eccleſiæ exhibita. diſp. 10. ſec. 9. nu. 4. 362.
Indulgentia concedi poteſt ab Eccleſia non modo pro viuis, ſed etiam pro Defunctis. diſp. 10. ſec. 4. nu. 18. 354.
An poteſtas concedendi Indulgentias, quam habet Papa ſit ordinaria. ſec. 5. nu. 2. 355.
An Papa poſſit facultatem dare Laicis, etiam fœminis concedendi Indulgentias, d. nu. 2.
Si Laicus eligatur in Papam, antequam ordinetur, an poſſit dare Indulgentias. n. 3. f. eod.
Quid dicendum in Epiſcopo, an eius iuriſdictio in dandis Indulgentijs dicatur ordinaria communicata à Papa. nu. 4. fol. eod.
In quibus caſibus poſſint Epiſcopi concedere indulgentias, & quot, d. nu. 4.
An in conſecratione Eccleſiæ poſsit Epiſcopus indulgentiam vnius anni tantum concedere; licet plures Epiſcopi interueniant in conſecratione. nu. 5. 356.
Indulgentia conceſſa Contritis, & Confeſsis, an proſit habenti confeſsionem in voto, vel præmitti debeat actualis confeſsio. diſp. 10. ſec. 2. nu. 7. 343. & ſec. 16. nu. 1. 369. & nu. 6. 370.
Indulgentia conceſſa Populo Romano ad omnes Clericos Vrbis extenditur etiā ad Monachos. diſp. 10. ſec. 2. nu. 343.
Indulgentia conceſſa viſitanti Eccleſiam abſoluté, & citra temporis determinationem, an intelligatur toties, quoties quis Eccleſiam viſitauerit. diſp. 10. ſec. 3. nu. 3. 347. & ſec. 34. nu. 1. 382.
Quid ſi concedatur cum temporis determinatione, veluti tali die, &c. nu. 2. 382.
Indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam, eaq; fuerit diruta, an proſit viſitantibus illius ſolum. diſp. 10. ſec. 33. nu. 1. 381. & nu. 2. cum ſeq. 382.
Indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam, an admittat moralem viſitationē, puta ſi accedatur ad porticum, aut Eccleſiæ gradus. diſp. 1. ſec. 2. nu. 8. 343.
Indulgentia expoſcens viſitationem quinque Altarium ad eam lucrandam, an proſit illi, qui ex vno loco præces effundat ad omnia Altaria, abſque corporis motione. diſp. 10. ſec. 2. nu. 9. fol. eod.
Indulgentia an extinguatur, deſtructa Eccleſia. diſp. 10. ſec. 33. nu. 1. 381.
Indulgentia multipliciter diuiditur. diſp. 10. ſec. 3. nu. 1. cum ſeq. 347. & nu. 6. 348.
Quæ nam ſit indulgentia plenaria, & quotupliciter concedatur. nu. 10. fol. eod. & nu. 12. cum ſeq. 349.
An ſoleat addi: Et remiſsio omnium peccatorum, & quid importet. nu. 14. fol. eod.
An ſoleat quoque addi indulgentia partialis, quidue importet. nu. 15. fol. eod.
An ſoleat ſuperaddi. Et remiſsio tertiæ partis peccatorum, & quid ſignificet. nu. 16. f. eod.
Indulgentia plenaria ad inſtar Iubilæi in quo differat ab Indulgentia plenaria ſimpliciter. diſp. 10. ſec. 3. nu. 18. 350.
In quo differat indulgentia plenaria ab anno Iubilæi, quod ſingulis vigiuti quinque annis conceditur. nu. 19. fol. eod.

Indulgentia plenària, ſeù Iubilæũ, an remittat culpam, & pęnam æternam. diſp. 1●. ſec. 1. nu. 15. 340.
Indulgentia plenaria ſi concedatur ex vi Bullæ, vt poſsit in articulo mortis impendi à Confeſſario, an valeat impendi etiam à non Sacerdote. diſp. 10. ſec. 46. nu. 2. & 3. 393.
Indulgentia plenaria ſimpliciter, & plenaria ad inſtar iubilæi, in quo conueniant, & differant. diſp. to. ſec. 5 t. nu. 1, & 2. 397.
Indulgentia quid ſit. diſp. 10. ſec. 1. nu. 2. 338.
An Indulgentia tàm pro viuis, quàm pro defunctis ſit actus Clauium. nu. 5. fol. eod.
Quomodo diſtinguantur Indulgentiæ à ſuffragio. nu. 7. 339.
An indulgentia ſit propriè remiſsio pœnæ temporalis: & non modo à Confeſſario iniunctæ in Sacramento pęnitentiæ, ſed etiam à Deo in Purgatorio iniungendæ. nu. 13. cum ſeq. 340.
Indulgentia ſi concedatur contritis, & confeſsis confeſsio tamen prærequiratur, vt conditio neceſſaria, an præmitti debeat actualis confeſsio ad eam lucrandam. diſp. 10. ſec. 16. nu. 11. 371.
Si quis confiteatur pro indulgentia aſſequenda, & bona fide obliuiſcatur alicuius peccati mortalis, recordetur tamen intra tempus indulgentiæ, an teneatur illud confiteri. num. 12. fol. eod.
Si tantum habeat venialia, an teneatur illa confiteri, vt indulgentiam aſſequatur. ſec. 17. nu. 4. fol. eod. & nu. 7 372.
Quid dicendum ſi dubitetur de mente concedentis, an ſcilicet confeſsionem expoſtulauetit, vt conditionem neceſſariam. nu. 8. fol. eod.
Et vid. in verb. Confeſsio ſi expoſtuletur.
Indulgentia ſi expoſcat confeſsionem, ſimul & communionem, vt conditiones neceſſarias ad eam aſſequendam, an qui vult eam lucrari teneatur præmittere non ſolum commuuionem, ſed etiam confeſsionem, ſi tamen habeat ſolum venialia. diſp. 10. ſec. 18. num. 1. & 4. 373.
Vid. in verb. Confeſsio actualis.
Indulgentia ſi expoſceret eleemoſynam, & quis præciperet dari à ſeruo, qui tamen ſibi eam retinuit, nec fuit elargitus, an lucrabitur indulgentiam. diſp. 10. ſec. 21. nu. 1. & 2. 376.
Indulgentia an ſit odioſa, vel fauorabilis, & propterea ſtrictè, vel largè ſit interpetranda. diſp. 10. ſec. 2. nu. 1. 3. & 4. 342.
Indulgentia ſi fuerit citra iuſtam, & rationabilem cauſam cõceſſa, an liberet pęnitentem ab onere implendi pęnitentiam, ſibi à Confeſſario iniunctam. diſp. 10. ſec. 8. nu. 7. 360.
Quid dicendum ſtante bona fide pœnitentis. nu. 8. fol. eod.
An valeat quoad conceſsiones. n. 9. fol. eod.
An per indulgentiam remittatur etiam pęna temporalis in foro Dei. ſec. 4 nu. 17. 354.
Indulgentia ſi fuerit conceſſa in proprium fauorem alicuius perſonæ, alteri prodeſſe non poteſt, adeo, vt cui conceditur, ſibi eam lucrabitur, nec poterit alteri ſua voluntate applicare. diſp. 10. ſec. 36. nu. 2. 384.
An id poſsit ex expreſſa voluntate concedentis. nu. 3. fol. eod.
Indulgentia ſi fuerit conceſſa ſub conditione talis operis, qui partem operis implet, num lucratur partem indulgentiæ. diſp. 10. ſec. 8. nu. 15. 361.
Indulgentia, vel iubilæum ſi expoſcat confeſſionem, & quis intra tempus præſcriptum confiteatur, ſed ante eius conſecutionem in lethalem incidat culpam, an opus ſit, vt denuò confiteatur. diſp. 10. ſec. 2. n. 10. 344.
Indulgentia, vel iubilæum, ſi præcipiat confeſsionem, & communionem, & quis intra tempus præſcriptnm confiteatur, ſed poſt confeſsionem peccet mortaliter, deindè non obſtante hac culpa mortali communicet, atque ideò aliam lethalem culpam cõtrahat, an opus ſit, iterum confiteri, & communicare, vel ſatis ſit, quod tempore conſecutionis ſit in gratia, per contritionem de vtroque peccato. d. ſec. 2. nu. 12. fol. eod.
Indulgentiam aſſequitur tantum homo viator, nec quidem Angeli. diſp. 10. ſec. 39. num. 1. & 2. 386.
Si concedatur Eccleſiæ, Roſarijs, vel imaginibus, homini tamen baptizato conceſſa intelligitur. nu. 3. & 4. fol. eod.
An ſufficiat eſſe in gratia tempore, quo indulgentia applicatur. nu. 7. 387.
An concedi poſsit indulgentia homini, exiſtenti in peccato mortali. nu. 9. fol. eod. & ſec. 40. nu. 7. 388.
Indulgentiam an aſſequatur quò tempore applicationis in gratia non reperitur, recedente deindè fictione. d. ſec. 40. nu. 2. & 4. fol. eod.
Indulgentia num aſſequatur, qui opus expoſtulatum totum non adimplet, ſed aliquam eius partem prætermittit. diſp. 10. ſec. 19 n. 1. 374.
Quid ſi non impleat per impotentiam, obliuionem aliamue iuſtam cauſam etiam inuoluntariam. nu. 2. fol. eod.
Si partem implet operis, an aſſequatur partem indulgentiæ. nu. 3. fol. eod.
Quid ſi minimam partem operis iniuncti nõ impleat. nu. 6. fol. eod. Et ſec. 2. nu. 20. 346.
Indulgentiam an aſſequatur excommunicatus, qui contritus, & paratus ſatisfacere quoad poſſit, abſolutionem tamen obinere nõ valet, vt ob id confeſsionem ſacramentalem nequit præmittere, faciat verò alia opera ininncta.

diſp. 10. ſec. 2. num. 11. 344.

Indulgentiam an conſequatur, qui opus poſtulatum ex ſuo genere bonum, adimplet cum circumſtantia mali. diſp. 10. ſec. 10. n. 3. 364.
Quid ſi in opere implendo peccet mortaliter, pęniteat verò ſe talis culpæ. n. 6. fol. eod.
Quid ſi ad effectum lucrandi indulgentiam non ſolum expoſtuletur opus ex ſuo genere bonum, ſed etiam moraliter bonum in indiuiduo. nu. 7. 365.

Indulgentiam an conſequatur, qui habet conſcientiam peccati mortalis, & verè contritus accedit ad ſacram communionem, copiam non habens Confeſſarij, vel quia bona fide ex ignorantia inuincibili, vel alia iuſta cauſa id faciat. diſp. 10. ſec. 15. nu. 3. 368.
Quid ſi inaduertenter faceret confeſſionem inualidam, præciſa noua culpa, & attritus accederet ad ſacram communionem. Quid verò ſi culpa ſua faceret confeſſionem inualidam. nu. 4. fol eod.

Indulgentiam an conſequatur præſtando quis opera expoſtulata, quæ tamen ex alio capite facere tenetur. diſp. 10. ſec. 45. nu. 1. 392.

Indulgentiam ad lucrandam an ſatis ſit opinio probabilis, ſe habens, quod in hoc, vel illo caſu lucretur. diſp. 10. ſec. 50. nu. 1. cum ſeq. 397.

Indulgentiam ad lucrandam licet ſatis ſit opus eſſe bonum ex ſuo genere, quamuis malum ſit ex circumſtantia ab extrinſeco, qui tamen vult eam lucrari coniungere debet, cum naturali bonitate operis intentionem eam lucrandi. diſp. 10. ſec. 10. nu. 8. 365.

Indulgentiam ad lucrandam ſi expoſtuletur communio, & expreſsè non poſtuletur confeſſio, an adhuc ipſa prærequiratur. diſp. 10. ſec. 15. nu. 1. & 2. 368.

Indulgentiam ad lucrandam ſi poſtuletur ieiunium feria 4. 6. & Sabbatho: & quis impleuit omnia opera iniuncta, ſed ieiunare prætermiſit, vel communicare die Dominico, impeditus legitimo impedimento citra ſuam culpam, an lucrabitur indulgentiam. diſp. 10. ſec. 19. nu. 8 375.

Indulgentiam donare an poſſit quis alteri, committendo illi opus neceſſarium ad indulgentiam. diſp. 10. ſec. 37. nu. 1. 384.

Indulgentiam plenariam ſumens, an liberetur ab onere implendi pœnitentiam, ſibi a Confeſſario iniunctam. diſp. 10. ſec. 43. num. 1. & 2. 391.
Quid ſi ſumat indulgentiam partialem. ſec. 44 nu. 4. 392.

Indulgentiam ſi concedat Epiſcopus vltra ſuæ iuriſdictionis limites, an inualida ſit quoad exceſſum tantum. diſp. 10. ſec. 5. nu. 6. 356.

Indulgentiam ſi concedat Romanus Pontifex pro viuis, & defunctis, licet viuentes in lethali culpa permaneant, poſſunt tamen pro defunctis illam lucrari. diſp. 10. ſec. 38. nu. 6. 385. & ſec. 47. nu. 9. 395.

Indulgentiarum capaces eſſe Defunctorum animas, in Purgatorio tamen exiſtentes, apud omnes Catholicos certum eſt. diſp. 10. ſec. 47. nu. 1. & 4. 394.
An exigatur Carather baptiſmalis in Defuncto. ſec. 48. nu. 1. & 2. 395.
An certo, & infallibiliter proſint Defunctis indulgentiæ. ſec. 49. nu. 1 & 2. 396.

Indulgentias ad concedendas vltra cauſam piam, an exigatur, qui cui ſunt quærendæ aliquod opus imponatur. diſp. 10. ſec. 9. nu. 1. & 3. 362.

Indulgentias concedendi iuriſdictionem ordinariam, an habeant Cardinales nō Epiſcopi, Legati, vel Cardinalium Collegium Sede vacante, aut Concilium. diſp. 10. ſec. 5. nu. 8. 356. & nu. 9. 357.
An communicabilis ſit Prælatis Regulariū. nu. 10. fol. eod.

Indulgentias concedendi cauſa differt ab opere, quod ad eas concedendas expoſtulatur. diſp. 10 ſec. 8. nu. 1. 359.
Quæ ſit cauſa legitima cōcedendī indulgentias. nu. 4. fol. eod.
An debeat eſſe pia, & rationabilis. nu. 6. 360. & nu. 12. 361.
An debeat eſſe proportionata quantitati indulgentiæ. nu. 10. 360.

Indulgentias concedendi poteſtas eſt Eccleſiæ tributa iure Diuino. diſp. 10. ſec. 4. num. 1. & 3. 351.
An ſolus Papa hanc poteſtatem habeat iure Diuino, immediatè à Chriſto acceptam. nu. 4. fol. eod.
An Concilium, quamuis ex vniuerſis Epiſcopis congregatum, valeat Sede vacante concedere indulgentias. nu. 5. 552.
Et quid de Collegio Cardinalium Sede vacante. nu. 6. fol. eod.
An hanc facultatem poſſit Papa alijs ſibi inferioribus communicare, limitatam tamen ad ſui libitum. nu. 7. fol. eod.
An hæc poteſtas ſit actus iuriſdictionis, & quidem non cogentis, ſed miſerentis. nu. 8. & 9. fol. eod.
An conſiſtat in poteſtate Ordinis, vel ad eas concedendas Ordo prærequiratur. nu. 11. & 12. 353.
An detur caſus in quo hæc poteſtas ſit actus Ordinis. nu. 13. fol. eod.

Indulgentias concedendi poteſtas etiam iure Ordinario acquiri poteſt, non modo ex expreſſa Pontificis conceſſione, ſed etiam ex conſuetudine. diſp. 10. ſec. 5. nu. 12. 357.
An hanc poteſtatem habeat Summus Pontifex alijque Prælati, in peccato mortali exiſtentes.

ſlentes. ſec. 6. num. 1. & 2. fol. eod.
An Sum. Pontifex, cæteriq; Prælati poſſint ſibi ipſis concedere Indulgentias. ſec. 7. nu. 1. fol. eod. & nu. 2. & 3. 358.

Indulgentias concedendi vſus eſt de iure humano, & in Eccleſia antiquiſſimus. diſp. 10. ſec. 4. nu. 14. 353.
A quo tempore frequentari cæpit. n. 16. 354.

Indulgentias concedere an poſsit Sum. Pontifex alijq; Prælati citra omnem legitimam cauſam. diſp. 10. ſec. 8. per totam 359.
Quæ ſit legitima cauſa concedendi indulgentias. Vid. ſupra Indulgentias concedendi cauſa.

Indulgentias plenarias etiam legitimè conceſſas, non omnes ſemper lucrari probabile eſt, & quare. diſp. 10. ſec. 9. nu. 2. 362.

Indulgentias plures diuerſis vijs conceſſas, an poſsint fideles vno eodemq; opere aſſequi. diſp. 10. ſec. 35. nu. 3. 382. & nu. 4. & 5. 383. & nu. 8. cum ſeq. 384.

Indulgentiæ effectus non extenditur ad remiſſionem culpæ mortalis per ſe primo. Et neque ad remiſsionem culpæ venialis. diſp. 10. ſec. 42. nu. 1. & 2. 390.
Et neque ad remiſsionem pœnæ æternæ. nu. 3. fol. eod.
Quis nam ſit proprius, & adæquatus indulgentiarum effectus. nu. 6. fol. eod.

Indulgentiæ expreſsim conceſſæ contritis, & confeſsis, conceſſæ non cenſentur exiſtentibus in peccato mortali. diſp. 10. n. 40. n. 5. 388
Simpliciter conceſſæ viſitantibus talem Eccleſiam tali die, ſi ea die reperiantur in peccato mortali, an ſequenti die eas obtinere poſſunt, etiam recedente fictione n. 6. f. eod.

Indulgentiæ quæ cõceduntur à culpa, & pęna, quomodo intelligãtur. diſp. 12. ſec. 9. n. 6. 452

Indulgentiæ ſumuntur ex Theſauro Eccleſiæ. diſp. 10. ſec. 1. nu. 19. 341.

Indulgentiæ ſuperfluæ indiſcretæ appellantur, atque ideò vt pernicioſæ damnantur. diſp. 10. ſec. 8. nu. 11. 361.

Infamans.

Infamans proximum dicendo peccatum occultum, tenetur hanc circumſtantiam in confeſsione aperire, & cur. Et an, & quando peccet mortaliter. diſp. 3. ſec. 3. nu. 97. 109.
An dicendo falſum, vel peccatum proximi occultũ, notabiliter aggrauent. n. 102. 110.

Infantes.

Infantes ad confeſsionem ſacramentalem non tenentur, & quare. Nec infideles ante baptiſmum. diſp. 1. ſec. 1. nu. 26. cum ſeq. fol. 7.

Infernus.

Infernus qua in parte terræ collocatus ſit. diſp. 11. in princ. nu. 2. 435.

Infideles, & infidelitas.

Infideles an ligentur præcepto diuino confitendi, vel ſumendi Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum. diſp. 1. ſec. 5. nu. 6. 25. Et vid. in verb. Pagani.

Infidelium in terris exiſtens, ſi lethalem culpam contraxerit, an teneatur inde recedere pro adimplendo præcepto Diuino, vel annuæ confeſſionis. diſp. 1. ſec. 1. nu. 54. fol. 10.

Infidelitatis tres ſunt ſpecies, & quæ. diſp. 1. ſec. 6. num. 3. 25.

Infirmus.

Infirmo poteſt, & debet Sacerdos communionem denegare, ſi periculum adſit vomitus. diſp. 5. §. 2. ſec. 10. nu. 8. 543.

Infirmo, qui vno, vel pluribus, aut octo diebus ante mortis periculum communicauit, conſulendum eſt, vt iterum Euchariſtiam ſumat per modum Viatici. diſp. 1. §. 2. ſec. 1. nu. 17. 457. & diſp. 2. ſec. 2. nu. 17. 467.

Iniuria.

Iniuriam, Deo illatam, nunquam compenſare poſſumus, ſed benè illatam homini. diſp. 7. ſec. 4. nu. 10. 169.

Iniuriam qui intulit Principi, Patri, vel Sacerdoti, an teneatur id in confeſſione explicare. diſp. 3. ſec. 3. nu. 91. 108.

Iniurias diuerſas, qui vnico actu in proximum profert, ſatisfacit, dicendo in confeſſione, ſe toties proximum affeciſſe iniurijs, non explicando ſpecies iniuriarum. diſp. 3. ſec. 3. nu. 87. in med. 107. Et ſec. 5. num. 34. 122. & nu. 35. 123.
Quid ſi vna ſit altera notabiliter grauior. nu. 88. 107.
Et quid ſi ſint ſpecie differentes. ſec. 4. nu. 12. 115. Et ſec. 5. nu. 15. 120.

Interdictum.

Interdictum Eccleſiaſticum quod, & quotuplex ſit. diſp. 6. §. 2. ſec. 1. n. 3. 547. & nu. 4. & 5. 548.

Interruptio.

Interruptio quæcunque, ſiuè minima ceſſatio, ſatis an ſit ad numericam multiplicationem peccatorum mentalium, ſiuè voluntaria ſit, ſiuè ex quauis dixtractione naturali, aut ſomno etiam modici temporis proueniat. diſp. 3. ſec. 5. nu. 24. 121.
An interruptio ex inaduertentia licet phyſica ſatis ſit ad dixtinctionem peccati. num. 26. fol. eod.

Iterfacturus.

Iterfacturus ad hoſtes, mortis eſt in periculo. diſp. 1. ſec. 1. nu. 40. in med. fol. 8. Vid. in verb. Bellum.

Iubilæum.

Iubilæi in Bulla ſi dicatur, vt qui non poſſit illud conſequi in vna hebdomadà, conſequatur in alia, an qui opera expoſtulata fecerit infra duas hebdomadas, illud aſſequatur. diſp. 10. ſec. 53. nu. 1. 398.

Iubilæo promulgato in aliqua patria, poſtu-

lante, Eccleſiarum viſitationem deſignandarum, confeſſionem, communionem, & ieiunium: Si Ciuis deſignatas Eccleſias viſitauerit, & eadem hebdomada piæ peregrinationis cauſa aliò migrauerit, ac in aliena Diæceſi ieiunium, reliquaq; poſtulata impleuerit, an lucrabitur indulgentiam. diſp. 10.ſec.28.nu.3. 379.

Iubilæum an aſſequatur, qui in prima hebdomada quarta, ſexta feria, ac Sabbatho ieiunauerit, in ſecunda verò communicauerit. diſp. 10.ſec.2.nu.13. 345.

An lucretur Iubilæum, ſi in illo præcipiatur, vt in tribus diebus ieiuniorum fiat eleemoſyna, & quis illam faciat alijs diebus. num. 14. fol. eod.

An lucretur Iubilæum, qui opera expoſtulata facit intra duas hebdomadas, n.15. cum ſeq. fol. eod.

An quis lucrari poſſit Iubilæum bis, ſcilicet in vtraque hebdomada. nu.17. cum ſeq.346. Et ſec.3.nu.8. 348.

An opera, præſcripta in Iubilæo poſſint incipi in vna Ciuitate, & compleri in alia. nu. 19. 346.

An lucretur Iubilæum, qui partem minimam omittit operis iniuncti. nu. 20. fol. eod. Et Vid. in verb. Indulgentiam an aſſequatur.

Iubilæum an aſſequatur, qui in vna hebdomada ieiunat; in alia verò confeſſionem, & communionem facit. diſp. 10. ſec. 28. num. 4. & 5. 379.

Si Bulla præcipiat, vt indulgentiam aſſequantur, qui de peccatis confeſſi, trina ieiunia, ac eleemoſynam fecerint, & Eccleſiam viſitauerint; an poſſit quis vltimo die, v. gr. Dominico confiteri, & communicare, & citra iuſtam cauſam ordinem peruertere. nu. 6. 380.

Iubilæum an aſſequatur, qui per impotentiam phyſicam, vel moralem confeſſionem, in eo præſcriptam facere nequit, ſed alia opera implet. diſp. 10.ſec.14. nu.1. & 2. 367.

Iubilæum ad aſſequendum quænam Eccleſiæ ſint viſitandæ, & quæ orationes faciendæ, diſp. 10.ſec.13.nu.1. 435.

Iubilæum aſſequi volens, & habeat tantum peccata venialia, an teneatur illorum confeſſionem expoſtulatam præmittere. diſp. 3. ſec.1.nu.56. 64.

Iubilæum lucratur quis ex præſumpta voluntate concedentis, quamuis in adimplendo opere præſcripto verborum rigor Iubilæi non attendatur, vtpotè ſi requirat contritionem, & confeſſionem, iſque illam in voto habeat. diſp.10. ſec.2.nu.7. 343.

Iubilæum quando remittat culpam, & pœnam æternam. diſp. 10.ſec.1.nu.15. 340.

Iubilæum vnde dictum ſit: & num a Iubilo, vel à Iobel. d.ſec. 1. nu. 16. fol.eod.

Cætera vid. in verb. Indulgentia.

Iudex.

Iudex delegatus, vid. in verb. Delegatus.

Iudex laicus, an poſſit citra ſacrilegium arma auferre confugientibus ad Eccleſiam, eoſq; vinculis alligare, ne indè aufugiant. diſp. 3. ſec.3.nu.24. 92.

An poſſint Prælati id concedere in caſu dubij, an ſcilicet gaudeant, vel non gaudeant immunitate. d. nu. 24. in med.

Iudicium.

Iudicium confeſsionis ſacramentalis exerceri non poteſt per Sacerdotes citra præuiam omnium peccatorum cognitionem. diſp. 1. ſec.1.nu.4. fol.4.

Nec dari poteſt iudicium in incognitum. nu.5. fol.eod.

Iuramentum.

Iuramentum eſſentialiter diſtinguitur à voto, & maior eſt voti obligatio, quam iuramenti. diſp.10.ſec.74. nu. 5. & 6. 419.

An poſſit Confeſſarius commutare iuramenta Religionis, & Caſtitatis. Vid. in ver. facultate conceſſa.

Iuramentum falſum poteſt reſeruari per Superiores Regulares. diſp.8.ſec.11. nu.74. 278.

An regularis in hunc caſum reſeruatum incidat, taeendo veritatem. nu.77. 279. Et vid. in verb. Regulares.

Iuriſdictio.

Iuriſdictio, ac poteſtas abſoluendi à peccatis, data per Chriſtum Apoſtolis, per illa verba. Accipite Spiritum Sanctum, &c. Fuit delegata, non ordinaria, nec ad alios tranſitura, ſed cum ipſis Apoſtolis deſitura. Et ſolum Petro data fuit ordinaria. diſp. 1. ſec. 1. nu.22. fol. 7.

Iuriſdictio Epiſcoporum eſt de Iure humano, immediatè enim accipitur à Papa, ab eoque pendet tùm in fieri, tùm in conſeruari. diſp. 8.ſec.4. nu. 4. 222.

Ius.

Iura diſponentia de maſculis, vt valeant ad ordines promoueri; ac de fœminis vt poſſint in Religionem ingredi, Hermaphroditos non comprehendunt. diſp.1.ſec.3. n.22. 20.

Iure ſuo quilibet vti poteſt, licet aliquid detrimenti alteri ſequatur. diſp.3.ſec.8.n.13. 131.

Ius omne, vel ad perſonas pertinet, aut ad res, vel ad actiones. diſp. 1. in princ. n. 3. fol. 1.

Laicus.

LAicis, & Clericis nunquam licitum eſt Sacramentum Euchariſtiæ per ſe ipſos ſumere, alijque miniſtrare. diſp. 5. §. 2. ſec.1. nu 4. 533. & nu. 7. 535.

Quid de conſuetudine primitiuæ Eccleſiæ. nu. 5. fol.eod. Vid. in verb. Conſuetudo.

An

An id ſit licitum in extrema neceſsitate, & tempore peſtis. ſec.2.n.1.fol.eod.& n.2.534.
An liceat laicis Euchariſtiam de terra eleuare, deficiente Sacerdote, aut Diacono. nu.6. fol. eod.
Laico confiteri, atque ab eo abſolui an liceat in caſu neceſsitatis.diſp.8.ſec.1.n.1.2.& 3.199. & nu. 11.201.
An poſsit in hoc Sum. Pontifex diſpenſare. nu.4. fol.eod.
Quid ſi laicus fuerit ex communi errore æſtimatus Sacerdos. nu.6. & 8. 200.
Laicos quotidie communicare an ſit contra reuerentiam Euchariſtiæ Sacramenti. diſp. 2.§.2.ſec. 3. nu. 1. & 2. 473.
An id laudetur, vel reprehendatur ab Auguſtino. nu.3. fol.eod.
Vid. in verb. Communicare.
Laicus an validè poſsit excommunicatum à cenſura abſoluere in articulo, vel periculo mortis. diſp.8.ſec.1. nu.5. 200.
An ſit valdè vtilis confeſsio facta laico. Vid. in verb. Confeſsio.

Lapſus.

Lapſus carnis poteſt per Superiorem Regularem reſeruari. diſp.8.ſec.11.nu.148. 290.
Quotupliciter reſeruari ſoleat.nu.149.f.eod.
Quæ nam ſub lapſu carnis comprehendantur. nu. 150. fol.eod.
An comprehendatur Collocutio ad turpia? Et quid, ſi hæc verba adderentur (quidquid eſt contra votum caſtitatis) ibidem.
Quando lapſus carnis dicatur voluntarius, & quando inuoluntarius. nu.151. fol.eod.
Quando dicatur opere conſummatus. num. 153.291.
Si reſeruetur à Prælato regulari lapſus carnis voluntarius, opere conſummatus cum tertia perſona, ſemper intelligitur de corporum coniunctione. nu.159. 291.

Latini.

Latini in templis Græcorum, exiſtentibus in Eccleſia Latina, haud poſſunt in fermentato conſecrare, nec communicare. diſp. 2. §. 2. ſec.13.nu.5. 498.
Et quid ſi tanquam hoſpes, & viator, ſiue diu, ſiuè per breue temporis ſpatium verſetur Latinus in terris Græcorũ.d.n.5.in med.

Legans. & Legatum.

Legans duos Mulos, ſi alios non habeat, niſi duas Mulas, an cenſeatur ipſas Mulas legaſſe. diſp.1.ſec.4. nu.9. 22.
Legatum ſi fiat vxori de veſtibus panni ad vſum ipſius, an comprehendat veſtes panni ad promiſcuum vſum deſtinatas. diſp. 1. ſec. 3. nu. 19. 20.

Legatus.

Legatus à latere in ſua prouincia omnia efficere poteſt, quæ poſſunt Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ. Et ſignanter diſpenſare poteſt cum eo, qui celebrauit, innodatus cenſura. diſp. 8. ſec. 6. num. 18. in med. cum ſeq. 234.
Legatus à latere iuriſdictionem, quam habet in foro pœnitentiali, an poſsit alteri delegare. diſp.8. ſec.7.nu.9. 238.
Quid dicendum de legatis Apoſtolicis. nu. 11. 239.
Legatus de latere, ac Nuncij Apoſtolici eligere ſibi poſſunt Confeſſarium, dum in eorum Prouincijs reperiũtur. diſp.8.ſec.4.n.19.225
Legatus Romani Pontificis proprius Sacerdos omnium, qui de finibus ſunt ſuæ legationis. diſp.8.ſec.2. nu. 3. 203.

Legiſlator.

Legiſlator ferendo legem pœnalem, ex Iuris præſumptione culpam excludere videtur. diſp.6.§.2.ſec. 3. nu.3. 549.
Legiſlator legem quam tulit, an poſsit citra culpam violare: Et quid ex rationabili cauſa. diſp.1.ſec.2.nu.29. 17.

Lex.

Lex ſi diſponat per verba generis maſculini, an & quando comprehendat fœmininum. diſp.1. ſec.4.nu. 10. 22. Vid. in verb. Maſculinum.

Litteræ.

Litteras datas à ſuperioribus ad inferiores, vel è contra impedire, retardare, vel aperire, reſeruari poteſt per Superiores Regulares. diſp.8.ſec.11.nu.179. 296
An caſum reſeruatum incurrat impediens, vel retardans ob ignorantiam, obliuionem, inaduertentiam, &c. nu. 181.fol.eod.
Quidué ex ignorantia concomitante, craſſa, vel affectata, nu. 182. fol.eod.
Si Religioſus verbis tantum impediat, puta minis, ſed non facto, an caſum incurrat reſeruatum. nu. 188. 297.
Quid ſi ex tali impedimento proximo non inferatur notabile impedimentum, etiam citra lethalem intentionem. nu. 190. 298.
Quid ſi abſque dolo impediat. n.191.fol.eod.
Quid ſi litteræ rem non contineant grauem. nu.192. fol. eod.
Quid ſi impediat litteras iam ſcribendas. nu. 193. fol.eod.
In quo differat retardatio ab impedimento. nu. 194. fol. eod.
Litteras reſerantes aliorum, an incidant in aliquam excommunicationis ſententiam, & in crimen falſi. d ſec.11.nu 195. fol.eod.
An peccent mortaliter, & teneantur ſub ſigillo ſecreti reticere, quæ in litteris habentur. d.nu. 195. in med.
An Religioſus in caſum reſeruatum incidat ſi aperiat literas cuiuſuis Superioris.nu.189. & nu.196. fol.eod.
Quid ſi aperiat tantum, ſed non adimat à deferen-

ferentibus. nu. 197. fol. eod.
Quid ſi non doloſe aperiat, nec cum notabili alterius detrimento. num. 198. fol. eod.
Quid ſi litteras aperiat, ſed non legat. num. 199. 299.

Locus.

Locus Sacer, haud definit eſſe ſacer, ex quo deſtruatur, aut ab hoſtibus capiatur, & ad prophanos vſus conuertatur, aut Eccleſiaſtico ſupponatur interdicto. diſp. 3. ſec. 3. nu. 45. 98. & nu. 53. verſ. Nec etiam 100.

Lutherus.

Lutherus, eiuſq; Sectatores redarguuntur circa pœnitentiæ Sacramentum. diſp. 3. ſec. 1. nu. 94. 72.
Lutherus occaſionem ſui erroris ſumpſit ex prauo affectu impugnandi indulgentias, quas concedendi poteſtatem negat eſſe in Eccleſia Dei. diſp. 10. ſec. 4. nu. 1. 351.

Lymbus.

Lymbus puerorum diſtat ab Inferno, & propinquus eſt Lymbo Sanctorum Patrum. diſp. 11. ſec. 1. nu. 6. 437.
Lymbus Sanctorum Patrum. Vid. in verb. Receptacula.

Magiſtri.

Magiſtri in ſacra Theologia, alijq; Iuris Canonici Laureati, quamuis teneantur præſentare ſe Epiſcopo pro approbatione ad confeſſiones, non poſſunt tamen ab eo examinari ad id. diſp. 8. ſec. 9. nu. 7. 249. Et nu. 20. verſ. Secundò limitatur. 252.

Mala.

Mala volita, an & quando ſint in confeſſione explicanda. diſp. 3. ſec. 3. nu. 39. in fin. 97.

Malefici, & Maleficium.

Malefici, & Incantatores, an, & quando dicantur formaliter hæretici, pœna mortis puniantur, & in Bullæ Cœnæ excommunicationem incidant. diſp. 8. ſec. 11. nu. 42. 273.
Maleficium ad tollendum, qui alio maleficio inducit, an teneatur confiteri peccatum inductionis. diſp. 3. ſec. 3. nu. 18. 90. & n. 19. 91.

Maſculinum.

Maſculinum verbum à lege, vel Canone prolatum, ſemper concipit fœmininum. diſp. 1. ſec. 4. nu. 7. & 9. 22. & nu. 12. 23.
Quid in odioſis. d. nu. 9. in fin. & nu. 11. 23.
Quid in ſtatutis. nu. 15. fol. eod. Et quid in priuilegijs. nu. 16. fol. eod.
Quid in diſpoſitione legis de materia non conueniente vtriq; ſexui. nu. 18. fol. eod.
Et quid in contractibus maximè ſtricti Iuris. nu. 20. fol. eod.

Materia.

Materia circa quam, ſiuè remota ſacramentalis confeſſionis, quæ nam ſit. diſp. 2. ſec. 7. num. 15. 50.
Materia in naturalibus triplex eſt. diſp. 2. ſec. 7. nu. 3. 47.
Quæ nam dicatur materia ſacramentalis morali modo. nu. 4. 48.
Materia Sacramenti pœnitentiæ moraliter in quot diuidatur. diſp. 7. ſec. 1. nu. 4. 166.
Materia vera, & propria Sacramenti Euchariſtiæ, quæ nam ſit. diſp. 2. §. 2. ſec. 12. nu. 3. & 4. 496.
An panis, & farina hordeacea, ex Milio, Auena, &c. ſit propria huius Sacramenti materia. d. nu. 4. Et vid. in verb. Panis.
An vinum ex vite, &c. Vid. in verb. Vinum.

Matrimonium.

Matrimonium adhoc, vt contrahi poſſit, quæ nam ætas exigatur, tàm in maſculo, quàm in fœmina. diſp. 1. ſec. 7. n. 18. verſ. Quo vero. 29.
An Epiſcopus poſſit in hoc diſpenſare. nu. 19. fol. eod.
An peccent contrahentes Matrimonium ante ætatem legitimam. d. nu. 19.

Medici.

Medici vltra diem tertium ægrotos viſitare nequeunt, niſi ſibi conſtet de eorum confeſſione per fidem Confeſſarij. diſp. 1. ſec. 1. nu. 41. fol. 8.

Mendacium.

Mendacium circa materiam Sacramenti Pœnitentiæ non neceſſariam, haud eſt contra eiuſdem valorem, ac integritatem, ſiuè ſit affirmatiuum, ſiuè negatiuum. diſp. 6. ſec. 1. nu. 7. 161.
Quid ſi ſit circa materiam neceſſariam, an ſit peccatum mortale, & confeſſionem inualidam efficiat. nu. 13. 163.
Quid ſi proferatur circa peccati circumſtantias. nu. 15. fol. eod.
Quid ſi proferatur circa peccata mortalia dubia. nu. 17. fol. eod.
An peccet quis mentiendo in confeſſione ſcienter, & tàm ſi maiorem, quàm ſi minorem numerum exprimat, quam commiſit. nu. 18. fol. eod.
Quid ſi id agat ex inaduertentia, vel ex probabili ignorantia. nu. 19. fol. eod.
Quid ſi pœnitens iuſtam habeat cauſam occultandi peccatum mortale. nu. 23. 164.
An ſit mendacium, ſi pœnitens interrogatus à Confeſſario de peccato, à quo fuit validè abſolutus, neget illud commiſiſſe. n. 24. f. eod.
An committat grauem culpâ ſi quis accuſet ſe in confeſſione de ſpeciali peccato, quod non commiſit. nu. 26. 165.
Mendacium formale quod nam ſit, & quod materiale. d. ſec. 1. nu. 1. 161.
Mendacium in confeſſione ſacramentali prolatum, an & quando eam inualidam reddat, d. ſec. 1. per totam fol. eod.
Prolatum de rebus, ac circumſtantijs non perti-

pertinentibus ad materiam confeſſionis, an ſit contra eiuſdem valorem, ac integritatem. nu. 2. fol. eod.
Quid ſi mendacium ex ſuo genere ſit peccatum mortale. nu. 5. fol. eod.
An teneatur pœnitens dicere ſe dixiſſe mendacium in confeſſione, vel ſatis ſit dicere: ſe mendacium protuliſſe. nu. 6. fol. eod.
Mendacium quale reddat inualidam confeſſionem. diſp. 6. ſec. 2. nu. 2. 165.

Mendicantes.

Mendicantibus Religioſis conceſſa fuere priuilegia audiendi confeſſiones omnium Secularium citra Parochi licentiam. diſp. 8. ſec. 3. nu 36. 220.
An requiratur Ordinarij approbatio iuxta Trid. nu. 38. fol. eod. & nu. 39. 221.

Meretrix.

Meretrix expoſita ad fornicandum, an teneatur numerum fornicationum exprimere, maximè cum Coniugatis, Clericis in ſacris, &c. vel ſufficiat explicare tempus, & animi propoſitum ad tale peccatum. diſp. 3. ſec. 4. nu 19. cum ſeq. 116.
An interrogari debeat de Religioſis, & quare nu. 21. 117.
An id extendatur ad quemuis peccatorem conſuetudinarium, & expoſitum ad peccandum. d. n. 21. in fin Et vid. in ver. Peccatores.

Mœtus.

Mœtus mortis an excuſet quempiam ab excommunicationis, & caſus reſeruati incurſu. diſp. 8. ſec. 11. nu. 160. 292.

Milites.

Milites melitenſes verè, & propriè Religioſi ſunt, & tria vota ſubſtantialia emittunt. diſp. 10. ſec. 79. nu. 2. & 3. 422.
An Confeſſarius vi Iubilæi commutare poſſit vota huius religionis ibid. Et vid. in verb. Confeſſarius.
Quid dicendum de Militibus Diui Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ. ſec. 80. nu. 1. & 2. fol. eod.
An poſſit Confeſſarius vi Iubilæi, aut alterius Bullæ votum horum Religionum commutare ibid. Et vid. in verb. Confeſſarius.

Miniſter, & Miniſterium.

Miniſter Sacramenti Euchariſtiæ quotuplex ſit. diſp. 4. §. 2. in princ. nu. 1. 515.
An ſit Sacerdos poteſtatem habens tum ordinis, tum iuriſdictionis. ſec. 1. nu. 1. & 2. fol. eod. & diſp. 5. ſec. 6. 537.
An ſit tantũ Sacerdos. Vid. in verb. Sacerdos.
An Diaconi, & Clerici, ſiue etiam Laici Iure Dinino ſint Miniſtri in diſpenſando fidelibus hoc Sacramentum. diſp. 5. §. 2. ſec. 1. nu. 1. 532.
Miniſterium nudum delegare quid ſit. diſp. 8. ſec. 7. nu. 19. 240.

Miſſa.

Miſſam audire à Sacerdote publico Concubinario, Iura prohibent. diſp. 5. §. 2. ſec. 5. nu. 6. 536.
Miſſam celebrare ante lucem, vel poſt meridiem, excepta prima Miſſa in nocte Natalis Domini, licitum non eſt. diſp. 2. §. 2. ſec. 5. nu. 1. & 4. 478.
An ſit licitum ex priuilegio. nu. 5. fol. eod. & nu. 6. 479.
An ſit licitum Miſſam celebrare toto eo tempore, quod intercedit à meridie vſque ad horam nonam, ſecluſo ſcandalo. nu. 7. fol. eod.
In quibus caſibus licitum ſit celebrare ante lucem, & poſt meridiem. nu. 8. fol. eod.
Miſſam celebrare, & minimè communicare ſub vtraque ſpecie, nunquam licitum eſt, & quare. diſp. 4. §. 2. ſec. 2. nu. 6. cir. med. 517.
Miſſam inchoare ante Auroræ principium, regulariter non licet, & cur. diſp. 2. §. 2. ſec. 4. nu. 5. & 6. 476.
Quid in feſto Natalis Domini. nu. 7 fol. eod.
An ſit peccatum celebrare hora, & dimidia ante Solis ortum. nu. 8. fol. eod.
Quæ rationabilis cauſa exigatur. n. 9. f. eod.
Qui nam Miſſam celebrare valeant per horam ante Auroram, & infra horam poſt meridiem. nu. 10. fol. eod.
Miſſam ſi quis certo ſciat, fore ſe non auditurum poſt horam nonam, an teneatur anticipare, & ante prædictum tempus audire. diſp. 5. ſec. 7. nu. 3. 158.

Mixta.

Mixta ſub ſimplicibus, an comprehendantur. diſp. 1. ſec. 3. nu. 18 20.

Modus.

Modus ſecretæ confeſſionis non eſt ſuperſtitioſus, ſed honeſtus, & ad Sacramenti pęnitentię ſatis congruus. diſp. 4. ſec. 1. nu. 4. 140.
An ſit neceſſarius neceſſitate Sacramenti, vel præcepti. nu. 5. fol. eod. & nu. 6. 141.
An omitti poſſit citra iuſtam, & rationabilem cauſam. nu. 7. fol. eod.

Monachus.

Monachi nigri, & Moniales nigræ ad confeſſionem tenentur ſingulis menſibus. diſp. 1. ſec. 4. nu. 23. fol. 23.
Num teneantur ſub mortali. ibidem.
An quicunq; Monachi teneantur ad confeſſionem ſingulis menſibus de honeſtate. nu. 24. in med. fol. 24.
Monachus pro acquirenda indulgentia. Vid. in verb. Eleemoſyna.

Monaſterium.

Monaſterij loca, ſcilicet habitacula Religioſorum, & Officinæ, quamuis immunitate gaudeant Eccleſiaſtica, non propterea dicuntur ſacra ad effectum effuſionis ſanguinis, vel ſeminis, licet in eis adſit Altare ad celebran-

dum.

Digitized by Google

dum. diſp. 3. ſec. 3. num. 22. 91.
Monaſterij ſecta. Vid. in verb. Clauſura.

Monialis.

Moniales Iubilæi tempore an poſſint ſibi eligere in Confeſſarios quoſcunq; ab Ordinario approbatos, quamuis non ſpecialiter ad eadem rundem confeſsiones deputatos. diſp. 10. ſec. 63. nu. 1. 406. & nu. 3. & 5. 407.
An poſsint ſibi eligere in Confeſſarium approbatum tantum a ſuo Prælato regulari. nu. 7. fol. eod.
Moniales, quæ citra Superiorum licentiam de Monaſterio exeunt, efficiuntur an poſsint apoſtatę, & caſum reſeruatum incurrere. diſp. 8. ſec. 11. nu. 48. 274.
Quid de Monialibus tertij Ordinis S. Franciſci, & S. Dominici. d. nu. 48.
Monialibus Superiori Regulari ſubiectis, deputari an poſsit Confeſſarius regularis, ab Epiſcopo Diœceſano non approbatus. diſp. 8. ſec. 2. nu. 44. 211.
Quid ſi Bullam, Iubilæum, vel priuilegium habeant eligendi ſibi Confeſſarium. nu. 45. fol. eod.
Monialis peccans contra caſtitatis votum, an teneatur in confeſsione aperire profeſsionis circumſtantiam. diſp. 3. ſec. 3. nu. 70. 104.
Monialium Monaſteria ingredientes. Vid. in verb. Clauſura.

Moribundus.

Moribundus ſi dixerit Confeſſario, ſe velle confiteri, quia multa peccata mortalia habet illi aperienda, & interim loquelam amittat, an poſsit abſolui. diſp. ſec. 1. nu. 110. in med. 77
Quid ſi ſub conditione aliqua dixerit ſe velle confiteri, ibidem.
An poſsit abſolui Moribundus, ſi ſigna tantum contritionis oſtenderit, abſente Sacerdote, ibidem.

Motus.

Motus non multiplicatur numero, niſi intertumpatur. diſp. 3. ſec. 5. nu. 18. 121.
Motus, quoad Sacramentum Euchariſtiæ attinet, duplex eſt phyſicus, & ſacramentalis. diſp 4. §. 2. ſec. 10. nu. 1. 526.
Motus, vel eſt per ſe, vel per accidens. d. ſec. 10. nu. 2. fol. eod.

Mulcta.

Mulcta, quæ imponitur à Sacerdote, aliaque opera, quibus debitum pœnæ poſt remiſſam culpam redimitur, vt ſatisfactoria ſint, an fieri debeant ab homine exiſtente in gratia. diſp. 9. ſec. 2. nu. 2. & 3. 319. & nu. 17. 322.

Mulier.

Mulier in partu cenſetur conſtituta in periculo mortis, maximè in partu difficili. diſp. 1. ſec. 1. nu. 40. in med. fol. 8.
Mulier peccans cum Sacerdote, Religioſo, aut Epiſcopo, tenetur hanc perſonæ circumſtantiam in confeſsione explicare. diſp. 3. ſec. 3. nu. 73. 104
Mulierem inuitare ad malum, & cum illa peccare, vnicum eſt peccatum, nec in confeſsione explicanda eſt circumſtantia ſcandali. diſp. 3. ſec. 3. nu. 83. 106.
Mulieres Coniugatæ, quæ pridie, vel eadem die debitum Maritis reddiderunt, an impediantur Sacramentum ſumere Euchariſtiæ. diſp. 2. §. 2. ſec. 2 nu. 9. 471.
Mulieres fucatæ, aut ornatæ ementitis capillis, remoueri debent à ſacra communione. d. ſec. 2. nu. 6. 470.

Mulſum.

Mulſum ex qua materia fiat, & an ſit ſpecies, à vino diſtincta. diſp. 1. ſec. 3. nu. 14. 20.
An fiat Dominus mulſi, qui ex alieno melle, & vino illud efficiat. nu. 15. fol. eod.

Muſtum.

Muſtum an ſit ſufficiens materia Sanguinis Chriſti. diſp. 2. §. 2. ſec. 14. n. 13. cum ſeq. 501.
Et vid. in verb. Vinum.

Mutatio.

Mutatio formæ Sacramenti pęnitentiæ, quæ corruptiua non eſt eiuſdem ſenſus, non inualidat Sacramentum. diſp. 12. ſec. 2. n. 1. 444.
An ſint immunes à culpa, qui formam hoc modo mutant. nu. 2. 445.
An ſit culpa lethalis ex ſuo genere. ibidem, & num. 2.
Mutatio formæ Sacramenti pęnitentiæ, quæ ſenſum eiuſdem corrumpit eſt contra valorem Sacramenti. d. ſec. 2. nu. 4. fol. eod.
An faciat Sacramentum ſi quis dicat Abſoluaris à Deo. nu. 5. fol. eod.

Neceſsitas.

NEceſsitas vrgens pęnitentis, an eum excuſet ab integritate materiali confeſsionis. diſp. 3. ſec. 1. nu. 113. 78.
Eundem an excuſet neceſsitas, & impotentia ex parte Confeſſarij, vtpotè ſi ex ſuperuenienti morbo Confeſſarius obmuteſcat. nu. 114. cum ſeq. fol. eod.

Negotiatio.

Negotiatio in loco ſacro, aſportatis in eum rebus venalibus, maximè deſeruientibus ad profanum vſum, an ſit in confeſsione explicanda. diſp. 3. ſec. 3. nu. 26. 92.

Neſtorius.

Neſtorius hæreticus. Vid. in verb. Euchariſtiæ Sacramentum.

Nouitius.

Nouitius, ſi in confitendo peccata, interrogatus à Magiſtro, an cum profeſsis fuerit locutus, mentiendo reſpondeat negatiuè, an peccet mortaliter, & nulliter confiteatur. diſp. 6. ſec. 1. nu. 11. 162.

Nu-

Numerus.

Numerum peccatorum explicare in confeſsione, an pertineat ad integritatem confeſsionis diſp.3.ſec.4. nu. 1. & 2. 113.
Quid dicendum de numero peccatorum, de quibus pęnitens dubius eſt an commiſerit, vel an ſint mortalia, nec nè. nu.9. 114.
Qui neſcit numerum determinatum an teneatur exprimere numerum veriſimilem. nu.10.fol.eod.
An teneatur numerum peccatorum in confeſsione exprimere, licet Confeſſarius non poſsit eum directè abſoluere, ſed tantum indirectè, vt à reſeruatis tempore neceſsitatis. nu.11. 115.
An ſufficiat explicare eam peccatorũ quantitatem, quam ſuo iudicio iudicat veriſimiliorem, ſi diſtinctè non recordetur illorum numerum nu. 17. 116.
Quomodo,& qualiter ſit explicandus peccatorum numerus quoad peccata interna. nu. 22. 117.
An ſit explicandus peccatorum numerus, ſi notus ſit Confeſſario extra confeſsionem. nu.24. fol. eod.
Numerus pluralis in pęnalibus, an ſingularem comprehendat. diſp.8. ſec.11. nu. 104. 283. & nu. 105. cum ſeq. 284.

Nuncij.

Nuncij Apoſtolici. Vid. in verbo Legatus de latere.

Nupta.

Nuptam, qui violenter cognouit, adulterium committit, & violentiam, vtrumq; in confeſsione explicandum. diſp.3.ſec.3.n.33.94.

Nutus.

Nutus an deſeruiant pro vocibus pro adimplendo præcepto confeſsionis, & communionis ſemel in anno. diſp.1. ſec.9.n.21. 33.

Obiectum.

Obiecta explicare in delectatione moroſa an, & quando impertinens ſit ad confeſsionis integritatem. diſp.3. ſec.3.n.40. 97.
Obiectorum pluralitas an, & quando ſit in confeſsione aperienda.diſp.3.ſec.5.n.3. 119.

Occaſio.

Occaſionem proximam an, & quando teneatur quis euitare, ac propoſitum illas relinquendi habere. diſp.7.ſec.3. nu.5. & 6. 169.

Occidens.

Occidens Principem, vel eius Magiſtratum: Aut Patrem, Matrem, Auum, Auiam, &c. in quod crimen incidat. diſp. 3. ſec. 3. num. 12. 88.
Quid ſi occidat Clericum ibidem. Et vid. in verb. Clericum occidens.
An teneatur huius criminis circumſtantiam in confeſsione aperire. nu. 60. 102.

Odium.

Odium peccati tantum, an ſatis ſit ad contritionem. diſp.7.ſec.9.nu.23. 187.

Officialis, & Officium.

Officialis, quis nam propriè dicatur. diſp. 8. ſec. 11. nu. 101. 283.
Quis nam dicatur Officialis in materia Monaſterij. nu. 102. fol.eod.
Officium Diuinum proponens omittere per menſem, an vnum peccatum committat. diſp.3.ſec.5. nu. 6. 119.
Officium Diuinum recitare, & ſacrum ſimul audire an poſsit conſtitutus in ſacris. diſp. 5. ſec.5.nu.4. 156.
Officium, vel negotiationem exercentes, & è domo, in qua periculum peccandi proximè imminet, diſcedere nolentes, an & quando ſint abſoluendi. diſp.7.ſec.4.nu.7. 169.

Omittens, & omiſsio.

Omittens peccata aliqua. Vid. in verb. Peccata aliqua.
Omiſsio confeſsionis totius anni ex iuſta, & rationabili cauſa, haud excuſat omittentem, quin ſequenti anno confiteri teneatur, cum primum poterit. diſp.5.ſec.6.nu.4. 157.

Opus.

Opera bona iuſtorum per ſe virtutem habent ſatisfaciendi pro pęna temporali, peccatis noſtris debita, etiam extra Sacramentũ pęnitentiæ,& de condigno.diſp.9.ſec.3.n.11.328.
Opera in Iubilæo præſcripta ad illud lucrandum, an poſsint incipi in vna Ciuitate, ſeu Oppido, & compleri in alia, intra tempus tamen Iubilæi. diſp.10.ſec.52. nu.1. 397.
Opera in Iubileo præſcripta, qui impleuerit infra duas hebdomadas, an illud lucretur, ſi in Bulla dicatur, vt qui non poteſt conſequi Iubilæum in prima hebdomada, conſequatur in ſecunda. diſp.10. ſec.53. nu.1. 398.
Opera in Iubilæo præſcripta, qui ſcienter, & malitioſè prætermittit, an poſſit vltima die Iubilæi illud lucrari, & prædicta opera à Confeſſario commutari. diſp. 10. ſec.29.nu. 1. & 2. 380. & ſec.54.nu.1. 398.
Opera Miſericordiæ præſtantiora ſunt operibus afflictiuis. diſp.9.ſec.2.nu.2. 323.
Opera omnia bona moralia regulariter imponi poſſunt a Confeſſario ſuo pœnitenti, & quæ nam ſint. d.ſec.2.nu.4.fol.eod.
An prædicta opera eleuentur virtute Sacramenti,& effectum habeant ex opere operato. nu. 5. fol. eod. Et vid. in verb. Confeſſarius Curare.
Opera ſatisfactoria ad tria reducuntur, & quæ. d. ſec.2 nu.1. fol.eod.
Opera ſatisfactoria. Vid. in verb. Mulcta.
Opus ad indulgentiam expoſtulatum, an debeat eſſe honeſtum in indiuiduo. diſp. 10. ſec.10. nu. 2. 364.

Quot modis opus dici poſſit bonum, vel malum. nu. 1. 363.
An ſatis ſit adimpleri cum circumſtantia mala, ab extrinſeco adducta. nu. 3. fol. eod. Et vid. in verb. Indulgentia.

Opus ad Indulgentiam expoſtulatum, an debeat eſſe externum, vel ſufficiat internum. diſp. 10. ſec. 11. per totam. 365.
An impleri debeat cum intentione lucrandi illam. ſec. 12. per totam 366.
An requiratur intentio principalis, vel æquè principalis acquirendi illam. ſec. 13. per totam 367.

Opus ad Indulgentiam expoſtulatum an implendum ſit iuxta facultates quærentis illam. diſp. 10. ſec. 19. nu. 4. 374.

Opus ad Indulgentiam aſſequendam poſtulatum, an impleri poſſit per alium diſp. 10. ſec. 20. nu. 1. & 3. 375.
An impleri poſſit per famulum, amicum, procuratorem, &c. nu. 4. 376.
Quid dicendum, ſi opus ſit perſonale. nu. 5. fol. eod.
An impleri debeat tempore, & loco determinato iuxta formam conceſſionis. ſec. 28. nu. 1. 379.

Opus ad indulgentiam poſtulatum, an poſſit quis implere pro alio, ita vt operans non ſibi, ſed cui ſua voluntate applicat, illam lucretur. diſp. 10. ſec. 36. nu. 1. 384.

Opus bonum quatenus eſt meritorium, an excedat perſonam merentis: Et quid quatenus eſt ſatisfactorium. diſp. 10. ſec. 1. nu. 11. 339.

Opus ſi ex Indulgentiæ forma impleri poſſit per alium, an operans, dum operatur debeat eſſe in gratia. diſp. 10. ſec. 38. n. 2. & 3. 385.

Pagani.

Pagani, ac infideles omnes, qui neque baptiſmo flaminis baptizati ſunt, præcepto annuæ confeſſionis, & communionis haud ligantur. diſp. 1. ſec. 5. nu. 4. 24.
In quo pagani à Iudæis differāt. ſec. 6. n. 3. 25.

Panis.

Panis Triticeus, ex aqua naturali confectus, ſiuè ex fonte, flumine, puteo, aut Ciſterna, validè, & licitè conſecratur, ac ſumitur. diſp. 2. §. 2. ſec. 12. nu. 7. 497.
Quid ſi miſceatur vinum, lac, &c. n. 8. f. eod.
Quid ſi conficiatur ex aqua Roſacea. nu. 9. fol. eod.
Quid ſi ex aqua Maris ibid. in med.
An conſecrans huiuſmodi panem grauiſſimè peccet. nu. 10. fol. eod.

Papa.

Papa adimplere tenetur legem Diuinam eamq; defendere vſque ad ſanguinem, vel animam. diſp. 1. ſec. 1. nu. 66. fol. 11.

Papa ad ſacramentalem confeſsionem ſemel in anno, an teneatur, quamuis à Deo non fuiſſet præcepta. diſp. 1. ſec. 2. nu. 27. cum ſeq. 16.
An teneatur præcepto annuæ confeſſionis, ſiuè Concilium ſit ſupra Papam, ſiuè non. num. 30. 17.
Quid ſi confeſſio fuiſſet introducta tantum Iure humano. nu. 31. fol. eod.
An teneatur anticipare confeſſionem, ſi probabiliter timeat carentiam Confeſſarij. nu. 32. fol. eod.
Quid ſi Conſcientiam non habeat peccati mortalis. nu. 35. fol. eod.
An excuſetur ab vtroq; præcepto ex iuſta, & rationabili cauſa. nu. 36. fol. 18.
An teneatur tantum vi directiua, non vero coactiua. nu. 37. fol. eod.

Papa compellere, haud poteſt Sacerdotem ad peccatum reuelandum, detectum ſibi in confeſſione. diſp. 1. ſec. 2. nu. 17. fol. 16.
An teneatur ſtatim ad confeſsionem accedere, ac commiſerit culpam lethalem. num. 20. fol. eod.
An teneatur confiteri in articulo, & periculo mortis. nu. 21. fol. eod.
An teneatur ratione periculi carendi Confeſſario. nu. 22. fol. eod.
An teneatur ſumere quoque Sacramentum Euchariſtiæ in articulo, vel periculo mortis. nu. 23. fol. eod.
Quid ſi non habeat culpam mortalem, vel hæc ſumere non poſſit. n. 24. cum ſeq. f. eod.

Papa diſpenſare an poſſit in diſpoſitis per legē Diuinam quoad præcepta moralia affirmatiua. diſp. 1. ſec. 1. nu. 67. fol. 11.
An poſsit diſpenſare cum aliquo, nè confiteatur ſemel in anno. nu. 69. 12. & nu. 81 13.
An poſſit hanc confeſsionis legem abrogare quoad omnes. nu. 79. 13.
An poſsit temporis determinationem in hoc præcepto variare. nu. 82. fol. eod.

Papa diſpenſare non poteſt in voto paupertatis religioſæ, poteſt vero in voto caſtitatis eiuſdem. diſp. 8. ſec. 11. nu. 57. cum ſeq. 276.
Concedendo Epiſcopis Religioſis facultatem teſtandi, an cenſeatur diſpenſare cum illis in voto paupertatis. nu. 63. 277.

Papa diſpenſare an poſsit, vt Sacerdos pluries in die celebret: vel Laicus communicet. diſp. 2. §. 2. ſec. 4. nu. 3. 476.

Papa diſpenſari, & abſolui poteſt per eum, quem ſibi eligit in Confeſſarium ab omnibus, & ſingulis caſibus. diſp. 8. ſec. 6. nu. 3. 230.

Papa eligere ſibi poteſt, & debet Confeſſarium, cui ſua peccata confiteatur. diſp. 8. ſec. 4. num. 8. 223.

Papa Iuri Diuino ſubijcitur. diſp. 1. ſec. 2. nu. 14. fol. 15.

Papa licet ſit Dei Generalis Vicarius, tamen in actu cōfeſsionis tenet locum priuatæ perſonæ,

Digitized by Google

ſonæ, efficiturq; minor Sacerdote, illum abſoluente. diſp. 1. ſec. 2. nu. 16. fol. eod.
Papa niſi ſemel in anno confiteatur, an peccet mortaliter. diſp. 1. ſec. 2. nu. 3. cum ſeq. fol. 15. & nu. 26. fol. 16.
Papa nullam incurrit irregularitatē, & quare. diſp. 8. ſec. 4. nu. 2. 222.
Papa nullum peccatum ſuo Tribunali reſeruat, niſi propter annexam excommunicationem. diſp. 8. ſec. 12. nu. 7. 300.
Papa proprium Sacerdotem non habet nulliq; ſubijcitur Iure Diuino. diſp. 8. ſec. 4. num. 1. & 3. 222.
Papa ſi conſcientiam habeat peccati mortalis, ad ſacramentalem confeſſionem accedere tenetur, ſicut & cæteri fideles. diſp. 1. ſec. 2. nu. 13. fol. 16.
Contrarium aſſerere, eſſet hæreſis. num. 15. fol. eod.
Papa ſumere an teneatur ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Paſcha. diſp. 1. ſec. 2. nu. 18. fol. 16. & nu. 34. fol. 17.
Papa tollere non poteſt præceptum communicandi in Paſcha, nec ſuper illud diſpenſare. diſp. 3. § 2. ſec. 6. nu. 1. & 2. 514.
An poſſit determinationem illam in Paſcha variare nu. 3. fol. eod.
An poſſit cum aliqua particulari perſona, prouincia, vel Oppido diſpenſare ad tempus in hoc præcepto Eccleſiaſtico. num. 4. & 5. fol. eod.

Parochianus.

Parochianus vnius Diœceſis, ſi verſetur in aliena Diœceſi, & peccata ibi reſeruata committat, an poſſit à quocunq; Confeſſario abſolui, etiam ſi nullam circa reſeruata Iuriſdictionem habeat. diſp. 8. ſec. 16. nu. 23. 314.

Parochus.

Parochi audire an poſſint confeſsiones omniū Ciuitatis, Oppidi, aut Diœceſis. diſp. 8. ſec. 2. nu. 39. 210.
An parochi diuerſorū Epiſcopatuum poſsint inter ſe confeſsiones audire. d. nu. 39. in fin.
Parochi tempore peſtis an teneantur ſubditis ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare. diſp. 5. § 2. ſec. 7. nu. 2. & 3. 540.
Quis nam veniat appellatione parochi. n. 1. fol. eod.
An teneantur ad id ex Iuſtitia, & etiam cum periculo vitæ. nu. 4. & 5. fol. eod.
An excuſentur per accidens à collatione huius Sacramenti tempore peſtis. n. 6. f. eod.
Parochus dare poteſt licentiam ſuis ſubditis confitendi Sacerdoti approbato ab Epiſcopo alterius Diœceſis, modo non ſit illi expreſsè prohibitum à ſuo Ordinario. diſp. 10. ſec. 59. nu. 1. 403.
Parochus, & quilibet Confeſſarius facultatem habens abſoluendi à reſeruatis ſuo Epiſcopo, abſoluere quoque poteſt pœnitentem alterius Diœceſis a reſeruatis prædictis. diſp. 8. ſec. 16. nu. 20. 314.
An poſsit abſoluere à reſeruatis in alterius Diœceſi, qui tamen in ſua reſeruati non ſunt. nu. 21. fol. eod.
Parochus eximitur ab approbatione illius tantum Epiſcopi, à quo parochiam eſt aſſecutus. diſp. 10. ſec. 56. nu. 5. 400.
Parochus extra parochiam, & Diœceſim an poſsit ſubditorum confeſsiones audire. diſp. 8. ſec. 2. nu. 40. 210.
Parochus ex vi Iubilæi an ſit eligibilis in Confeſſarium nō ſolum intra eandem Diœceſim, ſed etiam extra, & vbiq; Terrarum. diſp. 10. ſec. 56. nu. 1. & 3. 400.
Parochus iuriſdictionem, quam habet in foro pœnitentiali, delegare haud poteſt non approbatis ab Ordinario. diſp. 8. ſec. 7. nu. 15. 239. & ſec. 9. nu. 37. 257.
An illam delegare debeat parocho conniciuo, aut admiſſo ad omnium Sacramentorum adminiſtrationem. d. nu. 15. in med.
An poſsit aliquando indirectè licentiam dare non approbato ab Epiſcopo, audiendi confeſsionem ſuorum ſubditorum. nu. 16. 240.
Parochus maximam debet adhibere diligentiam, vt ſemper in Tabernaculo, Clauæ obſeruato, ſeruentur particulæ conſecratæ in pixida munda ſuo operculo clauſa, ac velo cooperta. Et quoties in menſe ſanctiſsimum prædictum debet mutari, & pixida ipſa purificari. diſp. 1. § 2. ſec. 1. nu 19. 457.
Parochus nominatim excommunicatus. Vid. in verb. Epiſcopus.
Parochus prohibere an poſsit ſuum parochianum, ne ſimplici Sacerdoti confiteatur, ab Ordinario approbato. diſp. 8. ſec. 10. n. 8. 261.
An poſsit prohibere illum, qui per Bullam Rom. Pontificis priuilegium habet eligendi ſibi Confeſſarium. nu. 9. fol. eod.
Parochus proprius Sacerdos dicitur omnium qui ſunt de parochia. diſp. 8. ſec. 2. n. 13. 205.
Etiam ſi ſint Reges, alijq; Principes Superiores. nu. 30. 208.
An fideles concurrere poſsint ad parochum habitationis pro Sacramento pœnitentiæ, maximè ſi domicilium habeant in alia parochia. nu. 36. 209.
Quid ſi in vna parochia habeant habitationem in alia vero domicilium originis. n. 37. fol. eod. & ſec. 4. nu. 23. 226.
Parochus, qui beneficio renunciauit, aut qui eo fuit priuatus, an eligi poſsit in Confeſſarium vi Iubilæi. diſp. 10. ſec. 57. nu. 1. 3. & 4. 401.
Quid ſi poſt renunciationem, aut priuationem ingreſſus ſit religionem. nu. 2. fol. eod.
Parochus ſi licentiam generalem alicui dederit, confitendi cui voluerit, an intelligatur de confeſsio-

feſsione annua tempore Quadrageſimę. diſp. 8. ſec. 10. nu. 11. 261.

Pars.

Pars tutior in dubijs eſt eligenda. diſp. 3. ſec. 1. nu. 99. 73.

Particulæ.

Particulæ conſecratæ. Vid. in verb. Euchariſtiæ Sacramentum.

Paruitas.

Paruitas materiæ in aliquibus præceptis excuſat à lethali culpa. diſp. 1. ſec. 9. nu. 26. 33.

Paſcha.

Paſchatis nomine quid intelligatur in materia præcepti communionis. diſp. 3. §. 2. ſec. 2. nu. 1. 511. & ſec. 3. nu. 5. 512.

Pater.

Pater Generalis, ac Præpoſiti locales noſtræ Congregationis confiteri an valeant eorum peccata extero Sacerdoti, vel tantum deſignato à præpoſito domus: Et an Confeſſario alterius domus. diſp. 8. ſec. 4. nu. 28. 227.

Patres Societatis Ieſu, qui dumtaxat emiſerunt votum ſimplex poſt biennium, ſi peccent peccato Carnis, an teneantur hanc circumſtantiam in confeſsione explicare. diſp. 3. ſec. 3. nu. 72. 104.

Patriarchæ.

Patriarchæ, & primates cum viſitant, poſſunt omnia, quæ poſſunt Epiſcopi, ac ipſos Epiſcopos ſuffraganeos abſoluere, & diſpenſare à reſeruatis, atque occultis vi Tridentini. diſp. 8. ſec. 9. nu. 18. 234.

Pauperes.

Pauperes, qui eleemoſynam non valent elargiri pro indulgentia aſſequenda. Vid. in verb. Eleemoſyna.

Peccans, & peccator.

Peccans carnaliter cum diuerſis brutis ſpecie differentibus, licet committat plura numero peccata, ſunt tamen eiuſdem ſpeciei. diſp. 3. ſec. 2. nu. 13. 81.

Peccans contra naturam cum Mare, vel cum fœmina, aut cum brutis, an teneatur hanc circumſtantiam phyſicè in confeſsione explicare. d. ſec. 2. nu 4. 81.

Peccans in die feſto an grauius peccet. diſp. 3. ſec. 3. nu. 36. 95. Et nu. 37. 96. & nu. 74. 104.

Peccator occultus, notus tamen duobus, vel tribus teſtibus extra confeſsionem ſi publicè petat ſacram communionem coram ipſis teſtibus, ab ea eſt repellendus, quamuis nulla laboret infamia. diſp. 5. §. 2. ſec. 10. n. 23. 546.

Quid ſi eam petat abſentibus teſtibus prædictis, vel vno tantum præſente. nu. 24. cum ſeq. fol. eod.

Peccator publicus, vel occultus pluribus modis dici poteſt. diſp. 5. §. 2. ſec. 10. nu. 2. 542. & nu. 3. cum ſeq. 543.

An peccatori publico petenti communionem in Paſcha poſſit, & debeat Sacerdos illā denegare. nu. 9. 544.

Qui nam ſint a ſacra cōmunione repellendi. nu. 10. fol. eod.

Quid ſi publicus peccator occultè petat. nu. 11. fol. eod.

Quid ſiſit publicus per euidentiam Iuris, vel facti. nu. 12. fol. eod.

An Sacerdos peccet mortaliter, admittens ad communionem publicum peccatorem. nu. 13. fol. eod.

Quid ſi Sacerdos ſciat eum eſſe emendatum. nu. 14. fol. eod.

An poſſit illam denegare in articulo mortis, ſi nequeat confiteri, ſigna tamen contritionis dederit. nu. 16. 545.

Quid ſi publicus ſit in vno loco, in alio vero occulto, ibiq; petat Sacramentum. num. 17. fol. eod.

Quid dicendum in peccatore publico, cuius peccatum eſt quidem publicum, ſed Ius quidem ambiguum. nu. 18. fol. eod.

An peccatori occulto, noto tamen ipſi Sacerdoti in confeſſione denegari poſſit Sacramentum, maximè ſi publicè peteret. nu. 19. & 20. fol. eod.

Quid ſi ſit notus Sacerdoti extra confeſſionem. nu. 21. fol. eod.

Peccator tripliciter ſe habere poteſt ex parte intellectus, in eo inſtanti, quo contritionem elicit. diſp. 7. ſec. 7. nu. 9. 176.

Peccatores, qui eorum culpa nulliter confitentur non excuſantur a Cenſuris, & pœnis, in Iure contentis, licet excommunicari non ſoleant per Epiſcopos. diſp. 2. ſec. 1. n. 16. 38.

Peccatum.

Peccata actualia venialia ad integritatem non pertinent confeſsionis. diſp. 3. ſec. 1. nu. 34. 59. & nu. 38. cum ſeq. 60. Quomodo id intelligatur. nu. 48. cum ſeq. 62.

Peccata actualia ante baptiſmum commiſſa, ad integritatem non pertinent confeſſionis, ſiue fuerint remiſſa per baptiſmum, ſiue non diſp. 3. ſec. 1. nu. 23. 57. & nu. 28. 58.

An pœnitens admitti debeat, ſi velit hæc peccata confiteri. n. 26. 58.

An inferret iniuriam baptiſmo, confitendo hæc peccata. nu. 27. fol. eod.

Peccata aliena cadunt ſub adequato obiecto Sacramenti pęnitentiæ, quatenus virtus eſt, diſp. 3. ſec. 1. nu. 18. 57.

Peccata aliqua, qui omiſit in confeſſione præſentis anni per obliuionem, vel aliam iuſtam cauſam, an teneatur ea confiteri cum primum poterit, vel poſſit differre vſque ad confeſſionem ſequentis anni. diſp. 5. ſec. 6. nu. 1. cum duob. ſeq. 157.

Peccata alias confeſſa, ad integritatem non ſpectant confeſsionis, nec generalis, nec ſpe-

ſpe-

Digitized by Google

ſpecialis. diſp. 3. ſec. 1. num. 57. 64.
Quid ſi fuerit confeſſus in confeſſione informi. nu. 58. 65.
Peccata commiſſa ante baptiſmum non ſunt materia Sacramenti pœnitentiæ. diſp. 1. ſec. 5. nu. 5. 24.
Quid per proprium conſenſum, & Iure Diuino. nu. 59. fol. eod.
Quid iure reſeruationis. nu. 60. fol. eod.
Quid ſi ab eis fuerit indirectè abſolutus, nu. 61. 66.
Peccata confiteri, qui verbo non poteſt, an ſatis ſit ſi nutu, vel ſigno peccati ſpeciem exprimat, vel ſigna contritionis oſtendat. diſp 3. ſec. t. nu. t 10. 76.
Peccata dubia an pertineant ad integritatem confeſſionis, ſiuè dubium ſit, an fuerint confeſſa, ſiuè ſit dubium iuris, vel facti. diſp. 3. ſec. t. nu. 99. 73.
Et ſiuè ſint reſeruata, ſiuè non. n. 100. f. eod.
Peccata externa multiplicantur numero iuxta numerum interruptionum actus, tùm externi tùm interni. diſp. 3. ſec. 5. nu. 33. 122.
Peccata interna ab initio naſcentis Eccleſiæ fideles confiteri conſueuerunt. diſp. 3. ſec. 1. num. 96 72.
Habens ſolum peccata interna, an ligetur præcepto annuæ confeſſionis. nu. 97. f. eod.
Peccata interna an multiplicentur numero in eadem perſona ſimul in eodem inſtanti, & vno, ac eodem actu, etiam ſi potentia tendat ſimul ad plura obiecta materialiter diſtincta diſp. 3. ſec. 5. nu. 2. 119.
Quid dicendum de peccatis internis, & externis ſimul, nu. 10. 120.
Peccata interna non multiplicari numero, niſi per actus interruptionem per contrariam voluntatem falſum eſt. diſp. 3. ſec. 5. n. 27. 122
Peccata mortalia poſt baptiſmum commiſſa, ſed alias confeſſa, ad integritatem non pertinent confeſſionis, nec poteſt Eccleſia præcipere, vt iterum confiteantur. diſp. 3. ſec. 1. nu. 53. 63. & nu. 54. 64.
Quid dicendum de peccatis mortalibus, de quibus pœnitens dubitat, an fuerit confeſſus, & abſolutus. nu. 62. 66.
Peccata mortalia omnia poſt baptiſmum commiſſa, ad integritatem pertinent confeſſionis ſacramentalis, & eſt de fide. d. ſec. 1. n. 89. 71.
Etiam ſi ſint publica, & merè interna. n. 94. cum ſeq. 72.
Peccata mortalia ſi quis habeat, quæ ratione periculi, vel infamiæ confiteri non poſſet, an teneatur confiteri venialia pro implendo præcepto annuæ confeſſionis. d. ſec. 1. nu. 119. 80.
Peccata nec tolli, nec dimitti per pœnitentiam falſum eſt hæreticorum dogma. diſp. 2. ſ. 2. ſec. 7. nu. 2. 485.
Peccata oblita tenetur quis ſtatim confiteri, cum periculum occurrat mortis, vel vrgeat neceſſitas communicandi. diſp. 5. ſec. 6. nu. 6. 158.
Peccata plura numero an ſint, ſi antequam quis ad exteriorem actum peccati perueniat, multo tempore permanſerit in peccandi voluntate. diſp. 3. ſec. 4. nu. 7. 114.
Peccata plura, qui commiſit, & de vno tantum cogitet, ſi illud ex perfectiſsimo pœnitentiæ motiuo deteſtetur, veram, & perfectam contritionem habebit, & gratiam iuſtficantem conſequetur. diſp. 7. ſec. 7. nu. 28. 180.
Si actu de illis cogitet, an poſsit formaliter contritionem habere de vno, & non de alio. nu. 29. fol. eod.
Peccata reſeruata habens, & hic, & nunc confiteri poteſt habenti iuriſdictionem, an teneatur confeſsionem anticipare. diſp. 1. ſec. 1. nu. 58. 10.
Peccata reſeruata habens, & non reſeruata, & ad Confeſſarium inferiorem accedat, non habentem facultatem abſoluendi à reſeruatis an poſsit ei confiteri non reſeruata, & reſeruata Superiori. diſp. 3. ſec. 1. nu. 101. 73. & diſp. 8. ſec. 15. nu. 3. 306.
Quibus in caſibus inferior abſoluere poſsit ab vtriſq; nu. 102. fol. eod. & nu. 104. 74.
Si adeat primo Confeſſarium ſuperiorem, an poſsit tantum reſeruata audire, & pro non reſeruatis eum mittere ad inferiorem. n. 105. 75. & diſp. 8. ſec. 15. nu. 7. 306.
Quid exiſtente ſuperiore in graui neceſsitate. nu. 8. 306.
Peccata reſeruata habens, & non reſeruata, ſi inferiorem adeat pro implendo præcepto annuæ confeſsionis, aut pro Miſſa celebranda, quæ ambo citra ſcandalum infamiamuè nequeunt omitti, nec commodè adire valet Superiorem, abſolui poteſt per inferiorem, & quomodo. diſp. 8. ſec. 15. nu. 5. 306. Vid. in verb. Caſum reſeruatum.
Quæ nam peccata reſeruari poſsint. Vid. in verb. Reſeruandi.
Peccata ſemel remiſſa, ſecundum Scotum non ſunt materia proportionata Sacramenti pœnitentiæ. diſp. 3. ſec. 1. nu. 86. 70.
Peccata ſpecificam veritatem ſumunt, ac diſtinctionem ab obiectis. diſp. 3. ſec. 2. n. 3. 80.
Peccata venialia qui confitetur Confeſſori Ordinario, & mortalia extraordinario, an peccet mortaliter. diſp. 3. ſec. t. nu. 46. 61.
Peccata venialia qui dumtaxat habet, aut mortalia alias confeſſa, an poſsit ſibi Confeſſarium eligere, quamuis ab Ordinario non approbatum, citra quoque proprij Sacerdotis licentiam. diſp. 8. ſec. 5. nu. 1. 228. Vid. in verb. Sacerdos ſimplex.
Peccata venialia, qui tantum habet, an excu-

ſetur à præcepto annuæ confeſsionis. diſp. 1. ſec. 9. nu. 24. 33.

An excuſetur à præcepto quoq; diuino confitendi in articulo mortis. nu. 29. 34.

An excuſentur à præcepto confitendi ſingulis menſibus, quod habent Religioſi Sancti Benedicti. nu. 30. fol. eod.

An teneatur ſub veniali ex præcepto Eccleſiæ confiteri venialia in Quadrageſima. nu. 32. fol eod.

An teneatur ſtatuto tempore ſiſtere Sacerdoti; ad ſcandalum tollendum. n. 35. fol. eod.

An teneatur confiteri venialia pro aſſequendo Iubilæo. nu. 37. fol. eod.

An venialium confeſſio præcipi poſsit ab Eccleſia. Vid. in verb. Confeſsio.

Peccata venialia qui tantum habet, eaq; confiteatur cum defectu attritionis extenſiuo ad peccata venialia oblita, an faciat confeſsionem validam, ac formatam. diſp. 2. ſec. 6. num. 4. 46.

Quid ſi cum venialibus habeat culpam lethalem cuius inculpabiliter obliuiſcatur, & ſolum venialia, quorum meminit denic. confiteatur, an faciat confeſsionem validam, ſed informem. nu. 5. fol. eod.

Peccata venialia tantum habens, & bona fide accedat ad Confeſſarium, inculpabiliter exiſtimans, ſe habere veram, ac ſupernaturalem attritionem, cum verè habeat tantum attritionem remiſſam, an faciat confeſsionem informem. d. ſec. 6. nu. 6. fol. eod.

Peccata venialia qui tantum habet, & confitens dicat Confeſſario, ſe non habere verum dolorem, nec propoſitum emendandi, ſed adhuc complacere de illis, an omninò inualidè confiteatur. d. ſec. 6. nu. 8. fol. eod.

Peccata venialia an ſint materia neceſſaria Sacramenti pœnitentiæ. diſp. 1. ſec. 9. nu. 25. 33. & diſp. 2. ſec. 6. nu. 3. 45. Et diſp. 3. ſec. 1. num. 36. 59.

An ſint materia ſufficiens. diſp. 3. ſec. 1. num. 47. 61.

An & quando pœnitens teneatur peccata venialia confiteri. diſp. 3. ſec. 1. n. 43. & 45. 61.

Peccatorum venialium confeſsio an poſsit præcipi ab Eccleſia. d. ſec. 1. nu. 41. 60.

Peccatum commiſſum ex confidentia Dei, quod ſcilicet peccatori remittetur, an faciat circumſtantiam in confeſsione explicandam. diſp. 3. ſec. 3. nu. 29. 94.

Peccatum confeſſum iam, eſt materia quidem huius Sacramenti voluntaria, & ſufficiens, ſed minimè neceſſaria. diſp. 6. ſec. 2. n. 2. 165.

Peccatum diuiditur in originale, & actuale. Actuale vero in mortale, & veniale. diſp. 3. ſec. 1. nu. 2. 55. & diſp. 7. ſec. 10. nu. 1. 188.

Peccatum externum, & internum multis modis dicitur vnum, vel multiplex. diſp. 3. ſec. 5. nu. 37. 123.

Peccatum externum an multiplicetur numero per interruptionem actus interni durante continuatione actus interni. diſp. 3. ſec. 6. per totam 125.

An multiplicetur per interruptionem actus externi, durante continuatione actus interni. diſp. 3. ſec. 7. nu. 3. 126. & nu. 6. cum ſeq. 127.

An ad multiplicationem peccati requiratur interruptio phyſica, vel moralis. d. nu. 6.

Peccatum fictionis, quo ſcilicet quis fictè ſuſcipit baptiſmum, an ſpectet ad integritatem confeſsionis, & ſit eius materia. diſp. 3. ſec. 1. num. 29. 57.

Quotuplex ſit peccatum fictionis. nu. 30. 59.

Peccatum in Spiritum Sanctum, an ſit ſpeciale peccatum. diſp. 7. ſec. 11. nu. 21. 193.

Peccatum internum, quod opere externo conſummatur, an multiplicetur per interruptionem actus, qui nullo modo ordinatur ad peccatum illud perficiendum. diſp. 3. ſec. 5. num. 32. 122.

Peccatum mortale qui poſt baptiſmum non commiſit, nec Iure Diuino, nec humano confiteri tenetur, nec in vita, neque in mortis articulo. diſp. 1. ſec. 1. nu. 24. fol. 7.

Peccatum nullum ſi quis confiteatur, nec Confeſſarius petierit, nec ſigna cõtritionis oſtenderit, ſed in vltimis reperiatur, an, & quando abſolui poſsit. diſp. 3. ſec. 1. nu. 112. 77.

Peccatum omne, aut Internum tantum eſt, aut externum, & internum ſimul. diſp. 3. ſec. 5. num. 1. 118.

Peccatum omne eſt actus priuationem habens annexam: Et quid ſit. diſp. 3. ſec. 2. nu. 2. 80.

Peccatum originale eſt vnum in eſſentia, ſed multiplex in effectu. diſp. 3. ſec. 1. n. 16. 57.

Quomodo cadat ſub obiecto virtutis pœnitentiæ. nu. 17. fol. eod.

An pertineat ad integritatem confeſsionis. nu. 7. 56. & nu. 19. 57.

An complacentia de eo ſit culpa mortalis. nu. 21. fol. eod.

Ad illud delendum quod nam Sacramentum fuerit inſtitutum. nu. 11. 56.

An ſit habenda contritio, vel ſaltem ſimplex diſplicentia de peccato originali. n. 15. f. eod.

Peccatum quod habet plures circumſtantias, addentes malitias ſpecie diuerſas an ſit vnum vel plura. diſp. 7. ſec. 11.

Peccatum reſeruatum committens ex confidentia Iubilæi, Bullæ Cruciatæ, aut alterius priuilegij, an poſsit ab illo abſolui, quamuis annexam habeat excommunicationem. diſp. 3. ſec. 3. nu. 30. 94.

Peccatum vnum numero appellatur, quandiù voluntas perſeuerat in actu interno, quo peccatum committitur. diſp. 3. ſec. 5. n. 17. 121.

An, & quando temporis duratio ſit in confeſsione aperienda. nu. 19. fol. eod.

Per-

Peccauiſſe.

Peccauiſſe omnes nos in Adam, quomodo ſit intelligendum. diſp.3. ſec.1.nu.14. 56.

Percuſsio, percutere, & percutiens.

Percuſsio nunquam erit caſus reſeruatus, niſi ſit grauis. diſp.8. ſec. 11.nu. 177. 295.

Percutere latius patet quam vulnerare. d. ſec. 11.. nu.171. 294.

Percutiens Clericum, vel Monachum in excommunicationem incidit, ſiuè maſculus ſit, ſiuè fęmina. diſp.1.ſec.4.n.7.22. & nu.3. 23.

Peregrini.

Peregrini, & qui ſe aliquò conferunt recreationis, vel deuotionis cauſa ad quem Parochum poſsint, & debeant concurrere pro Sacramētis recipiendis.diſp.8.ſec.2.n.38.209

Periculum.

Periculum infamiæ, vel alterius notabilis detrimenti, an excuſet fideles à præcepto confeſsionis. diſp.1.ſec.9.nu.5. 31.

Pœna.

Pœna dicit eſſentialiter ordinem ad culpam. diſp.2.ſec.1. nu.15. 38.

Pęna Ignis. Vid. in verb. Ignis.

Pęna Purgatori. vid. in verb. Purgatorium.

Pęnitens.

Pęnitens antequam ad confeſsionem accedat, tenetur diligens examen præmittere,& quare. diſp.3.ſec.4.nu.15. 116.

Pęnitens ad confitendum veniens, & inter peccata non reſeruata, confiteatur Sacerdoti inferiori aliquod reſeruatū, vel quia ignorat reſeruationem, vel quia putat, poſſe ab eo abſolui cum onere ſe præſentandi Superiori an validè, ac licitè recipiat abſolutionem. diſp.8.ſec 15.nu.20. 308.

An Confeſſarius hoc caſu peccet lethaliter. nu. 21. 309.

Pęnitens ad integram omnium peccatorum confeſsionem an, & quando teneatur. diſp. 3. ſec.1. nu.109.76.

Quæ nam cum excuſent ab integra peccatorum confeſsione.nu.116. cum ſeq. 79. Vid. in verb. Impotentia, & in verb. Neceſsitas.

Pęnitens cōfiteri an poſsit peccati circumſtantiam, diſtinctam à peccato, ſi peccatum ſit confeſſus, & circumſtantiam oblitus. diſp. 3.ſec.2.nu.8. 81.

Pęnitens confiteri ſi poſſet voce, & confiteretur per ſigna, vel per interpretem, grauiter peccaret. diſp.2.ſec. 7.nu.21. 50.

Quid ſi nimiam verecundiam, ac pudorem grauem ſentiret. nu. 23. 51.

Pęnitens confiteri tantum teneatur ea peccata, quorum habet conſcientiam, & quæ in mentem occurrunt. diſp.3. ſec.1.n.106. 75.

Pœnitens confiteri an teneatur inferiori omnia peccata reſeruata, ſi à Superiore fuerit abſolutus tantum à reſeruatis, ob vrgentem, & grauem illius neceſsitatem. diſp. 8. ſec. 15. nu. 22. cum ſeq. 309.

Pęnitens confitendi venialia Confeſſori Ordinario, & mortalia extraordinario, an & quando peccet mortaliter. diſp.6. ſec.3. nu. 1. & 2. 165.

Pęnitens cuius abſolutionem Confeſſarius diſtulit poſt Iubilæi tempus in Bulla ſtatutum, ſi in nouos caſus inciderit reſeruatos, vel noua emiſerit vota, an poſsit ab eis abſolui, & vota commutari. diſp.10.ſec.32.n.1.381.

Pęnitens decipere ſi vellet Confeſſarium mediante confeſsione generali non manifeſtando grauiora, & de quibus Confeſſarius ſuſpicionem habet, idq; ob hypocreſim, vel alium malum finem, an peccet lethaliter. diſp.3.ſec.1.nu.57. in fin. 65.

Pęnitens differre confeſsionem licet non teneatur ad ſaluandam ipſius materialem integritatem, non tamen facilis debet eſſe ad ipſammet dimidiandam. diſp.3.ſec.1. nu. 118. 79.

Pęnitens dimidiare an poſsit confeſsionem, ne Confeſſario complicem manifeſtet. diſp. 3. ſec. 8. nu.6. 130.

Quid ſi nulla, aut minima ſequeretur complicis iactura. nu 7. fol.eod.

Pęnitens explicare tenetur in cōfeſsione omnia peccata in ſpecie, & ſigillatim. diſp.3. ſec.4. nu.2.113. Et vid. in verb. Numerum.

Quomodo intelligantur illa verba: ſigillatim omnia, & ſingula. nu.3.fol.eod.

An teneatur explicare, ſiuè externa ſint, ſiuè interna. nu. 5. 114.

An explicare teneatur ſi in eodem actu peccandi reſpectum habuit ad diuerſas perſonas nu.8. fol.eod.

An ſufficiat dicere v. gr. ſe decies peccaſſe cum ſoluta, abſque quo explicet indiuidua. nu 16. 116.

Pœnitens ex legitima cauſa, & propter ſui, ac complicis bonum, narrare an poſſit Confeſſario extra confeſſionem totum factum cum circumſtantia complicis. diſp. 3. ſec. 9. nu. 5. 136.

Pęnitens fateri verum Confeſſario, haud legitimè interroganti, non tenetur ſub culpa lethali. diſp.6.ſec.2 nu.1. & 2. 165.

Pęnitens habens reſeruata, ſi Superiorem adeat, à quo abſolui poteſt, & de vno, aut altero inculpabiliter obliuiſcatur, an liber remaneat ab illa reſeruatione, ita vt deindè poſſit à quocunq; abſolui. diſp.8.ſec.15.nu.9. 306.

Pęnitens in caſu neceſſitatis an poſſit, & debeat pœnitentiæ Sacramentum ſuſcipere à quouis Sacerdote, quamuis hæretico.diſp.8. ſec. 3.nu.18. 216.

Pęnitens nominare nullo caſu poteſt perſonam cum qua peccauit. diſp.3.ſec.8.nu.31. 134.

Pęnitens notabiliter errans confitendo longe

maio-

Digitized by Google

maiorem numerum peccatorum, quàm commiſit, an peccet, & teneatur ad verum numerum manifeſtandum. diſp. 3. ſec. 4. num. 18. 116.
Pœnitens nulliter an, & quando confiteatur. diſp. 3. ſec. 1. nu. 107. verſ. Vndè. 76.
Pœnitens peccatum eiuſq; circumſtantiam, an poſſit tacere, ſi probabiliter credat, damnum ſibi, vel complici ex confeſſione adſuturum. diſp. 3. ſec. 8. nu. 1. 129. & nu. 16. 131. & nu. 39. 134.
Quid ſi reperiatur in articulo mortis. n. 3. 129
Quid ſi confiteri poſſit alteri, perſonam complicis non cognoſcenti. num. 5. fol. eod. & nu. 34. 134.
Pœnitens publicum alterius crimen, Vid. in verb. Crimen.
Pœnitens qui pluribus Sacerdotibus confitetur, prudenter non agit, & quare. diſp. 4. ſec. 1. nu. 9. 142.
Pœnitens qui ſolum habet venialia nolens illa confiteri in anno, an teneatur comparere coram proprio Sacerdote, eiq; dicere, ſe Dei gratia conſcientiam non habere peccati mortalis. diſp. 3. ſec. 1. nu. 52. 63.
Pœnitens reuelare haud debet aliena peccata, ſed tantum propria, modo nequeat propria manifeſtare abſque complicibus. diſp. 3. ſec. 8. nu. 8. 130 & nu. 9. 131.
Quid ſi confiteatur ad ſibi conſulendum, vel remedium petendum. nu. 37. 134.
Pœnitens ſatisfactionem ſibi à Confeſſario impoſitam, an teneatur acceptare, eamque acceptatam implere. diſp 9. ſec. 5. n. 1. 328. & nu. 2. cum ſeq. 329. & nu. 13. 330.
Niſi acceptet, vel impleat, an lethaliter peccet. nu. 5. & 6. 329.
Quid ſi nolit ab eo Confeſſario abſolui, ſed adire velit alium, cui demum confiteatur, & abſoluatur. nu. 7. fol. eod.
Pœnitens ſatisfactionem pœnæ temporalis poſt culpam remiſſam, licet poſſit in Purgatorio reſeruare, hoc tamen nequit ſi ſe ſubdidit clauibus. d. ſec. 5. nu. 13. 330.
Pœnitens ſi cognoſcat, ſe deteſtari peccatum non vt eſt Dei offenſio, ſed præciſè tantum, vt eſt malum moris, & rationi repugnans, vel vt mali temporalis cauſa, nempè infamiæ ægritudinis, &c. non facit actum ſufficientem ad pœnitentiæ Sacramentum, & peccaret mortaliter, ſi ita ad confeſsionem accederet. diſp. 7. ſec. 3. nu. 3. 168.
Pœnitens ſi in confeſsione interrogetur, an cum Nouitijs fuerit loquutus, vel rem leuem furatus, reſpondeatq; affirmandò, cum re vera talia non fecerit, an peccet mortaliter, & confeſsionem reddat nullam. diſp. 6. ſec. 1. nu. 12. 162.
Pœnitens ſi probabiliter putet, hoc, vel illud peccatum non eſſe mortale, aut probabiliter credat, hic, & nunc excuſari iuſtè ab eius confeſſione, aut debitam adhibuiſſe diligentiam, quam re vera non adhibuit propter quod alicuius peccati mortalis oblitus fuit, an excuſetur, ſi confeſſionem non faciat materialiter integram. diſp. 3. ſec. 1. n. 107. 75
Pœnitens ſi ſcrupulum tantum habeat, an ſit peccatum nec ne, an teneatur illud confiteri. diſp. 3. ſec. 1. nu. 48. verſ. Sed quid quid. 62.
Pœnitens tacere poteſt, ac debet peccatum, quod ſine alterius infamia confiteri nequit. diſp. 3. ſec. 8. nu 33. 134.
An poſsit hoc caſu illud confiteri extraneo abſque proprij Parochi, vel alterius, ad quem pertinet facultate. nu. 36. fol. eod.

Pœnitentia.

Pœnitentia per Confeſſarium impoſita, an debeat eſſe ſufficiens ad tollendam totam pœnam. diſp. 9. ſec. 4. nu 9. 327.
Si ſit leuior iuſto, an, & quando totam remittat pœnam. nu. 10 fol. eod.
Et quid ſi ſit minima, atque improportionata d. nu. 10. in med.
Pœnitentia publica imponi an poſsit per Confeſſarium. diſp. 9. ſec. 2. n. 13. 324. & n. 14. 325
Et quid ſi ſit neceſſaria ad ſcandalum tollendum. nu. 16. fol. eod.
Pœnitentiam impoſitam per vnum Confeſſarium, an poſſit alius tollere, vel mutare. Vid. in verb. Satisfactionem impoſitam.
Pœnitentiam ſolemnem impoſitam fuiſſe pro ſingulis peccatis mortalibus fabuloſum eſt. diſp. 9. ſec. 4. nu. 7. 327.
Pœnitentiæ in prima Eccleſia quomodo, & qualiter iniungebantur. diſp. 10. ſec. 8. num. 2. & 3. 359.
Pœnitentiæ Sacramentum à quo inſtitututum, & ad quid. diſp. 3. ſec. 1. nu. 18. 57.
An dicatur ſecunda tabula poſt naufragium. nu 24. 58. & nu. 35. 59.
An ſit neceſſaria pro Adultis baptizandis. nu. 25. 58.

Pœnitentiarius.

Pœnitentiarij, ab Epiſcopo conſtituti vigore Tridentini, in quo differant à conſtitutis vigore Decreti Clementis VIII. diſp. 8. ſec. 7. nu. 22. 240.
An conſtituti vigore Decreti Clement. VIII. pro regularibus, an poſsint ſubditos abſoluere à reſeruatis. n. 24. 241.
Pœnitentiarij Vrbis, aut Sanctæ Mariæ Lauretanæ: Et conſtituti ab Epiſcopo in Cathedrali, vel à regularibus deputati, eorum Iuriſdictionem delegare an poſsint. d. ſec. 7. nu. 18. 240.
An delegare poſsint nudum miniſterium. nu. 19. fol. eod.
Pœnitentiarius à caſibus, quos Epiſcopus expreſs-

preſsè ſibi reſeruauit), an, & quando abſoluere, vel abſolui poſsit. diſp. 8. ſec. 6. n. 16. 233
Pęnitentiarius eligendus per Epiſcopum, an dicatur habere Iuriſdictionem Ordinariam, vel delegatam, poſsitq; à reſeruatis abſoluere diſp. 8. ſec. 2. nu. 10. 204.

Pollutio.

Pollutio inuoluntaria, ac voluntaria, an impediat Sanctiſsimæ Euchariſtiæ ſumptionem. diſp. 3. §. 2. ſec. 2. nu. 7. cum ſeq. 471.
Pollutione præuiſa, non autem intenta in ebrietate, aut nimia comeſtione, ſufficit explicare cauſam dictæ pollutionis in confeſſione, & non pollutionem ipſam. diſp. 3. ſec. 3. nu. 44. 98.

Poteſtas.

Poteſtas in Corpus Chriſti miſticum haud datur ante poteſtatem in Corpus Chriſti verum. diſp. 1. ſec. 1. nu. 20. fol. 6.
Poteſtas requiſita in foro ſacramentali, diſtincta eſt à poteſtate Ordinis, tùm in eſſentia, tùm in modo, tùm etiam in tempore, quo confertur. diſp. 8 ſec. 7. nu. 3. 237.

Præceptum.

Præcepta Diuina etiam poſitiua, minimè obligant cum tanto diſpendio. diſp. 1. ſec. 1. nu. 55. fol. 10.
Præcepta duo an poſſit quis implere vnico actu diſp. 5. ſec. 5. nu. 3. 156.
Præcepta naturalia triplicia ſunt, & aduerſus quæ poſsit quis excuſari ex capite ignorantię diſp. 6. ſec. 1. nu. 20. cum ſeq. 164.
An obligent cum periculo infamiæ, vel alterius notabilis detrimenti. diſp. 1. ſec. 9. n. 7. 31.
Præcepto annuæ confeſsionis an ſatisfaciat, qui iam confeſſus eſt omnia peccata cum debito dolore, non tamen abſoluatur ex repentino aliquo caſu. diſp. 2. ſec. 1. nu. 13. 38.
An ſatisfaciat huic præcepto, qui facit confeſsionem validam, ſed informem. num. 18. fol. eod. & ſec. 2. & 3. per totam 39.
Præcepto annuæ confeſsionis an ſatisfaciat, qui in vno anno confeſſus eſt initio Quadrageſimæ, in ſequenti vero confitetur in fine. diſp. 5. ſec. 4. nu. 1. & 2. 155.
Præceptum affirmatiuum dupliciter conſideratur. diſp. 5. ſec. 2. nu. 3. 154.
Præceptum annuæ confeſsionis an adimpleatur per confeſsionem inualidam. diſp. 2. ſec. 1 nu. 1. 36. & nu. 4. & 6. 37.
Quid ſi confeſsio ſit nulla ex parte pęnitentis & Confeſſarij. nu. 7. fol. eod. & nu. 14. 38.
An extendatur id ad pręcepta confitendi ſingulis menſibus, quæ ſiunt Religioſis. nu. 12. fol. eod.
Præceptum annuæ confeſsionis in quo ætatis anno obliget fideles. diſp. 1. ſec. 7. nu. 1. 27.
Quibus ex cauſis excuſentur fideles ab hoc præcepto. ſec. 9. per totam. 31.
Præceptum annuæ confeſsionis an obliget in aliqua determinata parte anni, & qualiter ſit annus computandus. diſp. 5. ſec. 1. nu. 1. 150. & nu. 2. cum ſeq. 151. & nu. 12. 153.
Qua ratione teneantur fideles in Paſcha confiteri. nu. 5. 151.
Præceptum annuæ confeſsionis omnes fideles ligat. diſp. 1. ſec. 2. nu. 2. & ſec. 4. per tot. 14.
An liget hæreticos, & Apoſtatas. ſec. 6. nu. 1. & 4. 25.
An liget hæreticos manifeſtos. nu. 13. 26.
Præceptum communionis in Paſcha obligat fideles omnes. diſp. 1. §. 2. ſec. 2. nu. 1. 459.
Siuè ſeculares ſint, ſiuè Eccleſiaſtici, & quacunq; fulgeant dignitate. nu. 2 460.
An obliget Cathecumenos. nu. 3. fol. eod.
An ſit Diuinum, vel Eccleſiaſticum præceptum hoc. nu. 6. fol. eod.
An obliget non tantum in Paſcha, ſed etiam in articulo, & periculo mortis per modum Sanctiſsimi Viatici in re, vel in voto. nu. 8. fol. eod.
Præceptum confeſsionis, & communionis in Paſcha frequenter eſt publicandum. diſp. vlt. § 2. nu. 1. 550.
Quibus præcipiatur hæc publicatio. ſec. 1. nu. 1. fol. eod.
Quando dicatur ſufficienter in Eccleſijs publicari. ſec. 2. nu. 1. fol. eod.
Præceptum confeſsionis, qui non impleuit intra annum, an ſtatim confiteri teneatur ſequenti anno. diſp. 5. ſec. 2. nu. 1. & 2. 154.
Præceptum confeſsionis ſemel in anno qua ratione ſit Eccleſiaſticum, ſimul eſt diuinum. diſp. 1. ſec. 1. nu. 77. 12. & nu. 78. 13. & ſec. 6. nu. 7. 26.
Præceptum Diuinum confeſsionis in articulo mortis, an ſit poſitiuum, & magis vrgeat, quam extra articulum prædictum. diſp. 1. ſec. 1. nu. 56. 10.
Præceptum Diuinum confeſsionis in multis caſibus obligat per accidens in vita, ac extra mortis articulum. d. ſec. 1. nu. 59. fol. eod.
An obliget facturum aliquod inſigne opus, & arduum, aut recepturum inſigne beneficium. nu. 63. in med. 11.
Præceptum Diuinum ſumendæ Sanctiſsimæ Euchariſtiæ abſolutè conſideratum, & ſecluſum à præcepto Eccleſiaſtico obligat in articulo, & periculo mortis, & quos. diſp. 1. §. 2. ſec. 1 nu. 4 455. & nu. 15. 456.
An peccet mortaliter, qui Sacramentum hoc decenter poteſt ſumere in articulo, & periculo mortis, & non ſumit, quamuis in gratia reperiatur. nu. 7. 455.
An hoc præceptum obliget quoque in articulo, & periculo mortis violentæ, publica Iuſtitiæ authoritate inferendæ. nu. 9. fol. eod.
Quid ſi facinus adeo ingens, & atrox eſſet, vt

ſine dilatione facinoroſum vrgeret ad mortem. nu. 10. 456.
An damnanda conſuetudo, quæ olim vigebat Hyſpaniæ, ac Luſitaniæ negādi Euchariſtiā Reis capite ob illius reuerentiam. n. 11. f. eo.
Habiturus longam nauigationem, aut ad terras infidelium profecturus, vbi probabiliter carere poterit commoditate ſumendi Euchariſtiam in periculo mortis, an teneatur communionem anticipare. nu. 21. 457.
In quibus alijs caſibus obliget hoc præceptū per accidens. nu. 22. fol. eod.
An Papa poſsit cum aliquo diſpenſare, ne Euchariſtiam ſumat in articulo, & periculo mortis. nu. 23. fol. eod.
Quos nam obliget hoc præceptum. n. 24. 458
An ſit Eccleſiaſticum ſimul, & Diuinum. nu. 27. fol. eod. Et ſec. 2. nu. 6. 460.
An obliget etiam Papam. nu. 28. 458.
An Papa poſsit illud in totū tollere. n. 29. 459
Præceptum Miſſæ, ac Ieiunij an quis adimpleat ſi peccet in actu adimplendi. diſp. 2. ſec. 1. nu. 2. 36. & nu. 19. 38.
Præceptum nō infamandi proximum naturale eſt; præceptum vero integritatis confeſſionis poſitiuum. diſp. 3. ſec. 8. nu. 17. 132.
Præceptum poſitiuum haud obligat cum infamiæ, aut alterius notabilis detrimenti periculo. diſp. 1. ſec. 9. nu. 6. 31.
Præceptum poſitiuum nullum adeſt, obligans totam Eccleſiam ad confitendum ante completum annum, exceptis Religioſis Sancti Benedicti. diſp. 5. ſec. 7. nu. 8. 159.
Præceptum veræ, ac perfectæ contritionis extra pœnitentiæ Sacramentum, an obliget ſtatim poſt peccatum, adeo, vt ob illius tranſgreſſionem noua culpa contrahatur. diſp. 7. ſec. 10. nu. 16. 191.
An obliget in articulo, & periculo mortis, & per accidens in multis alijs caſibus. nu. 18. cum ſeq, 192.
An nouum impœnitentiæ peccatum committat, qui in ſupradictis caſibus voluntariè, ac directè non vult conteri. nu. 20. fol. eod.
Præceptum, vt Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum à ieiunis ſumatur, eſt Eccleſiaſticum tantum. diſp. 2. §. 2. ſec. 1. nu. 2. 464.
An ſit quoq; Diuinum. Vid. in ver. Ieiunus.

Prælatus.

Prælati iuriſdictionem non habentes in foro conſcientiæ, à quibus abſolui poſſint per Confeſſarium, quem ſibi eligunt. diſp. 8. ſec. 6. nu. 25. 235.
Prælati omnes Epiſcopis inferiores, abſoluere, ac diſpenſare num poſſint a caſibus, & delictis occultis vigore Trid. ſeſſ. 25. cap. 6. d. ſec. 6. nu. 12. 232.
An abſolui, & diſpenſari poſſint per Confeſſarios, quos ſibi eligunt. d. nu. 12.
Prælati omnes exempti, quamuis Epiſcopis inferiores, poſſunt ſibi eligere Confeſſarium. diſp. 8. ſec. 4. nu. 21. 226.
Quid transferre videantur in Confeſſarios electos. ſec. 6. nu. 1. 230.
An ligentur caſibus reſeruatis Ordinario, an vero ſolum Romano Pontifici. nu. 2. fol. eod.
Prælatus Monaſterij an poſſit ſecularium confeſſiones audire, citra Ordinarij approbationem, quamuis æquiparetur habenti beneficium parochiale. diſp. 8. ſec. 9. nu. 36. 257.
Prælatus regularis non approbatus ab Ordinario loci, an ſit eligibilis in Confeſſarium vi Iubilæi. diſp. 10. ſec. 6. n. 2. 404. & n. 5. 405.
Qui nam intelligantur per Prælatos Regulares. nu. 1. 404.
Prælatus ſi fiat Pœnitentiarius Epiſcopi, & incidat in caſum Epiſcopo reſeruatum, an ab hoc caſu abſolui poſſit per Confeſſarium ſibi electum. diſp. 8. ſec. 6. nu. 15. 233.
Quid ſi efficiatur ſummus Pœnitentiarius. nu. 16. in fin. fol. eod.

Præpoſiti.

Præpoſiti generales Regularium, tanquam Prælati exempti, eligere ſibi poſſunt Confeſſarium. diſp. 8. ſec. 4 nu 24. 226.
An eligere poſſint Sacerdotem ſecularem, ab Epiſcopo non approbatum. nu. 25. fol. eod.
An eligere poſſint Regularem alterius religionis. d nu. 25. in med.
Quid ſi copiam habeant Sacerdotum ſui Ordinis. nu 27. in med. 227.
Præpoſiti locales. Vid. in ver. Pater Generalis.

Præſentia.

Præſentia Corporis, & Sanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento quid ſit: Et in quo prædicamento ponatur. diſp. 4. §. 2. ſec. 8. nu. 1. & 2. 524.
An includat veram aliquam vnionem ipſius ad ſpecies ſacramentales. ſec. 9. nu. 1. fol. eod. & nu. 2. 525.

Principes.

Principes leges, quas faciunt ſeruare tenentur, ſed vi directiua, non coactiua. diſp. 1. ſec. 2. num. 38. 18.

Priores.

Priores, ac Vicarij præpoſitorum Regularium maximè Abbatibus, & Præpoſitis abſentibus, vel mortuis, an poſſint ſibi eligere Confeſſarium, & quando. diſp. 8. ſec. 3. nu. 29. 219.

Priuilegium.

Priuilegium memoratur conceſſum à Sixto V. Patribus Congregationis Oratorij circa confeſſiones audiendas. diſp. 8. ſec. 3. nu 39. 221.
Priuilegium memoratur conceſſum Patribus Societatis Ieſu, & Congregationis Clericorum Regularium circa confeſſiones audiendas, dum ſunt in itinere. d. ſec. 3. num. 40. fol. eod.

Digitized by Google

INDEX.

Profeſſus.

Profeſſus in aliqua Religione, ac ſimul promotus ad ſacros ordines, ſi peccatum carnis committat, an ſatis ſit explicare circumſtantiam profeſſionis, abſque quo explicet circumſtantiam ſacri Ordinis. diſp. 3. ſec. 3. nu. 65. 66. & 68. 103.

Promittens.

Promittens multoties eandem rem, faciendo de eadem Multas ſcripturas, obligatus non dicitur pluribus titulis. diſp. 3. ſec. 5. n. 39. 123

Propoſitum.

Propoſitum efficax, in futurum non peccandi quodnam ſit. diſp. 7. ſec. 4. nu. 5. 169.

Propoſitum formale, & expreſſum vitandi mortalia in futurum, an requiratur tam in contritione, quam attritione diſp. 7. ſec. 9. num. 7. 185.

An requiratur quoque in conſtituto in mortis articulo. nu 8. fol. eod.

An ad contritionem, & attritionem requiratur propoſitum efficax. nu. 9. fol. eod.

An requiratur verum, & reale propoſitum, vel ſufficiat putatiuum. nu. 10. fol. eod.

An ſufficiat propoſitum formale, cum probabili timore peccandi in futurum. nu. 11. fol. eod.

An conſtituto in articulo mortis, qualis eſt raptus ad Martirium condemnatus ad mortem mox ſuſpendendus, ſatis ſit propoſitum virtuale. nu. 12. fol. eod.

Propoſitum formale amplius non peccandi ſuper omnia, quando dicitur, & an requiritur ad contritionem, tam perfectam, quam imperfectam. d. ſec. 1. nu. 1. & verſ. *In hac difficultate*. 184.

Propoſitum non peccandi de cætero, an ſatis ad contritionem, vel attritionem cum formidine tamen peccandi in futurum. diſp. 7. ſec. 5. nu. 12. 173.

Propoſitum quod ſtat in ſolis finibus cogitationis, nempè quoad Deum obligat. diſp. 10. ſec. 75. nu. 5. 420.

Propoſitum virtuale non peccandi in futurum an ſatis ſit ad vtramq; contritionem, & quid in praxi conſulendum. diſp. 7. ſec. 9. n. 19. 187

Propoſitum virtuale vitandi peccata in futurum ſatis non eſt ad veram, & perfectam contritionem. d. ſec. 9. nu. 5. 184.

Proprietas.

Proprietatis peccatum reſeruari poteſt per Superiores regulares: Et quot requirantur, vt in caſum reſeruatum incurratur. diſp. 8. ſec. 11. nu. 55. 275. & nu. 59. 276.

An poſſit Sum. Pontifex contra abdicationem proprietatis diſpenſare. nu. 57. 276.

An, & quando Religioſi habere poſſint proprium. nu. 58. fol. eod.

Proprius.

Proprij Sacerdotes in foro pœnitentiali, quinam dicantur. diſp. 8. ſec. 2. nu. 23. 207. Et vid. in verb. Sacerdos.

Proprio Sacerdoti regulariter, quilibet confiteri tenetur. diſp. 8. ſec. 3. nu. 212. Quamuis pluries in anno velit confiteri. nu. 3. 213.

An proprius Sacerdos cogatur ipſos fideles audire. nu. 4. & 6. fol. eod.

Si audire recuſauerit, an poterint fideles liberè alteri confiteri. nu. 5. fol. eod.

Quid ſi proprius Sacerdos ſit ignorans, indiſcretus, ſigillum non ſeruans, &c. nu. 8. fol. eod. & nu. 9. cum ſeq. 214.

Quid in caſu neceſsitatis, vel præſente proprio Sacerdote. nu. 15. & 17. 215.

Si delictum commiſerit quis in aliena Parochia, an confiteri poſſit illius Parocho. nu. 19. 216.

Quid dicendum in vagabundis, ſcholaribus, iter agentibus, & peregrinis. nu. 20. & 22. fol. eod.

An hodie de conſuetudine poſſint ſubditi vnius Diœceſis confiteri peccata in aliena Diœceſi. nu. 21. fol. eod

Proprium Sacerdotem num habeat Rom. Pontifex. Vid. in verb. Papa.

Qui nam ſint exempti Iure poſitiuo à proprio Sacerdote, ac proindè poſſunt ſibi eligere Confeſſarium. diſp. 8. ſec 4. nu. 5. 223.

Proprius omnium fidelium Sacerdos eſt Romanus Pontifex, ac ſummus eiuſdem Pœnitentiarius. diſp. 8. ſec. 7. nu. 1. 237.

Proprius Sacerdos vniuſcuiuſq; duplicem habet poteſtatem, Ordinis, ſcilicet, ac iuriſdictionis. d. ſec. 7. nu. 2. fol. eod.

Proprius Sacerdos ſuam iuriſdictionem an poſsit regulariter delegare, d. ſec. 7. n. 6. 238.

Quid dicendum in ijs, quæ ei competunt ex priuilegio in caſu impedimenti. n. 8. fol. eod.

Proprius Sacerdos ſuis ouibus an conſulere poſsit, vt ex cauſa ſacram communionem differant poſt Paſcha. Vid. in ver. Conſilium.

An teneatur etiam id præcipere, & propter quas cauſas. diſp. 5. §. 2. ſec. 10. per tot. 542.

Prouocatus.

Prouocatus vna iniuria, ſi tria verba iniurioſa, diuerſas ſpecie iniurias ſignificantia in prouocantem proſerat, quot peccata committat diſp. 3. ſec. 5. nu. 16. 120.

Pubertas.

Pubertas in Maſculo, vel in fœmina an, & quando aduenire dicitur. diſp. 1. ſec. 7. nu. 18. verſ. Quo verò. 29.

Pueri.

Pueri ante duodecimum ętatis annum, quamuis doli capaces ſint, an cogi poſsint ab Eccleſia ſub cenſuris. diſp. 1. ſec. 7. nu 9. 28.

Pueri, qui ex defectu ætatis Euchariſtiam ſu-

Vfff 2 mere

mere non poſſunt, an aſſequantur indulgentiam, præcipientem communionem, communicando ſe ſpiritualiter. diſp. 10. ſec. 30. nu. 1. & 2. 380.

Purgatorium.

Purgatorij pœna ſenſus an ſit ab igne, vel ab aliquo alio. diſp. 11. ſec. 2. num. 1. & 2. 437. & nu. 3. 438.

Purgatorij pœnæ an paulatim minuantur, vel ſemper intenſiue durent, donec Animæ ſufficienter purgatæ, ad gloriam deferantur. diſp. 11. ſec. 3. nu. 1. & 2. 438.

Purgatorium in quo terræ loco ſit collocatum. diſp. 11. in princ. nu. 1. 435. Vid. in verb. Receptacula.

An eius pœnæ atrociſsimæ ſint omnium huius ſeculi. nu. 3. fol. eod.

An durent vltra diem Iudicij. n. 5. 436.

Purgatorium an ſit propinquius Inferno, pueroſum Lymbo. diſp. 11. ſec. 1. à nu. 1. f. eod.

An ſit ſuper terram, & infra Cęlum in media quadam Regione. nu. 8. 437.

Quadrageſima.

QVadrageſimæ in principio. Vid. in verb. Deliberans.

Quantitas.

Quantitas furti, an & quando debeat in confeſsione explicari. diſp. 3. ſec. 3. nu. 75. 104.

Quicunque.

Quicunque, vel quiſquis intelligitur ſemper de homine, & tàm maſculinum, quam fœmininum comprehendit. diſp. 1. ſec. 4. nu. 6. 22.

Ratum habens.

RAtum habens abortum. Vid. in verb. Abortum.

Ratum habens falſitatem. Vid. in verb. Falſitatem.

Rebellis.

Rebellis ſi quis ſit effectus pro crimine læſæ Maieſtatis ipſe, & ſui, ſub illa dictione, ſui, fœminæ non comprehenduntur. diſp. 1. ſec. 4. nu. 3. 22.

Receptacula.

Receptacula; ſeù ſinus quatuor ſunt ſub terra; ſiuè vnus ſinus, in quatuor partes diuiſus, & qui nam ſint. Et quo in loco collocati ſint. diſp. 11. in princ. nu. 1. & 2. 435.

Recogitatio.

Recogitatio actualis, & diſticta peccatorum, ac requiratur ad perfectionem contritionis, conſideratæ ſecundum ſe, & vt virtus pęnitentiæ abſque actuali ſuſceptione Sacramēti. diſp. 7. ſec. 7. nu. 16. 177.

An requiratur ex vi, & præcepto contritionis in ipſo actu, in quo quis elicit actum contritionis, vel antea, vel poſtea. nu. 17. 178.

Et quid in Attritione. 18. fol. eod.

Recogitationem omnium peccatorum, quibus in caſibus quis præmittere haud teneatur. d. ſec. 7. nu. 14. 177.

An poſſit quis omittere recogitationem venialium, recogitando tantum mortalia. nu. 15. fol. eod.

Referendarij.

Referendarij ſignaturæ, cum ab Epiſcopis ſint exempti, & Romano Pontifici ſint immediatè ſubiecti, an poſſint ſibi eligere Confeſſarium. diſp. 8. ſec. 4. nu. 22. 226.

Regens.

Regens Summi Pœnitentiarij, vt plurimum, quis nam ſit, & an habeat iuriſdictionem ordinariam, vel delegatam, & ſubdelegare poſſit. diſp. 8. ſec. 6. nu. 24. 235.

Regularis.

Regulares abſentes à Monaſterijs, an poſſint ſibi eligere Confeſſarium ſecularem, vel regularem. Et quid pro caſibus reſeruatis. diſp. 8. ſec. 3. nu. 23. cum ſeq. 216.

Regulares falſum iurantes in Iudicio, in caſum incidunt reſeruatum, etiam tacendo veritatem. diſp. 8. ſec. 11. nu. 77. 279.

Et ſiuè teſtes ſint, ſiuè principales. nu. 78 fol. eod.

Siuè Monachi ſint, ſiuè Moniales. nu. 79. fol. eod.

Quid ſi à Iudice non interrogentur legitimè, ac iuridicè. nu. 80. fol. eod.

Quid ſi tormentorum vi falſum dixerint. nu. 82. 280.

An poſſint negando æquiuocare. n. 83. f. eod.

Si factum audiuerunt ab alij, an poſſunt ſimpliciter negare, ſe neſcire. nu. 84. fol. eod.

Regulares omnes tempore Iubilæi confiteri poſſunt peccata ſua Sacerdotibus ab Ordinario approbatis, & à quo Ordinario. diſp. 8. ſec. 3. nu. 33. 219. & nu. 34. 220.

Regulares ſi ſemel ab Ordinario approbentur ad confeſſiones, an poſſint deindè ab illa ſuſpendi. diſp. 8. ſec. 9. n. 21. 152. & n. 24. 253.

An eorum iuriſdictio dilatetur, vel reſtringatur per approbationē Ordinarij. n. 22. 252

Regularis abſens à Monaſterio, ſi cum licentia ſui ſuperioris ſocium habeat Sacerdotem ſui ordinis, quamuis non approbatum ad confeſsiones, an poſsint ad inuicem confeſsiones audire. diſp. 8. ſec. 3. nu. 25. 217.

Regularis approbatus pro vno Monaſterio Monialium, an poſsit confeſsionem Monialium alterius Monaſterij audire. diſp. 10. ſec. 63. nu. 8. 407.

Regularis fęmina. Vid. in verb. Monialis.

Regularis, vt in caſum incidat reſeruatum ab abortum, fętus debet eſſe animatus. diſp. 8. ſec. 11. nu. 88. 281. Et vid. in verb. Abortus.

Quot modis poſsit Regularis in hunc caſum reſeruatum incurrere. nu. 89. fol. eod.

An

An incidat in caſum reſeruatum Regularis, receptans Mulierem prægnantem in propria domo, vt abortum faciat. nu.92. fol. eod.
Quid ſi ignoret Mulierem eſſe prægnantem. nu. 95. 282.
An incurrat Regularis, ſi abortum tantum habeat. nu.97.fol.eod.
Quid ſi præbeat medicamentum prægnanti directè ad ſalutem, non vero ad abortum. nu.98.fol.eod.
Regularium Priores. Vid. in verb. Priores.

Religioſi.

Religioſi approbati ab Ordinario ad confeſsiones audiendas, vbiq; poſſunt confeſsiones ſubditorum audire, ad inſtar Parochorum. diſp.8.ſec.9. nu. 24. 256.
Religioſi hodie ex priuilegio Rom. Pontificis poſſunt per ſe ipſos vbique, & in quouis anni die ſanctiſsimam Euchariſtiam miniſtrare, Paſchatis die excepto. diſp. 5. §. 2. ſec. 6. nu. 9. 538.
Quid de Patribus Theatinis. num. 10. cum ſeq. 539.
Religioſi Sancti Benedicti ſingulis menſibus confiteri tenentur, quamuis non habeant mortalia. diſp 5.ſec.7 nu.8. 159.
Religioſi tempore Iubilæi an poſsint ſibi in Confeſſarium non approbatum ab Epiſcopo ſed a Prælato Regularium tantum. diſp. 10. ſec.60.nu 1. 403. & nu.2. & 3 404.
Religioſus ab Epiſcopo approbatus, an eligibilis ſit vi Iubilæi, licet a ſuo Prælato per ſententiam ſit priuatus, ne confeſsiones ſecularium audiat.diſp.10.ſec.62.n.1.& 2.406
Religioſus approbatus ab Ordinario. Vid. in verb. Religioſus ſi ſimpliciter.
Religioſus in caſum incidit reſeruatum furti, ſi ex pecunia, datà ſibi a ſuperiore pro itinere, ſupererit aliquid, & ei non reſtituat. diſp. 8. ſec.11.nu 129. 287.
An incidat in prædictum caſum furti, ſimulans indigere veſtibus, cum re vera non indigeat, & illas faciat ſibi a ſuperiore dari. nu. 130.fol.eod. Et vid. in verb. Furtum.
Religioſus impediens, vel retardans litteras. Vid. in verb. Litteras.
Religioſus in proprietatis crimen incidit, non modo appropriando ſibi Monaſterii bona, ſed etiam tradita ſibi a conſanguineo, vel extraneo. diſp. 1.ſec.11.nu.65. 277.
Religioſus proprietarius non ſolum in caſum incidit reſeruatum, verum etiam quandiu perſeuerabit in huiuſmodi damnationis ſtatu incapax eſt abſolutionis. d. ſec.11.n 68. 278.
Quando Religioſus ſit cenſendus proprietarius. nu.69.fol.eod.
An Religioſus incidat in crimen proprietatis, ſi rem retineat, credens probabiliter, Prælatum fore ſibi conceſſuram.n.70.f.eod.
Quid ſi retineat, det, aut cum alio commutet rem mediocris valoris. nu.71. fol.eod.
Quid ſi ſumeret de bonis Monaſterij neceſſaria ad victum, vel veſtes. nu.72. fol.eod.
An Religioſus poſſit habere peculium. nu. 73. fol. eod.
Religioſus, qui crimen commiſit, quod eſt reſeruatum in vno Monaſterio, in alio vero non, & ad illud ſe conferat, vt domicilium mutet, & nouum acquirat ſuperiorem, an poſſit abſolui à quocunque Confeſſario, iuriſdictionem circa reſeruata non habente. diſp.8.ſec.16. nu. 22. 314.
Quid dicendum de Religioſis mendicantibus, de omnibus alijs Religioſis, qui mendicantium participant priuilegia. nu.24. 315.
Religioſus ſi percuſſerit aliquem pugno, fuſte, aut gladio, &c. cum effuſione ſanguinis, an incidat in caſum reſeruatum. diſp. 8. ſec.11. nu. 172 294. Et vid. in verb. Homicidium.
Quid ſi inferat vulnuſculum tantum, ex quo ſolum gutta ſanguinis effluat. nu. 173. 295.
Quid ſi dederit alicui bibendam immoderatam vini quantitatem, aut propter cibos ſalitos, & calidos eidem tributos innatum ſit vlcus, ex quo ſanguis eſt effuſus.n. 174.f.eod.
Et quid ſi dederit pugnum in naribus, a quibus notabilis proceſſerit effuſio ſanguinis. nu.175. fol. eod.
Religioſus ſi proprijs, aut alterius manibus, vel per aliquem corporis motum in voluntariam incidit pollutionem peccat mortaliter; & an incidat in caſum reſeruatum. diſp. 8. ſec.11.nu.154. 291.
Vid. in verb. Lapſus Carnis.
An incidat in caſum reſeruatum Religioſus, ſi habens rem cum mare, vel cum fœmina, non effundat ſemen intra, vel extra vas. nu. 155. fol. eod
Quid ſi per oſcula, tactus, aut verba, ad turpia incitantia, tentauerit ad pollutionem deuenire, & non potuit, vel quia pœnitentia ductus, eam noluit, licet ad humectationem quandam deuenerit, nu. 156.fol.eod.
An iſte caſus cooperantem comprehendat. nu. 157. & 158. in fin. fol.eod.
An incidat in caſum reſeruatum Religioſus, qui metu mortis compulſus rem cum Muliere habuit. nu. 160. 292.
Religioſus ſi ſimpliciter fuerit ab Ordinario approbatus ad audiendas confeſsiones, licet per ſuum ſuperiorem fuerit ei limitata licentia, ne niſi ad viros tantum, & indifferenter audiat, an valeat abſolutio. diſp. 8. ſec.9.nu. 16. 251.

Rem habens.

Rem habens cum Matre, confitendo circumſtantiam complicis, duo præcepta violat, ſi Confeſſarius cognoſcat Matrem, & quæ

diſp.

diſp. 3. ſec. 8. num. 19. 132.
Rem habens, cum Matre, filia, ſorore, &c. licet non debet nominare perſonam, debet tamen dicere, ſe commiſiſſe inceſtū in primo gradu. d.ſec.8. nu.35. 134.

Reſeruandi, Reſeruare, & Reſeruatio.

Reſeruandi peccata quoad forum interius eſſe poteſtatem in Eccleſia Dei cettum eſt. diſp. 8.ſec. 11.nu.2. 267.
Eamq; poteſtatem habet Sum. Pontifex in toto Orbe, & Epiſcopus in ſua Diœceſi. nu. 3. fol. eod. & nu. 7. 268.
Vid. in verb. Reſeruatus.
An ſit in articulo mortis. ſec.14. nu. 5. 303.
An expediat. nu.6.fol.eod.
An Epiſcopi hanc poteſtatem reſeruandi habeant immediatè à Papa, & non à Deo. nu. 8. 268.
An cenſeantur Papa, & Epiſcopi reſeruare peccatum ſimul, & cenſuram. Et quid data facultate per Iubilæum, Bullam, aut priuilegium ad abſoluendum à cenſura.n.9.f.eod.
Reſeruare caſus poſſunt Archiepiſcopi Primates, & Patriarchæ. e.ſec. 11. nu.11. 269.
Quid de Capitulo Sede Vacante.n.13. f.eod.
Quid de Parochis Curatis, an reſeruare poſſint ex vi conſuetudinis legitimæ introductæ. nu.14. fol.eod.
Quid de ſuperioribus regularibus. n.17.f.eo.
Reſeruari poſſunt de Iure peccata, tùm externa, tùm interna. diſp.8.ſec.12. nu.1. 299.
Et tàm peccata mortalia, quàm venialia, externa, & interna, maximè illa, quæ periculum grauioris culpæ ſecum afferunt. nu. 3. 300.
Quid de facto, & de vſu circa peccata interna. nu.5 fol.eod.
An poſsint reſeruari omnia mortalia, collectiuè ſumpta. nu.8. fol.eod.
Reſeruatio peccatorum mortalium intelligitur de conſummatis, non de inchoatis tantum. d.ſec.1.nu.9. fol. eod.
Reſeruatio caſuum inſolita facta per Epiſcopos an valeat. diſp.8.ſec.13. nu.1. 301.
Reſeruatio caſuum facta Parochis, citra iuſtã, & legitimam cauſam an valeat.n.2. fol.eod.
Si ſit facta ſine cauſa, ſed ex mera voluntate reſeruantis, an ſit illicita, ſed valida. nu. 3. & nu.5. fol. eod. & nu.7. 302.
An Parochi poſsint ſibi reſeruare caſus ob legitimam præſcriptionem. nu. 4. fol. eod. & nu.6. 302.
Reſeruatio cuiuſdam caſus etiam in articulo mortis, an validè fieri poſsit. diſp. 8. ſec. 14. nu. 1. & 2. fol. eod.
Quotuplex ſit reſeruatio. nu.22.fol.eod.
An poſsint Epiſcopi, & Prælati inferiores Papæ reſeruare, ſibi caſus pro articulo mortis nu.7. fol.eod.
An ſit illicita, & valida. nu. 9. fol. eod.
Quid in mortis periculo. nu. 10. 103.
Quid de reſeruatione cõditionali. n. 12. 304.
An ſolus Papa habeat poteſtatem reſeruandi caſus, & cenſuras pro articulo, & periculo mortis. nu. 13.fol.eod.
Quid ſi Papa faciat hanc reſeruationem per modum legis, an ſit illicita, & inualida. nu. 14. fol eod.
Quid ſi Papa faciat reſeruationem perſonalem, & cauſam exprimat, an probabiliter ſit illicita, & inualida. nu.16 fol.eod.
Reſeruatio ſi fiat cum onere confitendi iterum ſuperiori peccata reſeruata, confeſſa prius inferiori, & ab eodem remiſſa, tunc ſi pœnitens primo adeat inferiorem, an poſſit ab eo abſolui tàm à reſeruatis, quàm non, antequam coram ſuperiote compareat. diſp. 8. ſec.15. nu.4. 306.

Ruſtici.

Ruſtici, & ignorantes Clericum eſſe, ſi illum percutiant, an incidant in excommunicationem. diſp.1.ſec.7.nu.12. 29.

Sacerdos.

Sacerdos ab Epiſcopo non approbatus, ſed à Parocho, an, & quando eligibilis in Confeſſarium per Iubilæum. diſp. 10. ſec. 59.nu. 2. & 3. 403.
Sacerdos ab Ordinario non approbatus, eligi non poteſt per Confeſſarium ab Epiſcopo non ſuo. diſp.8.ſec.9.nu.8. 250.
Quid ſi Ordinarius iniuſtè denegauerit illi approbationem, & Sacerdos ſit doctus, laureatus, inſignis, &c. nu. 9. fol.eod.
Sacerdos ab Ordinario non approbatus, ſi communiter æſtimetur talis, & conferat pœnitentiæ Sacramentum, an validè conferat, ſi titulus concurrat putatiuus. diſp. 8. ſec.9.nu.29. 254.
Sacerdos abſolutè approbatus ad audiendas fidelium cõfeſsiones, tempore Quadrageſimæ non excepto, nec ſaluo Iure Parochorum, poteſt fidelium confeſsiones audire, inuitis Parochis. diſp.8.ſec.10. nu.4. 260.
Quid ſi limitatè approbetur pro aliquo Oppido, Vrbe, &c. nu.5.fol.eod.
Si approbetur cum clauſula, ſaluo Iure Parochorum, &c. nu. 13. 261.
Sacerdos ad cõferendum ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum, an debeat habere non modo poteſtatem Ordinis, ſed etiam Iuriſdictionis. diſp.5.§.2.ſec.6.nu.1. 537.
An peccet mortaliter Sacerdos nõ proprius, qui abſque licentia proprij Sacerdotis Sacramentum hoc miniſtrat. nu.2.fol.eod.
Quid ſi ſit Religioſus, an etiam excommunicationem incurrar. nu. 3. fol.eod.
Quot requirantur ad hanc excommunicationem

tionem incurrendam. nu. 4. cum ſeq. 538.
Quid ſi miniſtretur in articulo mortis. nu. 7. fol. eod.
An ſufficiat habere poteſtatem iuriſdictionis delegatam. nu.8.fol.eod.
Quid ex priuilegio Rom. Pontificis, pro vt hodie habent Religioſi nu.9. fol.eod
Quid abſente proprio Sacerdote, vel miniſtrare nolente. nu. 12. 539.
Quid ex præſumpta proprij Sacerdotis voluntate, ac ratihabitione. nu. 14. fol.eod.
Sacerdos antequam Miſſam inchoet, quid agere teneatur. diſp.2.§.2.ſec.2. nu.6. 470.
Sacerdos approbatione an indigeat ad confeſſionem audiendam ſi parochiale habet beneficium. diſp.8 ſec.9.nu.35. 256.
An hic talis ſit vbique eligibilis in Confeſſarium vi Iubilæi, aut alterius priuilegij. nu. 36. fol. eod.
Sacerdos approbatus generaliter, ac ſimpliciter ad miniſtranda Sacramenta, approbatione haud indiget ad audiendas confeſsiones. diſp.8.ſec.9.nu.38. 257.
Sacerdos approbatus ad confeſsiones audiendas, an poſsit illas ſecularium audire in Quadrageſima, Parochis repugnantibus. diſp.8.ſec.10. nu.1. cum ſeq. 260.
Sacerdos conſecrare an poſsit ſemel, ac vnica prolatione verborum quantacunq; materiam voluerit, ſiuè magnam, ſiuè paruam, modo præſens ſit. diſp.2.§.2.ſec.16 n.1.504.
An peccet ſi id faciat irrationabiliter. nu. 2. fol. eod.
Sacerdos conſecrare validè an poſsit vnam partem hoſtiæ, alteram verò non. diſp. 2.§. 2. ſec.17.nu. 1. & 3. fol. eod.
Si conſecret duas hoſtias ſimul iunctas, putans tamen eſſe vnam, an ambæ remaneant conſecratæ, vel non ibidem in med.
Sacerdos ebrioſus mane celebrans, dormitione non præmiſſa, beneficio eſt priuandus. diſp. 2.§.2.ſec.1. nu.10. 465.
Sacerdos extra Miſſæ ſacrificium, an poſsit ſe licitè communicare, maximè ſecluſo ſcandalo. diſp.5.§.2.ſec.3. nu. 1. & 2. 535.
Et quid præſente Diacono. nu.3.fol eod.
Sacerdos formam abſolutionis impendens, an concurrat effectiuè ad culpæ abſolutionem. diſp.12.ſec.5.nu.1. 448. & nu.2. 449.
Quid ad abſolutionem pœnæ ſec.6. num.1. cum ſeq. fol.eod. & nu. 4. 450.
Sacerdos Græcus. Vid in verb. Græci.
Sacerdos habens coram ſe 20. particulas, & intendat conſecrare decem tantum non determinans quas, nullam conſecrabit. diſp.2. §. 2. ſec.17.nu.1. in med. 504.
Sacerdos inferior in quibus caſibus abſoluere poſsit à reſeruatis, & non reſeruatis ſimul. diſp. 3.ſec.1.n.102.73. & n.103. cum ſeq.74.
Sacerdos inferior iuriſdictionem non habens circa reſeruata, ſi pœnitentem abſoluat à non reſeruatis, & pro reſeruatis mittat eum ad ſuperiorem, an & quando validum ſit Sacramentum. d.ſec.1. nu. 104. 74.
Sacerdos in peccato mortali exiſtens, & celebrans Miſſam, poteſt per ſacrificium pœnæ remiſsionem alteri obtinere. diſp.10.ſec.38. nu. 5. 385.
Sacerdos in peccato mortali exiſtens, ſi multis Euchariſtiam miniſtret, ab alio conſecratam, vnum tantum committit peccatum in genere moris, ſicuti ſi vna aſperſione plures baptizaret, vel vnica abſolutione plures abſolueret. diſp.3.ſec.3. nu.48. 98.
Sacerdos in periculo mortis conſtitutus, an teneatur præcepto Diuino, ad ſacri celebrationem. diſp.1 §.2.ſec.2.nu.14. 461.
Sacerdos in ſacrificio Miſſæ, formam conſecrationis proferēs per verba æquipollētia, & deindè cōmunicans, vtroq; caſu facit contra reuerentiam Sacramenti. diſp.2.§.2. ſec.18. nu. 9. 507.
Quid ſi poſt conſecrationem in ſe reuerſus peccati dolens, de illo conterat, deindè communicet, ne ſacrificium relinquat imperfectum. nu.10. fol.eod.
An incidat etiam in excommunicationem. nu.11.fol.eod.
Sacerdos miniſtrans Euchariſtiæ Sacramentum, an peccet mortaliter. diſp. 3. ſec. 5. nu.43. 124.
Sacerdos ob mortis cauſam probabiliſſimè imminentis, ſacrificare poteſt non ieiunus, ſi aliundè Euchariſtiam habere nequit. diſp.2. §.2.ſec.1. nu. 18. 467.
Sacerdos omnis etiam excommunicatus non toleratus, nec ab Epiſcopo approbatus abſoluere quemlibet poteſt in articulo mortis à peccatis, & cenſuris, quamuis reſeruatis. diſp.8.ſec.5.nu.2. 228. & ſec.9.n.28. 254.
Quid præſente Sacerdote approbato n.3.228
Sacerdos pro communicando infirmo in articulo, vel periculo mortis, an celebrare poſſit citra veſtes ſacras, ac panem azimum, & circa ſacrificij integritatem, conſecrando fruſtrum panis fermentati, ac conſecratum tribuere, ægroto. diſp.2.§.2.ſec.1. nu. 23. in med. 467. & nu. 24. 468.
Sacerdos proprius in Sacramento pœnitentiæ, quis nam dicatur. diſp.8. ſec. 2. per totam. 203. & ſec.11.nu.1. 267.
Sacerdos proprius vniuerſalis Eccleſiæ dicitur Romanus Pontifex. d.ſec 2. nu.2. 203.
Qui nam dicantur proprij Sacerdotes Religioſorum. nu. 13. cum ſeq 205.
An Vicarij Præpoſitorum, Priorum, & Guardianorum ſint proprij Sacerdotes in prædictorum abſentia. nu.17.fol.eod.

Sacer-

Sacerdos putans conſecrare vinum, ſi aquam conſecret,& hauriat, iterum poteſt Calicem cum vino,& hoſtiam non conſecratã offerre, ac conſecrare incipiendo ab illis verbis: qui pridie, &c. Et quid agendum ad euitandum ſcandalum. diſp.2.§.2.ſec.1.nu.19. 467.

Sacerdos qui beneficium habet Eccleſiaſticum, ſi Diuinum officium recitare omittat quot peccata committit. diſp.3.ſec.5.n.45. 124.

Sacerdos quilibet in articulo, vel periculo mortis poteſt excõmunicatum abſoluere, quamuis irregularis, ſuſpenſus, vel degradatus ſit. diſp.8.ſec.1. nu.5. in med. 200.

Quid ſi baptizatus non fuerit. nu. 7. fol.eod.

Sacerdos qui peccato peccat incontinentiæ, ſatisfacit dicendo in confeſſione, ſe in ſacris eſſe, tacendo Sacerdotij circumſtantiam. diſp.3.ſec.3. nu.67. 103.

Sacerdos qui poſt ſumptam calicis ablutionem, inuenit reliquias hoſtiæ conſecratæ in patena, aut Altari, poteſt eas ſumere, non obſtante, quod per ablutionem ſumptam ieiunus non ſit. diſp.2.§.2.ſec.1.n.28. 468.

Quid dicendum de reliquijs grandioribus, quæ tamen ſeruari facile non poſſent, vel non eſſent reliquiæ de illo ſacrificio. nu. 29. cum ſeq. 469.

Sacerdos Regularis, approbatione Ordinarij, an indigeat ad audiendas regularium confeſsiones. diſp.8.ſec.9.nu.41. 258.

An illa indigeat quoad Nouitios. num. 42 fol. eod.

An poſſit audire confeſſiones Regularium alterius Ordinis, citra Epiſcopi approbationem. nu.44.fol.eod.

An audire poſſit Monialium confeſſiones abſque approbatione prædicta. nu. 46. fol. eod. & nu. 49. 259.

Sacerdos ſimplex an poſſit à venialibus abſoluere abſque vlla Ordinarij approbatione. diſp.8.ſec.12.nu.4 300.

Sacerdos ſi poſt conſecrationem recordetur ſe non eſſe ieiunum, aut excommunicatum, vel irregularem, an debeat ſacrificium perficere, & quid ſi mala fide ad ſacrificium acceſsiſſet. diſp.2.§.2.ſec.1.nu.20. cum ſeq. 467.

Sacerdos ſolus Iure Diuino poteſtatem habet diſpenſandi,& conferendi fidelibus ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum. diſp.5.§.2. ſec.1.nu.1. & 2. 532.

An illam habeant quoque Diaconi, Clerici, & etiam Laici. d.nu.1.

Sacerdos vnus tantum, an vero plures ſimul poſſint vnam, eandemq; hoſtiam conſecrare. diſp.4.§.2.ſec.2. nu.1. & 2. 516.

An ſimul poſſint cum Epiſcopo. d. nu. 2. & nu. 3. fol. eod.

Sacerdos, vt ſecularium poſſit confeſsiones audire, an debeat habere actualem Ordinarij approbationem, vel ſatis ſit fuiſſe aliquando approbatum. diſp.8.ſec.9 nu.12. 250.

An approbatio debeat eſſe ſecundum conſcientiam Epiſcopi, adeo vt ſi approbetur ab Epiſcopo ſciente, idoneum non eſſe, non cenſeatur approbatus. nu. 13. 251.

Quid dicendũ in Sacerdote regulari n.2. 249

Quid ſi ſit Magiſter in ſacra Theologia. nu. 6. & 7. fol. eod.

Sacerdotes dum ſacerdotio initiantur, ſimul cum Epiſcopo celebrant, ac conſecrant, nec talis Eccleſię conſuetudo damnanda eſt. diſp. 4.§.2.ſec.2. nu.6. & 7. 517.

Sacerdotes hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, ſuſpenſi ab Ordine, Interdicti, aut degradati, ſiuè exiſtentes in mortali peccato, an poſsint licitè Euchariſtiæ Sacramentum adminiſtrare. diſp.5.§.2.ſec.4.n.1. & 2. 535.

An ſaltem poſsint in caſu extremæ neceſsitatis. ſec.5.nu.1. & 4. 536.

An ſit licitum recipere Sacramentum hoc à Sacerdote publico Concubinario. n.3.f.eod.

Sacerdotes in nonnullis partibus proprio non confitentur Parocho,& quare. diſp. 8. ſec.3. nu.13. 215.

Sacerdotes in Paſcha non ſolum communicare, ſed etiam celebrare tenentur. diſp.1.§.2. ſec. 2. nu. 11. 461.

Et quibus ſolemnitatibus Sacerdotes, & Parochi celebrare teneantur ſub lethali culpa. nu.12. fol. eod.

An poſsit Epiſcopus illos cogere ad celebrandum ſub aliqua cenſura. nu.13. fol. eod.

Sacerdotes omnes etiam hæretici, ſchiſmatici, &c. in mortis articulo an ſint Iudices legitimi in confeſsione ſacramentali, quamuis euitari debeant quoad fieri poſsit. diſp. 1. ſec.1. nu. 52. 9.

Sacerdotes ſeculares, ſemel ab Ordinario approbati ad confeſsiones, an poſsint ab eiſdem ſuſpendi citra iuſtam cauſam. diſp. 8. ſec. 9. nu.24. 253.

Sacerdotibus an,& quando licitum ſit celebrare abſque præuia confeſsione. diſp.2.§.2.ſec.7. nu.18. cum ſeq. 488. & nu.21. cum ſeq. 489. & nu. 28. cum ſeq. 490.

Sacerdotes volentes communicare extra Miſsã more laicorum ex Eccleſiæ præcepto, vti debent ſtola, ac ſuper pelliceo, & quid ſi communicent in infirmitate, vel occultè in aliquo ſacello. diſp.2.§.2.ſec.2. nu.3. 470.

Sacrificare.

Sacrificare, & communicare in vino aqua non permiſto, an ſit contra reuerentiam Sacramenti. diſp.2.§.2.ſec.16.nu 4. 503.

Sacrificare hora, & dimidia ante Solis ortum, an ſit peccatum. diſp. 2.§.2.ſec.4.nu.8. 476.

Sacrificare pluries in die multis in caſibus Sacerdoti licitum eſt. diſp.2.§.2.ſec.4.n.15. 477

Sa-

INDEX.

Sacrilegium.

Sacrilegium quot modis patretur furando in loco ſacro. diſp.3.ſec.3. nu.20. 91.
An, & quando committatur ſacrilegium per copulam carnalem in Eccleſia, alioue loco ſacro. Et quomodo id ſit in confeſsione explicandum. d. nu.20.

Sacrilegium an ſit, delinquentes extrahere ab Eccleſia. d.ſec.3.nu.23. 92.

Sacrum.

Sacrum non audiens die Dominico, in quo feſtum incidit de præcepto, an vnam tantum committat culpam. diſp.3.ſec.2. n.11. 82.
Cætera vid. in verb. Miſſa.

Salomon.

Salomon filium habuit in anno vndecimo. diſp. 1.ſec.7.nu.19. 29.

Salus.

Salutem propriam famæ alterius præferre quiſque poteſt. diſp.3.ſec.8.nu.13. 131.

Saluti ſuæ animæ magis quam famæ proximi, quis præuidere tenetur. d ſec.8. nu. 30. 133.

Sanctimoniales.

Sanctimoniales, vid. in verb. Concilium Trid. & in verb. Monialis.

Sanctiſsimum.

Sanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramētum omnis vtriuſq; ſexus in Paſcha ſuſcipere tenetur, & in qua ætate. diſp.5.§.2.ſec.8. nu. 1. 541.
Cætera vid. in verb. Euchariſtia.

Satisfacere, & ſatisfactio.

Satisfacere poſſumus extra pœnitentiæ Sacramentum per actus pure internos, pro pęna quæ remanet poſt culpam remiſſam. diſp.9. ſec.2.nu.19. 325.

Satisfactio duplex fieri debet apud Deum, pro culpa ſcilicet, & pro pęna. diſp. 9. ſec. 1. nu.4. 316.

Satisfactio impoſita per Confeſſarium, an impleri poſsit per alium. diſp.9. ſec.6.nu.1. cum ſeq. 331.
An impleri poſsit per alium tanquam per cauſam principalem. nu.5. 332.
Quid dicendum in conſtituto in mortis articulo. nu.6. fol.eod.
Quid ſi Confeſſarius ſimpliciter impoſuit pęnitentiam, non explicando, an impleatur, vel non impleatur per alium. nu.10. fol.eod.

Satisfactio pœnæ per mulctam à Sacerdote iniunctam in ſtatu peccati mortalis exhibita, an ſatis ſit ad Sacramenti integritatem, & ad implendam obligationem à Sacerdote impoſitam. diſp.9.ſec.2.nu.4. 320.
Impleta in peccato mortali an conferat effectum operandi, & conſequenter remittatur pœna temporalis. nu.5. & 6. fol. eod.
Recedente fictione, reconciliato ſcilicet peccatore per pęnitentiam, an habebit ſuum effectum ex opere operato, & pœna remittetur. nu.9. fol. eod. & nu.11. 321.

Satisfactio pœnæ poſt culpam remiſſam per opera laborioſa, ſponte ſuſcepta, vel à Deo inflicta in peccato mortali, an conferat effectum operanti in peccato exiſtenti, & quid recedente fictione. d. ſec. 2. nu. 13. fol. eod. & nu.17. 322.

Satisfactio, quæ ſit per multam à Sacerdote iniunctam, dicitur ſimpliciter ex opere operato, eodemq; modo effectum habet remittendi pęnam temporalem poſt culpam remiſſam. d.ſec.2.nu.1. 319.

Satisfactio quæ ſit per Indulgentias dicitur etiam ex opere operato extra Sacramentum diſp.10. in princ. nu. 1. 337.
Et vid. in verb. Indulgentia.

Satisfactio ſacramentalis quid ſit. diſp. 9. ſec. 1. nu. 1. 315.
In quo differat à ſatisfectione extra Sacramentum, vtpote per Indulgentias, ieiunia, &c. nu.9. 317.

Satisfactionem per Confeſſarium impoſitam, poſſe per eundem interpretari, tolli, ac mutari, aut ſuper ea diſpenſari certum eſt. diſp. 9.ſec.7.nu.2. 333.
Multo fortius per ſuperiorem. n. 4. 334.
Eo magis re petita peccatorum confeſsione nu.6. fol.eod.
An mutari poſsit ab æquali Confeſſario. nu. 7. fol. eod. & nu. 8. cum ſeq. 335.
An inferior mutare poſsit pęnitentiam à ſuperiore impoſitam pro reſeruatis. num. 14. fol. eod. & nu. 17. cum ſeq. 336.
An ex iuſta cauſa poſsit Confeſſarius mutare pęnitentiam, impoſitam ab alio Confeſſario etiam non repetita peccatorum confeſsione n.20. cum ſeq. fol. eod. & n.23. cum ſeq. 337.

Scholares.

Scholares quibus Confeſſarijs confiteri valeant Vid. in verb. Proprio Sacerdoti.

Senio confectus.

Senio confectus an ſit in mortis periculo, ſicut & iter facturus ad hoſtes. diſp.1.ſec.1.n.40. 8.

Sigillum.

Sigillum confeſſionis directè impoſitum eſt ad pęnitentis fauorem. diſp.3.ſec.9. nu.6. 136.

Sigillum confeſſionis ſeruare malus bonum eſt, quam illud violando Ciuitatem ſeruare ab incendio. diſp.3.ſec.8.nu.15. 131.
Quis nam teneatur ad ſigillum. Vid. in verb. Confeſſarius.

Sinus.

Sinus. Vid. in verb. Receptacula.

Sodomia.

Sodomiæ crimen ſi fuerit reſeruatum, tàm agentes comprehendit, quàm patientes. diſp. 8.ſec.11. nu.158. 291.

Species.

Species peccati phyſicæ, vel Morales quæ nam ſint.

ſint. diſp. 3. ſec. 2. num. 1. 80.
Quæ nam pertineant ad integritatem confeſſionis. num. 12. & 14. 82.
An pertineant ad eiuſdem integritatem ſpecies peccati interni. nu. 15. 83.
Quid ſi pęnitens non recordetur peccata mortalia in ſpecie, ſed ſolum in genere. Vel ignoret diſcernere peccatorum ſpecies. nu. 17. & 18. fol. eod.

Sponſus.

Sponſus, vel ſponſa, ſi cum alijs carnaliter peccent, an teneantur in confeſſione ſponſaliorum circumſtantiam aperire. diſp. 3. ſec. 3. nu. 103. 100.

Statutum.

Statutum prohibens frumentum extrahi, an comprehendat hordeũ. diſp. 1. ſec. 3. n. 16. 20.
Si prohibeat bladum extrahi, an comprehendat quoque farinam. nu. 17. fol. eod.

Stuprans, & ſtuprum.

Stuprans violenter virginem, aut precibus importunis, ſeù falſis ſuaſionibus an teneatur eam dotare. diſp. 3. ſec. 3. nu. 13. 88. & num. 99. 110.
Stuprum voluntarium an conſtituat nouam peccati incontinentiæ ſpeciem. d. num. 13. in med. 89.

Subditus.

Subditus, ſi Prælato non obediat, præcipienti ſub præcepto ſanctæ Obedientiæ, an teneatur in confeſſione præcepti circumſtantiam aperire. diſp. 3. ſec. 3. nu. 106. 111.

Subrogatum.

Subrogatum naturam eius ſapit, in cuius locũ facta eſt ſubrogatio. diſp. 10. ſec. 76. n. 1. 420.
In fauorabilibus tamen, ſecus in odioſis. num. 3. 421.

Subſtantia.

Subſtantia panis, ac vini poſt conſecrationem an annihiletur. diſp. 4. §. 1. ſec. 6. nu. 3. 521. & nu. 4. cum ſeq. 522.
An annihilentur accidentia, vel corrumpantur. nu. 8. 523.
An poſt conſecrationem remaneat aliqua pars ſubſtantiæ panis, vel vini. ſec. 7. nu. 1. & 2. fol. eod.
Confutatur in hoc Lutherus. n. 3. fol. eod.

Suffragium.

Suffragium non eſt actus Clauium, ſed actus Charitatis. Et quid ſit. diſp. 10. ſec. 1. n. 7. 339
Quod nam ſuffragium appelletur ex opere operantis, & quod nam ex opere operato. nu. 10. fol. eod.

Summus Pęnitentiarius.

Summus Pęnitentiarius iuriſdictionem habet ordinariam in foro pęnitentiali in omnes Chriſti fideles, tàm laicos, quam Clericos, tùm ſeculares, tùm regulares. diſp. 8. ſec. 2. nu. 25. 207.
An dicatur proprius Sacerdos etiam Cardinalium: ſed eius proprius Sacerdos ſit tantum Rom. Pontifex. An poſsit ſibi Confeſſarium eligere. Et an, & quando teneatur. ſec. 4. num. 9. 223.

Sum. Pontifex.

Summus Pontifex vid. in verb. Papa.

Superior.

Superior Regularis an poſsit Monaſtrij bona in quoſuis vſus expendere. diſp. 8. ſec. 11. nu. 62. 277.
An concedere poſsit ſubdito Religioſo, vt bona ſibi tradita ad vſum, in quoſuis vſus expendat. nu. 67. fol. eod.
Superiores regulares compellere an, & quando poſsint ſubditos ad ſibi confitendum. diſp. 8. ſec. 11. nu. 34. 272.
An potius debeant ſuam poteſtatem delegare. nu. 35 fol. eod.
An explorare poſsint Confeſſarium de peccati ſpecie, ac de conſuetudine peccandi, alijſq; huiuſmodi citra ſigilli violationem. nu. 36. fol. eod.
An vti poſsint ea notitia, quam de peccatis aliorum in confeſsione habuerunt. n. 39. 273.
Superiores regulares concedere an poſsint ſubditis facultatem ſibi eligendi Confeſſarium. diſp. 8. ſec. 4. nu. 26. 227.
An ſubijcere poſsint Epiſcopis ſe ipſos, & ſubditos pro abſolutione. nu. 27. fol. eod.
Superiores regulares, & ſi nequeant abſoluere, & diſpenſare in caſibus occultis vigore Tridentini, poſſunt tamen vigore Bullæ Pij V. diſp. 8. ſec. 6. nu. 14. 233.
Superiores regulares iuriſdictionem in foro pęnitentiali delegare poſſunt quoad ſubditos actiuè, & quoad ſe ipſos paſsiuè. diſp. 8. ſec. 7. nu. 12. 239.
An ad id teneantur. nu. 13. fol. eod.
Superiores regulares quos caſus ſibi reſeruare poſsint, tùm ex Decreto Clementis VIII. tùm in capitulo generali, vel prouinciali, & an in ſingulis taxare poſsint pęnitentiam, à Confeſſario iniungendam. diſp. 8. ſec. 11. nu. 23. 270.
An caſus prædicti debeant eſſe graues, atque ideo lethalis culpæ. nu. 24. 271.
An huiuſmodi reſeruatio fieri poſsit ad beneficium vnius, vel alterius domus. n. 26. f. eod.
An extra capitulum generale, vel prouinciale poſsint ſupradictis caſibus excommunicationem addere. nu. 30. & 32. 272.
Superiores regulares, ſi præcipiant, vt ſubditi, ad aliud Monaſterium euntes non abſoluantur à reſeruatis ſibi, malè faciunt, & nullum eſt tale præceptum. diſp. 8. ſec. 16. n. 25. 315.

Suſpitio.

Suſpitio quæ, & quotuplex ſit. diſp. 5. §. 1. ſec. 11. nu. 2. 546.

Ta-

Tabacchum.

TAbacchi ſumptione, ſiuè in frondibus, ſiuè in puluere, aut in fumo, an violetur ieiunium naturale. diſp.2.§.2.ſec.1. nu.23. 467. & nu. 24. 468.

Tempus.

Temporis duratio in peccato, an & quãdo ſit in cõfeſſione aperiẽda. diſp.3.ſec.5.n.19. 121 Et quid in retẽtione rei furtò ſublatę.n.22.f.eo.

Teſtator.

Teſtator tutorem dans filijs, etiam filiabus dare intelligitur. diſp.1.ſec.4.nu.9. 22.

Teſtis.

Teſtis, qui factum audiuit ab alijs, quamuis à Iudice legitimè interrogetur, negare illud poteſt. diſp.8.ſec. 11.nu.84. 280.

Teſtis qui ſimul rogatur de pluribus rebus articulatis ſub vno iuramento, & in omnibus mentiatur, quot periuria committat. diſp. 3. ſec.5.nu.40. 123.

Textus.

Text. in c. fures de furtis explicatur. diſp. 8. ſec.1. nu. 13. 201.

Text. in c. is qui 26. q. 6. dilucidatur. diſp. 3. ſec. 1. nu. 111. 77.

Text. in c. non ſanctum de conſecr. diſt. 4. explicatur. diſp.8.ſec. 1. nu. 12. 201.

Text. in c. quem pœnitet de pœnit. diſt. 1. dilucidatur. d.ſec.1.nu.11. fol. eod.

Tranſubſtantiatio.

Tranſubſtantio panis, ac vini in Chriſti Corpus, & Sanguinem mirabilis eſt effectus verborũ conſecrationis.diſp.4.§.2.ſec.3.n.2.517

VAgabundi quibus poſsint confiteri. Vid. in verb. Proprio Sacerdoti.

Vehementia.

Vehementia in actum externum an addat nouam peccati ſpeciem, ac diſtinctam, & in confeſsione aperiendã. diſp.3.ſec.3.n.34.94.

Venenum.

Venenum præbens Matri prægnanti ex illicito concubitu, an teneatur in confeſsione tacere circumſtantiam Matris, & quare. diſp. 3. ſec.8.nu.22. 132.

Venialia.

Venialia tantum habens, ſi ſit confeſſus in Quadrageſima, & Euchariſtiam ſumpſerit, & poſt communionem in aliquod mortale incidat, an teneatur intra annum confiteri. diſp.5.ſec.1. nu. 8. 152.

Venialia tantum habens, an teneatur confiteri pro lucranda Indulgentia. diſp. 10. ſec. 17. nu. 1. cum ſeq. 371.

Cætera vid. in verb. Peccatum.

Verba.

Verba conſecrationis in Euchariſtiæ Sacramento, an proferantur à Sacerdote recitatiuè tantum, an vero effectiuè. diſp. 4. §. 2. ſec.5. nu.1. & 2. 520. & nu. 5. 521.

Verba conſecrationis an ſint cauſa phyſica præſentiæ Corporis Chriſti in Sacramento, an vero tantum moralis.diſp.4.§.2.ſec.4.nu. 2. 518. & nu.6. 519.

Vid. in verb. Forma Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti.

Verba imperatiua, an & quando præceptum contineant. diſp. 10.ſec.71.nu.8. 415.

Verba iniurioſa, ſignificantia vnam tantum iniuriæ ſpeciem, an habeant diſtinctas malitias morales, atque conſtituant plura peccata numero diſtincta.diſp.3.ſec.5.n.35.123.

Vicarius, & vice Præpoſitus.

Vicarij Domus Vici æquenſis, ac Tuſculanæ, alijq; qui a Patre Generali ſunt electi, eique immediatè ſubduntur, an ſint propriè Prælati, & quam habeant facultatem. diſp.8.ſec. 2. nu. 19. 206.

Vicarij, & Priores Superiorum regularium, an delegare poſsint iuriſdictionem in foro pœnitentiali in eorundem abſentiam. diſp. 8. ſec.7.nu.14. 239.

Vicarij Generales Epiſcoporum an facultatem habeant eligendi ſibi Confeſſarium, prout Epiſcopi. diſp.8. ſec. 4. nu. 16. in fin. & nu. 19. cum ſeq. 225.

Quid de conſuetudine. nu 18. fol.eod.

An ſint propriè Prælati, & Ordinarij totius Diœceſis. nu. 17. fol. eod.

Vicarij Generales Epiſcoporum à quibus abſolui poſsint per Confeſſarios, quos ſibi eligunt. diſp.8.ſec.6. nu. 20. 234.

Quid in Vicarijs, atque Prioribus, qui Præpoſitos non habent. nu. 21. 235.

An Vicarius Romani Pontificis, eiuſque Vicemgerens, habeant iuriſdictionem ordinariam.nu.23.fol.eod.

Vicarius generalis Epiſcopi an poſsit delegare vnum, aut plures caſus ex reſeruatis ab Epiſcopo.diſp.8.ſec.7.nu.22.in fin.cum ſeq.241.

Vice Præpoſitus Domus ſancti Silueſtri de Vrbe in abſentia Præpoſiti, vel Vicarius, & pater vocalis ſenior in abſentia, &c. An ſit proprius Sacerdos, & quam iuriſdictionem habeat. diſp.8.ſec.2. nu.17. in fin. 206.

Vinum.

Vinum ex vite eſt altera pars vera, & neceſſaria materia Euchariſtiæ Sacramenti. diſp. 2. §. 2.ſec.14. nu. 1. 499.

Quid dicendum de ſucco ex vuis immaturis, aut de liquore ex pomis, moris, tritico, &c. nu. 2. & 3. 500

Quid de aceto, aut ſucco vuarum maturarum, non dum ex earum granis expreſſo.nu. 4. & 5. fol. eod.

Quid de ſapa, ſeù vino cocto. nu.6. fol. eod. & nu.7. 501.

Quid de Muſto recenter ex vuis maturis

expreſſo. num. 11. fol. eod.
An lora, vulgo acquata ſit materia huius Sacramenti. nu. 15. fol. eod. & nu. 16. 502.
Quid de ſucco ex vua paſſa deducto. nu. 17. fol. eod.

Violantes.

Violantes præceptum annuæ confeſſionis, vel communionis in Paſcha quam pœnam incurrant, & an contra prædictos implorari poſſit brachium ſeculare. diſp. 6. §. 2. in prin. nu. 1. 547.
An incurrant aliquam cenſuram. ſec. 1. n. 1. & 2. fol. eod. & nu. 6. 548.
An incurrant cenſuram latæ, vel ferendæ ſententiæ. ſec. 2. nu. 1. & 2. fol. eod.
An cenſura Interdicti obliget ad obſeruantiam huius præcepti ſub culpa lethali ante Iudicis ſententiam. ſec. 3. nu. 1. & 4. 549.
Violantes quamcunq; legem, ſiuè pœnalem, ſiuè non, ex contemptu formali Legiſlatoris ſemper lethaliter peccant. diſp. vlt. §. 2. ſec. 3. num. 2. 551.

Vir, & Virgo.

Vir qui prima vice virginitatem amiſit, an teneatur hanc circumſtantiam in cõfeſsione explicare, vel debeat de hoc à Confeſſario interrogari. diſp. 3. ſec. 3. nu. 14. 89.
Virgo ſi conſentiat in raptu, quamuis diſſentiant Parentes, Tutores, alijque, qui loco parentum ſunt, an debeat hanc circumſtantiam in confeſſione explicare. d. nu. 14. verſ. Quæ diximus.

Viſitatores.

Viſitatores in nonnullis Religionibus Iura habent prouincialia, & maximè viſitationis tempore. diſp. 8. ſec. 2. nu. 20. 206.
An habeant facultatem abſoluendi à caſibus reſeruatis etiam Præpoſito. nu. 21. fol. eod.

Vita.

Vitam temporalem ad cõſeruandam per cibos temporales, & corporeos, præcepto Diuino tenentur ſub lethali culpa. diſp. 1. §. 2. ſec. 1. num. 8. 455.

Vnitas, & vnus.

Vnitas peccati externi an requirat continuationem phiſicam, & moralem, an vero moralis tantum ſufficiat. diſp. 3. ſec. 7. nu. 2. 126. & nu. 5. 127.
An vnitas numerica in actionibus quoque, & qualitatibus ſit ſemper eiuſdem rationis, vel æqualis. nu. 7. cir. med. fol. eod.
Vno ictu qui plures interficit, vel qui vno actu plures afficit iniurijs, an committat plura peccata. diſp 3. ſec. 5. n. 47. 124.

Vocalis.

Vocalis ſenior, quis nam dicatur, & an habeat Iura præpoſiti, tàm in ſpiritualibus, quã temporalibus ipſo abſẽte. diſp. 8. ſec. 2. n. 18 206.

Voluntas.

Voluntas habendi attritionem, attritio non eſt. diſp. 8. ſec. 2. nu. 18. 206.
Voluntas occidendi plures homines vnico ictu, aut percutere aliquem ferro tricipiti, an faciat plura numero peccata, & ſit in confeſsione explicanda. diſp. 3. ſec. 3. nu. 82. 106.

Votum, & vouens.

Vota de re minima, & veniali, haud obligant ſub mortali. diſp. 1. ſec. 9. nu. 28. 34.
Voti commutatio, redemptio, diſpenſatio, ac irritatio, in quo differant. diſp. 10. ſec. 72. nu. 1. 415. & nu. 5. 416.
Voti commutationem, qui obtinuit per Iubilæum, an poſſit redire ad prius votum omiſſo eo, in quo facta eſt commutatio. diſp. 10. ſec. 101. nu. 1. 430.
Voti multæ dantur differentiæ, vltra quas aliud eſt ſimplex, & aliud iuratum. Et quid ſit votum ſimplex. diſp. 10. ſec. 73. n. 2. & 3. 417.
Voto qui ſe adſtrinxit confitendi quater, vel quinquiès in anno, aut in menſe. Siuè ſi à Confeſſario pœnitentiam acceperit taliter confitendi obligetur iure Diuino, ad huius voti, vel pœnitentiæ ſatisfactionem. diſp. 1. ſec. 1. nu. 63. fol. 11.
Votorum commutationem, aut ſuper eis diſpenſationẽ tempore Iubilæi, an poſſit quis petere ab vno Confeſſario, & deindè alteri confiteri. diſp. 10. ſec. 71. nu. 7. 415.
Votorum commutationem, qui tempore Iubilæi noluit petere, eo tranſacto, an valeat poſtulare. diſp. 10. ſec. 102. n. 1. & 2. 430.
An quis petere poſſit commutationem votorum oblitorum. nu. 3. fol. eod.
Votorum commutationem, qui tempore Iubilæi fuit aſſecutus, ſed aliquorum oblitus, eo tranſacto, an petere poſſit commutationem, & diſpenſationem oblitorum, non obſtante, quod Iubilæum lucratus non ſit. diſp. 10. ſec. 103. nu. 2. cum ſeq. 431.
Votum commutare quid ſit, & in quo differat à diſpenſatione in votis. diſp. 10. ſec. 71. nu. 1. & 2. 414.
Votum commutare, an, & quando quis poſſit propria authoritate. d. ſec. 71. nu 3. fol. eod.
In quo differat commutatio, ac diſpenſatio voti, quæ fit qer Epiſcopos, ab ea quæ fit per Confeſſarios regulares. n. 5. f. eod. & n. 6. 415.
An Confeſſarius peccet commutando vota extra pœnitentiæ Sacramentum, ſi id in Synodo prohibeatur. nu. 8. & 9. fol. eod.
Votum commutare an poſſit, qui poteſtatem habet illud irritandi. diſp. 10. ſec. 72. n 6. 416.
Et quid è contra. nu. 7. fol. eod.
An conceſſa per Iubilæum facultate abſoluendi à reſeruatis cenſeatur quoque conceſſa facultas commutandi vota. nu. 8. fol. eod.

Votum emittens non modo habere debet vſum rationis, verum etiam debet eſſe pubertati proximus. diſp.1.ſec.7.nu.14. 29.

An poſſint impuberum vota a parentibus, vel tutoribus irritari vſque ad pubertatis annos. nu.16.fol.eod.

Votum in quo differat à Iuramento. diſp. 10. ſec 73.nu.1.417.

Votum pœnale religionis, aut caſtitatis quid ſit. Et in quo differat à voto conditionali eorundem. Et an poſſit commutari per Confeſſarium virtute Iubilæi. diſp. 10. ſec.85. nu.1. cum duob. ſeq. 424. & nu.4 425.

Votum religionis, vel caſtitatis Summo Pontifici reſeruatum, ab eodem commutatum in alium non reſeruatum, an poſſit vi Iubilæi, aut per Epiſcopum iterum commutari. diſp. 10.ſec.76.nu.1.420. & nu.2. 421.

Votum religionis, vel caſtitatis, metu leui extortum, an poſſit vi Iubilæi per Confeſſariũ commutari. diſp.10.ſec.77.nu.1. & 2. 421.

Quid ſi metus incutiatur ab intrinſeco, puta ratione infirmitatis, naufragij, &c. num. 3. fol. eod.

An in foro conſcientiæ irritum ſit votum, etiam ſolemne ex leui metu iniuſtè incuſſo. d. num.2.

Votum ſimplex caſtitatis, qui emiſit in ſeculo, vel in Nouitiatu, & poſtea profeſſus in religione, peccet carnaliter, an teneatur in confeſſione circumſtantiam profeſſionis exprimere. diſp.3.ſec.3. nu.72. in med. 104.

Votum ſolemne caſtitatis, quod emittit in profeſsione an faciat circumſtantiam notabiliter aggrauantem, & ſupra votum ſolemne, quod emittitur in ſacris ordinibus; ſitq; in cõfeſsione explicanda. diſp.3.ſec. 3.n.68. 103.

Et an malitiam addat ſpecie diſtinctam. nu. 69. fol. eod.

Votum ſolemne quod fit per profeſsionem expreſsè, vel tacitè in religione, quam ætatem requirat in vouente. Et quid in inſulis, vbi dura eſt Monachorum congregatio. diſp.1. ſec.7.nu.17. cum ſeq. 29.

Quæ ætas requiratur in voto ſolemni, quod fit in ſuſceptione ordinis ſacri. d.nu.17.

Vouens alternatiuè, aut ingrediendi religionem, aut ſoluendi mille; ſi deindè proponat, religionem ingredi, an poſsit deindè pecuniarium votum eligere, atque ideò Confeſſarius illud vi Iubilæi valeat commutare. diſp. 10.ſec.75. nu.3. 419.

An Confeſſarius vi Iubilæi, ſeù alterius priuilegij commutare poſsit partem voti alternatiui non reſeruatam, quando reddita eſt impoſsibilis vouenti, ſed materia reſeruata poſsibilis eſt. ſec.78.nu.2. & 3. 421.

Vſurarij.

Vſurarij. Vid. in verb. Peccatores.

Vſus.

Vſu rationis carens, licet ætatem habeat ſeptem, vel 12. annorum, an ſit capax præcepti annuæ confeſsionis. diſp. 1. ſec.8.num. 2. & per totam. 30.

Vxor.

Vxorem propriam carnaliter cognoſcens in loco ſacro, tenetur hanc circumſtantiam vxoris in confeſsione aperire. diſp. 3. ſec. 3. num. 52. 99.

Multo magis ſi copula haberetur ex humana fragilitate, ſeù neceſsitate. d. num. 52. in med. 100.

FINIS.

Cap. Omnis vtriuſq; Sexus de Pęnitentia habet pro materia remota errores, & piacula; vndè ne mireris, Lector, tot irrepſiſſe menda in eiuſdem Commentaria, ac potiſſimum in Summario ob minutiſſimum Characterem. Idque velim exploratum habeas, quod eodem tempore vnum erratum corrigebatur, atque alterum in poſteriori impreſſione inſurgebat. At Typographus ſe excuſabat nequaquam tot erratorum in cauſa fuiſſe; proprium ſit Typographorum in frequentes errores labi. Verum ſunt ipſi miſeratione digni miniſtrorum defectu; eruditè Lector, te minimè Latere debet, de minimis nihil curare debere prætorem, ſicut l. quod ſi epheſi, ff. de eo, quod cer. loco; Vndè excuſare debes minoris momenti errata, vti ſunt literæ inuerſæ, aut vna pro alia præter opinionem illapſa. Diuido in duplicem ordinem menda, in diſſonantia in Grammatica, quæ facilè legendo pertranſire valebis; & in variantia ſenſum, ideoq; vt facilè corripias, ſeparatim pono. Interim mecompatere, qui errores compluſus ſum ad Cliantis Lucernam lucrabare, emendare, ſimulq; caligare.

Errata primi Ordinis	*Corrige*
Pagina prima, columna prima verſu 18. pęnitentia	pęnitentiæ
p.2.col.2.n.39. auticulum	articulum
p.3.col.1.n.54. & 64. ſaltim	ſaltem
p.5.col.1.n.9. etat	erat
p.6.col.1.nu.13. hac	hæc
p.9.col.1.n.42. iequeretur	ſequeretur.
p.11.c.1.n.62.& 63.Diuioum	Diuinum
p.34.c.2 n.31. Laym.l.c.non is	Laym.l.c. nũ is
p.45.col.2. nu. 1. aut	autem omittit
p.48.col.2.n.5. integrates	integrantes
p.56.col.2.n.11.quis teneatur	quis nõ teneatur
p.59.col.1.n.29. Ab	Ad
& col.2.nu.37. Dlmitte	Dimitite
p.60.col.1.n.37. pertineat	pertinent
& ibi adde n.40. tollit	tollunt
p.80.col.1. & 2. moralis	morales
ibidem ea	&
p.90.col.1.nu.15. ptima	prima
p.105.col.1.n.77. proſecutus	perſecutus
p.112.col 1.n.110. inſtam	iuſtam
p.115.col.2 n.13. obiecti	obiectum
p.120.col.2.n.14. Clarico	Clerico
p.121.col.2.nu.25. prauo	paruo
p.22.col.1.nu.27. nd	ad
p.124.col.2.n.46. numetum	numerum
p.125.col.1.n.1. coſitinuetur	continuetur
p.135.col.1 n.1. infamere	infamare
p.138.col.2.n.6. letatem	lethalem
p.139.col.2.n.1. confiteti	confiteri
p.145.col.2.n.5. eexibibrs	exhiberi
p.158.col.2.n.4. in ij	in ijs
p.168.col.1.n.1. de peccatu	de peccato
p.178.col.2.n.18. gratia	gratiæ
p.181.col.1.n.1. carebunt	carebant
p.183.col.1.n.10. dolore	dolere
p.185.col.2.n.10. exiſtimatam, & putatiuam	exiſtimatum,& putatiuum
p.190.col.1.n.8. vno	vna
p.196.col.1.n.3. omnim	omnium
p.203.col.1.n 44. audiendæ	audiendas
ibidem n.2. duobus	duabus
p.207.col.1.n.23. prodrijs	proprijs
& n.24. proprium	proprius

Errata	*Corrigo*
p.209.col.1.n.34. intructus	inſtrnctus
ibidem col.2.n.37. recurre	recurrere
p.215.col.1.n.13. illi	illius
p.224.col.1.n.12. poſſet	poſſe
p.225.c.2.n.20.approbatione	approbationem
p.234.col.1.n.22 agentes	Regente
p.237.col.2.n.4. inferioriqus	inferioribus
ibidem prouincia	prouinciæ
p.239.col.2.n.14. domibu	domibus
p.248.col.1.n.28. pęnitentis	pęnitentiæ
p.264.col.1.n.66. Religioſi	Religioſo
p.269.col.1.n.11. Archiepiſcopos	Archiepiſcopus
p.276.col.1.n.58. abdicato	abdicatio
p.277.col.2.n.67. retinuat	retineat
p.285.col.1.n 111. in eo	eo
p.292.col.1.n.158.indemnitate	idemtitate
p.298.col.2.n.193. reſeruatur	reſeruatus
p.299.col.2.n.9. attentatus	attentatio
p.306.col.2.n.10. an Confeſſarius inferiorem	Confeſſarius inferior
p.316.col.2.n.3. haberat	habuerat
p.319.col.1.n.3. ſum. debitam	debita
p.322.col.1. in tit.acceptam	acceptatam
p.323.col.2.n.6. moræ	more
ibidem &	vt
p.324.col.2.n.12 à pęnitentibus	pęnitentibus
p.330.col.2.n.15. imponatur	vt imponatur
p.338.col.1.n.1.Cicer lib.	Cicer offic. lib.
p.350.col.2.in tit.ſec.concedi	concedendi
p.351.col.2.n.1. poteſtam	poteſtatem
p.359.col.2.n.3. tenuæ	tenues
p.364.col.2.n.3. oneri	oneris
p.368.col.1.n.2. & 3.diſp.1. concl.6.	diſp.2. concl.7.
p.370.col.1.n.5. ſec.20.	ſec.2.
p.372.col.1.n.5. contigi	contigere
p.375.col.2.n.9. ſec.13.	ſec.14
p.376.col.2.n.7. ſec.35.	ſec. 36.
ibidem col.2.n.2. ſec.18.	ſec.19.
p.378.col.1.n.2. ſec.18.	ſec.19.
p.379.col.2.n.4. ſec.18.	ſec.19.
p.380.col.2.n.1. ſpirituli	ſpirituali
p.381.col.1.n.2. ſec.23.	ſec.24.
p.382.col.1.n.3. Eccleſia	Eccleſiæ

p.383.

Digitized by Google

Errata	Corrige
p.383.col.2.n.4. ſupradictam opinionem	ſupradicta opinio
p.386.col.1.n.2. exiſtentibus	exiſtentes
ibidem n.3. nomini	homini
p.397.col.1.n.1. Iubilæo	Iubilæi.
p.399.col.2.n.8. approbatis	approbati
p.400.col.2.n.5. Parochorum	Parochum.
p.401.col.1.n.7. attanta	attenta
p.405.col.1.n.3. retulimas	retulimus
p.418.col.1.n.1. conceſſum	conceſſam
ibidem col.2.n.2. confeſſionis	conceſſionis
p.419.col.2.n.3. reſeruata	reſeruatæ
p.422.col.1.n.1. largi	largo
p.435.col.1 n 1. pijſſimis	pijſſimi
p.444.col.2.n.1. formæ pænitentiæ	formæ Sacramenti pœnitentiæ
p.436.col.1.n.5. ipſe	ipſa
ibidem col.2.n.3. Lymbus	Lymbum
p.437.col.1.n.6. detenta	detentæ
p.438.col.1.n.3. operatam	opertam
ibidem n.4. Dæmonis	Demonijs
p.442.col.2.n.12. quor	quorum
p.452.col.1. viuens, viuens	viuens
p.456.col.1.n.11. eiuſmodi corruptela potius, quam conſuetudo dicebatur	dicebatur
p.469.col.2 n.13. extit	extitit
p.470.col.1.n.1 meſtruaie	meſtruatæ
p.470.col.2.n.5.commciaturæ	cõmunicaturæ
p.477 col.1.n.3. celebrate	celebrare
p.481.col.2.n.6. ſamant	ſumant
p.492.col.2.n.9. oblitis	oblitus
p.495.col.2 n.1. en	ex
p.500.col.1.n.3. ſuccus	ſucco
ibidem n.4. vitæ	vitis
p.508.col.1. in tit. defectu	effectu
p.508.col.2.n.3. ſortitum	ſortitur
p.514.col.1.n.3. ſanguinis	ſanguis
p.531.col.2. diximas	diximus

Menda magis notatu digna ſecundi Ordinis.

Errata	Corrige
pag.2.col.1.n.23. Medicum	Medium
p.12.col.2.n.73. & 74 Eccleſia internos indirectè	Eccleſia internos directè
p.37.col.1.n.7.validam	inualidam
p.45.col.1.n.5. citra	circa
p.55.col.1.n.14. debetur	deletur
p.62.col.1.n.48. declinat	inclinat
& ibidem col.2.n.48. cedat	cadat
p.76.col.1.n.107. ſi verò affectata	ſi verò affectata directè
& ibidem col.2.n.109. naturaliter non poſſit	moraliter non poſſit
p.90.col.2.n.18. mortaliter	moraliter
p.112.col.1.n.110. inſtam	iuſtam
p.222.col.1.n.27. nd	ad
ibidem col.2.n.32. ſe	ſed
p.135.col.2.n.4. ſimplex	complex
p.142.col.1.n.12. complex	complens
p.164.col.1.n.19. D.	D. Thom.
p.165.col.1.n.1. in hac re difficultate dum	in hac difficultate duæ
p.177.col.1.n.13. effectum	affectum
p.196.col.2.n.13. quod & ſi	quod & ſi vtile ſit, ſi
p.201.col.2.n.5. vt	&
p.215.col.1.n.13. oomperata	comparata
p.236.col.1.titul.ſec. ſoto	foro
p.253.col.1.n.24. realis acquiſiti præbere	talis acquiſiti pendere
p.254.col.2.n.30. Audire	Adire
p.263.col.1.n.33. metu	motu
p.268.col.1.n.7. vſus	caſus
p.269.col.2.n 16. deſinit	definit
p.277.col.1.n.64. pereant	peccant
p.293.col.2.n.163. imperfecti	interfecti
p.295.col.1.n.173. fluerit	fluxerit
p.306.col.1.n.3. non poteſt reſeruata	non poteſt non reſeruata
p.316.col.2.n.3. inhabente	inhabitante
p.320.c.1.n.5. ꝓbabiliter	ꝓbabiliter nõ poſſit
p.332.col.1.n.12. quis	quamuis
p.348.col.1.n.5. mortaliter	moraliter
p.383.col.1.n.9. eleemoſinam	indulgentiam
p.386.col.1.n.3. nomini	homini
p.393.col.2. euitandam	euidentiam
p.403.col.2.n.4. nihilominus	nihil tamen
p.404.col.2.n.1. ſinta ſi	ſint ab
p.418.col.2.n.2. confeſſionis	conceſſionis
p.434.col.2.n.2. ſi	ſit
p.441.col.1.n.3. ſcripto	ſigno
p.447.col.2.n.14. verborum	verborũ ſuſpẽdi
p.453.col.2.n.10. malè	manè
p.469.col.1.n.39. vetum	verum
ibidem col.2.n.1. valentibus	volentibus
p.478.col.1.n.6. vſu	vna
p.482. col.2.n.12. commune	communione
p.497.col.2.n.1. conſeruari	conſecrari
p.502.col.2.n.1. ſi	ſit effectu
p.513.col.1.n.3. rationabilis	irrationabilis
p.545. col.2.n.21. denegatio	detectio
p.547.col.2.n.1. impenidit	impedit
p.549.col.1.n.5. miſera	mixta

AX1 1453646

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

60
30
40
60
190